ACTA
ORDINIS MINORUM

ACTA
ORDINIS MINORUM
VEL AD ORDINEM QUOQUO MODO PERTINENTIA

IN LUCEM EDITA

JUSSU ET AUCTORITATE

RMI P. BERNARDINI A PORTU ROMATINO

TOTIUS ORDINIS FRATRUM MINORUM MINISTRI GENERALIS

IN COMMODUM PRAESERTIM RELIGIOSORUM SIBI SUBDITORUM

Veritatem facientes in charitate.
EPH. 4, 15.

Peculiari prorsus laude dignum putavimus, Dilecte Fili, consilium quo horum Actorum collectio atque editio suscepta est.
(Ex Epist. LEONIS P. XIII. ad Ministr. General.)

ANNO VI.



AD CLARAS AQUAS
(QUARACCHI PROPE FLORENTIAM)
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE
1887

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

DECRETA S. R. C.

I.

WESTMONASTERIEN.

CONFIRMATIONIS CULTUS

BEATORUM MARTYRUM

JOANNIS CARDINALIS FISHER, THOMAE MORE

ET SOCIORUM

in odium fidei ab anno 1535 ad 1583 in Anglia interemptorum.

Anglia Sanctorum insula ac Deiparae Virginis dos olim appellata, quemadmodum a primis usque Ecclesiae saeculis plurimorum Martyrum Passionibus illustrata fuerat, ita etiam cum diro schismate a Romanae Sedis obedientia et communione saeculo XVI avulsa est, eorum testimonio non caruit, qui *pro huius Sedis dignitate et orthodoxae Fidei veritate vitas suas cum sanguine ponere non dubitarunt* (Gregorius XIII Constit. *Quoniam divinae bonitati.* Kalendis Maii 1579). Huic praeclarissimae catervae nihil penitus deest quod eam tum compleat, tum ornet: non purpurae romanae maiestas, non venerabilis Episcoporum honor, non Cleri utriusque fortitudo, non sexus infirmioris inexpugnabilis firmitas. Hos inter eminet Joannes Fisher Episcopus Roffensis, et S. R. E. Cardinalis, quem in suis Litteris Paulus III appellat *sanctitate conspicuum, doctrina celebrem, aetate venerabilem, illius regni ac totius ubique Cleri decus et ornamentum.* A quo seiungi nequit vir saecularis Thomas More, Angliae Cancellarius, quem idem Pontifex meritis extollit laudibus, utpote *doctrina litterarum sacrarum excellentem, et veritatem adserere ausum.* Idcirco praeclarissimi quique rerum ecclesiasticarum scriptores unanimi censent calculo eos omnes pro tuenda, restituenda et conservanda Catholica Fide sanguinem fudisse. Quin etiam Gregorius XIII plura in eorum honorem indulsit, quae ad publicum ecclesiasticumque cultum pertinent: atque illud praecipuum, ut potestatem fecerit horum lipsana in consecrandis altaribus adhibendi, quando illa veterum Sanctorum Martyrum non suppeterent. Praeterea postquam in Templo S. Stephani ad Coelium montem Christi Martyrum Passiones per Nicolaum Circinianum udo tectorio pingi fecisset; permisit etiam, ut in Templo Sanctissimae Trinitatis Anglorum de Urbe, ab eodem auctore, eademque ratione Anglicanae Ecclesiae Martyres antiqui recentiorisque aevi pariter exhiberentur, quos inter illi etiam qui ab anno 1535 ad 1583 sub Henrico Rege et Elisabetha pro Catholica Fide ac Romani Pontificis Primatu mortem obierant. Quae martyriorum repraesentationes eo in templo depictae, videntibus ac probantibus Romanis Pontificibus Gregorii Successoribus, ad duo saecula permanserunt, donec nefariorum hominum iniuria sub finem elapsi saeculi perierunt. Mansere tamen illarum ectypa, quae anno 1584 Romae cum privilegio eiusdem Gregorii XIII aere cusa fuerant, hoc apposito titulo: *Sanctorum Martyrum, qui pro Christo Catholicaeque Fidei veritate adserenda antiquo recentiorique persecutionum tempore mortem in Anglia subierunt, Passiones.* Ex quo monumento, sive ob subiectum elogium, sive ob

alia indubia indicia plures eiusmodi Martyres suo nomine comperti sunt, nempe quinquaginta quatuor. Sunt autem,

Passi sub Henrico Rege: JOANNES FISHER, Episcopus Roffensis, S. R. E. Cardinalis — THOMAS MORE, Angliae Cancellarius — MARGARITA POLE, Comitissa Salisburiensis, Cardinalis Poli Mater — RICARDUS REYNOLDS, Ordinis S. Birgittae — JOANNES HAILE, Sacerdos: Octodecim Carthusiani, nimirum: JOANNES HOUGHTON — AUGUSTINUS WEBSTER — ROBERTUS LAURENCE — GULIELMUS EXMEW — HUMPHREDUS MIDDLEMORE — SEBASTIANUS NEWDIGATE — JOANNES ROCHESTER — JACOBUS WALWORTH — GULIELMUS GREENWOOD — JOANNES DAVY — ROBERTUS SALT — GUALTERUS PIERSON — THOMAS GREEN — THOMAS SCRYVEN — THOMAS REDYNG — THOMAS JOHNSON — RICARDUS BERE, et GULIELMUS HORNE — JOANNES FOREST (1), Sacerdos Ordinis S. Francisci — JOANNES STONE, Ordinis S. Augustini: Quatuor Sacerdotes Saeculares, THOMAS ABEL — EDUARDUS POWEL — RICARDUS FETHERSTON — JOANNES LARKE, et GERMANUS GARDINER, laicus:

Sub Elisabetha vero, Sacerdotes CUTHBERTUS MAYNE — JOANNES NELSON — EVERARDUS HANSE — RODULPHUS SHERWIN — JOANNES PAYNE — THOMAS FORD — JOANNES SHERT — ROBERTUS JOHNSON — GULIELMUS FYLBY — LUCAS KIRBY — LAURENTIUS RICHARDSON — GULIELMUS LACY — RICARDUS KIRKMAN — JACOBUS HUDSON, seu TOMPSON — GULIELMUS HART — RICARDUS — THIRKELD — THOMAS WOODHOUSE, et PLUMTREE. Item tres Sacerdotes e Societate JESU, EDMUNDUS CAMPIAN — ALEXANDER BRIANT, et THOMAS COTTAM. Denique JOANNES STOREY, Juris utriusque Doctor — JOANNES FELTON, et THOMAS SHERWOOD, laici.

Horum tamen Martyrum causa ad haec usque tempora nunquam agitari coeperat. Olim quidem, anno 1860, cl. me. Cardinalis Nicolaus Wiseman Archiepiscopus Westmonasteriensis, aliique Angliae Episcopi sa. me. Pio IX Pontifici Maximo preces obtulerant, ut per totam Angliam Festum institueretur in honorem omnium Sanctorum Martyrum, nempe illorum etiam, *qui licet nondum vindicati, recentioribus temporibus pro Catholica Religione tuenda, et praesertim pro auctoritate Sedis Apostolicae adserenda, per nefariorum hominum manus occubuerunt, et ad sanguinem usque restiterunt.* Verumtamen cum, iuxta vigentem Sacrorum Rituum Congregationis praxim, Festum nonnisi de illis DEI Famulis institui possit, quibus ecclesiasticus cultus a Sede Apostolica iam delatus, et rite recognitus fuerit; preces illae nullum effectum sortitae sunt. Quapropter postremis hisce annis novae preces per Emum ac Rmum Dnum Cardinalem Henricum Manning, hodiernum Archiepiscopum Westmonasteriensem, et alios Angliae Episcopos ad Sanctissimum Dominum Nostrum LEONEM XIII Pontificem Maximum delatae sunt, una cum Ordinario Processu in Anglia confecto, aliisque authenticis documentis, in quibus tum probationes Martyrii pro iis qui ab anno 1535 ad 1583 passi sunt, tum etiam praedicta indulta Romanorum Pontificum pro prioribus illis nuper memoratis continentur.

Placuit Sanctissimo Domino Nostro totius negotii cognitionem peculiari Coetui aliquot S. R. E. Cardinalium, et Officialium Sacrorum Rituum Congregationis committere; praevia Exegesi per R. P. D. Augustinum Caprara S. Fidei Promotorem conficienda. Qua in particulari Congregatione die 4 Decembris labentis anni ad Vaticanum coadunata, infrascriptus Cardinalis Dominicus Bartolini eidem Sacrae Congregationi Praefectus, et Causae Relator, sequens proposuit Dubium: « *An, propter peculiaria Romanorum Pontificum indulta, relate ad antiquiores Angliae Martyres, qui ab anno 1535 ad 1583, pro Fide catholica, et pro Romani Pontificis in Ecclesia Primatu mortem obierunt, et quorum Passiones, auctoritate Gregorii XIII Pont. Max., in Templo SSmae Trinitatis Anglorum de Urbe olim depictae, et Romae anno 1584, cum privilegio eiusdem Pontificis, aere cusae sunt, constet de indulto publico ecclesiastico cultu, sive de casu excepto a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII, in casu et ad effectum, de quo agitur?* » Emi porro ac Rmi Patres, et Praelati Officiales, audito scripto et

(1) Huius nostri egregii Martyris compendiosa historia a variis scriptoribus enarratur; eiusdem martyrium commemorat Adm. R. P. Marcellinus a Civetia in opere suo: *Storia delle Missioni Francescane*, Vol. VII, parte I, pag. 544 et seq. — B. Martyris Officium et Missa S. Congregationis approbationi brevi proponentur. *(Nota Redactionis).*

voce praefato S. Fidei Promotore, reque mature discussa quoad recensitos quinquagintaquatuor Martyres, respondendum censuerunt: « *Affirmative, seu Constare de casu excepto* ».

Super quibus omnibus facta Sanctissimo Domino Nostro LEONI Papae XIII per me subscriptum Secretarium fideli relatione; idem Sanctissimus Dominus Noster sententiam Sacrae Congregationis particularis approbare dignatus est. Die 9 Decembris 1886.

Praesens autem Decretum expeditum fuit hac die 29 Decembris, sacra Thomae Episcopo Cantuariensi Martyri, cuius fidem et constantiam hi Beati Martyres tam strenue imitati sunt.

D. Card. BARTOLINIUS S. R. C. Praefectus.

L. ✝ S.

Laurentius Salvati S. R. C. Secretarius.

—

II.

De extensione festi S. Catharinae Januensis ad cunctas dioeceses

ITALIAE

ET INSULARUM ADIACENTIUM.

—

Divini amoris igne in iugi Dominicae Passionis contemplatione mirabiliter succensa, singulare caritatis erga DEUM et proximos exemplum semet exhibuit CATHARINA JANUENSIS e nobili Fliscorum gente exorta: quae, iuxta Apostolicae Sedis oraculum, divinae maiestatis sublimitatem tanta ex parte perspicere digna facta fuit, quantam humanae menti vix ferre datum est. Hanc porro inclytam mulierem omnigenae virtutis operibus scriptisque insignem sancti viri aeque ac docti summis laudibus extulerunt; eamque animas igne Purgatorii detentas admirabili caritatis exemplo prosequutam, illarumque cruciatus enarrantem et in suo corpore, prout in carne licet, diu referentem, catholici dogmatis veluti vindicem contra novatores haereticos celebrarunt.

Quae omnia secum reputans Rmus D. Salvator Magnasco Archiepiscopus Januensis, ceterorum quoque Liguriae Antistitum vota depromens, Sanctissimum Dominum Nostrum LEONEM Papam XIII enixis precibus rogavit, ut huius Sanctae Viduae festum iampridem a Clemente Papa XI aliquibus locis indultum, sub ritu duplici minori, et cum Officio ac Missa propriis in usum Archidioeceseos Januen., ad universam Ecclesiam extendere dignaretur. Sanctitas porro Sua, has preces ab infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario relatas peramanter excipiens, Sanctae Catharinae Fliscae Adurnae festum, die XXII Martii affixum, sub expetito ritu, et cum supradictis Officio ac Missa, *ad cunctas Italiae atque insularum adiacentium Dioeceses tantummodo* (1) extendere dignata est: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 16 Septembris 1866.

D. Card. BARTOLINIUS S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Laurentius Salvati S. R. C. Secretarius.

—

III.

Dubia circa ecclesiae consecrationem.

BARCHINONEN.

—

Ecclesia parochialis sub titulo Sanctae Mariae in loco *Matrone* nuncupato, infra fines Dioeceseos Barchinonen. ut consecrata habetur, tum quia ab antiquis temporibus anniversarium Dedicationis semper celebratum fuit Dominica postrema Octobris, tum quia in demolitione primitivi Altaris sub ara repertum fuit una cum quinque granis incensi et sacris Reliquiis pervetustum documentum adserens peractam consecrationem; tum quia reperiebantur in parietibus Cruces depictae, testibus senioribus superioris saeculi ipsius ecclesiae beneficiatis. Quum vero, crescente populo, templum amplificatum fuerit, intactis parietibus lateralibus, et dirutum fuerit Altare maius, sensim Cruces disparuerunt, et anno millesimo octingentesimo quinquagesimo quarto parietum interna facies perpolita et *stucco*, uti vocant, cooperta fuit, Altare tamen maiori nec fixo nec lapideo nunc temporis extante. At vero quum dubium aliquod de ipsa consecratione ortum sit, hinc hodiernus Rector, Archipresbyter et Clerus

(1) Quum in hoc Decreto Clerus Regularis nullo modo nominetur, Religiosi nostri in Italia degentes ad hoc Officium non tenentur.

eiusdem ecclesiae servitio addictus, de consensu Rmi Episcopi Barchinonensis, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia pro opportuna solutione humillime subiecerunt, nimirum:

Dubium I. Utrum praedictum templum ob factam amplificationem nova indigeat consecratione?

Dubium II. Et quatenus *negative*, num nova consecratio fieri debeat propter *stucci* additionem?

Dubium III. Et quatenus *negative* etiam ad secundum, quaeritur num necessario erigendum sit novum Altare maius fixum et lapideum rite consecrandum; ita ut quotannis Officium Dedicationis persolvi possit?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistri, omnibus mature perpensis, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. et II. *Negative, seu non indigere; et iterum depingantur et apponantur Cruces in parietibus in testimonium peractae consecrationis.*

Ad III. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit et fieri mandavit die 16 januarii 1886.

D. Card. BARTOLINIUS, Praefectus.
Laurentius Salvati, Secretarius.

—

DECRETUM S. C. INDICIS

Feria III die 14 Decembris 1886.

—

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 14 Decembris 1886 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

L'Eglise et l'Etat dans la seconde moitié du III Siècle, (249-284) par B. Aubé. Paris, 1885. *Decr. 25 Junii 1886.*

Le Syllabus sans parti pris, par l'abbé L.-A. Bosseboeuf, du diocèse de Tours. Paris, 1886, I vol. in-12, pag. XIII, 365.

L'Encyclique IMMORTALE DEI, le Syllabus et la Société moderne, par l'abbé L.-A, Bosseboeuf (1), du diocèse de Tours. Tours, 1885, I vol. in-12, pag. LVI, 365.

Le Diable — La Personne du Diable — Le Personnel du Diable, par Jules Baissac. Paris, Dreyfous, éditeur.

Jesus Christus und die Essener, Nach den Visionen der Augustiner Nonne Anna Catharina Emmerich von Carl Buddeus. Meran, 1886. — *Latine:* Jesus Christus et Esseni, iuxta visiones Annae Catharinae Emmerich monialis Ordinis S. Augustini, auctore Carolo Buddeus. Merani, 1886. *Opus praedamnatum ex II. Regula Ind. Trid.*

Memoria lida perante o conselho superior de instrucção publica na sessão annual ordinaria de 1885, pelo vogal do mesmo conselho D.r Damazio Jacintho Fragoso, Lente de vespera da faculdade de theologia na Universidade de Coimbra, antigo professor proprietario no lyceu national d'Evora, socio effectivo do instituto, ex-governador do Bispado de Aveiro, examinador pro-synodal, etc. Coimbra, imprensa da Universidade, 1885. *Decr. S. Off. Feria IV die 1 Septembris 1886.*

Giacomo Barzelotti. David Lazzaretti di Arcidosso detto il Santo, i suoi seguaci e la sua leggenda. Bologna, Nicola Zanichelli 1885. *Decr. S. Off. Feria IV die 1 Septembris 1886.*

Opus: La vita di G. C. — Esame critico sulle parabole, e sui miracoli per David Strauss, confutata e completata nel N. e V. testamento, del P. Carlo Maria Curci: « quod falso attribuitur P. Carolo Maria Curci », stampata in Roma 1886, tipografia editrice via del Nazareno 14. *Decr. S. Off. Feria V die 9 Decembris 1886.*

Auctor (G. B. Savarese) opusculi cuius titulus: La Scomunica di un'idea — Risposta al Card. Vicario di Roma: *prohib. Decr. S. Off. Feria IV die 26 Decembris 1884, laudabiliter se subiecit et illud reprobavit.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta,

(1) In catholicis Galliae ephemeridibus hic auctor retractationem suam evulgavit, statim ac praesens Decretum cognovit.

quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 14 Decembris 1886.

Fr. THOMAS MARIA Episc. Sabinen.
Card. MARTINELLI Praefectus.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri, Ord.
Praed., S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✝ Sigilli.

Die 16 Decembris 1886 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia Mag. Curs.

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS
Incitamenta Seraphica.

—

DE DISCIPLINA REGULARI RESTITUENDA
CAPUT II.
DE ORATIONE
§ 3. *De choro.*

34. Secundum iuris canonici dispositiones in ecclesiis cathedralibus, regularibus et collegiatis Divinum Officium singulis diebus publice recitari debet, prout constat ex Clementin. 1. *de celebrat. miss.*, ubi dicitur: « Locorum Or« dinarii, si vero exempti fuerint,... Superio« res... ut in cathedralibus, regularibus et col« legiatis ecclesiis horis debitis devote psalla« tur... si DEI et Apostolicae Sedis indignatio« nem evitare voluerint, sollicitam curent « diligentiam adhibere ». — Haec verba, ut patet, sunt praeceptiva et de re gravi.

35. Regulares non solum per praefatum generale Ecclesiae praeceptum, sed etiam per proprii Ordinis consuetudinem, Regulam vel Constitutiones obligantur, ut Officium in eorum ecclesiis publice recitetur.

36. Obligatio recitandi Divinum Officium in choro incumbit toti Communitati, ita tamen ut primario et ex officio incumbat Superiori, qui proinde peccabit graviter, si ex eius culpa Officium vel omittatur, vel notabiliter negligatur, vel etiam indebite persolvatur. Secundario talis obligatio incumbit subditis, ita ut, deficiente suo muneri Superiore, etiam subditi peccent mortaliter, si ex eorum negligentia Divinum Officium in choro praetermittatur vel indebite persolvatur (1).

37. Rationes, ob quas Divinum Officium in communi recitandum est, S. Bonaventura optime indicat, scribens (2): « Officium divi« num in Ecclesia Spiritus Sanctus ordinavit « fieri quinque de causis. Primo, propter imi« tationem coelestis concentus, quo Sancti et « Angeli in coelo assidue in praesentia DEI « eius laudibus sunt intenti. Unde dicit Psal« mista (3): « Beati, qui habitant in domo tua « DOMINE; in saecula saeculorum laudabunt « te ». Quum enim secundum promissionem « suam dicat DOMINUS: « Ecce ego vobiscum « sum omnibus diebus usque ad consumma« tionem saeculi », hic dignetur CHRISTUS no« biscum esse veraciter, tam sacramentaliter, « quam spiritualiter; dignum est, nos ei pro « modulo nostro aliqualem exhibere reveren« tiam honoris et laudis, iuxta exemplum si« militudinis coelestis, ut ei, etsi non conti« nue sicut illi coeli cantores, saltem interpo« late pro nostra fragilitate psallendo, alacriter « assistamus imitantes illam quae sursum est « Jerusalem matrem nostram, ut ait Pau« lus (4) ».

« Secundo, ut beneficiorum DEI memo« res, certis horis gratias pro his, laudando « et orando, ei iugiter referamus, qui natus « in nocte ex MARIA Virgine, mane judici « passurus assistitur, diluculo resurrexit, hora « tertia flagellatur et post Spiritum Sanctum « misit Apostolis, sexta crucifixus, nona in « cruce pro nobis mortuus, vespere coenans

(1) Cfr. Ferraris, verb. *Offic. divin.*, art. 1. n. 43. 44.
(2) *De sex alis Seraphim*, cap. VIII.
(3) Ps. LXXXIII, 5.
(4) Galat. IV, 26.

« Corporis et Sanguinis sui nobis Sacramenta « tradidit, et Completorio sepultus est. Missa- « rum autem celebratio non tantum ejus nobis « passionis mysterium memorandum ingerit, « sed et praesentiae suae gratiam exhibet, et « sub forma Sacramenti nos seipso spirituali- « ter pascit. Si ergo iustum est nos horum « nunquam oblivisci, ita expedit ea semper « recolere certis horis. Unde Isaias ait (1): « Miserationum DOMINI recordabor, laudem « eius super omnibus, quae reddidit nobis ».

« Tertio, ut nosmetipsos sic assidue ad « devotionem excitemus, et ignem amoris DEI « per hoc nobis, ne per desidiam seu alias « occupationes tepescat, continue reaccenda- « mus, sicut iussit DOMINUS Moysi dicens (2): « Ignis est iste perpetuus, qui nunquam defi- « ciet, quem nutriet sacerdos in altari, subii- « ciens mane ligna ». Ignis est devotionis fer- « vor, qui semper in altari cordis ardere de- « bet; quem sacerdos devotus semper subii- « ciendo ligna divinae laudis, debet nutrire, « ne quando extinguatur. Unde dicit Psal- « mista (3): « Benedicam DOMINO in omni tem- « pore, semper laus ejus in ore meo ».

« Quarto, ut simplices Fideles, qui per « se nesciunt certa orandi tempora eligere, per « hoc ad orationis studium assuefaciamus, ut « saltem tunc ad ecclesiam oraturi conveniant, « quando ibidem divinae laudis officia persol- « vuntur; et ut minus afficiantur taedio ibi « persistendi, quamdiu coram se vident cele- « brare divina. Unde in Luca dicitur (4): « Omnis multitudo populi erat foris hora in- « censi ». Multi enim rudes vix unquam se « orationi offerrent, si foris non certis tempo- « ribus in ecclesiam ex consuetudine, ad di- « vinorum celebrationem et verbi DEI recita- « tionem, ordinarie vocarentur.

« Quinto, propter decorem Religionis chri- « stianae, quia decens est et congruum, ut si « judaei et gentiles et quidam haeretici quando- « que conventicula sua faciunt et sua profana ibi « commercia celebrant et ritus suae perfidiae « observant: multo dignius, qui vera et sacro- « sancta habent Sacramentorum mysteria, ad ea « celebranda et veneranda saepe conveniant, et « debita Conditori suo laudum solemnia persol- « vant, quibus et gratiam DEI ampliorem me- « rentur, et vitam aeternam, et quibus alli- « ciantur simplices ad Religionis sanctae re- « verentiam et amorem. Propter quod scriptum « est (1): « Dedit in celebrationibus decus et « ornavit tempora usque ad consummationem « vitae, ut laudarent sanctum nomen DOMINI, « et amplificarent mane DEI sanctitatem ».

« Inter omnes ergo exteriores observan- « tias maior debet diligentia Divino Officio ad- « hiberi, ut ordinate fiat, strenue et devote. « Alia enim tempora facimus pro DEO, in hoc « autem assistimus DEO et alloquimur eum, et « nos ipse; simul et pro nostris necessitatibus « ejus auxilium postulamus ».

38. In choro praeter supra n. 17 memorata recitari etiam debent quinque Officia Defunctorum, Vesperae scilicet cum Vigilia novem lectionum, diebus in Rubricis nostris peculiaribus n. 215 assignatis necnon Feria quarta Cinerum Psalmi graduales (qui pridie anticipari possunt) et Officium parvum Beatae Mariae Virginis. Etsi haec extra chorum non obligent, valde tamen convenit, ut etiam ab iis, qui choro forsitan non intersunt, recitentur.

39. Ad satisfaciendum obligationi chori requiruntur quatuor, vel juxta alios saltem tres; et satisfieri potest etiam per Novitios. Haec tamen intelligenda sunt de casu necessitatis. Siquidem omnes, qui non sunt legitime impediti et excusati, choro assistere debent, et extra necessitatis casum per solos Novitios vel Clericos chori obligationi satisfacere minime decet.

40. Matutinum in tres distinguitur Nocturnos cum Laudibus ad normam quatuor noctis vigiliarum, quibus veteres ad Officium surgebant. Duodecim noctis horae in quatuor partes dividebantur, quarum quaelibet tribus horis constabat, et omnes *vigiliae* vocabantur. Prima vigilia, quae appellabatur *Conticinium*, incipiebat ab occasu solis et terminabatur hora tertia; secunda *(Intempestum)* erat ab hora tertia usque ad sextam; tertia *(Gallicinium)* ab hora sexta usque ad nonam; quarta *(vigilia matutina* seu *Antelucanum)* ab hora nona usque ad duodecimam sive ad ortum solis.

(1) Is. LXV, 7.
(2) Levit. VI, 12. 13.
(3) Ps. LIII, 1.
(4) Luc. I. 10.

(1) Eccli. XLVII. 12.

Ast tres illi Nocturni, qui prius diversa noctis Officia constituebant, tepescente postea fervore, non amplius separatim, sed continenter una cum Laudibus decantari coeperunt, delecta ad hoc media nocte juxta illud prophetae: « Media nocte surgebam ad confitendum tibi ». Cum vero postea nec onus eiusmodi surgendi media nocte Clerus praesertim saecularis toleraret, Clerici ultima noctis vigilia surgebant et ad Officium conveniebant. Quare Officium nocturnum, postquam cum Laudibus, quae mane recitari et *laudes matutinae* dici solebant, conjunctum fuit, *Matutinum* est appellatum.

41. Apud Regulares non paucos laudabiliter continuatur antiquus usus surgendi media nocte ad recitandum vel cantandum Divinum Officium.

42. Haud defuerunt olim, nec desunt nostris temporibus, qui antiquissimam hanc multumque DEO gratam consuetudinem mediis noctibus ad laudandum nomen DOMINI surgendi vituperent dicentes, concessam fuisse a DEO hominibus noctem ad somnum et ad quietem, non autem ad vigilandum et laborandum. Inter alios multos iam quidam haereticus, nomine Vigilantius, praedictam piam Fidelium consuetudinem irridere non est veritus. Quamobrem S. Hieronymus in epistola ad Riparium illum irridendo, mutato nomine, Dormitantium appellavit. « Quid est, ait S. Hieronymus, quod dormitare velit Vigilantius, et non potius audiat Servatorem discipulos suos increpantem, eo quod non potuerint secum vigilare, et dicentem: Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem »? Haec consuetudo non est nova, sed antiquissima. David, regius psaltes, Psalmo primo viri iusti et timentis DEUM mores describens ait, quod in lege DOMINI erit semper voluntas eius, et in lege eius meditabitur *die ac nocte*. Quod et ipse suo exemplo praestitit semper, licet esset rex multisque negotiis occupatus. Quare DOMINUM alloqui potuit: « Septies in die laudem dixi tibi »; et: « Media nocte surgebam ad confitendum tibi »; et: « DOMINE DEUS salutis meae, in die clamavi et nocte coram te ».

Ipse CHRISTUS Dominus vigilias verbo suo atque exemplo commendavit. Frequenter legitur in Evangeliis, ipsum pernoctasse et vigilasse in montibus et desertis locis ad vacandum orationi. Hanc sanctam DOMINI consuetudinem Apostoli eorumque discipuli imitari studuerunt.

43. Etiam in Ordine nostro Seraphico haec pia consuetudo surgendi media nocte ad laudandum Dominum, si non ubique, tamen semper viguit. Quod ut etiam deinceps fideliter observetur, summopere optandum atque curandum est. Hoc enim non tantum Statuta Ordinis generalia nobis praescribunt, sed etiam S. Congregatio super Disciplina regulari nobis praecepit. In Decretis enim a dicta S. Congregatione die 6 Februarii 1802 auctoritate Pii PP. VII pro omnibus « qui alicui ex iis Minorum Ordinibus nomen dederunt, qui a Generali Aracoelitana Curia dependent », editis n. 1 legitur: « Cum Religiosi viri spiritualibus rebus strictiori sint nexu addicti, ea quae divinum cultum spectant, attente studioseque perficiant. Omnes vero, nisi qui legitime impediantur, choro adsint ad psalmorum cantus; illudque meminerint almae Sionis aemulos canentes iungi sedi illi Coelitum, quae semper resultat divinis laudibus ».

« Canonicae autem preces in choro stantis horis persolvantur: in Conventu nempe principe cuiuslibet Provinciae necnon in Conventibus ad studia et tyrocinia deputatis ad confitendum DOMINO Matutinis precibus, quae Nocturnos continent et Laudes, Fratres surgant media nocte iuxta Regulae praeceptum, casu aliquo necessitatis excepto. Prima vero dicatur diluculo, Tertia, Sexta et Nona cum Missa solemni ante meridiem. Vesperae demum post prandium, et Completorium serius hora competenti ».

44. Quod Regulares teneantur ad Missam conventualem celebrandam, constat ex multis S. Rituum Congregationis decretis et Summorum Pontificum litteris. Benedictus XIV dicit (1): « Quamquam Missa conventualis sub horarum canonicarum non veniat, tamen sub *Divini officii* nomine continetur ». Cum vero Regulares teneantur ad Divinum Officium, sequitur, eosdem teneri etiam ad celebrationem Missae conventualis. In ecclesiis cathedralibus et collegiatis subinde duae Missae conventuales

(1) *De sacrosancto Missae sacrificio*, lib. 3. cap. 3. n. 4.

cantari debent; Regulares vero tenentur dumtaxat ad Missam conventualem de Officio currenti, et sine cantu, nisi aliunde obligatio oriatur (1).

45. In Constitutionibus Ordinis statuitur: « Praedicatores conventuales horae Tertiae, Con« ventuali Missae et Vesperis singulis diebus; « Matutinis vero in festis solemnioribus, nisi « illis diebus praedicent, assistere debeant. Die« bus autem festis Lectores horae Tertiae, Con« ventuali Missae et vespertino Officio omnino « assistant ». Si ergo Praedicatores et Lectores teneantur assistere Missae conventuali, a fortiori ad hoc obligantur ceteri Patres et Fratres, qui a Matutino et aliis horis canonicis non eximuntur.

46. Superiores igitur et subditi, memores suae obligationis, sollicite curent, ut Divina Officia quotidie pie celebrentur, et hac ratione benedictio coelestis pro religiosa Communitate obtineatur. Quod ut fiat, quilibet legitime non impeditus choro et Missae conventuali debito modo assistere studeat. — Fr. Andreas Burgundus etiam corporalibus CHRISTI amplexibus sanctum chori praetulit exercitium, prout legimus in Ordinis nostri Annalibus (2).

Ipsi enim semel in cella oranti apparuit DOMINUS in specie pulcherrimi infantuli, ad cujus aspectum summa fuit consolatione repletus. Pulsata ad Vesperas campana, dubius haesit vir pius, an ad chorum vocatus obedire, vel potius dilecti sui amplexibus frui deberet. Tandem statuit ad chorum properare. Quam vero id gratum DEO fuerit, mox ipse expertus est. Nam a Vesperis redeuntem CHRISTUS expectavit, ejus laudans obedientiam. Cui, cum Frater humiles redderet gratias ob tantam dignationem, respondit: « Ita factum, quia « Ordinis tui institutis obsecutus es; quod si « aliter fecisses neque ad Vesperas ivisses, « prorsus te insalutato recessissem ». — Discamus ex hoc amare chori exercitium! Ast proh dolor! non pauci Religiosi sexcentas fingunt excusationes, ut choro se subducere possint, et hisce suis inanibus praetextibus satis indicant, se parum amare Eum, cujus tantopere fugiunt alloquium.

47. Officium in choro non solum *integre* semper, sed etiam *rite* ac *devote* debet recitari. Ut *rite* persolvatur, observandae sunt illae inclinationes, genuflexiones et ceterae caeremoniae, quae pro publica Officii recitatione praescriptae sunt. Enixe propterea commendamus, ut Magistri Fratres sibi concreditos secundum Caeremoniale Ordinis et tractatum « De disciplina in choro servanda » diligenter edoceant, eosque caeremonias praescriptas prompte et religiose exequi faciant. Ut *devote* Divinum Officium persolvatur, attendenda ac observanda sunt, quae Statuta generalia Barchinonensia praescribunt sequentibus verbis (1): « Statui« mus, quod ante Horarum et Missarum prin« cipia Fratres omnes, quos rationabilis causa « non excusat, ad chorum conveniant praepa« raturi DOMINO corda sua, ibique sine discur« su, murmure, vanis et vagis aspectibus sub « silentio, in pace et cum debita gravitate et « attentione permaneant, cantent, orent, et « usque in finem perseverent unanimiter ». Praeparemus igitur animas nostras ante Horas canonicas ad mentis elevationem, amputemus sensuum evagationes, saeculares imaginationes, vanas cogitationes omnesque causas distractionum, amoveamus curas et solicitudines, otia et negotia, totosque nos demus ad colendum DEUM; nam, ut docet S. Doctor noster Seraphicus (2), « tanto amplius reverentiae et dili« gentiae debetur officio, quanto id DEO imme« diatius exhibetur ». Si praeparatione praemissa et diligentia humana non obstantibus, nihilominus distractiones mentem dissipent, totum commendandum est dulcissimo Cordi JESU emendandum. Ipse enim S. Gertrudi quadam vice multum distractae apparuit, propriisque manibus Cor suum praesentans dixit: « Ecce Cor « meum, cui omnia, quae per te minus sup« plere sufficis, fiducialiter pro te supplenda « commendabis: et sic omnia coram oculis « meis apparebunt summe perfecta (3) ».

48. Horrendum est judicium, quod in multos tum Religiosos tum saeculares Clericos non raro exercuit DEUS, dum permisit, ut in eorum ecclesiis, in quibus olim Divinum Officium negligenter vel male persolvebatur, nunc perpetuum vigeat silentium. Multis enim in lo-

(2) Cfr. S. R. C. 19 Junii 1773 *in una Ord. Min. Obs.*
(1) *Annal.*, tom. 2. ad ann. 1262. num. 40.

(1) Cap. II. § 1. n. 1.
(2) *Specul. discipl.*, cap. 16.
(3) *S. Gertr.*, lib. 3. cap. 25.

cis ecclesias, etiam nostri Ordinis, videmus, quae olim divino cultui erant dicatae, nunc autem conversae sunt in templa haereticorum, vel etiam in stabula equorum. Hoc videntes indicibili quidem tristitia afficimur; ast in non paucis casibus non possumus, quin — licet gementes et lacrymantes, — cogitemus atque dicamus: « Iustus es DOMINE, et rectum judicium tuum ».

(Continuabitur).

—

ELECTIO VICARII PROVINCIALIS
Ref. Prov. Genuensis.

Defuncto die 16 Nov. 1886 Ref. Prov. Genuae A. R. P. Francisco Octaviano a Savona, Provinciali Ministro, die 24 eiusdem mensis a Definitorio Provinciali sub praesidentia A. R. P. Joannis a Badalucco dignioris Provinciae Patris electus est Vicarius Provincialis A. R. P. PETRUS A RIPAROLIO, ex-Minister et actualis *Custos.* — Eodem autem die, praeside neoelecto Vicario Provinciali, Custos Vocalis electus est *A. R. P. Basilius a Neirone* ex-Minister.

—

STATUS

Ordinis Seraphici Patris Sancti Francisci in Statibus confoederatis Mexicanae Reipublicae, ab Adm. Rev. P. Fr. THEOPHILO SANCHO *Commissario Generali confectus*

Anno 1885.

SITUS, LIMITES ET EXTENSIO.

Commissariatus Generalis Mexici universam comprehendit Mexicanam Rempublicam a 15° 00' usque ad 35° 42' latitudinis septentrionalis et inter 89° 04' et 109° 25' longitudinis occidentalis meridiani parisiensis. Septentrionis limites sunt Status confoederati Americae septentrionalis; Austro-Orientis Respublica Guatemalensis; Orientis Sinus Mexici Antillarumque mare; Occiduo-Austri vero Oceanum Pacificum. Extensio denique totius Commissariatus leucarum 109, 434 quadratarum superficie computatur.

GUBERNIUM CIVILE ET LEGISLATIO.

Prout late patet Commissariatus noster civiliter regitur a gubernio foederato ea regiminis forma, quae *popularis-repraesentativae* nomen obtinet: sed status potestas in tres dividitur ordines, inter se prorsus independentes: quorum primus *legislativam,* alter *exequutivam,* tertius *iudicialem* potestatem sibi vindicant. *Legislationis* fundamentum est Constitutio data anno 1857, quae contra catholicam Ecclesiam habet perplura. Die 25 Junii 1856 edita fuit lex de eiusdem Ecclesiae bonis fisco addicendis; et die 12 Julii 1859 alia de regularibus e claustro eiiciendis: ac tandem die 14 Decembris 1874 confirmatae ac sancitae fuerunt additiones ad Constitutionem praedictam, quibus et augentur Religioni nostrae incommoda, acerbioraque fiunt, licet cultus libertatem illa declaret.

POLITICA DIVISIO.

Respublica in viginti septem status dividitur, qui liberi sunt ac independentes quoad ea, quae internum cuiusque regimen respiciunt, et generali foederationis constitutioni minime adversantur. Qui status dicuntur districtus foederales, quorum quilibet foederali gubernio immediate subiiciuntur. Eorum nomina in sequenti synoptica tabula designamus, in qua etiam habitantium cuiusque status numerus civitatisque principis nomen habentur.

AD SEPTENTRIONEM

Status	*Habitantes*	*Civitates principes*
—	—	—
1. Sonora	110, 837	Ures
2. Chihuahua	191, 200	Chihuahua
3. Cohahuila	130, 148	Saltillo
4. Nuevo-Leon	203, 274	Monterey
5. Tamaulipas	140, 000	Ciudad Victoria
AD SINUM MEXICANUM.		
—	—	—
6. Veracruz	542, 918	Veracruz
7. Tabasco	104, 747	S. Juan Bautista
8. Campeche	89, 481	Campeche
9. Yucatan	302, 315	Mèrida
AD PACIFICUM.		
—	—	—
10. Sinaloa	200, 000	Culiacan
11. Jalisco	912, 350	Guadalajara
12. Colima	65, 827	Colima
13. Michoacan	661, 534	Morelia

Status	Habitantes	Civitates principes
—	—	—
14. Guerrero	301, 243	Chilpancingo
15. Oaxaca	741, 505	Oaxaca
16. Chiapas	204, 727	S. Cristobal
CENTRALES.		
17. Durango	190, 846	Durango
18. Zacatecas	422, 502	Zacatecas
19. Aguascalientes	140, 430	Aguascalientes
20. S. Luis Potosí	516, 486	S. Luis Potosí
21. Guanajuato	828, 608	Guanajuato
22. Queretaro	203, 270	Queretaro
23. Hidalgo	427, 340	Pachuca
24. Mexico	710, 579	Toluca
25. Morelos	159, 160	Cuernavaca
26. Puebla	184, 468	Puebla
27. Tlaxcala	138, 496	Tlaxcala
Districtus foederalis Mexici	351, 804	Mexico
Territorium inferioris Californiae	30, 208	La Paz

Universus Reipublicae populus ita dividitur:

19 %	Europea Hispano-americana	1, 863, 216
38 %	Indigena pura	3, 726, 432
43 %	Stirps mixta	4, 216, 753
	Numerus totalis . .	9, 806, 401

DIVISIO ECCLESIASTICA SAECULARIS.

Tres sunt in Mexico provinciae ecclesiasticae videlicet: provincia Mexici, provincia Guadalaxarae et provincia Mechoacanensis. Prima sedem habet in civitate Mexici et novem habet Episcopos suffraganeos, qui sunt Episcopus *Antequerae* (Oaxàca) et Episcopi de *Chiapas,* de *Chilapa, Victoriae,* de *Merida,* de *Tabasco,* de *Tlascala,* de *Tulancingo* et *Veraecrucis.* Altera quae Guadalaxarae sedem tenet, sex habet suffraganeos Episcopos nimirum in *Colima, Durango, Linares, Sinoloa, Sonora* et *Zacatecas.* Tertia tandem Mechoacanensis habet suffraganeos quatuor ad *Leon,* ad *S. Ludovicum in Potosí,* ad *Queretarum* et *Zamoram.*

DIVISIO ECCLESIASTICA REGULARIS.

Accedit nunc divisio religiosi nostri Ordinis per Provincias, quae proprie subsunt Commissario Generali Franciscalium.

Quinque in universa Mexicana Republica existunt nostri Seraphici Ordinis Provinciae, quarum quatuor ad Observantium, quinta ad Excalceatorum familiam attinent: extant praeterea septem Collegia apostolica de Propaganda Fide, et Congregationes quaedam saeculares Tertii Ordinis de Poenitentia, et quaedam Sanctimonialium feminarum monasteria. Aliquid de Provinciis nostris primo, deinde de Collegiis apostolicis ac tandem de Tertio Ordine dicemus.

PROVINCIA SANCTI EVANGELII.

Haec Provincia fundata est anno 1531 et anno 1532 ut talis confirmata a b. m. Clemente Papa VIII Patres, qui eam fundarunt, ad Provinciam S. Gabrielis Hispaniarum pertinebant. Nunc tredecim habet conventus, qui sequuntur.

1. Tolucae. Conventus iste totaliter demolitus fuit cum Ecclesia, quae sub titulo Assumptionis B. V. Mariae aedificata fuit. Nunc tamen cura et solicitudine R. Adm. P. Bonaventurae Merlin denuo a fundamentis excitatur; cuius etiam studio templum quoque construitur, quod eamdem formam praesefert ac illud S. Petri Romae. Interim tamen Patres Ecclesiae Sanctae Crucis et Tertii Ordinis curam gerunt. Paraeciam quoque administrant, quae habitantes 30,000 enumerat in sola ipsa *Tolucae* civitate, cum triginta praeterea pagi sub eorum cura sint: Parochus triginta sex abhinc annis est laudatus P. Bonaventura Merlin.

2. Tecaxic. Titulus Ecclesiae est Sancta Maria Angelorum. Templum perfecte servatur, in quo plura numerantur altaria. Item Conventus, qui parvus equidem est, cum tredecim tantum habet cubicula, ad Patrum huiusce Vicariae habitationem. Rite etiam a civili Gubernio servatur, quia tamquam Parochialem domum illum considerat. R. P. Vicarius Joseph Benabides illum aedificavit. Tecaxis sexcentum enumerat habitantes.

3. Texcoci. Ecclesia existit D. Antonio Patavino dicata et Conventum habet adnexum, qui decem habet cellas, et consideratur tamquam domus parochialis. Paraeciae curam gerit 30 abhinc annis R. Adm. P. Emmanuel Rivero, actualis S. Evangelii Provinciae Minister. Patres huius Conventus item adsistunt etiam Ecclesiae Tertii Ordinis Poenitentiae et aliae Hospitalis.

4. CALPULALPAMI. Conventus et Ecclesia SS. Apostolorum Simonis et Judae de Calpulalpam et Ecclesia Tertii Ordinis a nostratibus administrantur. Paraecia consideratur tamquam pars integralis Paraeciae, matris de *Texcoco;* et Conventus tamquam domus pro Vicariis. Sub nostra etiam custodia sunt splendida aedes Dominae Nostrae a Lourdes nuncupata et alia non minus pulchra S. Antonii Patavini, qui insigni populi huius et vicinorum locorum devotione colitur. Haec Paraecia, ut illa Tolucae, pertinet ad Archiepiscopatum Mexici.

5. PUEBLAE. Existit Conventus S. P. N. Francisci vulgo *de las Llagas:* sed in stationem militarem conversus fuit a civili Gubernio; solum Ecclesia a nobis custoditur, quae pulchrior est huius Provinciae. Adest etiam Aedes B. Sebastiani ab Apparitio nec non parva domus pro Cappellano. Hanc aedem aedificarunt huius Beati concives; attamen Beati Sebastiani corpus, quod integrum servatur, in Ecclesia Cathedrali eiusdem civitatis *Pueblae,* tamquam in loco depositi, custoditur. Magna equidem devotione colitur, quae semper in dies crescit apud populum cura Admodum R. P. Guardiani Philippi Suarez a Jesu.

(Continuabitur).

III.

MISSIONES

RELIGIOSI ORDINIS NOSTRI

QUI IN MISSIONES PROFECTI SUNT

Anno 1886.

I. In Terram Sanctam.

1. *Adm. R. P. Antonius M. Cesal*, Obs. Provinciae Romanae, ex-Custos Custodiae Melitensis.

2. *P. Philippus ab Urbe,* Sacri Recessus S. Bonaventurae.

3. *P. Coelestinus Pepi*, Obs. Provinciae Vallis Nethi.

4. *P. Emmanuel Garcia*, Obs. Collegii Compostellae.

5. *P. Joseph Faster,* Obs. Collegii Compostellae.

6. *P. Dominicus Lopez,* Obs. Collegii S. Francisci de Pachuca in Mexico.

7. *P. Remigius Artiges a S. Pardulfo,* Obs. Provinciae S. Ludovici in Gallia.

8. *P. Barnabas a Persignano,* Ref. Provinciae Thusciae.

9. *Fr. Jacobus a Cercepiccola,* Laicus Obs. Provinciae Neapolis et Terrae Laboris.

10. *Fr. Joannes a S. Maria nova,* Laicus Obs. Provinciae Marchiae.

11. *Fr. Marianus Campo,* Laicus Obs. Collegii Compostellae.

12. *Fr. Aurelius Lozzano,* Laicus Obs. Collegii Compostellae.

13. *Fr. Marianus a Castellamare,* Laicus Obs. Provinciae Principatus.

14. *Fr. Basilius a Pollenza,* Laicus Obs. Provinciae Marchiae.

15. *Fr. Theophilus Sampoux a Lillois,* Laicus Obs. Provinciae Galliae.

II. In Missionem Constantinopolitanam.

16. *P. Columbanus a Castiniano,* Ref. Provinciae Marchiae.

III. In Missionem Tripolitanam.

17. *Fr. Michael a Caltanisetta,* Laicus Ref. Provinciae Vallis Mazzariae.

IV. In Albaniam.

18. *P. Evangelista a Florentia,* Sacerdos Ref. Provinciae Seraphicae.

V. In Missionem Brasiliensem.

19. *R. P. Ambrosius Pardini,* Obs. Provinciae Corsicae, ex-Definitor Provinciae (1).

20. *P. Petrus Baptista Pieroni,* Obs. Provinciae Thusciae.

VI. In Missionem Sinensem.

21. *P. Gervasius Vonau a Tierbach,* Miss. Apost. Lector Philos. Obs. Provinciae S. Ludovici in Gallia.

22. *P. Hugo Scallan,* Recoll. Provinciae Belgii.

23. *Fr. Gasparus Selin a Brugis,* Laicus Obs. Provinciae S. Ludovici in Gallia.

(1) Mortuus est in Missione die 5 Nov. 1886.

VII. In Boliviam.

24. *Fr. Franciscus Aberasturi*, Laicus Obs. Cantabriae.

—

MISSIO MACEDONIAE.

De origine, descriptione et progressu Archidioecesis Dyrrachiensis.

1. Haec Sedes Metropolitana latini ritus saeculo VI reparatae salutis Dyrrachii ad oram maris Adriatici probabiliter erecta fuit, prouti historia docet. Olim quatuor Dioeceses habebat suffraganeas, Croiensem scilicet, Bedensem Cronoviensem et Lyssensem; quae post Turcicam harum regionum invasionem, omnes prorsus perierunt. Servati tamen fuere Ecclesiae Dyrrachiensi honores Metropolitici, uti constat ex Bullis Pontificiis, quae cum Archiepiscopi ad hanc sedem evehuntur, ipsis concedi soleant, et in hoc Archiepiscopali Archivo attente, reverenterque asservantur.

2. Extensio hujus Archiepiscopatus ad *tercentum* milliaria Italica computari potest in longitudine, et *centum* circiter milliaria in latitudine, et tres Districtus civiles comprehendit, Macedoniae nempe, Mediae Albaniae, et Epiri, qui Gubernio Othomano omnes subsunt.

Naturalia eius confinia terminantur ad sept. Flumine magno *Mathe* ejusque adfluentibus *Fando* maiori, et minori ad *Drinum nigrum* usque, nec non peraltis ac nimis salebrosis montibus Miriditarum. Ad or. per longa montium catena oppidorum *Dibrae* et Olcredae. Ad mer. et occ. Mari Adriatico, quo ad Dreveiam eius ultimam paroeciam usque circumluitur. Similiter jurisdictiones Ecclesiasticae limitrophae sunt ad septentr. Dioecesis *Alexiensis*, Miriditarum *Abbatiae*, et *Scopiensis* Archiepiscopatus, et ad or. et mer. *tres* Episcopatus Graeci ritus schismatici, id est, *Dibrensis*, *El-basanensis*, et *Okredensis*.

3. Ad eius progressum autem quod attinet, praeprimis sciri oportet, immo valde interest aliquam habere notionem de statu physico et morali, in quo hic Archiepiscopatus ante annum 1848 versabatur. Et re quidem vera ante annum superius indicatum reperiebantur heic Catholici *6, 716:* sacerdotes indigenae 9: Clerici indigenae *duo*, et Missionarii Franciscales alienigenae *tres*. Extabant *duodecim* Ecclesiae, et totidem domus parochiales, et *quinque* Capellae rurales, fere omnes ruinae obnoxiae. Sedes Episcopalis super montibus Principatus *Kurbini* sita, prompta et urgenti indigebat restauratione. Aderant *tria* Hospitia Franciscalia, quorum alterum palea frumenti operiebatur; et *novem* campanae magnae et parvae pro Ecclesiis tantum. Quid vero dicam de sacris supellectilibus, vestibus, albis, missalibus, calicibus et aliis huius generis instrumentis et ornamentis pro Altari? Undique aderat penuria valde, et paupertas propter subsidiorum deficientiam, caritatisque frigescentiam.

Ab anno igitur 1848, in quo nostri Archiepiscopi Illmi ac Rmi D. D. Fr. Raphaelis De Ambrosio, Ord. Min. Reform., incepit Archiepiscopatus, et, Domino adiuvante, feliciter pergit usque ad hanc diem, haec Dioecesis, eiusque Missiones, cura potissimum et sollicitudine praelaudati Illmi a Revmi D. D. Archiepiscopi, efficaciter coadiuvante utroque Clero saeculari et Regulari, sequentem progressum Dei gratia assecuta est. Nam modo numerantur Catholici *11, 680,* ex incolis *120,000* et amplius: Sacerdotes indigeni *quatuordecim* praeter totidem Presbyteros, qui intra dicti temporis spatium mortui sunt: *septem* Clerici indigenae, qui humanitatis, Philosophiae ac Theologiae studio navant operam; et Missionarii Franciscales *octo*. Praefatis parochiis *duodecim* aliae decem sunt additae, *Miloti* scilicet, *Lacci, Sebasten, Blai, Thyranae, Dyrrachii, Aulonis, Prevesae, Jannenae* et *Basiae;* quae tres ultimae Missionariis Reformatae Missionis Macedoniae sunt concreditae. Quare ad praesens extant *vigintiduae* Ecclesiae parochiales: vigintisex Capellae rurales, et Hospitia *octo*, et *quindecim* domus parochiales. Quae fabricae partim a fundamentis sunt extructae, partim melius solidiusque restauratae. Item Episcopium, et Ecclesia Cathedralis cum turri campanaria, habente *tres* campanas, quarum major est librarum *700*, a fundamentis constructae sunt in hoc pago Delbiniseti; et decem novae campanae, praeter illas, quae existebant, sunt acquisitae pro Ecclesiis et Capellis. Erectae quoque sunt *quinque* scholae pro pueris, et *duae* pro puellis.

Viginti biennales canonicae Visitationes feliciter sunt peractae, in quibus baptizati sunt

sexaginta duo Turcae adulti, et ipsorum infantes in periculo mortis plurimi: *Duodecim* Graeci ritus schismatici in sinum S. M. Ecclesiae redierunt, Confirmationis sacramentum *8, 270* adolescentibus catholicis collatum fuit, et praegrandis numerus publice peccantium ad poenitentiam fuit conversus.

Quotannis synodus Dioecesana habita est, et alternis annis Clerus Saecularis spiritualibus adigitur vacare exercitiis sub directione Concionatoris plerumque ex Ordine Minorum S. P. Francisci, cuius sermones sacra unctione pleni haud paucos fructus afferunt salutares.

Ex hujusmodi supradescripta comparatione haud difficile dignosci potest progressus moralis et materialis, quo, ad maiorem DEI gloriam et divini cultus splendorem, illustris haec Ecclesia Metropolitana, ejusque Missiones mirabiliter auctae sunt, atque inter nebulas aliarum sectarum praefulgent.

Demum operae pretium esse existimo notum facere nomina illustrium Benefactorum, qui suis muneribus indicato progressui liberaliter contribuerunt, successive elargientes Libellas Italicas « 234, 767 », inter quos principem tenent locum: Summus Pontifex S. M. Pius PP. IX, Sacra Congregatio de Propaganda Fide, Augustus Imperator Austro-Hungariae, serenissimus Rex Duarum Siciliarum, Comitatus Centralis Operae Piae Lugduni, Comitatus venerabilis Congregationis Immaculatae Conceptionis Viennae in Austria, aliique plures piissimi viri.

Non nobis, DOMINE, sed tuo Nomini SSmo detur gloria, et benefactoribus nostris honor et meritum.

Datum Dyracchii ex Aedibus Archiepiscopalibus Delbiniseti, die 16 Novembris 1886.

Devmus et addictissimus servus, et
Confrater Tertii Ordinis Minor.

PASCHALIS TROKSI, *Vicarius Generalis.*

STATUS

Missionum Collegii Sancti Josephi (de Propaganda Fide) Ordinis Sancti Francisci, in Civitate et Dioecesi de Pace (in Republica Boliviana).

	Annus fundationis	Gradus latitudinis australis	Gradus longit. occident. Parisior.	Lingua qua Indi utuntur	Clima per gradus *Reamur*	Infirmitates communiores	Numerus animarum	Limites cum aliis Dioecesibus
Doctrina de Isiamas.	1747	13.° 32'	70.° 58'	Tacana	20.°	Dysenteria	1, 460	Cuzco et Puno ad occidentem.
id. de Tumupasa.	1747	14.° 8'	70.° 45'	Tacana	19.°	Dysenteria	1, 450	Cuzco et Puno ad occidentem.
id. de Sancto Josepho.	1744	14.°	70.° 4'	Quichua	20.°	Dysenteria	125	Cuzco et Puno ad occidentem.
Missio de Cavinas.	1775	12.° 3'	70.° 7'	Cavinena	20.°	Dysenteria	140	Cuzco ad occidentem et Parâ in Brasilia ad septentrionem.
id. de Muchunes.	1805	15.° 10'	70.° 7'	Mosetena	18.°	Febres	140	Santa Crux de la Sierra ad orientem.
id. de Sta Ana.	1815	15.° 28'	69.° 51'	Mosetena	18.°	Febres	120	Santa Crux de la Sierra ad orientem.
id. de Covendo.	1842	15.° 43'	69.° 24'	Mosetena	18.°	Febres	260	Santa Crux de la Sierra ad Orient. et Cochabamba ad austrum.

NOTA 1. Doctrinae sive parochiae Sancti Antonii de Ysiamas Sanctissimae Trinitatis de Tumupasa, et Sancti Josephi de Chupiamonas iam ab anno millesimo octingentesimo nono Ordinario tradita fuerant; qui presbyteros saeculares parochos illis praeposuit, donec millesimo octingentesimo trigesimo octavo, ob nimiam paupertatem et deficientiam ad vitam necessariorum, Missionariis huius collegii traditae sunt. Existunt in territorio dioecesis de Pace; et limitant ad occidentem cum dioecesibus de Puno et Cuzco.

2. Missio de Cavinas, cuius *Nomen Jesu* titularis; in eodem territorio sita, limitat ad occidentem cum dioecesibus de Puno et Cozco, ad septentrionem, tamen, cum dioecesi de Parâ in Brasilia.

3. Dioecesis de Pace; episcopalis est, et suffraganea Metropolitanae de Plata.

4. Missiones per Praefectum Missionum gubernantur, qui unoquoque sexennio eligitur, iuxta prescriptum Bullae *Apostolica Sedes*, pro collegiis de Propaganda Fide Ordinis Sti. Francisci in America existentibus a S. M. Pio IX editae.

5. In Missionibus et doctrinis supra memoratis nulla existunt instituta regularia sive educationis; sed tantum unica schola in unaquaque Missione vel parochia, in qua legere, scribere, catechismum et musicam ad cultum necessariam pueri edocentur.

DE VICE-PROCURATORE

in Collegiis apostolicis Americae.

Quum in Constitutione « Apostolica Sedes » die 12 Iunii 1877 (art. 30. 82) qua reguntur Collegia nostra de Propaganda Fide, in America existentia, nulla fiat mentio saltem directa et expressa Vice-Procuratoris; in Congressu S. C. de Propaganda Fide diei 5 Martii 1886, postulante Ministro Generali, declaratum fuit R. P. Guardianum Collegii una cum suo Discretorio ius habere eligendi Vice-Procuratorem, qui Procuratoris absentis vel impediti vicem gerat.

—

NOVA ECCLESIA

in Praefectura apostolica Constantinopolis.

Die 26 Septembris, Dominica XV post Pentecosten anni 1886, in Insula Principum prope Constantinopolim, a Reverendissimo Domino Rotelli, Delegato Apostolico Sanctae Sedis, cum solemni pompa et fidelium concursu, benedicta fuit Ecclesia in honorem Sancti Pacifici a S. Severino Deo dicata, quae sumptibus pissimae Dominae Sophiae Gravier aedificata fuit. Huic paraeciali ecclesiae inserviunt Patres Reformati Missionis Constantinopolis (1).

IV.

BIBLIOGRAPHIA

—

Aloysius de Parma, Min. Obs. — Scholastica, Doctor Seraphicus et Schola Franciscana, Oratio habita ad Sacrae Theologiae Tyrones in Coenobio Sancti Spiritus Ferrariae a Patre Aloysio de Parma, Almae Observantis Provinciae Bononiae Ministro, 1886 Parmae typis Rossi — Ubaldi. In-8.⁰ pag. 42.

Angelus P. Kukavica, doctor iuris canonici, Obs. Prov. SS. Redempt. — Svecenicke duznosti. (Obligationes sacerdotis) Jadrae 1886.

(1) Cfr. Acta, anno V, pag. 29 et 30.

Annales du Tiers-Ordre Séraphique sous la direction des Pères Franciscains Récollets, honorées de la bénédiction de N. S. P. le Pape Pie IX. et du Révérendissime Ministre Général. Janvier 1887. Caen. Imprimerie Pagny, rue Froide 27. In 8⁰ pag. 32.
(Novum hoc folium periodicum est continuatio cessantis ephemeridis « *L' Année Franciscaine* »)

Anonymus. — Il Terz' Ordine secolare di S. Francesco di Assisi secondo le recenti disposizioni del Sommo Pontefice Leone XIII. Roma, Tipografia Monaldi e C. 1886. (pretium L. 0, 20)

Antonio (P.) da Pontedera. — La cremazione: considerazioni del P. Antonio da Pontedera, cappuccino. — Prato, Tip. Centrucci e Comp. 1886 Pag. 152, prezzo, L. 0, 50.

Conradus Eudel, O. M. Conv. — Geschichte der oberdeutschen (Strassburger) Minoriten-Provinz. Mit Unterstützung der Görres-Gesellschaft herausgegeben von P. Conrad Eubel, Mitglied dieser Provinz im Convente zu Würzburg. — Erster Theil: Text; zweiter Theil: Anmerkungen. — Würzburg, Druck und Verlag von F. X. Bucher. 1886.

Gaudentius Guggenbichler, Min. Ref. — Christliche Ascese oder kurze Anleitung zur christlichen Vollkommenheit. Ein Erbauungs-und Gebetbuch für katholische Christen aller Stände, von P. Gaudentius, Generaldefinitor des Franziskanerordens. 1887. Regensburg, New York u. Cincinnati, Druck u. Verlag von Friedrich Pustet (L. 1,25).

Maxentius Deforce, Min. Rec. — De Wereldliike Derde-Orde van den H. Franciscus, Volksboekje, door P. F. Maxentius Deforce, van de Orde der Minderbroeders Recollecten. Priis: 50 centiemen. Sint-Truiden, Boekd. Vanwest-Dubois, in den H. Geest, Thiensche straat, 14.

Norbertus Golichowski, Min. Obs. — Pamiatka uroczystosci 400 — letniej rocznicy smierci Blogosl. Jana z Dukli zakonu OO.

Bernardynów, odbytej we Lwowie i w innych klasztornych kosciolach r. 1884. Napisal. O Norbert Golichowski zakonu OO. Bernardynow. Lwów 1886. Drukiem K. Budweisera — Nakladem Dobrodzieji.

(Memoria quarti saecularis festi a morte beati Joannis Duklensis, ordinis Bernardinorum (Observantium) anno 1884 in conventu Leopoliensi in primis celebrata).

J. J. O' Keefe, Min. Rec. — The buildings and churches of the Mission of Santa Barbara. A Handbook of authentic information on the Mission of Santa Barbara, from its foundation to the present day. Translated, written and compiled from the register, reports and other documents in the archives of the Mission, by Rev. J. J. O'Keefe, O. S. F., member of the community at the Mission. — Santa Barbara, Cal., Independent Job printing house. 1886.

Pierbattista da Falconara, M. O. — Organista di S. Maria d' Aracoeli. Messa a due voci (soprani e contralti) per Monache e pii Istituti con accompagnamento d' armonium o organo — Seconda Edizione — Prezzo netto L. 4. Proprietà dell' Editore P. Manganelli Incisa nello stabilimento S. Bartolo via Condotti 70. Stampata da G. Luciani. Via San Marcello 47. Roma 1886.

Remigius Buselli, Min. Obs. — L' Emmaus Evangelico dimostrato e difeso distante 60 stadi da Gerusalemme nuovi studi del M. R. P. Remigio Buselli M. O. Lettor Teologo Giubilato, già Miss. Apostolico e Segretario di Terra Santa e per la medesima Commissario di Livorno Toscana. Parte III e IV. Milano, Tipografia Eusebiana, Corso Garibaldi 104. 1886 in 8.° pag. 435.

(Qui quatuor partes petierit, easdem pretio L. 10 habebit).

Simeon (Ad. R. P.) Milinovic Obs. Prov. SS. Redemptoris in Dalmatia, nunc archiepiscopus Antibarensis, edidit lingua croatica:

1. Knez Domaldo (Domaldo, comes Cetinensis) Jadrae 1886.

2. Crtice o slavenskoj liturgiji (Lineamenta ex liturgia slavica) 1880.

3. Tko je Poljsku unistio (Quis destruxerit regnum Poloniae?) 1879.

Stephanus (P.) Ulgiati; Min. Rif. — Triduo in onore del Beato Carlo da Sezze laico professo dei minori riformati il cui corpo si venera in Roma nella chiesa di San Francesco a Ripa coll' aggiunta in fine di due preghiere, una per persona inferma, l' altra in ringraziamento. Nuova edizione riveduta e corretta dall' autore. Roma tipografia di S. Antonio 1886, pag. 43.

Venanzio (P.) da Lago Santo. — Apostolo e Diplomatico, o il P. Giacinto dei Conti Natta, da Casale Monferrato, Cappuccino, pel P. Venanzio da Lago Santo, Lettore del medesimo Ordine. Milano, tipog. di Seraf. Ghezzi. Via Manzoni. 1886. Prezzo L. 3, 50 pag. XIX 467. Presso il P. Egidio da Milano Cappuccino — Piazza Barberini Roma.

Vincentius Levatino, Min. Rif. — Canto popolare in onore di Maria SS. Immacolata pel P. F. Vincenzo Levatino da Roccapalumba dei Padri Minori Riformati. Palermo, Tipografia Pontificia di M. SS. del Perp. Socc. e di S. Gius. — 1886.

V.

NECROLOGIA.

—

Anno 1886 die 20 Septembris in civitate Cordova reipublicae Argentinae, in America meridionali, supremum diem pie obiit Rmus P. Joannes Capistranus Tissera, Episcopus Cordubensis, peculiaribus virtutibus religiosis et caritate in suos fideles insignis.

Primam lucem aspexit Cordubae die 3 Martii anno 1826, ubi parentum suorum cura omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri solet, eruditus, vivendi rationem a sancto Patre nostro Francisco praescriptam, anno aetatis suae decimo quarto, amplexus est.

Quum autem ea esset indole, ut praeter

docilitatem ingenii etiam humilitatem animi praeseferret, in moribus aeque ac scientiis strenue proficiebat. Ad impetus, quos iuvenialis aetas in sinu suo recondit, fructuose manutenendos, prudenter selegit poenitentiam ceu aptissimum in hunc finem medium. Itaque factum, Domino iuvante, ut ex diligente et devoto clerico evaserit pius et eruditus sacerdos. Quapropter haud mirum est, quod vix sacerdotio auctus, in eodem conventu Cordubensi lector Philosophiae fuerit nominatus. De virtute in virtutem progrediens emeruit, ut a Deo in singulares fines cito adhiberetur, unde brevi eodem in conventu toti familiae ceu guardianus praeesse coepit; quo in munere sic partes suas adimplere satagebat, ut suos subditos ceu filios amaverit, inter eos sinceram disciplinam regularem et per illam salutem animarum anxie promoverit.

Anno 1875 iam definitor, et anno 1878 minister provincialis, electus fuit. Gratiam Dei, quae singulis officiis adiungi solet, religiosa vita et pietate ultro emereri nunquam praetermisit adeo, ut consideratus fuerit tanquam exemplum veri patris filiorum suorum et prudentis gubernatoris. Quamobrem et sancta Sedes Romana eum selegit, quem Ecclesiae Cordubensi praeficeret; et mense Martio 1884 in sacro consistorio fuit propositus, nominatus et confirmatus, quod vulgo *praeconizari* dicimus; consecratio vero, ob morbum, quo vexari coepit, acutum, in diem 21 Septembris diferri debuit, quam Delegatus Apostolicus Matera peregit.

Quum ille sedem episcopalem capesseret, adiuncta illius ecclesiae erant difficillima; nam dissociatis animis civium ipsa civitas tumultu implebatur. Nihilominus tamen bonus hic ovium suarum pastor recte his in adiunctis omnem conatum adhibendum esse censuit in salutem fidelium; hinc est quod duorum annorum spatio suam dioecesim, ubi tantum licuit, visitabat et visitando sacramenta administrabat, dissidentes animos componere, moestos consolari, afflictos erigere, omnibus spem vitae suggerere laborabat.

Et in decursu apostolicorum laborum vetere morbo, quod vitium cordis appellant, nunc exasperato, in dissitissima parochia S. Javier oppressus, Cordubam repetiit; ubi acutissimis doloribus patientissime toleratis magna circumstantium aedificatione piam animam Creatori suo reddidit die et anno ut supra notatum est.

Adm. R. P. Franciscus Octavianus Poggi, Minister Reformatae Provinciae Genuensis, sanctis moribundorum sacramentis provisus ex hac vita pie excessit die 16 Novembris 1886.

Illustri familia Savonae natus, post litterarum studia egregie absoluta adeo mundana proterere coepit, ut nihil dulcius animo duceret, quam institutum S. Francisci Assisiatis amplecti. In eo vero quamquam aetate iuvenis adeo gravioribus informatus evasit moribus et scientiis imbutus, ut vigesimum quintum annum agenti committerentur praelectiones ex Philosophia habendae. Anno vigesimo sexto iam ut guardianus conventui de Albisola praeesse coepit.

Exemplo S. Patris Francisci permotus pauperes et infirmae valetudinis homines adeo cordi habebat, ut nihil praetermitteret, quo vel indigentiis eorum sublevandis vel doloribus mitigandis inservire posset. Quem in finem religiosam familiam virginum, quae *filiae Immaculatae Virginis* vocantur, instituit, cuiusque scopus esset vivere ad praescripta tertiae regulae S. Francisci et ex amore Christi infirmis assistere.

Haec et multa alia sunt certissima indicia seraphicae caritatis, quae in corde eius recondita, per opera tamen palam fiebat, et in primis in sacro tribunali suos fructus proferebat.

Eius zelo atque sollicitae curae tribuendus est ille decor ecclesiae *Visitationis*, quo hodie tam mire resplendet et fidelium pietatem fovet.

Provincia quoque, cui ille praeerat, pristinum vigorem recuperare coepit, eratque firma spes fore ut sub eius sancto gubernio in integrum restitueretur, sed heu! divina providentia aliter disposuit, nam morbo, quem in suo ministerio contraxit, pretiosa eius vita praecisa est.

Nihil obstat

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

DECRETUM S. C. INDICIS

Feria III die 14 Decembris 1886.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro LEONE Papa XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, mandavit et mandat in Indicem librorum prohibitorum referri quod sequitur Opusculum a Sacra Romanae Universalis Inquisitionis Congregatione damnatum atque proscriptum Decr. fer. IV Septembris 1886.

Casus moralis. Pisis, 1886. Typ. Mariotti.

Decr. S. Off. fer. IV die 15 Septembris 1886.

Auctor (Abbé L.-A. Bosseboeuf) Operum quorum titulus: Le Syllabus sans parti-pris, Paris 1885, 1 vol. in-12 pag. XIII-865.

L'Encyclique IMMORTALE DEI, le Syllabus et la Société moderne. Tours. 1886, 1 vol. in-12 pag. LVI-365: prohib. Decr. 14 Decembris 1886, laudabiliter se subiecit et eadem reprobavit.

Itaque nemo cujuscumque gradus et conditionis praedictum Opusculum damnatum atque proscriptum, quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut editum legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus illud tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro LEONI Papae XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, Sanctitas Sua Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem, etc.

Datum Romae die 31 Decembris 1886.

Fr. THOMAS MARIA Card. MARTINELLI,
Episc. Sabinen. Praefectus.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri Ord.
Praed., S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco † Sigilli.

Die 31 Decembris 1886 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia Mag. Curs.

—

EX SACRA RIT. CONGREGATIONE

I.

BISINIANEN.

CANONIZATIONIS

BEATI HUMILIS A BISINIANO CONF.

LAICI PROFESSI ORD. MIN. S. FRANCISCI REF.

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio reassumptionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur?

Instante Rev. Patre Fr. BENEDICTO A SUBLAQUEO, Sacerdote Professo Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum ac Postulatore Generali Causarum Beatificationis Servorum DEI,

et Canonizationis Beatorum ejusdem Ordinis, quum Emus et Rmus Dnus Cardinalis PLACIDUS MARIA SCHIAFFINO, Causae ipsius Relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis sequens proposuerit Dubium: *An sit signanda Commissio reassumptionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur?* Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus sedulo expensis, auditoque R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, rescribere rati sunt: *Affirmative, si Sanctissimo placuerit.* Die 18 Decembris 1866.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII per infrascriptum Secretarium fideliter relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habens, propria manu signare dignata est Commissionem Reassumptionis Causae Beati HUMILIS A BISINIANO Confessoris. Die 13 Ianuarii 1887.

D. Card. BARTOLINIUS S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Laurentius Salvati S. R. C. Secretarius.

—

II.

Dubia circa occurrentiam, concurrentiam et translationem officiorum.

—

PALENTINA — 28 Maii 1886 — R. D. Paulus Madrid Manso, Presbyter Magister Sacrarum Caeremoniarum Dioeceseos Palentinae, de mandato sui Rmi Episcopi, Sacrae Rituum Congregationi sequentia Dubia pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. Hoc anno 1866 festum Sacri Cordis JESU, quod sub ritu duplici secundae classis in Hispania celebratur, die 2 Julii occurrit, et propter festum Visitationis Beatae MARIAE Virginis in diem sequentem, quae est libera, in Kalendario Dioecesano, transfertur. Sed die 4 Julii est Dominica prima hujus mensis, ideoque fit in ea de Pretiosissimo Sanguine Domini Nostri JESU CHRISTI sub eodem ritu; quaeritur quomodo ordinandae sunt primae Vesperae hujus festi in concurrentia cum festo Sacri Cordis JESU, id est, debent esse integrae de praecedenti, sine commemoratione de sequenti, veluti si objectum utriusque festi idem sit; vel dividendae sunt a capitulo, veluti si objectum sit diversum.

Dubium II. Ceteris annis, quibus non occurrit tale impedimentum, festum Sacri Cordis JESU celebratur feria sexta post Octavam Corporis CHRISTI, sed in primis Vesperis fit Commemoratio praedictae Octavae, ut videtur innuere Sacrae Congregationis Decretum diei 12 Martii 1836.

Quum vero plurima alia Decreta reperiantur, quibus talis commemoratio prohibetur, tamquam de vero eodemque objecto (talia sunt Decreta diei 19 Augusti 1771, diei 14 Maii 1803, diei 16 Februarii 1856, et alia cum eruditissima nota Gardellini ad calcem Decreti diei 27 Martii 1824 reperta) quaeritur, haec consuetudo aboleri ne debet?

Dubium III. In civitate Palentina extat Ecclesia quaedam in honorem Sacri Cordis JESU, tantum benedicta, adnexa Domini Matri *Ancillarum Sacrorum Cordium* JESU et MARIAE, quae gaudet privilegio, anno 1884 concesso, plenariae Indulgentiae a primis Vesperis usque ad solis occasum feriae sextae post Octavam Corporis CHRISTI, hoc est, in festo ipsius Sacri Cordis JESU. Etsi nullus ibidem Clerus addictus sit, sed tantum Sacerdos Monialium Cappellanus, quaeritur 1.° num festum tamquam titulare haberi, et recoli possit sub ritu duplici primae classis, ideoque hoc anno, in concurrentia hujus festi cum festo Visitationis Beatae MARIAE Virginis, potest Missa celebrari de S. Corde JESU, nec ne? 2.° Quatenus *affirmative*, Missa tantum solemnis celebrari debet, vel etiam privatae et Missa privata, in qua Episcopus ibidem sacram synaxim Fidelibus distribuit, qui frequentes concurrunt ea die? 3.° Debetne in Missa addi commemoratio de festo Visitationis? 4.° Quatenus vero *negative*, Superiorissa humiliter rogat, ut saltem Missa solemnis de Sacro Corde JESU cantari valeat memorata feria sexta, hoc est die 2 Julii vertentis anni.

Dubium IV. Juxta Decretum de reductione festorum in hac Ecclesia Cathedrali celebratur Dominica sequenti Sancti Joannis Nativitatem Missa votiva pro solemnitatis translatione.

Hoc anno ea Dominica est infra Octavam Corporis CHRISTI. Quaeritur 1.° Missa translatae solemnitatis debetne aequiparari Missis vo-

tivis pro re gravi, ita ut Dominica cantari queat, etiamsi eadem Octava sit privilegiata pro Hispania, et Sanctissimum Sacramentum sit expositum omnibus diebus ab initio Missae Conventualis usque ad finem Officii vespertini? 2.° Et quatenus *affirmative,* addenda ne est ad modum collectae Sanctissimi Sacramenti commemoratio sub unica conclusione?

Dubium V. Feria secunda proxime ejusmodi Dominicam sequenti, nempe die 28 Julii vertentis anni, occurrit Vigilia Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ideoque post Nonam celebrari debet hujus Missa solemnis; sed videtur alienum a solemnitate et laetitia, qua Octava Corporis Christi celebratur, canere Missam de Vigilia colore violaceo: hinc quaeritur 1.° Missa de Vigilia debetne cantari infra Octavam Corporis Christi cum Sanctissimi Sacramenti expositione? 2.° Attentis specialibus privilegiis, quibus in Hispania haec Octava gaudet, inter quae recensetur omissio nonae lectionis de simplici occurrente, omittine debet etiam nona Lectio Vigiliae?

Dubium VI. Huic Dioecesi concessa sunt Officia Mysteriorum et Instrumentorum Passionis Domini per Decretum die 1 Julii 1883 quo approbatum fuit novum Kalendarium Dioecesanum, absque tamen indulto haec officia transferendi, quum in Feriis quibus sunt adfixa, alia Officia potioris ritus occurrunt, quod indultum necessarium esse videtur ex Decreto diei 11 Septembris 1847. Ad fovendam igitur devotionem erga Passionem Domini nostri Jesu Christi hoc indultum humiliter supplicatur, et praeterea quaeritur: an transferri debeant non solum in occursu cum Officiis duplicibus primae et secundae classis, sed etiam cum Officiis duplicibus majoribus, dummodo sint primarii, licet minoris dignitatis?

Dubium VII. Multis annis in Hispania occurrunt vel concurrunt festum Sancti Fulgentii Episcopi Confessoris ritus duplicis secundae classis cum Festo Sanctissimi Nominis Jesu sub eodem ritu; sed quum illud sit primarium, istud vero secundarium, et ancipites pendant et disceptent Liturgistae, quaeritur quid ad uniformitatem habendam statuendum sit?

Dubium VIII. Anno vertente nulla dies libera superest ad reponendum translatum Officium Sancti Basilii Episcopi Confessoris et Ecclesiae Doctoris, cujus dies propria est 14 Junii, in qua occurrit secunda dies Octavae Pentecostes. Quaeritur an, attenta Doctoris dignitate, simplificari debeat, aut transferri in diem qua recitetur officium semiduplex, hoc officium simplificando?

Dubium IX. Inter novissimas Rubricarum Breviarii correctiones haec invenitur post tabellam occurrentiae:

« Si occurrat ut Patronus, vel Titulus « Ecclesiae, sit descriptus eodem die in Ka- « lendario cum aliis Sanctis, in ea Ecclesia fit « tantum de Patrono, vel Titulari. Alii si in « dicto Kalendario descripti sint sub officio du- « plici vel semiduplici, de eis fit commemo- « ratio... Si vero in Kalendario omnes sint « tamquam festum simplex, de illis nihil fit ».

Cum vero in Kalendario Palentinae Dioeceseos quamplures Parochiarum Titulares sint, qui in Kalendario vel Martyrologio sunt descripti sub ritu duplici minori, uti Sancti Fabianus et Sebastianus; vel semiduplici uti Sancti Cornelius et Cyprianus; vel simplici uti Sancti Facundus et Primitivus, vel tantum in Martyrologio inveniuntur uti Sancti Quiricus et Julita, vel contra celebrantur sub ritu duplici secundae classis uti Sancti Justus et Pastor: a quibus Titulares die propria celebrantur sub ritu duplici primae classis, Socii autem ut perpetuo impediti, in primam diem liberam transferuntur sub ritu quo gaudent iuxta Universale Kalendarium, ut in Decreto die 23 Aprilis 1884; de Simplicibus vero vel de iis, qui in Martyrologio tantum sunt descripti, nihil fit. Praeterea Festum Sancti Vincentii Levitae Martyris in Hispania sub ritu duplici secundae classis celebratur, de Sancto Anastasio vero eius Socio fit sub ritu semiduplici prima die libera. Quaeritur 1.° in praedictis casibus sequenda est Rubrica novissima, ita ut semper simplificari debeant Socii Sanctorum Titularium, vel Patronorum, non obstante quod Rubrica nova Breviarii *tit. 9 de Commemorationibus* N. 7 statuit hoc fieri non debere in Duplicibus primae classis; vel considerari debent uti Festa perpetuo impedita et transferenda sunt juxta praedicti Decreti praescriptionem? 2.° Servanda ne est eadem regula pro Officiis Sanctorum Vincentii et Anastasii in casu?

Dubium X. Tabella concurrentiae praescri-

bit totum fieri de digniori cum commemoratione minus digni in concurrentia duorum officiorum duplicium secundae classis. Quaeritur: Servanda ne est haec regula inter Martyres et Confessores, uti Sanctus Vincentius Levita et Sanctus Ildefonsus, quorum festa sub eo ritu in Hispania recoluntur diebus 22 et 23 Januarii?

Dubium XI. In decreto ipsius Sacrae Congregationis pro hac Dioecesi diei 15 Septembris 1883 sancitum est, die 19 Octobr. celebrari debere Officium Sancti Petri de Alcantara Confessoris, ob ejus recentem elevationem ad ritum duplicem secundae classis, et eodem die fieri tantum Commemorationem Octavae Beatae Mariae Virginis de Columna, licet die 13 Julii ejusdem anni in *Vallisoletana* eadem Congregatio rescribendum censuit: « Sanctum Petrum amandari ad diem primam « liberam juxta Rubricas ad sedem fixam », ex quo magna contentio inter liturgistas exorta est. Ad quam coercendam, et uniformitatem statuendam, quaeritur: cui decisioni standum est?

Dubium XII. Penes aliquas hujus Dioeceseos Parochias solemnizari consuevit Domini Nostri Jesu Christi Resurrectio cum solemni Sanctissimi Sacramenti Processione extra Ecclesiam summo mane diei Paschatis Resurrectionis. Quaeritur: ejusmodi Processio tamquam prohibita censeri debet per Decretum diei 12 Junii 1638, quo declaratur « delationem « Sanctissimi Sacramenti extra Ecclesiam non « esse permissam, nisi suasione solemnis pro« cessionis in Festo et per Octavam Corporis « Christi, nec non occasione Infirmorum, et « Orationis Quadraginta Horarum juxta Sacro« rum Canonum Decreta »; vel contra, talis usus continuari potest ubi viget, uti videtur innui in Decreto diei 7 Maii 1857 simili occasione dato? Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, nimirum:

Ad I. *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam.

Ad II. *Affirmative,* seu omittenda Commemoratio de Octava Corporis Christi, prouti in una Alben. 18 Feb. 1856.

Ad III. Ad primam partem obstare Decreta, ad secundam et tertiam partem provisum in prima, ad quartam in casu pro gratia.

Ad IV. Ad primam partem *affirmative,* ad secundam, attenta expositione Sanctissimi Sacramenti, *affirmative.*

Ad V. *Affirmative* ad primam partem juxta Rubricam Missalis, et Decretum in una Santaderien. 16 Januarii 1793; *negative* ad secundam.

Ad VI. Transferenda sunt in occursu tantum Festorum potioris ritus, sed infra Quadragesimam, juxta Decretrum concessionis horum Officiorum pro Clero Urbis.

Ad VII. Quoad concurrentiam Festum primarium in casu non praefertur, quoad occurrentiam vero *Dilata,* interim fiat de Sancto Fulgentio.

Ad VIII. Serventur Rubricae.

Ad IX. Ad primam partem *affirmative,* seu sequenda novissima Rubrica cujus textus a Sacra Rituum Congregatione correctus et approbatus ita se habet:

« Si occurrat, ut Patronus, vel Titulus « Ecclesiae descriptus sit eodem die in Kalendario cum aliis Sanctis, in ea Ecclesia « fit tantum de Patrono, vel Titulari. Alii si « in dicto Kalendario descripti sint sub Officio « Duplici Minori, non tamen alicujus Ecclesiae « Doctoris, vel Semiduplici, de eis nihil fit. « Si autem sint de Majoribus Festis aut Do« ctorum, transferuntur, ita ut de translato « figit Officium ac si proprio die celebraretur. « Si vero in Kalendario omnes sint tamquam « Festum Simplex, de illis nihil fit ». Ad secundam partem *affirmative,* hoc est, reduci debet ad modum simplicis Officium Sancti Anastasii, cujus idcirco addenda est commemoratio; nisi expedire visum fuerit hoc Officium, impetrata a Sacra Rituum Congregatione facultate, alteri diei liberae fixe adsignare.

Ad X. In casu Vesp. esse dimidiandas.

Ad XI. Respectiva Decreta in memoratis Dioecesibus serventur.

Ad XII. Servari potest vetus et laudabilis consuetudo. Atque ita rescripsit, declaravit ac servari mandavit die 28 Maji 1886.

D. Card. Bartolinius, Praefectus.

Laurentius Salvati, Secretarius.

II.
ACTA ORDINIS

AD FRATRES NOSTROS
Incitamenta Seraphica.

DE DISCIPLINA REGULARI RESTITUENDA
CAPUT II.
De Oratione
§ 4. *De ss. Sacrificio Missae.*

49. Superiores, qui magno studio curare debent, ut Divinum officium in eorum Conventibus pie et religiose persolvatur, majori adhuc cura providere debent, ut ss. Missae Sacrificium debito modo semper celebretur. Quapropter saepius meditentur, quae hac de re S. Concilium Tridentinum dicit (1): « Quanta « cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missae « Sacrificium omni religionis cultu ac venera« tione celebretur, quivis facile existimare po« terit, qui cogitarit, maledictum in sacris « Litteris eum vocari, qui facit opus Dei ne« gligenter. Quod si necessario fatemur, nul« lum aliud opus adeo sanctum ac divinum a « Christifidelibus tractari posse, quam hoc ipsum « tremendum mysterium, quo vivifica illa ho« stia qua Deo Patri reconciliati sumus, in « altari per sacerdotes quotidie immolatur; sa« tis etiam apparet, omnem operam et dili« gentiam in eo ponendam esse, ut quanta ma« xima fieri potest interiori cordis munditia et « puritate, atque exteriori devotionis ac pieta« tis specie peragatur ».

50. Seraphicus Pater noster S. Franciscus summo fervore erga ss. Eucharistiae Sacramentum flagravit, maximo admirans stupore ineffabilem illum amorem, qui in hoc adorando mysterio jugiter splendet. Sacerdotes, hujus mysterii ministros, incomparabili dignos aestimabat reverentia. Sacerdotalibus manibus, inquit S. Antoninus, quibus conficiendi Dominici Corporis Sacramentum collata est potestas, magnam volebat reverentiam exhibere, unde saepe dicebat: « Si Sancto venienti de « coelo et pauperculo alicui sacerdoti me con« tingeret obviare, ad sacerdotis manus deos« culandas citius me conferrem, et Sancto di« cerem: Expecta me, Sancte, quia manus hu« jusmodi Verbum vitae contrectant et ultra « humanum quid possident ».

(1) Sess. XXII, Decret. de observandis et vitandis in celebratione Missae.

51. Epistolam quoque S. Franciscus dedit ad omnes sui Ordinis sacerdotes, in qua gravissimis eos verbis commonefecit, condigna cum reverentia et devotione divini hujus Sacramenti mysterium celebrare. Juverit aliqua ejus verba hic inserere vere seraphicam spirantia pietatem (1): « Rogo, inquit, in Do« mino omnes Fratres meos sacerdotes, qui « sunt et erunt et esse cupiunt Altissimi, quod, « quandocumque voluerint Missam celebrare, « puri et pure faciant cum reverentia verum « sacrificium sanctissimi Corporis et Sanguinis « Domini nostri Jesu Christi, sancta inten« tione et munda, non pro ulla terrena re, « neque timore vel amore alicujus hominis, « quasi placentes hominibus, sed omnis vo« luntas, quantum adjuvat gratia Omnipoten« tis, ad eum dirigatur, et soli ipsi Deo sum« mo tantum placere desideretis, quia ipse so« lus operatur ibi, sicut sibi placet; quia sicut « ipse Dominus dicit (2): Hoc facite in meam « commemorationem; si quis aliter fecerit, « Judas traditor efficitur ».

Pergit deinde S. Franciscus in eadem epistola, divinas filiis suis intentare punitiones, nisi requisitam impendant divinissimo mysterio devotionem: « Recordamini, ait, Fratres « Sacerdotes, quoniam scriptum est in lege « Moysi (3), quod transgredientes in corpora« libus sine ulla miseratione per sententiam « Domini moriebantur. Quanto majora et pe« jora meretur pati supplicia, qui Filium Dei « conculcaverit et sanguinem testamenti pollu« tum duxerit, in quo sanctificatus est, et Spi« ritui Sancto contumeliam fecerit (4)? De« spicit enim homo pollutus et conculcat « Agnum Dei; quoniam, sicut dicit Apostolus, « non dijudicans et discernens sanctum panem « Christum ab aliis cibariis vel operibus indi« gnis indignus manducat (5), cum Dominus « per prophetam dicat (6): Maledictus homo, « qui opus Dei facit negligenter vel fraudulen« ter. Et propter sacerdotes, qui nolunt ponere

(1) Opusc. S. Franc. part. I. ep. XII.
(2) Luc. XXII, 19.
(3) Deuter. XVII, 6. XIX, 15.
(4) Hebr. X, 29.
(5) I. Corinth. XI, 29.
(6) Jerem. XXXXVIII, 10.

« super id cor in veritate, condemnat nos di-« cens (1): Maledicam benedictionibus vestris ».

Deinde Fratres suos exemplis Sanctorum exhortatur dicens: « Audite, Fratres mei, si « beata Virgo MARIA honoratur, ut dignum « est, quia Ipsum portavit in sanctissimo utero « suo, si beatus Joannes Baptista contremuit « et non audebat tangere DOMINI verticem, si « sepulchrum, in quo per aliquod tempus ja-« cuit, sic veneratur, quantum debet esse san-« ctus et justus et dignus, qui non jam mori-« turum, sed in aeternum victurum et glori-« ficatum, in quem desiderant Angeli prospi-« cere (2), contrectat manibus, corde et ore « sumit et aliis ad sumendum praebet »?

Idipsum ulterius inculcat desumens argumentum suum a sacerdotii dignitate. « Videte, « ait, dignitatem vestram, Fratres sacerdotes, « et estote sancti, quia Ipse sanctus est (3). Et « sicut super omnes propter hoc mysterium « honoravit vos DOMINUS DEUS, ita et vos pro-« pter hoc mysterium diligite eum, reverimini « et honorate. Magna miseria et miseranda in-« firmitas, quando ipsum sic praesentem ha-« betis et aliquid aliud in toto mundo curatis. « Totus homo paveat, totus mundus contre-« miscat et coelum exultet, quando super al-« tare in manibus sacerdotis est CHRISTUS Fi-« lius DEI vivi. O admiranda altitudo, o stu-« penda dignatio, o sublimitas humilis, quod « DOMINUS universitatis, DEUS et DEI Filius, « sic se humiliat, ut pro nostra salute sub mo-« dica panis formula se abscondat! Videte, Fra-« tres, humilitatem DEI et effundite coram ipso « corda vestra et humiliamini, ut et vos exal-« temini ab eo. Nihil ergo de vobis retineatis « vobis, ut totos vos recipiat, qui se vobis « exhibet totum ».

52. Hisce generalibus monitis praemissis, in sequentibus praecipua theologorum principia in mentem revocare censemus, quae in S. Missae celebratione sunt observanda.

53. Requiritur in primis, ut Celebrans sit immunis a peccato mortali; ait enim S. Paulus (4): « Quicumque manducaverit panem « hunc vel biberit calicem indigne, reus erit « Corporis et Sanguinis DOMINI ». Indigne celebrans gravissimo sacrilegio maculatur. Propterea pro Celebrante, qui sibi mortalis culpae conscius est, requiritur confessio et absolutio, etsi contritus videatur, nisi urgeat necessitas celebrandi, et simul desit confessarius. Si quis autem contrarium docere, praedicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existit (1). — Si quis necessitate urgente, absque confessione celebraverit, quamprimum confiteri debet ex mandato Concilii Tridentini (2). Illud *quamprimum* rigorosam et gravem obligationem continet, ideo confessio differri non licet. Alexander VII damnavit contrarias propositiones (3), quae asserunt Tridentini mandatum confitendi *quamprimum* esse consilium, non praeceptum; et per illud *quamprimum* intelligi, cum sacerdos suo tempore confitebitur: quas propositiones qui docet et defendit, incurrit excommunicationem simpliciter Papae reservatam, ex constitutione « Apostolicae Sedis ». — Porro per illud *quamprimum* communiter triduum intelligitur; nam ex jure statim fieri dicitur, quod intra triduum fit.

54. Celebraturo sub gravi peccato praeceptum est jejunium naturale a media nocte illius diei, quo celebrat. Hoc praeceptum non admittit parvitatem materiae. — Ad frangendum hoc jejunium naturale ex communi sententia requiritur: 1.° ut quod sumitur, sumatur ab extrinseco et in stomachum trajiciatur; 2.° ut sumatur per modum comestionis vel potionis; 3.° ut habeat rationem cibi vel potus. — *Causae* ab hoc jejunio *excusantes* juxta theologos sunt: 1.° periculum mortis, 2.° periculum profanationis ss. Eucharistiae, 3.° periculum scandali vel gravis infamiae, 4.° necessitas perficiendi sacrificii, ita ut, si v. g. sacerdos, consecrata hostia, moriatur, ab altero licet non jejuno, si jejunus non adsit, etsi jam celebraverit, perficienda sit Missa.

55. Praeter immunitatem a peccato gravi et praeter observantiam jejunii naturalis Celebraturus etiam per virtutum actus se ad ss. Sacrificii oblationem praeparare et dignum reddere studeat. Praecipuae vero virtutes exercen-

(1) Malach. II, 2.
(2) I. Petr. I, 12.
(3) Levit. XI, 44.
(4) I. Corinth. IX.

(1) Concil. Trident. sess. XIII. cap. 7 et cap. 11.
(2) Sess. XIII. cap. 7.
(3) Prop. 38 et 39.

dae sunt: 1.° *Viva fides*, qua credimus sub speciebus sacramentalibus contineri CHRISTUM, discernentes coelestem hunc cibum a profano, quod est dijudicare Corpus DOMINI, sicut jubet Apostolus. 2.° *Profunda humilitas*, ita ut cum Centurione clamemus: « Domine, non sum « dignus, ut intres sub tectum meum » etc. Quo enim minus de nobis invenit DEUS in nobis, eo magis de suis nos replet. 3.° *Vehemens desiderium* Eucharistiam recipiendi. Quo major est hoc desiderium, eo majores gratias pro anima nostra recipimus.

56. Celebrans Missam omnes caeremonias ab Ecclesia praescriptas adamussim observare debet. Nihil est in Missae caeremoniis, quibus utitur Ecclesia catholica, quod non sit sanctum et pium. Hoc de fide est a Tridentino declaratum. Attendenda sunt verba Bullae Pii V praefixae Missali Romano: « Mandantes et di« stricte omnibus et singulis praecipientes in « virtute sanctae obedientiae, ut ceteris omni« bus rationibus et ritibus ex aliis Missalibus « in posterum penitus omissis, Missam juxta « ritum, modum ac normam, quae per Mis« sale hoc a Nobis nunc traditur, decantent ac « legant. Neque in Missae celebratione alias « caeremonias vel preces, quam quae in hoc « Missali continentur, addere vel recitare prae« sumant ». — Ex pluribus, etiam recentioribus, S. Rituum Congregationis decretis patet, Rubricas Missalis intra Missam observandas esse praeceptivas. Quapropter non excusatur a peccato, qui advertenter omittit v. g. unam benedictionem, inclinationem capitis, genuflexionem; vel qui advertenter et absque necessitate non genuflectit usque ad terram, altaris deosculationem omittit, vel benedictiones perturbat, super oblata solummodo aliquos circulos formando. Decretum S. Rituum Congregationis ab Urbano VIII confirmatum et Missali Romano praefixum mandat, ut in omnibus et per omnia serventur Rubricae Missalis, non obstante quocumque praetextu et contraria consuetudine, quam abusum esse declarat.

57. Frequentiora contra leges rubricales peccata esse solent: festinatio sub psalmo *Judica* et sequentibus alternatim dicendis cum ministro, sub *Kyrie* nulla alternatio, sed omnimoda confusio, omissio inclinationum fere omnium sub Hymno Angelico, genuflexiones indevotae, signa crucis male aut nimis festinanter formata, orationes extra locum dictae aut anticipatae.

58. Circa nonnullos alios abusus notanda est sequens Rubrica: « Sacerdos maxime cu« rare debet, ut ea quae clara voce dicenda « sunt, distincte et apposite proferat, non ad« modum festinanter, ut advertere possit quae « legit; nec nimis morose, ne audientes tae« dio afficiat; neque etiam voce nimis elata, « ne perturbet alios, qui fortasse in eadem ec« clesia tunc temporis celebrant; neque tam « submissa, ut a circumstantibus audiri non « possit; sed mediocri et gravi, quae et devo« tionem moveat, et audientibus ita sit accom« modata, ut quae leguntur intelligant. Quae « vero secrete dicenda sunt, ita pronuntiet, ut « et ipsemet se audiat, et a circumstantibus « non audiatur (1) ».

59. Missa quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest (2). Regulares possunt celebrare Missam una hora ante auroram, i. e. tribus horis ante ortum solis, sed tantum in ecclesiis propriis; post meridiem una hora (3).

60. Quod *durationem Missae* attinet, regula generalis est, Missam sine cantu nec longiorem esse debere dimidia hora, ne adstantes taedio afficiantur, nec breviorem tertia horae parte. Qui autem infra quadrantem Missam absolvit, a peccato mortali excusari non poterit, licet Missa sit ex brevioribus, quia, juxta S. Alphonsum, in tam brevi spatio necessario sacerdos committere debet duos graves defectus: alterum gravis irreverentiae erga ss. Sacramentum, alterum gravis scandali erga populum. Vult propterea Tridentinum, ut Ordinarii locorum sollicite hac de re invigilent. Hinc etiam omnes Superiores Ordinis nostri pro ecclesiis nostris sollicite invigilare debent. — O ingens perversitas multorum sacerdotum! producitur somnus, producitur mensa, producuntur recreationes, producuntur confabulationes, lusus, nugae; solius supremae Majestatis cultus summa, qua potest, celeritate deproperatur, luride absolvitur.

61. Superiores diligenter providere et in-

(1) Rubr. gen. Missal. titul. XVI. n. 2.

(2) Rubr. gen. Missal. titul. XV. n. 1.

(3) Cfr. Gury-Dumas, theol. mor., tom. 2. cap. 4. n. 176.

vigilare debent, ut omnia ad Missam licite celebrandam requisita adsint. Requiritur vero: 1.° *Altare lapideum* ab Episcopo consecratum, vel saltem ara lapidea consecrata et in altari inserta, quae tam ampla sit, ut Hostiam et majorem partem Calicis capiat. In altari requiruntur: 2.° tres *mappae benedictae;* sufficiunt tamen una separata et altera duplicata. Requiritur: 3.° *Calix,* cujus saltem cuppa debet esse argentea intus deaurata, ab Episcopo consecratus, qui amittit suam consecrationem, si de novo deauretur. 4.° *Patena* argentea, intus aurata, et ab Episcopo consecrata. 5.° *Vestes sacrae* benedictae ab aliquo facultatem habente (1), nempe amictus, alba, cingulum, manipulus, stola et planeta. *Color* paramentorum est de praecepto. Ante omnia autem opus est, ut omnia indumenta sacerdotalia integra sint et munda. Notandum tamen, quod secundum Clementis V declarationem nobis sufficere debeant vasa et paramenta ecclesiastica decentia, in numero et magnitudine sufficientia; quod superfluitas autem, aut nimia pretiositas, vel quaecumque curiositas non possit convenire professioni nostrae vel statui (2). 6.° *Corporale,* et quidem sub gravi, benedictum. Corporalia, sicut et purificatorium, alba, amictus, mappae et palla debent esse ex lino vel canabe. 7.° *Palla* benedicta. 8.° *Purificatorium;* non oportet, ut sit benedictum. 9.° *Missale.* 10.° *Crux* cum Crucifixo. 11.° Duplex *candela* accensa ex *cera* in Missis privatis.

62. Requiritur insuper *minister inserviens* sub mortali, nisi adsit Pontificia dispensatio vel urgeat gravissima causa. Superiores et Magistri omnino curent oportet, ut Fratres nostri Laici hoc honorificum ministerium debita semper modestia, pietate et devotione peragant, ut preces ad altare dicendas bene addiscant et bene pronuntient, non mutilando syllabas vel verba, aut sacerdotem praeveniendo. Hoc enim debent tanto mysterio ac etiam honori Ordinis. Quid enim sacerdotes exteri, qui ad nostras ecclesias celebraturi accedunt, cogitare deberent, si Fratres Laicos nostros circa servitium altaris non bene instructos invenirent?!

63. In omni ecclesia, altari, sacristia omnique sacra supellectili nitor munditiaque eluceat. Hinc magna cura et diligentia a Superioribus et Sacristis adhibenda est, prout etiam Innocentius III in Lateranensi Concilio praescripsit. Maxima utique debetur observantia erga sacram supellectilem utpote divino servitio mancipatam; « ex quo, ait S. Thomas Aquin. (1), aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam divinum, et debetur ei reverentia quae fertur in Deum ». Superior, si debitam curam non habeat, si vilia et sordida adhibeat, potest graviter delinquere. Neque pauperiem accuset; haec enim optime stare potest cum munditia et nitore.

64. Meminerint etiam omnes, sacristiam minime esse locutorium, ac proinde ibi a confabulationibus non necessariis esse abstinendum. In non paucis sacristiis sacerdotum saecularium invenitur mandatum affixum de observando ibi silentio: quanto magis in nostris sacristiis silentium observare decet! Regulares utique aliis exemplo esse debent atque aedificationi.

65. Si Deum tentare atque ad iracundiam provocare dicitur, qui ipsum audet in oratione interpellare, non praemissa diligenti praeparatione: quanto magis sua temeritate irritabit, qui ipsi unigenitum Filium offerre ipsumque Angelorum et hominum Regem et Dominum suscipere absque praeparatione praesumit? Propterea pia oratione et meditatione ante ss. Sacrificii oblationem animum nostrum colligere et ad debitam devotionem incitare semper studeamus.

66. Missa peracta permagni refert, bene uti illo tempore, quo apud nos moratur Christus, et tanti Hospitis praesentia frui. Tempus enim ad negotia salutis agenda magis opportunum nobis obvenire non potest, quam cum ipsum intra nos habemus salutis auctorem. Vide itaque, quid de iis dicendum, qui Deo in cor suum recepto, mox illi dorsum obvertunt, nec curant cum eo paulisper conversari. Quidnam hoc est, nisi talem tantumque vilipendere Hospitem? O probrum! o dedecus sacerdotis catholici, — sacerdotis religiosi! Quid quaerimus praeter Deum nostrum? Plus ille nos docebit, quam omnes libri; plus delectabit, quam omnes amici; plura praestabit commoda, quam omnes mundi artes, honores, opes et scientiae. Esse cum Jesu est dulcis paradisus.

(2) Hanc facultatem habent Regularium Superiores, etiam locales, sed pro suis dumtaxat ecclesiis.

(1) Constit. *Exivi,* cap. X, n. 2.

(1) 2. 2. quaest. 90.

67. Memores sint etiam omnes, praesertim Superiores, decreti S. Congregationis Concilii, quo praecipit, « ut a Sacerdotibus... Mo-« nasteriis, Conventibus... quibuscumque abso-« lute tot Missae celebrentur, quot ad ratio-« nem stipendii, sive ab una, sive a pluribus « personis collati, quantumcumque incongrui « et exigui, praescriptae fuerint; alioquin ii, « ad quos pertinet, suae obligationi non satis-« faciant, quinimo graviter peccent, et ad re-« stitutionem teneantur (1) ».

68. Illi, ad quos spectat, Fratribus nostris clericis et laicis magnam devotionem et venerationem erga ss. Eucharistiae Sacramentum instillare studeant, ita ut isti diebus a Constitutionibus Generalibus et Statutis peculiaribus praescriptis, vel etiam saepius, non solum libenter, sed etiam pie, devote et sancte ad hoc coeleste convivium accedant et ex ipso largissimas benedictiones percipiant.

(Continuabitur).

—

STATUS

ORDINIS IN REP. MEXICANA

Provincia S. Evangelii (Continuatio).

6. Hahuacachula. Hujus Conventus sola remanet ecclesia in honorem S. Martini episcopi dicata et loci Parocho concredita, sicut et sequentes duae.

7. Tecamachalco. Sola pariter remansit ecclesia ad B. Mariam in coelum assumptam.

8. Jalapa. Superest ecclesia cujus titulus est Nativitatis B. M. V.

9. Huamantla. Superest pars quaedam Conventus ad usum R. P. Francisci Alatriste, qui inservit ecclesiae in honorem S. Ludovici episcopi dicatae.

10. Huejotzingo. Extat adhuc parvus sed historicis memoriis clarus hic Conventus; in ecclesia ad S. P. Franciscum dedicata, tempore Ferdinandi Cortès, Mexici expugnatoris, existit altare consecratum ab illustri Joanne de Zumarraga, franciscano et primo Mexicanae ecclesiae episcopo. In atrio ejusdem ecclesiae clarus P. Martinus a Valentia, hujus Conventus Guardianus ac primus Ordinis Commissarius Generalis in Mexico, plura Indorum millia evangelizavit ac regenerationis lavacro tinxit. Conventus nunc curam habet R. P. Bonaventura Espejo, Guardianus.

11. Tepeaca. Antiqui hujus Conventus solam servamus ecclesiam amplissimam, ab ipso Ferdinando Cortes, ut aiunt, extructam, cujus curam gerit R. P. Ignatius Perez, Guardianus.

12. Tehuacan. Opera Adm. R. P. Antonii Varela, Guardiani, asservata fuit pars quaedam hujus Conventus, ecclesia et sacellum S. Antonii Patavini cujus devotissima ac prodigiosa imago magna colitur veneratione.

13. Tlaxcala. Conventu a Gubernio occupato, sola remansit ecclesia loci parocho concredita. In hac ecclesia asservatur cathedra e qua priores Mexici Franciscani infidelibus de Anahuac praedicarunt, et fons baptismatis in quo regenerationis lavacrum recepit *Xicotencal*, in historia Mexicana celeberrimus.

Hujus Provinciae alumni anno 1885 *quadraginta quatuor* numerabantur, scilicet 42 sacerdotes, 1 Chorista et 1 Laicus.

(Continuabitur).

—

CATALOGUS

ARCHIEPISCOPORUM ATQUE EPISCOPORUM

Ordinis Nostri

—

I. EUROPA

A. Italia.

1. Rmus Dominus Franciscus Converti, Min. Obs. Provinciae Calabriae, natus Amendulariae die 22 Maii anni 1818; electus Archiepiscop. Rhegiensis, *(Reggio)* die 6 Maii 1882.

2. Rmus Dominus Seraphinus Milani, Min. Obs. Provinciae Tusciae, natus Carariae, die 27 Aprilis anni 1819; jam Custos Terrae Sanctae; electus Archiepiscopus titularis Traianopolitanus die 23 Januarii anni 1874, et hinc translatus ad Sedem Episcopalem Apuanam *(Pontremoli)* die 22 Decembris ejusdem anni.

3. Rmus Dominus Benedictus La Vecchia Guarneri, Min. Obs. Provinciae Vallis Mazariae in Sicilia, natus Canicatteni die 3

(1) Cfr. Compend. Constitut. Apost. pag. 87.

Julii anni 1812; electus Episcopus Notensis die 3 Februarii anni 1872, et promotus ad Sedem Archiepiscopalem Syracusanam die 5 Julii anni 1875.

4. Rmus Dominus GABRIEL GRIOGLIO, Min. Obs. Provinciae Divi Thomae Taurini, natus Morettae, Dioecesis Salutiarum, die 2 Martii anni 1814; electus Episcopus titul. Euriensis, et deputatus Vicarius Apostolicus Chan-si *(in Sinis)* die 27 Septembris anni 1852. Anno 1862, cum abdicasset, Salutias *(Saluzzo)* se recepit.

5. Rmus Dominus HENRICUS CARFAGNINI, Min. Ref. Provinciae Sancti Bernardini in Aprutio, natus Scamni, Dioecesis Valvensis, die 23 Martii anni 1823; electus Episcopus de Harbour-Grace in Insula Terraenovae, die 27 Maii anni 1870; translatus ad Sedem Gallipolitanam *(Gallipoli)* die 27 Februarii 1880.

6. Rmus Dominus LEONARDUS GIANNOTTI, Min. Ref. Custodiae Lucensis, natus Turciliani, die 13 Januarii anni 1824; electus Episcopus Mutilanensis *(Modigliana)* die 22 Decembris 1871.

7. Rmus Dominus FRANCISCUS MARIA IMPARATI, Min. Obs. Provinciae Principatus, natus Salerni die 6 Julii anni 1838; iam Secrecretarius Generalis Ordinis; electus Episcopus Venusinus *(Venosa)* die 27 Februarii anni 1880.

8. Rmus Dominus LUCIANUS SARACANI, Min. Obs. Provinciae Seraphicae, natus in *Greccio*, dioecesis Reatinae die 19 Novembris anni 1821; electus Episcopus Mandalensis *(Poggio Mirteto)* die 27 Martii anni 1882.

9. Rmus Dominus JUCUNDUS DE NITTIS, Min. Ref. Provinciae S. Angeli Apuliae, natus in S. Ioanne Rotundo, Archidioecesis Manfredoniensis, die 31 Marti anni 1838; electus Episcopus Castellaneten. *(Castellaneta)* die 7 Junii anni 1886.

10. Rmus Dominus DANIEL TEMPESTA, Min. Ref. Provinciae S. Bernardini in Aprutiis, natus in S. Donato Dioecesis Surensis; electus Episcopus titularis Suranus et deputatus Auxiliator Episcopi Sorani, die 22 Decembris anni 1882.

B. Lusitania.

11. Illmus et Emmus JOSEPHUS SEBASTIANUS NETTO, Min. Obs. ex Seminario apostolico Varatoiano, natus in Lagis, Dioecesis Pharanensis in Portugallia, die 8 Februarii anni 1841; electus Episcopus Angolensis et Conghensis in Africa, die 22 Septembris anni 1879; evectus ad Sedem Patriarchalem Ulyssiponensem die 9 Augusti anni 1883; creatus Presbyter Cardinalis in Consistorio secreto die 24 Martii anni 1884, titul. SS. XII Apostolorum.

12. Rmus Dominus JOANNES CHRYSOSTOMUS D'AMORIM PESSOA, Min. Alcant. Provinciae Lusitaniae, natus *Cantanhede*, Dioecesis Conimbricensis die 18 Octobris anni 1810; electus Episcopus Sancti Jacobi Capitis Viridis die 23 Martii anni 1860; promotus ad Archiepiscopatum Goanum in Indiis die 22 Martii anni 1861; electus mense Novembris anni 1874 Coadiutor cum jure successionis Archiepiscopi Bracharensis *(Braga)*, cui successit die 27 Nov. 1876; anno 1885 abdicavit.

C. Hispania.

13. Rmus Dominus GREGORIUS MARIA AGUIRRE Y GARCIA, Min. Discalc. Provinciae Apostolicae S. Gregorii in Hispania, natus *De-la-Pola de Garden*, Dioecesis Ovetensis *(Oviedo)* die 12 Martii anni 1835; electus Episcopus Lucensis *(Lugo)* in Hispania die 27 Martii anni 1885.

D. Albania.

14. Rmus Dominus RAPHAEL D'AMBROSIO, Min. Ref. Provinciae Principatus, natus in *Boscoreale* die 1 Februarii anni 1810; creatus Archiepiscopus Dyrrachiensis *(Durazzo)* die 17 Decembris anni 1847.

15. Rmus Dominus FULGENTIUS CSAREV, Min. Obs. Provinciae Sancti Hieronymi Dalmatiae; natus in *Castel-Abbadessa*, Dioecesis Spalatensis, die 15 Aprilis anni 1826; electus Archiepiscopus Scopiensis (Scopia) die 28 Martii anni 1879.

16. Rmus Dominus ALBERTUS CRACCHI, Min. Ref. Provinciae Sancti Didaci Insubriae; natus in *Landiona* die 1 Julii anni 1821; creatus Episcopus Pulatensis *(Pulati)* die 24 Maii 1870.

17. Rmus Dominus JULIUS MARSILLI, Min. Obs. Provinciae Seraphicae; natus in *Greccio*, Dioecesis Reatinae, die 13 Julii anni 1823; electus Episcopus titul. Tranopolitanus die 15 Novembris anni 1873; Episcopus Sappensis mense Decembri anni 1873.

E. Principatus Montisnigri.

18. Rmus Dominus Simeon Milinovic, Min. Obs. Provinciae SS. Redemptoris in Dalmatia, natus die 24 Februarii anni 1835; electus primus Archiepiscopus Antibarensis *(Antivari)* die 7 Novembris anni 1886.

F. Bosnia.

19. Rmus Dominus Paschalis Vuicic, Min. Obs. Provinciae Bosniae, natus in Imoschi anno 1826; electus Episcopus Pulatensis die 1 Iunii anni 1858; translatus ad Sedem episcopalem titularem Antiphellensem *(Antifello)* die 28 Septembris anni 1860.

G. Herzegovina.

20. Rmus Dominus Paschalis Buconic, Min. Obs. Custodiae Herzegovinae, natus Drinovci *(Herzegovina)* die 2 Aprilis anni 1834; electus Episcopus titular. Nagitanensis *(Nagida)* die 28 Februarii anni 1880; Vicarius Apostolicus Herzegovinae. In Consistorio die 18 Novembris anni 1881, translatus ad Ecclesiam cathedralem *Mostar* cum adnexo titulo *Duvni,* erectam a Sanctitate Sua Leone XIII.

21. Rmus Dominus Marianus Markovic, Min. Obs. Provinciae Argentinae Bosnae, electus Episcopus pro Ecclesia titulari Danabensi et Administrator Apostolicus Ecclesiae cathedralis de Banialuca in Bosnia, die 24 Martii anni 1884.

H. Graecia.

22. Rmus Dominus Theophilus Masucci, Min. Ref. Provinciae Picenae, jam Praefectus Apostolicus Missionum Constantinopolis. Die 26 Septembris anni 1880 electus Episcopus Syrensis *(Sira)* ad Mare Aegeum.

II. ASIA.

A. Turcarum Imperium, Archipelagus.

23. Rmus Dominus Fidelis Abbati, Min. Ref. Provinciae Bononiensis, natus Mutinae die 31 Martii 1820; creatus Episcopus Sanctoriensis (Santorina) die 17 Martii 1863; post voluntariam abdicationem translatus fuit ad Sedem Episcopalem titul. Gerrensem *(Gerra)* die 22 Septembris anni 1879; deinde ad Sedem Episcopalem Chiensem *(Scio),* die 11 Januarii anni 1885.

B. Turcarum Imperium, Syria.

24. Rmus Dominus Ludovicus Piavi, Min. Obs. Provinciae Bononiensis, natus Ravennae die 17 Martii 1833; creatus die 13 Novembris anni 1876 Archiepiscopus titular. Siunensis *(Siunia)* Vicarius Apostolicus Aleppi, Delegatus Apostolicus pro Syria.

25. Rmus Dominus Gaudentius Bonfigli, Min. Obs. Provinciae Picenae, jam Custos Terrae Sanctae, die 10 Augusti anni 1881 promotus ad Ecclesiam Episcopalem titular. Cassiensem, deputatus in auxilium Rmo Domino Piavi Delegato Apostolico Syriae.

C. Imperium Sinense.

26. Rmus Dominus Aloysius Moccagatta, Min. Obs. Provinciae Romanae, natus in *Castellazzo*, Dioecesis Alexandrinae die 9 Octobris anni 1809; creatus Episcopus Zenopolitanus, *(Zenopoli)* et Vicarius Apostolicus de Chan-tong die 13 Martii anni 1844; translatus ad Vicariatum Apostolicum Chan-si die 27 Septembris anni 1870.

27. Rmus Dominus Gregorius Grassi, Min. Obs. Provinciae Bononiensis, natus in *Castellazzo,* Dioecesis Alexandrinae, die 13 Decembris anni 1833; creatus die 28 Januarii anni 1876 Episcopus Orthosiensis *(Ortosia)* et deputatus Adiutor Vicarii Apostolici Chan-si.

28. Rmus Dominus Beniaminus Geremia, Min. Obs. Provinciae S. Ferdinandi, natus in *S. Giovanni in Galdo* Archidioecesis Beneventonum; electus Episcopus titularis Usulensis *(Usola)* et Vicarius Apostolicus *Chan-tong,* die 10 Februarii anni 1885.

29. Rmus Dominus Amatus Pagnucci, Min. Obs. Provinciae Tusciae natus in *Ruota,* Archidioecesis Lucensis anno 1833; creatus Episcopus titul. Agathonicensis *(Agatonica)* et deputatus Adjutor Vicarii Apostolici *Chen-si,* die 15 Aprilis anni 1867.

30. Rmus Dominus Pius Vidi, Min. Obs. natus in Verona, jam Vicarius Generalis in Vicariatu apostolico Chen-si; electus Episcopus titularis Cestrinensis (Cestro) et deputatus Vicario Apostolico Chen-si Adjutor cum jure successionis, die 24 Augusti anni 1886.

31. Rmus Dominus Eusebius Maria Semprini, Min. Ref. Provinciae *Longobardiae,* natus in *Donga* Dioecesis Comi, die 26 Decembris anni 1823; electus Episcopus titular. Tiberiopolitanus *(Tiberiopoli)* die 28 Januarii anni 1876 et deputatus Adjutor Vicarii Apostolici

Hou-nan in Sina, cui successit mense Septembris anni 1877. Postremo Vicariatus Apostolicus *Hou-nan* cum in duos Vicariatus Apostolicos fuisset divisus, id est in *Hou-nan septentrionalem* et *Hou-nan meridionalem*, Dominus Semprini mansit Vicarius apostolicus *Hou-nan* meridionalis.

32. Rmus Dominus EZECHIAS BANCI, Min. Ref. Provinciae Tusciae, natus in *Semproniano*, Dioecesis Soanensis et Pitilianensis, die 22 Januarii anni 1833; electus Episcopus titular. Halicarnensis *(Alicarnasso)* die 29 Maii anni 1871, Deputatus Vicarius Apostolicus *Hou-pé septentrionalis*, mense Septembris, anni 1879.

33. Rmus Dominus EPIPHANIUS CARLASSARE, Min. Ref. Provinciae S. Antonii Venetiarum, natus in oppido Monticuli majoris, Dioecesis Vincentinae; electus Episcopus titularis *Madaurensis* et deputatus Vicarius Apostolicus *Hou-pé* orientalis, die 18 Junii anni 1884.

34. Rmus Dominus ALOYSIUS MARÍA FILIPPI, Min. Ref. Provinciae Bononiensis, natus Mutinae die 16 Decembris anni 1818; electus Episcopus titular. Paneadensis *(Paneade)* et Vicarius Apostolicus *Hou-pé* meridionalis die 28 Januarii anni 1876.

III. AFRICA.

Aegyptus.

35. Rmus Dominus ANACLETUS CHICARO, Min. Obs. Provinciae Romanae; electus in Consistorio die 18 Maii anni 1881 Archiepiscopus Emesensis, Vicarius Apostolicus pro Latinis in Aegypto et Delegatus Apostolicus pro Orientalibus Aegypti et Arabiae.

IV. AMERICA.

A. America centralis, Respublica Honduras.

37. Rmus Dominus JOANNES FELIX ZEPÈDA, Min. Obs. Provinciae Guatimalae, natus in *Tegucigalfa*, Dioecesis de Comayagua, die 20 Novembris anni 1808; electus Episcopus Aerindelensis, et Auxiliaris Archiepiscopi Guatimalae die 15 Aprilis anni 1859; postea translatus ad episcopalem sedem de Comayagua in Republica Honduras die 22 Julii anni 1865.

B. America merid. — a) Peruvia.

37. Rmus Dominus FRANCISCUS SOLANUS RISCO, Min. Obs. Provinciae Sanctorum XII. Apostolorum, natus Limae anno 1829; electus Episcopus de Chachapoyas in Peruvia die 27 Martii, anni 1865.

b) Respublica Argentina.

38. Rmus Dominus WENCESLAUS ACHAVAL, Min. Obs. Provinciae Assumptionis, natus anno 1810 in Dioecesi Saltensi; electus Episcopus Sancti Joannis *de Cuyo* in Republica Argentina, die 20 Decembris anni 1867.

c) Respublica Aequatoris.

39. Rmus Dominus JOSEPH MASIA, Min. Obs. Provinciae Catalauniae, natus in *Monroig*, Archidioecesis Tarraconensis (Hispania) anno 1815; electus Episcopus Loianensis *(Loia)*, in Republica Aequatoris, die 15 Septembris anni 1875.

d) Coloniae Hispanae in America.

40. Rmus Dominus JOANNES ANTONIUS PUIG Y MONSERRAT, Min. Obs. Hispaniae, natus in *Felinate* in Dioecesi Maioricensi die 20 Julii anni 1813; electus Episcopus de Portorico, (Colonia Hispana) die 16 Januarii anni 1874.

e) Mexicus.

41. Rmus Dominus BONAVENTURA PORTILLO, Min. Obs. Collegii Apostolici sub titulo *Mariae Sanctissimae Zapopan*, natus in *Teocaltiche*, Dioecesis Guadalaxarae anno 1826; iam Definitor Generalis Ordinis et Commissarius pro Mexico; electus Episcopus titular. Tricalensis *(Tricala)* et deputatus Vicarius Apostolicus Inferioris Californiae die 20 Augusti anni 1880. Translatus ad Sedem Episcopalem *de Chilapa* in Mexico, die 25 Septembris anni 1882.

V. OCEANIA.

Colonia Hispana Philippinarum.

42. Rmus Dominus MARTINUS GARCIA ALCOCER, Min. Discalc., Collegii Missionum Pastranensis in Hispania, natus die 11 Novembris anni 1842, Archidioecesis Toletanae; electus Episcopus Caebuanensis *(Cebù)* seu Nominis Jesu, in Insulis Philippinis, die 7 Junii 1886.

III.
MISSIONES

—

RELATIO

De Missionibus ad Collegium Ocopa pertinentibus in Peruviana Republica.

Emme Dne

Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Praefecte.

Nuper de infidelium Missionibus regressus sum, quarum Praefectus die 28 Octobris anni transacti 1885 electus fui. Vix ad meum perveni Collegium, « Acta Ordinis Minorum » legi, et dispositum a Sacra Congregatione, relative ad omnes Missionum Praefectos ut de illis rationem reddant, inveni. Ut ergo meo debite fungar officio, omnia quae Ema V. a me postulat breviter, fideliterque exponam.

1. — Missiones Collegii de Ocopa anno 1631 initium habuere: quo tempore nonnulli Fratres Provinciae duodecim Apostolorum Limanae filii infidelium conversiones per diversa loca aggressi fuerunt; et cum plurimos infideles CHRISTO lucrifecissent, fere omnes Missionarii martyrii coronam adepti sunt. Extinctis Missionariis, Neophyti, tanquam oves sine pastore relicti, ad vomitum infidelitatis iterum redierunt; donec V. P. Franciscus de S. Josepho, hujus almi Collegii de Ocopa Fundator, anno 1712 ad regnum Peruvianum pervenit. Hic Pater admodum venerandus, divinae gloriae et animarum zelo incensus, fervidisque commilitonibus adjutus, Missiones omnes « de Huanuco, Cajamarquilla, Tarma, Janya, Andamarca, Huncabamba, Cerro de la Sal, Apurimae, et Ucayali » amissas restauravit.

Anno autem 1742 tam mirabiles conversiones, propter quemdam Indum apostatam, *Sanctas Athahualpa* vocatum, ad nihilum fere redactae sunt. Ille enim, omnibus Indis ad defectionem inductis, cunctos Missionarios interfecit, et eorum ecclesias flammis succendit.

Anno vero 1787 eaedem Missiones zelo, ingenio et fortitudine R. P. Emmanuelis Sobrevila denuo floruerunt. In illo tempore 103 populi sive infidelium reductiones, cum 31,662 habitantibus ad Collegium de Ocopa pertinebant, quorum regimen spirituale 50 Fratribus, fere omnibus sacerdotibus hujus Collegii commissum erat.

Sed heu ! elapso aliquo tempore, supervenientibus bellis, et numero Missionariorum deficiente, omnis Missionum viror emarcuit, et ipsae tanquam turris turbinibus quassata, ad solum iterum prostratae sunt. Ex tunc duas vel tres tantum conversiones ad ripam fluminis Ucayali conservavimus. Verumtamen haec arida campi Ezechielis ossa exsurgere videntur et denuo carnem induere. Utinam spiritus meus ea ad vitam reducere posset! Magna mihi voluntas inest, sed desunt operarii messis. Quid faciendum nisi rogare DOMINUM?

2. — Limites Missionum infidelium ad Collegium de Ocopa pertinentium, hodie iidem sunt ac ipsi Peruvianae Reipublicae, ita ut omnes fluvii, valles et montes contenti in gradibus 4° et 15° latitudinis australis, et 300° et 305° longitudinis orientalis (merid. Tenerife), in quibus infideles morantur, sunt et fuerunt semper scopus laborum et excursionum Patrum Praefectorum hujus apostolici Collegii. Populi sive conversiones quibus hodie inservimus sequentes sunt: *Cayaria* in ripa fluminis Ucayali ad grad. 8° lat. 303° 10' long. *Cachiboya* in eodem flumine ad grad. 7° 25' lat. 303° 40' long. *Quillasú* in valle Huancabamba ad grad. 10° 45' lat. 301° 40' long.

Cerro de la Sal juxta flumen Pancartambo ad grad. 11° 2' lat. et 302° long. *Acon* juxta flumen Apurimae ad grad. 12° 20' lat. 301° 15' long. Nostrum Collegium in gradibus 12° lat. et 301° 15' long. situm est.

Omnes mensurae istae juxta meridianum *Tenerife* intelligendae sunt; hoc enim R. P. Sobreviela usus, cuius tabulam geographicam Emae V. remitto, et commendo tamquam omnibus Peruvianis perfectiorem.

3. — Quamvis istae conversiones sive populi deberent gubernio peruviano esse subjecti, nihilominus usque nunc vivunt tanquam independentes et nullam praeter Patris Missionarii auctoritatem accipere volunt. Praesides civiles hoc certe sciunt, et judicant eos nondum esse inquietandos.

4. — Lingua qua supradicti populi utuntur multiplex est. Nam in Cayaria qui morantur lingua *quichua* utuntur. In Cachiboya lingua *pana* in usu est. In Cerro de la Sal et

Quillasú lingua *amucixa* omnibus familiaris est: dum in valle de Acon et omnibus ferme ripis Apurimae lingua *Campa* praecipua est.

5. — Omnium harum conversionum clima sive temperamentum ferventissimum est: excepto Quillasú cujus clima 15° tantum gradus caloris habet. In genere valde sanum est; et tantummodo infirmitas *variola* (vulgo *irmelas*) est quae magnas producit strages.

6. — Numerus habitantium horum omnium populorum ad Missiones pertinentium, vix ad 3,000 pertingit, quorum tertia pars baptisma suscepit, caeteri autem neophyti sunt. Adoratio solis fuit semper horum Indorum praecipua religio.

7. — Tres habemus paraecias cum suis ecclesiis, scilicet in *Cayara*, in *Cachiboia* et *Quillasú*.

8. — Non procul a nostris Missionibus sita est sedes episcopalis de *Chachapoyas*. Episcopus residet in civitate ejusdem nominis. Actualis episcopus vocatur Franciscus Solanus Nisco, qui fuit novitius et professionem religiosam emisit in hoc Collegio de Ocopa.

9. — Religiosi degentes in Conversionibus sunt: quinque sacerdotes, unus laicus, et duo Fratres Tertiarii, quibus addendus est Frater Josephus Potesta, juvenis indigena et vitae valde probatae, cui habitum concessimus propter iteratas supplicationes, et permagnam utilitatem exinde secuturam. Idem enim catechista et interpres eximius est.

10. — Quamvis supradictus episcopus seminarium habeat, attamen propter defectum professorum et praecipue redditutum, vix subsistere potest.

11. — In omnibus conversionibus schola pro pueris existit et quamprimum etiam pro puellis laborabimus.

Haec sunt, Emme Dne, quae judicio meo hodie scribere debui, et nisi temporis angustia premerer, libentissime multa proferrem quibus Ema V. aliquantulum delectaretur. Parco autem, et parcat mihi etiam benignitas Vestra si in aliquo defeci. Tempus errata corriget. Interim etc.

Emae V. humilis in Dno Servus
Fr. Gabriel Sala Praefectus

Ocopae, die 23 Octobris 1886.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

Doctoris Seraphici S. Bonaventurae Commentaria in quatuor libros Sententiarum Magistri Petri Lombardi, tomus III. in tertium librum Sententiarum jussu et auctoritate Rmi P. Bernardini a Portu Romatino, totius Ordinis Minorum S. P. Francisci Ministri Generalis, edita studio et cura PP. Collegii a S. Bonaventura, ad plurimos codices mss. emendata, anecdotis aucta, prolegomenis, scholiis notisque illustrata. Tomus III. In 4.° gr. pag. X et 906. Fr. 25.

Tertio huic omnium operum S. Bonaventurae volumini, nuperrime ad finem perducto, praemittitur in fronte Epistola SS. Domini nostri Leonis XIII ad Rmum nostrum Ministrum Generalem P. Bernardinum de Portu Romatino, qua sapientissimus Summus Pontifex labores in nova hac editione susceptos paterno favore publice comprobat. Ipsum volumen continet diffusos tractatus de incarnatione Domini deque virtutibus theologicis; deinde autem brevius de aliis virtutibus, de donis Spiritus S. et nonnullis aliis quaestionibus tractat. Notum est, tertium hunc librum a viris doctis maximi semper aestimatum esse. — Textus sancti Doctoris, adhibitis 28 antiquis manuscriptis duabusque primis editionibus, a frequentibus ubique mendis et vitiis purgatus ac primitivae puritati, quantum licuit, restitutus est. Fontes, unde auctor hausit doctrinam et argumenta locupletissima, improbo labore conquisiti et accuratissime indicati sunt. Hinc oculis uniuscujusque proponitur, verissimum esse quod doctissimus Summus Pontifex Leo XIII in eadem Epistola de duobus SS. Doctoribus, Angelico et Seraphico, dicit: « Exploratum etiam est, clarissimos hosce scholasticarum disciplinarum adsertores peracri ingenio, assiduo studio, magnis laboribus atque vigiliis *pretiosum doctrinae thesaurum a sapientibus superiorum saeculorum, potissimum vero a SS. Ecclesiae Patribus congregatum multisque modis cummulate auctum*, posteris tradidisse ». — In scholiis cuilibet quaestioni annexis doctrina ibi tradita comparata est cum sententiis principalium ejusdem aevi doctorum, praesertim S. Thomae, Alexandri Halensis et Scoti, difficultatesque occurrentes breviter solutae sunt. Ibidem et in notis ad calcem positis loci plurimi, ubi S. Doctor de eadem re vel argumento tractat, diligenter annotati sunt, ut sine labore doctrina S. Bonaventurae ex ipsius scriptis explicari et illustrari possit. Hinc dici jure potest, nihil esse omissum, quo tanti Doctoris scripta benevolis lectoribus, eorum studiis se tradentibus, pervia et aditu facilia reddi possint. Denique diligenter laboratum est, ut totum volumen quam emendatissime typis exprimeretur.

Victor Bernardinus a Rothomago, Min. Obs. — Il Ven. Emmanuele Ruiz, dell'Ordine

dei Minori Osservanti ed i sette suoi compagni, Martiri di Damasco, per il P. Vittore Bernardino da Rouen, Religioso dello stesso Ordine. Traduzione libera dal Francese. Roma, tipografia Guerra e Mirri, 1887. In-16° pag. 93.

ANONYMUS Min. Obs. — Manual ou Directorio da Ordem Terceira da Penitencia instituida por S. Francisco de Assis, coordenado, por un Religioso da Primeira Ordem com as licenças e approvaçônes competentes. Lisboa. Typographia universal (Imprensa da Casa Real) Rua do Diario de Noticias, 110. 1887. In 16, pag. XCV-128.

ANONYMUS. — (Monialis Clarissa). Le Mois du divin Epoux, ou trente jours consacrés à l'amour du Sacré-Coeur de Jésus, suivi de réflexions sur la Sainte Messe et du Chemin de la Croix de l'âme réparatrice, par une Pauvre Clarisse du Monastère de Ste Claire de l'*Ave Maria*, de Grenoble. 1887. In-16. Pag. 490.

GUIDA AL TERZIARIO FRANCESCANO NEL SECOLO. — (Periodicum) Quovis mense exeunte prodit fascic. pag. 32, Novara tip. Pietro Reina. Associationis pretium est lib. 2, 50 annuatim.

Hanc novam Ephemeridem cura et sollicitudine Patrum Ref. Provinciae S. Didaci in Insubria editam, Italis Tertiariis commendamus.

JACOBUS LARDANI (M. R. P.) Min. Obs. — Al Nuevo sacerdote D. Juan Fernandez de Cordoba Boliviano, en el dia en que en la Basilica de S. Maria la Mayor de Roma celebró la primera misa; Recuerdo carinoso de su afectuosissimo y cordial amigo, Fr. Santiago Lardani de Monteprandone, Misionero Apostolico Franciscano de Tarija en Bolivia y actual Definidor General de la Orden. — Roma, Imprenta Monaldi Y. C. 1886.

JOANNES MARKOVIC, Obs. Provinciae SS. Redemptoris in Dalmatia. — Gospa Sinjska (B. V. Maria Signiensis) Zagreb. 1886.

JOSEPHUS CARDÙS, Min. Obs. — Las Misiones Franciscanas entre los Infieles de Bolivia, descripcion del estado de ellas en 1883 y 1884, con una noticia sobre los caminos y tribus salvajes, una muestra de varias lenguas, curiosidades de historia natural y un mapa para servir de ilustracion, por el R. P. Fr. José Cardús, Alumno del Colegio de Propaganda Fide de San José de Tarata y ex-conversor de los Guarayos. — Con licencia del Venerable Discretorio y del Ordinario. — Barcelona imp. y lib. de la Immaculada Concepcion, Calle del Buensuceso, num. 13. 1886. In-16 — Pag. 425.

MARIUS AUBERT. — Tratado da divindade da confissâo, por Mario Aubert, na lingua hespanhola com approvaçâo do Ordinario, traduzido e editado por Frei Jesualdo Machetti M. O. prefeito das Missoes. Volume 1. Manaos, Tipographia religiosa. 1886. pag. 103.

V.

NECROLOGIA.

Die 6 Decembris anni 1886 omnibus morientium sacramentis munitus pie in DOMINO obiit P. PAULUS A MONTICELLI, S. theologiae lector jubilatus et studiorum praefectus.

Erat is domo Genuensis, natus anno 1809, ab anno vero 1828 Regularis Observantiae franciscanus provinciae Genuensis, qui absolutis, quae supererant, studiis, sacerdos consecratus fuit anno 1831. Posthaec superiorum voluntate, quam ceu praecipuam in plerisque agendis suspiciebat legem, neque enim probum religiosum, ut erat, aliter decuit, scientiis philosophicis religiosae juventuti interpretandis adeo sedulo incubuit, ut dignus censeretur, cui post tres annos cathedra sacrae theologiae lectoris concrederetur. Anno 1848 lectoris sacrae theologiae honores, qui vulgo jubilationis nomine veniunt, rite emeruit; non tamen vir piissimus et instituti sui amantissimus iisdem a labore in bonum confratrum retrahi, sed potius ad majora audenda magis accendi videbatur, quod certe integerrimi religiosi haud leve est indicium.

Temporum decursu, quum res italicae alia ratione ac erant, constitui inciperent, is patria exul apud Fratres nostros in Gallia an-

nos decem et sex agebat, continuo apostolicis laboribus occupatus tanto cum animarum zelo, ut non modo a Fratribus sed et ab ipso Parisiorum Antistite, Cardinali Guibert, praeclarum virtutum suarum retulerit testimonium.

Tandem ex Gallia per Belgium in Italiam reversus spirituales suos labores magna, ut solebat, virtute prosequutus est tam evangelicam doctrinam fidelibus egregie praedicando, quam poenitentes in sacro tribunali expiando.

Vix autem enarrari potest quantae utilitati fuerit suae provinciae Fratribus, quorum bonum spirituale promovere usque in deliciis habuit; nam superiores prudenti consilio, alios vero verbo sanae dotrinae, rerum gerendarum probato usu et exemplo intemeratae vitae in difficillimis rerum nostrarum adjunctis juvabat, erigebat, consolabatur.

Praeprimis tamen laudanda est paterna ejus sollicitudo circa juventutem rite et religiose educandam, in qua dulcem spem de renovando seraphicae pietatis vigore, jure merito reponebat; quamobrem grave hoc onus et nobile educatoris munus majori ex parte in se suscipere nunquam recusabat; hinc est quod usque ad finem vitae suae jam hanc iam illam scientiam juvenes clericos ex animo docebat, in formanda eorum conscientia dirigebat, et generatim studiorum praefectum diligentissime agebat.

Praeter scientias philosophicas et theologicas, in quibus apprime eruditus fuit, in primis Physicam et Astronomiam coluit. Linguarum graecae, hebraicae, chaldaicae et arabicae, erat peritissimus; item callebat et linguas gallicam, anglicam atque germanicam. In historiis sacris et profanis haud leviter fuit versatus, musices quoque peritus.

Omnibus tamen his dotibus praecipuum ornamentum addebat immota in DEUM fides, firma spes et ardens caritas, quarum vigore sublevatus bona non modo tentare sed et perficere, adversa autem quaeque insigni patientiae constantia perferre valebat.

Praestantissimo huic viro catarrhus senilis vitam ademit, et eum cum patribus nostris in aeternitate conjunxit die 6 Decembris anni 1886, cujus exanime corpus postquam 24 horas in ecclesia expositum a magna populi concurrentis multitudine pie et devote visitatum fuisset, magno omnium luctu, utroque clero comitante, solemniter, tumulo in capella privati benefactoris illatum est.

Foinicae in Bosna piissime obiit R. P. BLASIUS M. KULIJER, actualis definitor provinciae. Natus ibidem 6 Sept. 1846, statim ac per aetatem licuit Ordinem Franciscalium ingressus fuit, in eoque jam tum solitudinis, mansuetudinis, pietatis ac observantiae regularis studium quisque suspiciebat. Sacerdotio initiatus et animarum curae admotus cum religiosi hominis virtutibus apostolicum conjunxit zelum, magnamque sibi conciliavit existimationem, ita, ut seniores quoque in admirationem raperentur. Magister juvenum, deinde Novitiorum institutus juventutem ad omnem humanitatem, sanctorum scientiam et sanctae regulae observantiam verbo atque exemplo incendebat. Hoc officio ob phtysim contractam dimisso, numquam a lectione et scriptione rerum sacrarum cessavit. Romam bis profectus, ubi etiam semialtero anno magistri clericorum ad S. Bartholomaeum munus sustinuit, et in definitorem anno 1885 electus, morbo recrudescente, in patriam rediit, quo diu patienterque tolerato, Sacramentis saepissime expiatus, crucem devote exosculans et sanctissima nomina ingeminans piam pie finivit vitam. Huic Patri in acceptis referendum est, quod Tertiariorum institutum radices in Bosna egerit, quodque spiritus seraphicus et pietas in religiosa juventute magna incrementa coeperit. Memoria ejus erit in benedictione, nos vero ejus animae divinam adprecamur visionem.

Die 31 mensis Januarii anni labentis pie in DOMINO obdormivit Illmus ac Rmus ALOYSIUS DE AGATIO, episcopus Triventinus, ex ordine S. Francisci provinciae ss. Septem Martyrum reformatae, cujus gesta quamprimum sumus enarraturi.

R. I. P.

Nihil obstat

FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

EX S. RIT. CONGREGATIONE

I.

Formula benedicendi quinque Scapularia, ss. Trinitatis, Passionis Domini Nostri Jesu Christi, Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, Immaculatae Conceptionis, et Septem Dolorum.

(Approbata per Decret. S. R. C. diei 29 Julii 1886).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Domine, exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine JESU CHRISTE, omnium caput Fidelium, et humani generis Salvator, qui tegimen nostrae mortalitatis induere dignatus es; obsecramus immensam largitatis Tuae abundantiam, ut indumenta haec in obsequium Sanctissimae Trinitatis instituta, nec non in honorem et memoriam dolorosissimae Passionis Tuae, in honorem Beatissimae Virginis Matris Tuae sine labe conceptae, doloresque Tuos ac vices peramenter dolentis, et Carmeli Ordinem suo patrocinio decorantis, ita bene ✠ dicere et sancti ✠ ficare digneris, ut qui (*vel* quae) ea assumpserint, eadem Genitrice Tua intercedente, Te quoque Salutare nostrum corpore et anima induere mereantur: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

(Sacerdos aspergat Aqua benedicta).

MODUS INDUENDI.

Sacerdos omnibus scapularia singillatim imponat, ac deinde formulam proferat supra omnes simul.

1. Accipite habitum Ordinis Sanctissimae TRINITATIS in fidei, spei et charitatis augmentum, ut induatis novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate.

2. Accipite Scapulare Passionis Domini Nostri JESU CHRISTI, ut veterem hominem exuti novumque induti, ipsum digne perferatis, et ad vitam perveniatis sempiternam.

3. Accipite habitum Ordinis Beatae MARIAE Virginis de Monte Carmelo, ut ejus patrocinio ab omni errore et adversitate liberati, DOMINO fideliter serviatis.

4. Accipite Scapulare devotorum Beatae MARIAE Virginis sine labe conceptae, ut ejus intercessione ab omni inquinamento mundati, ad vitam perveniatis aeternam.

5. Accipite habitum Servorum Beatae MARIAE Virginis septem Dolores ejus devote recolentium, ut dolores ipsos assidue recogitantes, passionem Domini Nostri JESU CHRISTI in corde et corpore vestro impressam jugiter teneatis.

Ego ex facultate apostolica mihi delegata, recipio vos in participationem bonorum spiritualium et Indulgentiarum, quibus praedicti Ordines, seu Congregationes, pollent. In nomine Pa ✠ tris et Fi ✠ lii et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

℣. Salvos fac servos tuos,
℟. Deus meus, sperantes in Te.
℣. Mitte eis auxilium de Sancto,
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Esto eis, Domine, turris fortitudinis
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eis,
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.
℣. Domine, exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et quibus in Tuo nomine sacros habitus imposuimus, ita bene ✠ dicere digneris, ut Tuae gratiae cooperantes, vitam consequi mereantur aeternam. Per Christum Dominum Nostrum.
℟. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris et Fi ✠ lii et Spiritus ✠ Sancti descendat super vos, et maneat semper.
℟. Amen.

Formula recitetur numero singulari, si uni tantum personae sint scapularia imponenda.

—

II.

Officia Passionis D. N. J. C. in concurrentia et occurrentia cum aliis officiis.

Namurcen. — II Augusti 1886. Rmus Dnus hodiernus Episcopus Namurcen. a S. Rituum Congregatione sequentium Dubiorum declarationem humiliter postulavit, nimirum:

Die I Septembris 1866 hoc editum fuit Decretum, scilicet; — Urbis — Quum haud raro eveniat, ut festum aliquod Instrumentorum Dominicae Passionis concurrat cum festo Cathedrae Sancti Petri Antiochiae, Kalendariorum editores in diversas abiere sententias circa praecedentiam alterutri festo dandam. Ut autem haec varietas de medio tollatur, Praefectus Caeremoniarum Patriarchalis Basilicae Liberianae opportunum duxit a Sacra Rituum Congregat. insequentis Dubii solutionem exquirere, nimirum: Concurrente in eadem die Festo Cathedrae Sancti Petri Antiochiae cum festo Lanceae et Clavorum Domini nostri Jesu Christi aut alterius cujuscumque Instrumenti Passionis, quale erit praeferendum? Et sacra eadem Congregatio audita relatione a subscripto Secretario facta, re mature accurateque perpensa auditaque etiam sententia scripto pandita alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribere rata est: In concurrentia, Festum Lanceae et Clavorum Passionis Domini Nostri Jesu Christi praecedere debet festum Cathedrae Antiochenae S. Petri, illi scilicet festo integras Vesperas tribuendo:

Decretum autem impressum fuit de mandato ipsius Congregationis die supradicta. Nunc vero exquiritur:

I. Utrum haec resolutio vim obtineat tantum pro dicto Cathedrae Sancti Petri Festo vel applicari etiam debeat omni festo principali ejusdem ritus ex. gr. S. Benedicti Abbatis, B. Caroli Rossi etc. etc.?

II. Utrum in occursu festi Cathedrae Sancti Petri aut festi ejusdem ritus cum dictis Officiis Passionis Domini Nostri Jesu Christi haec locum primis cedere debeant?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, hisce Dubiis sic rescribere rata est:

Officia Dominicae Passionis tam in concurrentia quam in occurrentia cum quovis festo principali sive primario ejusdem ritus, praecedentiam obtinere. Atque ita declaravit ac servari mandavit die II Augusti 1886.

D. Card. Bartolinius, Praefectus.
Laurentius Salvati, Secretarius.

—

III.

Indulta ecclesiis Monialium S. Clarae in Gallia, quoad Missae celebrationem.

Hodierna Abbatissa Sanctimonialium Sanctae Clarae in Monasterio Lugdunensi degentium, a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII insequentia privilegia nonnullis Sanctimonialium Monasteriis et Ecclesiis in Gallia jam indulta, humillimis precibus expetivit, nimirum:

1.° Ut Confessarii et Cappellani servitio sui monasterii et adnexae Ecclesiae addicti in Sacrosancto Missae Sacrificio celebrando, Ca-

lendario ac Proprio Missarum in usum Sanctimonialium Oratricum sese conformare debeant;

2.° Ut ceteri Sacerdotes in praefata Ecclesia Sacrum facturi, memoratis Calendario et Proprio, si velint, sese conformare valeant.

Sanctitas porro sua, has preces ab infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario relatas, peramanter excipiens, petita privilegia benigne indulgere dignata est: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 18 Novembris 1886.

L. ✠ S.

D. Card. BARTOLINIUS S. R. C. Praefectus.
L. Salvati, S. R. C. Secretarius.

—

RESCRIPTUM EX S. C. EPISCOP. ET REGUL.

Communicatio privilegiorum Monialibus S. Clarae in Gallia.

Beatissime Pater,

Soror Maria-Angela, hodierna Monialium S. Clarae Monasterii Lugdunensis Abbatissa, ad pedes S. V. humillime provoluta, gratiam aliis Monialium Monasteriis Galliarum jam benigne concessam speciatim Monialibus Carmelitis, prout in adnexo transumpto legitur, enixe implorat, nempe:

Quod Monasteria S. Clarae in Galliis existentia, etsi ibi Sorores vota solemnia non emittant, salvaque in omnibus Ordinariorum jurisdictione, iis privilegiis et spiritualibus gratiis, quibus gaudent ac perfruuntur Moniales ejusdem Ordinis vota solemnia emittentes saltem per communicationem gaudere ac frui possint ac valeant.

Qua de gratia . . . .

DECRETUM

Vigore specialium facultatum a SSmo Dno Nostro concessarum, Sacra Congregatio Emorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis peculiaribus circumstantiis in casu concurrentibus, benigne dignata est demandare ut omnibus et singulis Monasteriis Sororum Clarissarum, quae in Galliis reperiuntur, tribuatur, prout praesentis Indulti tenore tribuitur, communicatio omnium privilegiorum et spiritualium gratiarum, quibus gaudent Sanctimoniales Clarissae votorum solemnium (1), ita tamen ut ab illis etiam in posterum vota simplicia emittantur, nullamque habeant exemptionem ab Ordinariorum jurisdictione. Romae, ex Secretaria S. Congreg, hac die 23 Nov. 1886.

L. ✠ S.

I. Card. MASOTTI Propraefectus.
Fr. ALOYSIUS, Epus Callinicen. Secretarius.

—

EX SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA.

Responsa quoad quasdam clausulas in dispensationibus matrimonialibus usitatas.

Beatissime Pater,

Episcopus L. exponit, quod inter novas clausulas, quibus Dataria Apostolica in expediendis dispensationibus matrimonialibus utitur, invenitur quaedam tenoris sequentis: « Discretioni tuae committimus et mandamus, ut de praemissis te diligenter informes, et si vera sint exposita, exponentes ab incestus reatu, sententiis, et censuris et poenis ecclesiasticis, et temporalibus in utroque foro, imposita eis propter incestum huiusmodi poenitentia salutari, Auctoritate Nostra hac vice tantum per te sive per alium absolvas. Demum si tibi expediens videbitur quod dispensatio huiusmodi sit eis concedenda, cum eisdem exponentibus, remoto, quatenus adsit, scandalo, praesertim per separationem tempore tibi beneviso, si fieri poterit, Auctoritate Nostra ex gratia speciali dispenses, prolem susceptam, si quae sit, et suscipiendam exinde legitimam decernendo. » Hinc quaeritur:

I. Utrum executor ad validitatem execu-

(1) Jam S. Poenitentiaria die 3 Februarii 1841 ad Episcopum Cenomanensem respondendum censuerat: « Moniales quae ante Gallicanam perturbationem solemnem professionem emiserunt, veras religiosas esse, easque sicut et ceteras Sorores Monasteriorum Galliae lucrari posse indulgentias omnes, quae Religioni seu Instituto aliarum monialium solemnia vota emittentium, secundum Institutum seu Regulam respectivam, concessae fuerunt, idque ex Indulto S. P. Pii VII et a S. S. D. D. Gregorio XVI iterum confirmato ».

tionis quatuor teneatur ponere actus seu decreta distincta, id est actum primum, quo Parochum vel alium deleget ad verificationem causarum; actum secundum, quo executor sive per se, sive per alium, sponsis impertiatur absolutionem et poenitentiam imponat; actum tertium, quo sponsis scandalum reparandum iniungatur; actum quartum, quo dispensatio, et prolis legitimatio concedatur.

Et quatenus negative;

II. Utrum sufficiat ponere duos actus seu decreta, scilicet primum actum seu decretum, quo parochus seu alius delegentur ad verificationem causarum; secundum actum seu decretum, quo sponsis sive per executorem, sive per alium impertiatur absolutio, et imponatur poenitentia, scandalum reparandum injungatur, dispensatio concedatur, et prolis legitimatio; et quidem ita, ut dispensatio et legitimatio concessa intelligatur sub conditione, quod sponsi prius absolutionem obtinuerint, et reparaverint scandalum;

III. Utrum ad validitatem executionis requiratur nova, et canonica verificatio causarum, vi Litterarum Apostolicarum instituenda, casu, quo Ordinarius de causis dispensationis exactam, et per juratos testes habitam informationem coeperit antequam preces, pro obtinenda dispensatione Sanctae Sedi porrexisset;

IV. Utrum verba *in utroque foro absolvas* ita intelligenda sint, ut requiratur duplex absolutio separatim impertienda, una scilicet in foro externo, alia in foro interno: — an ista verba ita intelligenda sint, ut requiratur una tantum absolutio in foro externo impertienda quae valeat etiam pro interno;

V. Utrum casu, quo separatio sponsorum fieri possit, ad effectum reparandi scandalum, ad validitatem executionis sufficiat, ut executor aliis mediis efficacibus scandalum reparandum curet.

Sacra Poenitentiaria propositis dubiis mature perpensis, respondit.

Ad I. *Providebitur in secundo.*

Ad II. *Sufficere, ita tamen ut dispensatio, et legitimatio prolis ab ipso tantum executore effici possit.*

Ad III. *Negative.*

Ad IV. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad V. *Expedire, ut scandalum removeatur per separationem sed non prohiberi, quominus alii modi adhibeantur, qui prudenti judicio Ordinarii sufficiant ad illud removendum.*

Datum Romae in Sacra Poenitentiaria die 27 Aprilis 1886.

✠ F. Simoneschi Ep. P. Regens
A. Rubini S. P. Secr. E.

L. ✠ S.

—

DECRETUM S. C. INDICIS

Feria V die 10 Martii 1887.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, mandavit et mandat in Indicem librorum prohibitorum referri quod sequitur Opusculum a Sacra Romanae Universalis Inquisitionis Congregatione damnatum atque proscriptum Decr. fer. IV 9 Martii 1887.

Le Pape et l' Allemagne. — Rome, Typographie r. Arcione, III, — 1 Mars. 1887.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedictum Opusculum damnatum atque proscriptum, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut editum legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis aut haereticae pravitatis Inquisitoribus illud tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 10 Martii 1887.

Fr. Thomas Maria Card. Martinelli
Episc. Sabinen. Praefectus.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri Ord.
Praed., S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✝ Sigilli.

Die 10 Martii 1887; ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia Mag. Curs.

II.
ACTA ORDINIS

AD FRATRES NOSTROS
Incitamenta Seraphica.

DE DISCIPLINA REGULARI RESTITUENDA
CAPUT ·II.
De Oratione
§ 5. *De oratione mentali.*

69. Medium praecipuum ad regularem disciplinam in Conventibus instaurandam et conservandam est orationis mentalis sive meditationis pium exercitium. Exhortationibus, ordinationibus, mandatis et poenis externa quaedam observantia et disciplina introduci quidem potest; haec autem disciplina parum dumtaxat proderit et diu perdurare non poterit, si ex amore virtutis, ex affectu erga vitam religiosam et ex interna Religiosorum persuasione non proveniat. Hujusmodi vero interna persuasio et vere religiosus spiritus obtinetur per meditationem saepe et bene institutam, qua Religiosus non per externam coactionem, sed per internam convictionem impellitur ad amplectendam et jugiter exercendam vitam vere religiosam.

70. Haec probe noscentes omnes illi, qui vitam piam et religiosam agere sincere desiderant, magno studio ferventique conamine orationi mentali sive meditationi vacare solent et debent. Sancti omnes cunctique veri nominis Religiosi hoc salutare exercitium semper in deliciis habuerunt, et ex eo innumerabiles pietatis et sanctitatis fructus reportarunt. Modo eximio et vere mirabili S. P. N. Franciscus assiduus erat in hoc sancto exercitio, ita ut etiam integram noctem saepe consumpserit in meditatione. Hujus sancti Patris nostri exemplum secuti sunt omnes, quotquot habuimus in Ordine nostro sanctos et perfectos viros; omnes excellentes et frequentes in meditatione, eadem mediante, incredibiles fructus retulerunt, et ad magnum virtutum et perfectionis apicem pervenerunt.

71. Frequens meditationis exercitium a Superioribus nostris omnibus Ordinis Religiosis summopere semper fuit commendatum et inculcatum, et in Statutis omnibus praescriptum. In Constitutionibus Generalibus hac de re legitur (1):

« Divinis officiis mentalis oratio jungi de-
« bet, qua nimirum ad divinos hauriendos ful-
« gores, et ad virtutum incitamenta nihil op-
« portunius, nihil ad retinendam regularis vi-
« tae disciplinam, et ad conservandum vel
« etiam instaurandum Religionis institutum
« magis necessarium credimus. Nec sane reli-
« gioso nomine vere dignus est, qui sanctae
« orationis studio non fervet.

« Fratres itaque omnes congruis tempori-
« bus et locis, juxta laudabilem et probatam
« cujusque Provinciae consuetudinem, simul
« convenientes diebus singulis, saltem per ho-
« ram orationi incumbant, praemissa moderata
« lectione libri, qui vernacula lingua mysteria
« fidei contineat et explicet, in praeparationem
« et argumentum secuturae contemplationis.
« Speciali huic obligationi satisfieri non possit
« per processiones intra ecclesiam vel claustra,
« sive per recitationem stationis SS. Sacra-
« menti, vel quid aliud simile.

« Qui interesse neglexerit, graviter a Su-
« periore reprehendatur. Quod si in pertinacia
« persistiterit, denuntietur Ministro Provinciali,
« qui eumdem pro arbitrio suo puniat, decla-
« rando etiam, si bene id sibi visum fuerit,
« incapacem ad officia Ordinis, necnon, si sa-
« cerdos sit, ad Sacramenta administranda et
« ad praedicationem verbi Dei.

« Superiores locorum de hoc sancto exer-
« citio sint maxime solliciti: Fratres suos in-
« citent verbo et exemplo, negligentes statutis
« poenis coërceant: quodsi et ipsi super his
« culpabiles fuerint, privatione officii, vel gra-
« vius puniantur pro negligentiae modo, Pro-
« vincialium arbitratu.

« Provinciales ipsi saluberrima haec de
« oratione decreta totis in Christo viribus ac
« studiis servari curent. Si fecerint, nihil se
« aut Deo gratius, aut Religioni fructuosius fe-
« cisse sciant ».

72. Patres ergo Capituli Generalis, qui haec Statuta condiderunt, persuasi erant, quod meditatio necessaria sit Religiosis, tum ad virtutes obtinendas, tum ad disciplinam regularem in Conventibus conservandam, vel ad eam,

(1) Constit. Gen. Cap. III. § VI. n. 209. 210. 211. 212. 213.

si collapsa sit, restaurandam; illos vero, qui hoc salutare exercitium negligunt, nomine religioso indignos judicant. Propterea volunt et ordinant, ut in quolibet Conventu quotidie saltem per horam meditatio in communi fiat, ut omnes Fratres eidem intersint, et in hoc negligentes serio puniantur, et ut Superiores ipsi bono exemplo ceteros Religiosos praecedant, ac ob alia pietatis officia super hoc meditationis exercitium non dispensent.

73. Hinc male sibi consulunt ac semetipsos et Conventum magno fructu privant, qui ex fictis et quaesitis causis meditationem, ubi possunt, fugiunt, declinant, abbreviant, vel qui externis, etsi bonis et ad utilitatem proximi ordinatis actibus et negotiis ita totos sese impendunt, ut tempus meditandi sibi non relinquant.

74. Spiritus Sanctus dicit (1): « Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde ». Sicut innumera mala, quae quotidie videmus in mundo, praecipue ex neglectu meditationis proveniunt: ita etiam deordinationes omnes et relaxationes, quas apud Religiosos deploramus, fere semper ex culpabili negligentia circa meditationis exercitium oriuntur. Licet sacro habitu induti in monasterio tamquam Deo consecrati vivamus, tamen semper contra varias passiones et malos affectus pugnare debemus. In hac pugna continua tunc solummodo felicem victoriam reportabimus, si per frequentem meditationem veritatum fidei animum nostrum erigamus ad Deum, et ab eo gratiam perseverandi imploremus. Qui vero meditationem vel omittunt vel negligenter peragunt, votorum suorum obligationes et Regulae suae praecepta pedetentim obliviscentes vel parvipendentes, in deplorabilem relaxationis et tepiditatis statum incidere, et non raro horrenda sacrilegia committere et scandalosam vitam agere solent.

75. S. Bernardus de fructibus meditationis agens ait (2): « Mentem, de qua oritur, purificat consideratio. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat. Haec est, quae agenda praeordinat, acta recogitat, ut nil in mente resideat aut incorrectum, aut correctione egens ». — Et S. Isidorus scribit (1): « Omnis profectus ex lectione et meditatione procedit; quae enim nescimus, lectione discimus, quae autem didicimus, meditationibus conservamus ».

76. Quilibet ergo Religiosus vota sua et Regulam suam observare volens, et, secundum status sui obligationem, religiosam perfectionem assequi cupiens magno studio et fervore meditationi vacare debet. Illi vero Religiosi, qui meditationis exercitium vilipendunt et negligunt, propriae animae grave damnum inferunt, et insuper propriam famam non leviter maculant. Conventus, in quo meditatio non aestimatur et debite non frequentatur, imperfectis, tepidis, relaxatis Religiosis semper abundat, a quibus nec pro gloria Dei, nec pro aliorum salute insignis aliquis fructus sperari potest.

77. Superiores ergo omnes serio attendant, ut in eorum Conventibus meditatio semper debito tempore et modo peragatur, prout pro respectiva Provincia praescriptum est. Peculiarem vero diligentiam et curam in hoc adhibere debent illi Superiores, quibus obligatio incumbit, relaxatam in suis Conventibus disciplinam restituendi. Hoc opus enim perdifficile sine meditationis adjumento ad optatum finem perducere nequeunt.

78. Patres Magistros enixe rogamus, ut juniores Fratres curae suae concreditos diligenter edoceant de necessitate et utilitate meditationis, deque modo eam fructuose peragendi. Clemens VIII Magistris Novitiorum expresse praescribit, quatenus diligentem curam habeant, ut Novitii « agnoscant modum in oratione, tum vocali, tum mentali fructuose persistendi. » (2) Novitii tempore probationis studio litterarum non intendere, sed potius totos se tradere debent orationi et meditationi, postulantes a Deo necessaria ad vitae reformationem, vitiorum extinctionem ac omnium virtutum adeptionem. Valde sterile tyrocinium utique ille Novitius perageret, si peccati foeditatem, saeculi vanitatem, mortis horrorem, judicii severitatem, gehennae supplicia, beati-

(1) Ierem. XII, 11.
(2) Lib. I. de consideratione, cap. 7.

(1) Lib. 3. de summo Bono, cap. 8.
(2) Valde utilem tractatum de necessitate, et utilitate meditationis deque variis meditandi methodis invenies in opere « Introductio ad vitam seraphicam, auctore P. Gaudentio Guggenbichler », part. I. tract. VI.

tudinis praemia, Dei beneficia, Christi passionem, actiones et verba non frequenter et serio meditaretur ac recogitaret corde; nam sine hoc numquam bonus Religiosus evaderet.

79. Attendant etiam Superiores, ut recollectio annua in eorum Conventibus semper in communi, in quantum fieri poterit, ab omnibus religiose servetur; ut tempore talis spiritualis recessus per sacerdotem ad hoc idoneum Religiosis debitae instructiones pluries in die fiant et, durante hoc tempore, silentium stricte observetur. Magnum emolumentum haec exercitia spiritualia bene instituta et singulis Religiosis et toti Communitati afferre solent. Siquidem Religiosus his exercitiis debito modo vacans majorem et certiorem cognitionem status animae suae acquirit, excitatur ad majorem dolorem, confusionem et satisfaciendi pro peracta vita studium, majori inflammatur amore erga Deum, et incitatur ad bona proposita melius vitam ordinandi ac totus pro Deo et sua vocatione vivendi.

80. Meditationis exercitio non solum a Deo magnae et multae gratiae supernaturales obtinentur, sed etiam sancta Mater Ecclesia ad incitandos Fideles hoc pium ac salutare exercitium peculiaribus Indulgentiis ditare voluit, prout patet ex Constitutione Benedicti XIV diei 10 Decembris 1746, quam integram hic inserendam duximus: (1)

« Ven. Fratribus Patriarchis, Primatibus, « Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, et « Praesulibus, locorum Ordinariis universis « gratiam et communionem Sedis Apostolicae « habentibus

« Benedictus Papa XIV.

« Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quemadmodum nihil est hominibus a « familiari Dei consortio et consuetudine avulsis « et ejectis ad divinos hauriendos fulgores, ad « aeternam salutem procurandam et ad Deum « quasi manu facta coeundum magis opportu- « num, salutare, ac necessarium oratione, quae « est veluti ascensio animae de terrestribus ad « coelestia, inquisitio supernorum, invisibilium « desiderium, conjunctio Spiritui Sancto et « ad Deum locutio; ita, ne desolatione deso- « letur universa terra ex eo quod nullus reco- « gitet corde, omnes et singuli ubique et semper « salutaribus praeceptis monendi sunt, quod « oporteat semper orare et numquam deficere; « ut in omni oratione et obsecratione, cum « gratiarum actione, petitionibus nostris inno- « tescentibus apud Deum, ipse, qui dives est « in omnes Eum invocantes, nec nostras abs « se deprecationes, nec suas a nobis amoveat « miserationes. Eapropter Praedecessores No- « stri Romani Pontifices divina institutione for- « mati, ut Christifideles ad orationis, sive vo- « calis, sive mentalis, ut dicitur, illa sit, studium « cum alacritate ineundum, et sine intermis- « sione frequentandum incitarent, eosdem cum « cohortationibus inflammare, tum coelestium « etiam munerum thesauris, quorum dispensa- « tionem ipsis crediderat Altissimus, allicere « studuerunt. Indulgentias enim, peccatorum « remissiones et de injunctis eis quomodolibet « debitis poenitentiis relaxationes elargiti sunt « iis, qui sive vocales preces recitarent, sive « per aliquod temporis spatium quotidie in « lege Domini meditarentur. Nos autem lauda- « tissimis eorumdem Praedecessorum Nostro- « rum exemplis incensi, non solum omnes et « singulas Indulgentias, peccatorum remissiones « et poenitentiarum relaxationes per eosdem « Nostros Praedecessores pro recitantibus quas- « cumque vocales preces (dummodo numquam « revocatae fuerint), aut quomodolibet oranti- « bus quocumque modo, sive ad tempus, sive « in perpetuum ad hanc usque diem concessas « Apostolica auctoritate, tenore praesentium, « sub iisdem prorsus modo ac forma confir- « mamus, et quatenus opus sit, de novo con- « cedimus: verum etiam alias insuper iis prae- « sertim, qui mentalis orationis seu meditationis « studio operam dederint, ut infra, impertimur. « Primum itaque omnibus et singulis, sive qui « tam in ecclesiis, quam alibi et ubicumque « locorum publice et privatе quoscumque homi- « nes orandi seu meditandi rudes quomodo- « cumque orare et meditari docuerint, sive qui « pie orandi et meditandi institutioni hujus- « modi, ut praemittitur, interfuerint, dummodo « vere poenitentes, ac sacra Communione re- « fecti, qua vice id egerint, septem annos et « totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias « quomodolibet debitis poenitentiis in forma « Ecclesiae consueta relaxamus. Iis vero, tam « docentibus quam addiscentibus, qui assidue

(1) Bullar. tom. II.

« praemissa peregerint, ac similiter vere poe- « nitentes ac sacra Communione refecti, pro « christianorum principum concordia, haeresum « exstirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae « exaltatione pias ad DEUM preces effuderint, « semel in mense pro uniuscujusque commodo « et arbitrio plenariam omnium peccatorum « suorum Indulgentiam et remissionem, quam « per modum suffragii animabus Christifide- « lium, quae DEO in charitate conjunctae ab « hac luce migraverint, applicare possint mi- « sericorditer in DOMINO concedimus. Insuper « iis, qui per duos quadrantes continuatos, vel « saltem per quadrantem horae singulis diebus « et per totum mensem orationi mentali dabunt « operam, et vere poenitentes et confessi, san- « ctissimum Eucharistiae Sacramentum sum- « pserint, ac pro christianorum principum con- « cordia, haeresum exstirpatione et sanctae « matris Ecclesiae exaltatione pias ad DEUM « preces pariter effuderint, plenariam semel « quolibet mense omnium peccatorum suorum « Indulgentiam et remissionem, quam itidem « per modum suffragii animabus Christifide- « lium, quae DEO in charitate conjunctae ab « hac luce migraverint, applicare possint, au- « ctoritate et tenore similibus misericorditer « in DOMINO elargimur. Etsi autem, juxta di- « vinum Domini nostri JESU CHRISTI praece- « ptum, oporteat ut quisquis oraturus, ne ad « instar hypocritarum videatur ab hominibus, « intret cubiculum suum et clauso ostio oret « coelestem Patrem in abscondito: tamen cum « ipse DOMINUS dixerit, quod « ubi sunt duo « vel tres congregati in nomine meo, ibi sum « in medio eorum »; et sanctus Joannes Chry- « sostomus praedicet esse in oratione cum fra- « tribus plus aliquid, videlicet concordiam, con- « spirationem, amoris conjunctionem et amoris « clamorem felici societate, ex qua orationes « infirmiores se simul complexas, validiores « in coelum evehi; optimum esset, ubi com- « mode fieri posset, ut quemadmodum in « nonnullis institutum esse accepimus, ita in « omnibus et singulis Dioecesibus in more « poneretur: nimirum, ut singulis diebus, dato « certo campanarum signo, sive in ecclesiis, « dummodo totius populi multitudo unum in « locum, ubi oret, masculis a feminis seorsim « collocatis, convenire facile possit et nulla « suboriatur confusio et inordinatio; sive in « propria domo patresfamilias, eo, aut alio op- « portuniori tempore ante imaginem sacram « cum tota familia convenientes orent. Eapro- « pter vos, venerabiles Fratres, rogamus et in « DOMINO hortamur, ut omnibus et singulis « ecclesiarum piorumque locorum, in civitati- « bus quidem cathedralis aliarumque praecipua- « rum ecclesiarum; in oppidis vero, parochia- « lium ecclesiarum Superioribus ac Rectoribus « injungatis, ut praemisso campanae sonitu iis « diebus, iisque horis, quibus vobis opportu- « nius in DOMINO visum fuerit, dando, decer- « nendoque omnes Christifideles uniuscujusque « curae commissos, quos in unum convenire « contigerit, in mentalis orationis studio eru- « dire, vel per alios peritos erudiri faciant, « atque ad illam frequentandam accedere, neces- « sitatem utilitatemque proponere, Indulgentia- « rum thesauros, quas de benignitate Apostolica « elargimur, explicare, et ad ipsos ea, qua de- « cet, pietate ac reverentia lucrandos inflam- « mare studeant et enitantur; atque etiam, si « commode, ut praemittitur, fieri poterit, ora- « tioni mentali in communi practica, ut dici- « tur, vacare, in eaque exerceri faciant et cu- « rent. Praesentibus perpetuis futuris temporibus « valituris. Volumus autem, ut earum prae- « sentium litterarum transumptis, seu exem- « plis manu alicujus Notarii publici subscriptis « et sigillo personae in dignitate ecclesiastica « constitutae munitis, eadem prorsus fides adhi- « beatur, quae exhiberetur eisdem praesentibus, « si forent exhibitae vel ostensae. Interim Apo- « stolicam benedictionem vobis, Venerabiles « Fratres, peramanter impertimur.

« Datum Romae apud sanctam Mariam « Majorem, sub annulo Piscatoris, die 10 De- « cembris MDCCXLVI, Pontificatus Nostri « anno sexto. « CAJETANUS AMATUS ».

(Continuabitur).

STATUS

ORDINIS IN REP. MEXICANA

(Continuatio).

Provincia Discalceatorum S. Didaci.

Erecta anno 1599 auctoritate Clementis VIII haec Provincia, suppressionis tempore, quatuordecim habebat Conventus, scilicet:

1. MEXICI. Die 27 Julii 1591 fundatus fuit Conventus S. Didaci in Mexico. Promulgatis contra Regulares anno 1859 legibus de *exclaustratione* nuncupatis, major pars aedificii vendita fuit, ac sola remansit ecclesia, cui inserviunt ejusdem Provinciae Patres.

2. PUEBLA. *(Santa Barbara).* Initium habuit hic Conventus anno 1585, et ibidem probationis annum degit S. Philippus a Jesu, Martyr in Japonia, cujus cella venerationis causa oratorium facta est.

3. OAXACA. *(San Francisco).* Incepit Conventus anno 1592; Gubernio coenobium occupante, sola extat ecclesia, cui P. Guardianus, Bernardus Bochlar, inservit.

4. GUANAJUATO. *(San Pedro de Alcantara).* Hujus Conventus fundati anno 1664 sola pariter remanet ecclesia, P. Emmanuelis Estrada curae concredita.

5. CHURUBUSCO. *(S. Maria de los Angelos).* Fundatus anno 1666 Conventus a Gubernio in militare nosocomium mutatus est; ast ecclesiae inservit P. Antonius Romero.

6. TAXCO. *(San Bernardino).* Anno 1592 initium habuit coenobium, quod a Gubernio occupatur; et nequidem superstiti ecclesiae inservire possunt Religiosi.

7. SULTEPEC. *(San Antonio).* Fundata anno 1599 Conventus et ecclesia a Gubernio concessa sunt loci Parocho.

8. QUERETARO. *(San Antonio).* Fundatus anno 1613; remanet ecclesia cum quibusdam cellis, et eidem inservit P. Emmanuel Vasquez.

9. SAN MARTIN TEXMELUCAN. *(Santa Maria Magdalena).* Incepit anno 1615; nunc a Gubernio tenetur, sed superest ecclesia, cui P. Joseph Olvera a triginta jam annis inservit.

10. AGUASCALIENTES. *(Purisima Concepcion).* 1667. — Coenobium, Gubernio ita disponente, schola agriculturae factum est; sed ecclesia in optimo statu servatur cura P. Antonii Boneta.

11. CUAUTLA, hodie MORELOS. *(San José).* 1640. Conventus et ecclesia a Gubernio occupantur.

12. TACUBAYA. *(San José).* Occupato a Gubernio Conventu, ecclesia a Ministro Provinciali Patribus Passionistis concredita fuit.

13. CORDOVA. *(San Antonio).* Destructis ecclesia et Conventu, solum remansit Tertii Ordinis Oratorium Parocho loci commissum.

14. MORELIA. *(Nuestra Señora de Guadalupe).* Coenobio in nosocomium mutato, remanet ecclesia, cui inservit P. Ludovicus Ruiz.

Hujus Provinciae alumni 34 supersunt, scilicet 27 sacerdotes cum 7 Clericis et 3 Laicis.

Provincia S. Francisci de Zacatecas.

Haec Provincia originem duxit e Provincia S. Evangelii anno 1604, auctoritate Clementis VIII. Quinque tantum in ea numerantur Conventus:

1. S. LUIS POTOSI, anno 1590 erectus. Remanet ecclesia, sed a Conventu separata per viam, quae post suppressionem aperta est. Cum zelo eidem inservit P. Bonaventura Domingues, qui et Tertii Ordinis Commissarius est.

2. ZACATECAS. *(Purisima Concepcion).* Olim a Provincia de Mechoacan fundatus anno 1568 ac deinceps Provinciae de Zacatecas annexus est. Suppresso destructoque Coenobio, ecclesia a quodam pio catholico redempta et cultui restituta, P. Emmanuelis Leyva curae commissa est.

3. DURANGO. *(San Antonio).* Tanquam hospitium incepit anno 1556, quum Fratres nostri hanc terram primi explorarunt, atque anno 1568 erectus est Conventus, cujus sola superest ecclesia, curae P. Emmanuelis Ochoa concredita.

4. SOMBRERETE. *(San Mateo).* 1567. Extat ecclesia et oratorium Tertii Ordinis, curante P. Hyacintho Silva.

5. MEZQUITAL. *(San Juan).* 1588. Ecclesia semper parochialis fuit, eamque regit P. Franciscus Aguirre, adjutus in cura animarum a P. Emmanuele Salaices.

Triginta solummodo supersunt hujus Provinciae alumni, videlicet 28 sacerdotes cum duobus Fratribus Laicis.

Provincia S. Jacobi de Jalisco.

Provinciae S. Evangelii, sicut et supradicta, haec Provincia filialis est, atque anno 1607 erecta. Sex habet Conventus, quorum duo parochiae curam gerunt.

1. GUADALAJARA. *(Santiago).* Everso ad terram Coenobio, sola superfuit ecclesia, curae P. Josephi Lazo commissa.

2. SANTA ANITA. *(N. S. de la Candelaria).*

Cuidam saeculari Conventus venditus fuit; ecclesia vero anno 1861 incendio diruta, a R. adm. P. Ludovico Barbosa, Collegii apostolici Zapopan filio, ac deinde a P. Ignatio Cabrera fuit restituta. Conventus et ecclesiae aedificatio anno 1732 incepta, ad exitum pervenit anno 1807. Beatae Virginis imago, ecclesiae titularis, a Venerabili P. Antonio Segoviensi olim ex Hispania allata fuit. Templi curam habet P. Paulus Gomez.

3. SAYULA. (*Santa Maria de Guadalupe*). Fundatum anno 1785 Coenobium proprietas privata nunc temporis devenit. Ecclesia vero asservata et eleganter restaurata zelo P. Petri Espinosa, Ministri Provincialis, ejusdem curae committitur.

4. TEPIC. (*Santa Cruz*). In nosocomium transmutatus est Conventus; ecclesia vero cultui adhuc addicta temporum injuria capellanis caret, ac nonnisi raro sacrae caeremoniae in eadem aguntur a sacerdotibus parochialis ecclesiae. Paramenta et sacra suppellectilia apud quemdam consulem deposita servantur.

5. COCULA. (*San Miguel*). Fundatus est anno 1553. Peracta suppressione anno 1859, municipali administrationi concessus est, ac per viam intermediam divisus. Parocho relicta sunt claustrum et ecclesia, quae parochialis est ac pulcherrime adornata. Haec Paroecia franciscana sex habet sacella in civitate existentia, ac duas filiales ecclesias, quibus inserviunt saeculares sacerdotes tamquam Vicarii P. Parochi, Adm. R. P. Sixti Valenzuela, deficientibus Religiosis propter jam dictam suppressionem.

6. EIZATLAN. (*Purisima*). Fundatus anno 1539 et a gloriosis martyribus Franciscanis, quorum reliquiae in ecclesia asservantur, olim fuit inhabitatus. A sacerdote Cajetano Lopez de Nava post suppressionem redemptus ac Provinciae restitutus, in optimo statu servatur, cura et zelo P. Faustini Madrigal, actualis parochi. Paroecia *Eizatlan*, sicut supradicta de *Cocula*, ad dioecesim Guadalaxarae pertinent.

Hujus Provinciae Religiosi 22 tantum supersunt, quorum 15 sacerdotes et 7 Choristae.

Provincia SS. Petri et Pauli de Mechoacan.

E Provincia Sancti Evangelii pariter orta anno 1665 erecta fuit haec Provincia, quae duodecim habuit Conventus, scilicet:

1. QUERETARO. (*S. Francisco*). Ampli hujus Coenobii major pars vendita aut etiam eversa fuit. Pars vero prope ecclesiam asservata Collegium facta est, zelo Rmi Confratris nostri Josephi Rico, tunc temporis Ministri Provincialis et postea episcopi Sonorensis (1). Anno 1863 ecclesia ab exercitu Gallico fuit occupata; sed anno 1864 et 1865 ab Imperatore catholicis concessa, ut cathedralis fieret Rmi D. Bernardi Garate, primi episcopi Queretarensis; quam concessionem deinceps approbavit Pius IX, durante tamen suppressionis tempore.

2. CELAYA. (*Purisima*). In hoc Conventu civili collegio a Gubernio instituto, sola remanet ecclesia, totius Provinciae amplissima et ornatissima, cum paucis cellis in usum P. Antonii Solorzano, qui laudabili zelo cultum in antiquo suo splendore conservat.

3. MORELIA. (*San Buenaventura*). Vendito Conventu, in quo olim erat Novitiatus, superest ecclesia cum quadam horti parte. Anno 1851 ecclesia consecrata fuit ab Illmo D. Blanchet, episcopo Necuali, et eidem inservit Adm. R. P. Antonius Villareal.

4. PAZTCUARO. (*San Francisco*). Anno 1867 hujus Coenobii ecclesiam flammis tradiderunt rebelles, et solum remansit Oratorium Tertii Ordinis. Attamen restaurandae ecclesiae jam ab anno 1874 operam dedit P. Jesus Allende, qui maximam operis partem non modo fidelium eleemosynis, sed propriis etiam manibus complevit, quin apostolicum ministerium negligeret. Ecclesiae annexa adest parva habitatio, quae ad usum Capellani suppressionis lege reservatur.

5. ACAMBARO. (*S. Francisco*). Quum sit paroecia ad dioecesim Mechoacanensem pertinens, hic Conventus ab alienatione praeservatus extitit. Anno 1874 ab Illmo Archiepiscopo Ignatio Arciga ecclesia consecrata fuit. Quinque habet filialia oratoria ad paroeciae utilitatem, cujus parochus actualis est Adm. R. P. Franciscus Escalante.

6. SALVATIERRA. (*S. Buenaventura*). Sola permansit ecclesia, cujus curam habet Adm. R. P. Raphael Ramirez.

7. ALLENDE. (*San Antonio de Padua*). Cum ecclesia superest Tertii Ordinis Oratorium,

[1] Cfr. Acta anno III, pag. 164.

quod primitiva fuit ecclesia; eidem inservit Adm. R. P. Joseph Coria.

8. Tlalpujahua. *(N. S. de Guadalupe).* Totum Conventum adhuc possidemus, cujus tamen ecclesia terraemotu conquassata non pauca damna sustulit. Ejusdem curam gerit P. Franciscus Chavez.

9. Irapuato. *(S. Francisco).* Devendito Conventu, remansit ecclesia, P. Josephi Morales curae concredita. Anno 1870 et 1881 Collegium ibidem Patres nostri instituerunt.

10. Pueblito. *(Santa Maria).* Primus est Conventus in Mexico fundatus; peracta suppressione, concessus fuit Illmo et Rmo Rico, tunc temporis Ministro Provinciali, qui ecclesiae restaurandae multum adlaboravit. Conventus, qui parvus est, sub cura versatur P. Guardiani Josephi Bermudez, qui laudabili zelo intendit animarum saluti.

11. Guanajuato. *(San Francisco).* Venditum Coenobium possident Protestantes, qui ibidem eheu! sectae suae templum instituerunt. Nobis remansit parva ecclesia, P. Raphaeli Segura concredita, qui animarum conversioni indefesse incumbit.

12. Zamora. *(Monte Albernia).* In feria quinta hebdomadae majoris anni 1859 ecclesiam huius Conventus ejusque altaria lignea destruxit incendium et, paucis elapsis annis, Conventus ipse simili calamitate vastatus flammis succensus est. Tantummodo superfuit S. Antonii sacellum, in quo Tertiarii hodie coadunantur.

Monasteria Monialium duo habentur in hac Provincia, nempe S. Clarae in *Queretaro* et Recollectae discalceatae in *Cosamaluapan de Morelia.* Anno 1877, petentibus episcopis, Ordinariorum jurisdictioni ad biennium subiecta sunt, et ab anno 1879 episcoporum jurisdictio successive renovata fuit, licet Monialium directioni inserviant Fratres nostri.

Numerosiores remanent hujus Provinciae Religiosi, videlicet 44 numerantur sacerdotes, 59 choristae et 2 Fratres Laici.

Praeter Provinciarum conventus compendiose enumeratos, in Republica Mexicana septem adsunt Collegia apostolica, de quibus infra ubi de Missionibus agitur. Computatis vero horum Collegiorum Fratribus, in tota Republica inveniebantur 349 Religiosi anno 1885, ex quibus sacerdotes 245, choristae 83, et Laici 21.

Utinam cito abrogentur suppressionis leges et immutetur catholicae religioni offensiva legislatio (1), ut restituta libertate, in his regionibus seraphici Ordinis splendor iterum fulgeat, ac priorum Franciscanae familiae Missionariorum apostolicae virtutes reviviscant.

III.
MISSIONES

ELENCHUS

Patrum Commissariorum Terrae Sanctae.

Quum ab anno 1883 nonnullae factae sint mutationes inter Commissarios Terrae Sanctae (2), novum edere Catalogum utile videtur, simulque monemus Confratres nostros ut ad ipsos respective transmittantur eleemosynae quae a fidelibus pro Sacrae Custodiae necessitatibus offerri solent.

1. Pro Italia.

Romae, Adm. R. P. Joannes Chrysostomus a Bergomo, Min. Obs., Commissarius Generalis Terrae Sanctae. (*Convento* Aracoeli).

Anconae, Adm. R. P. Dominicus a Montegranario, Min. Obs. Vice-Com. T. S. *(Ospizio di Terra-Santa, Via Scosciacavalli 42).*

Bononiae, R. P. Franciscus Ant. Monari, Min. Obs. Vice-Com. T. S. (*Santa Maria della Libertà*).

Bordighera, Provinciae Ventimiliensis. R. P. Bernardus a Mediolano, Vice-Com. *(Ospizio di Terra Santa).*

Mediolani, R. P. Ambrosius a Trevillio, Min. Obs. Vice-Com. T. S. *(Ospizio, fuori Porta Volta).*

Assisii, Adm. R. P. Andreas a Greccio, Min. Obs. Vice-Commissarius T. S. (*Santa Maria degli Angeli*).

Venetiis, Adm. R. P. Alphonsus Maria Girelli a Verona Min. Obs. Commissarius T. S. *(Convento di S. Francesco della Vigna).*

Parmae, Adm. R. P. Aloysius Canali a Parma, Min. Obs. Commissarius T. S. *(Convento della Sma Annunziata).*

(1) Cfr. supra fascic. I. pag. 9.
(2) Cfr. *Acta,* Anno II, pag. 203.

Liburni, Adm. R. P. Remigius Buselli, Min. Obs. Com. T. S. *(Convento della Madonna).*

Taurini, Adm. R. P. Lucas Turbiglio, Min. Obs. Commissarius T. S. *(S. Tomaso).*

Genuae, Adm. R. P. Petrus Facco a Rivarolo, Min. Ref. Commissarius T. S. *(Salita della Visitazione 8).*

Neapoli, R. P. Cherubinus a Forigio, Min. Obs. Commissarius T. S. *(Ospizio di Montecalvario, Via Carrese, 9).*

Panormi, in Sicilia. Adm. R. P. Franciscus de Blasi, Min. Obs. Commissarius T. S. *(Ospizio di T. S. alla Gancia).*

Messanae, in Sicilia. Adm. R. P. Fridericus d'Angelo a Catania, Commissarius T. S. *(Ospizio di Terra Santa).*

Vizzini, in Sicilia. R. P. Carmelus Solarino a Modica, Min. Obs. Commissarius T. S. *(Ospizio di Terra Santa).*

Calaris, in Sardinia. Adm. R. P. Pacificus Moj, Min. Obs. Commissarius T. S. *(Convento S. Rosalia).*

Bonorvae, in Sardinia. R. P. Salvator Angelus Sechi, Min Obs. Commissarius T. S. *(Ospizio di Terra Santa).*

Melitae, in insula Melitensi. R. P. Samuel a Melita, Min. Obs. Vice-Commissarius T. S. *(Valletta S. Maria di Gesù).*

Bastiae, in Corsica. R. P. Hilarius ab Insula Bona, Min. Obs. Commissarius T. S. *(Convento di Capannelle, Bastia).*

2. Pro Austria et Germania.

Vindobonae (Vienna) R. P. Franciscus Salesius Angeli, Commissarius Generalis T. S. Min. Obs. *(Franziskaner Platz, 4).*

3. Pro Gallia.

Parisiis, Adm. R. P. Maria a Brest, Min. Obs. Ex-Prov., Commissarius Generalis T. S. *(Rue des Fourneaux, 83, Paris-Vaugirard).*

Pro Belgio, Holandia et Anglia.

Gandavi, (Gand). Adm. R. P. Antonius Cousaert, Min. Recoll. Commissarius T. S. *(Quai aux violettes, 5).*

5. Pro Statibus Foederatis.

(America Septentrion.)

Neo-Eboraci, (New-York). Adm. R. P. Carolus a Natiano, Min. Ref., Commis. T. S. *(S. Francis Church, 135 W. 31 St., New-York).*

6. Pro Guatemala.

(America Centr.)

Guatemalae, R. P. Salvator Maria Medrano, Min. Obs. Commissarius T. S. (*Colegio de Cristo*).

7. Pro Bolivia.

(America Merid.)

Sucre, R. P. Josephus Eliseus Molina, Min. Obs. Commissarius T. S. (*S. Anna*).

8. Pro Mexico.

(America Merid.)

Zapopan, Adm. R. P. Theophilus Sancho, Min. Obs. Commissarius T. S.

9. Pro Republica Chilena.

(America Merid.)

Santiago de Chile, R. P. Fulgentius Mauro, Min. Ref. Commissarius T. S. (*Capilla Ossa, Hospicio de Jerusalem*).

10. Pro Brasilia.

(America Merid.)

Petropolis, R. P. Josephus ab Orto. Min. Ref. Com. T. S. (*Hospicio de Jerusalem*).

Bahia, R. P. Anacletus Sonsini, Min. Ref. Vice-Commissarius T. S.

11. Pro Republica Aequatoris.

(America Merid.)

Quito, R. P. Franciscus Camps, Vice-Commissarius T. S. (*S. Francisco*).

12. Pro Republica Argentina.

(America Merid.)

Bonearensis, (Buenos Ayres). R. P. Paulinus Piccirilli a Ferentino, Min. Obs. Commissarius T. S. (*Piedad, 1531*).

13. Pro Columbia.

(America Merid.)

Santa Fè de Bogota, Adm. R. P. Hyacinthus R. Avila, Min. Obs. Commissarius T. S.

Medellin, R. P. Beniaminus Masciantonio, Min. Obs. Commissarius T. S.

Colon, R. P. Isaias Pescitelli a Scanno, Min. Ref. Vice-Com. T. S. (*Ospedal dè la Compania del Canal de Panama*).

14. Pro Australia

(Oceania).

Sidney, R. P. Antonius Slattery, Min. Recoll. Commissarius T. S.

NOVI MISSIONUM PRO-PRAEFECTI *in Albania.*

Per Decretum S. C. de Propaganda Fide datum die XXIII[a] Januarii volventis anni declaratus est Pro-Praefectus Missionum regionis Castrati in Albania R. P. Gabriel a Mutina, Reformatae Provinciae Bononiensis, cum auctoritate ea exercendi quae ad earumdem Missionum regimen pertinent, ad praescriptum ejusdem Sacrae Congregationis.

Pariter die 6 Martii praelaudata S. Congregatio instituit Rev. Patrem Flaminium ab Arce Papae, Obs. Prov. Romanae Pro-Praefectum Apostolicum Missionis Epiri.

—

STATUS

Vicariatus apostolici Chan-tong Septentrionalis in Imperio Sinensi anno 1885-1886.

Incolae Vicariatus circiter . .	»	20,000,000
Catholici indigenae	»	17,016
Protestantes circiter	»	2,000
Mahumetani. . . . circiter	»	5,000,000
Catechumeni	»	4,796
Infantes christianorum baptizati.	»	1,011
Baptismi adultorum	»	297
Infantium infidelium in vitae extremis	»	13,751
Confirmationes.	»	509
Confessiones annuae	»	10,669
» devotionis . . .	»	15,530
Communiones annuae . . .	»	7,555
» devotionis . .	»	14,929
Matrimonia benedicta . . .	»	143
Extremae unctiones	»	181
Defuncti adulti et pueri. . .	»	520
Ecclesiae et sacella	»	160
Residentiae	»	9
Seminarium.	»	1
Collegium	»	1
Scholae	»	88
Alumni Seminarii.	»	27
» Collegii	»	2
» Scholarum	»	2,613
Orphanotrophia	»	5
Orphani	»	624
Tertiariae indigenae quae eorumdem curam habent . .	»	42
Cathechistae indigenae	»	44
Directores Christianitatum . .	»	130

Missionarii Europaei sunt:

1. P. Joachim Orsi a Castellatio, Obs. Prov. Bononiae.
2. P. Petrus Paulus de Marchi a S. Vito, Pro-Vicarius, Obs. Prov. Venetae.
3. P. Stephanus Pasinetti a Nembro, Obs. Prov. Venetae.
4. P. Deodatus Salvucci a S. Donato, Obs. Prov. Romanae.
5. P. Zeno Moeltner a Caldario, Ref. Prov. S. Leopoldi.
6. P. Anselmus Caillard a S. Salvatore, Obs. Prov. S. Ludovici in Gallia.
7. P. Caesarius Shang a Cappell, item... Procurator in portu Che-foo.
8. P. Pius Trovarelli a Neptuno, item... Director Seminarii.
9. P. Josephus Vila ab Olot, Obs. Hispanus.
10. P. Rochus Lescureux ab Airaines, Obs. Prov. S. Ludovici.
11. P. Pacificus Fenocchio a Caldatio, Tertiarius Franciscanus.
12. P. Eugenius Pandellé a Crouzeilles, Obs. Prov. S. Ludovici.
13. P. Gervasius Vonau a Tierbach, item.
14. Fr. Octavius a Greccio, Laicus.

Sacerdotes indigenae:

1. P. Franciscus Siu.
2. P. Philippus Juen.
3. P. Petrus Hu.
4. P. Josephus Vam.
5. P. Joannes Leu.
6. P. Paulus Siu
7. P. Petrus Man.
8. P. Hieronymus Shan.
9. P. Paulus Suin.
10. P. Simon Kao.
11. P. Didacus Leu.

Notandum tamen ex his viginti quatuor sacerdotibus nonnullos senio vel infirmitate confectos esse; ideoque ex toto corde clamamus ad Dominum messis ut alios mittere operarios cito dignetur. In Vicariatus regione numerantur 65 subpraefecturae ex quibus 27 ne nomen quidem Christi audierunt, deficientibus

Missionariis, qui vix neophytorum et christianitatum existentium curae sufficere valent.

Ts-nan-fou 27 Novembris 1886.

✠ Fr. BENJAMINUS GEREMIA, O. S. Fr.
Episcop. Usolen.
Vic. apost. Chan-tong septentrionalis.

—

STATUS

Collegiorum apostolicorum de Propaganda Fide in Republica Mexicana, anno 1885.

Septem numerabantur apostolica Missionariorum Collegia in Mexicana Republica quum anno 1859 die 25 Junii suppressionis et exclaustrationis, ut dicunt, leges promulgarentur.

Sunt autem 1° Sanctissimae Crucis, *Queretaro.*

2° SS. Virginis de Guadalupe, *Zacathecas.*
3° S. Ferdinandi, *Mexico.*
4° S. Francisci, *Pachuca.*
5° S. Josephi a gratia, *Orizaba.*
6° SS. Virginis, *Zapopan.*
7° Immaculatae Conceptionis, *Cholula.*

Singulorum actualem statum breviter daturi sumus.

Collegium SS. Crucis, Queretaro.

Anno 1650 fundatus est hic Conventus Recollectionis a Provincia de Mechoacan, et anno 1683 Collegium apostolicum factum est zelo clarissimi P. Antonii Linaz. Consummata suppressione, major pars aedificii vetustate collabitur; pars altera habitatur a P. Guardiano, Michaele Zavala, qui, licet reluctante infirma salute, apostolico ministerio incumbere non cessavit. Sanctissimi Crucifixi imago, quae in altari majori veneratur, *crux sanctissima miraculorum* merito vocatur. Quinque sacerdotes cum duobus Fratribus in eodem remanserunt.

Collegium SS. Virginis de Guadalupe.

Anno 1707 fundatum est opera Venerabilis P. Antonii Margil de Jesu. Post suppressionem Conventus in nosocomium versus est; attamen partem quamdam ecclesiae contiguam Adm. R. P. Antonius Romo a Gubernio redimere potuit. Ecclesia quamvis antiqua optime restaurata fuit, sumptibus piae Dominae Miranda, quae sacellum etiam Immaculatae ecclesiae attiguum pulcherrime ornavit, opus dirigente Adm. R. P. Didaco Palomar, Collegiorum Commissario Generali.

Ad hoc Collegium pertinet exercitiorum domus cum Oratorio existens in Capula (Tepotzotlan, dioec. Mexicanae). Sacerdotes 39 cum Laicis 5 Collegio inserviunt.

Collegium S. Fernandi, Mexico.

Anno 1734 initium habuit, praeside in capite Adm. R. P. Didaco de Alcantara. Vendito post suppressionem conventu, sola superest ecclesia cum habitatione, quae olim erat Commissarii Generalis Indiarum residentia. Cura et zelo R. P. Guardiani Isidori Camacho ecclesia, quae amplitudine ceteras omnes Collegiorum superat, in laudabili nitore et cultus splendore servatur. Sex ibidem adsunt sacerdotes cum uno Fratre Laico.

Collegium S. Francisci, Pachuca.

Occupato a Gubernio Conventu, ecclesia loci Parocho concessa fuit, ita disponente episcopo dioecesano ad majora vitanda mala. Fundatum fuerat anno 1799. Supersunt hujus Collegii 10 sacerdotes et duo Fratres, Chorista alter et alter Laicus.

Collegium S. Josephi, Orizaba.

A Collegio S. Ferdinandi originem traxit anno 1799. Ecclesia remansit curae concredita P. Guardiani Bernardini Osorio, a septem aliis sacerdotibus adjuti, et duobus Laicis.

Collegium SS. Virginis, Zapopan.

Anno 1816 initium habuit, et post suppressionem militum contubernium factum est, excepta vero ecclesia, cui inserviunt quatuordecim Patres nostri et duo Laici. SS. Virginis imaginem, quae ibidem summa religione asservatur, ex Hispania attulit clarus P. Antonius a Segovia qui anno 1541, comite P. Nicolao de Bobadilla, civitatem Zapopan fundavit. Anno 1821 Beatissima Virgo de Zapopan solemni decreto conclamata fuit dux exercitus in Statu de Jalisco. Die vero 1 Decembris 1880 ecclesiam rite consecravit Illmus et Rmus Bonaventura Portillo, hujus Collegii alumnus, actualis Episcopus Chilapae.

Collegium Immac. Conceptionis, Cholula.

In hoc ex antiquioribus Provinciae S. Evangelii Conventu anno 1860 collegium apostolicum erectum fuit; sed in civili commotione, quae mox supervenit, totaliter dirutum Cholulenses redemerunt ac in parte restaurarunt, cura praesertim R. P. Guardiani Emmanuelis Munoz. Collegii supersunt 11 Sacerdotes, 7 Choristae et 1 Laicus.

In civitate habetur hospitium Commissariatus Terrae Sanctae, cum publico oratorio a *Jerusalem* nuncupato. In septem igitur Collegiis apostolicis Reipublicae Mexicanae 115 Religiosi anno 1885 numerabantur.

IV.

BIBLIOGRAPHIA

—

Aloysius de Parma. Min. Obs. -- De laudibus seraphici Doctoris Bonaventurae, prout est cum Divo Thoma Aquinate scholasticae sapientiae princeps et scholae franciscanae luminare praecipuum; oratio ad suos studiosos adolescentes habita a P. Aloysio de Parma, almae Minorum de Observantia Provinciae Bononiae Ministro. Editio altera. Parmae, typis Rossi-Ubaldi, 1887. In 8° pag. 50. (L. 0, 50).

Anonymus Capuc. — Letture Serafiche pei Frati Minori di S. Francesco, scritte da un Frate Minore Capuccino, Missionario apostolico. Milano, Tip. Seraf. Ghezzi, Via Manzoni, Vic. Facchini 6. — 1887. In 16. pag. 295 (Prezzo, per l'Italia L. 3,50; estero L. 3).

Annales des Franciscaines Missionnaires de Marie. Paris, 5 rue de l'Ebre. Janvier 1887 2e Numero.

Singulis binis mensibus editur hoc periodicum, et de piis operibus Instituti Sororum Franciscalium Missionariarium Mariae, praesertim in Missionibus Africae et Asiae disserit. (Pretium annuae associationis L. 3, extra Galliam L. 4).

Claudius Robertus Husson, Min. Obs. — La parfaite oraison ou manière de méditer et de prier avec fruit, suivie du Pater et de l'Ave Maria médités, par le R. P. Claude Robert Husson, Franciscain de l'Observance. In 32, pag. 63. Se trouve chez les Franciscaines, 38 rue de la Teste, Bordeaux 1887.

The Franciscan Herald, Monthly Remembrancer for Tertiaries in England, published under the direction of the Franciscan Fathers, with the approbation of the Hon. and Right Rev. the Bishop of the Diocese. N° 1. March 1887. Price One Penny, 1s. 6d. per annum, post free.

Videlicet *Praeco franciscanus,* mensilis publicatio in lingua anglica, sub directione Franciscanorum; pro associatione scribendum Secretario J. H. Sheppard, M. A., Ulcombe, Walton-by-Clevedon (Anglia). (Pretium annuae associationis L. 2). Novum periodicum cunctis Tertiariis Anglicam linguam callentibus Superiores nostri commendent.

Glasnik bosanskih i hercegovackih franjevaca, u Sarajevu. — (Nuncius Franciscanorum Bosnae et Hercegovinae. Saraievi.) 1887.

Invitamus in primis Fratres nostros Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, ut folium hoc mensile consilio, calamo et opere iuvent; argumentum, de quo praecipue agi solet, tale est, ut eruditionem promoveat et ad sinceram pietatem excitet. Associationis pretium pro Austria Floreni duo, sive L. 4.

Josephus Bozic Obs. Provincie Bosnensis. — Agrarno Pitanje (Quaestio Agraria Bosnae) Senj 1886. In 12, pag. 142.

Missale Romanum, accuratissima editio iuxta typicam cum textu et cantu a S. Rituum Congreg. approbato et *Missis propriis Ordinis nostri.* Mechliniae, 1886. In 4°. (L. 14).

V.

NECROLOGIA

—

Die 9ª Januarii anni currentis extremum vitae spiritum in Firmana civitate pie edidit Adm. R. P. Vincentius a Monte Granario, observantis Provinciae Picoenae filius.

Natus est die 7 Decembris anni 1804; natura erat lenis et placidus atque in pietatem admodum acclinis, ingenio vero promptus et

acer; quum in illam perveniret aetatem, qua certum vitae deinceps agendae genus eligi soleat, ordini S. Francisci in dicta provincia nomen dedit, quod ille Beatissimae Virginis MARIAE nutu et auxilio factum fuisse narrando grata memoria saepissime recolebat. In sacro dein Franciscalium coetu constitutus adeo seraphico spiritu permeari coepit, ut nihil prorsus animo cuperet, quam unicam DEI gloriam, dum viveret, promovere. Itaque ut huic scopo Domino nostro JESU CHRISTO tam grato, in dies aptior fieret, sacras virtutes, quas seraphica Religio tam impense suis commendat, et scientias Philosophiae aeque ac Theologiae colere magno animo aggressus est. Unde consequens fuit ut egregius vir ab omnibus ceu Religiosus sincere pius et rite eruditus suspiceretur. Regularis provincia, quae illum tamquam unum ex praestantissimis suis filiis venerabatur, lectorem Philosophiae dein Theologiae nominavit, postea Definitorem et postremo Ministrum elegit. His omnibus officiis tam egregie perfunctus est, ut humilitate, caritate, prudentia atque sagacitate summam auctoritatem apud omnes constituerit.

Id genuinae virtutis est, ut eam moenibus coenobii continere in cassum niteris; quapropter et reverendissimi praesules Firmani praestantissimum confratrem nostrum in eius urbis lyceo publicum professorem Philosophiae et Theologiae nominarunt; his scientificis laboribus, qui ut ornamento Ordini seraphico sic et Ecclesiae DEI sunt utiles, per annos fere triginta et tres sedulo incubuit.

Sacris virginibus urbis Firmanae quarum confessarius erat, et Tertio Ordini sancti Francisci, apud quem commissarii vice fungebatur, magnae fuit consolationi, utilitati et protectioni.

Christifideles, quos mira simplicitate animi attrahebat, eum ceu patrem spiritualem et conscientiae moderatorem zelosum, pium et indefessum venerabantur.

Provincia vero eius morte amantissimum filium, Fratres patrem et ornamentum suum se amisisse dolentes ingemiscunt.

R. P. JACOBUS BATTIC prope civitatem Travnik in Bosna die 30 Martii 1813 piis parentibus prognatus, Ordini seraphico inter Fratres Observantes Provinciae Bosnae Argentinae adultiori aetate, DEO vocante, nomen dedit. Votis sollemnibus an. 1833 sacerdotio vero 1840, DOMINO consecratus, uti Religiosum probum ac pium, ita Sacerdotem quoque zelosum atque operosum tota vita semet exhibuit. Ingenio valens, praestans prudentia pollensque in agendo dexteritate, honorifica munia Guardiani, Definitoris atque Custodis in regimine Fratrum praeclare gessit: in cura vero animarum ultra vicennium qua Parochus eximie desudavit. Insignis extitit in tuenda fide ac fidelibus, item Religiosis Fratribus, adversus perfidiam, nequitiam, violentiam atque barbariem Mahomedanorum, nec minus insignior in erigendis ecclesiis, atque domibus pro Religiosis extruendis; adeo ut de fide suoque Ordine in his partibus maxime meruerit. Sobrius vita, conversatione modestus, moribus religiosus, DEI gloriam hominumque salutem zelans; a fidelibus singulariter veneratus, ab infidelibus vero magni est habitus. Quum etiam qua civis bonus rem quoque communem tum consilio tum opera promovere non destitisset, a duobus Monarchis, Turcarum nempe et Austriae honorificum insigne in agnitionem et testificationem meritorum obtinuit. Virtutibus itaque conspicuus ac meritis plenus quum praesentiret supremum diem prope sibi imminere, seque ad eum fervida oratione atque iterata ecclesiae sacramentorum magna cum pietate susceptione, praeparasset, labore ac senio extenuatus clarae vitae felicem habuit finem die 5 Januarii anno 1887 aetatis 74. Quam dilectus quantive ab omnibus fuerit habitus, testantur illae numerosissimi populi piae lacrymae et devota oscula manuum ejus, inter quae tumulo illatus fuit in ecclesia S. Michaelis de Ovcarevo, quam ille una cum domo parochiali ingenti labore atque sudore quondam a fundamentis erexerat.

Sit ei aeterna merces in coelis, imitatores autem plurimi in terris!

R. I. P.

Nihil obstat

FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

DECRETUM S. R. C.

WESTMONASTERIEN.

BEATIFICATIONIS SEU DECLARATIONIS MARTYRII

VENERABILIUM SERVORUM DEI

IN ODIUM FIDEI IN ANGLIA INTEREMPTORUM

—

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu, et ad effectum, de quo agitur?

In immani illa contra catholicam fidem divinumque Romani Pontificis Primatum persecutione, quae saeculo decimosexto labente ac deinceps in Anglia tantopere desaeviit, ex omni fidelium coetu permulti *ludibria* et *verbera* experti, *insuper vincula et carceres,* et crudelissima quaeque supplicia perpessi, strenue pro Religione occubuerunt. Istorum morte arbitrati sunt catholici nominis hostes in ea regione, quae anteactis saeculis insula sanctorum merito appellata fuit, catholicam Ecclesiam radicitus evellere. At vero sanguis occisorum, qui statim ab eorum glorioso obitu ubique tamquam veri CHRISTI martyres habiti sunt, semen fuit novae sobolis in Ecclesia, quae ibidem in dies mirifice succrevit.

Adversae temporum vices obstiterunt quominus de hisce insignibus Martyribus processuales tabulae conficerentur, eorumque Causa penes Sacram Rituum Congregationem agi posset; etsi tam apud Anglos, tam apud alios catholici orbis Christifideles id maxime esset in votis. Jamvero haec nostra aetas, postquam in Anglia catholica Hierarchia instaurata fuit, quod tam vehementer expetebatur, feliciter est assequuta; siquidem Episcopis catholicis vetustissima documenta datum est colligere, atque in Curia ecclesiastica Westmonasteriensi Processum ordinaria auctoritate condere super Martyrio, Causa Martyrii, nec non signis, seu Miraculis tercentorum quinque Servorum DEI in odium fidei catholicae interemptorum.

Hujusmodi porro Processus authenticis innixus documentis, ad Apostolicam Sedem delatus est: quem statim subsecutae sunt postulatoriae litterae totius Angliae Sacrorum Antistitum aliorumque plurimorum virorum tam ecclesiastica quam civili dignitate insignium.

Placuit vero Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII hujus negotii cognitionem peculiari Coetui aliquot S. R. E. Cardinalium et Officialium Sacrorum Rituum Congregationis committere, praevia Exegesi per R. P. D. Augustinum Caprara Sanctae Fidei Promotorem conficienda; indulta tamen prius dispentione pro dubio introductionis ejusmodi Causae proponendo ante elapsum decennium, a Decretis requisitum, a die praesentationis in Actis ejusdem Sacrae Rituum Congregationis Ordinarii Processus, et ante scriptorum revisionem.

Hinc in particulari Congregatione, subsignata die ad Vaticanum coadunata, infrascriptus Cardinalis Dominicus Bartolini Sacrae eidem Congregationi Praefectus et Causae Relator, sequens proposuit Dubium: « *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu, et ad effectum, de quo agitur* »?

Emi porro ac Rmi Patres et Praelati Officiales, audito scripto et voce praefato Sanctae

Fidei Promotore, reque mature discussa, sic rescribere rati sunt: *Signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit, de biscentum sexaginta uno, nempe:*

Antonio Brookby — *Thoma Belchiam* — *Thoma Cort*, Ordinis S. Francisci — *Griffith Clark*, Sacerdote — *N. Waire*, Ordinis S. Francisci — *Adriano Fortescue* et *Thoma Dingley*, Equitibus S. Joannis Hierosolymitani — *Joanne Travers*, Sacerdote ex Ordine Eremitarum S. Augustini — *Joanne Beche*, Abbate Colchesteriensi — *Hugone Faringdon*, Abbate Readingensi — *Ricardo Whiting*, Abbate Glastoniensi — *Rogerio James* et *Joanne Thorn*, Monachis Glastoniensibus — *Gulielmo Onion* et *Joanne Rugg*, Ordinis S. Benedicti — *Edmundo Brindholm*, Sacerdote — *Clemente Philpot*, Laico — *David Gunston*, Equite Hierosolymitano — *Joanne Ireland*, Sacerdote — *Thoma Ashby*, *Joanne Slade* et *Joanne Bodey*, Laicis — *Georgio Haydock*, *Jacobo Fenn*, *Thoma Hemerford*, *Joanne Nutter* et *Joanne Munden*, Sacerdotibus — *Gulielmo Carter*, Laico — *Jacobo Bell*, Sacerdote — *Joanne Finch* et *Ricardo White*, Laicis — *Thoma Alfield*, Sacercerdote — *Thoma Webley*, Laico — *Hugone Taylor*, Sacerdote — *Marmaduco Bowes*, Laico — *Eduardo Strancham* et *Nicolao Woodfen*, Sacerdotibus — *Margharita Clithero*, Laica — *Richardo Sergeant* (alias *Lee*), *Gulielmo Thomson*, *Roberto Anderton*, *Gulielmo Marsden*, *Francisco Ingolby*, *Joanne Finglow*, *Joanne Sandys*, *Joanne Lowe*, *Joanne Adams* et *Ricardo Dibdale*, Sacerdotibus — *Roberto Bickerdike* et *Ricardo Langley*, Laicis — *Thoma Pilchard*, *Edmundo Sykes*, *Roberto Sutton*, *Stephano Rowscham*, *Joanne Hambley*, *Georgio Douglas*, *Alexandro Crow*, *Nicolao Garlick*, *Roberto Ludlam*, *Ricardo Sympson* et *Gulielmo Dean*, Sacrdotibus — *Henrico Webley*, Laico — *Gulielmo Gunter* et *Roberto Morton*, Sacerdotibus — *Hugone More*, Laico — *Thoma Holford* et *Jacobo Claxton*, Sacerdotibus — *Thoma Felton*, Ordinis Minimorum — *Ricardo Leigh*, Sacerdote — *Eduardo Shelley*, *Ricardo Martin*, *Ricardo Flower*, *Joanne Roch* et *Margarita Ward*, Laicis — *Gulielmo Way* (alias *Wigges*), *Roberto Wilcox*, *Eduardo Campion* et *Christophoro Buxton*, Sacerdotibus — *Roberto Wildmerpool*, Laico — *Rodulpho Crochet*, *Eduardo James*, *Joanne Robinson* et *Gulielmo Hartley*, Sacerdotibus — *Roberto Sutton*, Laico — *Ricardo Williams*, *Joanne Hewett* (alias *Weldon*), *Eduardo Burden*, *Gulielmo Lampley*, *Joanne Amias*, *Roberto Dalby*, *Georgio Nicols* et *Ricardo Yaxley*, Sacerdotibus — *Thoma Belson* et *Humphredo Prichard*, Laicis — *Gulielmo Spenser*, Sacerdote — *Roberto Hardesty*, Laico — *Christophoro Bales* (seu *Bayles*), Sacerdote — *Nicolao Horner* et *Alexandro Blake*, Laicis — *Milone Gerard*, *Francisco Dickenson*, *Eduardo Jones*, *Antonio Middleton*, *Edmundo Duke*, *Ricardo Hill*, *Joanne Hog*, *Ricardo Holliday* et *Roberto Thorpe*, Sacerdotibus — *Thoma Watkinson*, Laico — *Momfordo Scott*, *Georgio Beesley* et *Rogerio Dickenson*, Sacerdotibus — *Rodulpho Milner*, *Gulielmo Pike* et *Laurentio Humphrey*, Laicis — *Edmundo Genings*, Sacerdote — *Swithuno Wells*, Laico — *Eustachio White* et *Polydoro Plasden*, Sacerdotibus — *Briano Lacy*, *Joanne Mason* et *Sidneio Hodgson*, Laicis — *Gulielmo Patenson* et *Thoma Pormort*, Sacerdotibus — *Roberto Ashton*, Laico — *Eduardo Waterson*, Sacerdote — *Jacobo Bird*, Laico — *Antonio Page*, *Josepho Lampton* et *Gulielmo Davies*, Sacerdotibus — *Joanne Speed*, Laico — *Gulielmo Harrington*, Sacerdote — *Joanne Cornelius*, e Societate Jesu — *Thoma Bosgrave*, *Joanne Carey* et *Patricio Salmon*, Laicis — *Joanne Boste* et *Joanne Ingram*, Sacerdotibus — *Georgio Swallowell*, Laico — *Eduardo Osbaldeston*, Sacerdote — *Roberto Southwell*, e Societate Jesu — *Alexandro Rawlins*, Sacerdote — *Henrico Walpole*, e Societate Jesu — *Gulielmo Freeman*, Sacerdote — *Philippo Howard*, Comite de Arundel — *Georgio Errington*, *Gulielmo Knight*, *Gulielmo Gibson* et *Henrico Abbot*, Laicis — *Gulielmo Andleby*, Sacerdote — *Thoma Warcop*, *Eduardo Fulthorp* et *Joanne Britton*, Laicis — *Petro Snow*, Sacerdote — *Rodulpho Grimston*, Laico — *Joanne Buckley* (vel *Jones*), Ordinis S. Francisci — *Christophoro Robinson* et *Ricardo Horner*, Sacerdotibus — *Joanne Lion* et *Jacobo Dowdall*, Laicis — *Christophoro Wharton*, Sacerdote — *Joanne Rigby*, Laico — *Thoma Sprott*, *Thoma Hunt*, *Roberto Nutter*, *Eduardo Thwing* et *Thoma Palasor*, Sacerdotibus — *Joanne Norton* et *Joanne Talbot*, Laicis — *Joanne Pibush*, Sacerdote — *Marco Barkwoorth*, Ordinis S. Benedicti — *Rogerio Filcock*, e Societate Jesu — *Anna Line*,

Laica — *Thurstano Hunt* et *Roberto Middleton*, Sacerdotibus — *Nicolao Tichborne* et *Thoma Hackshot*, Laicis — *Jacobo Harrison*, Sacerdote — *Antonio Bates* et *Jacobo Ducket*, Laicis — *Thoma Tichborne* et *Roberto Watkinson*, Sacerdotibus — *Francisco Page*, e Societate Jesu — *Gulielmo Richardson* et *Joanne Sugar*, Sacerdotibus — *Roberto Grissold, Laurentio Baily, Thoma Welbourne, Joanne Fulthering* et *Gulielmo Brown*, Laicis — *Nicolao Owen, Eduardo Oldcorne* et *Rodulpho Ashley*, e Societate Jesu — *Roberto Drury* et *Matthaeo Flathers*, Sacerdotibus — *Georgio Gervase*, Ordinis S. Benedicti — *Thoma Garnet*, e Societate Jesu — *Rogerio Cadwallador, Georgio Napier* et *Thoma Somers*, Sacerdotibus — *Gulielmo Scot* et *Joanne Roberts*, Ordinis S. Benedicti — *Ricardo Newport, Joanne Almond, Thoma Atkinson* et *Joanne Thulis*, Sacerdotibus — *Rogerio Wrenno*, Laico — *Thoma Maxfield, Thoma Tunstal* et *Gulielmo Southerne*, Sacerdotibus — *Edmundo Arrowsmith*, e Societate Jesu — *Ricardo Herst*, Laico — *Gulielmo Ward*, Sacerdote — *Eduardo Barlow*, Ordinis S. Benedicti — *Thoma Reynolds*, Sacerdote — *Bartholomaeo Roe*, Ordinis S. Benedicti — *Joanne Lockwood, Edmundo Catherick, Eduardo Morgan* et *Hugone Green*, Sacerdotibus — *Thoma Bullaker*, Ordinis S. Francisci — *Thoma Holland*, e Societate Jesu — *Henrico Heath* et *Arthuro Bell*, Ordinis S. Francisci — *Price*, Laico — *Joanne Ducket*, Sacerdote — *Rodulpho Corby, Henrico Morse* et *Briano Cansfield*, e Societate Jesu — *Joanne Goodman*, Sacerdote — *Philippo Powel*, Ordinis S. Benedicti — *Eduardo Bamber*, Sacerdote — *Joanne Woodcock*, Ordinis S. Francisci — *Thoma Whitaker*, Sacerdote — *Petro Wright*, e Societate Jesu — *Joanne Southworth*, Sacerdote — *Eduardo Coleman*, Laico — *Eduardo Mico, Thoma Bedingfield* et *Gulielmo Ireland*, e Societate Jesu — *Joanne Grove*, Laico — *Thoma Pickering*, Ordinis S. Benedicti — *Thoma Whitbread, Gulielmo Harcourt, Joanne Fenwick, Joanne Green* (sive *Gavan*), *Antonio Turner* et *Francisco Nevill*, e Societate Jesu — *Ricardo Langhorne*, Laico — *Gulielmo Plessington*, Sacerdote — *Philippo Evans*, e Societate Jesu — *Joanne Lloyd* et *Nicolao Postgate*, Sacerdotibus — *Carolo Mahony, Joanne Wall* et *Francisco Levison*, Ordinis S. Francisci — *Joanne Kemble*, Sacerdote — *David Lewis* (alias *Carolo Baker*) e Societate Jesu — *Thoma Thwing*, Sacerdote — *Gulielmo Howard*, Vicecomite de Stafford, et *Oliverio Plunket*, Archiepiscopo Armachano; *de reliquis quadraginta quatuor, Dilata, et coadjuventur probationes.* Die 4 Decembris 1886.

De quibus omnibus per infrascriptum Secretarium facta subinde Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideli et accurata relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habens, praedictam Commissionem Introductionis Causae propria manu signare dignata est die nona iisdem mense et anno.

L. ✠ S.

D. Card. Bartolinius S. R. C. Praefectus.

L. Salvati, S. R. C. Secretarius.

—

Ex praelaudato Decreto sic specificantur *ducenti sexaginta et unus* Venerabiles Martyres:

Archiepiscopus	1
Sacerdotes saeculares	130
Monachi Ordinis S. Benedicti	15
Franciscani	12
Ordinis Eremit. S. Augustini	1
Ordinis Minimorum	1
Societatis Jesu	26
Equites S. Joannis Hierosolymitani	3
Laici	72
Summa	261

Duodecim Ordinis nostri Venerabilium Martyrum nomina separatim subjicimus et gloriosi singulorum Martyrii annum assignamus, scilicet:

V. V.	Antonius Brookby	1537
»	Thomas Belchiam	1538
»	Thomas Cort	1538
»	N. Waire	1539
»	Joannes Buckley	1598
»	Thomas Bullaker	1642
»	Henricus Heath	1643
»	Arthurus Bell	1643
»	Ioannes Woodcock	1646
»	Carolus Mahony	1679
»	Joannes Wall	1679
»	Franciscus Levison	1679

Coronidis gratia, sequentem orationem ab Emo Card. Manning anno 1879 approbatam

hic adjungere operae pretium ducimus, et Confratres nostros hortamur ut eamdem aliquando privatim recitare velint.

ORATIO PRIVATIM DICENDA

AD OBTINENDAM SOLEMNEM MARTYRUM ANGLIAE CANONIZATIONEM.

Ana. Vidi subtus altare.

Psalm. LXXVIII.

Deus venerunt gentes in haereditatem Tuam, polluerunt templum sanctum Tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.

Posuerunt morticina servorum Tuorum escas volatilibus coeli, carnes sanctorum Tuorum bestiis terrae.

Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret.

Usquequo, Domine, irasceris in finem, accendetur velut ignis zelus Tuus?

Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiae Tuae, quia pauperes facti sumus nimis.

Adjuva nos, Deus, salutaris noster, et propter gloriam Nominis Tui, Domine, libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter Nomen Tuum.

Ne forte dicant in gentibus: Ubi est Deus eorum? Et innotescat in nationibus coram oculis nostris ultio sanguinis servorum Tuorum qui effusus est.

Introeat in conspectu Tuo gemitus compeditorum; secundum magnitudinem brachii Tui posside filios mortificatorum.

Gloria Patri.

Ana. Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei et propter testimonium quod habebant; et clamabant voce magna, dicentes: Usquequo, Domine (sanctus et verus), non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra?

℣. Sub throno Dei omnes sancti clamant.

℟. Vindica sanguinem nostrum, Domine Deus noster.

Oremus.

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus; ut qui gloriosos Martyres fortes in sua confessione cognovimus, pios apud Te in nostra intercessione sentiamus.

Deus qui glorificantes Te glorificas et in sanctorum Tuorum honoribus honoraris, dignare, quaesumus, sanguinem Martyrum in Anglia propter testimonium Jesu occisorum solemni Ecclesiae Tuae judicio glorificare. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Pater noster. Ave Maria. Credo in Deum.

Emus Dnus Cardinalis Archiepiscopus Westmonasteriensis hanc orationem approbare, eamque devote recitantibus Indulgentiam centum dierum concedere dignatus est, die 3 Feb. 1879.

II.
ACTA ORDINIS

AD FRATRES NOSTROS

Incitamenta Seraphica.

DE DISCIPLINA REGULARI RESTITUENDA

CAPUT II.

De Oratione

§ *6. De devotione privata.*

81. Oratio ob maximam suam utilitatem ter in Regula nobis commendatur (1). Quare Frater Minor spiritu suae Regulae repletus non solum omnes orationes praescriptas debito modo persolvere studet, sed etiam multa alia pietatis officia magno zelo et fervore peragere, et ita quasi *semper orare* conatur. Quilibet vel ab infantia hujusmodi devotionis praxes a propria matre didicit et exercuit, quibus deinde tempore novitiatus, a suo Magistro melius edoctus, alias devotiones pedetentim adjunxit, quae statui religioso atque seraphico magis convenire noscuntur. Subinde autem fieri solet, ut quidam Religiosi, peracto novitiatu, vel studiorum curriculo emenso, a primaeva sua devotione deficiant, et pietatis privatae exercitia, quibus assueti fuerant, ob occupationes externas, quibus applicantur, sensim sine sensu obliviscantur et omittant. Quod quum non leve damnum vitae religiosae ac spirituali profectui afferat, saltem aliquas pietatis praxes, quas in novitiatu nostro didicimus et cum magno fructu exercuimus, quasque omnes boni Religiosi exercere solent, Fratribus nostris bre-

(1) Cap. III, V et X.

viter in mentem revocare et enixe commendare intendimus.

82. S. Bonaventura de S. P. N. Francisci eximia *erga SS. Eucharistiam devotione* ita scribit (1): « Flagrabat erga Sacramentum Domi-« nici Corporis fervore omnium medullarum: « stupore admirans permaximo illam charissi-« mam dignationem et dignantissimam chari-« tatem. Saepe communicabat, et tam devote, « ut alios devotos efficeret: dum ad immacu-« lati Agni degustationem suavem, quasi spi-« ritu ebrius, in mentis ut plurimum rapieba-« tur excessum ». — Hinc liquet, aemulatores vestigiorum S. Francisci pariter flagrare debere magna erga SS. Sacramentum devotione. Non sufficit ipsis frequens et devota Communio, sed quasi continuam huic augustissimo Sacramento venerationem exhibere volunt. Breviarium nostrum in festis fere omnium Sanctorum et Beatorum Ordinis nostri singularem ipsorum erga SS. Sacramentum devotionem ac venerationem commemorat. De hoc ineffabili mysterio quotidie meditantes et ex hoc fonte omnes necessarias gratias haurientes ad illam, quam merito admiramur, perfectionem et sanctitatem sese elevare potuerunt.

83. Eamdem perfectionem et vitae sanctitatem pie anhelantes eorum erga SS. Eucharistiam devotionem pro viribus jugiter imitari studeamus. Propterea non solum ad S. Communionem percipiendam et SS. Sacrificium celebrandum pie et sancte nos praeparemus ac devote hujus incruenti Sacrificii oblationi assistamus, sed etiam frequenter SS. Sacramentum visitare, adorare, et spiritualem Communionem recipere studeamus. Summopere sane laudanda est consuetudo in non paucis Ordinis nostri Conventibus vigens, visitandi scilicet SS. Sacramentum non solum post prandium et coenam, sed etiam aliis diei temporibus, sive in communi, sive privatim. Hac pia praxi tum pro singulis Religiosis tum pro tota Communitate largae benedictiones obtinentur.

84. Quamvis *SS. Cor* Jesu ab initio fuerit objectum cultus B. Mariae Virginis atque Christifidelium, recentioribus tamen temporibus voluit Deus speciali modo pretiosum hunc cultum promovere. Sicut saeculo XIII Deus elegit S. Julianam Virginem, ut ejus cura institueretur Festum SS. Corporis Christi, sic saeculo VII elegit B. Margaritam Alacoque, Monialem Visitationis B. M. V., decreto 18 Septembris 1864 inter Beatas relatam, ut ejus cura propagaretur cultus SS. Cordis Jesu. Quodam die, quum oraret coram SS. Sacramento, apparuit ei Jesus, et ostendit pectus et Cor suum sacratissimum. Cor erat ardens et lucidum ut sol, spinis circumdatum. Stupenti Virgini dixit: « Ecce Cor, quod adeo amavit et amat homines, nimia charitate consumptum; et pro gratitudine non accipio nisi irreverentiam, contemptum et sacrilegia. Majoris autem causa doloris est frigus et indifferentia animarum mihi consecratarum, quae maximum meum amorem sua indifferentia compensant. Ideo exigo a te, ut feria sexta post octavam SS. Sacramenti particulare Festum celebretur in honorem SS. Cordis mei, ad reparandas injurias illatas ». Tunc promisit multas gratias colentibus SS. Cor. Reposuit Virgo: « Domine quae ego sum, vilis creatura, ut talia efficere valeam? » Respondit Jesus: « Contemptibilia hujus mundi elegi, ut confundam fortia, ut non glorietur omnis caro ». Docuit illam omnes gratias ex hac devotione secuturas, modum tenendum, successum, et etiam contradictiones solitas in opere Domini promovendo. Magnanima Virgo manum operi strenue admovit; sed eam fere omnes ut stultam habuerunt, et omni modo vexaverunt. Daemon incendit Jansenistas et alios Ecclesiae hostes, ut illam devotionem falsam declararent. Sed imperterrita institit B. Margarita; et tandem triumphavit veritas. Jam ab anno 1686, et saepius deinceps, cultus SS. Cordis ab Ecclesia approbatus est, et anno 1763 Clemens XIII Festum SS. Cordis instituit.

85. *Objectum* hujus devotionis est Verbum aeternum, prout conjunctum Cordi Salvatoris, sicut parti essentiali Corporis Christi. Ista pars in se adorabilis est; sed adoratio non cadit nisi in personam, in Verbum aeternum. Dirigimus hanc devotionem in SS. Cor, in Cor non separatum a Corpore, non separatum ab Anima, non separatum a Divinitate: in Cor Dei-Hominis, quia est symbolum amoris.

86. *Motiva specialia* colendi SS. Cor Jesu sunt: quia est sedes et symbolum amoris et charitatis, qua Jesus dilexit nos; quia est prin-

(1) Vita, cap. 9.

cipium et fons omnium beneficiorum ejus; quia est sanctuarium omnis gratiae et virtutis, in hoc enim Corde « inhabitat omnis ple« nitudo Divinitatis corporaliter (1) », « in quo « sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae « absconditi (2) »; quia est exemplar quoddam et norma sanctitatis, cui cor nostrum conformare debemus. Caeci ergo et ingrati sunt homines, qui negligunt haurire « aquas in gaudio « de fontibus Salvatoris (3) ». Ibi est aqua viva, quam JESUS dat homini, et « fiet in eo « fons aquae salientis in vitam aeternam (4) ».

87. Haec devotio erga SS. Cor JESU in Ordine nostro semper viguit, quod mirum esse non potest. Nam B. Margaritae M. Alacoque in die festo S. P. N. Francisci oranti ipse visus est ineffabili luce circumdatus, in sublimiori quam ceteri Sancti gloria collocatus, utpote qui in terris majorem conformitatem cum paupertate et passione CHRISTI habuisset, sacra vulnera Salvatoris in corpore suo portare meruit. Quem praeterea, DEO revelante, vidit audivitque, singulari modo cum Corde divino conjunctum, et in conjunctione cum SS. Corde JESU jugiter sese offerre pro peccatoribus, praesertim vero pro Religiosis, qui a regulari observantia desciscerent (5). Majus vero incrementum apud Nostrates haec devotio accepit ab anno 1875, quo hodiernus Minister Generalis totum Ordinem Seraphicum SS. Cordi JESU solemniter consecravit. Hac occasione epistolam encyclicam misit ad omnes Provincias, in qua praescripsit, ut in ecclesiis nostrorum Conventuum vel altare SS. Cordi JESU dedicetur, vel saltem ejusdem SS. Cordis depicta tabula aut statua exponatur; ut quotidie in choro post Vesperas oratio « O Salvator « amabilis etc. » recitetur; ut qualibet prima Feria sexta cujusque mensis Fratres clerici et laici ad S. Communionem accedant, et in sero ejusdem Feriae expositio SS. Sacramenti fiat cum precibus ad rem facientibus: denique ut Festum SS. Cordis, quam solemnissime fieri possit, in ecclesiis nostris quotannis celebretur.

(1) Coloss. II, 9.
(2) Ibid. v. 3.
(3) Is. XII, 4.
(4) Joann. IV, 14.
(5) Languet, vita B. Margaritae M. Alacoque, libr. 7.

88. Sinceram ergo et teneram venerationem ac devotionem erga SS. Cor JESU semper habere studeamus, ut hac ratione coelestes benedictiones pro nobismetipsis ac pro dilectissimo Ordine nostro impetremus. Ex multis promissionibus B. Margaritae factis sufficiat duas dumtaxat afferre, solatio utique plenas, scilicet: « Affluenter divitias divini amoris ef« fundet Cor meum super eos, qui speciali « cultu sese mihi devovebunt ». — Et: « Qui« cumque meum Cor coluerint, et late colen« dum procuraverint, mira potientur arte corda « peccatorum, vel durissima, emolliendi ». — Adimpleamus monitum S. Bernardini Senensis, qui scribit (1): « Accedamus ad Cor ejus, « Cor altum, Cor secretum, Cor omnia cogi« tans, Cor omnia sciens, Cor diligens, imo « amore ardens, et apertam portam intellige« mus ». Et recogitemus subinde verba melliflui Doctoris, S. Bernardi, qui dicit (2): « Quia « semel venimus ad Cor dulcissimum JESU, et « bonum est nos hic esse, ne sinamus nos « facile avelli ab eo. O quam bonum, et quam « jucundum habitare in Corde hoc »!

89. Valde convenit, ut Fratres Minores omnes, splendidum sui Patris exemplum fideliter imitantes, specialem erga *Dominicam Passionem* foveant devotionem. Nemo est, qui ignoret, quam pie ac devote veneratus sit S. P. N. Franciscus CHRISTI Passionem, quippe qui vulnera crucifixi Salvatoris in corpore suo susceperit. Pro sua erga CHRISTI Passionem veneratione peculiare officium Dominicae Passionis ex Psalterio aliisque S. Scripturae libris devote composuit et frequenter recitavit (3). S. Bonaventura de ipso scribit (4): « CHRISTUS « JESUS crucifixus intra suae mentis ubera ut « myrrhae fasciculus jugiter morabatur, in « quem optabat per excessivi amoris incen« dium totaliter transformari ».

90. Ergo et nos Passionem Dominicam frequenter meditemur ac veneremur. Hoc aequum et justum est. Ipse JESUS ad hoc nos invitat per prophetam dicentem (5): « O vos « omnes qui transitis per viam, attendite et

(1) Serm. 51. de Passione Domini, art. 3. cap. 3.
(2) Tract. 3. de Passione Domini.
(3) Cfr. Opusc. S. Franc. part. III.
(4) Vita, cap. IX, n. 2.
(5) Thren. I, 12.

« videte, si est dolor sicut dolor meus ». Recogitanda est Dominica Passio cum intimo cordis dolore; nam sicut Saulus, vestimenta servando, adjuvit eos, qui Stephanum lapidabant (1), sic nos peccando adjuvimus Judaeos, qui adeo crudeliter JESUM crucifixerunt. Recogitanda est pariter cum amore et gratitudine. Si quis amore plenus vellet pro aliquo reo mortem subire, nunquid ille reus posset siccis oculis tale spectaculum intueri? Si vellet, certe inhumanissimus hominum haberetur. Sic homo, qui Crucifixi imagines prae oculis habens in templis, in plateis, domi, ubique, eas non attendens homo ingratus, durus, crudelis est.

91. Ex pia consideratione ac veneratione Passionis CHRISTI multos et magnos fructus colligimus. Siquidem docemur immensum CHRISTI in nos amorem, et incitamur ad amorem amori rependendum. Docemur animae nostrae pretium, pro qua CHRISTUS sanguinem suum fudit. Docemur magnitudinem enormitatemque peccati, et ab eo abhorremus. Passio CHRISTI est nobis fons non exhauriendus gratiarum. « Haurietis aquas in gaudio de fontibus Sal« vatoris (2) ». Est solatium in omnibus necessitatibus nostris; CHRISTUS enim cum magna cruce nos praecedit, et nos cum parva eum sequimur. Est denique exemplum omnium virtutum, ad imitandum nobis datum. « Exem« plum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci « vobis, ita et vos faciatis (3) ».

92. Praeter rationes, quae omnes Christianos ad CHRISTI Passionem venerandam commovent, Fratres Minores peculiaribus adhuc motivis ad hanc devotionem exercendam incitantur. Filii enim et sequaces illius se esse gloriantur, qui Dominicam Passionem non solum jugiter piissimo affectu in corde suo meditabatur, sed etiam hujus sanctissimae Passionis jugem memoriam, sacra scilicet stigmata, in corpore suo portare meruit. Insuper Seraphico Ordini nostro jam per septem fere saecula honorifica custodia et specialis veneratio illorum Sanctuariorum incumbit, quae dolorosa Passione FILII DEI sunt consecrata. Ad Passionis Dominicae venerationem magis magisque apud Fideles propagandam Ordo noster pium

(1) Act. VII.
(2) Isai. XIII, 3.
(3) Ioann. XIII, 15.

Viae s. Crucis exercitium introduxit, quod romani Pontifices multis Indulgentiis ditarunt, et Superioribus nostris viae crucis Stationes canonice erigendi facultatem concesserunt. Fratres Minores ergo, qui hoc pium exercitium apud Fideles propagare et commendare student ipsisque innumeras huic exercitio concessas Indulgentias communicant, pariter praefatum pium exercitium frequenter peragere et dictas Indulgentias lucrari studeant oportet. In non paucis Ordinis nostri Conventibus non solum singulis Feriis sextis a tota Communitate, sed etiam fere omnibus diebus privatim a Religiosis exercitium Viae Crucis peragi solet. Hic pius usus utique laude et imitatione dignissimus est.

93. Devotionem S. P. N. Francisci erga *Beatissimam Virginem* MARIAM S. Bonaventura sequentibus verbis describit (1). « Matrem Do« mini nostri JESU CHRISTI indicibili comple« ctabatur amore, eo quod Dominum maje« statis fratrem nobis effecerit, et per eam « simus misericordiam consecuti. In ipsa post « CHRISTUM praecipue fidens eam sui et suo« rum advocatam constituit, et ad honorem « ipsius a Festo Apostolorum Petri et Pauli « usque ad festum Assumptionis devotissime « jejunabat ».

94. Quum inter omnes creaturas nulla sit majoris dignitatis, sanctitatis, potentiae et amabilitatis, quam Beatissima Virgo; quumque nulla DEO sit acceptior, nulla, sit quae magis amet et adjuvet homines in hac lacrymarum valle gementes: ideo pariter nulla est, quam magis ac tenerius amare ac venerari debeamus. Ingratus est omnis ille, qui amorem amori non rependat. Praeterea dicit S. Bernardus (2): « Intuemini quanto devotionis affectu a nobis « eam voluerit honorari, qui totius boni ple« nitudinem posuit in MARIA. —, Totis prae« cordiarum affectibus, et votis omnibus, MA« RIAM hanc veneremur; quia sic est voluntas « ejus, qui totum voluit nos habere per MA« RIAM ».

95. Ordo Minorum, exemplum sancti Fundatoris secutus, iam ab initio B. MARIAM V. tamquam specialem Matrem et Patronam coluit, et peculiariter sub mysterio Immaculatae

(1) Vita, cap. IX, n. 2.
(2) Hom. in Nativ. B. M. V.

Conceptionis honoravit. Iam in Capitulo Generali Assisii anno 1219 sub praesidentia ipsius B. P. N. Francisci celebrato statutum fuit, ut quolibet Sabbato celebraretur Missa Immaculatae Deiparae. Immaculatam Virginis Conceptionem Fr. Ioannes Duns Scotus egregie defendit, et postea Schola Franciscana hanc doctrinam semper docuit. Aliqua Festa B. M. V. primo in Ordine nostro celebrabantur, quae postea ad universalem Ecclesiam sunt extensa, v. g. Conceptionis et Visitationis, variae devotiones, v. g. *Angelus Domini,* et confraternitates in honorem et venerationem Beatissimae Virginis vel institutae, vel promotae sunt ab Ordinis nostri Fratribus. De origine devotionis *Coronae Franciscanae,* sive coronae B. M. V. septem gaudiorum, P. Lucas Waddingus sequentia narrat (1). Anno CHRISTI 1422 associatus est Minoribus adolescens quidam, B. MARIAE V. reverenter addictus, qui contexta ex floribus corolla, simulacrum ejusdem decorabat. Dum legendis floribus, et huic prosequendae pietati non adeo liceret in tyrocinio intendere, juvenili levitate constituit ad saeculum redire. Discessurus Virginem salutavit, et patrocinium ejus poposcit. Cui illa apparens ait: « Noli contristari ob dimissum vel impeditum, « quod mihi praestabas, florum obsequium; « docebo te, quomodo illud in aliud praeclarius convertas, et coronam mihi compingas « serto illo rosarum valde pulchriorem. Singulis diebus coronam mihi contexe, non ex « floribus, qui cito marcescunt, neque semper « haberi possunt, sed ex piis precibus, quas « tu potes, et Angelus docuit recitare. Profer « decies salutationem angelicam, et semel ora- « tionem Dominicam, in honorem gaudii, quo « ego exultavi de concepto Verbo aeterno. Se- « cundo, eadem repete propter illud, quo surrexi cum festinatione in montana Iudaeae « cognatam Elisabetham invisura. Tertio, propter summam laetitiam, qua CHRISTUM Do- « minum absque dolore, integro pudore sum « enixa. Quarto propter eam, qua Magos in- « fantulum adoraturos excepi. Quinto, ob re- « pertum in templo Filium, quem prius defle- « bam amissum. Sexto, ob gloriosam ejus re- « surrectionem. Septimo, ob meam in coelos « assumptionem. Haec si singulis diebus dixe- « ris, certo scias, sertum mihi gratum, et tibi « meritorium te compacturum ». — Obsecutus adolescens, qua potuit devotione, recitare coepit praescriptam precum formulam, et accedens caute tyronum Magister, ut exploraret, quid in cubiculo ageret, vidit Angelum rosas filo paulatim inserentem, et singulis denis aureum lilium connectentem, mox coronam ex omnibus composuisse, et tyronis genuflexi capiti imposuisse. Paulo post praeceptor imperavit, ut quae tunc faciebat, enarraret, dixitque eo se modo preces illas obtulisse, quo a beata Virgine instructus fuerat, unde visionis arcanum Magister percepit. — Haec pia devotio in toto Ordine nostro in praxim fuit deducta, a Romanis Pontificibus approbata, valde commendata et Indulgentiis ditata, praesertim a Leone *X*, qui concessit Indulgentiam plenariam Fratribus et Sororibus Ordinis Minorum recitantibus dictam Coronam B. M. V. ex 72 *Ave Maria* et 7 *Pater noster* cum adhuc uno *Pater* et *Ave* pro Summo Pontifice; quam Paulus V denuo concessit die 8. Iulii 1608.

(1) Annal. Ord., tom. X. ad ann. 1422. n. 8.

96. Singulari ergo pietatis affectu Beatissimam et Immaculatam Virginem et Matrem MARIAM, Ordinis nostri universi potentem et gloriosam Patronam, quotidie devote veneremur. Eam, per cujus manus tot jam gratias, et praecipue etiam eximiam sanctae nostrae vocationis gratiam, a DEO obtinuimus, quotidie pro nostris privatis, ac pro totius Ordinis atque universalis Ecclesiae necessitatibus enixe imploremus. Ut autem ejusdem intercessione ac patrocinio dignos nos exhibeamus, ipsius praeclaras virtutes jugiter imitari studeamus.

(Continuabitur).

CAPITULA PROVINCIALIA

anno 1887 celebrata.

I.

Collegii Apostolici Limae.

In Capitulo Guardianali die 11 Februarii a. c. celebrato in Collegio Apostolico Sanctae Mariae Angelorum Limae in Republica Peruviana, praesidente Adm. Revdo P. LEONARDO CORTES rite et canonice electi fuerunt:

GUARDIANUS

R. P. Michael Ferriol.

DISCRETI

Adm. Rev. P. Petrus Gual.
R. P. Bernardinus Gonzalez.
R. P. Johannes M. Ferrer.
R. P. Stephanus Perez.

II.

Ref. Custodia S. Thomae Taurini.

In Congressu Generalis Definitorii die 17 Martii 1887 nominati et designati sunt :

CUSTOS REGIMINIS

A. R. P. Fridericus ab Isolabella.

DEFINITORES CUSTODIAE

A. R. P. Anastasius a S. Damiano.
R. P. Eugenius a Poirino.
R. P. Constantinus a Montanaro.
R. P. Cyprianus a Canali.

III.

Discalc. Provincia S. Petri de Alcantara Neapolis.

Praemissa a Rmo P. Generali sacra Visitatione Conventus S. Luciae Montis Neapoli schedisque a PP. Vocalibus exquisitis, in Generalis Definitorii Congressu die 17 Martii rite electi et nominati sunt :

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Julius a Jesu et Maria reelectus.

CUSTOS VOCALIS

R. P. Pacificus de Jesu et Maria.

DEFINITORES PROVINCIAE

R. P. Philumenus a Cruce.
R. P. Petrus Aloysius a S. Marcellino.
R. P. Fridericus a S. Paschale.
R. P. Josephus Maria a Cruce.

—

REGULAE FRANCISCALES

Quum non raro eveniat Superiores Ordinis nostri vel et ipsos Confessarios interrogari circa diversas trium Ordinum S. Patris Francisci Regulas, quarum textus difficile invenitur, utile visum fuit in *Actis* nostris inserere varias hujusmodi Regulas quibus hodie praesertim reguntur Secundi Ordinis Monasteria, necnon Regulam Tertii Ordinis Regularis, ut ab omnibus reperiri et, data occasione, consuli queant, ac generalis saltem notio universae Ordinis nostri legislationis habeatur.

De Regula autem Primi Ordinis nihil hic dicendum putamus, quum a Nostratibus sufficienter noscatur et non deficiant ejusdem explicationes.

Brevissimas adjungemus adnotationes, sive ad textum elucidandum, sive ad nonnullas quaestiones explanandas, aut suggerendos auctores qui fusiorem ediderunt harum Regularum explicationem.

I.

PRIMA REGULA

Monialium Sanctae Clarae a B. P. Francisco exarata.

Textum hujus primae Regulae desumpsimus ex editione Coloniensi operum S. Francisci (1) quae non differt ab editione P. Waddingi, nec ab alia P. Joannis de la Haye (2) quam pariter consuluimus.

Prima haec Regula a S. Clara ejusque Filiabus observata in aliquibus Italiae Monasteriis, in multis pariter Hispaniae et plerisque Galliae, Belgii, Angliae, etc. Clarissarum Monasteriis adhuc integra viget ac religiose servatur.

Uti legenti patet, idem est hujus Regulae argumentum, eadem materia, totidem capita, ac Regula Fratrum Minorum. Nec immerito, ait P. Johannes de la Haye, ut, quos idem genuit Pater, diversa non discriminarent instituta.

Ejusdem Regulae originale authenticum sub confirmatione et Bulla plumbea in Conventu Monialium Chamberiaci, Provinciae S. Bonaventurae, diligenter custodiri olim tradebatur, ut asserit praelaudatus auctor.

Inter antiquos auctores qui hanc primam S. Clarae Regulam explicarunt citandus est clarissimus P. Ludovicus Miranda, Regularis Observantiae (3), et inter recentiores P. Andreas Delfino a Tortona, Minor. Obser-

(1) Beati Patris Francisci Assisiatis opera omnia secundum editionem Fr. Lucae Waddingi Hiberni, Fratris Minoris denuo edidit Joh. Jos. von der Burg, Vicarius Ecclesiae S. Martini Bonnensis. Coloniae, typis Steven, 1849. In 12°, pag. 311.

(2) S. Francisci Assisiatis, Minorum Patriarchae, necnon S. Antonii Paduani opera omnia, labore R. P. Johannis de la Haye, Parisini, Ecclesiastae Regii, nec non in Gallia Fratrum Minorum de Observantia Procuratoris Generalis. Pedeponti prope Ratisbonam, 1739.

(3) Praeter hujus Regulae explicationem, P. Ludovicus Miranda optimum edidit *Tractatum de Monialibus,* qui ordinarie invenitur ad calcem egregii operis ejusdem auctoris: *Manuale Praelatorum Regularium.*

vans (1) ac sacerdos saecularis Demore (2), quorum opera facile inveniri possunt.

Notandum tamen in hac Regula prima nullo modo adesse *centum ac tria* praecepta sub gravi obligantia, sicut praedictus P. Andreas erronee docuit, sed tantum *quinque* numerari praescriptiones hujusmodi, ex declaratione Eugenii IV (3) videlicet tria vota ordinaria obedientiae, paupertatis et castitatis, deinde quartum clausurae votum superadditum, ac tandem quae ad electionem et depositionem Abbatissae spectant.

BULLA INNOCENTII IV.

REGULAM APPROBANTIS (4).

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Clarae, Abbatissae, aliisque Sororibus monasterii Sancti Damiani Assisinatis, salutem et apostolicam benedictionem.

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis, et honestis petentium precibus favorem benevolum impartiri. Ex parte siquidem vestra nobis extitit humiliter supplicatum, ut vitae formulam, iuxta quam communiter in spirituum unitate, ac voto altissimae paupertatis, vivere deberetis, vobis a Beato Francisco traditam, et a vobis sponte susceptam, venerabilis Frater noster Ostiensis et Vellitrensis episcopus duxerit approbandam, secundum quod in ipsius episcopi litteris plenius continetur, nos curaremus apostolico munimine roborare.

Devotionis igitur vestrae precibus inclinati, quod ab eodem episcopo super hoc factum est, et ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum praesentibus inseri facientes, qui talis est:

« Raynaldus, miseratione divina Ostiensis « et Vellitrensis episcopus, charissimae sibi « in CHRISTO matri et filiae dominae Clarae, « Abbatissae Sancti Damiani Assinatis, eiusque « Sororibus, tam praesentibus, quam futuris, « salutem et benedictionem paternam. Quia « vos, dilectae in CHRISTO Filiae, mundi pom« pas et delicias contempsistis, et ipsius CHRI« STI, ejusque sanctissimae MATRIS sequentes « vestigia, elegistis habitare inclusae corpore, « et in paupertate summa deservire, ut mente « libera possitis DOMINO famulari: nos vestrum « sanctum propositum in DOMINO commen« dantes, votis vestris, et sanctis desideriis « libenter volumus affectu paterno favorem « benevolum impartiri. Eapropter, vestris piis « precibus inclinati, formam vivendi ac mo« dum sanctae unitatis, ac altissimae paupertatis, quam vobis B. Pater Franciscus, verbo « et scripto tradidit observandam, praesentibus « annotatam auctoritate Domini Papae et mea, « vobis et omnibus in vestro monasterio suc« cedentibus in perpetuum confirmamus, et « praesentis scripti patrocinio communimus, « quae talis est »:

CAPUT I.

In nomine DOMINI: Amen.

Incipit Regula et forma vitae Ordinis Sororum Pauperum (1), quae quidem est sanctum Evangelium Domini nostri JESU CHRISTI observare, vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate (2).

Clara, indigna ancilla CHRISTI (3), promittit obedientiam et reverentiam Domino Papae Innocentio ac Successoribus ejus canonice intrantibus et Ecclesiae Romanae. Et sicut in principio conversionis suae una cum Sororibus suis promisit obedientiam Fratri Francisco, ita eamdem promittit inviolabiliter observare Successoribus suis. Et aliae Sorores teneantur semper Successoribus Fratris Francisci et Sorori Clarae et aliis Abbatissis canonice electis ei succedentibus obedire.

CAPUT II.

QUALITER RECIPI DEBEANT.

Si qua, divina inspiratione venerit ad Sorores (4) volens vitam istam accipere, Abba-

(1) *Catechismo della prima Regola di S. Chiara*, in 8°, Ferrara, 1882. Apud Curiam Generalitiam invenitur.

(2) *Explication de la première Règle de Sainte Claire, avec un appendice sur les Constitutions de Sainte Colette*, par l'abbé F. Demore, Chanoine de Marseille. Apud Massiliense Monasterium procurari potest.

(3) Bulla *Ordinis tui* diei 5 Februarii 1447.

(4) Bullarium Romanum, anno 1253.

(1) In textu a S. Clara Innocentio IV proposito haec verba adduntur: *Quam B. Franciscus instituit.*

(2) De clausura cujus votum pariter emittunt Clarissae non fit mentio in Regula, quia postea, desinente, scilicet saeculo decimo tertio, canonicae clausurae stricta obligatio introducta est a Bonifacio VIII.

(3) Additur in textu S. Clarae: *Et plantula Beatissimi Patris Francisci.*

(4) *Ad Sorores*: in textu S. Clarae dicitur: *ad vos.*

tissa Sororum omnium consensum requirere teneatur. Et si major pars consenserit, habita licentia Domini Cardinalis Protectoris vestri (1) possit eam recipere. Et si recipiendam viderit, diligenter examinet eam vel examinari faciat de fide catholica et ecclesiasticis sacramentis. Et si haec omnia credat et velit ea fideliter confiteri et usque in finem firmiter observare et virum non habeat, vel, si habet, et jam Religionem intravit auctoritate dioecesani Episcopi, voto continentiae jam emisso, aetate etiam longaeva vel infirmitate aliqua seu fatuitate ab hujusmodi vitae observantia non impediente, diligenter exponat ei tenorem hujusmodi vitae (2). Et si idonea fuerit, dicatur ei verbum sancti Evangelii, quod vadat et vendat omnia sua et ea studeat pauperibus erogare. Quod si facere non potuerit, sufficit ei bona voluntas.

Et caveant Abbatissa et eius Sorores, ne sollicitae sint de rebus suis temporalibus, ut libere faciat de rebus suis, quidquid Dominus inspiraverit ei. Si tamen consilium requiratur, mittat eam ad aliquos discretos et Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur.

Postea capillis tonsis in rotundum et deposito habitu saeculari, concedant ei tres tunicas et mantellum.

Deinceps extra Monasterium sine utili, manifesta et probabili causa eidem exire non liceat. Finito vero anno probationis recipiatur ad obedientiam, promittens vitam et formam paupertatis vestrae in perpetuum observare. Nulla infra tempus probationis veletur.

Mantella (3) etiam possint Sorores habere pro alleviatione et honestate servitii et laboris. Abbatissa vero de vestimentis discrete eis provideat secundum qualitates personarum et loca et tempora et frigidas regiones, sicut necessitati viderit expedire.

(1) Quae licentia hodie non requiritur sed sufficit licentia immediati Superioris cui subest Monasterium.

(2) In textu S. Clarae legitur: *exponatur ei tenor vitae vestrae.*

(3) Haec mantella differunt a mantello supradicto Sororibus intrantibus concesso, quod quidem a Regula *praescribitur*. Mantella vero hic *permissa* « pro alleviatione et honestate servitii et laboris » determinantur, et designare videntur scapularia quae in diversis Monasteriis portari solent, quin a Regula praescribantur, ut conjicere licet ex Regula Urbani IV.

Juvenculae in Monasterio receptae (1) infra tempus aetatis legitimae tondeantur in rotundum, et deposito habito saeculari induantur panno religioso, sicut visum fuerit Abbatissae. Cum vero ad aetatem legitimam pervenerint, indutae juxta formam aliarum faciant professionem suam et tam ipsis quam aliis Novitiis Abbatissa sollicite Magistram provideat de Discretioribus totius monasterii, quae in sancta conversatione et honestis moribus juxta formam professionis Sororum eas diligenter informet.

In examinatione et receptione Sororum servientium extra Monasterium servetur forma praedicta (2); quae possint portare calceamenta. Nulla cum Sororibus residentiam faciat in Monasterio, nisi recepta fuerit secundum formam hujus (3) professionis.

Et amore sanctissimi et dilectissimi Pueri Jesu pauperculis panniculis involuti, in praesepio reclinati, et sanctissimae Matris Ejus moneo, deprecor et exhortor Sorores meas, ut vestimentis semper vilibus induantur.

CAPUT III.

De divino officio et jejunio, et quoties communicent.

Sorores litteratae faciant divinum Officium secundum consuetudinem Fratrum Minorum, ex quo potuerint habere breviaria, legendo sine cantu. Et quae occasione rationabili non possunt aliquando legendo dicere Horas suas, liceat eis, sicut aliae Sorores recitant, dicere « *Pater Noster* ». Quae vero litteras nesciunt, dicant viginti quatuor « *Pater Noster* » pro Matutino, pro Laudibus quinque, pro Prima vero, Tertia, Sexta, Nona, pro qualibet istarum septem, pro Vesperis autem duodecim, pro Completorio septem.

Pro defunctis dicant etiam in Vesperis septem « *Pater Noster* et *Requiem aeternam* », pro

(1) Istae puellae, ut patet ex contextu, non saeculares educandae, quae in clausura Clarissarum recipi nequeunt absque S. Sedis licentia, sed ad Ordinem praeparandae ac futurae Novitiae habendae sunt.

(2) Quum tempore S. Clarae non adesset clausurae obligatio, Sorores extra Monasterium servientes eamdem Regulam ac Sorores internae observabant. Promulgata vero lege clausurae, Sorores Tertii Ordinis generatim addictae sunt externo Monasterii servitio.

(3) In textu S. Clarae legitur: *vestrae*.

Matutino duodecim. Sorores litteratae teneantur dicere Officium Defunctorum.

Quando vero aliqua ex Sororibus migraverit, dicant quinquaginta « *Pater Noster* ».

Omni tempore Sorores jejunent; in Nativitate DOMINI, quacumque die venerit, bis refici possint. Cum adolescentibus, debilibus et servientibus extra Monasterium, sicut videbitur Abbatissae, misericorditer dispensetur. Tempore vero manifestae necessitatis non teneantur Sorores jejunio corporali.

Duodecim vicibus ad minus de Abbatissae licentia confiteantur in anno. Et cavere debent, ne alia verba tunc inserant, nisi quae ad confessionem et salutem pertinent animarum.

Sex (1) vicibus communicent, videlicet in Nativitate DOMINI, in quinta feria majoris hebdomadae, in Resurrectione DOMINI, in Pentecoste, in Assumptione Beatae Virginis et in festo omnium Sanctorum. Pro communicandis infirmis Sororibus Capellanis intus liceat intrare (2).

CAPUT IV.

DE ELECTIONE ABBATISSAE.

In electione Abbatissae teneantur formam canonicam observare. Procurent ipsae habere Generalem Ministrum vel Provincialem Ordinis Fratrum Minorum, qui verbo DEI eas informet ad omnimodam concordiam, communem utilitatem in electione facienda, et nulla eligatur nisi Professa. Et si non Professa eligeretur vel aliter daretur, ei non obediant, nisi primo (3) profiteatur formam hujus paupertatis.

Qua decedente, electio alterius fiat Abbatissae. Et si aliquo tempore appareret universitati Sororum, praedictam non esse sufficientem ad servitium et communem utilitatem ipsarum, teneantur praedictae Sorores juxta formam praedictam, quam citius poterunt, aliam sibi in Abbatissam et matrem eligere.

Electa vero cogitet, quale onus in se susceperit (4) et cui redditura est rationem de grege sibi commisso, studeat etiam aliis magis praeesse virtutibus et sanctis moribus, quam ex officio, ut ejus exemplo provocatae Sorores potius ex amore obediant, quam timore. De privatis amoribus caveat, ne, dum in parte plus diligit, in toto scandalum generet. Consoletur afflictas. Sit etiam ultimum refugium tribulatis, ne, si apud eam remedia defuerint sanitatum, desperationis morbus praevaleat in infirmis. Communitatem servet in omnibus, praecipue autem in ecclesia, dormitorio, refectorio, infirmaria et vestimentis. Quod simili modo servare ejus Vicaria teneatur.

Semel in hebdomada ad minus Abbatissa Sorores suas teneatur ad capitulum convocare, ubi tam ipsa, quam Sorores de omnibus et publicis offensis et negligentiis debeant humiliter confiteri. Et quae tractanda sunt pro utilitate et honestate Monasterii, ibidem conferat cum omnibus Sororibus. Saepe enim DOMINUS, quod melius est, minori revelat.

Nullum debitum grave fiat, nisi de communi consensu Sororum et manifesta necessitate, et hoc per procuratorem. Caveat autem Abbatissa cum Sororibus suis, ne depositum aliquod recipiat (1) in Monasterio; saepe enim de his turbationes et scandala oriuntur.

Ad conservandam autem unitatem mutuae dilectionis et pacis de communi consensu omnium Sororum omnes Officiales Monasterii eligantur. Et eodem modo octo ad minus Sorores de Discretioribus eligantur, quarum in his, quae forma vitae Sororum (2) requirit, Abbatissa semper uti consilio teneatur. Possint etiam Sorores et debeant, si eis utile et expediens videatur, Officiales et Discretas aliquando removere et alias loco ipsarum eligere.

CAPUT V.

DE SILENTIO ET MODO LOQUENDI AD LOCUTORIUM ET AD CRATEM.

Ab hora Completorii usque ad Tertiam Sorores silentium teneant, exceptis servientibus extra Monasterium. Sileant etiam continue in ecclesia, dormitorio, et in refectorio tantum dum comedunt, praeterquam in infirmaria, in qua pro recreatione et servitio infirmarum loqui discrete semper Sororibus liceat. Possint etiam semper et ubique breviter submissa voce, quod necesse fuerit, insinuare.

(1) In textu S. Clarae dicitur: *Septem vicibus* quia Beata Abbatissa inter dies Communionis addidit *festum Sancti Francisci.*

(2) In textu S. Clarae dicitur: *celebrare.*

(3) Ibid.: *prius.*

(4) Ibid. *suscepit.*

(1) Ibid. *recipiatur.*

(2) Ibid. *Vitae vestrae.*

Non liceat Sororibus loqui ad locutorium vel ad cratem sine licentia Abbatissae vel ejus Vicariae. Et licentiatae ad locutorium loqui non audeant, nisi praesentibus et audientibus duabus Sororibus. Ad cratem vero non praesumant accedere, nisi praesentibus ad minus tribus per Abbatissam vel ejus Vicariam assignatis de illis Discretis, quae sunt electae ab omnibus Sororibus pro consilio Abbatissae. Hanc formam loquendi teneantur pro posse Abbatissa et ejus Vicaria observare. Et hoc de crate rarissime. Ad portam vero nullatenus fiat.

Ad cratem vero pannus interius apponatur, qui non removeatur, nisi cum proponitur verbum Dei vel aliqua alicui loquatur. Habeant etiam ostium ligneum diversis vel duabus seris ferreis, valvis et vectibus optime conjunctum, ut, nocte maxime, duabus clavibus obseretur, quarum unam habeat Abbatissa, aliam vero Sacrista; et maneat semper obseratum, nisi cum auditur divinum Officium et pro causis superius memoratis. Nulla ante solis ortum vel post solis occasum loqui ad cratem alicui ullatenus debeat. Ad locutorium vero semper pannus, qui non removeatur, interius maneat. In Quadragesima sancti Martini et Quadragesima majori nulla loquatur ad locutorium, nisi sacerdoti causa confessionis vel alterius manifestae necessitatis, quod reservetur in prudentia Abbatissae vel ejus Vicariae.

(Continuabitur).

III.
MISSIONES

—

COLLEGIUM MISSIONARIORUM
SUCRE IN REP. BOLIVIANA
anno 1887.

Collegium hoc Apostolicum quasi extra moenia civitatis *Sucre* (usque ad 1840 *Chuquisaca* apellatae) positum, duodecim constat Sacerdotibus, quorum quinque vel per aetatem vel per habitualem infirmitatem et ultimus per directionem Seminarii hujusce Archiepiscopatus impares sunt ad implendum Sacri Ministerii exercitium: sex vero alteri totis viribus in hac civitate sacro ministerio omnimode incumbunt. Idcirco, hic et nunc nullius Missionis inter infideles Collegium curam habere potest. Numero sacerdotum addendi sunt octo juvenes Clerici proxime ordinandi, nec non septem Laici Fratres professi.

Conventus in superiori civitatis parte positus, ab ejus fundatione a R. P. F. Francisco Morales, anno 1600, ad Recollectos pertinuit, usque ad Religiosorum omnium suppressionem (anno 1826), peracta scilicet hujus Reipublicae ab Hispania emancipatione. Anno vero 1837 restitutus fuit Religiosis et erectus in Collegium Apostolicum de Propaganda Fide sub Stae Annae titulo, a R. P. F. Andrea Herrero.

Civitas *Sucre* ad altitudinem 2844 metrorum supra mare elevatur. Civilis ejus circumscriptio quae ab antiquo nomine *Chuquisaca* nuncupatur, limitatur ad Septentrionem cum Cochabambae et Sanctae Crucis districtu: ad Meridiem cum Tarijae: ad Orientem cum flumine *Paraguay:* ad Occ. cum districtu *Potosi.*

Lingua officialis, ut ajunt, Reipublicae Bolivianae est hispanica; idioma vero vernaculum *Quichua* dicitur.

Clima ejus temperatum est ac salubre, nullaque ibidem saevit epidemia.

Incolarum Civitatis numerus est 15, 404 et omnes, paucissimis extraneis exceptis, catholicam Religionem profitentur.

Civitas *Sucre* Sedes est Archiepiscopalis seu Metropolitana; cujus jurisdictio ad Dioeceses *Potosi, Oruro, Tarija* extenditur. In Archidioecesi 130 Paraeciae numerantur, et in ipsa Metropoli, praeter Ecclesiam Cathedralem et Paraecias quinque, duodecim aliae Ecclesiae seu oratoria publica habentur.

Seminarium conciliare sub Sti Christophori titulo a Christophoro Archiepiscopo anno 1760 erectum est. Benemeritus Rector Fr. Emmanuel Murga, hujus Collegii nostri alumnus, anno 1881 mortuus, illud suo zelo, scientia et prudentia eximia reformavit, vigore disciplinae communivit atque a civili auctoritate cui subjacebat, independens omnino reddidit. Nunc vero sub directione cujusdam Confratris nostri, habet Facultatem Sacrae Theologiae cum 24 alumnis et Gymnasium in quo 200 alumni interni vel externi educantur.

Praeter hoc Collegium, adsunt in civitate Moniales Stae Clarae numero 30; Moniales

Carmelitanae numero 18; S. Monicae numero 7; et *Beatae* nuncupatae, sive Dominicanae S. Catharinae Senensis numero 6. Denique habetur Oratorium Congregationis Sti Philippi Nerii cum octo Sacerdotibus.

Instructio publica sub Cancellàrii civilis inspectione Catholicis principiis generatim consona est. In duobus institutis cum 154 alumnis jus civile traditur et in altero medicali Instituto 57 alumni edocentur. Tandem in Collegio Instructionis secundariae habentur 200 alumni.

Instructio primaria puerorum in 12 scholis datur 884 pueris, quarum 3 ad societatem catholicam Sti Iosephi Calasanctii pertinent; 3 aliae ad particulares; ceterae vero ad civile Municipium.

Primaria puellarum instructio in septem scholis traditur 500 puellis, quarum unam Sorores *Filiae Stae Annae* vocatae dirigunt, aliam privata magistra; ceteras vero Municipium. Denique parvularum schola praedictarum *Beatarum* curae subest, cum 40 parvulis.

Nosocomium tandem ac Manicomium adsunt pro infirmis mulieribus, quibus praelaudatae Filiae S. Annae spirituales corporalesque curas cum omni charitate praestant.

IV.

BIBLIOGRAPHIA

—

Agreda (Ven. Maria de Jesu de). — La Pasion de N. S. Jesucristo, tomada de la obra *Mistica Ciudad de Dios,* historia divina manifestada por la Reina del cielo a la V. M. Sor Maria de Jesus, Abadesa del Convento de la Immaçulada Concepcion de Agreda, de la Regular Observancia de N. S. P. S. Francisco. Santiago, imprenta del Colegio de PP. Franciscanos, a cargo de Fr. Ramon Rey. 1866. In-16. pag. 526.

Antonius M. Pallotta a Gentiano, Min. Ref. — Orazioni Sacre in lode di Nostro Signore Gesù Cristo, di Maria Santissima, di varii Santi e della Professione Religiosa di una Monaca Chiarissa pel M. R. P. Antonio M. Pallotta da Genzano, Lettore G.le di Eloquenza Sacra, Emerito in Sacra Teologia, Prefetto degli Studii ed ex-Ministro Provinciale dei M. Riformati di Basilicata. Napoli, Tipografia editrice degli Accattoncelli, San Raffaele a Mater Dei. 1886. In-16. Pag. 454. — Prezzo Lire 4.

Hyeronimus Vladić a Rama, Min. Obs. — Katekizam u Propovjedih ili Nacrti za kateketicke propovjedi obilati dokazim svetoga pisma, svetih otaca i svietske poviesti za sve nedjelje i glavnije blagdane u godini. Probrao, preveo i pomjestio O Jeronim Vladic iz Rame, franjevac bosanski. Svezak 1. Ciena I for. 50 novc. Sarajevo, 1887, Tiskara Spindlev i Löschnev. — *Latine:* Catechismus praedicatus sive conceptus concionatorii copiosis testimoniis Sacrae Scripturae, sanctorum Patrum, historiae profanae, in omnes Dominicos et praecipuos festos dies compilavit P. Hieronymus Vladic a Rama, Franciscanus Bosnensis. Tomus I. — Sarajevo, 1887, Typis Spindler et Löschner.

Livinius ab Hamme, Recol. Provinciae S. Josephi in Belgio Laicus. — Guide indicateur des sanctuaires et Lieux historiques de la Terre-Sainte, par le Fr. Liévin de Hamme. (Editio III.).

Idem opus iam 1870 a pie defuncto P. Cypriano a Tarvisio conversum fuit in linguam italicam.

Nunc vero a P. Francisco Josepho Costa-Major, Ordinis nostri sacerdote et hospitii austriaci Hierosolymis rectore, in linguam germanicam translatum, multis additamentis auctum, et in tres tomulos divisum, Moguntii prodiit. Venumdatur haec versio germanica 14,40 Marcis.

Hunc librum commendamus non modo peregrinantibus in Palaestina, sed etiam illis, qui sacris Litteris interpretandis student; in eo enim pars geographica exacte delineatur, et monumenta historiae sacrae breviter et clare proponuntur.

The Pilgrim of Palestine, a Journal devoted to the interests of the Sanctuaries of the Catholic Church in the Holy Land.

April, 1887. Published at 135 West Thirty-First st. New York.

All Communications to be adressed to Very Rev. Charles A. Vissani.

The Pilgrim will be issued in January, April, July and October.

Subscription for one year	30 cent.
A single Copy,	8 »

Ad quartum annum pervenit hoc periodicum et a mense januarii vertentis anni formam suam pristinam mutavit ac meliorem reddidit.

Sigismundus a Jennis. — Litaniae B. V. M. n.° 31 tribus vocibus modulatae a R. P. Sigismundo a Jennis. Min. Ref. Editio 2.ª emendata, *Kyrie* et *Agnus Dei* locupletata.

Pret. In Italia		f. 5.
	Extra	f. 5,50.

Haberi potest ab eodem Auctore, Neapoli in Conventu S. Clarae.

V.
NECROLOGIA

—

Rmus P. Aloysius Agazio, Episcopus Triventinus, in pervigilio Purificationis B. M. V. currentis anni migravit, in Coelum, syderis instar, in perpetuas aeternitates coruscaturus. Loquamur de ipso pauca, ut ejus imitemur exempla.

In oppidulo Soriani, Mileti Dioecesis, die 19 Septembris 1807 ex piis parentibus natus est. A pueritia bonis semper moribus imbutus, et Dei benedictionibus praeventus, habitum induit nostri Seraphici Ordinis in Reformata Provincia Sanctorum Septem Martyrum 1ae et 2ae Calabriae Ulterioris, die 26 Junii 1827, et anno sequenti solemnem emisit professionem, mutato in Fratre Aloysio a Soriano nomine Dominici Agazio.

Promptus ingenio, politioribus litteris et theologicis scientiis, felici cum successu, incubuit; ita ut, Sacerdotio consecratus, philosophiae primum, et dein Sacrae Theologiae Lector renuntiatus fuerit. Multis annis in nostro Conventu Catacii docuit, et plurimos alumnos iisdem imbuit scientiis, quibus ipse excultus erat. Orationis studium habuit amicum, in quo se exercuit semper; non solis temporibus a nostris Constitutionibus praefixis, sed in illis etiam sibi liberis, nocte praesertim, quando late cuncta silent. Communibus vitae claustralis exercitiis semper praesto fuit; silentium amavit, comitatem, modestiam, Ordinisque statuta. Verbo igitur et opere discipulos, aliosque Fratres ad regularem observantiam inducebat. In praedicatione divini Verbi per multos annos, Catacii praecipue, nulli secundus erat; ideoque omnes eum laudabant, ab ore suo pendebant, et cum magno suarum animarum lucro eum audiebant. Quibus virtutibus, omnibus perspectis, dignus fuit qui in Magistrum, Definitorem et Custodem Provinciae eligeretur. Et tandem a Rmo Patre Ministro Generali, Venantio a Celano Lector Emeritus renuntiatus fuit, mense Januario 1854, quando, ipso praeside, in Conventu SS. Annunciationis Tropeae comitia provincialia agebantur.

Tanta Patris merita ad aures usque Sanctae Sedis Apostolicae delata sunt. Summus Pontifex Pius Papa IX in Festo Visitationis B. M. V. anni 1854 P. Aloysium Episcopum elegit Triventinae Dioecesis. In alma Urbe consecratus, statim civitatem petiit Triventi, omnibus Dioecesanis plaudentibus et laetantibus. In Episcopali dignitate constitutus, nihil de professa Regula immutavit, habitum Seraphicum, tanquam salutis signum, ad mortem usque retinuit, necnon et seraphica sandalia, quamdiu potuit. Boni Pastoris officio semper functus est, vel in promovendis Seminarii studiis, vel in ecclesiastica disciplina restauranda, vel in divini Verbi praedicatione, quam numquam omisit, Triventi praesertim, et quandoque etiam Quadragesimae et Adventus temporibus. Quovis anno totam peragrabat Dioecesim, ubique verbo et exemplo praedicans. Concilio interfuit Vaticano, et omnia Episcopi munia alacer obivit. Ordinem Seraphicum, praecipue Matrem Provinciam adamavit, et quantum potuit proprio aere adjuvit, tum in alumnorum indigentia, qui in aliena Provincia studiis vacabant, tum in erectione novi Conventus sub titulo S. Mariae Sanitatis Tropeae. Erga omnes se exhibuit patrem amantissimum, praesertim erga pauperes, qui adhuc lugent jacturam fecisse magnam in morte tanti Patris. Duas fovit praecipuas devotiones; in Mariam semper Virginem, quam uti Matrem diligebat; et in defunctos piacularibus flammis detentos. In tabulis habebat scripta omnium Religiosorum suae Provinciae nomina, ut anniversariis adjuvaret suffragiis, unius sacrificio Missae pro singulis; et repetitis litteris actuali Ministro Provinciae commendabat ne oblivisceretur, statim a nuncio mortis, pares rependere vices. Euge, amantissime Pater, non es defraudatus a desiderio tuo; et Provincia quam adamasti non cessabit tibi a Domino requiem adprecari sempiternam. Sit semper in pace locus tuus, et habitatio tua in S. Sion. Amen.

In oppido Nocchi prope Lucam, die 29 Sept. anni 1826, natus est carissimus in CHRISTO Frater P. JACOBUS MECCHI. DEO in Seraphico Instituto servire cupiens, inter Min. Obs. Provinciae Romanae adlegi humiliter petiit, et in sacro Civitellae prope Sublacum recessu religiosum habitum induit anno 1844, die 15 Aug. Solemni postea votorum professione emissa, Philosophiae ac Theologiae studuit. Sacerdos tandem effectus, 25 Maji 1852 navim conscendit Bonaërensem (Americae Meridionalis) civitatem versus: inde Boliviam petivit, et ad hoc S. Mariae Angelorum in civitate Tarijae Collegium feliciter pervenit.

Quamdiu defletus Pater permansit in Collegio, susceptoque consilio, vota sua solvit, suorum mandata effecit, addidit facta pollicitis.

Decennio expleto, in patriam redire statuit: Collegium propterea deseruit, bene de eo meritus. Verum recogitans, dum iter haberet, rerum italicarum adjuncta haud esse favorabilia, ad Collegium S. Caroli in Republica Argentina suum direxit gressum. Ibi fidelis servus et prudens fuit. Cum autem gestaret Tarijam in corde, anno 1867 huc rediit; ibidemque semper et gratanter exhaurivit Superiorum mandata.

Anno demum 1886, mense Decembri, non tam labore aetateve, quam mortifera *peritonitis* aegrotatione, se mortem oppetere cognovit. Quomobrem summa cum animi demissione admissis rite accusatis, Sanctum CHRISTI corpus in viaticum sibi allatum, etsi gravissime cubans, submissis tamen humi genibus accipere voluit. Postero die Extremae-Untionis Sacramento suscepto, ejus autem inenarrabilis devotio apostolicique pectoris digna fides, et pergrandis humilitas, qua unicuique nostrum, quos semper amavit corde, veniam rogavit, coëgerunt lacrymas omniumque corda sciderunt. Quarto denique die, in vigilia Nativitatis Domini, nocte media, quando Dominus JESUS CHRISTUS pro salute hominum nasci mundo dignatus est, animam in osculo pacis exhalavit suoque DOMINO, in forma hominis illi occurrentis, grato animo reddidit, annum agens aetatis sexagesimum, superque menses duos, et dies 25.

Sicut DOMINO placuit, ita factum est: sit nomen DOMINI benedictum. Ejus insuper pretiosa in conspectu DOMINI mors animum nostrum ineffabili jucunditate perfundit. Verumtamen dolemus, quia evangelicum amisimus operarium; dolemus dolore populorum, quia summam illius in se humanitatem obtinebant. Numquam non praestitit agricolis benevolentiam et pietatem: erigebat afflictos; dexteram puellis orbitate laborantibus parentibusque orbatis porrigebat; pater erat pauperum et indigentium, sedabatque controversias et contentiones, si quae inter eos erant: omnibus praesto fuit. Quanto cum gaudio istorum omnium confessiones excipiebat! Humanitatis et caritatis ergo maxime illis acceptus erat. Sed heu nos miseros! Cur mors meliora rapit? Nimirum quia meritorum jam erat plenus, jamque coelo maturus. R. I. P.

Fr. GERVASIUS COSTA
Chronologus Collegii.

—

Adm. R. P. ANGELUS A CASERTA, Observantis Provinciae Neapolitanae Lector iubilatus, actualis Definitor generalis Ordinis, die 4ª huius mensis et anni pie in DOMINO obiit Neapoli in conventu S. Petri ad Aram, cuius uberiorem necrologiam futuro in fasciculo, cum necessariae notitiae ad nos pervenerint, daturi sumus. Interim vero amantissimi Confratris nostri animam in pias Fratrum preces enixe commendamus.

R. I. P.

Nihil obstat

FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

EX S. RITUUM CONGREG.

I.

Squillacen.

Hodiernus Archipresbyter Parochus loci vulgo *Riace* intra fines Dioeceseos Squillacen. exponens, penes suam ecclesiam matricem duas sodalitates canonice erectas sedem habere, videlicet confraternitatem uno abhinc saeculo existentem sub nomine sanctorum Martyrum Cosmae et Damiani, alteram vero anno 1883 institutam sub titulo SSmi Sacramenti, quas inter quaestio exoritur de praecedentia in processionibus, in quibus SSmae Eucharistiae Sacramentum defertur, sequens dubium Sacrorum Rituum Congregationi humillime subjecit, opportunam solutionem enixis precibus exposcens, commendationis officio a Rmo Episcopo Squillacensi suffultis, nimirum:

An Confraternitas SSmi Sacramenti in processionibus, in quibus SSmum Eucharistiae Sacramentum defertur, jure praecedentiae gaudeat prae memorata sodalitate Cosmae et Damiani, necne.

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii exquisitoque alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris re mature perpensa, ita proposito dubio rescribendum censuit: *Affirmative,* dummodo in caeteris processionibus sodalitas SSmi Sacramenti juxta ordinem antianitatis incedat. Atque ita rescripsit et servari mandavit die 17 Januarii 1887.

D. Card. Bartolinius, S. R. C. Praef.

Laurentius Salvati, S. R. C. Secret.

—

II.

Sanctimonialium Ordinis S. Clarae.

Hodierna Abbatissa Sanctimonialium Ordinis Sanctae Clarae in Monasterio Lugdunensi degentium votis obsecundans suarum Alumnarum, a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII humillime expetivit, ut insequentes ritus elevationes pro kalendario in usum ipsius Monasterii benigne indulgere dignaretur, nimirum: *Sacratissimi Cordis* Jesu ad ritum *Duplicis primae classis cum Octava; Purissimi Cordis* Mariae ad ritum *Duplicis secundae classis,* ac *Sanctae Coletae* Virginis, prouti jam aliis Clarissarum Monasteriis concessum est, ad ritum *Duplicis primae classis.* Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, attento commendationis officio Rmi Ordinarii Archidioeceseos Lugdunen., *petitas elevationes benigne indulsit;* attamen quoad Festum Sacratissimi Cordis Jesu annuit tantummodo pro elevatione ad ritum *Duplicis secundae classis cum Octava;* servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 14 Martii 1887.

L. ✠ S.

D. Card. Bartolinius, S. R. C. Praef.

Laurentius Salvati, S. R. C. Secret.

RESCRIPTUM

concedens indulgentiam 100 d. cuidam orationi S. Bonaventurae.

Devotissima oratio S. Bonaventurae, Episcopi Card. Doctoris, ex opusculo *Stimulus amoris* descripta:

« DOMINE sancte, Pater omnipotens, aeterne DEUS, propter tuam largitatem, et FILII tui, qui pro me sustinuit passionem et mortem, et Matris ejus excellentissimam sanctitatem, atque beati Francisci, et omnium Sanctorum merita, concede mihi peccatori, et omni tuo beneficio indigno, ut te solum diligam, tuo amore semper sitiam, beneficium passionis in corde habeam, meam miseriam recognoscam, et ab omnibus conculcari et contemni cupiam: nihil me contristet nisi culpa. Amen ».

Die 11 Aprilis 1874. — « *Benedicat vos* DEUS *in bonis operibus, et concedat vobis centum dies de vera indulgentia, semel in die lucrandos ab omnibus Christi fidelibus supradictam precem devote recitantibus.*

PIUS PP. IX ».

II.

ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS

Incitamenta Seraphica.

—

DE DISCIPLINA REGULARI RESTITUENDA

CAPUT II.

DE ORATIONE

§ 6. *De devotione privata.*

(Continuatio).

97. Praeter B. MARIAM Virginem etiam sanctos Angelos atque Sanctos ac Sanctas DEI speciali semper cultu prosequamur. Inter sanctos Angelos peculiari cultu veneremur *Angelum* nostrum *Custodem,* cui ineffabili providentia DEUS mandavit, ut custodiat atque protegat nos in omnibus viis nostris. Pariter *S. Michaelem* Archangelum, principem coelestis exercitus ac Ecclesiae sanctae specialem defensorem, in cujus honorem S. P. N. Franciscus singulis annis jejunium quadraginta dierum observare solebat. Similiter *S. Raphaelem* Archangelum, *Dei medicinam* suo nomine exprimentem, cujus Festo in Ordine nostro assignata est (1) dies 16 Aprilis, ut omnes veneremur S. Archangelum ea die, qua seraphicus Patriarcha Franciscus per professionem suae Regulae Ordini nostro dedit initium, ut infirmis peccatoribus spiritualem pararet medicinam.

Porro praecipuam atque singularem devotionem habeamus erga *S. Joseph,* castissimum sponsum B. M. V., amantissimum Ecclesiae catholicae Patronum ac morientium potentissimum Protectorem, qui vitae interioris est exemplum et magister. Quot beneficia S. Theresia ex hac erga S. Joseph devotione obtinuerit, ipsa in suis scriptis narrat. Quare hanc devotionem omnibus quidem Fratribus nostris commendamus, praesertim autem illis, qui aut fundandis Conventibus, aut restituendae disciplinae, aut instituendis ac educandis juvenibus nostris operam navare debent. — Sanctos principes Apostolorum *Petrum* et *Paulum,* quos S. P. N. Franciscus eximio affectu coluit et pro obtinendo pro se et Fratribus suis sanctae paupertatis spiritu ferventer deprecatus est, nos pariter pro eadem gratia obtinenda enixe invocemus. — Tenerum ac vere filialem affectum atque devotionem semper nutriamus erga seraphicum Patrem nostrum ac Fundatorem *S. Franciscum,* ei quotidie nostras privatas ac totius Ordinis communes necessitates confidenter exponentes et commendantes. — *S. Antonium Paduanum,* inclytum Ordinis nostri thaumaturgum, quem tota christianitas veneratur et implorat, nos potiori modo honorare et invocare debemus. — Reliquos Ordinis nostri Sanctos pariter pio cultu semper prosequamur, ut eorum virtutibus incitati ac intercessione adjuti, ad vitae religiosae perfectionem atque ad aeternae vitae coronam feliciter pervenire valeamus.

98. Ad misericordiam erga *animas defunctorum* in purgatorio detentas exercendam quin-

(1) Rubr. nostr. Brev. approb. 1696, n. 17.

que *rationes* nos urgent, scilicet: 1° quia obligat lex diligendi proximum; 2° quia dictae animae terribiles poenas sustinent; 3° quia seipsas juvare non possunt; 4° quia nos illis facile succurrere possumus; 5° quia forsitan nostra causa patiuntur. Insuper quinque hujus pietatis *fructus* nos exstimulare debent; nimirum 1° quod in immensum adaugeat cumulum meritorum; 2° quod haec sit eleemosyna supra alias omnes beneplacens DEO, quippe collata ad accelerandam desideratissimam DEI parentis, animaeque filiae conjunctionem, erogata in nobilissimas sanctasque creaturas; 3° animae ipsae brevi DEO adfuturae nobis obligantur, de quibus certum est, ingratas esse non posse, nec beneficii obliviosas; 4° obligantur et Sancti, quos ipsa coluit, custosque Angelus, qui gaudent, dum animae subventum est in necessitatibus constitutae; 5° et ipsum obligat *Christum*, qui sibi reputat impensum, quod membris ipsius conjunctissimis praestitum est; sua enim tenetur promissione, beatos fore misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Animabus purgatorii succurrere possumus per SS. Missae sacrificium, per orationes, per opera mortificationis et per Indulgentias.

99. Innumeras *Indulgentias* lucrari possumus, quae partim cunctis Fidelibus, partim vero specialiter Ordini nostro sunt concessae. Utamur ergo quotidie hoc immenso thesauro pro propria nostra salute aeterna et pro animabus in purgatorio detentis, ne in vacuum tantae gratiae nobis sint concessae. Forsitan post breve temporis spatium ex hoc ditissimo thesauro jam non amplius poterimus haurire; ergo, dum tempus habemus, operemur bonum. Nimis probrosum esset, si nos Religiosi in rebus terrenis commodum nostrum et emolumentum quaerere, res vero, quae animae nostrae salutem concernunt, parvipendere vel negligere vellemus.

100. Docent Theologi (1), nullam omnino actionem humanam, licet alias moraliter bonam, atque ab homine in divina gratia constituto exercitam, esse gratiae et gloriae meritoriam, nisi *bona intentione* in DEUM relatam. Nimirum DEUS respicit principaliter non ad actionem, sed ad intentionem; non ad facultatem, sed ad voluntatem, ita ut ad mensuram intentionis crescat et meritum actionis. Intentio vel actualis vel virtualis esse potest. *Actualem* habet, qui ex actuali DEI amore actionem suam in DEUM refert, eumque illa laudare et honorare cupit, v. g. suspirando: « DOMINE, tibi; ad tuam gloriam; ad tuum beneplacitum ». *Virtualem* vero habet, qui vi praecedentis, et nondum revocatae intentionis operatur, ita ut illa praecedens intentio vere influat, licet tenuiter, in actionem subsequentem.

(1) v. g. S. Thomas 1. 2. qu. 114. art. 4; S. Bonaventura in 2. Dist. 41. qu. 3.

101. Omnis ergo actus, non tantum de se virtuosus et bonus, sed etiam indifferens, ut comedere, bibere etc., ita actu vel virtute in DEUM a charitate relatus, est et gratiae in praesenti, et gloriae in futuro meritorius. Econtra actus quantumvis bonus in genere morum, qui non est elicitus a charitate, neque actu vel virtute in DEUM ultimum finem relatus, prorsus inutilis est ad meritum. Propterea S. Gertrudem coelestis sponsus monuit (1), ut omnia sua opera minutatim offerret usque ad characteres, quos lectura et scriptura, et bolos, quos sumptura, et anhelitus, quos vigilans vel dormiens ductura esset. — Cogitemus ergo, quot bona opera in vanum faciamus, quot mortificationes incassum perferamus, quot labores, sudores et angores frustra sustineamus, et quot meritorum thesauros perdamus, si actiones nostras in DEUM non referamus. Mediante bona intentione, unica cogitatione, unico verbo, unico vel minimo opere lucrari possumus augmentum divinae gratiae, cujus vel unicus gradus omnes mundi divitias superat.

102. Quodcumque opus, etiam indifferens, pure factum propter DEUM, est perfectius omni alio opere, licet alias sublimi, non tamen facto propter DEUM, sed alium finem, quamvis in se etiam bonum. Sic comedere, bibere, dormire, et alia corporis necessaria propter et secundum DEUM sumere, nempe sicut vult DEUS, longe est DEO gratius, quam miris austeritatibus et orationibus vacare non propter DEUM, sed nostrum commodum consequendum. Debetur autem DEO, ut ipsum habeamus pro fine unico omnium cogitationum, verborum et actionum, ejusque majorem gloriam unice quae-

(1) Blosius, Instit. spirit. cap. 9.

ramus. Debetur hoc Deo ex justitia, *primo,* quia ejus excellentia dignissima est, ut omnia ad ipsum referantur. *Secundo,* quia concurrit ad omnes actiones nostras, unde justissimum est, ut per bonam intentionem ipsi omnia restituantur. *Tertio,* quia ipse est supremus Dominus noster, ideoque nos servi ejus non possumus absque injustitia ad alium finem tendere, quam ut ipsi soli simpliciter serviamus, eumque magno zelo sine admixtione alicujus creaturae quaeramus.

103. Devotae animae opera sua Deo offerre solent in unione operum, passionis et meritorum Christi omniumque Sanctorum ejus. Quanti momenti ac meriti haec unio sit, explicari nequit; opera enim nostra cum operibus Christi unita, et ita Deo Patri oblata, fiunt quodammodo deificata; quemadmodum enim gutta aquae dolio praestantis vini infusa tota in vinum mutatur: ita quoque, si opera nostra cum operibus Christi conjunguntur, maximi valoris ac pretii redduntur. Propterea S. M. Magdalena de Pazzis (1) dicit: « Quotiescumque creatura offert suis cum operibus « hunc Sanguinem, quo est redempta, Deo Patri tale donum offert, ut quasi non habeat « Deus pretium, quo illud solvat ». Unde subjungebat, eum, qui sic faceret, iturum recta ad coelum sine purgatorio post mortem.

104. Ille ergo Religiosus, qui media nocte vel mane surgit unice quia coactus; qui frequentat chorum, quia poenitentiam timet; qui componit quidem mores suos, sed solummodo ex respectu humano; qui has illasque devotiones quidem peragit, invenitur tamen in eis propria voluntas; qui omnia agit vel ex arida consuetudine, vel ob proprium interesse aut ob spem promotionis vel alios fines inanes et vanos: immensa merita perdit ob defectum bonae intentionis. Quamobrem quolibet mane omnes diei actiones nostras ac verba et cogitationes Deo offeramus, et hanc bonam intentionem subinde in die renovemus. Hac ratione vita nostra quasi continua oratio evadit.

105. Ad obtinendum et conservandum sanctae orationis spiritum multum juvant *preces jaculatoriae.* Hae preces sunt orationes brevissimae, modo sola mente, modo corde et ore ad coelum directae. De his precibus S. Joannes Chrysostomus dicit (1): « Christus, et « Paulus, jussit breves, sed crebras fieri pre« cationes ex paucis intervallis. Nam si in lon« gum extenderis verba, cum frequenter pa« rum sis attentus, multam audaciam diabolo « suppeditasti, ut accedat supplantetque, ac « mentem ab iis, quae dicuntur, avocet. Quod « si frequenter, ac subinde oraveris, tempus « omne crebris dirimens intervallis, facile po« teris esse sobrius et vigilans, ut precationem « multa cum attentione perficias ». Hoc quoque modo nos convenit *orare semper ad* Deum, ut in cunctis actionibus nostris, extra divini tempus officii, aspirationes aliquas et orationes jaculatorias inseramus, quae sunt veluti gemmae opus nostrum exornantes. Ne quis autem id lente et oscitanter exequatur, meminerit, omni die homines universos in aliquo detineri opere, et quidem serio. Alii detinentur in pecoribus pascendis, alii in agricultura, alii in vestimentis vel calceamentis consarciendis, alii in fabrilibus, studiis, venationibus occupantur: et erubescat Religiosus, se quoad exercitia spiritus ab iis superari, qui in sordidis aut vanis corporis exercitiis animo et corpore per dies integros fatigantur, et perseverant nihilominus in iisdem.

106. Haec et similia perpendentes viri vere spirituales ex Ordine nostro ita continui erant in dirigendis ad Dilectum animae suae jaculatoriis orationibus, ut nedum diebus, verum et noctibus, quoad fieri potest, eisdem incessanter intenderent. Sic v. g. S. P. N. Franciscus non raro in oratione pernoctabat, per totam noctem haec solummodo verba, summo cordis fervore semper repetendo: « Deus meus « et omnia ». S. Leonardus millies per diem vel voce vel mente pronuntiabat haec verba: « Mi Jesu, misericordia ». Et similiter omnibus Sanctis hujusmodi preces jaculatoriae valde familiares erant.

107. Studeamus et nos hanc piam praxim assumere vel continuare, ut hoc modo magis magisque spiritum orationis consequamur, et ad animi recollectionem ac internam cum Deo conversationem perveniamus. Domi forisque, in quovis negotio, quovis momento his preci-

(1) Vita et doctrina, cap. 44.

(2) Homil. de fide Annae.

bus jaculatoriis utiliter possumus uti, quibus labores nostri minime impediuntur, sed potius adjuvantur ac mirabiliter sublimantur.

(Continuabitur).

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1887 celebrata.

—

IV.

Obs. Provincia Neapolis.

In Congressu Generalis Definitorii die 23 Aprilis 1887 nominati ac designati sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

Adm. R. P. Cherubinus a Forigio.

CUSTOS PROVINCIAE

R. P. Samuel a Neapoli.

DEFINITORES

Adm. R. P. Franciscus Antonius a Supravia.
R. P. Thomas a Dentecane.
R. P. Marianus a S. Vitaliano.
R. P. Antonius a Quatrella.

—

V.

Obs. Provincia Romana.

Coadunatis in Conventu ad SS. XL Martyres de Urbe Patribus vocalibus, rite celebratum est hujus Provinciae Capitulum, praesidente Rmo P. Ministro Generali, die 27 Aprilis 1887, et electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

Adm. R. P. Bernardinus a Ferentino.

CUSTOS PROVINCIAE

Adm. R. P. Alexander a Cryptis Castri.

DEFINITORES

R. P. Benedictus a Tibure.
R. P. Iacobus a Castromadama.
R. P. Antonius a Mareno.
R. P. Franciscus ab Urbe.

—

REGULAE FRANCISCALES

I.

PRIMA REGULA

Monialium Sanctae Clarae.

(Continuatio).

CAPUT VI.

QUALITER SORORES NON RECIPIANT POSSESSIONEM ALIQUAM VEL PROPRIETATEM PER SE VEL PER INTERPOSITAM PERSONAM (1).

Abbatissa cum omnibus Sororibus sollicitae sint sanctam paupertatem, quam Domino DEO promiserunt, custodire, et eamdem teneantur Abbatissae futurae et Sorores omnes usque in finem inviolabiliter observare, videlicet in non recipiendo seu habendo possessionem vel proprietatem per se nec per interpositam personam, seu etiam aliquid, quod ra-

(1) In principio hujus Capitis sequens additio a S. Clara conscripta legitur in textu Innocentii IV approbationi proposito:

Postquam Altissimus PATER Coelestis per gratiam suam cor meum dignatus est illustrare, ut exemplo et doctrina Beatissimi Patris nostri Francisci poenitentiam facerem, paulo post conversionem ipsius una cum Sororibus meis obedientiam sibi voluntarie promisi. Attendens Beatus pauper, quod nullam paupertatem, laborem, tribulationem et contemptum saeculi timeremus, imo quod pro magnis deliciis haberemus, pietate motus scripsit nobis formam vivendi in hunc modum: « Quia Do-« MINI inspiratione fecistis vos filias et ancillas Altissimi « summi Regis PATRIS Coelestis, et SPIRITUI SANCTO vos « desponsastis vivere secundum perfectionem sancti Evan-« gelii, volo et promitto per me et Fratres meos, sem-« per habere de vobis tamquam de ipsis curam diligen-« tem et sollicitudinem specialem ». Quod dum vixit diligenter implevit, et a Fratribus voluit semper impleri. Et ut nusquam declinaremus a sanctissima paupertate, quam coepimus, nec etiam eas, quae post venirent, lateret, paulo ante obitum suum, iterum scripsit nobis ultimam voluntatem suam, dicens: « Ego Frater Franci-« scus pauperculus, volo sequi vitam et paupertatem Al-« tissimi Domini nostri JESU CHRISTI et eius sanctissimae « Matris, et perseverare in ea usque ad finem. Et rogo « vos omnes dominas meas, et consilium do vobis, ut « in ista sanctissima vita et paupertate semper vivatis. « Et custodite vos multum, ne doctrina, vel consilio ali-« cuius, ab ipsa in perpetuum recedatis ». Et sicut semper sollicita fui, una cum Sororibus meis, sanctam paupertatem, quam Domino DEO et B. Francisco promisimus, custodire, sic teneantur Abbatissae, quae in officio mihi succedent, et omnes Sorores, usque in finem inviolabiliter observare....

tionabiliter proprietas dici potest, nisi quantum terrae pro honestate et renovatione Monasterii necessitas requirit. Et illa terra non laboretur, nisi pro horto ad necessitatem ipsarum.

CAPUT VII.

DE MODO LABORANDI.

Sorores, quibus dedit DOMINUS gratiam laborandi, post horam tertiam laborent de laboritio, quod pertinet ad honestatem et communem utilitatem, fideliter et devote, ita, quod excluso otio animae inimico, sanctae orationis et devotionis spiritum non extinguant, cui debent caetera temporalia deservire. Et id, quod manibus suis operantur, assignare in capitulo Abbatissae vel ejus Vicariae coram omnibus teneantur.

Item fiat de eleemosyna aliqua missa pro Sororum necessitatibus ab aliquibus, ut in communi pro eisdem recommendatio fiat. Et haec omnia pro communi utilitate distribuantur per Abbatissam vel ejus Vicariam de consilio Discretarum.

CAPUT VIII.

QUALITER SORORES NIHIL SIBI APPROPRIENT, ET DE INFIRMIS SORORIBUS.

Sorores nihil approprient sibi, nec domum nec locum nec aliquam rem, sed tamquam peregrinae et advenae in hoc saeculo in paupertate et humilitate DOMINO famulantes mittant pro eleemosyna confidenter. Nec oportet eas verecundari, quia DOMINUS pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Haec est illa celsitudo altissimae paupertatis, quae vos charissimas Sorores meas haeredes et reginas regni coelorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Haec sit portio vestra, quae perducit in terram viventium, cui, dilectissimae Sorores, totaliter inhaerentes nihil aliud pro nomine Domini JESU CHRISTI in perpetuum sub coelo habere velitis.

Non liceat alicui Sorori litteras mittere vel aliquid recipere aut extra Monasterium dare sine licentia Abbatissae.

Nec quidquam liceat habere, quod Abbatissa non dederit aut permiserit. Et si a parentibus suis vel ab aliis aliquid mitteretur, Abbatissa faciat illi dari; ipsa autem, si indigeat, uti possit; sin autem, Sorori indigenti charitative communicet. Si vero aliqua pecunia transmissa fuerit, Abbatissa de consilio Discretarum de illis, quorum indiget, illi faciat provideri.

De infirmis Sororibus tam in utensiliis, quam in cibariis et aliis necessariis, quae earum requirit infirmitas, teneatur firmiter Abbatissa sollicite per se vel per alias inquirere et juxta possibilitatem loci charitative et misericorditer providere, quia omnes tenentur providere et servire Sororibus suis infirmis, sicut vellent sibi deserviri, si ab aliqua infirmitate tenerentur. Et secure manifestet una alteri necessitatem suam, quia, si vera mater diligit et nutrit filiam suam carnalem, quanto diligentius debet quaelibet Soror diligere et nutrire Sororem suam spiritualem? Quae infirmae sunt, in saccis et paleis jaceant et habeant ad caput capitalia cum pluma. Et quae indigent pediolis laneis et culcitris, uti possint.

Infirmae vero praedictae, cum ab introëuntibus Monasterium visitantur, possint singulae aliqua bona verba sibi loquentibus breviter respondere. Aliae vero Sorores licentiatae Monasterium intrantibus loqui non audeant, nisi praesentibus et audientibus duabus Discretis Sororibus per Abbatissam et ejus Vicariam assignatis. Hanc formam loquendi teneantur per (1) se Abbatissa et ejus Vicaria observare.

CAPUT IX.

DE POENITENTIA SORORIBUS IMPONENDA.

Si qua Sororum contra formam professionis nostrae mortaliter, inimico instigante, peccaverit, per Abbatissam vel alias Sorores bis aut ter admonita, si non se emendaverit, quot diebus contumax fuerit, in terra panem et aquam coram Sororibus omnibus in refectorio comedat et graviori poenae subjaceat, si visum fuerit Abbatissae. Interim dum contumax fuerit, oretur, ut DOMINUS ad poenitentiam cor illius illuminet. Abbatissa vero et ejus Sorores cavere debent, ne irascantur, vel conturbentur propter peccatum alicujus, quia ira et conturbatio in se et in aliis impediunt charitatem.

(1) In alio textu legitur: *pro se*.

Si contigerit, quod absit, inter Sororem et Sororem verbo vel signo occasionem turbationis vel scandali aliquando suboriri, quae turbationis causam dederit, statim, antequam offerat munus orationis suae coram DEO, non solum humiliter prosternat se ad pedes alterius, veniam petens, verum etiam suppliciter roget, ut pro se intercedat ad DOMINUM, quod sibi indulgeat. Illa vero memor illius verbi DOMINI: « Nisi ex corde dimiseritis, nec Pater vester coelestis dimittet vobis (1) », liberaliter Sorori suae omnem injuriam sibi illatam dimittat.

Sorores servientes extra Monasterium longam moram non faciant, nisi causa manifestae necessitatis requirat. Et honeste debeant ambulare et parum loqui, ut aedificari valeant semper intuentes. Et firmiter caveant, ne habeant suspecta consortia vel consilia aliquorum; nec fiant commatres virorum aut mulierum, ne hac occasione murmuratio vel turbatio oriatur. Nec praesumant rumores de saeculo referre in Monasterio, et firmiter teneantur de his, quae intus dicuntur vel aguntur, extra Monasterium aliquid non referre, quod possit aliquod scandalum generare. Et si aliqua simpliciter in his duobus offenderit, sit in providentia Abbatissae misericorditer sibi poenitentiam injungere. Si autem ex consuetudine vitiosa laberetur, juxta qualitatem culpae Abbatissa de consilio Discretarum illi poenitentiam iniungat.

CAPUT X.

DE VISITATIONE SORORUM AB ABBATISSA.

Abbatissa moneat et visitet Sorores suas et humiliter et charitative corrigat eas, non praecipiens eis aliquid, quod sit contra animam suam et hujus professionis formam. Sorores vero subjectae recordentur, quod propter DEUM abnegaverunt proprias voluntates. Unde firmiter Abbatissis obedire teneantur in omnibus his, quae observare promiserunt, et non sunt animae contraria et suae professioni.

Abbatissae vero tantam familiaritatem habeant circa ipsas, ut dicere possint eis et facere sicut dominae ancillis suis. Nam ita debet esse, quod Abbatissa sit omnium Sororum ancilla.

(1) Matth. VI, 15.

Moneo vero et exhortor in Domino JESU CHRISTO, ut caveant Sorores ab omni superbia, vana gloria, invidia, avaritia, cura et sollicitudine hujus saeculi, detractione et murmuratione, dissensione et divisione. Sint vero sollicitae semper ad invicem servare mutuae dilectionis unitatem, quae est vinculum perfectionis. Et nescientes litteras non curent litteras discere, sed attendant, quod super omnia desiderare debent habere spiritum DOMINI et sanctam ejus operationem, orare semper ad Eum puro corde et habere humilitatem et patientiam in tribulatione et in infirmitate et diligere eos, qui nos reprehendunt et arguunt, quia dicit DOMINUS: « Beati, qui persecutionem « patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum « est regnum coelorum; qui autem persevera- « verit usque in finem, hic salvus erit (1) ».

CAPUT XI.

DE OSTIARIA.

Ostiaria sit matura moribus et discreta, sitque convenientis aetatis, quae ibidem in cella aperta sine ostio in die resideat. Sit ei et aliqua socia idonea assignata, quae, cum necesse fuerit, vicem ejus in omnibus exequatur. Sit autem ostium duabus seris et diversis ferreis valvis et vectibus optime conjunctum et in nocte maxime duabus clavibus obseretur, quarum unam habeat Portaria aliamque Abbatissa. In die sine custodia minime dimittatur et una clave firmiter obseretur. Caveant autem studiosissime et procurent, ne unquam ostium sit apertum, ubi minus fieri poterit congruenter. Nec omnino aperiatur alicui intrare volenti, nisi concessum fuerit a Summo Pontifice vel a Domino Cardinali. Nec ante solis ortum Monasterium ingredi liceat, nec post solis occasum Sorores intus aliquem remanere permittant, nisi exigente manifesta, rationabili et inevitabili causa.

Si pro benedictione Abbatissae vel pro aliqua in monialem consecranda vel alio etiam modo concessum fuerit Episcopo alicui Missam interius (2) celebrare, quam paucioribus

(1) Matth. V, 10; X, 22.

(2) In textu S. Clarae legitur: *intus*.

et honestioribus poterit, sit contentus sociis et Ministris. Cum autem intra Monasterium ad opus faciendum necesse fuerit aliquos introire, statuat tunc Abbatissa sollicite personam convenientem ad portam, quatenus illis et non aliis ad opus deputatis aperiat. Caveant studiose omnes Sorores, ne tunc ab ingredientibus videantur.

CAPUT XII.

DE VISITATIONE.

Visitator Sororum semper sit de Ordine Fratrum Minorum secundum voluntatem et mandatum Domini (1) Cardinalis, et sit talis, de cuius honestate et moribus plena notitia habeatur. Cujus officium erit tam in capite, quam in membris corrigere excessus commissos contra formam professionis. Qui stans in publico loco, ut videri ab aliis possit, cum pluribus et singulis loqui liceat, quae ad officium visitationis pertinent, secundum quod melius videbitur expedire. Cappellanum etiam cum uno socio Clerico bonae famae, discretionis providae, et duos Fratres Laicos sanctae conversationis et honestatis amatores, in subsidium paupertatis, sicut hactenus ab Ordine Minorum misericorditer habuerunt, ab eodem Ordine postulent (2). Nec liceat Cappellano sine socio Monasterium ingredi. Et intrantes in loco sint publico, ut se possint alterutrum et ab aliis intueri.

Pro confessione infirmarum, quae ad locutorium ire non possunt, pro communicandis eisdem et pro extrema unctione et pro animae recommendatione liceat eisdem introire. Pro exequiis vero et Missarum solemniis defunctarum vel ad fodiendam vel aperiendam sepulturam seu etiam coaptandam possint sufficientes idoneae personae de Abbatissae providentia introire.

Ad haec Sorores teneantur semper habere illum de sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus pro gubernatore, protectore et correctore, qui fuerit a Domino Papa Fratribus Minoribus deputatus, ut semper subditae et subjectae pedibus ejusdem sanctae Romanae Ecclesiae, stabiles in fide catholica, paupertatem et humilitatem Domini nostri Jesu Christi et ejus sanctissimae Matris in perpetuum observemus.

Datum Perusii 16 kalendas Octobris, Pontificatus verò Domini Innocentii tertii anno decimo.

Nulli ergo etc.

Datum Assisii quinto idus Augusti, Pontificatus nostri anno undecimo (1).

(1) Ibi loco Domini habetur *nostri*.

(2) In textu S. Clarae sic habetur: *sicut misericorditer a praedicto Ordine Fratrum Minorum semper habuimus et intuitu pietatis Dei et B. Francisci ab eodem Ordine de gratia postulamus.*

(1) Die scilicet 9 Augusti 1253 paucissimis diebus ante mortem S. Clarae.

III.
MISSIONES

—

VICARIATUS CHAN-TONG SEPTENTRIONALIS.

Ex Epistola Rmi Dni Beniamini Geremia, *Regularis Obs. S. P. N. Francisci, Vicarii Apostolici* Chan-tong *septentrionalis.*

Zi-nan-fu, 1 Decemb. 1886

Rme Pater

Ad episcopalem, divina equidem miseratione, dignitatem evectus, meum omne studium ad id initio contuli ut remotae hujus regionis oves a summo Ecclesiae Pastore mihi concreditas et praesentia noverim et consilio iuvarem. Verum enim vero cum imprimis districtum invisere mihimetipsi propositum fuit, cujus Christiani ob tristissima rerum ac temporum adiuncta maximis abhinc annis pastoralis visitationis gratia perfrui minime potuere, quam propterea supplicibus votis sollicitabant. Atque ideo statim ac ab *Chan-si* ad *Zi-nan-fu* redux fui (2), postquam gratulationes omniaque fausta excepissem et fidei catechetes ex variis circumstantibus fidelium communitatibus adventantes audivissem, nec non sacram in Dominica septuagesimae habuissem Ordinationem, quae plena prorsus fuit, cum in ea omnes sacri Ordinis gradus a Tonsura nimirum ad Sacerdotium conferre mihi datum fuit, ad *Teingan* perrexi civitatem.

Percelebris est urbs isthaec Sinis universis ex eo vel maxime quia permultae ibi

(2) Cfr. *Acta* anno V, pag. 77.

adsint et praeclarae *Pagodes,* seu fana, quae praecelso quodam in monte adsurgunt, qui civitatem illam velut dominatur, et ex quinque, quos hi populi venerantur, est primus. Iter, quod optimum mihi fuit, licet salebrosae viae essent et praeruptae, eo tempore conficiebam quo solemnes agebantur peregrinationes; ea propter multą vidi virorum ac mulierum cuiusvis aetatis et conditionis agmina ad eadem quae habent sanctuaria in supplicationem venientia. Quos inter aderant qui ad omnem gradum versus montem genu flectebant: et mihi huiusce rei causam curiose percunctanti responderunt: hoc ritu proprio numini vota facta persolvi. — Multi e regionibus maxime dissitis hanc peregrinandi rationem ex voto insumunt, quod praesertim in parentum infirmitatibus eliciunt; et nonnulli eo usque haec vota conferunt, ut, post invisam divinitatem, ex illius montis altitudine praecipites sese deiiciant. Saepe proinde elisa et comminuta hominum cadavera ob viatorum oculos occurrunt.

Haec mea mente revolvens, tantumque in fictas illas immo daemonicas deitates devotionem admirans, cordis amaritudine adstrictus illacrymabar, idque mecum infremens suspiriis ingeminabam: — « Oh! si verum aeternumque Deum coeli et terrae Creatorem humanique generis Salvatorem novissent, tantamque illi pietatem adhibuissent, quod gaudium, quae gloria coelis terrisque foret! » Atque interim preces fundebam et vota Servatori Christo ac Matri Virgini solvebam, ut sedentibus in tenebris et umbra mortis aeternae veritatis ac justitiae lumen oriatur! Sed heu! superstitio adeo alte Sinensi in imperio suas egit radices quod hic daemon peculiarem prae aliis populis cultum obtineat; nec ulla, ut puto, terrarum gens alia subsistit, quae sanctam Christi Religionem magis impetat et odio prosequatur. Et si evangelizatores nostros vehementer haud eiiciunt, vel nefarie non interimunt, bellicis, quae maximopere timent, Europaeorum tormentis tantummodo prohibentur.

At vero ad nostra redeamus. Vespertinis horis diei martis ante Cineres, quae secunda itineris dies erat, veni in pagum *Man ciuan,* ubi Fidelium adest communitas: qui contra id quod eis antea commendaveram, quibusdam a pago milliariis obviam mihi solemniter venerunt, vexilla nimirum portantes suasque fistulas perflantes: sed et magna eo paganorum turba convenerat, qui admiratione peracti me adspicientes, quin alias in me insilirent, silentio dicebant; *« Tan kuei zu » diabolus occidentalis;* ego vero pro illorum bono et conversione exorabam. Cum ad pagum pervenimus, ecclesiam ingredientes omnes mecum de tutissimo itinere Deo gratias egerunt, ac deinde populo benedictionem impertivi. Tres hic dies transegi et pueros christiana doctrina edoctos audiens, et confessiones excipiens, et confirmationem sacram administrans. Deinde veni in pagum cui nomen *Uan chia ciuan,* quem centum circiter Christifideles incolunt, ubi aderat sacra quaedam aedes temporum iniuria et vetustate fatiscens quinimmo pene collapsa, quae ob fidelium loci ejusdem egestatem instaurari minime poterat: sed tum exhortationibus, cum suasionibus atque etiam exprobrationibus ad pecuniae collationem inter eos faciendam induxi; et ut facilius res eveniret quinquaginta ad id argenti uncias ipse reliqui, quae 400 libellarum pretio respondent. Nec mea fefellit opinio: etenim, ut rescivi, oratorium illud denuo fuit aedificatum.

Eadem amoris ac reverentiae signa expertus sum *Fun ciuan,* ubi idem mihi opus mansit et labor.

Haec post sex dies loca reliqui inter Fidelium omnium ejulationes et lacrymas; insuper et adultis et parvulis requirentibus ut alio tempore eos iterum adiverim, inter adhortationes et monita salutis spopondi, paucos post annos, si Domino placuerit, ad illos me fore reversurum.

Ad aliam Christianorum communitatem *Huchiocuan* duos post itineris dies perveni, quod inter praerupta montium et pericula multa confeci: sed horum omnium immemor fui, cum antiqui illi Christifideles certatim orantes mihi obviam venirent cum vexillis, ut adsolent, musicisque instrumentis hymnosque sacros cantantes; nam non paganorum hic multitudinem adspexi, quorum nullus *Huchiocuan* incolit, sed universum Fidelium populum. Quo in pago sex mansi diebus et die sancti Josephi, Sinarum et Ecclesiae universalis Patroni, sex et nonaginta Fideles Chrismate sacro linivi, quos etiam ad sacrum admisi convivium ad quod ultra centum prae-

terea Fideles accesserunt. Quam raro evenit praesertim in hoc Vicariatu quod Sacrorum Antistes tanta Fidelium hominum multitudine coronetur; perpaucae namque sunt Christianitates, quae vel quadringentorum vel quingentorum Fidelium numerum, ut ista, coaequant. Sed et parvas alias quae hanc circumstant nec longe inter se dissitas communitates invisi, quibus divini verbi, quoad potui, pabulum ministravi.

Nimis equidem longum esset et forsan etiam tibi grave, Pater Rme, si omnia narrare vellem quae vidi et feci omnibus in locis per quae transivi administrans Dei verbum divinaque mysteria dispensans. Brevi igitur sermone complectar quae rescire cupit tua in missiones nostras pervigil sollicitudo.

Vigintiquinque fidelium communitates invisi; at vero in decem tantum ex ipsis Confirmationis Sacramentum administravi, quia proximioribus qui erant in pagis confirmandi in centraliorem et commodiorem ad id conveniebant communitatem: ita ut quadringentos plus minus utriusque sexus Christifideles sacro Chrismate perlinivi atque ad Eucharisticam mensam admisi, eo quod omnes decimum annum ingressos et in christiana catechesi apprime instructos reperi. Inter praedictas Communitates tredecim sunt prorsus recentes, quae nunc primum proprium norunt Pastorem. His cum neophytis versatus non modica sane laetitia perfusus fui, videns praesertim quanta cura et fervore verbi Dei praedicationem suscipiunt, quantoque amore et reverentia Christi Jesu administrum prosequuntur. Haec tamen omnia meo in animo vincuntur memoria mihi solemni: districtus *Tcingan* sudoribus et sanguine P. Joannis Mariae Molina de Andria, Fratris nostri, perfusus est, qui anno 1862 a Religionis nostrae perduellibus praedicationis tempore captus et sublatus, dire necatus est, sed qua morte, licet diligenter inquisitum sit, ignoratur. Hunc ipsum districtum postea administravit deploratus P. Hannibal Fantoni, Vicarius Generalis, ac deinde R. P. Deusdedit Salermi, almae Obs. Romanae Provinciae alumnus direxit.

Multum equidem Missionarii nostri laborant ut Sinas ad Christi Religionem pertrahant, tum Confucii errores et superstitiones refutando, cum Christianae veritatis lumen commonstrando; sed parum respective proficiunt. Nimium enim de sua civilitate populus iste iactatur, deque propria eruditione superbit; flocci idcirco aliam quamcumque scientiam ipsi faciunt, nec ultro veritatem inquirere curant, sese omnibus sapientiores existimantes. Ac proinde orationibus omnium Fratrum nostrorum Sinarum gentes commendo, ac praesertim populos exiguitati meae concreditos, ut, divina opitulante gratia, magis semper et in dies credentium numerus augeatur. Paternitatem tuam Rmam tandem exoro ut Missionis *Chan-tong* septentrionalis memor semper existat, atque ad nos mittat Confratres qui nos adiuvent, nam *messis multa est, operarii autem pauci;* et ex his infirmi nonnulli (1). Dignare nunc, Rme Pater, seraphicam benedictionem mihi et coadiutoribus meis impertiri ac permitte, ut dexteram tuam deosculer dum me obtestor

Paternitatis tuae Rmae
Addictissimum in Christo filium

✠ Fr. Beniaminum Geremia, O. S. F.

Vicarius Aplcus Chan-tong septent.

IV.

VARIA

—

BREVIS CONSPECTUS.

Kalendarii pro anno 1888.

—

Litt. Dominic. *A G;* Litt. Martyrol. *s;* Epact. *XVII;* Aur. numer. *8;* Cycl. solar. *XXI;* Indict. Roman. *1.*

—

Quatuor anni tempora.

22. 24. 25. Febr. — 23. 25. 26. Maji — 19. 21. 22. Septemb. — 19. 21. 22. Decemb.

—

Officia Defunctorum.

18. Febr. — 13. Jul. — 7. Septemb. — 2. Novembr. — 13. Novembr. 1. (3) Decemb.

—

Ian. 1. Dom. (vac.) Circumcisio Dni.
» 8. Dom. infr. oct. et I. post Epiph.

(1) Ex habitis ultimis notitiis P. Gervasius Vonau a Tierbach, Obs. Prov. S. Ludovici, annos natus solummodo 29, qui a paucis mensibus ad Che-foo pervenerat, die 5 Maii obiit, immatura morte peremptus.

Ian. 15. Dom. II. p. Epiph. S. Pauli I. Erem.
» 22. Dom. III. p. Epiph. De ea semid. *(Romae et in Distr.* SS. Vincentii et Anastasii Mm.).
» 29. Dom. Septuagesimae.
» 31. Fer. 3. Orationis Dni.
Febr. 5. Dom. Sexagesimae.
» 6. Fer. 2. Ss. Petri-Bapt. etc. Mm. Iapon. dup. 2. cl. (fuit heri).
» 7. Fer. 3. Passionis Dni. (Req. pro f. r. Pio IX).
» 12. Dom. Quinquagesimae.
» 15. Fer. 4. Cinerum.
» 17. Fer. 6. Spineae coronae Dni.
» 19. Dom. I. Quadrag.
» 24. Fer. 6. Ss. Lanceae et clavor. Dni.
» 25. Sab. S. Mathiae Ap.
» 26. Dom. II. Quadrag. com. B. Sebastiani ab App. C. 1. O.
» 27. Fer. 2. S. Ignatii E. M.
» 29. Fer. 4. B. Thomae a Cora C. 1. O.
Mart. 2. Fer. 6. Ss. Sindonis Dni.
» 4. Dom. III. Quadrag.
» 9. Fer. 6. S. Catharinae de Bon. V. 2. O.
» 11. Dom. IV. Quadrag.
» 16. Fer. 6. SS. Sanguinis Dni.
» 18. Dom. Passionis.
» 23. Fer. 6. VII Dolor. B. M. V.
» 25. Dom. Palmarum.
» 26. Fer. 2. maj. hebd.
» 27. Fer. 3. » »
» 28. Fer. 4. » »
» 29. Fer. 5. in Coena Dni.
» 30. Fer. 6. in Parasceve Dni.
» 31. Sab. sanctum.
April. 1. Dom. Resurrect. Dni.
» 2. Fer. 2. Pasch.
» 3. Fer. 3. Pasch.
» 4. Fer. 4. infr. oct. Pasch.
» 5. Fer. 5. » » »
» 6. Fer. 6. » » »
» 7. Sab. » » »
» 8. Dom. in Albis De ea, dup.
» 9. Fer. 2. Annuntiat. B. M. V. (fuit 25. Mart.).
» 10. Fer. 3. S. Benedicti a S. Philad. C. 1. O. (f. 3. huj.).
» 15. Dom. II. p. Pasch. Ss. Sepulchri Dni.
» 22. Dom. III. p. Pasch. Patrocin. S. Joseph.
» 29. Dom. IV. p. Pasch. S. Petri. M.
Maj. 6. Dom. V. p. Pasch. Dedicatio basilicae Assisiensis.
» 7. 8. 9. dies Rogat., process. et lytan. omn. SS. O. N.
» 9. Fer. 4. 9. l. com. et ult. Evang. Vig. Ascens.
» 10. Fer. 5. Ascensio Dni.
» 13. Dom. VI. p. Pasch. S. Petri Reg. C. 1. O.
» 17. Fer. 5. S. Paschalis C. 1. O. cum com. diei oct. Ascens. in utrisq. Vesp., Laud. et Miss.
» 18. Fer. 6. . . . com. Fer.
» 19. Sab. Vigil. Pentec.
» 20. Dom. Pentecostes.
» 21. Fer. 2. Pent.
Maj. 22. Fer. 3. Pent.
» 23. Fer. 4. infra oct. Pent.
» 24. Fer. 5. » » »
» 25. Fer. 6. » » »
» 26. Sab. » » »
» 27. Dom. SS. Trinitatis.
» 28. Fer. 2. S. Bernardini Sen. C. 1. O. dup. 2. cl. (fuit 20. huj.) cum 9. l. (ex 3 fit una) et com. S. Gregorii VII. P. C.
» 29. Fer. 3. B. Joannis de Prado M. 1. O. *(In Prov. Rom.* S. Philippi Nerii C. dup. 2. cl., ex 26. huj., cum 9. l. (ex 3 fit una) et com. B. Ioann. de Prad.
» 31. Fer. 5. SS. Corporis Christi, dup. 1. cl. cum oct. priv. (1).
Iun. 1. Fer. 6. infr. oct. Corp. Chr.
» 2. Sab. » » » »
» 3. Dom. 2. p. Pent. de Dom. infr. oct. Corp. Chr.
» 4. Fer. 2. infr. oct. Corp. Chr.
» 5. Fer. 3. » » » »
» 6. Fer. 4. » » » »
» 7. Fer. 5. Octav. Corp. Chr.
» 8. Fer. 6. SS. Cordis Jesu.
» 10. Dom. 3. p. Pent. B. Jolentae Vid. 2. O.
» 17. Dom. 4. p. Pent. S. Bonifacii E. M.
» 24. Dom. 5. p. Pent. Nativit. S. Ioann. Bapt.
Iul. 1. Dom. 6. p. Pent. Pretiosiss. Sanguin. Dni, cum com. diei oct. S. Joan., Dom. (et *Romae* etiam SS. App.).
» 8. Dom. 7. p. Pent. S. Elisabeth Vid. 3. O.
» 15. Dom. 8. p. Pent. B. Angelinae Vid. 3. O.
» 22. Dom. 9. p. Pent. S. Mariae Magdal.
» 29. Dom. 10. p. Pent. (1. Aug.). De ea semid.
Aug. 5. Dom. 11. p. Pent. (2. Aug.) B. M. V. ad nives.
» 12. Dom. 12. p. Pent. (3. Aug.) S. Matr. Clarae V.
» 19. Dom. 13. p. Pent. (4. Aug.) S. Joachim C. dup. 2. cl. (2), cum com. diei oct. S. Clarae et Dom. Vesp. a cap. seq. com. praec. S. Bernardi et diei oct. S. Clarae tant.
» 20. Fer. 2. S. Ludovici E. C. 1. O. dup. 2. cl. (f. heri) cum 9. l. (ex 3 fit una) et com. S. Bernardi.
» 26. Dom. 14. p. Pent. (5. Aug.) Puriss. Cord. B. M. V. *(Romae* S. Ludovici Reg. C. dup. 2. cl.).
Septemb. 2. Dom. 15. p. Pent. (1. Sept.) De ea semid.
» 9. Dom. 16. p. Pent. (2. Sept.) SS. Nomin. B. M. V.
» 16. Dom 17. p. Pent. (3. Sept.) VII Dolor. B. V. M.
» 23. Dom. 18. p. Pent. (4. Sept.) Inventio S. Clarae.
» 30. Dom. 19. p. Pent. (1. Oct.) S. Hieronymi C. D.
Octob. 7. Dom. 20. p. Pent. (2. Oct.) Ss. Rosarii B. M. V.

(1) Infra hanc oct. fit tantum de occurrenti festo dup. 1. cl.

(2) Cfr. Rubr. pecul. n. 82.

Octob. 14. Dom. 21. p. Pent. (3. Oct.) Maternitat. B. M. V.
» 21. Dom. 22. p. Pent. (4. Oct.) Puritat. B. M. V.
» 28. Dom. 23. p. Pent. (5. Oct.) SS. App. Simon. et Iudae.
Novemb. 4. Dom. 24. p. Pent., i. e. 4. p. Epiph., (1. Nov.) S. Caroli E. C.
» 11. Dom. 25. p. Pent., i. e. 5. p. Epiph., (3. Nov. — 2. omitt.) Patrocin. B. M. V.
» 18. Dom. 26. p. Pent., i. e. 6. p. Epiph., (4. Nov.) Ded. basil. SS. App. Petr. et Paul.
» 25. Dom. 27. et ult. p. Pent.., i. e. 24., (5. Nov.) S. Catharinae V. M.
Decemb. 1. Sab... Item commem. omn. fidel. defunctor. trium Ord. S. P. N. Franc. Omnes Missae, excepta conventuali, de officio occurrente, quae applicantur pro dictis defunctis dicuntur de *Requiem* (1).
» 2. Dom. I. Adventus.
» 9. Dom. II. Advent.
» 16. Dom. III. Advent.
» 23. Dom. IV. Advent.
» 30. Dom. infr. oct. Nativ. Dni.

—

Festa duplicia maiora et SS. Ecclesiae Doctorum transferenda, in quantum dies ad hoc sufficientes habentur:

Ex 29. Ian: S. Francisci Sal. E. D. (ad 31. Oct.)
» 7. Febr: B. Antonii a Stronc. C. 1. O. (ad 28. Februarii).
» 17. Febr: S. Hilarii E. D. (ad 3. Nov.)
» 19. Febr: S. Conradi C. 1. Ord. (ad 19. April.)
» 9. Mart: SS. V. Vulner. Dni (ad 13. Mart.)
» 23. Mart: S. Petri Dam. E. D. (ad 6. Nov.)
» 30. Mart: B. Angelae Fulg. Vid. 3. O. (ad 20. April.)
» 4. April: S. Isidori E. D. (ad 1. Dec.)
» 15. April: S. Cyrilli Alex. E. D. (ad 19. Dec.)
» 6. Maj: S. Joannis ant portam latinam (ad 15. Maj.).
» 19. Maj: S. Ivonis C. 3. O. (ad 6. Sept.)
» 24. Maj: Auxil. Christianor. (ad 3. Iul.)
» 25. Translat. S. P. N. Franc. (ad 29. Oct.)
(In *Prov. Rom.* 29. Maji de B. Joanne de Prado M. 1. O. hoc anno ad instar simpl.)
» 7. Jun: Bb. Stephani et Raymundi Mm. 1. O. (ad 30 Oct.)
» 20. Aug: S. Bernardi Abb. D. (hoc anno ad instar simpl.)
» 26. Aug: *Romae* Puriss. Cord. B. M. V. (ad 6. Sept.) (2).

(1) Ubi hodie fit de duplici majori, commem. omn. fidel. defunct. transferenda est ad diem 3. Decemb. (Rubr. pecul. n. 219).

(2) Hinc *Romae* fest. S. Ivon. ad 29. Oct., Translat. S. P. N. F. ad 30. Oct., Bb. Steph. et Raym. ad 31 Oct., S. Franc. Sal. ad 3. Nov., S. Hilar. ad 6. Nov., S. Petr. Dam. ad 1. Dec., S. Isid. ad 19. Dec., S. Cyrill. Alex. ad 22. Dec.

Notandum. 1. Dies hic in parenthesi pro translatione indicati valent solummodo pro illis locis, ubi pro dictis diebus aliquod festum non est fixe assignatum, et ubi alia festa majoris ritus aut dignitatis non sunt transferenda.

2. Die 2. Nov. festum dup. min. reponi potest (omnes tamen Missae sunt de *Requiem*, excepta conventuali de officio), dummodo usque ad anni finem nulla dies vacua supersit pro ejus repositione. At si praeter officia duplicia minora adsint officia potioris ritus transferenda, nullum officium eo die reponi potest, sed de octava omnium Sanctorum fieri debet.

—

Ubique nihil fit de sequentibus festis.

29. Mart: B. Paulae Gamb. Cost. Vid. 3. O.
31. » B. Marci Fantucii C. 1. O.
1. April: S. Martinae V. M.
2. » S. Francisci de Paul. C.
10. Maj: S. Antonini E. C. et. SS. Gordiani etc. Mm.
21. » S. Venantii M.
22. » B. Humilianae Vid. 3. O.
31. » B. Gherardi C. 3. O.

—

Initia librorum S. Scripturae sequentibus diebus ponenda sunt, nisi forsitan alicubi istis diebus aliquod festum proprias lectiones primi nocturni habens occurrat:

8. Jan: Epist. I. ad Corinth.
15. » Epist. II. ad Corinth.
22. » Epist. ad Galat.
29. » Lib. Genesis.
12. April: Lib. Actuum Apostolorum.
23. » Lib. Apocalypsis b. Joann. Ap.
29. » Epist. b. Jacobi Ap.
7. Maj: Epist. I. b. Petri Ap.
11. » Epist. II. b. Petri Ap.
14. » Epist. I. b. Joannis Ap.
16. » Epist. II. (1. 2.) et III. (3.) b. Joann. Ap.
19. » Epist. b. Judae Ap.
1. Jun: Lib. I. Regum.
25. » Lib. II. Regum.
10. Jul: Lib. III. Regum.
23. » Lib. IV. Regum.
29. » Parabolae Salomonis.
7. Aug. Lib. Ecclesiastes.
13. » Lib. Sapientiae.
21. » Lib. Ecclesiastici.
2. Sept: Lib. Job.
19. » Lib. Tobiae.
23. » Lib. Judith.
28. » Lib. Esther, ex Dom. 5. Sept.
1. Oct: Lib. I. Machabaeorum.
22. » Lib. II. Machabaeorum.
2. Nov: Ex Dom. 5. Oct. *Igitur Eleazarus.*
4. » Ezechiel.

13. Nov: Daniel.
20. » Oseas (1), Joël (2. 3.)
24. » Amos, Abdias, Ionas.
25. » Michaeas.
27. » Nahum, Habacuc, Sophonias.
1. Dec: Aggaeus, Zacharias, Malachias.
2. » Isaias.
30. » Epist. b. Pauli Ap. ad Romanos.

—

DE OPERE

« Mystica Civitas Dei » *Ven. Servae Dei Mariae de Agreda.*

Anno elapso, in quinto hujus periodici fasciculo (pag. 82.), mentionem fecimus de novissima editione operis « Mystica Civitas Dei » Ven. Mariae de Agreda, in lingua Germanica (apud Typograph. Pustet, Ratisbonae), et quidem de primo dicti operis tomo, eundemque Fratribus nostris in Austria, Germania et in America Septentrionali degentibus legendum commendavimus. Ex hoc brevissimo tempore ceteri tres ejusdem operis tomi editi sunt, ut sic totum opus completum ac publicatum sit, de quo ex corde gaudemus.

Quae de primo volumine diximus, eadem nunc de toto opere dicere possumus, quod nempe « non solum ex originali tanta diligentia fuerit translatum, ut etiam genius linguae originalis in eo quodammodo reperiatur, sed etiam propter pretiosissimas annotationes criticas et glossas ad textum adnexas ». — « Hoc opus » (« Mysticam Civitatem Dei » Ven. Mariae de Agreda), prout ajunt Episcopi Hispaniae (anno 1879) in sua pro Beatificatione praefatae Ven. Servae Dei ad S. P. Leonem XIII. supplicatione, « summis laudibus prosequuti fuerant Ordines omnes Regulares, ut Ordo S. Augustini, S. Basilii, S. Benedicti, S. Francisci, S. Dominici, S. Bernardi, Religio Carmelitana, Clericorum Regularium, Hieronymitanorum, Mercedariorum Calceatorum et Excalceatorum, Minimorum, Canonicorum Regularium S. Norberti, nec non Societas Iesu aliaeque religiosae familiae. Innumeri autem sunt Theologi, qui verbis amplissimis dictum opus celebrarunt ». — Et in Processu Apostolico super Beatificatione praedictae Servae Dei non parum momenti etiam hoc contulit, quod viri scientia ac sanctitate conspicui hoc opus religiosis familiis suis pro lectione mensali commendaverint, et istae magno cum fructu spirituali hoc fuerint exsequutae.

Hinc etiam nos Fratribus nostris hoc opus summopere commendamus non solum pro privata lectione, sed etiam pro variatione in lectione mensali, ubi hoc consultum censebitur, sperantes exinde copiosos fructus pro vita spirituali Communitatum religiosarum, praecipue pro meditatione vitae Jesu Christi ac B. V. Mariae, magnumque incrementum in devotione ac filiali servitio erga principalissimam Ordinis Nostri Seraphici Patronam, Virginem Mariam Immaculatam.

—

NOVUS CONSULTOR EX ORDINE.

R. P. Ladislaus a Calepina, Reformatae Provinciae Romanae Lector emeritus et olim in Republica Chilena Missionarius, nominatus est S. Congregationis Concilii Consultor.

V.

BIBLIOGRAPHIA

—

Aloysius Maria a Rovigno, Min. Ref. — Il Terz' Ordine Francescano, ragionamento del Padre Luigi Maria da Rovigno, Lettor Teologo dei Min. Riformati della Provincia Veneta di Sant' Antonio, coll' aggiunta di una breve Appendice di notizie desunte in gran parte dalle Encicliche e discorsi del S. P. Leone XIII, intorno alla natura, eccellenza e vantaggi del Terz' Ordine. — Padova, Tipografia del Seminario. 1887. In-8 pag. 63. (L. 0, 50).

Angelus Colantoni, Min. Ref. — S. Pietro, principe degli apostoli, orazione panegirica del Rev. P. Angelo Colantoni, Lettore emerito Riformato. Giarre, Tipog. di Francesco Castorina. 1887. In 8° pag. 23.

Anonymus, (Min. Rec.) — Nouveau petit Manuel du Tiers-Ordre séraphique, publié

par les PP. Franciscains-Récollets. Deuxième édition, revue et augmentée. Un joli volume in-18. Prix net broché: 70 c.; franco: 85 c. — Librairie Aubanel, frères, Avignon. 1887.

ANONYMUS. — Mois de Marie franciscain, à l'usage des PP. Franciscains de Terre-Sainte, traduit de l'Italien par un R. P. du Tiers-Ordre Régulier de Saint-François, approuvé par Mgr l'Archevêque d'Albi.

Toulouse, Imprimerie Catholique Saint-Cyprien; 27, Alleés de Garonne, 1887. In 12.

BERTINUS, Min. Rec. — The little MANUAL of the third Order of St. Francis containing I. the history and rule of the Order (as approved by Pope Leo XIII) with short explanations, by the Rev. F. Bertinus, O. S. F. II. the Ceremonial. Third edition. To be obtained from the Franciscan Fathers, Stratford, London E. (1 Shilling).

BONAVENTURA A SORRENTO, Min. Cap. — S. Francesco artista ovvero Gli Artisti e l'Arte Sacro-Francescana, saggio storico estetico, per il P. F. Bonaventura da Sorrento, Definitore Cappuccino, socio di varie Accademie. S. Agnello di Sorrento, Tipografia all'insegna di S. Francesco d'Assisi, 1877. In-8. Pag. 182.

JACOBUS A CASTROMADAMA, Min. Obs. — S. Giovanni da Capistrano, suo secolo e sua influenza, pel signor Leone de Kerval; versione fatta sull'originale francese, dal P. Giacomo da Castelmadama, Minore Osservante. Roma, Tip. di S. Antonio, via Alfieri, N.° 12. 1887. In-16, pag. 296 (L. 1,50).

JOSEPHUS CALASANCTIUS A LLEVANERAS, Min. Cap. — Encomia exhortatoria in honorem S. Felicis a Cantalicio, Laici Professi Ord. Min. Capulatorum, occurrente III centenario ab ejus obitu edita, cura et studio Fr. Josephi Calasanctii a Llevaneras ejusdem Ordinis. Mediolani ex typis Seraphini Ghezzi, via Manzoni, vic. Facchini, 6. 1887.

RAPHAEL A VENETIIS, Min. Ref. — L'Orazione di Marco Tullio Cicerone pro lege Manilia, saggio di analisi ragionata. — Quaracchi presso Firenze. Tipografia del Collegio di S. Bonaventura 1887.

In-16. Pag. 102.

SIMON A BUSSIÈRES, Min. Obs. — MORTIFICATION practised on all occasions. Dedicated to christians of the XIX century, by F. Simon de Bussières, O. S. F. London, Burns and Oates. 1881. Price 2d. (Franciscan Fathers, Stratford, London E).

The WAY of the cross, the queen of devotions. London: Burns and Oates Price 2d. (Franciscan Fathers, Stratford, London E).

The MONTH of November. Dedicated to the holy souls in purgatory. Compiled from various sources. London, Burns and Oates 1880. Price 2d. (Franciscan Fathers, Stratford, London E).

FLOWERS from the garden of St. Francis, for every day in the year. From the French. London, Burns and Oates. 1882. Price 3d. (Franciscan Fathers, Stratford, London E).

V.

NECROLOGIA

—

A. R. P. ANGELUS RAPHAEL LAURINI natus die 19 Octobris 1809 et Ordinem ingressus in Observ. Prov. Basilicatae die 15 Augusti 1825 munia Lectoris, Concionatoris, Definitoris ac Provincialis Ministri egregie functus est, ac pie in DOMINO obiit die 12 Octobris 1886.

Adm. R. P. FRANCISCUS DE MONTEFEGATESE Ref. Provinciae Romanae, post sanctissima sacramenta piissime suscepta, obiit die 2ª Martii Romae in conventu S. Francisci ad Ripam.

Fuit is in Montefegatese oppido prope Lucam natus die 28 Aprilis ann. 1810. Parentes eius, uti erant DEO devotissimi ita et

illum ad omnem pietatem instituerunt, cuius colendae gratia adolescens 17 annorum Ordinem seraphicum in dicta provincia Romana ingressus, litteris nec non et pietate perquam proficiebat; hinc merito Philosophiae, licet admodum iuvenis, et dein Theologiae Lector renunciatus, munere suo adeo egregie perfunctus est, ut huc clarius evaserit eum virum non modo DEI gloriae zelantissimum sed et eruditissimum esse.

Quamobrem Superiorum iussu iam ut verbum DEI praedicaret iam vero ut Fratribus praeesset, aut gubernio Provinciae interesset destinabatur. Annis fere 50 in principibus Italiae urbibus concionator populos scientiam sanctorum docuit eo zelo et fervore, ut spirituali emolumento auditorum multum profuerit. Quinquies Ministrum Provinciae Lombardiae summa cum laude egit, unde adeo rerum gerendarum usu inclaruit ut sua Provincia eum iam Definitorem iam vero Custodem elegerit.

Quamvis a viris praeclaris magni haberetur, tamen sacras virtutes, quae S. Francisci filium ornant, impensissime colebat, quare et factum est, ut vir humillimus placidam mortem in osculo DOMINI obire meruerit.

R. I. P.

Adm. R. P. ANGELUS A CASERTA, Obs. Prov. Neapolitanae, die 29 Augusti anni 1815 Casertae ditionis Neapolitanae urbe, ingenuis aeque ac piis parentibus genitus; et optimis moribus eruditus seraphicum Ordinem ingressus est die 8.ª Aprilis anni 1834.

Novum vitae genus magno animi ardore amplexus iis comparandis virtutibus se dedit, quas S. P. N. Franciscus ab alumnis suis requirit, quo sibi et aliis prodesse possint.

Nuncupatis dein votis solemnibus, et peractis studiis in quibus inter Confratres suos pietate atque ingenio eminebat, sacro sacerdotio initiatus est die 9.ª Junii 1838.

Sacerdos DOMINI diversis Provinciae muneribus addictus est, prout Praesidum ratio et divinae gloriae res postulabat; et cum ubique muneri egregie satisfecisset, factus est gratus Provinciae, sicut matri filius, Fratribus vero exemplar bonorum operum.

Superato eruditionis philosophicae et theologicae periculo, quod vulgo concursum vocant, Superiorum auctoritate primum Philosophiam (1838-1842) in conventu S. Dominici Aversae, dein Theologiam Neapoli et Aversae (1842-1852) magna cum laude docuit.

Emenso dein lectoratus sui curriculo magisterii honores, quos et iubilationis dicunt, adeptus est, quin tamen a docendi officio se retraxisset; nam circumstantiis magni conventus Chartusianorum ad S. Martinum sic exigentibus, is lubenti animo ibidem munus magistri suscepit, quo religiosam iuventutem dicti conventus rem grammaticam et litteras humaniores doceret.

Tandem ad suos rediens, cum ob merita tum ob singulares virtutes dignus habitus fuit non modo qui diversis suae Provinciae domibus praeesset, sed et in senatum gubernandae Provinciae advocaretur; fuit enim Definitor, Custos et Commissario Visitatori in Provinciis Apuliae et Basilicata a secretis.

Quum vero res Italicae permutarentur, is adversos casus, quos divino nutu sibi fieri certo credebat, et ipsum carcerem, propter justitiam, magno animo pertulit. Posthaec in conventum S. Petri Neapolitanum, quod excipiendis Fratribus destinatum, se recepit, unde anno 1881 quum esset totius Ordinis seraphici Definitor electus ad almam Urbem venit, in qua ad Aram Coeli, usque ad eius demolitionem, permansit suo officio optime fungens.

Anno 1885, quando curia Rmi Patris Ministri ex Ara Coeli migrare debuit, is Superiorum permissu, dictum conventum S. Petri Neapolitanum repetiit, ubi iuventutem religiosam varias disciplinas docuit.

Erat P. Angelus divinae gloriae amplificandae studiosissimus, cuius rei testimonio sunt sacri sermones, quos ad confertissimam multitudinem, magno cum spirituali emolumento dicebat, et usque ad ultimos fere dies habere solebat, nulla admissa excusatione aut intempestivi temporis aut tuendae valetudinis. Ordinis sui atque Provinciae amantissimus ex praesenti Religiosorum in iis partibus statu magno moerore afficiebatur, quare et nihil praetermittebat cum consilio tum opera, ut iisdem mederetur.

Fuit praeterea P. Angelus vir modestus et affabilis totusque ad eam humanitatem in quemque compositus, quam summa humilitas

religiosa inspirat et continuum orationis studium fovet. Quamobrem non potuit non esse omnibus charus, in primis vero iis qui in curia generalitia longiori tempore ipsi convivebant, et eximias eius virtutes aestimare didicerunt.

Die 17.ª Martii diro calculi cruciatu exagitatus, sacris morientium sacramentis et benedictione seraphica rite munitus in alteram vitam transiit.

R. I. P.

Nimium lacrymabilis fuit dies vigesima secunda Januarii 1887. P. Elias Sodini Obs. Provinciae Thusciae diem obiit supremum. Honestis parentibus natus in oppido vulgo Camigliano, et Lucam a primaeva aetate ductus pueritiam innocenter transegit. Pietati ac devotioni deditus puer divinis inservivit officiis in ecclesia S. Frigdiani civitatis Lucensis miro cum fervore semperque a malorum societate abhorrens. Quindecim annos natus, divina afflante gratia, habitum S. Francisci sumpsit in coenobio S. Cerbonis prope Lucam ita ut cum habitu etiam religiosos mores indueret. Expleto tyrocinio, Volaterras primum, deinde Senas mittitur studiorum causa, donec infirma valetudine Lucam redire cogitur. In Philosophiae ac Theologiae studium incumbens saepissime infirmitates patiebatur, sed quam mira in illis ferendis erat ipsius patientia! — Sacerdos institutus atque injuria temporum et ipse a dulcissima claustri quiete exulare coactus, difficile relatu est quot suspiriis in claustrum reditum festinaverit, donec ad Confratres in privata domo communitatem agentes potuit convolare.

Interea Jacherini prope Pistorium adolescentium Collegium institutum fuerat, quo religiosum spiritum litterasque edocerentur ut melius divinae possent vocationi respondere. Deerat Magister qui praecipue culturam religiosam invigilaret neque melior Patre Elia potuit inveniri, qui ideo mense Februarii 1874 Pistorium petit.

Impossibile dictu est quali animo collatum ministerium adgressus sit. Illi tantummodo qui eum experti sunt erga se paterno amore affectum possunt enarrare. Nullus qui ipsum consolatorem in moeroribus, consiliarium sapientem in dubiis, auxiliantem in quacumque necessitate non habuerit. Teneras plantas sibi commissas quae in horto Religionis florescere debebant, miro affectu ac studio colebat et eradicans quod noxium et impellens quod optimum esset. Ad bonum tum spirituale tum etiam temporale Collegii semper animum volvebat. Hinc ad Deum fusis precibus parvulos veluti filiolos commendabat orans: « Fiat Domine, cor eorum immaculatum, sint semper tua protectione tuoque amore digni nec confundantur qui in hoc Seraphico Collegio tibi confitentur ». Et quo facilius hoc obtineret, ipsos sub protectione B. V. Mariae et S. Joseph semper voluit, horum devotionem excitans per frequentia colloquia et continua pietatis exercitia. — Heu! quot lacrymas, quot suspiria, quot ad Deum preces fudit cum hostiles potestates filiolos suos a suo sinu eripuere dispersione Collegii! Quantaque fuit ipsius laetitia cum rebus compositis, eis ad se redire datum fuit! Per tredecim annorum spatium bonus ipsius virtutum odor in Seraphico Tusciae Collegio sparsus fuit, donec die 22 Ianuarii 1887, in pervigilio festivitatis Virginis, uti optaverat, suam efflavit animam annos natus circiter quadraginta septem. Ipsius transitus fuit transitus patris amantissimi derelinquentis suos filiolos, qui omnes vel Jacherini adhuc morantes, vel per totam Provinciam sparsi, vel etiam in aliena Provincia Superiorum voluntate degentes, sese orphanos sentientes ipsum Deo ferventissime commendarunt. — O Pater, sis felix bonusque tuis filiolis quos in terra ad virtutem excitatos dereliquisti atque e coelo tuum erga nos amorem tuamque vigilantiam prosequere ».

Nihil obstat

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

DECRETUM S. R. C.

Quo officium, Missa et Elogium pro Martyrologio in honorem B. JOANNIS FOREST *approbantur.*

ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI.

Confirmato a Sanctissimo Domino Nostro LEONE Papa XIII per decretum Sacrae Rituum Congregationis diei 9 Decembris 1886 cultu publico ecclesiastico jampridem indulto a sa. me. Gregorio Papa XIII Beatis Martyribus in odium Fidei Catholicae in Anglia interemptis, inter quos recensetur Joannes Forest, ex Ordine Minorum Sancti Francisci; Rev. Pater Fr. Bernardinus a Portu Romatino, Minister Generalis totius Ordinis Minorum, humillimas porrexit preces expostulans, ut de eodem Beato Festum ab alumnis universi sui Ordinis peragi amodo valeret die 22 Maii, sub ritu duplici majori, et cum officio et Missa nec non Elogio Martyrologio Romano Seraphico apponendo in ejusdem Beati honorem concinnatis: addita facultate ad ritum simplicis reducendi Festum Beatae HUMILIANAE de Cerchis, Viduae, praefato die occurrens, de quo nonam Lectionem noviter exaratam Apostolicae Sedis sanctioni demisse exhibuit. Hae porro preces quum a me infrascripto Cardinali Sacrae eidem Congregationi Praefecto et hujus Causae Ponente in ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis relatae sint, Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus Praepositi, omnibus accurate expensis, auditoque R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, sic rescribendum censuerunt *Pro gratia et ad Emum Ponentem cum Promotore Fidei.*

Hinc requisita revisione peracta a me infrascripto Cardinali Ponente et a Sanctae Fidei Promotore, propositum Officium una cum Nona Lectione Beatae HUMILIANAE, nec non Missam et Elogium pro Martyrologio, ut superiori in exemplari (1) prostant, Sacra Congregatio approbavit, atque in usum totius Ordinis Minorum Sancti Francisci concessit. Die 30 Aprilis 1887.

D. Card. BARTOLINIUS, S. R. C. Praef.

L. ✠ S.

Laurentius Salvati, S. R. C. Secret.

—

DECISIO S. C. INDULGENTIARUM

circa Officium parvum B. M. V.

Bme Pater,

Fr. Dominicus a Cordibus JESU et MARIAE, Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, ad pedes Sanctitatis Tuae humiliter provolutus solutionem sequentium dubiorum implorat:

(1) Hujus exemplaris textum non addimus, quum separatim pro breviariis et Missalibus edatur et a Curia generalitia haberi possit.

1° Utrum Christifideles cuicumque Sodalitio adscripti loco recitandi preces, sive determinatas, sive non, quae Sodalibus praescribuntur, pro acquirendis indulgentiis eisdem precibus adnexis, recitare valeant Officium parvum B. M. Virginis?

2° Utrum ad lucrandas praefatas indulgentias, idem sit recitare parvum Officium B. M. Virginis in lingua latina vel vernacula?

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 6 Maii respondit:

Ad 1m *Affirmative,* si nullae adsint preces determinatae Sodalibus praescriptae pro acquirendis indulgentiis; *negative,* si adsint preces jam determinatae.

Ad 2m *Negative,* quoad Officium parvum B. M. Virginis, sed illud est recitandum in lingua latina; quoad alias vero preces detur decretum editum scilicet die 29 Decembris 1864 (1).

Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sac. Congregationis die, mense et anno uti supra.

Fr. Thomas M. Card. Zigliara Praef.

Alexander Episcopus Oensis Secret.

—

INDULGENTIAE

Concessae recitantibus sequentem Orationem pro haereticorum conversione.

I.

Virgo potens, quae cunctas haereses sola interemisti in universo mundo, orbem christianum a laqueis diaboli libera et respice ad animas diabolica fraude deceptas, ut omni haeretica pravitate deposita, errantium corda resipiscant et ad veritatis catholicae redeant unitatem, Te intercedente ad Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Per rescriptum S. C. Ind. diei 19 Dec. 1885, Summus Pontifex Leo XIII *centum dierum* indulgentiam concessit semel in die lucrandam ab omnibus Christifidelibus praefatam orationem corde saltem contrito recitantibus.

(1) Ex hoc citato decreto, indulgentias recitationi quarumdam precum annexas lucrari possunt easdem preces *quocumque idiomate* recitantes, dummodo fidelis translatio declaretur sive a S. C. Indulgentiarum Praefecto, sive ab Ordinario loci in quo versionis idioma in usu habetur.

—

II.

ORATIO A SACERDOTE DICENDA

antequam confessiones excipiat.

Da mihi, Domine, sedium tuarum assistitricem sapientiam, ut sciam iudicare populum tuum in iustitia et pauperes tuos in iudicio. Fac me ita tractare claves Regni caelorum, ut nulli aperiam cui claudendum sit, nulli claudam cui aperiendum sit. Sit intentio mea pura, zelus meus sincerus, charitas mea patiens, labor meus fructuosus. Sit in me lenitas non remissa; asperitas non severa, pauperem ne despiciam, diviti ne aduler. Fac me ad alliciendos peccatores suavem, ad interrogandos prudentem, ad instruendos peritum. Tribue, quaeso, ad retrahendos a malo solertiam, ad confirmandos in bono sedulitatem; ad promovendos ad meliora industriam; in responsis maturitatem, in consiliis rectitudinem, in obscuris lumen, in implexis sagacitatem, in arduis victoriam; inutilibus colloquiis ne detinear, pravis ne contaminer, alios salvem, me ipsum non perdam. Amen.

Summus Pontifex Pius IX, per Decretum S. C. Ind. diei 27 Martii 1854, omnibus Confessariis praefatam orationem devote recitantibus, antequam Confessiones audiant, *centum dierum* indulgentiam semel in die lucrandam concessit.

Praedictas preces delegimus ex opere cui titulus: *Raccolta di Orazioni e pie opere per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici le SS. Indulgenze,* Romae edito, typ. S. C. de Propaganda fide, anno 1886, approbante Summo Pontifice Leone XIII. Quod quidem opus Conventibus nostris commendamus, quum in eodem inveniantur documenta circa indulgentias authentica, quae omnibus Christifidelibus perutilia esse possunt.

II.

ACTA ORDINIS

—

MONITUM

Quum die 22 Maii festum B. Joannis Forest, Martyris I Ordinis, deinceps celebran-

dum sit sub ritu duplici majori, anno vero proxime venturo ob occurrentiam cum Feria III. Pentecostes transferri debeat: idcirco series translationum pro anno 1888 in praecedenti fasciculo, pag. 76, indicata sequenti modo mutanda est:

Festum B. Joannis Forest M. ad 29 Octob.
» Translat. S. P. N. Franc. ad 30 Oct.
» Bb. Steph. et Raymund. Mm. ad 31 Oct.
» S. Franc. Sales. E. D. ad 3 Novemb.
» S. Hilarii E. D. ad 6 Nov.
» S. Petri Dam. E. D. ad 1 Decemb.
» S. Isidori E. D. ad 19 Decemb.
» S. Cyrilli Alexandr. E. D. ad 22 Dec.

(*Romae* vero: 29 Oct. S. Ivonis; 30 Oct. B. Joannis Forest; 31 Oct. Transl. S. P. N. F.; 3 Nov. Bb. Steph. et Raym.; 6 Nov. S. Franc. Sal.; 1 Dec. S. Hilarii; 19 Dec. S. Petri Dam.; 22 Dec. S. Isidori. — De S. Cyrillo Alex. *Romae* fit ad instar simplicis).

—

DECRETUM RMI P. GENERALIS

PRAESCRIBENS OFFICIUM B. JOANNIS FOREST, MARTYRIS.

—

Fr. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO, *Minister Generalis totius Ordinis Minorum.*

DECRETUM.

Omnibus Fratribus et Sororibus Nostrae jurisdictioni subjectis, in virtute S. Obedientiae praecipimus, ut Officium B. JOANNIS FOREST, Martyris Primi Ordinis Nostri, necnon nonam lectionem in compendium redactam B. HUMILIANAE Viduae, prout habetur in Decreto S. R. Congregationis superius relato, ritu ac die ibidem adsignatis, quotannis in posterum celebrare debeant; servatis Rubricis et aliis de jure servandis. Atque ita Directoribus Kalendarii Ordinis Nostri mandamus.

Dat. ex Nostro Conventu S. M. Angelorum prope Assisium, die 13 Junii 1887.

Fr. BERNARDINUS Min. Glis.

L. ✠ S.

De mandato Pat. Suae Rmae
Fr. PETRUS A MONSANO
Secrius Genlis Ordinis.

—

AD FRATRES NOSTROS

Incitamenta Seraphica.

DE DISCIPLINA REGULARI RESTITUENDA

CAPUT II.

DE ORATIONE

§ 7. *De impedimentis orationis.*

108. Quum nihil magis conservando Religionis fervore conferat, nihilque magis seraphici Patris filiis desiderandum sit, quam spiritus orationis: ultro sequitur, nihil magis esse praecavendum, quam omne illud, quo devotionis spiritus extingui aut remitti contingit. Merito proinde S. Bonaventura de zelo Praelatorum loquens (1), speciatim eis commendat, ut praecaveant perturbationem studii devotionis, ex qua fulcitur omnis vera Religio, et virtutis exercitium impinguatur.

109. Quemadmodum autem praecipua orationis fomenta et custodes sunt sacra solitudo, silentium, terrenorum contemptus et perfecta animae quies: sic e contrario praecipua obstacula, quibus devotionis spiritus impeditur, sunt inutilis et frequens egressus ac cum saecularibus conversatio, multiloquium, amor creaturarum et immoderata in agendis sollicitudo. Quamobrem de dictis obstaculis deque contrariis virtutibus nunc breviter agendum censuimus.

110. Quantum Religiosorum bonos mores corrumpere et fervorem extinguere soleat nimia, superflua et vana extra monasteria *vagatio,* et per vicos et plateas civitatum inquieta circuitio, docent unanimiter sancti Patres, docet quotidiana experientia. Sicut pisces, si diu manserint in sicco, moriuntur, sic et monachi diu commorantes extra cellam ab orationis fervore recedunt. Oportet ergo sicut piscem in mare, ita et nos ad cellam recurrere, ne forte foris commorantes obliviscamur interioris custodiae et devotionis spiritum amittamus. Nam ut dicit S. Bernardus (2): « In monasterio est

(1) Lib. *de sex alis Seraphim,* cap. 3.
(2) In opere de modo bene vivendi, ad sororem.

« vita contemplativa, in saeculo est vita laboriosa; in monasterio est vita sancta, in saeculo est vita criminosa; in monasterio est vita spiritualis, in saeculo est vita carnalis; in monasterio est vita coelestis, in saeculo est vita terrestris; in monasterio est vita quieta, in saeculo est vita turbulenta; in monasterio est vita pacifica, in saeculo est vita litigiosa; in monasterio est vita tranquilla, in saeculo est vita contentiosa; in monasterio est vita casta, in saeculo est vita luxuriosa; in monasterio est vita perfecta, in saeculo est vita vitiosa; in monasterio est vita plena virtutibus, in saeculo est vita plena vitiis ».

111. Saepius recogitemus, quantum nobis monasterium tribuat boni et commodi ad fovendum orationis spiritum, quantumque damni afferat inutilis extra coenobium evagatio. S. Bernardus (1) monachos inutiliter discurrentes *impudentes* et *irreligiosos* appellat. Propterea S. Bonaventura, de causis relaxationis nostri Ordinis loquens, dicit (2): « Occurrit evagatio plurimorum, qui propter solatium suorum corporum gravando eos, per quos transeunt, non exempla post se relinquunt vitae, sed scandala potius animarum ». Superioribus hac de causa districte praecipit « ut vagantes compescant ad quietem »; nam nihil est, quod Religiosos magis invisos et contemptibiles, magisque aridos et tepidos reddit, quam incauta eorum inter saeculares deambulatio et inutilis cum eis conversatio, quam proinde Superiores omni sollicitudine impedire debent, ne regularis observantia collabatur et devotionis spiritus penitus extingui contingat.

112. Pruritus evagandi nascitur ab otio. Hinc S. Paulus de junioribus viduis scribit (3): « Simul autem et otiosae discunt circuire domos ». Idem observari potest in otiosis quibusdam Religiosis, quibus otium ipsum versum est in fastidium, et qui propterea in discursibus et divagationibus quaerunt recreationem ac spiritus levamen. Hoc vagandi desiderium compescitur salutaribus occupationibus et laboribus. Quum populus Israel instaret apud Pharaonem pro licentia eundi viam trium dierum

(1) Serm. 7. in Ps. *Qui habitat.*
(2) In epistola ad Provinciales Ordinis.
(3) I. Timoth. V, 13.

in solitudinem ad sacrificandum Domino, majoribus eos gravavit operibus. « Vacant enim, dicebat (1), et idcirco vociferantur dicentes: Eamus et sacrificemus Deo nostro. Opprimantur operibus, et expleant ea, ut non acquiescant verbis mendacibus ». Errabat quidem in subjecto, sed non in modo compescendi otium, et inde consequens desiderium evagandi. Optimum hoc remedium Superiores nostri pariter adhibeant oportet, ut Religiosos sibi commissos a vagandi abusu retrahant.

113. In Constitutionibus Generalibus Ordinis hac de re legitur (2): « Cum ad salubriter tollendos inutiles vagosque discursus, et ad regularem disciplinam in suo robore servandam Sancta Apostolica Sedes tot tantaque privilegia Ordini nostro contulerit, Superiores pro viribus laborent, ut, quantum fieri potest, Fratres ab evagatione coërceant, et in officio continere diligenter curent ».

« Consulimus Praelatis omnibus, ut non passim, neque specie peregrinationis, aut pietatis praetextu licentias concedant, sed parce, et necessaria tantum, seu legitima subsistente causa; cum ex inutilibus discursibus, non sine dispendio vitae spiritualis, et admiratione saecularium, mille incommoda et Fratri discurrenti, et Ordini proveniant ».

« Omnes vero iter facientes perpetuo meminerint salutaris moniti euntibus per mundum in Regula traditi, seque tales praebeant, quales pro Instituto, quod sancte profitemur, esse nos decet. Modeste itaque, ac religiose semper et ubique incedant, manibus religioso more compositis, incessu gravi, vultu demisso, oculis non vagis, ita ut populo sanctitatis exemplo sint, et, quam gerunt, religiosam dignitatem et personam ostendant ».

114. Fratrem Minorem omnino decet amare solitudinem. Solitudo enim non modicum tribuit devotionis exercendae commoditatem. Siquidem non modo causas tollit distractionum, sed invitat etiam vehementer loci opportunitas ad confidentiorem cum Deo conversationem. Promisit etiam ipse Dominus per prophetam (3): « Ducam eam (devotam animam) in solitudinem, et loquar ad cor ejus ».

(1) Exod. V, 8.
(2) Cap. III. §. 10. n. 243. 247. 259.
(3) Os. II, 14.

S. Franciscus, quia in oratione perceperat sancti SPIRITUS desideratam praesentiam tanto familiarius se offerre precantibus, quanto plus invenit elongatos a strepitu mundanorum, ideo loca solitarie quaerens ad solitudines et ecclesias derelictas oraturus nocte pergebat. Ibi solus remanens et pacatus nemora replebat gemitibus, loca spargebat lacrymis, pectora manu tundebat et confabulabatur cum DOMINO suo (1). — B. Ioannes a Parma, a Generalatus ministerio absolutus, abiit ad devotissimum Graecii eremitorium. Per triginta duos annos ibi delituit, vitam ducens angelicam potius quam humanam, divinis assidue usque ad finem vitae intentus meditationibus (2).

115. Qui vere gustaverunt donum DEI, nihil optabilius habent, quam longe esse ab hominibus, domi manere, quoad fieri possit, foris existentes domum celerrime reverti, ubi melius tranquillum suum conservent statum, clariusque percipiant divinae allocutionis arcanum. Hoc satis intelligunt observantque omnes, qui contemplationis pretium per ejus gustum probaverunt. Quia tamen vocatio nostra subinde nos compellit in publicum prodire, accingendus est animus ad ambulandum ibi digne DEO, observata eximia, quam tradit Fr. Joannes Lucensis, regula (3): « Qui DEUM offendere non vult, solitudinem diligit. Non tantum solitudinem montium, aut recessus nemorum intelligo. Eum enim solitarium reputo, qui intra semetipsum se colligit, sibi vacat, et inter saeculares manens eorum strepitus et rumores non audit ».

116. Non solum frequens et inutilis conversatio cum saecularibus studium devotionis perturbat, sed etiam *multiloquium* in ipso Conventu. S. Iacobus docet (4): « Si quis putat, se religiosum esse, non refrenans linguam suam, hujus vana est religio ». Quare S. Bonaventura ait (5): « Certe frustra audeo dicere, quod ille Religiosus gloriatur de possessione virtutis in corde, qui dissipat disciplinam silentii. Ex silentio nutritur justitia, ex qua, velut ex quadam arbore, colligitur fructus pacis. Unde quum claustralibus pax sit summe necessaria, valde necessarium est eis silentium, per quod pax eis tam cordis quam corporis conservatur ». S. Bernardus quemlibet Religiosum ita alloquitur (1): « O sancta anima, sola esto, ut soli omnium serves teipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge et ipsos domesticos, secede ab amicis et intimis, etiam ab illo qui tibi ministrat. An nescis te verecundum habere sponsum, et qui nequaquam suam tibi velit indulgere praesentiam praesentibus caeteris ». Et pius Thomas a Kempis dicit (2): « In nullo statu et Ordine stabit pax et disciplina, si non adsit censura silentii quietis amica, quae est devotionis nutrimentum, contentionis obturatio, vanitatis fuga ».

117. Ex his omnibus inferendum est id, quod monent Constitutiones Generales Ordinis, inviolate ab omnibus esse servandum silentium, certis scilicet horis et locis. Legitur enim ibi (3):

« Sacrum et regulare silentium in choro, in ecclesia, et in sacrario, quod sacristiam dicimus, inviolate servetur. Hortamur etiam omnes in DOMINO, ut in dormitorio quoque aliisque locis, maxime vero in refectorio illud sedulo diligenterque custodiant. Occurrente tamen necessitate, vel rationabili aliqua causa, loqui liceat, breviter tamen, et submissa voce ».

« Qui silentium fregerit, exemplariter a Superiore puniatur ».

« Quia vero in his facilius ac frequentius peccari compertum est, et pietatis fervor per multiloquium extinguitur: Superiores locales et Provinciales omnem curam adhibeant, ut abusus absint, et religiosi silentii disciplina teneatur ».

« Omnes etiam hortamur, ne per aliorum cellas frequentes sint, juvenes praesertim, quibus et aliorum cellas ingredi, et alios in proprias admittere ne liceat, Magistris et Superioribus dumtaxat publici muneris obeundi causa exceptis. Indicto autem per campanulae signum silentio, nemo sit, qui alterius cellam ad colloquendum intret ».

(1) Cfr. S. Bonavent., vita S. Franc. cap. X. n. 2. 3.
(2) Cfr. Annal. Ord. tom. II. ad ann. 1256 n. 17.
(3) Annal. Ord. tom. VI, ad ann. 1472 n. 49.
(4) Jac. I,26.
(5) De perfectione vitae ad Sorores, cap. 4.

(1) Serm. 40. sup. Cant.
(2) Serm. 4. ad Novitios.
(3) Cap. III. §. VIII. n. 226. 227. 228. 229. 230.

« Ut in religiosis familiis spiritus unitas « ubique servetur in vinculo pacis, Superiori- « bus localibus injungimus, ut sedulo, at pru- « denti zelo invigilent, ne in privatis Fratrum « cellis conversationes fiant, sed aliquis sit « assignatus locus, in quo Fratres volentes in- « simul cum Superiore ad spiritus levamen per « horae dimidium post prandium et coenam « convenire valeant; in qua quidem conversa- « tione caveat quisque ab omni actu, opere, « verbo, quod honestati et modestiae detra- « here possit, vel charitatem laedere frater- « namque dilectionem minuere ».

118. Addi potest, silentii custodiam universae disciplinae monasticae praecipuum esse propugnaculum et fulcimentum, et singulare Religionis decus et ornamentum. Econtra vix clarius collabentis et deformatae Religionis signum est, quam non servare silentium, maxime locis et temporibus praescriptis. Hinc silentii observantia non solum ab omnium Ordinum Statutis, sed etiam ab ipso jure communi praescribitur. Nam Innocentius III (1) praescribit: « in oratorio, refectorio et dormito- « rio continuum semper observetur silentium: « in claustro quoque certis horis et locis, se- « cundum consuetudinem laudabiliter obser- « vatam ».

119. Debitis ergo locis et temporibus silentium religiosum bene observare studeamus, ut hac ratione spiritum recollectionis et orationis conservemus ac in virtutibus et regulari observantia jugiter proficiamus. Recogitemus saepius, quae in aureo libello *de imitatione Christi* leguntur (2): « Silentium bene servando, obe- « dientiam etiam servas, humilitatem retines, « verecundiam adornas, sensibus reverentiam « exhibes, juvenibus exemplum praebes, levi- « bus et dissolutis timorem inculcas, extraneis « bonam famam, intraneis pacem et concor- « diam generas ». Per silentii observantiam magna ex parte clauditur aditus detractionibus, murmurationibus et clamoribus, quae multiloquium comitari solent, atque omnium vitiorum mater, otiositas, tollitur, quae inutili colloquio potissimum nutritur.

(Continuabitur).

(1) Cap. *Cum ad monaster.* de statu Monach.

(2) Libr. II. cap. 4.

CAPITULA PROVINCIALIA

anno 1887 celebrata.

—

VI.

In Capitulo guardianali Collegii SS. Nominis JESU de CASTRO, in Chilena Republica, habito die 10 Februarii vertentis anni rite et canonice electi sunt, praesidente Adm. R. P. ISAIA NARDOCCI, Commissario Generali:

GUARDIANUS COLLEGII

R. P. Jesus Maria Barria.

DISCRETI

R. P. Leonardus Barria.
R. P. Alphonsus M. Oyarzun.
R. P. Berardus Borquez.
R. P. Bernardus Subiabre.

—

REGULAE FRANCISCALES

II.

SECUNDA REGULA

Monialium S. Clarae, sive Clarissarum quae Urbanistae vocantur (1).

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus universis Abbatissis, et Sororibus inclusis, Ordinis S. Clarae, salutem et apostolicam benedictionem (2).

Beata Clara, virtute clarens et nomine, gratiae divinae inspiratione praeventa et almi CHRISTI Confessoris B. Francisci exemplis laudabilibus informata, ac salutaribus instituta doctrinis, ut se mundam DOMINO conservaret,

(1) Hujus Regulae adsunt explicationes sub hoc titulo editae: *Dichiarazioni sulla Regola di S. Chiara proposte alle Monache Clarisse da Papa Urbano IV, moderata da Papa Eugenio IV, dal Rmo P. Vicario Generale dei Minori Osservanti e Riformati, P. Andrea di Seprignano. Roma 1821.*

Alia explicatio invenitur in opusculo cui titulus: *Regola di S. Chiara per il Monastero di S. Rosa della città di Viterbo, colle note e Costituzioni proposte da S. E. Il Cardinale Gaspare Bernardo Pianetti, Vescovo di Viterbo e Toscanella.* Viterbo 1853.

Consuli tandem potest aliud opus: *La Sainte Règle et les Constitutions des Clarisses Urbanistes d' Aurillac et de Lavaur.* Autun 1859.

(2) Textum hujus Regulae desumpsimus ex Bullario Romano, editione Taurinensi, tomo III, pag. 709, anno 1264.

mundi huius contemptis opibus, operibusque vitatis, religiose vivere sapienter elegit, et habitu sacrae Religionis assumpto, arctam viam mandatorum Domini, quae gradientes in ipsa ducit ad vitam, dilatato corde cucurrit. Hanc petram, Christus lapidem esse voluit in vestri Ordinis structura primarium. In ipsa evidenter ostendit, quod in huius structura sibi complacuit. Eam siquidem sanctitatis erexit in titulum, ut quae munditia vitae claruit, celebritate clareret, ac eumdem vestrum Ordinem, qui sanctum et laudabile sumpsit in eius persona principium, ipsius quasi constituentis sic sapienter approbatae patronae merita, in venerabilem venerandumque probarent.

§ 1. In hoc autem Ordine, vos et alias ipsum profitentes, sub nominationum varietate, interdum *Sorores,* quandoque *Dominas,* plerumque *Moniales,* nonnumquam *Pauperes inclusas Ordinis S. Damiani* contigit hactenus nominari; vobisque, sub horum et aliorum diversitate nominum, diversa privilegia, indulgentiae ac litterae a Sede Apostolica sunt concessa, et tam a fel. recordat. Gregorio Papa praedecessore nostro, tunc Ostiensi episcopo et vestri Ordinis curam gerente, quam aliis, variae datae sunt Regulae et formae vivendi, quarum observantiis se vestrum aliquae solemniter obligavere.

§ 2. Propter quod, dilectae in Domino Filiae, fuit nobis humiliter supplicatum, ut eumdem vestrum Ordinem curaremus certi nominis titulo insignire, vosque ab huius observantiarum diversitatibus et votis super eis emissis misericorditer absolventes, certam vobis vivendi formam ad tollendum omnem de vestris conscientiis scrupulum, largiremur.

§ 3. Nos itaque decens arbitrantes et congruum, ut idem Ordo vester, qui, ut praemittitur, in B. Clara felicia suae institutionis sumpsit auspicia, cuiusque (ut firmiter credimus) apud Deum meritis et intercessione protegitur, et apud homines laudibus attollitur et favoribus ampliatur, eius insigniatur et nomine; ipsum de Fratrum nostrorum consilio de caetero decrevimus Ordinem S. Clarae uniformiter nominandum.

§ 4. Statuentes quod immunitates, libertates, privilegia, indulgentiae ac litterae quaecumque vobis seu eidem Ordini a praefata Sede, sub quacumque nominatione concessa, id robur obtineant firmitatis, et ita per omnia ipsis uti possitis, ac si a principio huius nominis titulo et sub hac nominatione fuissent.

§ 5. Ut autem bene et jucunde habitetis in unum, nec sub praedictarum observantiarum differentia a modo vivendi videamini differentes, sed ambuletis in domo Domini cum consensu; Nos, inspectis omnibus Regulis praedictis et formis, ac specialiter illam, quam praefatus praedecessor tunc Ostiensis episcopus vobis dedisse cognoscitur, diligentius attendentes, Regulam sive formam vivendi praesentibus annotatam, vobis et iis, quae vobis successerint, de eorumdem Fratrum consilio, praesentium tenore concedimus et etiam confirmamus, in singulis monasteriis vestri Ordinis perpetuis temporibus observandam, illas ex vobis, quae ipsam Regulam sive formam per Nos vobis concessam et confirmatam, professae fuerint, ab omnibus aliis regulis, formis et votis praemissis, de apostolicae potestatis plenitudine absolventes.

Quae Regula talis est:

CAPUT I.

DE HIS QUAE VOLUNT HANC REGULAM PROFITERI (1).

Omnes, quae, saeculi vanitate relicta, Religionem vestram assumere voluerint et tenere, hanc eas legem vitae et disciplinae oportet et convenit observare, vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate sub clausura (2).

CAPUT II.

QUOD PROFESSAE PERPETUO CLAUSAE MANEANT.

Omni namque tempore vitae suae hanc vitam profitentes, clausae manere firmiter teneantur infra murorum ambitum et intrinsecam clausuram monasterii deputatum, nisi forsan (quod absit) superveniret inevitabilis et periculosa necessitas, sicut exustionis ignis, vel

(1) In bulla non leguntur capitum tituli, sed quum in variis versionibus reperiantur, eosdem appponere utile duximus.

(2) Circa votorum observantiam et Monialium nostrarum regularem disciplinam nonnulla praescripta sunt in Capitulis generalibus Ordinis. (Cfr. Constitutiones generales Ordinis, jussu Rmi Joannis a Capistrano editas anno 1827, a n. 1075 ad 1192).

incursus hostilis, seu alicuius hujusmodi, quae dilationem nullo caperet modo ad egrediendi licentiam postulandam. In quibus casibus transferant se Sorores ad locum alium competentem, in quo, quantum commode fieri poterit, clausae morentur, quousque eis de monasterio sit provisum.

Et praeter hujusmodi necessitatis evidentiam, nulla eis conceditur licentia vel facultas extra praedictam clausuram ulterius exeundi, nisi forte de mandato aut auctoritate Cardinalis Romanae Ecclesiae, cui a Sede Apostolica generaliter fuerit iste Ordo commissus, ad aliquem locum aliquae mitterentur, causa plantandi vel aedificandi eamdem Religionem, vel reformandi aliquod monasterium eiusdem Ordinis, seu causa regiminis, aut correctionis, aut alicuius valde evidentis et gravis dispendii evitandi, vel nisi de eiusdem Cardinalis mandato aut auctoritate, monasterio primo rationabili causa relicto, totus conventus ad monasterium aliud se transferret.

Possint autem in singulis monasteriis recipi aliquae, licet paucae, sub Servitialium nomine, vel Sororum, ad hujusmodi observantiam professionis astringendae, praeterquam ad articulum de clausura (1); quae de mandato vel licentia Abbatissae interdum poterunt egredi ad negotia monasterii procuranda.

Morientes vero tam Sorores quam Servitiales hujusmodi infra claustrum, prout convenit, tumulentur.

CAPUT III.

DE HIS QUAE AD ORDINEM ADMITTENDAE SUNT ET DE IPSARUM PROFESSIONE.

Omnibus hanc Religionem assumere cupientibus, quae fuerint admittendae, priusquam habitum mutent et Religionem assumant, dura eis et aspera proponantur, per quae itur ad Deum, et quae secundum hanc Religionem necesse habuerint firmiter observare, ne de ignorantia postea se excusent.

Non recipiatur aliqua, quae vel longiori aetate, vel infirmitate aliqua, vel fatua simplicitate ad hujusmodi vitae observantiam insufficiens et non idonea censeatur, nisi forte cum aliqua interdum, causa rationabili exigente, de mandato vel auctoritate dicti Cardinalis alicui fuerit dispensandum. Per tales enim status et vigor Religionis saepius dissolvitur et turbatur: unde in personis recipiendis diligenti studio et cautela debet hujusmodi occasio devitari.

Abbatissa nullam propria auctoritate recipiat, sine consensu omnium Sororum suarum, vel ad minus duarum partium earumdem.

Omnes vero ex more intra claustrum receptae, tonsis crinibus, citius deponant habitum saecularem; quibus deputetur Magistra, quae eas informet regularibus disciplinis.

Ad tractatus quoque capituli infra annum nullatenus admittantur. Completo vero unius anni spatio, si aetatis legitimae fuerint, professionem in manibus Abbatissae coram conventu faciant in hunc modum:

« *Ego Soror N. promitto* Deo *et beatissimae* Mariae *semper Virgini et Beato Francisco et Beatae Clarae, et omnibus Sanctis, et tibi Dominae Abbatissae, vivere sub Regula a Domino Urbano Papa quarto Ordini nostro concessa, toto tempore vitae meae, in obedientia, sine proprio et in castitate, et etiam, secundum quod per eamdem Regulam ordinatur, sub clausura* ».

Idem similiter profitendi modus in Servitialibus vel Sororibus, quae de licentia Abbatissae egredi possunt exterius, praeter articulum de clausura, per omnia observetur (1).

CAPUT IV.

DE FORMA VESTIMENTORUM.

Omnes Sorores communiter capillos suos usque ad aures certis temporibus tondeant in rotundum. Et unaquaeque Soror praeter cilitium, si voluerit, vel staminetum, duas tunicas, vel etiam plures, secundum quod visum fuerit Abbatissae, habere valeat, ac mantellum post collum hinc inde connexum: et haec indumenta sint de panno religioso et vili tam pretio quam colore, juxta diversarum consuetudinem regionum, nimia brevitate, vel longi-

(1) Hodie tamen istae Sorores servitiales, quae *Conversae* vel *Sorores a velo albo* nuncupantur, votum clausurae sicut et caeterae emittere debent, juxta Constitutiones Benedicti XII, Pii V et Gregorii XIII.

(1) De Monialium Novitiatu et professione. Cfr. supradictas Ordinis Constitutiones, cap. XI, § V, n. 1115 et seq.

tudine non notanda, ut et in operiendis pedibus debita servetur honestas et curiosae longitudinis superfluitas penitus evitetur. Tunica quoque superior sit tam in manicis, quam in busto, latitudinis et amplitudinis congruentis, ut habitus exterioris honestas intrinsece attestetur.

Habeant et scapularia sine caputio, de vili et religioso panno, vel staminea, amplitudinis et longitudinis condecentis, sicut uniuscujusque qualitas exigit, vel mensura: quibus induantur quando laborant, vel tale aliquid agunt, cum mantellos congrue gestare non possunt. Possint etiam sine ipsis esse aliquando, si visum fuerit Abbatissae, cum forte per calorem nimium, vel aliquid aliud, eis gravia multum fuerint ad portandum. Coram extraneis tamen hujusmodi utantur scapularibus cum mantellis. Tunicae quoque superiores, scapularia et mantelli, coloris omnino albi vel nigri aliquatenus non ferantur. Pro cingulo autem chordam, postquam professae fuerint (1), habeant minime curiosam.

Vittis aut velis de panno communi omnino albis, non tamen pretiosis, aut curiosis, capita sua cooperiant uniformiter et honeste, ita quod frons, genae et collum et gula sint (ut eorum honestati et religioni convenit) cooperta, nec aliter coram extraneis personis audeant apparere. Habeant et velum nigrum, nec pretiosum nec curiosum, extensum super capita, ita amplum et longum, quod ex utraque parte descendat usque ad scapulas, et retro parum ultra tunicae caputium protendatur. Sorores vero novitiae album velum ejusdem mensurae et qualitatis debeant deportare.

Servitiales aut Sorores pannum album non pretiosum aut curiosum, ad modum veli super capita sua deferant, tantae longitudinis et amplitudinis, quod scapulas et pectus, praecipue cum exeunt, valeant operire.

CAPUT V.

DE COMMUNI DORMITORIO ET QUOMODO DORMIRE DEBEANT.

Omnes Sorores sanae, tam Abbatissa quam aliae, vestitae et cinctae iaceant in communi dormitorio, et quaelibet per se lectum habeat ab invicem separatum; lectus tamen Abbatissae in tali loco dormitorii disponatur, quod inde caeteros dormitorii lectos sine obstaculo, si commode fieri poterit, valeat intueri (1).

A festo Resurrectionis Dominicae usque ad festum Nativitatis B. Virginis Sorores dormiant post prandium usque ad nonam, quae voluerint. Quae vero noluerint, oratione seu meditatione divina, seu aliis piis quietis laboribus occupentur.

Liceat autem unicuique habere sacconem de foeno vel de palea, et cervical de palea aut lana, si culcitras religiosas cum lana habere nequiverint congruenter.

Lampas insuper de nocte accensa semper in medio dormitorii habeatur.

CAPUT VI.

DE OFFICIO DIVINO ET MODO ILLUD RECITANDI.

De divino Officio tam in die, quam in nocte DOMINO persolvendo, taliter observetur, quod hae, quae legere et canere noverint, secundum consuetudinem Ordinis Fratrum Minorum cum gravitate tamen et modestia, divinum Officium debeant celebrare. Illitteratae vero dicant vigintiquatuor *Pater noster* pro Matutino, pro laudibus quinque, pro Prima, Tertia, Sexta et Nona, pro qualibet istarum Horarum septem (2). Qui modus in Officio B. Virginis per omnia observetur.

Pro Defunctis dicant in Vesperis septem *Pater noster* cum *Requiem aeternam,* pro Matutino duodecim, tempore quo Sorores litteratae faciunt Officium Mortuorum. Quae vero occasione rationabili non possent aliquando legendo dicere Horas suas, liceat eis sicut illitteratis dicere *Pater Noster*.

(1) Ex consuetudine et ipsae novitiae chordam deferunt.

(1) Ex Constitutionibus supracitatis n. 1173, cellulae distinctae haberi possunt, et si necesse aliquando fuerit, plures in eadem cellula lectulos esse, tres saltem in eadem cellula collocari debent.

(2) Ex privilegio a summis Pontificibus concesso Abbatissa licentiam impertire potest cuidam Moniali, si adsit rationabilis causa, ut Officium conversarum recitet dicendo scilicet totidem *Pater noster*. (S. Lig.) De choro cfr. etiam citatas Constitutiones n. 1160 et seq.

CAPUT VII.

DE SERVITIO ECCLESIAE, DE SACRAMENTIS ET DEFUNCTORUM SEPULTURA.

Ubi proprius fuerit Cappellanus pro Missarum solemniis et divinis Officiis celebrandis, habitu et vita religiosus sit, ac bonae famae, nec juvenilis sed maturae et idoneae sit aetatis. Ubi autem non fuerit proprius Cappellanus, a quolibet bonae famae et honestae vitae presbytero, Sorores Missam audire possunt.

Poenitentiam vero et alia sacramenta ecclesiastica a Fratribus Ordinis Minorum dumtaxat recipiant, vel ab eis recipiant, qui de mandato seu auctoritate Cardinalis, cui generaliter fuerit iste Ordo commissus, ea exhibendi potestatem habuerint, nisi forte in necessitatis articulo fuerit aliqua constituta, et copiam habere Fratrum nequiverit praedictorum.

Cum aliqua sacerdoti de confessione loqui voluerit, per locutorium (1) sola soli confessionem faciat sacerdoti, et per illud eidem de his, quae ad confessionem pertinent, tunc loquatur.

Confessionem autem Regulae omnes faciant ad minus singulis mensibus, et sic confessione praemissa in sequentibus solemnitatibus, videlicet in Nativitate DOMIMI, Purificatione B. MARIAE, in initio Quadragesimae, Resurrectionis DOMINI, Pentecostes, in festis Sanctorum Petri et Pauli, S. Clarae, S. Francisci et Omnium Sanctorum, recipiant Dominici Corporis Sacramentum.

Si tamen aliqua Soror tanta fuerit corporis infirmitate detenta, quod ad locutorium commode venire non possit, et necessitatem habuerit confiteri, vel Dominici Corporis, seu alia recipere sacramenta, exhibiturus huiusmodi alba et stola et manipulo, cum duobus idoneis et religiosis sociis, vel uno ad minus, alba vel saltem superpelliceo vestitus, ingrediantur et morentur induti, et audita confessione, vel alio tradito sacramento, sicut ingressi fuerint, sic egrediantur induti, nec moram ibi faciant longiorem. Caveant etiam, ut quamdiu intra monasterium fuerint, nullatenus ad invicem separentur, qui semper mutuo possint libere se videre. Sic quoque se habeant in animae commendatione (1).

Porro ad exequias circa sepulturam agendas, sacerdos non ingrediatur claustrum, sed exterius in cappella quod ad officium pertinet exequatur. Tametsi Abbatissae et conventui visum fuerit quod ad exequias debeat introire, modo supradicto cum sociis intret indutus, et sepulta mortua, cum eis exeat sine mora.

Si autem necesse fuerit, ut ingrediantur aliqui ad faciendam vel ad aperiendam sepulturam, seu postmodum coaptandam, et Abbatissae et conventui visum fuerit hoc expediens propter imbecillitatem Sororum, sit sacerdoti vel alicui alii ad hoc idoneo et honesto cum uno socio, vel duobus, licitum introire.

CAPUT VIII.

DE EXERCITIO CORPORALI ET SORORUM LABORE.

Si aliquae juveniles vel grandiores, capaces ingenii fuerint, eas instrui faciat, si sibi videbitur Abbatissa, magistram eis deputans idoneam et discretam, per quam tam in cantu, quam in divinis officiis instruantur.

Sorores vero et Servitiales, horis et locis institutis prout ordinatum fuerit, utilibus et honestis laboribus occupentur, sub illa providentia, quod excluso otio, animae inimico, sanctae orationis et devotionis spiritum non extinguant, cui debent caetera temporalia deservire.

Verum quia multitudini sub hujus Religionis observantia congrue omnia debent esse communia, nec cuiquam licet aliquid esse suum, caveant sollicite, ne occasione laborum hujusmodi, seu mercedis receptae pro ipsis, cupiditatis vel proprietatis cujuspiam, seu notabilis specialitatis subrepat morbus (2).

CAPUT IX.

DE SILENTIO.

Silentium continuum sic continue ab omnibus teneatur, ut nec sibi invicem, nec alicui

(1) In locutorio confessionem peragere amplius non licet, sed in confessionali. (Const. Ordinis).

(1) De Monialium Confessariis cfr. iam dictas Constitutiones Cap. XI § III, n. 1085 et seq.

(2) De Monialium labore cfr. easdem Constit. ibidem n. 1169 et seq.

alii sine licentia eis loqui liceat, exceptis iis, quibus magisterium aliquod, vel opus injunctum fuerit, quod non possit cum silentio exerceri; iis quidem simul loqui liceat de iis, quae ad officium, vel opus suum pertinent, ubi et quando et qualiter visum fuerit Abbatissae.

Sorores tamen debiles et infirmae, ac servientes eisdem, pro recreatione ac ipsarum servitio, in infirmitorio loqui possint.

In duplicibus quoque festis, ac Apostolorum solemnitatibus, et aliis quibusdam diebus, quibus visum fuerit Abbatissae, in certo loco ad hoc signato, ab hora nona usque ad vesperam, vel aliqua alia hora competenti, loqui possint de Domino Jesu Christo, ac solemnitate, ac piis sanctorum exemplis, et de aliis licitis et honestis.

Ab hora quoque Completorii usque ad Tertiam, exceptis Servitialibus, extra monasterium Abbatissa, absque causa rationabili, loquendi licentiam non concedat. In aliis vero temporibus, atque locis, sic attendat sollicite Abbatissa de causa, ubi, et quando, et qualiter Sorores licentiet ad loquendum, quod regularis observantia, quae non mediocriter a silentio, quod est cultus iustitiae, dignoscitur, nullatenus relaxetur.

CAPUT X.

DE MODO AGENDI CUM EXTRANEIS.

Omnes autem studeant uti signis religiosis pariter et honestis. Sane quando aliqua persona religiosa, seu saecularis, vel cujuslibet dignitatis, alicui de Sororibus loqui petierit, nuntietur primitus Abbatissae et si ipsa concesserit, accedens ad locutorium, duas alias ad minus habeat secum semper, quibus jusserit Abbatissa, quae loquentem videant et audire valeant, quae dicuntur. Ad cratem vero loqui aliquatenus non praesumant, nisi praesentibus duabus ad minus per Abbatissam ad hoc specialiter deputatis.

Caveant tamen sibi Sorores, quae cum aliquo loqui habent, ne, per verba inutilia, inaniter se diffundant, nec etiam trahant in locutionibus moram longam.

Hoc namque ab omnibus firmiter observetur, ut quando de confessione sacerdoti interius infirma fuerit aliqua locutura, ad minus non loquatur, nisi cum duabus non longe sedentibus, quae confitentem et confessorem videre possint, et ab eisdem pariter videri (1).

Hanc autem loquendi legem et ipsa Abbatissa diligenter custodiat, ut omnino materia detractionis omnibus auferatur, excepto quod cum Sororibus, horis et locis competentibus loqui potest, sicut ei secundum Deum visum fuerit expedire.

(Continuabitur).

III.

MISSIONES

—

ACTA PRAECIPUA.

S. Congregationis de Propaganda Fide a mense Martio 1886.

Vicariatus Natalensis in Africa dividitur. — Eriguntur novus Vicariatus Status Liberi Orange et nova Praefectura Transvallensis. — Decr. 15 Martii.

In Insulis Carolinis Capuccinorum Missio instituitur. — Decr. 15 Martii.

Immutantur respectivi limites Archidioecesis S. Francisci in California et Dioecesis Vallispratensis (Grass Valley), quae a nova urbe *Sacramento* sibi addita nomen accipit. — Decr. 16 Maii.

Dioeceses Octaviensis et Marianopolitana in America Septentrionali Britannica ad archiepiscopalem dignitatem evehuntur. — Decr. 22 Maii.

Archidioeceses *aeque principaliter conjunctae* Scodrensis et Antibarensis separantur et provincia ecclesiastica Scodrensis instituitur. — Decr. 4 Octobr.

A Dioecesi Albanensi in Stat. Foeder. Americae Septentr. sejungitur nova Dioecesis Syracusana. — Decr. 24 Novembr.

In Vicariatum erigitur Territorium *Utah* in Stat. Foeder. Americae Septentr. cum portione regionis *Nevada*. — Decr. 22 Novembr.

(1) Cfr. easdem Constit. n. 1154 et seq.

A Praefectura Congi Inferioris sejungitur Congus Gallicus, qui in Apostolicum Vicariatum erigitur. — Decr. 24 Novembr.

A Dioecesi Altonensi *(Alton)* in Stat. Foeder. Americae Septentr. separatur nova Dioecesis Bellevillensis. — Decr. 22 Decembr.

Vicariatus *Nyanzae* in Africa limites immutantur. — Eriguntur novi Vicariatus *Tanganika* et Ounianembe. — Missiones aequatoriales aptius ordinantur. — Decr. 30 Decembr.

Leo vero XIII feliciter regnans Hierarchiam Catholicam in Indiis Orientalibus instituit. — Dioeceses jurispatronatus Portugalliae novis cohibitas finibus restituit. — Praefecturam Pondicherianam abolet. — Litt. Encycl. diei 1 Septembr. (1).

Peracta rituali separatione catholicorum Syro-Malabarentium a Latinis, duo pro illis constituuntur Vicariatus apostolici, committendi Episcopis Latinis, qui sibi assumere debent Vicarium Generalem Syro-Malabarensem, privilegio condecorandum exercendi proprio ritu Pontificalia et Confirmationis sacramentum, Chrismate tamen ab Episcopo consecrato, conferendi; necnon alios quatuor viros ecclesiasticos ejusdem gentis et ritus uti consiliarios eligere. Horum Vicariatuum limites praefiniuntur, quorum alter ab urbe *Trichoor,* alter vero ab urbe *Cotayam* nomen accipiet (Litterae in forma Brevis diei 20 Maii 1887).

In Australia quatuor novae Dioeceses nuperrime erectae sunt in Grafton, Wilcannia, Port-Augusta et Sale, atque ecclesiae cathedrales Adelaide et Brisbane ad metropolitanam dignitatem erectae; novus quoque Vicariatus apostolicus erectus est in Cooktown, Hybernis Augustinianis concreditus.

Tandem in Oceania erectus est Vicariatus apostolicus Insularum Fidji, Societate Mariae concreditus, et in Nova Zelanda nova dioecesis Christchurch erecta.

VICARIATUS HOU-NAN MERIDIONALIS
in Imperio Sinensi.

Rmus D. Semprini, Min. Ref. Vicarius Apost. Hou-nan meridionalis, die 30 Octobris anni elapsi scripsit epistolam, in qua narratur persecutio adversus Patrem Fuchs in civitate *Tao-Kiou* anno 1885 concitata.

P. Casparus Fuchs, e Provincia S. Leopoldi alumnus, a praelaudato Praelato ad hanc civitatem missus fuerat ad baptizandos nonnullos catechumenos, qui ibidem inveniebantur, novamque efformandam christianitatem. Laetanter profectus est Missionarius, comitantibus quodam magistro ac servo christianis; jamque ultra triginta catechumenos adscripserat, quum ecce tota commovetur civitas, affiguntur minatorii libelli contra Missionarium ejusque socios, ac caedis praemium promittitur. Sed P. Fuchs salutis animarum magis percupidus quam propriae vitae, quin fugam arriperet, ad tribunal Mandarini, qui haud longe distabat, se contulit, ut securitatem ac tutelam impetraret. Ast irata plebs, facto concursu, mortem « diabolo europaeo » vociferando minitatur, ac ejus lecticam interdum frangit. Instante Missionario, tandem a Mandarino excipitur, qui turbam sedare conatur, sed frustra. Ipse enim circumdatus ac lapide in pectore perculsus, semianimis aufertur. Proprio excessu perterrita plebecula, mox dilapsa est, annuntiante Mandarini Secretario, viro audaci et probo, Missionarium jam per aliam portam effugisse. Revera in palatio delitescebat et media nocte transacta, tuentibus quatuor militibus, ad muros civitatis cum magistro perductus est, ac sicut olim S. Paulus e civitate Damascenorum, per chordas ex altis muris ambo dimissi sunt, ut portae custodum vigilantiam devitarent. Ad flumen pervenientes, e tanto eruti periculo ad *Fu-Kia-sum* incolumes ac Deo gratias agentes pervenerunt.

In alia civitate, *Luei-iang* nuncupata, ejusdem Vicariatus, mense Aprilis 1886, sacellum ibidem erectum dirutum fuit, plebem incitantibus litteratis qui aegerrime ferunt christianam fidem inter ipsos diffundi. Attamen sperat Praelatus, per merita Venerabilis servi Dei P. Joannis a Triora (qui, ineunte hoc saeculo, prope hanc civitatem captus est et paulo post capitis abscissione pro Christi fide sanguinem suum fudit), in hac Provincia Religionem propagaturum.

Addit egregius Praelatus, dua nova sacella erexisse alterum in *Tre-Kung-pu,* et alterum in *Ta-ton-hien.*

(1) Cfr. *Acta Ordinis,* anno V, pag. 165.

VICARIATUS APOSTOLICUS HOU-PÈ

OCCIDUO — MERIDIONALIS.

Status animarum, ac spiritualis administratio intra annum Domini 1885-86.

Christianitates	60
Sacella publica	20
Christianorum numerus	4,152
Baptizati Adulti	54
Baptizati Infantes	117
Confirmationes	143
Confessiones annuales	2,097
Confessiones devotionis	9,350
Communiones annuales	1,949
Communiones devotionis	9,219
Matrimonia benedicta	34
Extremae Unctiones	56
Vita functi Infantes	56
Vita functi Adulti	71
Divini verbi praedicatione ad Fideles	823
Divini verbi praedicationes ad Paganos	1,008
Missionarii Europaei, et unus Frater Laicus	6
Missionarii Indigenae	5
Alumni Seminarii	12
Alumni Collegii	8
Alumni Scholarum	239

Sacra Infantia.

Baptizantes Cursores	3
Item in propriis familiis	8

Infantes infidelium.

Baptizati	1,195
Collecti	94
Aliti	173
Adoptati a Christianis	8
Mortui	961

In duobus Orphanotrophiis.

Tertiariae S. Francisci	7
Virgines Novitiae	6
Mulieres inservientes	4
Pueri	9
Puellae	70
Ad Nutrices	87
In Schola — Pueri	5
In Schola — Puellae	38

Kin-tcheoufou, die 28 Februarii 1887.

Fr. A. M. FILIPPI Epus ac Vrius Aplicus.

IV.

VARIA

—

CIRCULUS ACADEMICUS COLLEGII S. ISIDORI DE URBE (1).

Tribus abhinc annis in Romano Collegio S. Isidori FF: Minorum incoeptus fuit circulus philosophico-theologicus, in quo communi plurium Collegiorum conamine atque auxilio doctrina Scholasticorum et imprimis germana D. Thomae ac. S. Bonaventurae sapientia vel scientificis alumnorum decertationibus, vel exquisitis Lectorum dissertationibus aliquoties per annum exponeretur et defenderetur.

In cuius itaque inauguratione die 17 Aprilis 1884 P. Bernardus Doebbing O. S. Fr., praedicti Collegii Lector theol., disseruit: « De Studio doctrinae Scholasticorum imprimis duorum DDr. principum Ss. Thomae et Bonaventurae ». — Typis mandata exstat haec dissertatio in *Actis Ordinis Minorum.* (Cfr. ann. III pag. 113).

Die 29 Maii alumni Collegii Germanici publicam instituerunt disputationem, moderante Rev.mo Prof. P. Vincentio Remer S. I., de thesi: « DEUM esse, non est veritas per se nota, certo tamen per ea, quae sunt, demonstratur: ac speciatim iis rationum momentis, quae Angelicus Doctor adducit (1. q. 4. a. 3). — Porro hic solus verus DEUS mundum hunc adspectabilem resque omnes et materiales et spirituales, quae in eo continentur, ex nihilo condidit ac sapientissima ratione gubernat ».

Die 3 Julii inter alumnos ipsius Collegii S. Isidori decertatum est, moderatore P. B. Doebbing, de thesi: « In natura divina simplicissima et actualissima admittendae sunt pro-

(1) Ex periodico cui titulus: *Divus Thomas.*

cessiones reales et quidem duae tantum, quarum altera est processio Verbi et dicitur generatio; altera processio amoris, quae dicitur spiratio ». (Cfr. S. Th. 1. q. 27. a. 1-5.).

Die 29 Januarii 1885, moderante Ill.mo et Rev.mo D. Prof. Satolli, inter alumnos Collegii Urbani de Propag. Fide, Collegii Americae Sept. et Collegii Hibernorum disputatio habita est de thesi: « Quamvis unaquaeque divina Persona potuerit humanam naturam assumere, tamen convenientissimo divinae bonitatis consilio factum est, ut Filius Dei incarnaretur ». (Cfr. S. Th. 3. q. 3. a. 5-8.).

Die 6 Aprilis P. B. Doebbing disseruit de thesi: « Materia prima secundum mentem Aristotelis et Scholasticorum intellecta nullo modo implicat, — immo modernae scientiae physicae non obstante progressu, ad corporum constitutionem philosophice explicandam iure adhuc in pleno suo vigore retinenda atque defendenda est ». — Synopsis huius dissertationis:

I. 1. Materia et forma altissimam habent speculationem. Arist. physicor. 4. text. 16;-1. text. 69; S. Thom. in Phys. Arist. Lect. I. 5.; Alex. de Ales Metaph. 12.

2. Moderni rerum physicarum periti comparantur cum antiquis, Heraclito, Atomistis, Anaxagora, Socrate, Platone, Aristotele.

3. Notio materiae evolvitur ex documentis Philosophi physic. 1. text. 69.; — S. Bonav. II. Sent. d. 3. p. 1. a. 1.; — Scot. de rerum princ. a. 2. q. 8.; — Alex. de Ales metaph. VIII.; — S. Thom. 1. q. 65.

4. Materia prima veram habet realitatem et substantialitatem.

II. 1. Materia prima est per formam et propter formam, tamen a forma omnino realiter distincta. Arist. physic. 1. text. 81-2.

2. Peripatetici tum in rebus organicis tum inorganicis dualismum retinent. Arist. physic. 2. tex. 10.

3. Quo sensu iidem materiae primae privationem ut tertium rei principium ponant.

4. Explicata differentia, quae urget inter S. Thom. et S. Bonav. relate ad ulteriorem materiae primae explicationem, ostenditur, quod in fundamentalibus hac in re omnino concordent. (Cfr. novam edit. operum S. Bonav. tom. II. pag. 92).

Die 14 Junii alumni Collegii S. Isidori, moderante Rev.mo D. Prof. Ricardi, disputarunt de thesi: « Anima intellectiva unitur corpori humano ut forma ».

Die 10 Decembris P. B. Doebbing disseruit de thesi: « Cum proprium nostrae aetatis malum vel ex neglectu omnium prorsus principiorum, vel ex falsis, vel ex verorum partiali tantum applicatione ortum suum habeat, radicale nostrarum calamitatum remedium in scientia et applicatione verorum principiorum consistere, ex ipsorum summa vi et efficacia in utroque ordine, naturali et supernaturali ostenditur ».

Die 28 Januarii 1886 Fratres studiosi Collegii S. Isidori decertarunt, moderante P. B. Doebbing, de thesi: « Medium et organum authenticum ad conservandam propagandamque revelationem christianam est magisterium a Christo Domino institutum, — nullatenus vero medium unicum est sacra Scriptura ».

Die 18 Martii P. Iosephus Kaufmann O. S. Fr., Lector philos. in Collegio S. Isidori, disseruit de thesi: « Ideae S. Augustini de necessitate fidei ».

Die 21 Decembris P. B. Doebbing disseruit de thesi: « Instituta intellectionis humanae brevi analysi, ducibus SS. Aug., Thom., Bonav. contra idearum innatarum defensores ostenditur, quid quove sensu in anima intellectiva aliquid innatum dici queat et debeat, deinde inquiritur an et quomodo quaelibet actualis cognitio nostra naturalis fiat secundum antiquum illud adagium: « nil in intellectu quod non prius fuerit in sensu ».

Haec dissertatio magni est momenti praecipue ob citationes Doctorum Scholae Franciscanae.

Die 28 Februarii 1887, moderante Rmo D. Professore Satolli, disputatio habita est de thesi: « Deus est adeo simplex, ut nihil ab ipso neque ab intellectu divino abstrahi possit quod esse communissimum constituat ».

Tandem die 12 Maii thesis: *de formali hominis beatitudine* discussa ac defensa fuit a Fr. Ioanne a Sousa, Clerico Lusitano, impugnantibus Fratribus Antonio Couvea et Francisco Donnethy ac moderante R. P. Kaufmann, Lectore philosophiae.

V.
BIBLIOGRAPHIA

ANALECTA FRANCISCANA. — Sive Chronica aliaque varia documenta ad historiam Fratrum Minorum spectantia, edita a Patribus Collegii S. Bonaventurae tom. II. (pag. XXXVI-612.) Ad Claras Aquas, ex typographia Collegii S. Bonaventurae, 1887.

Secundus hic tomus *Analectorum Franciscanorum* nunc primum publici juris facit integrum Chronicon, ex unico qui notus est codice editum, quod scripsit Fr. Nicolaus Glassberger de Moravia, qui anno 1472 habitum S. Francisci suscepit in Provincia Argentinae Minorum Observantium. Chronicon hoc refert tum res ad universum Ordinem Minorum spectantes, tum specialius, historiam Provinciarum Argentinae et Saxoniae, fere usque ad Capitulum Generalissimum anno 1517 celebratum. Opus hoc sicut volumine omnia antiqua Ordinis Chronica excedit, sic exhibet etiam multa documenta vel excerpta, quae alibi frustra quaeruntur. Ipse Waddingus aliique Ordinis scriptores non nisi nomen huius auctoris noverunt. — In adornanda hac prima editione multum operae laborisque consumptum est, ut et textus quam maxime correcte exhibeatur, et ad calcem indicetur, quid Waddingus aliique auctores Ordinis de eadem re referant. Quod praecipue de ineditis Chronicis, quae vocantur XXIV Generalium, intelligendum est, quae ab auctore illo fere integra exscribuntur. — In Praefatione in medium proferuntur varia non exigui momenti de Fr. Nicolao Glassberger ejusque scriptis; de fontibus, quibus usus est; de antiquissimis Chronicis Ordinis; simul trutina critica examinantur novae quaedam assertiones, quae de primordiis Seraphici Ordinis a quibusdam viris protestantibus nuperrime prolatae sunt.

Pretium huius voluminis (cum expensis transmissionis intra Italiam) est fr. 12.

ANGELUS COLANTONI, Min. Ref. — Santa Rosalia, Orazione panegirica del P. Angelo Colantoni. Messina, tip. del progresso, 1887.

ANTON MARIA GRASSELLI (Rmus D.) Min. Conv. — Orazione Panegirica recitata l'8 Marzo 1887, da sua Eccellenza Rma Monsig. Anton. Maria Grasselli, dei Minori Conventuali, Arcivescovo di Colossi, infra Missarum solemnia, nella venerabile Chiesa di S. Giovanni Calibita, a lode delle virtù e meriti dell' inclito Fondatore dei Fate-Bene-Fratelli, S. Giovanni di Dio, nella fausta ricorrenza del glorioso suo transito e per la solenne proclamazione a Patrono di tutti gli ospedali ed infermi. Roma, Tipografia A. Befani, 1887.

CARMELUS A NEAPOLI, Min. Ref. — Officia Novissima Sanctorum ac Beatorum Breviario Romano-Seraphico addenda cum eorum elogiis in Martyrolog. inserendis, additis litaniis Sanctorum Seraphici Ord. persolvendis die S. Marci et Rogationum, in quibus accurate disposita sunt ea, quae, pro obeunda processione vel missa rite occurrunt, tandem emendationes quarumdam lectionum historicarum. Accedit autem Appendix ad Rubricas peculiares Brev. Rom. Seraphici, in qua sermo est, praeter alia, de immutata rubrica de *Translatione festorum,* juxta Const. LEONIS XIII *Nullo unquam tempore* 14 Aug. 1883, de concessionibus quas Ordo noster a S. Sede obtinuit, de repositione festorum aliam sedem in Kal. nostro petentium, et de propriis ad quemvis locum spectantibus, praesertim ad utriusque Siciliae regnum; opus perutile ad recte conficiendum annuum Kalendarium, cura P. F. Carmeli a Neapoli, in Ordine Reform. Em. ac Defin. Generalis.

Neapoli, in sacristia S. Petri ad Aram. 1887. — In-16. Pag. 262 (L. 1,50).

EPIPHANIUS (Rmus) CARLASSARE, Min. Ref. — Mensis S. Josepho Deiparae Sponso sacer, Clero accommodatus, auctore Fr. Vinc. Epiphanio Carlassare, Ord. Min. Obs. Ref., Episcopo tit. Madauren. Vic. Ap. in Sinis. Ad Claras Aquas prope Florentiam ex typographia Collegii S. Bonaventurae. 1886. In-16. Pag. 228. (L. 2.).

GABRIEL (Rmus P.) A VARCENO, Min. Cap. — Compendium Theologiae Moralis ex opere morali Scavini, Gury, et Charmes concinnatum et ad sententias Constit. *Apostolicae Sedis* ac Sacr. Congregationum recentiorum decisionum redactum a Fr. Gabriele de Varceno, Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum ex-Definitore Generali, Sacrae facultatis Lectore emerito, SS. Congreg. Concilii ac de Propaganda Fide Consultore, Theologo Datariae et Cleri Romani examinatore Apostolico, ac plurium Academiarum socio. — Editio VIII. accuratius emendata et aucta. Augustae Taurinorum ex Typ. Pontificia et Archiepiscopali Petri Marietti 1887. Tom. I. pag. 676. — Tom. II. 688 (L. 13).

Kerval (Léon de). — Saint Jean de Capistran, son siècle et son influence. — Bordeaux, chez les Soeurs Franciscaines, Rue de la Teste 36, — Paris, chex Haton, Editeur, Rue Bonaparte 35 1887. In-16. (Pag. XX-182).

Luigi da piedilama, Min. Rif. — La Scolastica e le Tradizioni Francescane per il P. Prospero, Cappuccino, versione dal Francese del P. Luigi da Piedilama Min. Rif. della Provincia Serafica. Estratto dalla Rivista delle Scienze ecclesiastiche di Amiens. Assisi, Tipografia Metastasio 1887. — In-8. Pag. 193. (L. 2).

Pellegrini Schipani Raffaele. — Memoria della vita e delle opere del P. Lodovico da Casoria, Minore Riformato di Napoli. Napoli, 1887, Tip. del Gesù Via Montesanto 8. — (prezzo L. 3). Si vende in casa dell'autore, Via Tribunale, 386.

VI.
NECROLOGIA

—

A. V. P. Ferdinandus Müller. Natus Fuldae die 21 Januarii 1837, anno 1856 Ordinis nostri habitum induit in Custodia S. Elisabeth Thuringiae. Anno 1859 sacerdotio initiatus statim in cura animarum laborare coepit. Pluries deinde Superioris localis et Discreti Custodiae officiis functus est. Anno 1875, quo civilis praefatae Custodiae suppressio accidit, una cum aliquibus confratribus ad foederatos Status Americae septentrionalis a Superioribus missus est, ibique strenue laboravit, ut Custodiae filiis suppressis atque dispersis opportunum pararet receptaculum. Ejus sociorumque ipsius laboribus Deus clementer benedixit, ita ut brevi tempore tres Custodiae domus erigere valerent. In principali Conventu S. Bonaventurae in Paterson Guardiani necnon pluries Commissarii Custodialis officiis functus est, ac a Rmo P. Ministro Generali Commissarius Generalis pro Monialibus Tertiariis Missionariis in America degentibus, quarum domus principalis Gemonae in Italia habetur, fuit institutus. Postquam per undecim annos integros laudabiliter in America se gessisset, anno elapso a Rmo P. Ministro Generali in Germaniam revocatus est, ut in melius jam mutatis temporum circumstantiis, pro restituenda Custodia ibi laboraret. Ast ob multos exantlatos labores perpessasque tribulationes sanitas ipsius fracta est. Et licet omnia remedia opportuna adhiberentur, tamen sanitatem recuperare non potuit, sed potius post piam praeparationem, et in divinam voluntatem resignatus, die 20 Aprilis a. c. Fuldae animam suam Deo reddidit, vehementer dolentibus non solum confratribus, sed etiam exteris, quibus omnibus, praesertim ob ejus animi suavitatem, fuit acceptissimus.

R. I. P.

Neapoli in hospitio Terrae Sanctae die 5 Martii pie in Domino obiit Fr. Gabriel de Porogrono, Laicus Observ. Provinciae Salernitanae, qui triginta atque tres annos Terrae Sanctae inserviens omnibus ceu religiosae obedientiae et summae charitatis exemplar praelucebat.

R. I. P.

Adm. R. P. Angelicus de Corde Jesu, Provinciae S. Petri de Alcantara Discalceatorum Neapolis et Terrae Laboris die 23 Martii, immediate post celebratam S. Missam, quasi mortem repentinam oppetiit. Is natus fuit Juliani dioec. Aversanae die 6 Januarii 1809, habitumque induit 1.ª Februarii anni 1828. Multis annis docuit Philosophiam et Theologiam; dein fuit Definitor et Provincialis. Ordine nostro in meridionalibus partibus suppresso, maximos animi dolores pertulit; adversam fortunam animo toleravit infracto, summam spem in Eum collocando, cuius gloriae augendae is semper fuit studiosissimus.

Nihil obstat

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

EX S. CONGREG. INDULG.

MONASTERIENSIS.

De Scapularibus.

Postquam Romani Pontifices benigne indulserunt, ut sacerdotes tum saeculares, tum regulares facultate potirentur simul benedicendi imponendique quinque scapularia, nempe SSmae TRINITATIS, B. M. Virginis de Monte Carmelo, Immaculatae Conceptionis et Septem Dolorum ejusdem B. MARIAE Virginis, nec non rubrum Passionis D. N. S. J. CHRISTI, nonnullae exortae sunt quaestiones et difficultates circa modum supradictae facultatis exercendae. His accesserunt alia dubia, quae respiciunt communicationem Ecclesiis Confraternitatum SSmae TRINITATIS, B. MARIAE Virginis de Monte Carmelo ac Septem Dolorum omnium Indulgentiarum, quae Ecclesiis Ordinum ejusdem nominis sunt adnexae, nec non commutationem visitationis Ecclesiae eorumdem Ordinum, sive Confraternitatum, ubi ea desit, in visitationem Ecclesiae parochialis. Alia demum sunt proposita dubia, quae agunt de reciproca communicatione Indulgentiarum et Privilegiorum Confraternitatum SSmae TRINITATIS, et B. MARIAE Virginis de Monte Carmelo sive a Fratribus calceatis sive excalceatis utriusque Ordinis erectarum; ac in specie de Indulgentiis visitantibus Ecclesias Ordinis Carmelitici aliquibus anni diebus concessis, et de generali absolutione in mortis articulo impertienda Confratribus et Consororibus S. Scapularis Carmelitarum.

Quae omnia Fr. Pius Seerburg Ordinis Capuccinorum Concionator in Conventu Monasteriensi Provinciae Rhenano-Westphalicae suorum Confratrum nomine, qui sacris Missionibus operam impendunt sequentibus dubiis huic S. Congregationi Indulgentiarum et SS. Reliquiarum propositis complexus est:

I. An ad validitatem benedictionis sufficiat signum Crucis manu efformatum super Scapulare absque ulla verborum pronuntiatione et aquae benedictae aspersione?

II. An receptio in Confratrem valeat si fiat simplici intentione concepta animo, ac verbis nullis adhibitis?

III. An declaratio S. Congregationis de servandis substantialibus in adscriptione fidelium Confraternitati B. M. V. de Monte Carmelo debeat etiam, atque eodem sensu, intelligi quoad cetera Scapularia?

IV. An pro induendo Fideles quinque Scapularibus totidem etiam benedictiones, impositiones ac receptiones requirantur vel unica tantum et quae sufficiat?

V. An suscipientes et gestantes Scapulare caeruleum B. M. V. Immaculatae, aut rubrum Passionis D. N. J. CHRISTI Confraternitatem constituant?

VI. An in Ecclesiis Confraternitatum SSmae TRINITATIS, B. M. V. de Monte Carmelo ac Septem Dolorum acquiri valeant omnes Indulgentiae, quas lucrantur Fideles visitando Ecclesias Ordinum respectivorum?

Et quatenus affirmative:

VII. An communicatio istiusmodi valeat etiam quoad devotiones in Ecclesiis Ordinum habere solitas, uti Orationem 40 horarum, Missas, Officia divina, Litanias, Dei verbi praedicationem etc., quando quis iisdem devotionibus intersit in Ecclesia respectivarum Confraternitatum?

VIII. An in locis, ubi ulla adest Ecclesia neque Ordinis, neque Confraternitatis SSmae TRINITATIS, aut B. M. V. de Monte Carmelo, aut a Septem Doloribus, Fideles, qui sunt adscripti Confraternitati SSmae TRINITATIS erectae etiam a Fratribus Calceatis, vel Confraternitati B. M. V. de Monte Carmelo, aut Septem Dolorum acquirere respective possint omnes Indulgentias adnexas dictarum Ecclesiarum visitationi visitando Ecclesiam parochialem?

IX. An Sacerdos, qui facultatem obtinuit a Fratribus Calceatis recipiendi fideles in Confraternitatem SSmae TRINITATIS, valeat communicare praeter Indulgentias, quae reperiuntur in Summario approbato pro Confraternitatibus erectis a Fratribus Calceatis, etiam eas a praedictis diversas, quae reperiuntur in Summario approbato pro Confraternitatibus erectis a Discalceatis ac versa vice in locis praesertim ubi proprii Ordinis aut Confraternitatis Ecclesia non existit?

X. An idem sit constituendum de gratiis et Indulgentiis, quae sunt concessae Confraternitatibus erectis a Fratribus Calceatis aut Discalceatis Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo?

XI. An constet de authenticitate Indulgentiae Plenariae, quae concessa fertur pro unaquaque feria quarta cujusque anni hebdomadae Christifidelibus visitantibus Ecclesiam Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo?

XII. An constet de authenticitate Indulgentiae Plenariae, quae traditur concessa ab Honorio III et Nicolao IV pro unaquaque anni die, in qua visitetur Ecclesia Ordinis praedicti?

XIII. An omnibus confessariis ab Ordinariis approbatis indulta sit facultas impertiendi absolutionem generalem Confratribus et Consororibus B. M. V. de Monte Carmelo in articulo mortis constitutis, quoties deficiat sacerdos potestate praeditus munia directoris Confraternitatis exercendi?

Emi et Rmi Patres in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 26 Martii 1887, rescripserunt:

Ad 1. Negative, sed benedictio danda est juxta formulam praescriptam ad normam Decreti 18 Augusti 1868.

Ad 2. Negative.

Ad 3. Affirmative.

Ad 4. Affirmative ad 1. partem; Negative ad 2., nisi ex speciali Indultu S. Sedis et ea formula, quae conceditur in Indulto, et ad mentem. Mens est, ut qui Sacerdotes utuntur Indulto Apostolico induendi Christifideles quinque Scapularibus non benedicant Scapularia nisi ea sint distincta, id est vere quinque scapularia, sive totidem, sive duobus tantum funiculis unita, et ita ut cujuslibet Scapularis pars una ab humeris alia vero a pectore pendeat, non vero unum tantum Scapulare, in quo assuantur diversi coloris panniculi, prout ab hac S. Congregatione jam cautum est.

Ad 5. Negative.

Ad 6. Negative.

Ad 7. Negative.

Ad 8. Affirmative ex Brevi Pii Papae IX 30 Januarii 1858 pro Confraternitate SSmae TRINITATIS, et ex Brevi ejusdem Pontificis 15 Januarii 1855 pro Confraternitate B. M. V. de Monte Carmelo; et supplicandum SSmo pro extensione Indulti ad Confraternitatem B. M. V. a Septem Doloribus.

Ad 9. Affirmative, facto verbo cum SSmo.

Ad 10. Affirmative.

Ad 11. Ex deductis non constare nisi de Indulgentia Plenaria in una ex quartis feriis cujuslibet mensis et juxta modum expressum in Brevi Benedicti XIII « Alias pro parte », 4 Martii 1729.

Ad 12. Negative, sed Indulgentia Plenaria in casu ita intelligenda est, ut semel in anno tantum ab unoquoque Christifideli acquiri possit, sicut in una Maceraten. 15 Martii 1852 Confraternitatis SSmae TRINITATIS.

Ad 13. Affirmative.

Facta vero de iis omnibus relatione in audientia habita ab infrascripto Secretario die 27 Aprilis 1887, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, responsiones Patrum Cardinalium omnino approbavit, et ad dubium VIII. benigne annuit pro petita Indulti extensione, quo in locis ubi nulla adest Ecclesia neque Ordinis Servorum B. MARIAE Virginis, neque Confraternitatis Septem Dolorum, qui sunt Con-

fraternitati Septem Dolorum adscripti acquirere valeant omnes Indulgentias dicti Ordinis Ecclesiis adnexas visitando respectivam parochialem Ecclesiam.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem

S. Congregationis die 27 Aprilis 1887.

L. ✠ S.

Fr. THOMAS M. Card. ZIGLIARA Praef.
ALEXANDER Episcopus Oensis Secret.

II.

ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS

Incitamenta Seraphica.

DE DISCIPLINA REGULARI RESTITUENDA

CAPUT II.

DE ORATIONE

§ 7. *De impedimentis orationis.*

(Continuatio).

120. Tertium impedimentum spiritus orationis est quaevis erga res creatas *inordinata affectio.* « Nisi quis ab omnibus creaturis fuerit « expeditus, ait Thomas Kempensis (1), non « poterit libere intendere divinis. Ideo pauci in« veniuntur contemplativi, quia pauci sciunt se « a perituris creaturis ad plenum sequestrare ». Et S. Bonaventura scribit (2): « Quia multi « afficiuntur nimis ad se ipsos, quidam ad alias « personas, quidam ad honores, quidam ad « divitias temporales; et quia haec sunt sicut « murus inter DEUM et animam, ideo nullus « hominum habens aliquid de praedictis po« test in via DEI proficere, nec habere puram « orationem, et maxime quando est carnalis « affectio ad personam. Et de hac intendo « modo loqui. Nam talis affectio multos spiri« tuales sub specie amicitiae spiritualis a statu « orationis impedit et impedivit. Haec est in« quietudo mentis pestifera, orationem mentis « et oris inficiens et dispergens, et affectus con« trarios orationi in mente generat et exercet. « Nam sicut oratio pura mentem purificat et « illuminat, laetificat, fortificat et impinguat, « sic carnalis affectio et immunda mentem in« ficit et obscurat, contristat, debilitat et desic« cat, et corpus ejusdem maledictionibus im« plicatur. Et quoniam spiritualibus loquor « (propter quos illa scribo) noverint ipsi, « quod licet carnalis affectio sit omnibus pe« riculosa et damnosa, ipsis tamen magis per« niciosa, maxime quando conservantur cum « persona quae spiritualis videtur. Nam quam« vis horum principium videatur purum, fre« quens tamen familiaritas domesticum est pe« riculum, delectabile detrimentum et malum « occultum bono colore depictum. Quae qui« dem familiaritas, quanto plus crescit, tanto « plus infirmatur principale motivum, et utrius« que puritas maculatur... sicque spiritualis de« votio paulatim convertitur in corporalem et « carnalem, et sic ipsorum mentes, quae sole« bant in oratione cum DEO absque interme« dio loqui, tunc inter se et DEUM, alter alte« rius ponit corporalem effigiem, quam velant « et obtenebrant, ponentes sibiipsis faciem DEI « cum facie creaturae... Tantum de hac materia « dixisse sufficiat, ut per hoc confidenter ani« mentur, per viam puram et immaculatam « incedere, et fugere periculosam pestem, fa« miliaritatem mulierum spiritualium, quae non « melius quam fugiendo vitatur. Propter quod « sequamur consilium beati Augustini dicentis: « Sermo brevis et rigidus cum mulieribus est « habendus, nec tamen quia sanctiores fuerint, « ideo minus cavendae. Quo enim sanctiores « fuerint, eo magis alliciunt et sub praetextu « blandi sermonis immiscent se vitiis impiis« simae libidinis ». Haec sunt gravia verba, quibus S. Bonaventura ostendit, inordinatas ad res creatas, praesertim ad personas, affectiones maximas animae clades afferre et orationis spiritum penitus extinguere, cum instar muri liberum ad DEUM accessum impediant. Haec sedulo recogitemus, qui secundum Regulam, quam professi sumus, super omnia desiderare debemus habere spiritum DOMINI et sanctam ejus operationem, orare semper ad DEUM puro corde; non enim possumus DEO vacare, et in

(1) De imitat. Christi, lib. III. cap. 31.

(2) Lib. *de puritate conscientiae,* cap. 14.

transitoriis pariter delectari, juxta illud Thomae Kempensis effatum (1): « Quamdiu res « aliqua me retinet, non possum libere ad te « volare ».

121. Orationis spiritus non modo illicitis actionibus et affectibus impeditur, sed etiam honestis *occupationibus* extingui contingit, si nempe tam *immoderatae* sint, ut animae quietem perturbent, aut interioris vitae exercitia impediant. De hoc devotionis obstaculo saepius Fratres suos monuit Seraphicus S. P. N. Franciscus, et etiam in ipsa Regula (2) illud praecavendum esse docuit, dicens: « Fratres « laborent fideliter et devote, ita quod sanctae « orationis ac devotionis spiritum non extin- « guant, cui debent cetera temporalia deser- « vire ». Quum tamen non raro inveniantur Religiosi, qui sanctam se ducere vitam existimant, dum honestis occupationibus detinentur, etiamsi meditationem atque alia devotionis exercitia omittant aut notabiliter negligant, operae pretium erit, ex iis, quae hac de re a magistris vitae spiritualis traduntur, quaedam breviter adducere.

122. Immoderatas occupationes externas propriae perfectioni et praecipue devotionis studio detrimentum afferre, aperte declarat S. Bonaventura, qui inter causas, ob quas Ordines religiosi a fervore deficiunt, hanc inter alias memorat, dicens (3): « Occupationum fre- « quenter emergentium causa distrahit, affe- « ctum devotionis extinguit, mores alterat, in- « terius occasiones vitiorum inducit, et ne de « sua correctione efficaciter cogitent, semper « nova impedimenta Religiosis innectit, donec « tandem consuescant sola exteriora cogitare, et « obscurato conscientiae oculo, etiam cum de- « sunt, occupationum causas impudenter quae- « rere: sicut Samson caecatus in carcere mo- « lam traxit ». — Quis in his verbis vitam illorum inquietorum Religiosorum descriptam non videt, quibus solae externae occupationes placent, quibus cella taedium parit et orationis chorique exercitia nauseae sunt atque supplicio; quique propterea non raro eo tempore occupationes impudenter quaerunt quo interiori animae refectioni esset incumbendum.

(1) Loc. cit.
(2) Cap. V.
(3) Quaestiones super Regulam, quaest. 19.

123. Religiosos graviter monet seraphicus Doctor, ne sub praetextu procurandae salutis aliorum propriae perfectionis obliviscantur, ipsamque propriam salutem ea ratione in discrimen adducant. « Sic, ait (1). debet esse mo- « dus et forma praeparandi et disponendi se, « ut possit quis fructificare in proximo sine « sui detrimento: quia contigit et aliquando « contingere potest, quod in procuranda alio- « rum salute, propria negligitur, imo propria « suffocatur ». Idem sibi persuasum habuit S. Joannes a Capistrano; et propterea statas horas meditationi, piis exercitiis et divinis officiis impendendas praescripsit; et ne sub quocumque praetextu ea negligi contingeret, in Ordinationibus, quas in monte Alvernae pro religiosa sua familia decrevit, sequens apposuit statutum, quod omnibus confratribus saepius recolendum commendamus: « Vitentur, ait, labores « superflui et exercitia corporalia atque etiam « spiritualia, ex quibus officiorum divinorum « exsolutio detrimentum pateretur ». Per haec voluit, quod, sicut corporis refectioni et quieti sufficiens relinquitur tempus, ita etiam animae quieti et refectioni spirituali atque laudibus divinis statutae horae assignarentur, quas non liceret externis occupationibus perturbare, nisi vera necessitas in raro quodam et particulari casu contrarium permittendum suaderet.

124. De eodem argumento quaedam addendo censuimus, quae egregie scripsit Ven. Alvarez, qui inter alia nos docet sequentia (2): « Omnia extrema sunt periculosa, quoniam aut « vitia sunt, aut ad vitia inclinant, et ab ea, « quae sola expetenda est et in medio consistit, « scilicet a virtute discedunt. Hinc non sola « otiositas nobis fugienda est, quae unum est « virtuti contrarium extremum, sed etiam ni- « mia occupatio, quae ex altera parte virtuti « et discretioni opponitur evitanda. Haec enim « distrahit, sicut illa dissolvit, et sicut otium « spirituales vires enervat, ita negotii nimietas « easdem vires paulatim absumit, et alieni ro- « bur ejus comedunt, qui seipsum nesciens, « quae sunt supra suam facultatem aggreditur. « — Iam hic inutiles et saeculares occupationes

(1) Stimulus amoris, part. II. cap. 11.
(2) In opere *de vita spirituali ejusque perfectione*, libr. V. part. III. cap. 38., cujus titulus est: *Religiosus nimias occupationes timeat.*

« non commemoramus, quas diximus prorsus « relegandas, sed utiles et sanctas dicimus esse « discretione metiendas, ita ut mentem perfe- « ctionis avidam nequaquam obruant, nec in- « ternam tranquillitatem, nec spatia orationi et « spirituali lectioni ac sanctis precibus desti- « nata surripiant. Horum quidem laborum du- « plex est finis: alter profectus operantis, alter « Ecclesiae militantis utilitas. In ea itaque men- « sura sumantur, quae et Ecclesiae filiis et « ipsi laboranti proficiat. Non prosunt autem « laboranti labores sui, si ut alios illuminet, « seipsum caecat; si ut alios doceat, ipse reli- « giosam disciplinam dediscit, si ut aliis ap- « ponat doctrinae seu praedicationis mensam, « semetipsum pane orationis et reliquis exer- « citationibus spiritum reficientibus privat. Imo « nec prosunt filiis Ecclesiae, quos communi- « ter frigidus non calefacit, caecus non ducit, « ignorans non docet. Quamobrem ipse labo- « rum scopus hortatur, ut labores ipsi sint « moderati et viribus laborantis accommodi... « Illae occupationes quae ad longum tempus « praecipiuntur, ut si Religiosorum Praelatus, « aut Lector, aut Concionator, aut Confessarius « efficiaris, ita disponendae sunt, ut nec spiri- « tum obruant, nec animum distrahant, nec « spatia necessaria orationi mentali, horis ca- « nonicis rite persolvendis, sacrificio Missae « devote offerendo, spiritualis libelli affectum « moventis lectioni et aliis similibus adimant. « Nam si velis teipsum ita aut praelationis « aut doctrinae munere suffocare, ut te totum « et omnes vitae dies proximis tradas et ni- « hil tibi reserves, similis eris navi, quae ut « aliam a naufragio liberet, seipsam implaca- « bilibus undis maris submergit. Porro id nec « prudentia dictat, nec charitas sustinet, nec « obedientia petit. Prudentia enim dictat, ut « primo loco nos liberemus; charitas, ut nos « sicut et proximos, imo et illos sicut nos, et « non plus quam nos diligamus; obedientia « vero et religiosa professio, ne colore utilita- « tis proximorum nosipsos ulla imperfectione « fuscemus. Nulla profecto est in Ecclesia Dei « aut major aut utilior aut sublimior occupa- « tio ea, quam summus Pontifex et Christi « in terris Vicarius supportat. Haec autem ita « a capite totius Ecclesiae moderanda est, ut « sibi nec tempus orandi, nec considerandi, nec « seipsum pollendi surripiat, uti S. Bernardus « Eugenium Pontificem alloquens, et in eo « omnes curam animarum habentes erudiens « docet (1)... Si autem ita ad orationem et ad « sui profectum urgetur caput Ecclesiae, ex quo « salus universorum fidelium dependet, quonam « modo nos ad curam animarum nostrarum et « studium orationis hortandi sumus, qui sive « doceamus sive non doceamus, sive ratiocine- « mur sive non ratiocinemur, scribamus sive « non scribamus, nullam aut exiguam proximis « jacturam faciemus?... Sed quod temporis spa- « tium ex piis et utilibus occupationibus quis- « que sibi suffurabitur? Illud certe, quod obser- « vantiae religiosae et proprii cordis tranquil- « litati et fervori abunde sufficiat. Nam propter « externas actiones (nisi aliquando una vel al- « tera magni momenti urgeat) orationem et « lectionem et examinationem conscientiae et « ceteras observantias communes abjicere, si- « gnum evidens est animi non salutem ani- « marum quaerentis, sed orationis et discipli- « nae religiosae laborem evitantis. Sed ultra « haec, quae omnibus Religiosis sunt commu- « nia; unusquisque illud tempus meditationi et « lectioni tribuat, quod sibi ad spiritualiter vi- « vendum et fervorem cordis servandum satis « esse videatur. Nec credamus daemoni sua- « denti aliquot horis ad nos perficiendos subla- « tis, muneri nobis demandato rite obeundo « parum temporis superesse; illud enim Deo « faciente et juvante satis superque sufficiet: « atque ob hanc causam proximis non deerit « fervens Religiosus, imo multo melius et ef- « ficacius proderit. Attende enim eos qui « saluti animarum vacant, et videbis eos, qui « sibi consulunt et secum et cum proximis « horas moderate partiuntur, esse utilissimos « et cum magno sui et aliorum emolumento « aut confesssiones excipere, aut docere, aut « negotia spiritualia tractare, illos vero, qui « sine illa mensura seipsos effundunt, esse « prorsus inutiles, et non semel offendere ma- « lis exemplis, quos juvare et viam virtutis « docere debuerant. Quid plura? Sanctorum « Patrum vitas considera, et eos doctrinam « istam opere explevisse perspicies. Isti enim « ita externis occupationibus ob Dei gloriam

(1) Cfr. de Consid. lib. 1. c. 5. et lib. 2. cap. 3. seqq.

« assumptis instituerunt, ut semper eas prudentia dirigerent et cura orationis et propriae « perfectionis cohiberent, ne qui aliis praesto « erant, sibi ipsis deficerent. Non sufficit vero « rebus exterioribus hunc, quem diximus, modum imponere et ob illas horarum spatia ad « nosmetipsos perficiendos oratione et lectione « subtrahere, nisi etiam externae occupationis « tempore mentem nostram, quantum possibilitas nostra valuerit, in unum collectam, « tranquillam et pacatam habeamus. Nam qui « seipsum cura externae actionis inquietat et « vires animae turbat, non poterit orationis « tempore debitam tranquillitatem tenere, et « vanis rerum imaginibus mentem ad Deum « contemplandum exuere. In Deo igitur omnem « fiduciam nostram constituentes, suaviter et « tranquille omnia nostrae curae demandata « disponamus. Pusilli quidem animi est, rerum « externarum cura distendi, et eorum quae « sibi injungitur occupatione turbari. Hanc pusillitatem summis conatibus evincamus, et « sicut Dominus inter turbas ipsum comprimentes, ita et inter occupationes irruentes « quieti et tranquilli esse curemus ».

125. Ex dictis luculenter constat, immoderatas occupationes devotionis studium perturbare, et propterea sedulo a Superioribus curandum esse, ut vitentur labores superflui et exercitia corporalia atque etiam spiritualia, ex quibus meditationis exercitium et officiorum divinorum persolutio detrimentum paterentur.

126. Praeter enumerata quatuor orationis et devotionis impedimenta, quae ex parte ipsius hominis oriuntur, aliud impedimentum *ex parte daemonis* provenire solet, tum per interiores tentationes, tum per molestias et vexationes exteriores. Qualiter in iis nos geramus, instruimur exemplis fortibus nostri Ordinis athletarum. Ipse seraphicae militiae ductor S. P. N. Franciscus, cum daemonum pugnas horribiles frequenter sustineret, qui nitebantur ipsum ab orationis studio perturbare, armis munitus coelestibus, quanto vehementius impetebatur ab hostibus, tanto fortior in virtute et ferventior reddebatur in oratione, fidenter dicens ad Christum (1): « Sub umbra alarum tuarum protege « me a facie impiorum, qui me afflixerunt ».

(1) Psal. XVI, 8.

Ad daemones autem dicebat: Facite quidquid in me valetis, maligni spiritus et fallaces. Non enim potestis, nisi quantum vos manus superna relaxat; et ego ad perferendum omnia, quae infligenda decreverit, cum omni jucunditate paratus assisto. Quam mentis constantiam superbi daemones non ferentes, abscedebant confusi (1). Simili modo etiam alii sancti Fratres Ordinis nostri diabolicas tentationes et vexationes refutarunt et superarunt. Hos itaque sic aemulemur, ut neque propter coelestium subtractionem suavitatum, neque propter infernales vexationes impediamur orare semper ad Deum; ut non inveniamur esse de numero illorum, de quibus scripsit Ecclesiasticus (2): « Est amicus secundum tempus suum, et non « permanebit in die tribulationis ».

127. Alia devotionis impedimenta sunt *peccata*. Et quidem *mortalia*, quum tollant omnino charitatem, indignos reddunt homines divina visitatione. In hujusmodi peccatrices animas cadit illa Davidis maledictio (3): « Montes Gelboe nec ros nec pluvia veniant super « vos, neque sint agri primitiarum ». Perturbat mentem conscientiae remorsus, tollitque divinae familiaritatis confidentiam, et ad instar Cain fugere cogit a facie Domini, neque durante isto animi tormento, cor pervenire valet ad tranquillitatem ac devotionem. *Venialia*, tametsi non tollant charitatem, minuunt tamen ejus fervorem, adeoque devotionem extenuant. Pulveres sunt, qui licet non frangant speculum, tamen illud maculant, ita ut reddatur inutilis. — Omnis item amaritudo, ex quacumque causa concepta et animo insidens, quasi absynthium est et venenum, immutans omnino devotionis dulcedinem et dissipans spirituale mentis gaudium. Rescindenda quoque est sensuum et intellectus curiositas, cujusmodi est velle audire, videre et scire nova, quibus tempus teritur et animus perturbatur, dum postea etiam nolenti redeunt in memoriam. — Valde officit etiam spiritui devotionis inordinata cibi potusque delectatio. Repleto enim nimis corpore, minus libere potest spiritus ferri ad sublimia. A vaporibus istis et gravantibus siliquis igitur orationis cultores se studeant servare immunes,

(1) Vita, cap. X, n. 2.
(2) Eccli. VI, 8.
(3) II. Reg. I, 21.

ut semper parati sint occurrere Domino eumque serena mente audire. — Denique solitorum exercitiorum absque justa causa omissio evitanda est. Tenellae arbores, si diutius quam par est relinquantur absque irrigatione, exsiccantur facile et pereunt. Cor vero irrigatur meditatione divinorum. Ipsa est panis cor hominis confirmans. Unde mirum non est, si arescat obliviscens comedere panem suum.

128. Huic tractatui *de oratione* finem imponentes omnes Fratres nostros enixe rogamus atque monemus, ut super omnia desiderare studeant spiritum orationis ac devotionis. Hoc spiritu repleti illas gratias obtinebimus a Deo, quibus indigemus, ut sacram Regulam nostram adamussim observare, ad religiosam perfectionem ac denique ad aeternam gloriam feliciter pervenire valeamus.

(Continuabitur).

CAPITULA PROVINCIALIA

anno 1887 celebrata.

—

VII.

Obs. Custodia Melitensis.

Die 5 Maii vertentis anni rite celebratum est Capitulum hujus Custodiae, in Conventu S. Mariae a Jesu Vallettae, praesidente Adm. R. P. Luca Turbiglio Commissario et Visitatore Generali, et canonice electi sunt:

Custos

Adm. R. P. Franciscus a Melita.

Discreti

Adm. R. P. Joannes Cajetanus a Melita.
Adm. R. P. Samuel a Melita.
R. P. Ludovicus a Melita.
R. P. Peregrinus a Melita.

—

VIII.

Obs. Provincia Seraphica.

Die 16 Iunii proxime elapsi, in Conventu S. Mariae Angelorum, praesidente Reverendissimo Patre Ministro Generali, rite celebratum fuit Provinciale Capitulum, in quo canonice electi fuerunt:

Minister Provincialis

Adm. R. P. Stephanus a Castroplanio.

Custos Provinciae

Adm. R. P. Paschalis a Cortona.

Definitores

R. P. Aloysius a Capite aquae.
R. P. Ludovicus a Cryptis S. Stephani.
R. P. Leonardus a Casolis.
R. P. Iuvenalis a Stronconio.

—

REGULAE FRANCISCALES

II.

SECUNDA REGULA

Monialium S. Clarae, quae Urbanistae dicuntur.

(Continuatio).

CAPUT XI.

DE JEJUNIO ET ABSTINENTIA.

Sorores autem omnes et Servitiales, infirmis exceptis, a festo Nativitatis gloriosae Virginis Mariae usque ad festum Resurrectionis Dominicae, nisi diebus dominicis et die Nativitatis Domini, continuum servent jejunium: a Resurrectione vero Dominica usque ad festum Nativitatis Beatae Virginis teneantur sexta feria jejunare. Omni quoque tempore, praeter infirmitatis suae tempore, ab esu carnium abstineant. Cum debilibus autem dispensare valeat Abbatissa, prout eorum debilitati viderit expedire. Ovis vero et caseo et lacticiniis licite possint uti, praeterquam ab Adventu usque ad Nativitatem Domini, et a Dominica Quinquagesimae usque ad Pascha, nec non et sexta feria et jejuniis ab Ecclesia generaliter institutis. Cum Servitialibus tamen Sororibus, circa praedictum jejunium, praeterquam in Adventu et sexta feria, possit Abbatissa misericorditer dispensare; dispensare etiam possit circa praedictum jejunium cum adolescentibus ac debilibus et senili aetate confectis, prout earum debilitati ac imbecillitati viderit expedire.

Sanae quoque Sorores jejunare non teneantur minutionis suae tempore; quod in triduo terminetur, extra majorem Quadragesimam et sextam feriam, Adventum DOMINI, et jejunia ab Ecclesia generaliter instituta. Caveat autem Abbatissa, ne ultra quam ter in anno minutionem permittat communiter celebrari, nisi certa necessitas plus requirat, nec a persona extranea maxime minutionem recipiat, ubi commode poterit evitare (1).

CAPUT XII.

DE SORORIBUS INFIRMIS.

De infirmis vero cura et diligentia maxima habeatur, et secundum quod possibile fuerit et decuerit, tam in cibariis, quae earum requirit infirmitas, quam in aliis necessariis, in fervore charitatis, benigne ac sollicite eis per omnia serviatur. Quae infirmae proprium habeant lectum, si unquam fieri potest, ubi a sanis maneant separatae, ne illarum ordinem confundere valeant vel turbare.

CAPUT XIII.

DE MONASTERII OSTIO.

In quolibet monasterio unum tantum ostium habeant ad intrandum claustrum et exeundum, cum opportunum fuerit, iuxta legem de ingressu et egressu positam in hac forma. In quo ostio nullum sit ostiolum vel fenestra, et istud ostium in sublimi quanto magis fieri poterit congruenter, ita quod ad ipsum per scalam levatoriam exterius ascendatur (2), quae scala per catenam ferream ex parte Sororum studiose ligata, a Completorio dicto usque ad Primam sequentis diei continue sit suspensa, et tempore diurnae dormitionis et visitationis, nisi aliud interdum evidens requirat necessitas vel utilitas manifesta.

Ad praedictum autem ostium custodiendum, aliqua talis ex Sororibus deputetur, quae DEUM timeat, sit matura moribus, sit diligens ac discreta, sitque convenientis aetatis, quae unam ipsius ostii clavem sic diligenter custodiat, ut nunquam ea vel eius socia ignorante ostium aliquando valeat aperiri. Reliquam vero clavem diversam ab illa custodiat Abbatissa. Sit et alia aeque idonea ei socia deputata, quae ejus vicem in omnibus exequatur, cum ipsa aliqua rationabili causa vel occupatione necessaria, occupata fuerit vel detenta. Caveant autem studiosissime, et procurent, ne unquam ostium stet apertum, nisi quantum minus fieri poterit congruenter.

Sit autem ostium seris ferreis et vectibus optime communitum, et sine custodia, apertum vel clausum, minime dimittatur, neque etiam ad momentum, nisi una clave in die, et in nocte duabus, sit firmiter obseratum (1).

Nec omni pulsanti aperiatur statim, nisi indubitanter cognoverit, quod talis sit, quod sine dubitatione aliena, secundum mandatum, quod de ingressuris in hac Regula continetur, debeat aperiri. Et nulli liceat ibi loqui, nisi soli ostiariae de his quae ad officium pertinebunt.

Quod si aliquando intra monasterium opus aliquod fuerit faciendum, ad quod agendum saeculares aliquos vel quascumque personas alias oporteat introire, provideat Abbatissa sollicite, ut tunc, dum opus scilicet exercetur alia persona conveniens ad custodiendum ostium statuatur, quae sic personis ad opus deputatis aperiat, quod alias intrare penitus non permittat. Nam Sorores ipsae, et tunc et semper, quantumcumque rationabiliter praevalent, studiosissime caveant, ne a saecularibus vel extraneis personis videantur.

CAPUT XIV.

DE ROTA EJUSQUE CUSTODIA.

Ceterum, cum praefatum ostium aliis aperiri nolimus, nisi pro illis tantum, quae per rotam, vel aliunde decenter nequeant expediri; mandamus, quod in singulis monasteriis in exteriori muro clausurae intrinsecae, in loco siquidem competenti, manifesto a parte exteriori, et omnino patenti, rota una fortis fieri debeat (2), latitudinis et altitudinis congruentis, ita quod per eam nulla persona in-

(1) Quoad perpetuum jejunium, generatim servantur apud Urbanistas modificationes ab Eugenio IV concessae, in bulla *Ordinis tui*, diei 5 Februarii 1446.

(2) A tali porta dispensatum fuit a Papa Alexandro VI.

(1) Cfr. Constitutiones Ordinis n. 1139, 1142.

(2) Cfr. ibidem n. 1145.

gredi valeat vel exire, per quam necessaria, tam interius quam exterius, ministrentur; et taliter disponatur, quod per eam, nec intus nec extra, valeat aliquis intueri.

Ex utraque etiam parte ostiolum fiat validum, quod de nocte, et in aestate tempore dormitionis, seris ferreis et clavibus clausum et firmatum debeat permanere.

Ad cujus custodiam pro expediendis necessariis per eamdem, unam Sororem discretam, tam moribus, quam aetate, quae monasterii diligat honestatem, constituat Abbatissa, cui soli tantum, vel deputatae sibi sociae, cum congrue non poterit interesse, loqui ibidem et respondere liceat, super iis quae ad suum officium pertinebunt. Ibi autem nulli loqui liceat, nisi esset locutorium occupatum, vel ex aliâ rationabili causa et necessaria aliquando: semper tamen de licentia Abbatissae, quod tamen rarissime fiat, secundum loquendi modum superius praetaxatum.

CAPUT XV.

DE RUSTICO OSTIO.

Propter necessitates quoque aliquando imminentes, quae non possunt per supradictum ostium vel rotam commode expediri, permittimus, quod alíud ostium in loco decenti in monasterio fieri possit, per quod certis temporibus intromittantur et emittantur quae fuerint opportuna, quod quidem ostium continue sit clavi, seris ferreis et repagulis communitum. Sitque muro a parte exteriori muratum, ita quod non possit aliquatenus aperiri, vel persona aliqua inde loqui. Possit tamen necessitatum dictarum tempore, ipsius ostii murus dirui, ostium aperiri, nec tunc apertum, nisi quantum minus fieri poterit, sub tamen fida custodia dimittatur. Expeditis itaque necessitatibus ipsis, secundum praedictum modum remunitum, clavi, seris et repagulis extrinsecus remuretur (1).

CAPUT XVI.

DE LOCUTORIO.

Locutorium autem commune in cappella, vel potius in claustro, ubi commodius et honestius fieri poterit, disponatur, ne, si forte fieret in cappella, pacem orantium inquietet. Ipsum locutorium sit congruae quantitatis, de lamina ferrea subtiliter perforata, et taliter clavis ferreis coaptata, quod nunquam valeat aperiri. Sit quoque ipsa lamina clavis ferreis longum protensis exterius fortiter communita. Cui pannus niger laneus interius taliter apponatur, quod nec Sorores videre extra valeant, nec videri (1).

Ad istud autem locutorium a Completorio, quod dici debet tempore competenti, usque ad Primam diei sequentis, seu tempore comestionis vel dormitionis in aestate, aut quando officium celebratur (nisi pro causa adeo rationabili et necessaria, quae commode differri non possit), nulli licitum erit loqui. Quandocumque vero in concessis temporibus aliqua, vel aliquae habuerint ibi loqui, cum modestia et maturitate loquentes, breviter se expediant, prout decet. Ubi vero propter Sororum multitudinem videbitur opportunum, aliud simile locutorium esse possit.

CAPUT XVII.

DE CRATE AD COMMUNICANDUM.

Volumus etiam, ut in muro, qui Sorores dividit a cappella, congruentis formae cratis ferrea collocetur, quae sit ex crebris et spissis contortis lineis ferreis, diligenti et forti opere fabricata, et clavis ferreis in longum protensis exterius fortiter communita, vel ex lamina ferrea parvis et minutis foraminibus perforata cum protensis clavis ferreis, ut dictum est, in cujus medium fiat unum ostiolum de lamina ferrea, per quod communionis tempore possit intromitti calix, et sacerdos mittens manum, possit Dominici Corporis tradere sacramentum; quod quidem clavi ferrea sit semper firmatum, nec aperiatur, nisi quando proponi Sororibus contigerit verbum Dei, vel sacramentum Dominici Corporis exhibetur, aut cum quis aliquam ex Sororibus suam propinquam consanguineam videre petierit, vel alia causa necessaria id exposcat, quod rarissime fiat et semper de licentia Abbatissae. Quae tamen in nullo casu (primis duobus dumtaxat exce-

(1) De hoc ostio murato a S. Sede dispensatum fuit.

(1) Cfr. Constit. Ordinis n. 1141, ubi duplex clathra ferrea, palmo saltem distans ab invicem, in parlatoriis praecipitur.

ptis) licentiam largiatur, nisi prius singulis vicibus de hoc consilium petierit a conventu. Cui crati pannus lineus niger interius taliter apponatur, ut nulla valeat inde aliquid intueri.

Habeantur etiam ostia lignea ex parte Sororum, cum seris ferreis atque clavi, ut maneant semper clausa pariter et firmata, et non aperiantur, nisi cum divinum celebratur officium, et nisi quando ex dictis causis praefato modo dictum ostiolum contigerit aperiri, et nemo alius per dictam cratem loquatur, nisi aliquando, rationabili causa vel necessaria exigente, alicui de Abbatissae licentia raro fuerit concedendum; et tunc praedicta ostia lignea poterunt aperiri. Et quandocumque aliquam personam extraneam ad eas ingredi, vel alias per crates eis loqui contigerit, tegant faciem cum modestia et inclinent, prout Religionis convenit honestati (1).

CAPUT XVIII.

QUOMODO, QUANDO ET QUI CLAUSURAM INGREDI POSSINT.

De ingressu personarum in monasterium firmiter ac directe praecipimus, ut nulla unquam Abbatissa, vel ejus Sorores, aliquam personam religiosam, seu saecularem, aut cujuslibet dignitatis, in monasterii clausuram intrinsecam intrare permittant; nec omnino liceat alicui, nisi quibus concessum a Sede Apostolica fuerit, vel a Cardinali (2), cui fuerit Sororum Ordo commissus.

Excipiuntur autem a dicta ingrediendi lege medicus, causa multum gravis infirmitatis, et minutor, cum necessitas exegerit; qui non absque duobus sociis de familia monasterii introducantur, nec ab invicem intra monasterium separentur, nec non et illi quos occasione incendii vel ruinae, seu alterius periculi vel dispendii, seu pro tuendis a violentia quorumlibet monasterio vel personis, aut pro aliquo opere exercendo, quod commode extra monasterium fieri non potest, necessitas exegerit introire. Qui omnes, expedito suo ministerio, vel imminenti necessitati satisfacto per ipsos, exeant sine mora.

Nulli autem personae extraneae intra monasterii clausuram liceat comedere vel dormire.

Sed et si quis de Sanctae Ecclesiae Cardinalibus, ad aliquod monasterium hujusmodi Religionis aliquando venerit, et intra claustrum voluerit ingredi, cum reverentia quidem et devotione suscipiatur, sed rogetur, ut cum paucis sociis et honestis debeat introire.

Liceat quoque Generali Ministro Ordinis Fratrum Minorum, quando ibidem celebrare voluerit, vel proponere Sororibus verbum Dei, cum quatuor vel quinque Fratribus ipsius Ordinis, intra clausuram ingredi monasterii, si quando ei videbitur expedire.

Alius autem Praelatus, cui aliquando forte de licentia Sedis Apostolicae, vel dicti Cardinalis, intrare licuerit, duobus vel tribus tantum religiosis et honestis sociis sit contentus. Quod si forte, pro benedictione vel consecratione Sororum, vel in alio modo, concessum fuerit episcopo alicui Missam interius celebrare aliquando, quam paucioribus et honestioribus poterit sociis sit contentus et ministris. Et hoc quoque ipsum alicui rarius concedatur.

Nulla tamen omnino loquatur cum aliqua persona de ingressis, nisi modo praedicto, sive infirma fuerit, sive sana. Illud sane praecipue caveatur, ut ii quibus aliquando concessum fuerit solummodo, vel data licentia in monasterium ingredi, non aliter admittantur, nisi Abbatissae et Sororibus visum fuerit expedire, cum ex hujusmodi concessionibus vel licentiis, Abbatissa vel Sorores eos admittere non cogantur, et ut sint tales, de quorum verbis et moribus, nec non vita et habitu aedificari valeant intuentes, et materia iusti scandali exinde nequeat generari. Super concessione vero vel licentia ingressus hujusmodi, ad omne ambiguum removendum, apostolici apices vel Cardinalis patentes litterae ostendantur.

CAPUT XIX.

DE SERVIENTIBUS SORORIBUS.

De Servitialibus et Sororibus, quae semper manere clausae sicut aliae non tenentur, districtius volumus observari, ut sine licentia,

(1) Quoad Communionis fenestellam cfr. ibidem, n. 1144.

(2) Cardinalis Protectoris licentia hodie non requiritur, sed Ordinarii loci. Circa clausuram cfr. etiam Const. Ord. n. 1146 et seq.

nulla claustrum egrediatur (1). Et quae emittuntur honestae sint et convenientis aetatis, ac religiosi et maturi aspectus, et calceamentis honestis, tam ipsae, quam Sorores illae, quas aliquando emittere contigerit pro casibus supradictis, calceatae incedant. Ceteris vero intus manentibus liceat istud idem.

Egredientibus vero assignetur certus terminus redeundi, nec alicui ipsarum concedatur extra monasterium, sine licentia speciali, comedere, bibere vel dormire, nec ab invicem separari, vel alicui in secreto, seu Cappellani monasterii vel Conversorum domicilium introire; et si aliqua contrarium fecerit, graviter puniatur, et sollicite caveant, ne ad loca suspecta divertant, vel cum personis malae famae familiaritatem habeant, nec in suo reditu saecularia vel inutilia Sororibus referant, per quae dissolvi valeant vel turbari. Et quamdiu extra fuerint, taliter studeant se habere, quod de conversatione honesta ipsarum aedificari valeant intuentes, et quidquid eis datum vel promissum fuerit, resignent vel renuntient Abbatissae, vel alii, cui in hoc commiserit vices suas.

CAPUT XX.

DE CAPELLANO ET DE FRATRIBUS CONVERSIS MONASTERIO ADDICTIS.

Cappellanus si voluerit se Monasterio obligare, et aliqui qui monasterii Conversi esse voluerint (2), et Abbatissae et conventui visum fuerit eos recipere, anno probationis elapso promittant obedientiam Abbatissae, voventes loci stabilitatem et perpetuo vivere sine proprio, et in castitate. Tunicas de religioso et vili panno, tam pretio quam colore, iuxta eorum indigentiam habere valeant sine caputio. Quarum manicae breves sint et strictae tantummodo circa manus. Longitudo autem tunicarum sit talis, quod a cavilla pedum distet spatio quatuor digitorum. Cappellanus tamen habere poterit longiorem. Pro cingulo vero corrigiam honestam habeant cum cultello. Caparonem etiam cum caputio super tunicas portent, cujus longitudo genu aliquantulum transeat, et latitudo usque ad caputium protendatur. Minoris tamen latitudinis caparonem, si habere voluerit, poterit cappellanus. Qui etiam cappa honesta, vel mantello post collum, vel ante pectus hinc inde connexo, uti poterit. Superiores autem tunicae et longum caputium, nec non et cappellani cappa et mantellum, non sint de albo, vel penitus nigro panno. Vestiti etiam iaceant, et camisiis lineis non utantur. Calceamenta alta et ampla et antefixa cum caligis habeant, et femoralia portent. Capillos suos usque ad aures certis temporibus tondeant in rotundum.

Officium divinum faciant, ut Sorores, excepto quod Conversi, ad Officium Beatae Virginis et Mortuorum minime teneantur: jejunium servare debeant ut Sorores. Liceat tamen Abbatissae super jejunio regulae, cum eis, aestus, vel itineris, aut laboris alterius, seu alia quavis rationabili et honesta causa misericorditer dispensare.

Informationi vero, et correctioni Visitatoris Cappellanus et Conversi per omnia sint subiecti. Cui in iis, quae ad visitationis officium pertinent, teneantur firmiter obedire.

CAPUT XXI.

DE PROCURATORE EJUSQUE OFFICIO.

Ad haec, liceat vobis in communi redditus in possessiones recipere et habere, ac ea libere retinere. Pro quibus possessionibus et redditibus monasterii modo debito pertractandis, Procurator unus, prudens pariter et fidelis, in singulis monasteriis vestri Ordinis habeatur, qui per Abbatissam et conventum constitui et amoveri debeat, sicut videbitur expedire.

Hic vero taliter institutus de omnibus sibi commissis, receptis pariter et expensis, Abbatissae et tribus Sororibus ad hoc per conventum specialiter assignatis, et Visitatori, cum voluerit, rationem reddere teneatur, et nihil omnino de rebus monasterii vendere, commutare, obligare vel alienare quoquo modo valeat, nisi de licentia Abbatissae pariter et conven-

(1) Ab anno 1566, mandante Pio V, Sororibus Conversis e clausura exire amplius non licet.

(2) Quae in hoc capite de Capellano ejusque sociis dicuntur a Summis Pontificibus vel Capitulis generalibus deinceps mutata sunt, saltem in Monasteriis, quae Ordinibus jurisdictioni subsunt, ut patet ex Constitut. generalibus n. 1085 et seq. In Monasteriis vero, quae loci Ordinario subsunt Capellani sunt sacerdotes saeculares.

tus (1). Et quidquid contra hoc attentatum fuerit, irritum decernimus et inane. Possit tamen de mobilibus parum valentibus aliqua parva, ex causa licita, de Abbatissae licentia, interdum aliis elargiri. Possit etiam per Visitatorem, cum expedire videbitur, amoveri.

CAPUT XXII.

DE ELECTIONE ABBATISSAE EJUSQUE OFFICIO.

Electio Abbatissae libere pertineat ad conventum. Confirmatio vero fiat per Cardinalem (2), cui fuerit iste Ordo commissus, vel auctoritate ipsius.

Studeant autem Sorores talem eligere, quae virtutibus polleat, et sanctis moribus aliis praesit potius, quam officio, et quae communitatem servet in omnibus, vel in moribus; ut ejus exemplo provocatae Sorores, ex amore magis ei obediant, quam timore. Quaeque singularibus amoribus careat, ne dum in parte plus diligit, in toto scandalum generet.

Consoletur afflictas, sit refugium tribulatis, ne si apud eam remedia defuerint sanitatum, desperationis morbus praevaleat in infirmis.

Quae humiliter et charitative visitet et corrigat Sorores suas, non praecipiendo eis aliquid, quod sit contra animam suam et vestrae professionis formam; non sit praeceps in praecipiendo, ne ex indiscretione praecepti ponat peccati laqueum animabus. Cui postquam confirmationem receperit, quamdiu in officio permanserit, Sorores universae, nec non et familia exterior monasterii, pareant et obediant diligenter. Semel in hebdomada ad minus, Abbatissa Sorores suas pro ipsarum monitione, ordinatione et reformatione teneatur ad capitulum convocare, ubi secundum expressionem publicarum et communium negligentiarum atque culparum, poenae misericorditer imponantur.

Conferat etiam cum omnibus Sororibus suis de iis quae occurrunt pro sui monasterii utilitate ac honestate tractanda: saepe enim DOMINUS quod melius est juniori revelat. Nullum onerosum vel grave debitum contrahat, nisi per Procuratorem de communi consensu Sororum, cum manifesta necessitas hoc requirat.

Reddat etiam de receptis et expensis, et semel ad minus, singulis tribus mensibus, coram conventu, vel saltem quatuor Sororibus ab eodem ad hoc specialiter deputatis, debitam rationem. Officiales monasterii instituat de consilio et assensu conventus, vel majoris partis ipsius.

Sigillum vero conventus custodiri faciat et servari, secundum ordinationem conventus, et omnem litteram dirigendam ex parte ejusdem conventus, prius coram conventu in capitulo lectam et approbatam a majori parte Sororum, ibidem coram omnibus faciat sigillari.

Nulla etiam Soror aliquas litteras dirigat seu recipiat, nisi primo eas Abbatissa legat, vel ab alia ad haec constituta legantur.

Studeat insuper Abbatissa Sorores reconciliare, si aliquas ad invicem ex aliqua causa vel occasione contigerit conturbari. Soror illa, quae verbo vel signo occasionem turbationis vel scandali alteri dederit, statim antequam offerat munus orationis suae DEO, veniam petens a Sorore, quam offendit, coram ea humiliter se prosternat, rogans ut intercedat pro se ad DOMINUM, quatenus sibi culpam indulgeat, quam commisit; illa vero memor verbi DOMINI: « Nisi dimiseritis ex cordibus vestris, nec Pater vester coelestis dimittet vobis; liberaliter iniuriam remittat Sorori veniam postulanti.

Monemus Sorores omnes, et hortamur in Domino JESU CHRISTO, ut caveant ab omni superbia, vanagloria, invidia, avaritia, cura et sollicitudine hujus saeculi, detractione et murmuratione, dissensione et divisione ac omni vitio, pro quo possit displicere in oculis veri Sponsi. Sed magis sollicitae coram DEO servare exteriorem et interiorem in omnibus puritatem, ac semper invicem habere mutuae dilectionis unitatem, quae est vinculum perfectionis, ut, in ea radicatae et fundatae, possint ad Agni, Domini nostri JESU CHRISTI, nuptias cum prudentibus Virginibus introire.

(1) Circa Monasteriorum bona, cfr. saepe citatas Const. n. 1175 et seq.

(2) Vel loci Ordinarium. Si Monasterium Ordinis jurisdictioni subsit, electioni praest Minister Provincialis, sed praemoneri debet episcopus, ut, si velit, per se vel per alium interesse possit. Cfr. ibidem n. 1101 et seq.

CAPUT XXIII.

QUOD NULLA SORORUM AD CURIAM ROMANAM ACCEDAT.

Ad haec, ut discursibus dispendiosis materia subtrahatur, in virtute obedientiae, sub poena excommunicationis, quam ipso facto transgredientes, vel non parentes incurrant, districte praecipimus, ut (exceptis dumtaxat Servitialibus monasteriorum illorum locorum, in quibus Romana fuerit Ecclesia constituta, quamdiu ibi residentiam fecerit) nulla Abbatissa, Soror, vel Servitialis pro ulla necessitatis causa, ad Sedem Apostolicam personaliter veniat vel accedat, nisi super hoc per apostolicos apices, vel dicti Cardinalis patentes litteras, alicui specialis licentia concedatur.

(Continuabitur).

III.

MISSIONES

—

Sicut anteriori anno fecimus, etiam hoc anno sequentem Epistolam Circularem a S. C. de Propaganda Fide ad omnes Missionum Praesules directam, in *Actis* inserendam necessarium duximus, ut facilius ad Reverendissimos Ordinis nostri Vicarios Apostolicos et Missionum Praefectos perveniat et ipsi quaestionibus propositis accurate respondere, responsaque tempore assignato, sive ad nos sive ad Secretariam ejusdem S. C. transmittere valeant.

EPISTOLA S. C. DE PROPAGANDA FIDE

AD OMNES MISSIONUM PRAESULES.

Romae die 1 Mensis Iunii anno 1887.

Illme. ac Rme. Domine

Iam anno elapso S. Congregatio quaestiones numero paucas Missionum Praesulibus proposuit, ut ex eorum responsionibus emendari atque amplificari posset annualis Descriptio Missionum Catholicarum anno 1887 edenda, quae reapse eorum diligentiae causa, accuratior et plenior modo prodivit ex Typographia S. Congregationis. At dum iis omnibus qui operam naviter in id contulerunt, eadem S. Congregatio gratias habet plurimas, simul omnes rogat ne in posterum officio suo desint, ii praesertim qui praeterito anno propositis quaestionibus respondere distulerunt. — Quapropter *folium hoc ipsum* quod accipis, adjecta singulis quaestionibus brevissima responsione, opportune transmittere expostularis, ut ad Secretariam hujus S. C. non ultra diem ultimum mensis Novembris vertentis anni perveniat.

QUAESTIONES PROPOSITAE.

Pro redigenda descriptione annuali Missionum catholicarum.

Quae confinia Missionis sunt? vel saltem quas regiones Missio continet? R.

Cujus dominio populus civiliter subest? R.

Quot sunt incolae in Missione? R.

Quot sunt catholici? R.

Quot sunt sacerdotes europaei? R.

Quot sunt sacerdotes indigenae? R.

Adsunt verae paroeciae? R.

Quot sunt stationes ubi Missionarius residet? (1) R.

Quot sunt stationes, quae a Missionario visitantur? R.

Quot sunt ecclesiae? R.

Quot sunt sacella? R.

Habetur Seminarium? — Ubi extat? R.

Quot sunt in eo alumni? R.

Quibus studiis vacant? R.

Quot sunt scholae elementares catholicae pro *pueris?* R.

Quot sunt in his scholis *alumni?* R.

Quot sunt scholae elementares catholicae pro *puellis?* R.

Quot sunt in his scholis *alumnae?* R.

Quot et quae alia instituta educationis existunt? — Ubi extant? — Quot sunt in singulis alumni interni, quot externi?

R. Pro *pueris.*

Pro *puellis.*

Quot et quae instituta charitatis? — Ubi existunt? — Quot in singulis alumni?

R. Pro *viris* vel *pueris.*

Pro *mulieribus* vel *puellis.*

Quaenam sunt instituta regularia *virorum*, et quot ex unoquoque instituto sunt religiosi? — Quaenam sunt instituta regularia *mulierum*, et quot ex unoquoque instituto sunt religiosae? R.

N. B. Responsio ad quaestiones superius propositas habet finem omnino particularem, annualem scilicet Missionum descriptionem. Quapropter non eximit Illmos Missionum Praesules a consuetis relationibus certo tem-

(1) In Missionibus Asiae, Africae, Antillarum, Guyanae, Oceaniae praeter numerum stationum *residentialium* addantur nomina earum vulgaria in apposito elencho. — Stationum autem non residentialium nomen praetermittatur.

pore exhibendis Sacrae Congregationi iuxta proprias appositasque quaestiones. — Si quoad puncta, quae in superioribus quaestionibus non attinguntur, aliquid minus accurate dictum deprehenderis in descriptione tuae Missionis, eandem emendatam ad hanc S. C. transmittere satages.

Missiones Catholicae ritus latini cura S. Congregationis de Propaganda Fide descriptae in annum 1887. — Hic liber trasmittitur *franco* a Typographia S. C. de Prop. Fid. pretio libellarum ital. 5 *(francs 5)* sine tabulis geographicis, et pretio libell. ital. 7 *(francs 7)* cum 17 tabulis geographicis, variis coloribus distinctis, repraesentantibus Missiones catholicas latini ritus fere universas. — Volumen, in 8 parvo, constat pag. XLIV-484.

—

RELATIO

De vita JOSEPHI LEXO, NEOPHITI SINENSIS, *ex epistola R. P. Didaci Lera M. R. Missionarii Apostolici Hou-pé Orientalis ad Rmum* P. BERNARDINUM A PORTU ROMATINO, *Ministrum Generalem totius Ordinis Minorum.*

Joseph cognomento *Lexo*, sed vulgo *Su-Kòan* (magister clemens) dictus, ex patre item ac matre gentili natus est. Ab ineunte aetate animum studiis intendens brevi adeo profecit ut vel ipsos sui districtus Baccalaureos ratiocinandi vi aeque ac ingenio praestaret. At patre demortuo, qui ex hisce Baccalaureis unus erat studiorum curriculum relinquere, ut familiaribus negotiis operam navaret, licet invitus, cogitur. Interim tamen libens Christifidelium ac praesertim Missionariorum nimia consuetudine utebatur; saepe namque horum aliquem in domum suam eo impellebat, ut ab eis unam vel alteram christianae catecheseos veritatem sciscitaret. Et revera anno 1863 (imperatoris F' ung-teu, secundo) divina favente gratia, catholicam fidem amplexus est. Sacris baptismatis undis renovatus, in animarum curanda salute totus incubuit. Adapte propterea omnem quaeritabat opportunitatem, qua gentes, adhortationibus et suasionibus, ab idolorum cultu ad veri Numinis adorationem flecteret; earumque conversionem insuper precibus et ieiuniis a DEO flagitabat. Multae idcirco et integrae gentium familiae illius regionis Catechumenorum albo, ipso mediante, accensitae, ad catholicam transierunt veritatem.

Sed imprimis eiusmodi zelum ad suos contulit et ad CHRISTUM suam ipsam impulit genitricem, deinde fratres suos, praeter unum, qui perobstinate in viis gentium persistens, immatura morte sublatus est, ac statim post ipsum, divina velut ultione contriti, omnes ex eius familia tumulo contecti fuere.

Opes suas pauperibus liberaliter erogabat, nec unus unquam ab illo abiit indonatus; ita quidem ut in more accolis fuerit omnibus ingeminare indigentibus quod Pharao clamanti populo et alimenta petenti respondit: *Ite ad Joseph.* Haud proinde dicendum, quanta exciperet charitate fideles illos qui ad sui districtus Capellam, ex dissitis equidem locis, conveniebant ut rebus sacris adessent coeterisque religionis officiis satisfacerent. Omnibus revera domus suae ostium patuit; omnibus prodiga illius mensa cibum et potum suppeditabat, et necessaria quaeque ejusdem vere christiana charitas suggerebat.

Quo tamen cum proximis liberalior eo secum erat remissior: tenui namque victu contentus, humili veste, eaque obsoleta, vestitus, sensus suos dura quaque custodia coarctabat; eo quidem ut inter regionis hujus fideles opinio haec invaluerit: — haud Josephum *Lexo* rationem DEO in judicio redditurum quoad victos temperantiam et sensuum custodiam. — Suis insuper sumptibus agros in Missionariorum alimentationem coemit et domum, quae et sacerdotibus habitatio esset et fidelibus orationis locus.

Tandem meritis plenus coelo maturus videbatur. Supremum sibi imminere diem praesentiens, in quadam suae domus aula breve parietibus inscripsit commentarium quo propinquae mortis memoria illi esset frequentior. Cum vero extremum in morbum incidit, ad Missionarii domum sese contulit, ut sanctis religionis nostrae remediis solaretur. Sacramentis magno animi fervore et cordis humilitate susceptis, noluit amplius ad propria redire, ne familiae suae curis et affectibus a salutis instantissimo negotio avocaretur; atque ideo ad mortem usque apud Missionarium ipsum voluit permanere. Ipso defunctionis suae die iterum peccata sua confessus et sacro via-

tico recreatus est. Extremis tamen in horis, loquela privatus, sed semper sui compos, chartam et calamum nutibus petiit; haecque circumstantibus filiis monita tremula manu descripsit: « Filioli charissimi! Si meae semper obsequentes voluntati fuistis, supremis hisce vitae meae, quibus versor, momentis, eo magis id exigo; sancta enim morientis vox est, nec aspernenda. Volo igitur vos in suscepta firmos veritate: iniquarum diffugite gentium consortium: divinae legis jussa servate: sanctae matris Ecclesiae praeceptis parete; et vos ipsos invicem diligite: ut in sacrosancta CHRISTI Religione et charitate DEO servientes ad coeli gaudia, quae mihi et vobis maxime exopto, pervenire securi mereamini ». Quibus scriptis et consignatis, Crucifixi imaginem amplexus ac ferventissime osculatus, exitu sancto occubuit, aetatis suae anno sexagesimo secundo.

—

STATUS

Collegii Apostolici de Arequipa in Republica Peruviana.

A tempore fundationis, scilicet a die 19 Septembris anni 1869 usque ad mensem Decembris 1886, hujus Collegii Patres, intacta semper servata regulari disciplina, sequentes labores peregerunt:

Missiones, (a 15 usque ad 40 dies).	117
Confessiones, intra vel extra Collegium ad minus	94,637
Matrimonia, tempore Missionum benedicta	6,223
Exercitia Spiritualia ad Clerum secularem	9
Exercitia Spiritualia ad Moniales	41
» » ad Clerum regularem	23
Tertiarii adscripti	728
Infideles baptizati	11
Massones conversi	17
In Collegio nunc temporis degunt:	
Sacerdotes	11
Choristae	9
Fratres laici et donati	18

—

IV.

BIBLIOGRAPHIA

—

ANGELO DA GUARCINO, Min. Cap. — La vita della SS. Vergine MARIA Madre di DIO compilata con dettato intelligibile e chiaro a vantaggio delle famiglie cristiane a Lei divote, del P. Angelo da Guarcino, Cappuccino della Provincia Romana. — Alatri, Tip. di F. e C. Fratelli Stranchi 1886, 2 vol. in-16. pag. 688 (pret. 2, 50.).

Dziewieciodniowe Nabozenstwo ku czci Bl. Jana Duklanina ulozyl O. Norbert Golichowski zabonu OO. Bernardynów. — We Lwowie Nakladem Klasztoru OO. Bernardynów. Z drukarni « Gazety Narodowej » Ul. Kopernika 5. 1887. (Continet pag. 67).

Opusculum hoc, in honorem B. Joannis de Dukla, Patronum principalem Poloniae et Lithuaniae, a P. Norberto Golichowski Min. Obs. conscriptum, continet (pag. 1-25) historiam devotionis erga hunc Beatum et aliquorum miraculorum; deinde meditationes precesque novendiales antiquasque ad eundem Litanias cum Oratione, ut Deus hunc Beatum honore Sanctorum illustrare dignetur. In appendice addita est exhortatio ad fideles, ut tertio Ordini S. Francisci nomen dent.

ILDEPHONSUS A BARD, Min. Cap. — Vie du B. Crispino de Viterbe surnommé le saint joyeux, de l'Ordre des Frères Mineurs Capucins, par le R. P. Ildefonse de Bard, du même Ordre. Milan, 1886. (Pretium L. 2, 50). Prostat apud P. Aegidium a Mediolano, Archivistam Generalem Capucinorum, *Piazza Barberini,* Roma.

STEPHANUS ULGIATI A SETIA, Min. Ref. — Novena in preparazione alla solennità del Serafico Padre S. Francesco d'Assisi, pel Padre Stefano Ulgiati da Sezze, Lettore emerito Minore Riformato. 1886. Roma, Tip. in S. Michele di Reggiani e Soci. Pag. 36. (Prezzo cent. 25). Prostat Romae in sacristia S. Francisci ad Ripas; decem exemplaria sibi comparantibus dono dabitur ejusdem auctoris opusculum: *Triduo del B. Carlo da Sezze.*

—

V.

NECROLOGIA

—

Die 18 Maii 1887 pie placideque obdormivit in DOMINO A. R. P. ANASTASIUS A S. DAMIANO Astensi Reformatae Custodiae Taurinensis, anno aetatis 75°, religionis 55°, sacerdotii vero 52. Fuit philosophiae et theologiae lector, pluries Guardianus et Definitor. Cum anno 1849 abolita fuisset Provincia S. Thomae et in duas Custodias divisa, Pedemontanam nempe et Niciensem, ab Adm. R. P. Venantio a Celano Procuratore Generali Reformatorum et Agente Generali pro Rmo P. Aloysio a Laureto Ministro Generali, (cui in Ministeriatu successit) P. Anastasius nominatus fuit Custos Pedemontanae Custodiae. Mitis, pacificus, orationis studiique amans, ab omnibus diligebatur qui eum noverant. Regularis disciplinae cultor, vanas confabulationes abhorruit, cellamque custodivit. Tertium Ordinem saecularem per annos viginti qua Director sapienter fovit ac promovit.

Demum Custodiae Definitor nominatus, et in Congregatione Custodiali die 4 Aprilis hujus anni Guardianus Conventus S. Crucis Canalium electus, cum ab ejusdem pietate ac prudentia plura adhuc expectarentur DEUS illum ad se vocavit. R. I. P.

R. P. JOSEPH IGNATIUS DE LABACA, hispanus, die 3 Aprilis 1824 natus est in civitate S. Sebastiani, e parentibus insigni nobilitate ac pietate praestantibus. Ab ipsa infantia cum ipso creverunt rerum mundanarum despectus, orationis et pietatis cultus, Sacramentorum frequentia et publicis Ecclesiae officiis assiduitas. Divinae vocationi obtemperans, ecclesiasticis studiis primum in universitate de *Oñate* ac deinceps in Seminario Pampilonensi egregiam navavit operam, et ubique non minus studio quam virtutibus emicuit. Ingenio haud ordinario praeditus, linguam latinam et graecam didicit, modernaque idiomata hispanicum, italicum, gallicum, euskarianum calluit. Studiorum curriculis laudabiliter emensis, ad sacerdotium evectus fuit versus annum 1850, et ad paroeciam vulgo *Pasages* beneficiarius destinatus. Ad sanctiora vocatus, quum bonae memoriae Adm. R. P. Marianus de Estarta, Commissarius Provincialis, Obs. Provinciae Cantabriensis instaurandae curam suscepisset, in Conventu Novitiatus de *Bermeo* nuperrime fundato, primus omnium Joseph Ignatius seraphicas vestes induit die 13 Novembris 1859. Duce R. P. Angelo de Segura tunc temporis Novitiorum Magistro, P. Ignatius in religiosis virtutibus praesertim humilitate, modestia, simplicitate ita profecit, ut omnibus Confratribus apprime charus fuerit. Solemni emissa professione, Lectoris philosophiae, Magistri Novitiorum et Visitatoris Tertii Ordinis munera egregie obivit. Suppresso Conventu Bermejensi a civili commotione mensis Septembris 1868, P. Labaca Romam petiit et per aliquot annos degit in Conventu SS. Quadraginta Martyrum sub obedientia Patris Vincentii de Albiñana, Vice-Commissarii Generalis pro Hispania.

Anno 1878 quum cessasset bellum civile, iterum de restituenda Cantabriae Provincia deliberavit praedictus Commissarius Glis et Patrem Labaca Definitorem ejusdem Provinciae nominavit. Mox conventuale Capitulum in Conventu Zaraucensi celebratum die 21 Augusti 1878 hujus Conventus Guardianum eumdem elegit. Duplici hoc munere per octo annos functus est, donec in Capitulo Provinciali anno 1886 celebrato in Conventu Olitensi, praesidente P. Francisco Saenz, Commissario Generali, Custos Provinciae et Lector theologiae moralis renunciatus, demandato officio fideliter incubuit, donec cardiaco morbo correptus ad civitatem S. Sebastiani se contulit, ut medicum sibi coniunctissimum consuleret. Ibidem Ecclesiae Sacramentis confortatus die 16 Junii vertentis anni, pie in DOMINO obiit, ejusque corpus ad Conventum Zaraucensem translatum, lugentibus Confratribus, honorifice tumulatum fuit.

R. I. P.

Nihil obstat

FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

MONITUM

NB. Curia Generalitia Ordinis die 17 Augusti translata est ad Collegium S. Antonii Patavini in Via Merulana.

Confratres porro monemus ut epistolas ad Curiam Generalitiam ad Postulatores Causarum Servorum Dei tam Observantium quam Reformatorum, nec non ad Procuratores Generales tum Ordinis, tum Reformatorum, tum Discalceatorum et Recollectorum, dirigant, usque dum aliter moneantur, Roma Araceli. Hoc autem praecipue advertant quoad Procuratorem confratres de familia Reformatorum.

Telegrammata vero et involucra postalia *(pacchi postali a domicilio)* dirigantur *Roma - Via Merulana Collegio di S. Antonio.*

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

EX S. CONGREG. INDULG.

Decretum

Ordinis Carmelitarum antiquae Observantiae de Scapulari B. M. V. de Monte Carmelo a simultanea plurium Scapularium traditione excipiendo.

Die 27 Aprilis 1887.

Ab initio hujus saeculi in usu esse coepit quatuor Scapularium simultanea et compendiosa traditio nempe SS. Trinitatis, B. V. M. de Monte Carmelo, Immaculatae Conceptionis, septem Dolorum, quibus nuperrime additum est quintum, scilicet Scapulare rubrum Passionis D. N. I. C. Haec facultas benedicendi, imponendique simul praedicta Scapularia, collata primitus alicui religioso Instituto, tempore praesertim Sacrarum Missionum breviori adhibita formula a S. R. C. approbata, deinde sacerdotibus quoque saecularibus indulta est, qua etiam extra tempus SS. Missionum peragendarum ipsi utuntur. Quamvis autem haec agendi ratio fortasse contulerit ad istorum Scapularium receptionem facilius propagandam, ea tamen occasio fuit, cur praecipuus ille honor quo Christifideles Scapulare Carmeliticum quavis aetate celebrarunt, imminueretur, et fervens erga illud devotio aliquantulum tepesceret. Porro Scapulare Carmelitarum, quod nobilitas ipsa originis, veneranda antiquitas, latissima ejusdem in christiano populo pluribus ab hinc saeculis propagatio, nec non salutares per illud habiti pietatis effectus, et insignia quae perhibentur patrata miracula mirabiliter commendant, omnino postulare videtur distinctionem honoris in ipso receptionis ritu, ut non quidem cum aliis commixtim, quasi unum ex pluribus, sed prouti in sua primitiva institutione, illud beatissima Virgo uti tesseram propriam sui Ordinis tradidisse fertur B. Simoni Stokio, fidelibus quoque distinctim tradatur, nec cum aliis simul Scapularibus connumeretur. Ex quo proculdubio fiet ut illa singularis omnino, universalis et constans totius catholici Orbis religio integra servetur erga hoc sacrum Scapulare marianum, quod veluti antonomastice Scapulare audit, jure me-

ritoque orta ex eo, quod, uti traditur, pientissima Virgo speciales favores, gratias et privilegia conferre spoponderit devote gestantibus hoc suum praedilectionis signum. Haec sedulo perpendens hodiernus Vicarius carmelitici Ordinis antiquae Observantiae Rmus P. Angelus Savini honori simul consulere optans et devotioni sacri Scapularis B. V. M. de Monte Carmelo, instantibus quoque sui Ordinis Fratribus, huic S. Congregationi Indulg. et SS. Reliq. sequens dubium discutiendum proposuit « Utrum conveniens sit Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo honoris et devotionis causa separatim potius et distincte, quam cumulative et commixtim cum aliis quatuor, vel pluribus Scapularibus benedicere et imponere? »

Emi ac Rmi Patres in generali Congregatione apud Vaticanum habita die 26 Martii 1887, re mature perpensa, rescripserunt: « *Affirmative* » et consulendum SSmo, ut Indultum huc usque in perpetuum concessum etiam Regularibus Ordinibus et Congregationibus induendi christifideles Scapulari carmelitico commixtim cum aliis Scapularibus revocetur, et ad determinatum tempus coarctetur, neque in posterum amplius concedatur. Facta vero de his relatione in audientia habita die 27 Aprilis 1887 ab infrascripto Secretario, Sanctissimus D. N. Leo Papa XIII Patrum Cardinalium responsionem approbavit, decrevitque ut praefatum Indultum in posterum non amplius concedatur, ac illi omnes, etiam Regulares Ordines et Congregationes quibus Indultum ipsum, quocumque nomine vel forma ab Apostolica Sede est concessum, eo tantummodo *ad decennium* perfruantur ab hac die computandum.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die 27 Aprilis 1887.

Fr. THOMAS M. Card. ZIGLIARA Praef.
ALEXANDER Episcopus Oensis Secret.

—

DECRETUM

Ordinis fratrum Minorum excalceatorum et recollectorum de inscribendis nominibus christifidelium, qui sacra Scapularia recipiunt.

Die 27 Aprilis 1887.

Iam inde ab anno 1838 sub die 30 Aprilis s. m. Gregorius XVI ex speciali Indulto exemit ab onere inscribendi in albo Confraternitatis nomina Christifidelium qui Scapulare Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo recipiunt. Iam vero Procurator Generalis Fratrum Minorum excalceatorum et recollectorum preces humiliter porrexit Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII, ut ad Confraternitates aliorum Scapularium idem omnino Indultum benigne extendere dignaretur. Ad id postulandum haec potissimum eum permovebant rationum momenta, defectus nimirum vicinarum Confraternitatum ad quas forent nomina Confratrum et Consororum inscriptarum transmittenda nec non maxima difficultas colligendi nomina plurimorum adscribi petentium sacris Scapularibus tempore Missionum.

Alias egit de hac quaestione haec S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita mentemque suam pandidit in una Cameracensi sub die 18 Augusti 1868, in qua expresse denegavit praefatum gregorianum Indultum aliis Scapularium Confraternitatibus esse applicandum.

Modo vero occasione exhibiti supplicis libelli praememorati P. Procuratoris, huic S. Congregationi opportunum visum est praesentem quaestionem de inscribendis nominibus eorum qui sacra Scapularia recipiunt denuo perpendere, eamque, audito alterius ex Consultoribus voto, dirimere sequenti proposito dubio:

« Utrum Indultum a s. m. Gregorio Papa XVI concessum die 30 Aprilis 1838 Confraternitati B. M. V. de Monte Carmelo, quo sacerdotes debita facultate praediti recipiendi Christifideles in praedictam Confraternitatem eximuntur ab onere inscribendi nomina fidelium in libro Confraternitatis, expediat extendere etiam ad alias Confraternitates, in quibus christifideles Scapularia recipiunt? »

Et Emi ac Rmi Patres responderunt in generalibus Comitiis apud Vaticanum habitis die 26 Martii 1887. « *Negative* » imo supplicandum SSmo pro revocatione gregoriani Indulti concessi sub die 30 Aprilis 1838; et ad mentem ».

Die vero 27 Aprilis 1887 Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII in audientia habita ad infrascripto Secretario sententiam

Patrum Cardinalium ratam habuit, et gregorianum Indultum revocavit.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die 27 Aprilis 1887.

Fr. THOMAS M. Card. ZIGLIARA Praef.
ALEXANDER Episcopus Oensis Secret.

EX SACRA CONGREGATIONE RITUUM

DECRETUM

Super altari expositionis in Feria V majoris hebdomadae

ROMANA.

Academia Liturgica Romana, in altero ex suis conventibus pertractavit quaestionem « an Altare in quo Feria V in Coena Domini augustissimum Eucharistiae Sacramentum publicae Fidelium adorationi exponitur, quod vulgo *Sepulcrum* nominatur, dici possit et haberi tamquam Christi sepulcrum repraesentans ». Academiae Censores, perpensis quae ad rem habentur in Caeremoniali Episcoporum, Missali Romano, et in Decretis editis a Sacrorum Rituum Congregatione, unanimi voto censuerunt ejusmodi Altare habendum, et esse revera repraesentativum, non Sepulturae Domini, sed institutionis augustissimi Sacramenti.

Placuit vero hanc sententiam judicio Sacrorum Rituum Congregationis subjicere, ac simul ab ea edoceri quid sentiendum sit de certo modo exornandi praedictum Altare, qui in aliquibus locis in usu est. Quamobrem praefatae Academiae Moderator suo atque Academicorum nomine, Sacrae Congregationi humiliter sequentes proposuit quaestiones:

1°. « An Altare in quo Feria V majoris hebdomadae publicae adorationi exponitur augustissimum Sacramentum, licet in capsa reconditum, sit repraesentativum Sepulturae Domini, an potius institutionis ejusdem augustissimi Sacramenti? »

2°. « An quoties Decreta Sacrae Rituum Congregationis nominarunt *Sepulcrum* vel locum *sepulcri* idem Altare, designaverint illum esse repraesentativum Dominicae Sepulturae, an potius vulgari tantum denominatione uti voluerint? »

3°. « An praeter lumina et flores, liceat ad exornandum praedictum Altare, adhibere Crucem cum panno funereo, vel Christi demortui effigiem, vel scenicas decorationes, statuas nempe Beatissimae Virginis, Sancti Ioannis Evangelistae, Sanctae Mariae Magdalenae et militum custodum, picturas, arbores, aliaque hujusmodi? »

Sacra vero Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, rebus mature perpensis, et inhaerendo Decretis jam alias editis in Lauden. die 21 Ianuarii 1662, in Alben. die 8 Augusti 1835; in Narnien. die 7 Decembris 1844: et Salten. die 26 Septembris 1868; et consideratis quae deducta fuerunt ab altero ex Caeremoniarum Apostolicarum Magistris in Salten. respondendum censuit:

Ad I. *Negative ad primam partem: Affirmative ad secundam.*

Ad II. *Negative ad primam partem: Affirmative ad secundam.*

Ad III. *Negative, et flores non disponendos esse ac si Altare esset in viridario.* Atque ita declaravit, et servari mandavit.

Die 14 Maii 1887.

L. ✠ S.

D. Card. BARTOLINIUS, S. R. C. Praef.
LAURENTIUS SALVATI S. R. C. Secret.

II.
ACTA ORDINIS

LITTERAE ENCYCLICAE RMI PATRIS NOSTRI MINISTRI GENERALIS
DE JUBILAEO SACERDOTALI
SSmi D. N. LEONIS *Pp. XIII.*

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO
STRICTIORIS OBSERVANTIAE
SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI
TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTER GENERALIS
ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS.

Reverendis in Christo Patribus Fratribus et Monialibus Nostrae obedientiae subiectis salutem et seraphicam benedictionem.

Mirari Vos arbitramur, nullas hucusque litteras a Nobis missas fuisse, quae ad celebrandum cum tota Ecclesia Iubilaeum, quod

vocant, sacerdotale. SS. D. N. LEONIS Pp. XIII. Vos excitarent, rationemque proponerent, qua dignius et utilius id fieri posset.

Verum Nos non latebat, in omnibus Provinciis Ordinis Nostri unam esse omnium mentem, unum animum, ut quidquid possent facerent, atque apud alios promoverent, ad ostendendam suam erga Summum Pontificem venerationem ac filialem devotionem.

Et reapse novimus, Directores Congregationum tertii Ordinis auctores ubique fuisse, ut quaevis Fraternitas obolum suum et sacras vestes in usum divini cultus, vel seorsim, vel simul cum oblationibus Dioeceseos, Summo Pontifici offerret. Novimus idipsum praestitisse Moniales Clarissas, et Sorores tertii Ordinis Regularis, quae praeterea jam ab anno sacras Communiones, devotas precationes, aliaque pia opera pro Summo Pontifice Deo Omnipotenti praesentare pergunt. Novimus, et Vos sciatis oportet, in Congressu Superiorum Generalium statutum fuisse, ne ullus invidiae locus fieret, ut, suo tempore, nomine omnium Ordinum Religiosorum, certa et jam parata pecuniae summa simul cum oratione gratulatoria Summo Pontifici offeratur.

Nunc igitur quid praeterea praestandum superest? Illud unum, Charissimi, quod ceteris omnibus praecellit, scilicet ut corda nostra sursum elevantes et oculos in coelum ad Dominum DEUM nostrum attollentes, a Quo est omne datum optimum et omne donum perfectum, gratias agamus et supplices preces porrigamus.

Gratias agamus DEO pro omnibus beneficiis quae summo Pontifici Nostro a sacerdotali sua ordinatione usque in praesentem diem largissime contulit. Gratias agamus DEO, qui talem Virum ad PETRI cathedram evectum tot donis exornavit, tot coelestibus praesidiis instruxit, ut sapientiam Ejus enarrent gentes, et laudes Ejus universa enuntiet Ecclesia.

At simul supplicemus DEO et Domino Nostro JESU CHRISTO, ut Illum diu vivum et incolumem servet in bonum Ecclesiae, Eique de benedictionibus suis superaddat, ut quae coepit, perficere, et restituta quamcitius Ecclesiae libertate et pace secure gaudere et frui valeat.

Eapropter, ut huic pergrato officio erga DEUM et Summum Pontificem et universam Ecclesiam satisfaciamus, votum Nostrum, voluntas Nostra, et, si placet, praeceptum Nostrum est, ut unusquisque Sacerdos ex Ordine Nostro, in festo Nativitatis D. N. JESU CHRISTI hujus anni, unum Sacrum DEO Omnipotenti offerat in gratiarum actionem, ut dictum est, et ad impetrationem novorum donorum, pro Summo Pontifice, Christi in terris Vicario, LEONE Pp. XIII. Fratres vero clerici et laici, ac Moniales et Sorores omnes, intra Octavam Nativitatis, una saltem die, Sacram Communionem in eumdem finem offerant.

Demum, Dilectissimi, oremus omnes et satagamus, ut semper subditi ac subjecti pedibus sanctae Romanae Ecclesiae, stabiles in fide catholica, in paupertate et humilitate Domino famulantes, sanctum Evangelium D. N. JESU CHRISTI, quod firmiter promisimus, observemus: intercedente cum SS. Virgine MARIA, S. P. N. FRANCISCO, in cujus nomine et loco seraphicam benedictionem paterno animi affectu Vobis impertimus.

Dat. e Nostro Conventu Antuerpiae ad SS. Virginem immacul. Conceptam hac die 31 Julii 1887.

FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.
De mandato Pat. Suae Rmae

Fr. PETRUS A MONSANO
Secrius Genlis Ordinis.

AD FRATRES NOSTROS

Incitamenta Seraphica.

DE DISCIPLINA REGULARI RESTITUENDA

CAPUT III.

DE STUDIO ET LABORE.

§ 1. *De vitanda otiositate.*

1. Lex operandi divinitus est sancita in eum finem, ut laborans homo tum corporis animique vires exerceat, confirmet, adaugeat, tum ipsum Creatorem, cujus imaginem exprimit, imitetur Eique tributum debitum solvat. Quod quidem laborandi munus, jucundum primitus atque honorificum, per peccatum in poenam sic conversum est, ut in sudore vultus

sui homo deinceps vesceretur pane suo. Unde jugum evasit atque onus cunctis impositum, quod tamen Salvator noster suave reddidit ac leve, ejusque honorem non solum restituit, sed etiam auxit.

2. Religiosus sanctioribus vinculis adstrictus ad operandum tenetur, quia singulari prorsus ratione DOMINI servituti sese mancipavit. Hinc vetus clarissimaque illa Monachorum tessera: *Ora et labora!* Oratio et operatio, en duplex Dominici servitii ratio, in Maria et Martha adumbrata, sive alae duae, quae ad altissimam attollunt perfectionem.

3. Fratres ergo nostri omnes, ad propriae conscientiae serenitatem conservandam, otiositatem pro viribus evitare atque utiliter semper se occupare studeant. Superiores vero, obligationis suae memores, peculiari zelo attendere et vigilare debent, ut otium — animae inimicum — a Conventibus suis excludant, et subditos suos ad orationem, studium et laborem sedulo incitent atque compellant. Ubi enim otio frequenter vacatur, ibi, teste experientia, disciplina regularis diu conservari non potest.

4. Sunt autem diversa otiosorum genera. *Primum* est eorum, qui nihil penitus agunt, sed complicatis jacent manibus, velut trunci aut paralytici, vel potius ut mortua cadavera, quae non nisi onus afferunt viventibus. Horum vita somnus est continuus; hebetes sunt, emortui ac plane inutiles. Fratrem talem otiosum, videns aliquando S. P. N. Franciscus, huc illucque vagantem aliorumque labores manducantem, a consortio Fratrum expulit, dicens (1): « Vade viam tuam, frater musca, quoniam vis « comedere laborem fratrum tuorum, et otiari « in operibus DEI, sicut fucus, apis otiosa et « sterilis, quae non operatur nec laborat, sed « comedit laborem et lucrum bonarum apum ». Nec modo indignus est talis, Fratribus cohabitare, sed neque meretur in DEI computari creaturis; hae enim juxta instinctum et naturales semper operantur potentias, et, prout fuerint applicatae, ceteris serviunt creaturis. Haec considerans Bartholomaeus Salutius exclamavit (2): « O DOMINE, DOMINE, numquid for« micae, numquid vermiculi terrae me vin« cent, qui continuo laborant, continuo ope« rantur? » Magno fervore iste servus DEI postulabat divinum amorem, qui animam vehementer excitat ad operandum. Hic erat spiritus S. Francisci, qui dicebat aliquando (1): « Volo Fratres meos laborare et exercitari, ne « otio dediti per illicita corde aut lingua va« gentur ». — Omnes etiam veri S. Francisci filii otiositatem semper summopere perhorrescebant. Accendebat illos spes regni coelorum et denarii illius diurni, quem paterfamilias suis promisit operariis. Hoc stimulo Galatas suos excitavit S. Paulus, scribens (2): « Bo« num facientes non deficiamus: tempore enim « suo metemus non deficientes. Ergo dum tem« pus habemus operemur bonum ad omnes ». Veniet certe nox mortis, quando nemo poterit operari. Nunc tempus laboris est, tunc erit quietis, dicente SPIRITU illis qui in DOMINO morientur, ut requiescant a laboribus suis. B. Simon a Lypnica, praeter exemplum indefessae suae diligentiae, insigne tradidit hanc rem concernens documentum (3). Nullum umquam vel minimum temporis spatium transegit, in quo vel orationi, meditationi, lectioni vel humilitatis exercitiis aut charitatis operibus non vacaret. Suadentibus, ut lasso corpusculo paululum concederet quietis, respondebat: « In « sepulchro requiem dabo diuturnam; nunc « vero vel minimum temporis momentum DEI « famulum sine fructu transire, nefas est ».

5. Alii sunt satis multi, qui nolunt cum nihil agentibus computari, immo ab hoc vitio se penitus immunes esse gloriantur, qui tamen cum otiosis judicabuntur a DOMINO. De numero istorum sunt illi, qui se totos ad ea solum applicant, quibus delectantur, vel pascunt curiositatem, vel suas proprias adimplent voluntates, quas animo prurienti conceperunt, vel a quibus laudem sperant et admirationem aliquam ingenii, vel industriae vel artis aut roboris praecellentis. Videmus eos ardentes, attentos et constantes in opere incepto, nec tempori parcere nec labori, nec expensis nec difficultatibus, donec sui capitis expleverint conceptum; etsi exiguum aut nullum sit inde secuturum alicui emolumentum. Videntur quidem egregie otium excutere; sed revera, dum

(1) Opusc. tom. III. Apopht. 15.
(2) Schol. amoris, cap. 40.

(1) Vita, cap. V, n. 5.
(2) Galat. VI, 9.
(3) Annal. Ord. tom. VII, ad ann. 1483, n. 8.

aliud agunt quam quod eis incumbit, cum otiosis sunt computandi. Quis non rideret agricolam, qui diebus integris plantandis excolendisque floribus pro visus recreatione intenderet, interim vero tempus arandi et seminandi negligeret, nec de futura messe ullatenus cogitaret? Quam etiam mercedem expectare posset, qui jussus in vineam ire ad laborandum, ad venationem curreret magno cum labore, quia magis isto delectatur exercitio? Vocatis ad recipiendam mercedem operariis, isti cum otiosis relinquentur foris, quia non egerint quae desiderabantur. Religiosi, qui tali modo agunt, fatui sunt; nam a Deo non sumus vocati in domum suam, ut tempus teramus in vanitatibus.

6. Ad tertium genus otiosorum pertinent illi, qui praeclaras a Deo acceptas dotes non in ipsius honorem et in proximorum conferunt salutem. Hi saepius recordentur quae Salvator noster docet in parabola hominis nobilis, qui peregre proficiscens vocavit servos suos et tradidit illis bona sua, ut cum eis negotiarentur. Eorum unus quod acceperat, « abiens « fodit in terram, et abscondit pecuniam do« mini sui (1) ». Redeunte autem domino, et rationem cum illis ponente, dura illum perstrinxit sententia (2): « Inutilem servum ejicite « in tenebras exteriores: illic erit fletus et stri« dor dentium ». Talentum quod nobis Filius Dei, abiens in regionem longinquam, commisit, est divina gratia cum naturae dotibus; cum his debemus negotiari, donec redeat ad diem districti judicii et reddendae rationis. Studeamus igitur sequi praeclarum S. Pauli exemplum, qui de se dicere potuit (3): « Gratia « ejus in me vacua non fuit; sed abundantius « illis omnibus laboravi ». Quidam caeca pusillanimitate non agnoscunt, quid possint, nec seipsos tentare volunt: immo occasiones fugiunt praeclari quidpiam exequendi, quibus forsitan feliciter succederet, si vires suas secretas satagerent experiri. Munus Superiorum est, eas gratias incultas non relinquere. Tametsi parvae videantur, nullius tamen opera contemnenda est. Permittit sapiens donorum distributor, per Fratres exiguos majora non posse geri negotia, ut per eos minora perficiantur, quae animas eminentiores a majoribus impedirent functionibus. Omnium interim opera utilis est, et quisque mercedem accipiet secundum suum laborem. Ideo paucioribus ditati, minime dimittantur otiosi. Imprudenter regeret civitatem, qui majoribus tantum intenderet justitiae militiaeque ministris, negligens interim inferioris notae personas, quae portis claudendis sunt destinatae. Vilissimum est in navi officium sentinam exhauriendi: quid tamen non sequitur incommodi, si negligatur? Sic relinquendi non sunt, quorum opera reputatur exigua, neque ipsi subtrahunt semetipsos. Unicum tantum acceperat talentum, qui tam gravi plectebatur punitione. Esuriens Jesus et videns fici arborem venit ad eam, si quid forte inveniret in ea, et nihil in ea nisi folia inveniens, dixit illi (1): « Numquam ex te fructus nasca« tur in sempiternum. Et arefacta est continuo « ficulnea ». Mirabilis certe sententia; sed ex eo, quod a S. Marco additur, adhuc mirabilior (2): « Non erat tempus ficorum ». Non igitur in arborem principaliter intendebatur vindicta, sed comminationis signum pro animabus erat infructuosis, quae vires non habere putant fructificandi, cum tamen non sit eis certum tempus definitum ad fructus aliquos proferendum. Hi maledictionem sibi sciant imminere, si otiosi atque inutiles inveniantur et maneant.

7. *Quarto*, non minus otiosi sunt, qui se alienis ingerunt officiis non vocati, eaque videntur agere diligentissime. Quid gratiae referret musicus, ad recreationem vocatus convivarum, qui se conferens ad hortum, magna diligentia terram foderet, labore se conficiens in eo opere, quod peragere non jubetur? Similis est inquietorum istorum stultitia, qui proprias fastidiunt officinas, indefessos autem in illis se ostendunt, quae ab aliis optime sine illorum opera perficiuntur. Turbationem non raro inferunt bono ordini, et exiguum ex intempestivis praesumptuosisque illorum negotiis colligitur emolumentum, immo magnum quandoque detrimentum atque confusio oriri solent. Displicet eis quidquid ab aliis geritur, ideoque se intromittunt ad corrigendum et ad singula negotia prudentius peragendum.

(1) Matth. XXV, 18.
(2) Ibid. v. 30.
(3) Hebr. XII, 15.

(1) Matth. XXI, 19.
(2) Marc. XI, 13.

8. *Quinto,* aliud otii genus ex illo Sapientis verbo colligimus, quo dicit (1): « Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim « quidquam manus ejus operari. Tota die con« cupiscit et desiderat ». Haec sententia eos percutit, qui minora fastidientes opera, de sublimioribus semper cogitant, suavioribus atque gloriosis, vires eorum excedentibus; sedentque interim otiosi, manum ad nihil applicantes. Timendum est, ne dum minora praesumptuose fastidiunt, eis etiam gratia haec ipsa perficiendi subtrahatur. Optime propterea B. Aegidius consulebat (2): « Si bona agitis quae nostis, etiam « ad ea bona pertingetis, quae non novistis ». Notissimum est, humilia, vulgaria, facilia et simplicia opera gradum ad heroicas facere virtutes, contemplationes gustumque Dei sapidiorem.

9. Ut varias hasce otiositates diligenter evitemus, frequenter recordemur multiplicem hostilitatem, quam ipsa contra animam nostram exercet, atque magnum damnum, quod eidem infert.

10. Otiositas S. Spiritus bonas tollit inspirationes. Docuit aliquando Dominus, mentem hominis agrum suum esse terramque fecundam coelestium seminum susceptibilem, ad quam exiit Dei Filius seminare semen suum, verbum suum secretum internasque inspirationes. Dum vero desidia torpentes homines neglexerunt divinum semen, venerunt volucres, i. e. spiritus maligni, qui comederunt illud.

11. Exclusis per otiositatem sanctis utilibusque cogitationibus, consequens est, ut noxiae succedant, sicut scriptum est (3): « Cum « dormirent homines, venit inimicus, et super« seminavit zizania in medio tritici, et abiit ». Postquam Deus ob Adae peccatum suam abstulit a terra benedictionem et fecunditatem, eamque in propria sua reliquit sterilitate, simul praedixit spinas et tribulos germinaturam. Similiter mentibus contingit humanis, ut quando divinae gratiae noluerint uti fecunditate, spinis tribulisque repleantur. « Per agrum ho« minis pigri transivi, ait Dominus (4), et per « viam viri stulti: et ecce totum repleverant « urticae; operuerant superficiem ejus spinae « et maceria lapidum destructa erat ». Sic a sollicitudinibus saeculi suffocantur, ut ad coelestia nequeant aspirare, ac pressi desidiae somno in aeternorum oblivionem abducuntur, nihil penitus de mortis cogitantes instantia, reddendisque factorum rationibus. Frustraneae sunt dormitabundis istis otiosis monitiones omnes, minae atque increpationes; non aliter ab eis accipiuntur, quam uxoris iratae convitia et clamores a sepulto ebrietate marito. « Cum dormiente loquitur, qui enarrat stulto « sapientiam (1) ». Hinc sequitur mentis hebetudo, ut neque intelligantur neque curentur salutis propriae pericula. Prudens vero, excusso otio, satagit ut per bona opera certam faciat vocationem suam et electionem; atque cum timore et tremore salutem suam operatur.

12. Otio consectarium est ad nihil aliud vacare (more Atheniensium, teste S. Luca) (2), nisi aut dicere aut audire aliquid novi, facta judicare aliena, irridere, murmurare, ac linguam ad omnia laxare vitia, huic membro familiaria. Quare, ut e communitatibus murmurationes, curiosae actionum alienarum indagationes, temeraria gubernationis Superiorum judicia, rixae mutuae similesque turbationes necnon inutiles extra Conventum vagationes tollantur: Religiosi omnes convenientibus unicuique applicentur exercitiis, atque otium malorum omnium sentina exterminetur. Sapiens dicit (3): « Servo malevolo tortura et compedes. Mitte « illum in operationem ne vacet: multam enim « malitiam docuit otiositas. In opera constitue « illum; sic enim condecet ».

13. Maledicta otiositas alteri etiam pesti januam aperit, quam ferme omnes experiuntur, pauci sanant. Ista pestis est turpis concupiscentia et carnis contumacia adversus spiritum, tunc maxime insolescens, dum corpus animusque ab opere vacant et labore. Optimam illius regendae atque domandae rationem Sapiens explicuit, dicens (4): « Cibaria et virga « et onus asino. Panis et disciplina et opus « servo. Operatur in disciplina et quaerit re« quiescere. Laxa manus illi, et quaerit liber-

(1) Prov. XXI, 25.
(2) Annal. Ord., tom. II, ad ann. 1262, n. 5.
(3) Matth. XV, 25.
(4) Prov. XXIV, 30.

(1) Eccli. XXII, 9.
(2) Act. XVII, 21.
(3) Eccli. XXXIII, 28.
(4) Eccli. XXXIII, 25.

« tatem. Jugum et lorum curvant collum du« rum, et servum inclinant operationes assi« duae ». Castitatis speculum, S. Franciscus, exemplo suo docebat, rebellem carnem et pigram disciplinis continuis et fructuosis laboribus esse domandam. Unde corpus suum fratrem asinum appellabat, tamquam laboriosis supponendum oneribus, crebris caedendum flagellis et vili pabulo sustentandum. Simili modo et nos in occulta illa quam patimur lucta poterimus evadere superiores, si otiositatem evitemus et studio atque labori jugiter pro viribus vacemus.

14. Saepius propterea in mentem nobis revocemus illa Thomae Kempensis verba (1): « Numquam sis ex toto otiosus: sed aut le« gens, aut scribens, aut orans, aut meditans, « aut aliquid utilitatis pro communi laborans ».

(Continuabitur).

(1) De imitat. Chr. lib. I. cap. 19. n. 4.

MONITUM

Etiam pro proxime futura Quadragesima regulari sacri Adventus hujus anni concessum est Indultum, prouti annis superioribus a SS. Domino nostro Leone XIII per organum Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis, quoad usum carnium pro viris et mulieribus sanctimonialibus Ordinis Nostri in unica comestione et vetita promiscuitate ciborum, exceptis diebus Veneris et Sabbati, feria IV. Quatuor temporum, ac Vigiliis Immaculatae Conceptionis B. M. V. et Nativitatis D. N. I. Christi.

Commendantur illae Provinciae quae Indulto uti non consueverunt. Qui autem eodem utuntur sciant se semel in hebdomada *sex Pater, Ave* et *Gloria* brachiis extensis (stationem scilicet) recitare debere coram SS. Sacramento, praemissa antiphona *O Sacrum Convivium* cum versiculo et oratione de SS. Sacramento, et addita post stationem *Salve regina.*

—

CAPITULA PROVINCIALIA

anno 1887 celebrata.

—

IX.

Obs. Provincia B. M. V. Assumptae Fluvii Platensis in America meridionali.

In magno Conventu Bonaerensi sub invocatione Ss. Undecim mille Virginum die 28 Maji anni currentis presidente Adm. R. P. Abraham Argañaraz celebratum fuit Provinciale Capitulum, in quo rite et canonice electi sunt:

IN MINISTRUM PROVINCIALEM

A. R. P. Iosephus Rosa Quisoga.

IN CUSTODEM

R. P. Alexander Brid.

IN DEFINITORES

R. P. Ioannes Baptista Reynoro.
R. P. Ioannes Vincentius Junes.
R. P. Michael Alfonso.
R. P. Benedictus Grimon.

—

X.

Obs. Provincia Ragusii.

Die 7 Junii currentis anni sub praesidentia A. R. P. REMIGII BUSELLI rite celebratum est Capitulum Provinciale in Conventu Ragusino in quo electi sunt:

IN MINISTRUM PROVINCIALEM

A. R. P. Jacobus Jović (quarta vice).

IN CUSTODEM

A. R. P. Vincentius a Breno ex Provincialis immed.

IN DEFINITORES

A. R. P. Marianus a Ragusio ex Provlis.
R. P. Josephus a Slano.
R. P. Paulinus a Dobranje.
R. P. Ambrosius ab Umbla.

—

XI.

Observ. Provincia Vallis Nethi in Sicilia.

In Congressu diei 30 Junii currentis anni a MINISTRO GENERALI cum suo Definitorio electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Alexander Brancati a Siracusis confirmatus.

Custos

R. P. Antonius Pricone a Palatiolo.

Definitores

R. P. Casimirus ab Ursunea Lector Generalis.
R. P. Salvator a Melilli.
R. P. Salvator a Palatiolo.
R. P. Hieronymus a Palatiolo.

—

XII.

Obs. Provincia Vallis Mazariae in Sicilia.

In eodem Congressu diei 30 Junii 1887 electi sunt Romae ad SS. XL Mm.

In Ministrum Provincialem

A. R. P. Ignatius Fleres a Villafranca.

In Custodem

A. R. P. Franciscus De Blasi ab Alcamo Def. Glis.

In Definitores

R. P. David Scavo a Careno.
R. P. Gandulphus Valentia a Polizzi.
R. P. Sanctes Agati de Partinico.
R. P. Benedictus Blunda ab Alcamo.

—

XIII.

Ref. Provincia Vallis Mazariae.

Die pariter 30 Junii anni curr. in eodem Congressu electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Seraphinus a Mussomeli.

Custos

A. R. P. Franciscus a Corleone ex Minister immed.

Definitores

R. P. Angelus a Canicacteno.
R. P. Franciscus a Resultano.
R. P. Stephanus a Panormo.
R. P. Michael a Panormo.

—

XIV.

Ref. Provincia B. M. V. Dolorosae in Galicia.

Praeside R. P. Mauritio Wilczynski die 7 Julii 1887 rite celebratum est Capitulum in Conventu Iaroslaviensi in quo canonice electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Joachimus Maciejczyk reelectus.

Custos

R. P. Mauritius Wilczynski.

Definitores

A. R. P. Laurentius Creplinski ex Provlis.
R. P. Gorgonius Suly.
R. P. Ladislaus Zajaczek.
R. P. Eugenius Dudrinski.

—

XV.

Ref. Provincia Mariana in regno Hungariae.

Die 7 mensis Julii anni currentis, Posonii in Hungaria in Conventu S. Mariae ab Angelo salutatae sub praesidio A. R. P. Eusebii Fermendžin Def. Glis habitum fuit Capitulum in quo electi sunt:

In Ministrum Provincialem

A. R. P. Gaudentius Dosztal.

In Custodem

R. P. Wilhelmus Kurz.

In Definitores

R. P. Aegidius Déry.
R. P. Theodoricus Elek.
R. P. Ananias Pelosárszky.
R. P. Rudolphus Tóth.

—

XVI.

Obs. Provincia Capistrana in Hungaria.

In Capitulo celebrato Budae die 28 Julii curr. anni sub praesidentia A. R. P. Joannis Marković Lectoris Iubilati electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Stephanus Sikirčević.

Custos

A. R. P. Iulius Amberger ex Min. immediatus.

DEFINITORES

A. R. P. Robertus Kauk.
R. P. Anselmus Zebetbauer.
R. P. Samuel Ville.
R. P. Calasanctius Zoltner.

—

XVII.

Ref. Provincia Salvatoriana in Hungaria.

Die 31 Julii anni 1887 Galgoczii in Conventu Omnium Sanctorum praeside Adm. Rev. Patre EUSEBIO FERMENDŽIN habitum est Capitulum, in quo electi sunt:

IN MINISTRUM PROVINCIALEM

A. R. P. Rudolphus Zsembery.

IN CUSTODEM

A. R. P. Marcus Bognar ex Min. immed.

IN DEFINITORES

R. P. Robertus Nagy.
R. P. Gerardus Kudelka.
R. P. Ladislaus Zavodjan.
R. P. Emanuel Hunka.

In Secretarium Provinciae vero assumptus est *P. Timotheus Hricsovszky;* Secretarius autem Rev. Patris Ministri Provincialis nominatus est:

P. Simeon Kada.

—

XVIII.

Ref. Provincia Tirolensis S. Leopoldi.

Die 10 Augusti 1887 in Conventu Sebatensi ad S. P. N. Franciscum sub praesidentia adm. rev. P. Gaudentii Guggenbichler Definitoris Generalis celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

IN MINISTRUM PROVINCIALEM

Adm. R. P. Generosus Heubacher.

IN CUSTODEM

A. R. P. Michael Erhart ex Minister immediatus.

IN DEFINITORES

R. P. Vincentius Gredler.
R. P. Emmeranus Zangler.
R. P. Callistus Heriç.
R. P. Odilo Oberrauch.

—

XIX.

Recoll. Provincia S. Ioseph in Belgio.

In Congressu Capitulari die 11 Augusti 1887 in Conventu S. Trudonis coadunati Patres Locales, praesidente Rmo Patre BERNARDINO A PORTU ROMATINO Ministro Generali, rite et canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

Adm. R. P. Theodorus Van der Linden.

CUSTOS PROVINCIAE

R. P. Adolphus Van Puymbrouck.

DEFINITORES

R. P. Bertinus Hermans.
R. P. Vitalis Van Bebber.
R. P. Firminus Roulé.
R. P. Casimirus Stuyck.

—

ELECTIO VICARII CUSTODIALIS CUSTODIAE BUFFALENSIS.

Defuncto die 19 Junii 1887 Adm. Rev. P. MICHAELE ANGELO A NICIA Custode Regiminis Custodiae B. V. IMMACULATAE Buffalensis in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, die 23 ejusdem mensis a Discretorio Custodiali rite et canonice electus est in Vicarium Custodialem R. P. BONIFACIUS A VERONA.

—

REGULAE FRANCISCALES
II.

SECUNDA REGULA

Monialium S. Clarae, quae Urbanistae dicuntur.

(Continuatio).

CAPUT XXIV.

DE VISITATORE ET MODO MONASTERIA VISITANDI.

Monasteria hujus Religionis, per Visitatores (qui auctoritatem, formam et modum a

Cardinali, cui fuerit a Sede Apostolica vester Ordo commissus, recipiant) semel ad minus annis singulis visitentur (1).

Sane circa visitationes hujusmodi illud est sollicite providendum, ut quicumque vel generalis, vel etiam alicubi aliquando specialis constituendus fuerit Visitator, talis debeat constitui, de cujus religiosa vita et moribus notitia plena et securitas habeatur.

Qui cum ad monasterium aliquod veniens, fuerit introgressus, sic se per omnia exhibeat et ostendat, ut omnes de bono ad melius provocet, et ad Dei amorem, et intra se mutuam charitatem semper inflammet pariter et accendat.

Et quando monasterii clausuram ad visitandum intraverit, duos religiosos et idoneos socios secum ducat, qui videlicet socii simul maneant, et dum fuerint intra claustrum, ab invicem nullatenus separentur.

Visitator autem, regula prius lecta et exposita, ab Abbatissa sigillum recipiat, quod sibi assignare, et absolutionem et concessionem ab Abbatissae ministerio petere, absolute ac libere teneatur. Quae si communem vitam non poterit ducere, vel noluerit, per eumdem Visitatorem a suo regimine absolvatur, nisi sua mora in officio monasterio dispendiosa non esset, sed necessaria, vel evidenter utilis appareret. Absolvatur etiam per eumdem, si alias non idonea, vel insufficiens ad monasterii regimen videatur; et hoc fiat secundum formam et modum, quos a Cardinali supradicto receperit Visitator. Qui tam de ipsius Abbatissae, quam Sororum statu, et observantia suae Religionis, ab omnibus generaliter et specialiter a singulis inquirat studiosius veritatem, et ubi aliquid reformandum vel corrigendum invenerit, zelo charitatis et amore iustitiae, cum discretione corrigat et reformet, tam in capite, quam in membris, sicut melius viderit expedire. Excessus autem, qui fuerit sufficienter correctus a Visitatore, nullatenus iterum corrigatur. Quod si aliquid tale sibi occurrerit, quod per se nequeat emendare, ad Superiorem referat, ut corrigatur sicut expedit, ejus consilio ac praecepto.

Caveat autem Abbatissa, ne a se vel ab aliis Sororibus, status sui monasterii Visitatori aliquatenus abscondatur, quia malum esset indicium, et offensa graviter punienda. Imo volumus et mandamus, ut ea quae secundum vitae suae formam et regularem observantiam, instituenda vel emendanda fuerint, publice ac privatim, sicut melius viderit faciendum, Visitatori suggerant et proponant, cui teneantur in omnibus, quae ad officium suae visitationis pertinent, firmiter obedire. Quae autem aliter fecerint, a Visitatore, tam Abbatissa quam aliae debite, prout convenit, puniantur. Omnes autem, tam Abbatissa quam Sorores, considerent et caveant diligenter, ut nihil aliud, quam amor divinus et suarum Sororum correctio ac monasterii reformatio eas moveat ad loquendum.

Modum autem loquendi Visitator custodiat supradictum, ut videlicet, aut cum omnibus aut cum pluribus simul loquatur, vel secrete cum una, aliis tamen, ad minus duabus, in aspectu ejus non longe sedentibus, ut per omnia bonae famae integritas conservetur, nisi ad locutorium cum una vel pluribus loqui voluerit de iis, quae ad officium suum pertinere noscantur.

Idem etiam Visitator, tam Cappellanum, quam Conversos, et caeteros de familia extrinseca monasterii visitet, et in eis corrigat et reformet, quae correctionis et reformationis officio noverit indigere; poenas tam amotionis perpetuae a monasterio licentiando professos ad alia monasteria vel Ordines, sicut viderit expedire, quam alias, prout culpae gravitas et qualitas exegerit, imponendo.

Ut autem non graventur monasteria in expensis, et Visitator omnem notam cujuspiam suspicionis evitet, volumus omnino, quod Visitator, de visitationis officio, quam citius commode poterit, se studeat expedire, quanto rarius absque sui officii dispendio poterit, monasterii clausuram intrinsecus ingressurus.

CAPUT XXV.

DE CARDINALI PROTECTORE.

Verum ne ab observantia praesentis Regulae sive formulae suprascriptae (quam uniformiter ubique ab omnibus volumus et mandamus diligentius observari), pro defectu certi regiminis in posterum recedere vos contingat;

(1) Circa Visitationem cfr. n. 1187 et seq.

aut sub diversorum magisterio, vivendi modus incurrere differentes, dilecto Fratri nostro Joanni Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono Cardinali, gubernatori, protectori et correctori Ordinis Fratrum Minorum, curam et regimen vestri Ordinis, necnon et personarum in eis degentium, scilicet Cappellanorum et Conversorum et familiarum, plene duximus committenda, statuentes, ut sub ejus et aliorum Cardinalium, qui fuerint pro tempore, gubernationi, protectioni atque correctioni eorumdem Fratrum Ordinis a Sede Apostolica deputati, obedientia et cura et regimine debeatis de cetero permanere, quibus teneamini firmiter obedire.

Et ipsi animarum vestrarum sollicitudinem gerentes et curam, eisdem monasteriis et personis degentibus in eis, Cappellanis, Conversis et familiae tam per se, quam per viros idoneos, quoties expedire viderint, visitationis officium impendere studeant, corrigendo et reformando ibidem, tam in capite, quam in membris, quae correctionis et reformationis officio noverint indigere. Instituant nihilominus et destituant, ordinent, statuant et disponant, prout secundum Deum viderint expedire.

CAPUT XXVI.

QUANDO REGULA LEGI DEBEAT.

Ut autem vos in hac Regula sive formula tamquam in speculo possitis inspicere, nec per oblivionem aliquid negligatis, semel vobis in qualibet quindena legatur, et ubi vos inveneritis ea, quae scripta sunt, facere, agite gratias Deo bonorum omnium largitori. Ubi autem sibi quaecumque viderit aliquid deesse, doleat de praeterito, et caveat de futuro; orans ut ei debitum dimittatur, et in tentationem deinceps non inducatur.

—

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae institutionis, declarationis et constitutionis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum apud Urbem Veterem, decimo quinto kalendas novembris, Pontificatus nostri anno tertio.

(Dat. die 18 Octobris 1264, anno III Pontificatus Urbani IV).

—

III.

DECLARATIO EUGENII PAPAE IV.

Quum anno 1446, Eugenius Papa IV. Bullam *Ordinis tui* edidisset, in qua nonnulla elucidantur et declarantur circa Regulae S. Clarae obligantia praecepta, speciatim vero circa jejunium perpetuum quod a Summo Pontifice moderatur, abstinentiam perpetuumque silentium, pedumque nuditatem quae omnia temperantur, hanc declarationem, a plerisque Urbanistarum Monasteriis tanquam Regulae authenticam explanationem et quasi Appendicem habitam, hic subjungimus. Textum vero desumimus ex *Annalibus Minorum* Patris Lucae Waddingi, anno 1446.

Animadvertendum tamen, praedictas declarationes sive dispensationes admissas non esse in Monasteriis, quae primam S. Clarae Regulam observant, vel Constitutiones S. Coletae sequuntur, nisi quoad numerum praeceptorum *sub gravi* quae ad *quinque* tantummodo reducuntur, scilicet ad obligationes quatuor votorum obedientiae, paupertatis, castitatis et clausurae, et ad ea quae ad Abbatissae electionem vel depositionem referuntur.

Dilecto filio Fratri Jacobo de Primaditiis de Bononia, Ordinis Minorum de Observantia Regulari, salutem etc.

Ordinis tui etc... intelligimus. Sane cum post concordiam inter dilectos Fratres, qui dicuntur *Conventuales,* et vos alios quibus de *Regulari Observantia* est appellatio, unius ejusdemque Minorum Ordinis, Senis factam, Nos intendentes, quod post dilectum filium Fratrem Joannem de Capistrano, alter illius successor crearetur, eidem per litteras Apostolicas commiserimus, quod ubi et quando sibi placeret, ante sui officii finem, Vicarios et Discretos Provinciarum sibi subjectarum, pro alterius Vicarii creatione capitulariter congregaret; et fa-

cta hujusmodi congregatione in alma Urbe apud Aracoeli locum, tu in ea fueris canonice in cismontanum Vicarium electus, Nosque electionem ipsam confirmaverimus; postmodum dilectus filius Frater Antonius de Rusconibus, sacrae paginae professor, Ordinis praedicti Generalis Minister, te duxerit confirmandum, prout supradicta omnia constant per litteras Apostolicas, et praedicti Generalis, quas hic haberi volumus pro sufficienter expressis; ad nostramque notitiam pervenerit, esse in tui Vicariatus partibus cismontanis nonnulla Monasteria Sanctae Clarae, quarum familiae in Regulari Observantia viventes, et partim Primi, partim Secundi, partim Tertii Ordinis, partim aliter appellati sub tuo Vicariatu, et a te tuisque successoribus regi et gubernari intensissimis dicuntur desideriis affectare: Nos qui certum tenemus, easdem mulierum, Monacharum, sive Sororum familias optimam saluberrimamque sub vobis gubernationem et continue habituras felicia in Domino incrementa, earumdem mulierum, Monacharum, sive Sororum appellatarum Monasteria, loca et familias, ubicumque infra tui Vicariatus terminos in Regulari Observantia viventes, tam praesentes, quam futuras, tuae et tuorum in Vicariatus cismontani officio Successorum juri, gubernationi, atque regimini, auctoritate Apostolica, praesentium tenore subjicimus, et subjectas et suppositas esse volumus atque decernimus: intendentes, eadem auctoritate, atque volentes, quod tu et Successores tui per vos ipsos et alios, quos duxeritis substituendos, potestatem facultatemque habeatis, easdem Moniales et Sorores, sive Primi, sive Secundi, sive Tertii, aut alterius Ordinis Sanctae Clarae et beati Francisci, praesertim collegialiter et in communi viventes, et earum Monasteria atque loca, tam in capite, quam in membris, visitandi, corrigendi, amovendi, deponendi, transferendi, et alia omnia et singula faciendi quae Generalis Minister Ordinis vestri in eisdem Monasteriis et locis, de jure et consuetudine posse facere consuevit: Provinciales aut Vicarii vobis subjecti easdem potestatem facultatemque habeant, quas Ministri Provinciales etiam de jure vel consuetudine habere consueverunt; et ut supra dictae Moniales ac Sorores melius gubernentur, volumus, quod in electione et creatione Abbatissarum, Ministrarum et Matrum, illae tantummodo ex ipsis Sororibus et Monialibus vocem habeant quae per annos tres, vel circa in earumdem Monasteriis et Collegiis fuerint, in qua creatione et electione major pars vocum, ad minus medietatem superans, debeat convenire; in omnibus Tertii Ordinis Sororum et Monialium collegiis Fratres tui Ordinis de accessu et ingressu se habeant, sicut observatis cum Monasteriis Sanctae Clarae. Si autem Visitatoribus earum ex Sororibus Tertii Ordinis, quae minime vivunt collegialiter, concessa esset a Sede Apostolica aliqua auctoritas et facultas, Nos ipsas, praesentium tenore, auctoritate Apostolica revocantes, volumus, quod tu et tui in Vicariatus officio Successores, hujusmodi Visitatores amovendi, et alios instituendi auctoritatem facultatemque habeatis.

Praeterea cum in Regula beatae Clarae jubeatur jejunium perpetuum, quod quidem nimis rigorosum esse tenemus, placet et volumus, quod supradictae, et tertii, vel aliorum Ordinum Sorores, solummodo teneantur ad illa jejunia, ad quae vos Fratres Ordinis Minorum regulam servantes, obligati estis, et eosdem modos servent in cibo Quadragesimali, exceptis debilibus et infirmis: in aliis vero jejuniis, ut sunt quatuor tempora, vigiliae Apostolorum, et similia, servetur consuetudo regionis, secundum quam liceat ova, lacticiniaque comedere.

Cum etiam in aliquibus Monasteriis Sorores sive Monachae incedant nudis pedibus discalceatae, quod nimis rigorosum existimamus, placet et volumus, quod Sorores sive Monachae possint deferre illa, quae nomine calceamentorum non censentur, puta zocholos ligneos, et sandalia, atque etiam, cum oportuerit calceamenta.

Item, cum in aliquibus Monasteriis, locis et congregationibus injungant silentium perpetuum, quod quidem nimis rigorosum existit, tibi tuisque in officio successoribus, et Provinciarum vobis subiectarum Vicariis, cum Discretorum consilio, dispensandi, tam in aliis quibuscumque perpetuis, quam in silentio supradicto concedimus facultatem.

Insuper, cum dilectus filius, frater Ioannes de Capistrano, tuus in Vicariatus officio praedecessor, declaraverit, quod in regula pri-

ma beatae Clarae contineantur *centum et tria* praecepta regularia, in quorum transgressione Moniales sive Sorores professae peccatum mortale incurrunt, idque nimis durum, scrupulosumque judicemus, auctoritate, et tenore praedictis declaramus et volumus, quod in nullius praedictorum transgressione, praeterquam eorum quatuor, quae concernunt principalia vota obedientiae, paupertatis, clausurae, castitatis, et insuper electionis Abbatissae et depositionis, peccatum mortale incurrant.

Item, cum quaedam praedictorum Monasteria, et loca in mendicitate vivant, placet et dispensamus, quod in ferculo sive minestra, sagina et lardo uti possint.

Constitutionibus Apostolicis et privilegiis, immunitatibus, gratiis et indultis, omnibus et singulis supradictis Monasteriis et locis, ac eorum Capellanis, per Sedem Apostolicam, et aliter quomodocumque concessis, aliisque in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae subjectionis, Decreti, intentionis, placiti, existimationis, concessionis, declarationis, voluntatis, et dispensationis infringere etc.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MCCCCXLVI. Non. Februarii, Anno Pontific. nostri XVI.

III.

BIBLIOGRAPHIA

—

Orbis Seraphicus. — Historia de Tribus Ordinibus a Seraphico Patriarcha S. Francisco institutis deque eorum progressibus per quatuor mundi partes, scilicet Europam, Asiam, Africam et Americam in obsequium Jesu Christi et Ecclesiae Romanae, atque in Fidei Catholicae defensionem et dilatationem reportatis. De Missionibus Fratrum Minorum a Sacra Congregatione de Propaganda Fide dependentibus tom. II. Editioni adsistentibus PP. Marcellino a Civetia et Theophilo Domenichelli eiusdem Ordinis. In 4.° gr. pag. VII-906. Ad Claras Aquas, (Quaracchi) prope Florentiam ex typographia Collegii S. Bonaventurae, 1887. (L. 25).

Il Collegio Francescano. — Di Tarija e le sue Missioni. Notizie storiche raccolte da due Missionari del medesimo Collegio. Traduzione dalla lingua spagnuola del Canonico Dott. Silvio Villoresi. In 8.° pag. 516. Quaracchi, presso Firenze, Tipografia del Collegio di S. Bonaventura 1887. (L. 8.).

Cenni Cronologico-Biografici — Della Osservante Provincia Picena compilati dal P. Luigi da Fabriano lett. giub. e cronologo della medesima Provincia. In 8.° pag. 269. Quaracchi Tipografia del Collegio di S. Bonaventura 1887.

Anonimus Capuc. — Letture Serafiche pei Frati Minori di S. Francesco, scritte da un frate Minore Cappuccino Missionario Apostolico. Milano Tipografia di Serafino Ghezzi 1887. In 8.° pag. 295. Pretium pro Italia L. 2, 50, extra Italiam L. 3. Haberi potest a r. p. Aegidio a Mediolano Capuc. Romae Piazza Barberini.

Klostermann P. Mauritius Min. Recoll. — Dreitägige geistliche Uebungen vor der ersten heiligen Communion. New York. Benziger Brothers. 1887.

(Triduana Exercitia spiritualia ante primam communionem).

Schoutens P. Stephanus Min. Rec. — De Laatste Dagen eener Engelsche Kloostergemeente in België tijdens de Fransche omwenteling volgens een engelsch handschrift. Lier. Ioseph Van In. 1887 — lib, o: 30.

(Ultimi dies Conventus Religiosarum anglicanarum in Belgio, tempore revolutionis gallicae juxta manuscriptum anglicum).

Lulic P. Antonius Min. Obs. ex Def. Glis. — Blago Razlikih Krscanskih Molitvica pismica i Bogoljubnih uzdisaja s'nadarjem obilnih Papinih S. Prostenja. Trece izdanje. — U Splitu. 1884.

(Libellus precum in lingua slavica).

P. Servais dirks, Min. Recoll. — Les voyageurs Belges et le *Patria Belgica*, par F. Servais Dirks, O. S. F. (Extrait du *Magasin littéraire et scientifique*). Gand, typographie S. Leliaert, A. Siffer et *Cie*, rue Haut-port 52. 1887. (pag. 23).

Alexis Bulens, Min. Recol. — Hope and consolation in the Cross, by F. Alexis Rulens, O. S. F. of the Monastery West Gorton, Manchester. — R. Washbourne, Paternoster Row, London, 1887. In. 18, pag. VI-213. (Latine: spes et consolatio in Cruce).

IV.

NECROLOGIA

—

Mense Majo proxime elapso Recoll. Provincia SS. Cordis Jesu in Statibus foederatis Americae septentrionalis magnam passa est jacturam; duos enim Patres praestantes per mortem amisit, qui sunt:

V. P. Leo Brandys, qui trigesimum suae aetatis annum nondum expleverat. Licet in juvenili adhuc aetate constitutus, tamen omnes religiosi viri virtutes jugiter exercere et alios ad easdem exercendas movere studuit. Polonicam linguam callens in *Radom,* Dioecesis Altonensis, parochiam Polonorum sapienter rexit, ubi in Conventu nostro die 5 Maji ex inflammatione pulmonum pie in Domino obiit. Et

A. V. P. Liborius Schaefermeyer, natus in Boke prope Delbrück in Westphalia die 18 Julii 1818, clero saeculari in Dioecesi Paderbornensi adscriptus ac die 24 Augusti 1843 sacerdos ordinatus est. Mense Septembri 1858 in Americam migravit, ubi a Rmo D. Episcopo Altonensi parochia S. Bonifacii in civitate Quincyana ipsi administranda fuit commissa, in quo officio usque ad mensem Septembrem 1872 laudabiliter laboravit. Ob praeclaras ipsius qualitates a praelaudato Episcopo nominatus fuit Vicarius Generalis in spiritualibus pro Germanicis in dicta Dioecesi degentibus. Anno 1872 majoris perfectionis adipiscendae causa praefatis officiis renuntiavit, saeculum reliquit et Seraphicum Ordinem nostrum ingressus est, in quo postea Guardiani et Definitoris Provinciae officiis laudabiliter functus est. Duobus abhinc annis aegrotare coepit, et die 10 Maji in Conventu Quincyano placidissime animam suam Deo reddidit. R. I. P.

Adm. R. P. Vincentius Oliva Badalucci in Liguria natus die 15 Februarii anni 1812 et a parentibus pie educatus, pueritiam atque adolescentiam innocenter transegit. Omnibus quibus puerilis aetas imbui solet doctrinis edoctus, anno aetatis suae decimo octavo nondum expleto Ordini Seraphico nomen dedit in Conventu Fratrum Reformatorum S. Mariae de Cemellis prope Nicaeam, et tyrocinio laudabiliter expleto solemnia vota nuncupavit. Philosophicis deinde ac Theologicis disciplinis egregiam navavit operam, et puer, ut erat ingeniosus et sortitus animam bonam, pietatis et orationis studium semper cum studio scientiarum conjugens, Deo adjuvante factum est ut ex diligenti devotoque Clerico pius evaserit ac eruditus Sacerdos. Apostolico zelo inflammatus, praedicandi verbi Dei munus a Superioribus sibi demandatum suscepit, et per quinquaginta fere annos sustinuit, et alacriter exercuit in civitatibus, pagis et oppidis praesertim Liguriae, omnibus ejus doctrinam ac facilitatem eloquii demirantibus. Disciplinae regularis zelo incensus, ut sartam tectamque servaret, verbo et exemplo adlaboravit. Praedicatoris Emeriti titulo condecoratus, et singulari gubernandi dexteritate praeditus pluries Guardianum et Definitorem egit. Custodis Gubernii et Provincialis munera sustinuit, et in difficillimis rerum adjunctis concreditos sibi subditos maxima prudentia et aequitate gubernavit. Inter caetera quae pro bono Provinciae fecit illud praesertim silentio praetereundum non est, quod in Monacensi Principatu magnis difficultatibus superatis conventum e fundamentis erexit tum ut religiosis in Gallia ab hostilibus potestatibus exturbatis, et e suis domibus violenter expulsis asylum praeberet, tum ut ibi adolescentum Collegium institueretur, in quo religiosum spiritum litterasque humaniores docerentur, ut melius faciliusque possint divinae vocationi respondere. Tandem laboribus fractus, aegra valetudine, cupiens dissolvi et esse cum Christo, sponte Definitoriatu se abdicavit, et a Reverendissimo Patre Ministro Generali enixis precibus postulavit, ut ibi illi fas esset mori ubi Seraphicus Patriarcha prima sui Ordinis fundamenta jecit, et ubi sacrum eius Corpus requiescit. Votis ejus annuente Revmo Patre, mense Novembri 1886 Assisium petiit et ibi sex post men-

ses paralysi correptus ante Basilicam S. P. N. Francisci dum Processioni SSmi Sacramenti adsisteret, ad proximum Conventum PP. Cappuccinorum delatus et Sacramentis, quoad licuit, munitus die 15 Iunii currentis anni ibidem viam universae carnis ingressus est. Cuius anima per misericordiam Dei requiescat in pace.

Adm. R. P. Michael Angelus a Nicia, Reformatae Provinciae S. Bernardini in Gallia filius et ab anno 1863 Missionarius in Custodia B. M. V. Immaculatae in Statibus foederatis Americae Septentrionalis, cuius fuit pluries Discretus Custodialis, et Novitiorum Magister, et modo erat Custos Regiminis die 19 Junii anni currentis tristi fato cessit e vita. Mane ejusdem diei ibat de more ad S. Missae sacrificium celebrandum apud Moniales in Allegany, vix autem Collegii nostri confinia transgressus, cum via ei esset transeunda, per quam currus vapore acti pervolant, evenit ut duo ejusmodi currus inter se obviarent, et dum ab uno miser Pater semel caveret, ab altero in femore percussus ac sex metrorum spatio longe in foveam jactus fuerit. Ad Collegium statim delatus est, ubi Sacramentis refectus post duas horas expiravit. Fuit animo mitis, cellae amans, humilis, et in laboribus tum scholae, tum missionum indefessus. Parentalia die 21 Junii solemnissima ei facta sunt, cum enim eódem die annuali scholarum cursui in Alleganensi Collegio finis imponeretur, eo quamplurimi advenerant Sacerdotes etiam saeculares, nec non Illmus et Rmus Episcopus Buffalensis Stephanus Ryan cum suo Generali Vicario, et Dioecesis Harrisburgensis Administrator Apostolicus, imo ipsemet Rmus Episcopus Ryan defuncti laudationem funebrem recitavit. R. I. P.

Die 3 Aprilis huius anni in Seminario *Hung-kia-lu*, prope *Zi-nan-fu* in Vicariatu *Shan-tung* Septentrionalis in pace Christi quievit R. P. Joachimus Orsi a Castellatio Observantis Provinciae Bononiensis filius. — Natus die 2 Maji 1828, Ordinem ingressus est die 10 Februarii 1844, ac completo studiorum curriculo, Sacerdotio die 5 Aprilis 1851 initiatus cum semet ad Missiones vocatum agnosceret, easdem petiit, et a Superioribus Ordinis ad Sinenses anno 1859 missus fuit.

Transacto biennio in Provincia *Shan-si*, in Vicariatum *Shan-tung* translatus, magni semper habitus est a Vicariis Apostolicis b. m. Moccogatta et Cosi, qui eidem magni momenti Districtum, nec non Orphanotrophium foemineum concrediderunt, in quo munere obeundo pietate simul et zelo fulsit. Contracto in itinere morbo anno 1885, eum patientissime toleravit, et inter atrocissimos dolores saepius SS. Nomina Jesu, Mariae et Josephi ingeminans, precabatur: *hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in aeternum parcas*. Ave anima charissima et in pace requiescas.

Adm. R. P. Bartholomaeus Casasnovas Observantis Provinciae Minoricae in Hispania filius, natus die 16 Novembris 1815 ad urbem Sucré in Bolivia pervenit die 2 Octobris 1837 cum esset Subdiaconus, fuitque unus ex duodevinginti religiosis, qui praefata die, auctoritate Adm. R. P. Andreae Herrero Americae Meridionalis, Generali Commissario per Apostolicum Breve s. m. Gregorii XVI. Apostolicum Collegium in Sucré fundarunt. Die 28 Octobris 1838 Sacerdos factus, munus Missionarii fideliter explevit, ac quindecies difficile Guardiani ejusdem Collegii officium mirabili zelo et prudentia exercuit. — Iam a Collegii fundatione *Praeses in capite* fuerat electus ac dein Praefectus Missionum nominatus officio renuntiavit. Ab Archiepiscopo Platensi Examinator Prosynodalis ob eximiam suam doctrinam ac pietatem constitutus est. Anno 1872 a Definitorio Generali Commissarius Generalis pro Bolivia electus, hujusmodi munere egregie perfunctus est usque ad annum 1877, simulque per biennium Commissarium egit Terrae Sanctae.

Post quinquaginta annos inter Missionum labores, etsi infirma valetudine transactos, plenus meritis et virtutibus ad meliorem vitam transiit die 20 Januarii 1887, omnibus Ecclesiae Sacramentis piissime susceptis. R. I. P.

Nihil obstat

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

EX S. CONGREG. INDULG.

I.

Praeter Indulgentias, quas Innocentius XI Constitutione sua *Unigeniti Dei* diei 28 Ianuarii 1688, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus concessit, qui cruces, coronas aut rosaria, quae loca Terrae sanctae sacrasque reliquias ibi existentes tetigerunt, penes se habuerint, quasque anno elapso in hoc Periodico, fasciculo XII, pag. 183 retulimus: SSmus Dominus Noster Leo PP. XIII ad preces Rmi P. Ministri Generalis omnibus benefactoribus Terrae sanctae alias Indulgentias concedere dignatus est per sequens S. Congregationis Indulgentiarum Rescriptum:

« Sanctissimus Dnus Noster Leo PP. XIII in Audientia habita die 18 Iunii 1887 ab infrascripto Secretario S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae Christifidelibus praefato pio operi adscriptis sequentes Indulgentias defunctis quoque applicabiles benigne concessit: I. *Plenariam*: 1° die Natalis D. N. Jesu Christi, 2° die Paschatis, dummodo ipsi dictis diebus vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti aliquam Ecclesiam, vel publicum Oratorium, devote visitaverint ibique per aliquod temporis spatium ad mentem Sanctitatis Suae pie oraverint; 3° iisdem pariter, necnon zelatoribus ac zelatricibus praefati pii operis in mortis articulo, si uti supra dispositi, vel quatenus id praestare nequiverint, corde saltem contrito sanctissimum Jesu nomen ore, sin minus corde, devote invocaverint; II. Indulgentiam *septem annorum totidemque quadragenarum* semel in qualibet sexta feria cujuslibet mensis Christifidelibus supramemorato pio operi addictis corde saltem contrito ac devote quinquies recitantibus Orationem Dominicam, Angelicam Salutationem et *Gloria Patri etc.* in honorem quinque Vulnerum D. N. Jesu Christi. Praesenti ad *septennium* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die 18 Junii 1887.

Fr. Thomas M. Card. Zigliara, *Praef.*
Alexander Episcopus Oensis, *Secret.*

—

II.

DECRETUM

—

VERONENSIS

De adscriptione sodalium institutorum religiosorum tertio Ordini saeculari S. Francisci Assisiensis.

Divina charitate ac animarum zelo succensus S. Franciscus Assisiensis, praeter primum et secundum Ordinem Minorum Claustralium, tertium quoque Ordinem instituit pro personis in saeculo degentibus, ut et ipsae pro sui status conditione ad tramitem consiliorum evangelicorum vitam componerent.

Innumera vero virtutum ac pietatis monumenta, quae per tot saecula Christifideles in

tertium Ordinem adsciti reliquerunt, nec non recentius aucta erga seraphicum Patrem devotio causa fuere cur etiam religiosorum Institutorum sodales eidem tertio Ordini adscribi expetiverint; et iam inde ab anno 1869 sub die 3 Maii Ministro Generali totius Ordinis Minorum tributa est facultas recipiendi in Tertium Ordinem Franciscalem alumnos supradictorum Institutorum, eisdem quoque concesso ex Brevi 7 Aprilis 1876 speciali privilegio visitandi Ecclesiam vel Sacellum proprii Instituti, quoties ad lucrandas Indulgentias visitanda foret Ecclesia primi vel secundi Ordinis seraphici.

Quamvis autem SSmus Dominus Noster Leo Papa XIII edita Constitutione Apostolica « *Misericors Dei Filius* » die 30 Maii 1883 ejusdem tertii Ordinis legem novaverit, attamen quum nihil omnino mutatum immo integrum permanere voluerit quod attinet ad praefati tertii Ordinis, qui saecularis dicitur, naturam, dubium oriebatur, an alumni religiosorum Institutorum, quibus singulari Dei munere datum est nuncupatis votis ad perfectiorem vitam contendere, amplecti quoque valerent Institutum tertii Ordinis saecularis S. Francisci.

Quare Emus et Rmus Episcopus Veronensis, instantibus nonnullis e sua Dioecesi confessariis, ad omnem in hac re haesitationem e medio tollendam, S. Congregationi Indulgentiarum sequentia dubia dirimenda proposuit:

I.$^{m.}$ *Utrum omnes utriusque sexus qui sunt membra alicuius religiosi Instituti, vel Congregationis, aut a Summo Pontifice aut ab Episcopo approbatae, in qua vota emittuntur sive perpetua sive ad tempus, possint adscribi in tertium Ordinem S. Francisci Assisiensis.*

Et quatenus *Affirmative,*

II.^{m} *Quibus conditionibus id illis liceat?*

Emi et Rmi Patres responderunt in Generalibus Comitiis apud Vaticanum habitis die 25 Junii 1887:

Ad I.^{m} *Negative, facto verbo cum Sanctissimo.*

Ad II.^{m} *Provisum in primo.*

Facta vero de iis omnibus relatione in Audientia habita ab infrascripto Secretario die 16 Julii 1887, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII Patrum Cardinalium responsiones ratas habuit et confirmavit.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 16 Julii 1887.

Fr. Thomas M. Card. Zigliara, *Praef.*
Alexander Episcopus Oensis, *Secret.*

—

III.

DECRETUM

—

MECHLINIENSIS ET VINCENNAPOLITANA

Super Indulgentiis et privilegiis concessis pio operi Propagationis Fidei.

Pium et praeclarum Opus Propagationis Fidei mirabili divinae Providentiae dispositione pluribus abhinc annis in Gallia primum exortum, et dein late per totum catholicum Orbem diffusum, omnes norunt quantum ad catholicam fidem in remotissimis etiam regionibus propagandam contulerit. Hinc hujusmodi pium Opus vix ac obortum est Romani Pontifices singulari cura prosequuti sunt, et Christifidelibus ut suis elargitionibus quotidianisque precibus tam saluberrimum Opus confoverent Indulgentiarum thesauros reserarunt, et sacerdotibus praesertim, qui vel stipem propriam elargiti essent, vel data opera alienam collegissent ad illud sustentandum s. m. Pius IX rescripto diei 31 Decembris 1871, et SSmus Dominus Noster Leo Papa XIII rescripto diei 25 Maii 1881 speciales facultates et privilegia tribuerunt.

Jam vero tum circa quasdam conditiones requisitas ut adscripti pio Operi Propagationis Fidei gaudere valeant Indulgentiis, tum circa supradictorum rescriptorum rectam intelligentiam plura exorta sunt dubia, quorum nonnulla proposita fuerunt huic S. Congregationi a quodam Sacerdote Archidioecesis Mechliniensis specialiter deputato ab Archiepiscopo ad colligendas eleemosynas in praefati pii Operis subsidium; alia vero ab Abbate S. Meinardi Ordinis S. Benedicti in dioecesi Vincennapolitana in statibus foederatis Americae septentrionalis, quae primum exhibita S. Congregationi Christiano Nomini propagando praepositae, deinde ad hanc Indulgentiarum et SS. Reliquiarum transmissa fuerunt.

Dubia vero sunt quae sequuntur:

I.m *In dioecesi ubi pium Opus Propagationis Fidei existit quidem, annuente Ordinario, sed non rite constitutum habetur, puta quia non constat ex Consilio dioecesano, Chiliarchiis, Centuriis et Decuriis, quaeritur* - 1°) *utrum adscriptus possit frui tum Indulgentiis Plenariis ac Partialibus pio illi Operi concessis, tum (si sit sacerdos) facultatibus et privilegiis presbyteris nonnullis impertitis sive a Summo Pontifice Pio IX, Rescripto 31 Decembris 1871, sive a Leone XIII Rescripto 25 Maii 1881?* - 2°) *Quaenam dicti pii Operis constitutio* (organisation) *ad haec sufficiat?*

II.m *Qualis huic pio Operi adscriptio requiratur, ut quis possit frui tum Indulgentiis, tum facultatibus ac privilegiis concessis?*

III.m *Quinam novos sodales adscribendi facultatem habeant?*

IV.m *Num adscriptus, qui non solet quotidie recitare preces praescriptas, scilicet unum* Pater et Ave *cum invocatione,* S. Francisce Xaveri, ora pro nobis, *aut qui suum obolum hebdomadalem solvere negligit,* - 1°) *frui possit Indulgentiis;* - 2°) *an gaudere saltem facultatibus ac privilegiis nonnullis presbyteris impertitis?*

V.m *Per rescriptum 31 Decembris 1871, quod prorogatum fuit ad aliud septennium tum 26 Junii 1878, tum 7 Junii 1885, quaedam facultates ac privilegia a Summo Pontifice Pio IX nonnullis presbyteris concessa sunt, sed cum expressa clausula* de consensu Ordinariorum; *quaeritur autem* - 1°) *Utrum sine hoc consensu invalide quis illis facultatibus ac privilegiis utereтur? Et quatenus affirmative* - 2°) *Utrum singuli sacerdotes qui illis facultatibus ac privilegiis uti volunt singillatim recurrere debeant ad Ordinarium, ut ipsius consensum obtineant?* - 3°) *An vero Ordinarius omnibus et singulis sacerdotibus suae dioecesis, qui nempe conditiones requisitas adimpleverint, suum consensum in globo dare valeat?* - 4°) *Quin imo, an sustineri possit quod, approbante Ordinario, existentiam pii Operis a Propagatione Fidei in sua dioecesi, eo ipso sat conditioni ejus consensum obtinendi consultum sit?*

VI.m *Quum indultum a Summo Pontifice obtentum ad septennium ante expirationem hujus septennii prorogatur ad aliud septennium, quaeritur utrum prorogatio currere incipiat ab ipso die, quo ea obtinetur, an vero a die quo, expirabit prius indultum?*

VII.m *Per jam memoratum Rescriptum 31 Dec. 1871 sacerdotibus qui in anno solverint summam 260 francorum, aut 2600 fr., sive haec ab ipsis collecta fuerit, sive fuerit concredita ipsorum manibus* (centralisée dans leurs mains) *sive proveniat ab ipsorum liberalitate, concessae sunt variae facultates ac privilegia, pro annis tamen in quibus (durante septennio) reapse illam summam solverint. Quaeritur a quo temporis puncto sacerdos collector facultatibus ac privilegiis uti incipere possit?*

VIII.° *Utrum* - 1°) *Comitatus regionales piorum Operum Propagationis Fidei et Sanctae Infantiae possint se separare a comitatibus centralibus Parisiensi et Lugdunensi et societatem independentem efformare, quae collectas distribuat in propria sua regione, vel etiam in regionibus infidelium omnino iuxta scopum praedictorum Operum, attamen independenter a Societatibus centralibus; et utrum* - 2°) *ex ipso facto separationis amittant privilegia spiritualia his Operibus benigne concessa a S. Sede?*

Emi et Remi Patres in Congregatione Generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 25 Junii 1887 rescripserunt:

Ad 1.am partem dubii I.i: *Affirmative.*

Ad 2.am partem: *Optandum et curandum, ut Operis constitutio fiat juxta normam a S. Sede approbatam; sin minus sufficit, ut saltem Ordinarius cum uno vel altero consiliario pio Operi praesideat.*

Ad II.m *Servetur consuetudo: pro lucrandis vero Indulgentiis fruendisque privilegiis sufficit, ut opera praescripta adimpleantur.*

Ad III.m *Potest novos sodales adscribere quicumque legitimam colligendi eleemosynam habet facultatem.*

Ad 1.am partem dubii IV.i: *Negative.*

Ad 2.am partem: *Affirmative, quatenus illa privilegia ratione piae collectionis eleemosynarum, aut operae praestitae in comitatibus concessa sunt.*

Ad 1.am, 2.am, 3.am partem dubii V.i: *Affirmative.*

Ad 4.am partem: *Negative.*

Ad VI.m *A die dati prorogationis, prouti in resolutione S. Congregationis 20 Maii 1711.*

Ad VII.m *Sacerdos collector jus ad privilegia habet a die, qua vel totam unius anni summam, vel partem summae juxta Operis statuta solverit.*

Ad 1.am partem dubii VIII.[1]: *Non spectare.*

Ad 2.am partem: *Amittere Indulgentias et Privilegia.*

Facta vero de iis omnibus relatione in Audientia habita ab infrascripto Secretario die 16 Julii 1887, Sanctissimus Dominus Noster LEO Papa XIII responsiones Patrum Cardinalium approbavit.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 16 Julii 1887.

Fr. THOMAS M. Card. ZIGLIARA, *Praef.*
ALEXANDER Episcopus Oensis, *Secret.*

—

IV.
DECRETUM

—

SOCIETATIS JESU

De Confraternitatibus.

Tres quaestiones huic S. Congregationi Indulgentiarum et SS. Reliquiarum dirimendas proposuit Procurator Generalis Societatis JESU, quae plura dubia complectuntur. Prima quaestio proposita est de facultate Episcoporum quoad designationem Rectorum Confraternitatum, seu Sodalitatum, quarum statuta generatim ferunt ut singulis annis, sicut ceterorum officialium, ita et Moderatorum fiat electio. Quamvis vero haec S. Congregatio, edito generali decreto sub die 8 Januarii 1865, declaraverit impertitam esse facultatem Ordinariis ut libere designare possent, si ita in Domino expedire judicaverint, parochos *pro tempore* in Rectores, Moderatores Confraternitatum, seu Sodalitatum, dubitatum tamen est a nonnullis, an facultas nominandi parochos *pro tempore* ita sit intelligenda, ut defuncto actuali parocho, vel etiam amoto, qui Moderator erat alicujus Confraternitatis, vel Sodalitatis in sua parochiali Ecclesia erectae, novus parochus iterum indigeat Episcopi nominatione, ut Rector Confraternitatis seu Sodalitatis eligatur.

Altera quaestio respicit generale decretum editum a f. r. Clemente XIII sub die 2 Augusti 1760, quo benigne concesserat, ut confratres et consorores uniuscujusque Confraternitatis, seu Sodalitii aut Congregationis ubique locorum existentis canonice erectae aliqua corporis infirmitate laborantes, aut carceribus detenti, eisdem omnibus et singulis Indulgentiis, quibus ceteri gaudent confratres et consorores, gaudere valerent, dummodo loco visitationis Ecclesiae, fere semper praescriptae, alia pia opera iniuncta peregerint, quae pro viribus peragere possent, simulque indulgebatur hanc gratiam suffragari in perpetuum, et ad preces cujuscumque Sodalitii, Confraternitatis, seu Congregationis concedi. Jam vero quum a S. Congregatione Indulgentiarum quaesitum fuerit anno 1877 « *Utrum confratres et consorores cujuscumque Confraternitatis tunc existentis facultate in Decreto* (Clementino) *concessa gaudere possint et valeant, sine recursu ad S. Sedem, vel ad hoc dictus recursus sit necessarius ex verbis sequentibus* praefati *decreti - voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam... ad preces cujuscumque Sodalitii concedi - ?* », et S. Congregatio respondisset: *Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam, et ad mentem: mens est supplicandum SSmo ut per Decretum Generale extendatur ad omnes confratres cujuscumque Confraternitatis, aut Sodalitii Indultum lucrandi singulas Indulgentias exercendo opera quae pro viribus peragere poterunt;* pariter dubitatum est an illud *Generale Decretum,* quod ab hac S. Congregatione evulgandum postulabatur, et tamen evulgatum non existit, necessario adhuc requiratur, quum aliunde in decreto diei 25 Februarii 1877 expresse dicatur Summum Pontificem expetitam gratiam concessisse, absque ulla mentione generalis decreti evulgandi.

Postrema demum quaestio mota est de necessitate inscribendi nomina confratrum in libro Confraternitatis, seu Sodalitii, praesertim si agatur de Sodalitiis, seu Confraternitatibus, in quibus etsi ritus adhibeatur in receptione confratrum et consororum, earumdem tamen statuta inscriptionem minime requirunt, saltem explicite uti conditionem essentialem pro lucrandis Indulgentiis.

Quare dubia solvenda haec sunt:

I.m *An stante Decreto diei 8 Jan. 1861, quo Episcopis speciales concessae sunt facultates nominandi parochos pro tempore in Rectores sodalitatum, defuncto actuali parocho vel amoto, qui alicui Sodalitati praeerat, novus parochus nova iterum indigeat Episcopi nominatione ad hoc ut Rector Sodalitatis eligatur?*

II.m *Quum in Decreto diei 25 Februarii 1877 in responsione ad 1m sermo sit de Generali Decreto vulgando in favorem omnium confratrum cujuscumque Confraternitatis, quumque Decretum hujusmodi vulgatum non fuerit, quaeritur* - 1°) *an haec concessio nunc reapse valeat pro omnibus Confraternitatibus seu Sodalitiis, aut Congregationibus sine speciali recursu cujusque Confraternitatis seu Sodalitii ad S. Sedem, qui antea requirebatur? Et quatenus affirmative* - 2°) *utrum valeat tantum pro confratribus infirmis, vel carceribus detentis, de quibus solis primaeva concessio Clementis Papae XIII loquebatur?* - *an* 3°) *etiam extensa sit ad confratres gravi alia ex causa legitime impeditos? Et quatenus negative ad tertiam partem* - 4°) *humiliter ea extensio nunc petitur.*

III.m *Utrum* - 1°) *concessio supradicta valeat tantum pro iis confratribus, qui impediti sunt quominus praescriptam ecclesiae visitationem peragere possint* - 2°) *an vero etiam pro illis qui prohibentur quominus aliquam aliam conditionem ad lucrandas Indulgentias praescriptam impleant.*

IV.m *Utrum in iis Sodalitiis, quae solemnem aliquem receptionis ritum adhibent (ut Congregationes B. Mariae Virginis) confratres hoc solemni modo a legitimo Sodalitatis Praeside recepti lucrari possint Indulgentias, licet in libro Sodalitatis non inscribantur?*

V.m *Utrum generatim inscriptio sit omnino necessaria ad lucrandas Indulgentias, etiamsi statuta Confraternitatis, Congregationis vel piae Unionis non explicite requirant inscriptionem tamquam conditionem essentialem?*

Et Emi ac Rmi Patres in Generalibus Comitiis ad Vaticanum coadunatis die 25 Junii 1887 rescripserunt:

Ad I.am *Negative.*

Ad I.am partem dubii II.i: *Affirmative, et supplicandum Sanctissimo pro promulgatione Decreti juxta resolutionem S. Congregationis diei 25 Februarii 1877.*

Ad 2.am partem: *Affirmative.*

Ad 3.am partem: *Negative.*

Ad 4.am partem: *Supplicandum Sanctissimo pro benigna extensione ad alia legitima impedimenta judicio discreti confessarii dignoscenda, commutato tamen ab eodem confessario opere injuncto visitationis ecclesiae in aliud pium opus.*

Ad I.am partem dubii III.i: *Affirmative.*

Ad 2.am partem: *Negative.*

Ad IV.m *Negative si agatur de Confraternitatibus proprie dictis.*

Ad V.m *Provisum in praecedenti.*

De quibus omnibus facta per infrascriptum S. Congregationis Secretarium relatione die 16 Julii 1887, Sanctitas Sua responsiones Emorum Patrum confirmavit, simulque mandavit expediri Decretum de quo in prima parte dubii secundi, et benigne concessit petitam extensionem juxta modum expressum in responsione ad quartam partem ejusdem dubii secundi.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 16 Julii 1887.

Fr. THOMAS M. Card. ZIGLIARA, *Praef.*
ALEXANDER Episc. Oensis, *Secret.*

V.

DECRETUM

PLURIUM DIOECESUM

Dubia varia.

E pluribus Dioecesibus ad hanc S. Congregationem Indulgentiarum et SS. Reliquiarum sequentia dubia dirimenda transmissa sunt:

I.m *Utrum Decretum Alexandri Papae VII diei 6 Februarii 1657, et aliud Decretum S. Congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum diei 23 Februarii 1711 sint authentica?*

II.m *An amittant Indulgentias Cruces, Coronae, Rosaria, Statuae etc. quae ante omnem usum, ab una, deinde in aliam, tertiam et quartam quoque manum transierint?*

III.m *An* 1°) *res Indulgentiis ditatae tradi debeant fidelibus omnino gratis; ita ut* 2°) *si aliquid quocumque titulo sive pretii, sive permutationis, sive muneris, sive eleemosynae requiratur, vel accipiatur, Indulgentiae ex hoc amittantur?*

IV.m *Die 12 Januarii 1878 resolutum fuit a S. Congregatione Indulgentiarum et SS. Reliquiarum quod, nisi aliud expresse habeatur in Indultis, Indulgentiae lucrandae incipiant non a* primis vesperis, *sed* a media nocte ad mediam noctem. *Iam vero quaeritur an hoc ita stricte intelligendum veniat, ut non incipiant nisi* a media ad mediam noctem *etiam illae Indulgentiae lucrandae in festis, si in earum concessionibus non addatur clausula* a primis vesperis?

V.m *Generali Decreto S. Congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum die 9 Augusti 1852 sancitum est, ut fiat translatio Indulgentiarum, si fiat solemnitatis et externae celebrationis translatio. Jam quaeritur - 1°) utrum illud Decretum valeat non solum ubi agitur de Indulgentiis concessis omnibus et singulis Christifidelibus, sed et ubi agitur etiam de Indulgentiis impertitis Confraternitatibus, Sodalitatibus, piis Unionibus etc. - 2°) utrum valeat si agitur de festi translatione perpetua, sive tantum de festi translatione accidentali, quae hoc vel illo anno fit propter occurrentiam alterius festi majoris ritus vel dignitatis - 3°) utrum valeat, sive translatio fiat in tota Ecclesia, sive tantum in tota dioecesi, sive etiam solummodo in una vel altera particulari Ecclesia dioecesis? - 4°) quid proprie intelligatur nomine solemnitatis et externae celebrationis festi?"*

VI.m *Utrum qui habet facultatem benedicendi Cruces, Rosaria etc. eisque applicandi Indulgentias, etiam pro seipso Cruces et Rosaria benedicere queat, hisque utendo sibi quoque Indulgentias lucrari possit?*

VII.m *An is qui habet facultatem adscribendi socios in aliquam Confraternitatem, vel piam Associationem, seipsum illi adscribere valeat, ita ut possit Indulgentias, quae eidem adnexae sunt, lucrari?*

Et Emi ac Rmi Patres rescripserunt in Generalibus Comitiis habitis apud Vaticanum die 25 Junii 1887:

Ad I.m *Affirmative.*

Ad II.m *Negative.*

Ad III.m *Affirmative ad utramque partem.*

Ad IV.m *Standum terminis concessionis.*

Ad V.m *Non indigere responsione.*

Ad VI.m *Affirmative.*

Ad VII.m *Affirmative, quatenus haec facultas habeatur* indiscriminatim, *minime vero* taxative, *ut in una Cameracensi 7 Martii 1840.*

Facta vero de iis omnibus relatione in Audientia habita ab infrascripto Secretario die 16 Julii 1887, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII responsiones Patrum Cardinalium approbavit.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum die 16 Julii 1887.

Fr. Thomas M. Card. Zigliara, *Praef.*

Alexander Episcopus Oensis, *Secret.*

II.

ACTA ORDINIS

—

Fr. Bernardinus a Portu Romatino

strictioris observantiae

SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI

iam s. theologiae lector, venetae provinciae

ex-minister

ex-procurator reformatorum

s. r. c. consultor

totius ordinis minorum minister generalis

et humilis in domino servus.

pro restauratione antiquae provinciae

angliae

sub titulo Immaculatae Conceptionis.

—

DECRETUM

De separatione Conventuum in Regno Unito nunc existentium e Provincia Belgica S. Josephi et de erigenda interim Custodia.

Quibus vicibus Sancta Romana Ecclesia in diversis Orbis terrae partibus subjicitur, iisdem et Regularium Ordinum Familiae subjiciantur necesse est, non modo quia membra sunt ejusdem corporis, sicuti ceteri omnes Fideles, sed praesertim quia Sanctae Sedi Apostolicae immediate subjecti eique intimius ac firmius adhaerentes, eodem cum Ecclesia Romana vel amore vel odio copulantur: quod quidem semper contigisse ex historia ecclesiastica certissime constat; scilicet, ubi et quando catholica fides floruit et unitas cum Sancta Romana Ecclesia fideliter servata est, etiam Regulares Ordines in honore habitos fuisse; ubi vero et quando populi a fide et unitate defecerunt, etiam Regulares Ordines in signum contradictionis et persecutionis evasisse. Id quoque in Anglia Ordini nostro contigit: a primo enim ingressu Fratrum Minorum in Regnum, quod tunc catholicam fidem et unitatem tenebat, Ordo noster magno in honore habitus est, dum per clarissimos suos Asseclas Angelum de Pisis, Adamum de Marisco, Rogerium Baconem et Joannem Duns Scotum sanctitatis et scientiae radios emisit: at vero sub impio Rege Henrico octavo iniquae et crudeli persecutioni obnoxius cum ceteris factus, ad destru-

ctionem usque aboleri visus est, nisi vitam ejus martyrum suorum triumphales turmae praedicassent. Deinde sub Maria Regina iterum apparuit, rursus sub Elisabeth exturbandus et dispergendus, donec, saeculo demum decimo septimo, cura potissimum R. P. Joannis Gennings, media tamen inter pericula et infinitis adhibitis cautelis, Provincia Anglica ad instar Missionis restaurata est, et Recollectis Provinciis adscripta: quae nihilominus temporum injuria et ob multiplices difficultates paulatim diminuta, quinquaginta circiter abhinc annis legali existentia frui desiit.

Attamen in *Insula Sanctorum*, tot Martyrum nostrorum sanguine irrigata, Ordinem nostrum penitus extingui divina clementia non permisit; nam anno hujus saeculi quadragesimo nono, Rmo Dno Thomae Josepho Gulielmo Hendren, extinctae provinciae Anglicae filio, et tunc temporis Episcopo titulari Uranopolitano atque Districtus Occidentalis Angliae Vicario Apostolico, consilium suggessit ut Superiores Recollectae Provinciae S. Josephi Belgii ad instaurandam Angliae Provinciam invitaret. Cui invitationi Ministri Provinciales Belgii libente animo obsecundantes, nulli curae pepercerunt ut, potestate eis facta a Rmo Patre Ministro Generali Ordinis et a Sacra Congregatione de Propaganda fide, conventus pedetentim in Regno unito fundarent, novitios ex eodem Regno reciperent et alerent, ad religiosam disciplinam informarent, optimis studiis instruerent, et illuc deinde ad sacerdotium promotos remitterent, ad vineam Domini una cum Patribus Belgicis colendam, nulla omnino differentia unquam facta inter Anglos et Belgas, eadem charitate utrosque amplectentes tanquam uno sinu omnes progenitos. Et quia jam ab initio propositum illorum semper fuit instaurandi antiquam Angliae Provinciam, idcirco ut facilius viam pararent, postquam seraphicum puerorum Collegium in Anglia aperuerant, etiam Novitiatum et studia pro Anglis ante tres annos in Capitulo Provinciali in Regno unito ponere statuerunt: quod et factum est.

Nunc igitur quum opportunum tempus advenisse censeremus separandi Conventus modo in Regno Unito existentes e Provincia Belgica et Custodiam Angliae erigendi, idcirco Provinciali Capitulo nuper celebrato personaliter nos Ipsi praesidere voluimus, ut hoc negotium propius considerare et definire valeremus. Ac primum Visitatorem Conventuum Angliae deputavimus et misimus Adm. R. P. Raphaelem ab Aurilaco, Generalem nostri Ordinis Definitorem, omni fiducia dignissimum, cui commisimus ut omnes Patres in Regno Unito actu existentes interrogaret de opportunitate erigendi Custodiam separatam a Provincia Belgica, de persona Patris in primum Custodem eligendi, et num Patres Belgae qui in Conventibus Regni Uniti actu degunt, optare velint pro nova Custodia vel pro matre Provinvincia. Quae cum ille Nobis retulisset, hanc quaestionem de separatione Conventuum Regni Uniti a Provincia Belgii et novae Custodiae erectione omnibus Patribus in Capitulo Provinciali congregatis proposuimus, iisque sincero charitatis affectu assentientibus, statutum est separationem fieri et novam Custodiam erigi debere, quin quidquam alterutra pars repetere velit.

Nos itaque, gratiae omnipotentis Dei et Domini Nostri Jesu Christi confisi, hoc festo die memoriae Assumptionis Beatae Mariae Virginis sacro, hoc anno in quo a Sancta Sede Apostolica inter Beatos Martyres cum Christo Regnantes adscriptus est Venerabilis Confrater olim noster Joannes Forest, ultimus primaevae Provinciae Angliae Minister, auctoritate S. P. N. Francisci et Nostra, praesentis Decreti vigore, denuo statuimus et pronuntiamus separationem Conventuum qui hucusque in Regno Unito erecti fuerunt sub jurisdictione Patris Ministri Recollectae Provinciae S. Josephi Belgii a Provincia Belgica, et novam Angliae Custodiam Minorum Recollectorum sub titulo Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis erigimus, atque erectam et constitutam declaramus, cum omnibus juribus et privilegiis quae hujuscemodi Custodiis juxta Pontificias et nostri Ordinis leges competunt. Ipsa vero Custodia, quae coalescit ex Conventibus Killarniensi, Mancuniensi, Glasguano, Stratfordiensi et Uptonensi, Custodem suum habebit cum tribus Discretis, Collegium Seraphicum, Novitiatum tam pro Clericis quam pro Tertiariis et Laicis, Studia, et Missiones ad instar Parochiarum. Patribus autem natione Belgicis, qui ex affectu erga Anglos et longa consuetu-

dine optarunt pro Custodia, trium annorum spatium relinquimus ad definitivam deliberationem, ita ut illorum optio nonnisi in proximo futuro Capitulo Provinciali definitiva habenda sit. Ceterum nullatenus dubitamus quin novae Custodiae Patres memores semper futuri sint matris Provinciae Belgii, e qua ipsum existentiae beneficium et permulta alia acceperunt: pro certo autem tenemus Provinciam Belgii semper paratam fore antiquis filiis, si quando auxilio ejus indigeant, maternis visceribus subvenire.

Ad electionem vero R. P. Custodis et Discretorum quod attinet, inhaerendo votis consultivis Patrum Angliae a praelaudato P. Visitatore Commissario Nostro collectis, implorato Spiritus Sancti auxilio, auctoritate Nostra pro hac prima vice eligimus in Custodem Gubernii novae hujus Custodiae

R. Patrem David Fleming

et in Discretos RR. PP.

Polycarpum Vervoort,
Franciscum Verhagen,
Aidanum Mac Carthy;

quibus ante omnia et summopere commendamus et inculcamus, ut omni opera satagant et nitantur Sanctae Regulae et regularis Disciplinae observantiam firmiter stabilire: fundamentum enim aliud nemo potest ponere quam quod a Dno N. Jesu Christo et a Seraphico P. N. Francisco et a Majoribus Nostris, qui sanctitate et scientia excelluerunt, positum est.

Datum e Conventu Capitulari Trudonensi die 15 Augusti anni 1887.

Fr. Bernardinus, Min. Glis.

L ✠ S

De mandato Pat. Suae Rmae
Fr. Raphael ab Aurilaco
Def. Glis et Pro-Secrius.

AD FRATRES NOSTROS

Incitamenta Seraphica.

DE DISCIPLINA REGULARI RESTITUENDA

CAPUT III.

De studio et labore.

§ 2. *De necessitate studii.*

15. Intra Ordinem Franciscanum, sicut inter alios et intra ipsam Ecclesiam, non defuerunt, qui damnabant studium et scientiam. Nam omni tempore « crassam rusticitatem « nonnulli solam pro sanctitate habent, pisca« torum se discipulos asserentes, quasi idcirco « sancti sint, si nihil scierint (1) ». Initio magnae reformationis Observantium plures paupertatis humilitatisque zelo scientiam persequentes, afferebant S. Franciscum dicentem: « Fratres, qui scientiae curiositate ducuntur, « in die tribulationis inveniunt manus suas « vacuas. Ideo vellem eos magis roborari vir« tutibus... Nolo fratres meos cupidos esse « scientiae et librorum... Multi Fratres, occa« sione aedificandi alios, dimittent vocationem « suam, videlicet sanctam humilitatem, puram « simplicitatem, orationem et devotionem, at« que dominam nostram paupertatem. Et con« tinget illis, ut unde putabant magis imbui « seu impleri devotione et accendi amore « et illuminari Dei cognitione propter intelle« ctum Scripturae, inde occasionaliter rema« nebunt intus frigidi et vacui, et sic ad pri« stinam vocationem redire non poterunt, quia « tempus vivendi secundum vocationem suam « in vano et falso studio amiserunt (2) ». Rursus in alio loco seraphicus Pater aiebat: « In « libris Fratres quaerere debent testimonium « Domini, non pretium, aut pulchritudinem. « Paucos enim habere debent, hosque in com« muni, et ad Fratrum indigentium necessi« tatem paratos... In libro crucis lege: mun« danae et curiosae scientiae ne vacaveris; « beatus erit, qui ab hac se abstinuerit pro« pter Deum (3) ».

16. Excessus in omni re vitandus est, sed nullus excessus pejor, quam rem in se bonam necessariamque, et ab experientia, sicut et a Sanctis et a Pontificibus probatam rejicere. Sane scientia « bona est, in se considerata, et « a Deo ordinata (4) ». Experientia satis superque comprobatur, ignorantiam non utilem, sed valde nocivam esse regulari disciplinae. Nam tria sunt, ait Thomas a Kempis (5), « omni Religioso necessaria, sine quibus non « potest diu stare in bona vita. Haec sunt *ora-*

(1) S. Hieronym., epist. ad Marcellam 102.
(2) Opusc., tom. III. colloq. 15.
(3) Opusc., orat. 28 et apophtheg. 32.
(4) Imitat. Christi, lib. I. cap. 3. n. 4.
(5) De discipl. claustr., lib. V.

« *tio, lectio et operatio* ». Lectio sive studium scientiae non potest tolli, quin alia duo periclitentur, quemadmodum Mabillon egregie demonstravit, scribens (1): « Quomodo fieri « potest, ut diu quis maneat in cella reclusus « vitamque solitariam penitus degat necnon « silentium servet absque ullo studiorum sub- « sidio? Orationi vel contemplationi jugiter « vacare specialissimum Dei munus est, quod « proinde non omnibus conceditur. Quinimo « oratio ipsa aut contemplatio piis identidem « cogitationibus, poscit enutriri, devotisque af- « fectionibus, quas lectio parit, indiget su- « stentari. Sunt enim haec, inquit Tertullia- « nus, fomenta fidei de Scripturarum interle- « ctione. Hoc sublato adminiculo, orationem « arescere, languere ac taedere, silentium ac « solitudinem pene intolerabilia reddi contin- « git; et hinc postmodum fit, ut ea plerum- « que a Monacho quaerantur exterius oblecta- « menta, quae vel ex vanis occupationibus, « vel ex materialibus obiectis hauriuntur, cum « spiritualibus intus privetur, quae Deus iis « tantum elargitur, qui ad se ipsum in cunctis « operibus unice intuentur. Ubi primum in « Coenobiis studia elanguerunt, omnis quoque « disciplinae regularis honestas ad nihilum re- « dacta est, rerumque temporalium cura illico « subsecuta, cum mundo et vanitatibus ejus « initum est stricto foedere consortium, ex « quo subinde prodiit totius monasticae per- « fectionis desolatio ».

17. S. P. N. Franciscus, sanctitatis amator eximius, scientiam veram rectamque tanti faciebat, quod in suo Testamento dixerit: « Omnes theologos, et qui ministrant nobis « sanctissima verba divina, debemus honorare « et venerari, sicut qui ministrant nobis spi- « ritum et vitam ». In Regula sua non vetat studium litteratis, sed illitteratis et laicis. « Vult enim, ait S. Bonaventura (2), juxta « Apostolum, quod unusquisque in vocatione, « qua vocatus est, permaneat, ut ad clerica- « tum de laicatu nullus ascendat, nec vult « quod clerici fiant laici, studium recusando: « alioquin ipse transgressor fuisset, qui cum « paucas litteras sciret, postmodum in litteris « profecit in Ordine, non solum orando, sed « etiam legendo. Unde ut scias, quantum sibi « placuerit studium sacrae Scripturae, audivi « ego a Fratre, qui vidit, quod cum novum « Testamentum venisset ad manus suas, et « plures Fratres non possent simul habere, « dividebat per folia et singulis communica- « bat, ut omnes studerent, nec unus alterum « impediret ». Idem Seraphicus Doctor docebat (1), « quod scientia non solum utilis est « ad aliorum eruditionem, sed etiam ad pro- « priam instructionem, ut Dei servus sciat « seipsum bene regere et virtutes a virtutibus « discernere, et notitiam Dei et futurorum « praemiorum clarius intelligere et in omni- « bus cautius et fructuosius conversari ».

18. Hinc, uti legimus (2), B. Franciscus a Fabriano, homo doctissimus et magnus praedicator, ultra pietatem et orationem adhibuit etiam litterarum humanarum et divinarum studium ad mysteria enodanda, ad res docte et fundate explicandas. Neque exiguus ei librorum cumulus, quippe inter monumenta, quae morienti supererant, et apud Minores Fabrianenses servantur, habetur etiam indiculus librorum, quos emi fecit pecunia, a patre suo ultimis tabulis in hunc finem legata. Graviores quoque habuit ex sanctis Patribus, primos et notiores omnes theologiae magistros, expositores utriusque Testamenti, philosophos plures et mathematicos, et sui saeculi optimos concionatores.

19. S. Ioannes a Capistrano, ad instar SS. Antonii Patavini et Bonaventurae maxime promovit intra Ordinem studium scientiae divinae. De ipso P. Lucas Waddingus scribit (3): « In commentariis, quos diximus in Regulam « scripsisse, valide commendaverat studium « sacrarum litterarum, praeceperatque, ut in « omnibus Provinciis Vicarii domos aliquot « doctrinae capessendae deputarent. Fuerunt « qui se huic constituto opponerent, dicentes « insulse, scientiam virtuti esse contrariam, « neque facile Religionem in sua humilitate « et reformationis puritate posse conservari, « ubi tumescentes Magistri inflatos adolescen- « tes vana imbuerint doctrina. At Capistranus « spiritum secutus optimi sui praeceptoris Ber-

(1) De studiis monasticis, part. I. cap. 8.
(2) Epist. ad magistr. innom.

(1) Determ. quaest. circa Reg. qu. 3.
(2) Annal. Ord., ad ann. 1267, n. 6.
(3) Ibid. ad ann. 1441, n. 54.

« nardini, supinam ignorantiam a Fratrum « coetu studebat arcere ».

20. Haec narrans, P. Waddingus addit (1): « Novi etiam nunc esse hujusmodi scientiae « adversarios et studiorum liberalium in Re« ligionibus, strictioris praesertim disciplinae « contradictores. Novi etiam Apostolum di« cere: *Si quis ignorat, ignorabitur,* et Spiri« tum Sanctum protestari, *qui evitat discere,* « *incidet in mala;* atque alibi inclamare: *Us*« *quequo imprudentes odibunt scientiam?* Nonne « pessimae matris ignorantiae, ait Augustinus, « pessimae itidem duae filiae sunt, scilicet « falsitas et dubietas; illa miserior, ista mise« rabilior; illa perniciosior, ista molestior. « Sive ergo suo soli quis studeat profectui, « sive aliorum adlaboret saluti, periculosa res « est inscitia, etiamsi in abditissimos abscedat « recessus, et supremi Numinis venerationi « virtutibusque assequendis dumtaxat intendat. « Oportet, ex Chrysostomo, ut praecedat « scientia virtutis cultum: quia nemo potest « fideliter appetere quod ignorat, et malum, « nisi cognitum sit, non timetur ».

21. Romani Pontifices Fratribus Minoribus jugiter commendarunt studium sacrae scientiae. Olim Martinus V edidit Decretum, quo corrigendi sunt illi Superiores, qui materialibus tantum intenti, multas pecunias contra Regulam impendunt ad destruendum, construendum, immutandum; dum sub praetextu paupertatis libros necessarios procurare nolunt.

22. Pius PP. IX. in litteris encyclicis (2) sic alloquitur Superiores Regularium: « Quo« niam praecipua et illustris Regularium Or« dinum laus semper fuit litterarum studia « excolere, ac tot eruditis, doctis laboriosisque « operibus humanarum divinarumque rerum « scientiam illustrare, idcirco vos summopere « excitamus, monemus, ut juxta vestri Ordi« nis leges maxima cura et solertia rectam stu« diorum rationem promovere et omnia co« nari velitis, ut religiosi vestri alumni in « humaniores litteras, ac severiores discipli« nas praesertim sacras addiscendas constan« ter incumbant, quo ipsi optimis sanisque do« ctrinis apprime exculti, et proprii muneris « partes, et sacra ministeria religiose sapien« terque obire valeant ».

(1) Ibid. n. 55.

(2) *Ubi primum,* 17 Junii 1847.

23. Hisce Summorum Pontificum votis et mandatis Ordinis nostri Praelati omni tempore obtemperare studuerunt, prout patet ex ordinationibus ab ipsis in Capitulis generalibus ac provincialibus factis necnon in litteris suis encyclicis semper inculcatis de studiis sedulo promovendis ac debite ordinandis. Innumeri etiam in Ordine nostro exstiterunt scriptores, qui doctis elucubrationibus disciplinas tum humanas tum sacras pertractarunt et illustrarunt, quique fere omnes non minus vitae exemplo et observantia regulari, quam scientia emicuerunt, ex quo potest intelligi, studia litterarum cum disciplina seraphica arctissimo nexu coniungi, atque illius esse quoad clericos necessariam conditionem.

24. Hisce non obstantibus, omni tempore non defuerunt scientiae adversarii et studiorum liberalium contradictores, qui juxta P. Sanctorum in tres classes dividi possunt. Alii enim sunt ignorantes, alii falsi devoti sive spirituales delusi, alii malevoli. Hi ultimi scientiae adversantur, non quia eam inutilem aut periculosam judicant, sed ut propriam suam negligentiam atque pigritiam excusent. Indocti autem studiis se opponunt, vel quia scientiae utilitatem et necessitatem ignorant, vel ut propriam suam ignorantiam tegant. « Imperiti « enim, ait S. Gregorius Nazianzenus (1), omnes « sui similes esse cupiunt, ut privata eorum « inscitia sub communi deliteat, nec quisquam « ipsorum imperitiam prodat et coarguat ». Tandem spirituales decepti insulse scientiae adversantur, putantes eam virtuti esse contrariam neque facile cum ea Ordinem in sua humilitate et puritate posse conservari. Quantum autem in eo errent, ex supra dictis satis constat.

25. Haec omnes Patres nostri saepius et serio recogitent, et ad diligens studium se excitent, ut Ecclesiae et Ordinis votis atque mandatis fideliter obsequentes quotidie in scientia proficiant et hac ratione aptos se reddant, quatenus ad majorem Dei gloriam, ad Ecclesiae et Ordinis decorem, atque ad animarum salutem cum fructu laborare valeant. Memi-

(1) In funere S. Basilii, orat. 20.

nerint, se ad hoc praestandum a Divina providentia ad statum religiosum et ad sacerdotii dignitatem vocatos esse. Si ergo studium negligere et pretiosum tempus suum inutilibus et vanis occupationibus terere vellent, vocationi suae omnino deessent, conscientiam suam gravarent, et pias benefactorum intentiones, qui intuitu servitii a nobis praestandi eleemosynis suis nos sustentant, frustrarent atque omnibus jure contemptibiles se redderent.

26. Haec attendant praesertim illi, qui, licet sint sani, praeter SS. Missae celebrationem ac Divini officii recitationem vix alium laborem serium peragunt, sed potius inutilibus discursibus, deambulationibus et oblectamentis, vel lectione ephemeridum aut librorum spiritum mundanum spirantium, more multorum saecularium, tempus sibi creditum infeliciter insumunt et perdunt. Quomodo hujusmodi in die judicii de sua negligentia et desidia coram severo Judice rationem reddere poterunt? Deus in sua bonitate tradidit ipsis ingenium necessarium, forsitan etiam quinque talenta, ut negotiarentur et lucrum facerent pro ipso Deo, pro Ecclesia, pro Ordine, pro semetipsis atque pro animabus pretioso Christi Sanguine redemptis: illi vero talenta ipsis credita abscondunt, eis non utuntur, ac propterea debitos fructus ex eis non faciunt. Qui autem hoc modo agit, jure merito timere debet, ne et ipsi in novissimis constituto terribile illud verbum dicatur (1): « Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus et stridor dentium ».

27. Tot parvuli petunt panem, et saepissime desunt qui frangant ipsis: non quia desunt Sacerdotes, sed quia desunt tales Sacerdotes, qui ex amore Dei et animarum laborare et se fatigare volunt, et qui ad hoc praestandum per conveniens studium aptos et capaces se reddiderunt.

28. Quot animae, quae Christi Sanguine sunt redemptae, adhuc in tenebris et umbra mortis sedent, quae unum Deum et quem misit Filium ejus Unigenitum, ignorant ac salvifica Fide nostra adhuc remanent privatae! In solo Imperio Sinensi plus quam 350000000 animae habentur, quibus Veritatis lumen nondum lucet, quia Missionarii numero sufficientes desunt, qui infelices illos populos ad ovile Christi adducere possent. Utique, *messis multa, operarii autem pauci!* Bonum immensum effici posset per conversionem istorum et aliarum regionum infidelium. Utinam multi Sacerdotes infidelibus istis succurrere et pro eorum salute aeterna laborare vellent! Absque dubio optimum praemium et pulcherrimam coronam per hoc pro altera vita sibi mererentur.

29. Praelati Generales nostri toties jam litteras encyclicas ad Provincias nostras miserunt, quibus magnam penuriam operariorum, qua nostrae Missiones laborant, exposuerunt et filios suos exhortati sunt, ut plures eorum vitae Apostolicae sese consecrare vellent. Nullo etiam tempore defuerunt, qui votis Ministri Generalis annuerent; verumtamen praefata penuria non solum nondum cessavit, sed potius magis magisque in dies crescit. Missionarii enim, qui jam diu in vinea Domini sudarunt, vel moriuntur, vel laboribus continuis fracti auxilio summopere indigent. Summopere ergo necessarium est, ut Missionibus nostris de majori numero operariorum provideatur; secus enim Ordo noster cum magno suo dedecore plures Missiones relinquere, easque aliis Sacerdotibus administrandas cedere deberet. Nonne haec sunt incitamenta, quae ad diligens studium vehementer nos stimulare debent?

30. Tempore novissimae suppressionis Religiosorum non pauci Patres, spiritu sui Fundatoris repleti, ad Missiones nostras se contulerunt, ut ibi pro bono Ordinis et animarum laborarent. Hi absque dubio specialem S. P. N. Francisci benedictionem et Ordinis gratitudinem sibi meruerunt. Multi vero plures ad Missiones ire potuissent, si voluissent. Si hoc fecissent, spiritum religiosum melius sibi conservassent et laudem coram Deo et coram hominibus meruissent. Utinam saltem nunc quidam eorum hoc cognoscere et adhuc facere vellent, quod hucusque neglexerunt! Serio perpendant, quod illi, qui undecima hora in vinea Domini laborare incipiunt, mercedem suam habebunt, sicut illi, qui onus diei portarunt et aestus.

(Continuabitur).

(1) Matth. XXV, 30.

REGULAE FRANCISCALES

(Continuatio).

IV.

CONSTITUTIONES S. COLETAE (1).

FRATER GULIELMUS DE CASALI, *Ordinis FF. Minorum Generalis Minister et servus, ac S. Theologiae Magister, religiosae in* CHRISTO *Sorori* COLETAE *fundatrici Monasteriorum quamplurium pauperum Dominarum sanctae Clarae et Minorissarum, moderni temporis in Galliarum partibus constructorum, et sub eodem modo ac forma construendorum, Abbatissis quoque, Sororibus et universis eorumdem praesentibus et futuris salutem in Sponso virginum* JESU CHRISTO.

Quantum admirandae Virginis Clarae celebratissima merita, sub paupertatis et sanctimoniae duce Francisco, profecerunt, quamque reluceant in Ecclesia sancta DEI et sponsi virginum, JESU CHRISTI, perpetuis ac immortalibus perstringantur complexibus, quae non solum sedibus beatorum agminum, et coelestium praemiorum, quibus inter prudentissimas virgines singulari diademate coronata refulget, sed et frequentibus fidelium laudibus, et copiosa virginum ac viduarum multitudine in odorem suae sanctitatis, ex mundi hujus naufragiis ad portum salutiferae religionis currentium, praesentibus etiam temporibus jucundissime declaratur. Ex quibus tanto ampliores gratiae sunt Altissimo referendae, quanto cum natura sit ad lapsum proclivior, sed divinis tamen auspiciis atque fomentis, plantulae ex ea professione videntur exurgere, non a primis Francisci institutis, et Clarae semitis abhorrentes, sed tanto fervore ad Regulam et vitae formam ab ipso gloriosissimo Confessore Francisco traditam, et a sanctissima virginum matre Clara mirabiliter observatam, opportunis declarationibus et constitutionum praesidiis cupientes muniri, ut vere tantae Matris imitatrices haberi possint, et suorum meritorum participes inveniri. Inter quas, cum te videam Religiosam in CHRISTO filiam, Sororem Coletam praefatam, omnium praesentium, praesertim in Galliarum partibus religiosarum ejusdem professionis filiarum, praecipuam esse matrem, et ad infrascripta tam declarationum quam constitutionum remedia, supplicem tuarum in CHRISTO filiarum esse patronam, tuis et earum humilibus precibus provocatus, Abbatissis et Sororibus Monasteriorum per tua apud DEUM merita, sub regula et professione praefatis fundata, atque eodem modo et forma fundanda, universis et singulis infrascriptas declarationes et statuta, matura deliberatione confecta, transmittimus, tam auctoritate nostri officii, quam Apostolica, qua fungimur in hac parte, in perpetuum observanda. Quae ideo majori a vobis debent devotione teneri, quo Reverendissimis in CHRISTO Patribus; Dominis Cardinalibus sanctae Crucis, et sancti Angeli, Apostolicae Sedis Legatis, in sacro Concilio nunc actualiter praesidentibus, et a pluribus sacrae Theologiae Doctoribus, venerandisque Patribus, vita ac scientia laudatissimis, diligenter visa et accurate probata fuerunt, sicut immediate sequuntur.

CAPITULUM I.

DE OBSERVANTIA EVANGELII ET REGULAE.

Imprimis quidem dubitare possent tuae filiae, et in CHRISTO Sorores, an ipsae ad observationem totius sancti Evangelii, tamquam sub praecepto, ex promissione formae vitae suae obligentur, ea propter, quia in principio ejusdem formae vitae continentur haec verba: *Forma vitae Ordinis Sororum Pauperum, quam beatus Franciscus instituit, haec est, scilicet: Domini nostri* JESU CHRISTI *sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate* (1). Tum etiam quia ibidem subsequitur: SPIRITUI SANCTO *vos desponsastis, eligendo vivere secundum perfectionem sancti Evangelii* (2). Tum etiam ex eo quod in fine ipsius

(1) Ex Annal. Min. Waddingi, anno 1435, qui sequentia verba textui praemittit: « Sanctissima virgo Coleta hoc tempore strenue laborabat in reformanda religione S. Clarae, aedificandisque ubique, praesertim in Gallia multis monasteriis. His bene regendis regulas scripsit, aliaque dubia voluit a Ministro Generali explicari et Constitutiones aliquas adhiberi, quas sub finem praecedentis et hoc anno, (1435) ita conceptas, promulgavit, prius tamen discussas et approbatas a Nicolao sanctae Crucis; et Juliano sancti Angeli Cardinalibus, aliisque Patribus in Concilio Basileensi, dum adhuc Eugenio obtemperaret ».

(1) Reg. cap. I.
(2) Reg. cap. VI.

formae vitae continetur in hunc modum: *Paupertatem et humilitatem Domini* Jesu Christi, *et ejus sanctissimae Matris, et sanctum Evangelium, quod firmiter promisimus, observemus* (1). Cupientes igitur nos conscientiis ipsarum providere Sororum, et cuncta dubia, quantum possibile nobis est, de ipsarum pectoribus removere, ad praedictam dubitationem conformiter respondemus, sicut plures Summi Pontifices in consimili dubitatione facta, in declaratione Regulae Fratrum Minorum responderunt, videlicet, quod Sorores secundum professionem formae istius vitae tenentur ad observantiam totius sancti Evangelii eo modo quo reperitur traditum a Christo, scilicet ad illa quae in eodem sancto Evangelio praecepit, ut ad praecepta, ad ea quae consuluit, ut ad consilia, et etiam ad alia consilia evangelica, quae in regula ista ponuntur sub verbo praecepti affirmativi, vel negativi, vel sub verbis aequipollentibus, tanquam ad praecepta obligantia. Ad alia vero consilia sancti Evangelii, secundum exigentiam professionis ipsarum, magis obligantur, quam ceteri Christiani, cum se obtulerint per statum perfectionis holocaustum ipsi Domino Jesu Christo, ob ipsius amorem sua sacra vestigia imitando per contemptum omnium mundanorum: ad alia autem, quae in forma vitae continentur, tam praecepta, quam consilia, quam cetera, ex voto promissionis ipsarum non aliter tenentur, quam in ipsa contineantur, videlicet ad admonitiones ut ad admonitiones, ad exhortationes ut ad exhortationes, ad informationes ut ad informationes, et ad alia, sub quacumque forma verborum contineantur, eodem modo, sicut in eadem forma vitae continetur.

CAPITULUM II.

DE INGRESSU RELIGIONIS.

Cum in principio primi (2) capituli formae vitae contineatur, quod *Abbatissa de consensu majoris partis Sororum, habita licentia Domini Cardinalis Protectoris Ordinis, possit aliquam in Sororem recipere* (3). Nos tamen considerantes statum ipsius Ordinis praeteritum in sua novitate, satis prope Curiam Romanam et dictum Dominum Cardinalem Protectorem fundatum, et modernum valde remotum a dicta Curia, reparatum seu reformatum, ac paupertatem dicti status, et difficultatem recurrendi ad ipsam Curiam, seu dictum Cardinalem, pro hujusmodi licentia habenda, necnon et regimen praefati status a Domino Innocentio Papa IV et a pluribus aliis summis Pontificibus Generali Ministro et Provincialibus Ministris Ordinis Fratrum Minorum plenarie commissum, declaramus et dicimus, quod praedictus Generalis Minister in toto Ordine, et Ministri Provinciales in suis Provinciis, vel eorum Commissarii conferre habeant licentiam Abbatissae, quod mulieres fugientes e saeculo, idoneas tamen secundum tenorem formae vitae, in Sorores valeant recipere.

Item statuimus secundum ordinationem Domini Innocentii PP. IV, quod omnibus hanc Religionem sumere volentibus, et quae admittendae fuerint, priusquam habitum mutent, et Religionem assumant, eis aspera praedicentur, per quae itur ad Deum, et quae secundum hanc Religionem necesse habuerint firmiter observare, ne de ignorantia se postea excusent. Non recipiatur aliqua, quae vel longiori aetate, vel infirmitate aliqua, seu fatua simplicitate ad hujusmodi vitae observantiam minus sufficiens et idonea comprobetur; per tales enim status et vigor Religionis saepe dissolvitur et turbatur.

Item volumus et ordinamus, quod in personis recipiendis ad Ordinem, Sorores hunc modum teneant, videlicet quod quando aliqua fuerit recipienda, mittatur primo ad aliquos Deum timentes, pauperum amatores, alterius status, quam ipsarum, ut eorum consilio bona sua pauperibus erogentur. Et caveant Abbatissae omnesque Sorores aliae, ne per se, vel alios aliquid de bonis intrantium quovis modo recipiant, nisi forte ita modicum, ut illi, qui habent judicare de his, quae foris sunt, non possint oculum sinistrum declinare contra ipsas; nisi etiam donans vellet eis, sicut et ceteris pauperibus aliquid tribuere, ad earum ingruentes necessitates sublevandas seu supportandas, prout de sua processerunt voluntate, cum forma vitae velit intrantem liberam esse, et de rebus suis facere quidquid Dominus inspiraverit ei.

(1) Reg. cap. XII.
(2) Forsan ex menda typographica dictum est *primi* loco *secundi*.
(3) Reg. cap. II.

Caveant etiam Abbatissae, et Sorores aliae, ne propter receptionem alicujus faciant, vel facere fieri quovis modo permittant per se, vel per alium pro se, vel pro alia, seu pro aliis aliquam pactionem, ne qua aliqua species simoniae possit notari. Nec permittant intrantem aliquid sibi in saeculo reservare, sed eam totam a terrenis denudatam offerant in manibus Crucifixi, nisi forte talis casus eveniret, quod nullo modo propter periculum animae suae protinus se denudare possit, et ad ea, quae sic reliquit nullo modo redire intendat, dum tamen bona sua, bono et certo modo personis Deum timentibus, prout melius potuerit, commiserit pauperibus eroganda. Ut etiam regularius in hujusmodi receptionibus dictae Sorores in futurum procedant, ordinamus, quod nulla ad formam vitae ipsarum recipiatur, nisi liquide cernatur quod ipsa principaliter propter amorem Dei, et propter salutem animae suae ad Ordinem venerit. Et hoc non solum propter primos motus agitata, nec vi, nec metu aliquorum incitata, sed sponte et libere, prout a S. Spiritu fuerit admonita. Quapropter videant sollicite, quod nulla recipiatur ad Ordinem, nisi sit omnino prompta, fidelis, et catholica, nulla vulgari infamia maculata, corpore et mente sana, de nullo errore suspecta, debitis expedita, nullis sententiis excommunicationis, vel interdicti ligata: Et si contigerit quod talis esset hujusmodi sententiis excommunicationis vel interdicti innodata, absolvatur ante receptionem, modo debito, per privilegia Ordini beati Francisci super hoc indulta, ita tamen, ut sibi publice intimetur quod si contingeret eam reverti ad saeculum, quod in hujusmodi pristinas sententias relaberetur, ut prius erat astricta. Sit etiam conditione libera, vel de licentia speciali sui domini, vel dominae, aetatem habens XII annorum antequam habitu Ordinis induatur, nec aliqua profiteatur ante XVIII annum, quia commode non posset portare onera Religionis ipsarum.

Ordinamus etiam quod nulla recipiatur pro Clerica post XXV annum, nisi foret ita competenter litterata, quod sine grandi labore sui, et aliorum posset addiscere divinum officium. Nec aliqua primo profiteatur, nisi sciat dicere divinum officium per seipsam, vel saltem competenter cum aliis in communi. Item nulla post XIII aetatis suae annum, quovis modo ad Ordinem ipsarum recipiatur, cujus vita et honestas plene nota seu examinata non fuerit vel infra clausuram admittatur. Nec recipiatur etiam aliqua post quadragesimum annum, nisi foret multum insignis, de cujus receptione fieret magna aedificatio in populo et Clero, vel ita ingeniosa, et fortis, quod posset Deo et Ordini servire secundum statum formae suae. Praeterea nulla professa alterius Religionis ad formam vitae ipsarum recipiatur sine licentia suae Abbatissae, vel nisi super hoc a Sede Apostolica esset privilegiata.

Insuper ordinamus, quod si professio alicujus Novitiae esset dubia, quod fiat ei ante annum ultimum suae professionis juridica protestatio, quod nullum jus habebit in Ordine, donec quid agendum sit, cum matura deliberatione super suam professionem, seu reditum ad saeculum, fuerit determinatum.

Praeterea volumus quod receptio Novitiarum et Professarum fiat in Capitulo coram omnibus Sororibus ad hoc specialiter convocatis. Quando autem aliqua accipitur ad professionem, dicat coram Abbatissa genibus flexis, junctis manibus, et positis inter manus Abbatissae, distincta et clara voce, suum proprium nomen exprimendo, in hunc modum: *« Ego Soror N. voveo et promitto* Deo, *et beatae Virgini, et beato Francisco, et beatae Clarae et omnibus Sanctis, et tibi Matri, toto tempore vitae meae servare formam vitae Sororum pauperum sanctae Clarae, per eundem beatum Franciscum eidem sanctae Clarae traditam, et per Dominum Innocentium PP. IV confirmatam, vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate »*. Et tunc Abbatissa, quae eam recipiet, si hoc observaverit, promittat ei vitam aeternam.

Rursus ordinamus, quod quandocumque contingat aliquam in Sororem recipi, omnes capilli capitis sui tondeantur in rotondum supra aures. Nec postea unquam capillos magnos quovis modo nutriant, sed omni anno certis vicibus, juxta ordinationem Abbatissae omnes tondeantur, ut prius, nisi propter debilitatem capitis aliud esset judicatum.

(Continuabitur).

III.

BIBLIOGRAPHIA

—

Giacinto (P.) da Belmonte, Min. Cap. — Racconti miracolosi per istruire dilettando, dal P. Giacinto da Belmonte, Cappuccino d. g. cons. dell' Indice. Volumi II. Seconda edizione rifatta. Roma, coi tipi di Mario Armanni, nell' Orfanotrofio Comunale 1887. (L. 6).

Marcellino (P.) da Civezza. — Il Pontificato Romano nella storia d' Italia per il P. Marcellino da Civezza, Minore Osservante. Vol. III. Firenze, tip. di Mariano Ricci 1887. (L. 7,50).

Pellegrini Schipani Raffaele. — Memoria della vita e delle opere del P. Lodovico da Casoria, Minore Riformato di Napoli. Napoli, 1887, Tip. del Gesù, Via Montesanto, 8. (L. 3). Si vende in casa dell' autore, Via Tribunale, 386.

Servais Dirks, Min. Recoll. — Histoire littéraire et bibliographique des Frères Mineurs de l' Observance de St. François en Belgique et dans les Pays Bas, par le P. Fr. Servais Dirks, des Frères Mineurs Récollets. — Anvers, Typographie Van Os-de Wolf, rue SS. Pierre et Paul 2. — In 8, pag. XXIV-456. (Prix: 7 fr.).

Stephanus Schoutens, Min. Recol. — Geschiedenis van den eerdienst van het Allerheiligste Sacrament des altaars in België door den Eerw. P. Fr. Stephanus Schoutens Minderbroeder-Recollect de Provincie van den H. Joseph in België. Tweede Uitgaaf. Antwerpen, Drukkerij Vanos-Dewolf, Uitgever, SS. Pietre en Paulusstrat 2. 1887, in 8. (pag. XVI-461). Pret. 3 fr.

Latine: Historia cultus SS. Eucharistiae in Belgio (Ejusdem operis editio in lingua gallica prodiit anno 1886).

IV.

NECROLOGIA

—

R. P. Justinus a Villa Veruchii, Conventus S. Mariae á Paradiso Minorum Ref. primus Guardianus. Die 9 mensis Septembris superioris anni 1886 Conventus Sanctae Mariae a Paradiso urbis Faventiae irreparabilem jacturam passus est ob mortem sui primi Guardiani P. Iustini domo Villae Veruchii, Ariminensis Dioecesis.

Hic enim etsi nulla singulari sive ingenii, sive doctrinae laude excêllens, tamen *animam bonam,* quam sortitus erat, religioso affectu, religiosisque virtutibus ita ornaverat, ut omnibus tum confratribus cum saecularibus apprime carus evaderet. Ordinem ingressus in Minorum Reform. Bononiensi Provincia aetatis suae anno 18, statim ac studiorum curriculum emensus est, petiit et obtinuit exteras Expeditiones seu Missiones apud Albanenses in Epiro. Sed illuc morari non potuit nisi aliquot mensium spatio, correptus gravi morbo *tiphi* quo fere vita periclitatus est.

Ut tantisper convaluit, Italiam redire permissus est ad reficiendas vires eheu! elanguidas. Sed cum se infirmae semper valetudinis experiretur, solutus ab officio Epirotarum Missionem repetendi, in Provincia sua constitit, ubi totum se dedit proximis juvandis qui ad eum frequentes conveniebant sive pro culpis expiandis in sacro Poenitentiae Tribunali, sive ut languentibus adesset ad solatium et animae salutem, sive ad opem et subsidium ab eo poscendum in adversis et necessitatibus cujusvis generis. Ipse vero omnibus praesto erat quavis hora, quibusve rerum in adjunctis ea animi aequanimitate, ea indulgentia et sollicitudine quae ad illum omnino pertinebat. Quique vel infimae plebis, vel praeclari generis viri, vel pauperes vel divites, se resque suas plena fide ei concredebant; ille autem numquam vel uni deerat, ita ut omnes mirari non desisterent qui fieri poterat quod unius viri opera tot tantisque satis esset. *Omnibus omnia factus* vere dici poterat. Ejus ex oculis, vultu, tota denique persona intimi cordis modestia, pietas, lenitas, suavitas elucescebat; sicque factum est, ut omnes ad se attraheret, omnium existimationem et amorem sibi demereret.

Indefessis laboribus et exercitationibus attritus, febribus quas vocant *thiphoideas,* medio mense Augusto conflictari coepit, quae primum nullum de illius vita timorem injecerunt; verum cum in lienem jam infectum in-

currerent, morbum ita lethale recruduit ut brevi ad finem vitae perductus visus sit.

Cum sodalibus universus populus alte conquesti sunt tam cari capitis amissionem. Ut porro suae mortis nuntium prodiit, luctus et fletus magnus undique factus est: complures ad expositi defuncti cadaveris in Ecclesiae sacrario pedes devote osculandos et tunicam properarunt; complures ad funus ejusdem sequenti die celebrandum in Ecclesia quam absolutam saepe se non visurum dixerat et non vidit, complures ad sepulturam in publico Coemeterio consecuti sunt.

Item et in die tricesima ab ejus obitu, instaurato funere cum oratione laudatoria, fideles multi adfuerunt pacem aeternam precantes animae pientissimae.

Decessit pretiosa morte justorum sumptis Ecclesiae Sacramentis summa cum animi devotione et optimo adstantium exemplo. Ultima ejus vitae momenta talibus honestata fuerunt signis, quibus satis patuit, Deum vocasse animam servi sui ad praemium laborum in coelo percipiendum. Annum 44 aetatis nondum attingerat, religiosae autem Professionis 26 excesserat. R. I. P.

Adm. R. P. Daniel a Valentiano, Ref. Provinciae S. Nicolai Barensis, natus die 4 Martii 1799 et Ordinem ingressus 1 Nov. 1818, laudabiliter expleto studiorum curriculo, ad cathedras Philosophiae et Matheseos primum, dein Theologiae per concursum delectus, Lectoris munere egregie perfunctus est. Artium studiorumque fautor Phisices ac sublimioris Matheseos nec non Juris Canonici cathedrae ejus potissimum opera in Provincia Barensi institutae fuerunt. Saepius Definitor, ter Custos et anno 1853 in Capitulo, cui praefuit Rmus b. m. Venantius a Celano, Minister Provincialis electus verbo et exemplo regularem disciplinam promovit, fuit enim paupertatis et sanctae regulae amans. Pietatis suae erga B. V. Mariam monumentum extat sacra Ædes Melphitiae sub titulo B. V. Martyrum ejusdem cura piorum eleemosynis aedificata.

Animo mitis, erga omnes charitate plenus, aegrotos praecipuo prosequebatur amore, eisque nedum Sacramenta ministrare, sed sollicitam singularemque adsistentiam praestare in deliciis habuit. E Conventu Melphitano ob suppressionem expulsus in patriam se contulit, ubi Ecclesiae nostrae Custos designatus pie in Domino obiit die 18 Junii 1886.

Adm. R. P. Epiphanius de Claravalle, Ref. Provinciae Marchiae in pace Domini quievit in Conventu Ostrae S. Mariae Apparentis die 1 Septembris anni curr., aetatis suae anno 77°, religionis vero 60. Ejusdem memoria in benedictione erit, sicut vita fuit ad exemplum. Jam ab adolescentia regulae observantiae, spiritum orationis et singularem pietatem erga B. V. Mariam conjunxit. Studiis adeo incubuit ut Lector tum Philosophiae tum Theologiae institui meruerit. Praecipue vero in vinea Domini qua Praedicator et Missionarius quadraginta et amplius annis adlaboravit. In Senogalliensi Missionum indigenarum Collegio Praefectus in confratrum Missionariorum animos suum zelum transfusit, et verbi divini efficacia ac assiduitate in confessionibus excipiendis quamplurimos in viam salutis reduxit. Animarum Pastores et Episcopi eum singulari affectu et aestimatione prosequebantur, eidem difficilia et honorifica munera concredebant tum Monialium Confessarii, tum Spiritualium Exercitiorum pro Clero Directoris, tum Examinatoris Prosynodalis.

In Provincia Guardiani, Definitoris ac Provincialis Ministri officia functus, charitatem erga omnes suos, matremque Provinciam, regularisque observantiae zelum ostendit. A Rmo P. Ministro Generali Neapolim qua Regii S. Clarae Monasterii Praeses missus, et dein Commissarius Visitator Custodiae Lucensis S. Josephi destinatus utrobique sui desiderium reliquit.

In Provinciam reversus pro posse ad dispersos ob suppressionem confratres coadunandos operam suam contulit, et Conventum Ostrae ejusdem cura et sollicitudine a fundamentis erectum fuit.

Mense Octobris anno 1886 cardiaco morbo correptus, cum patienter tulit, a quo tandem nobis ereptus, et ut confidimus ad patriam coelestem translatus est. R. J. P.

Nihil obstat

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

DECRETUM

quo solemnitas SS. Rosarii ad ritum duplicis secundae classis evehitur.

URBIS ET ORBIS.

Inter densas errorum et scelerum tenebras tamquam spes certa oriturae salutis jam fulget excitata ac reviviscens in christianis gentibus per sacri Rosarii frequentiam erga magnam DEI Parentem pietas et fiducia, quae omni aevo Ecclesiae ac societati praesidium fuit potentissimum ad terrenorum infernorumque hostium vires conterendas. Verbum Sanctissimi Domini Nostri LEONIS Papae XIII per Ejus Apostolicas Litteras, praesertim (1) *Supremi Apostolatus officio* I Septembris MDCCCLXXXIII, ad cunctas mundi regiones prolatum, divini seminis instar cadens in terram bonam, ubique *fecit fructum centuplum,* quamvis alibi prae nimia cordium duritie, cadens *super petrosa* et *in spinis,* hactenus conculcatum fuerit et suffocatum. Ubique terrarum fideles suis coadunati pastoribus Rosarii festa mensemque in laetitia et fervore celebrantes, a solis ortu ad occasum pro errantium salute, pro Ecclesiae et societatis prementibus calamitatibus MARIAM invocarunt, quae « sicut lumen indeficiens radios evibrans misericordiae suae, omnibus indifferenter sese exorabilem, omnibus clementissimam praebere consuevit, omnium necessitates amplissimo quodam miseratur affectu *(S. Thomas Episcopus Valentin.)* ». Neque spes confundit obtinendi victoriam ex eo maxime, quod per admirabilem Marialis Rosarii orandi ritum splendidissimus DEO exhibetur religionis cultus et plena fidei christianae confessio. Rosarium enim cum omnia CHRISTI Virginisque Matris mysteria suo circuitu involvat, fidem totam complectitur. Jamvero *haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra* (1 Io. v).

Beatissimus Pater de his vehementer laetatus, eo enixius omnes Ecclesiae Pastores et universos Christifideles hortatur ferventiori pietate et fiducia perseverare in inceptis, ab augustissima Regina pacis postulantes, ut qua gratia apud DEUM pollet, praesentium malorum horrendam tempestatem, everso satanae imperio, depellat, triumphatisque religionis hostibus exagitatam Petri mysticam navem optatae tranquillitati restituat. Ad haec, quaecumque superioribus annis, ac postremo per decretum Sacrorum Rituum Congregationis 26 Augusti MDCCCLXXXVI de mense Octobri coelesti Reginae a Rosario dicando (1), decrevit, indulsit et iussit, iterum decernit, praecipit et concedit.

Cum vero festus dies solemnitatis sacratissimi Rosarii singulari jam populorum honore et cultu agatur, qui cultus refertur ad mysteria cuncta vitae passionis et gloriae JESU CHRISTI redemptoris nostri, ejusque intemeratae Matris; ad hanc succrescentem pietatem magis fovendam, et ad publicae venerationis incrementum, quod jam pluribus particularibus Ecclesiis concessit, solemnitatem praedictam et officium Deiparae a Rosario primae Octobris Dominicae adsignatum, ecclesiastico ritu *duplici secundae classis in universa Ecclesia*

(1) Cfr. *Acta Ordinis,* anno II, pag. 137.

(1) Ibid. anno V, pag. 150.

in posterum celebrari mandavit, ita ut non possit transferri ad alium diem, nisi occurrente officio potioris ritus: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

De hisce autem praesens praefatae Sacrorum Rituum Congregationis Decretum expediri jussit.

Die 11 Septembris anni MDCCCLXXXVII, Sanctissimo Mariae Nomini sacra.

D. Card. Bartolinius, *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S.

Laurentius Salvati, *S. R. C. Secret.*

—

DECRETUM

—

SANCTI MINIATI

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVI DEI

THEOPHILI A CURTE

SACERDOTIS PROFESSI

ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI DE OBSERVANTIA.

Per decretum Sacrorum Rituum Congregationis sub die 29 Maii 1884 a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII benigne concessum fuit, ut in Ordinariis ipsius Sacrae Congregationis Comitiis agi valeret, absque interventu et voto Consultorum, de validitate duorum Processuum Apostolica auctoritate in Curia ecclesiastica Sancti Miniati constructorum super duobus miraculis praefati Ven. Servi Dei Theophili a Curte intercessioni attributis. Hinc Emus et Rmus Dñus Cardinalis Thomas Maria Martinelli hujus Causae Ponens, ad instantiam Rev. Patris Fr. Bernardini a Cryptis Castri, Sacerdotis Professi et Postulatoris Generalis Causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei, Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, in Ordinario speciali Coetu ejusdem Sacrae Rituum Congregationis juxta peculiares ipsius Sanctissimi Domini Nostri dispositiones die 20 Novembris 1878 editas constituto, ac subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens dubium proposuit, nimirum: *An constet de validitate duorum Processuum Apostolica auctoritate in Curia Sancti Miniati confectorum super duobus miraculis suppetiis Ven. Servi* Dei, *uti fertur, patratis; testes sint rite ac recte examinati, ac jura producta legitime compulsata in casu, et ad effectum de quo agitur?*

Sacra vero eadem Congregatio, omnibus accurato examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, rescribere rata est: *Praevia sanatione, facto verbo cum Sanctissimo, defectus jurisdictionis in judice Episcopo Coadiutore, affirmative seu constare.*

Die 30 Julii 1887.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis approbavit, sanando enuntiatum defectum.

Die 3 Augusti anno eodem.

Pro Emo et Rmo Dno Cardinali
D. Bartolini, *S. R. C. Praefecto,*
A. Card. Serafini.

L. ✠ S.

Laurentius Salvati, *S. R. C. Secretarius.*

—

DECRETUM

—

NEAPOLITANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVI DEI

FR. ALOYSII A SSMO CRUCIFIXO

SACERDOTIS PROFESSI

ORDINIS MINORUM EXCALCEATORUM STRICTIORIS OBSERVANTIAE SANCTI PETRI DE ALCANTARA PROVINCIAE NEAPOLITANAE.

Quum Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII per Decretum Sacrorum Rituum Congregationis sub die 9 Februarii 1882 jam indulsisset, ut in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis agi valeret, absque interventu et voto Consultorum, de validitate Processuum tum Ordinaria tum Apostolica auctoritate constructorum in Causa praefati Ven. Servi Dei F. Aloysii a SSmo Crucifixo; Emus et Rmus Dnus Cardinalis Thomas Maria Martinelli, loco et vice absentis Emi et Rmi Dni Cardinalis Dominici Bartolini eidem Sacrae Rituum Congregationi Praefecti, et hujusce Causae Ponentis, ad instantiam Rev. Patris Fr. Joannis Josephi a Maria Dolorosa, Sa-

cerdotis Professi Ordinis Minorum Excalceatorum strictioris Observantiae Sancti Petri de Alcantara, Causae ipsius Postulatoris, in Ordinario speciali Coetu Sacrorum Rituum Congregationis juxta peculiares ejusdem Sanctissimi Domini Nostri dispositiones die 20 Novembris 1878 editas constituto, ac subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens Dubium proposuit, nimirum: *An constet de validitate Processuum tam Apostolica quam Ordinaria auctoritate constructorum; testes sint rite ac recte examinati, ac jura producta legitime compulsata in casu, et ad effectum de quo agitur?*

Sacra porro eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, sic rescribendum censuit: *Affirmative, dempta e Processu Apostolico relatione extrajudiciali Aloysii Ducis Montis Calvi; et attestatio extrajudicialis Periti Physici Coppola habeatur loco adminiculi.*

Die 30 Iulii 1887.

Facta autem de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis in omnibus ratam habuit et confirmavit die 3 Augusti anno eodem.

Pro Emo et Rmo Dno Cardinali
D. Bartolini, *S. R. C. Praefecto*,
A. Card. Serafini.

L. ✠ S.

Laurentius Salvati, S. R. C. Secret.

—

EX S. CONGREGATIONE RITUUM.

De modo exponendi Sanctissimum apud Clarissas Collettinas. — De Communione quotidiana in Monasteriis Monialium.

CAMERACEN.

—

Rmus Dominus Franciscus Eduardus Harley, Archiepiscopus Cameracensis, a S. Rit. Congregatione insequentium dubiorum resolutionem humillime expostulavit, videlicet:

I. Moniales a S. Clara seu Collettinae e Belgico regno in Cameracensem Archidioecesim usum hunc invexerunt: intra parietem, qui medius infra chorum Sororum et Sanctuarium, cellula est praeparata, in qua SS. Eucharistia in ostensorio requiescit. Sacerdote absente, Sorores januam cellulae in choro suo aspicientis aperiunt. Adhuc tamen clausum remanet Sanctissimum Sacramentum solito vitro. Sic piae Sorores statutis horis contemplatione Sanctissimae Hostiae fruuntur. Quaeritur an talis consuetudo tolerari possit?

II. Praedictae Sorores et quaedam aliae, Superiorum ecclesiasticorum auctoritate fultae, *omnes quotidie* sacra Synaxi reficiuntur, licet, juxta regulas et decisiones quamplurimorum theologorum, pro aliquibus tantum et in quibusdam circumstantiis talis et tanta gratia reservari debeat. Quum vero multo dolore praelaudatae piae Sorores afficerentur, si tanto solatio privandae forent, quaeritur quid in casu agendum?

Et sacra eadem Congregatio in peculiari Coetu infrascripta die coadunato, ad relationem infrascripti Secretarii, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribere rata est, videlicet:

Ad I. Piam consuetudinem tolerari posse.

Ad II. Consuetudinem laudandam esse ac promovendum usum frequenter suscipiendi Sanctissimam Eucharistiam, juxta Concilii Tridentini, ses. XXII cap. 6, dispositionem.

Atque ita rescripsit die 2 Decembris 1885.

D. Card. Bartolinius, Praefectus.
Laurentius Salvati, Secretarius.

—

RESCRIPTUM
EX S. CONGR. EPISCOP. ET REGULAR.

Quo privilegiorum communicatio Sororibus externis Monialium S. Clarae conceditur.

Beatissime Pater,

Soror Maria Angela a SSmo Corde, hodierna Abbatissa Monialium S. Clarae civitatis Lugdunensis, ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provoluta, exponit qualiter servitio externo Monasterii quaedam addictae Sorores Conversae, vulgo *Soeurs Tourières,* quae etsi numquam intra clausuram ipsammet admittantur, habitu tamen regulari donantur, tria Religionis vota emittunt et sub Regula tertii Ordinis S. P. Francisci, juxta Rmi Ordinarii Lugdunensis approbationem et statutum, fidelissime vivunt. Porro praefatae Sorores Conver-

sae, quoad servitia externa egregium Monasterio praestant auxilium, quin ullum ipsaemet percipiant commodum. His attentis ac mature coram DOMINO perpensis, humillima Exponens, praehabita Rmi Ordinarii commendatione, prout in adnexo Documento legitur, ad spirituale solatium dictarum Sororum, abundantioremque sanctificationem, enixis precibus Sanctitatis Vestrae benignitatem implorat, quatenus omnes gratias seu indulgentias nec non absolutiones seu benedictiones quibus gaudent Moniales, memoratis Sororibus, iisdem servatis conditionibus, extendere dignetur.

Qua de gratia etc.

Ex Audientia SSmi habita ab infrascripto Secretario S. Congregationis Episcoporum et Regularium sub die 27 Maii 1887, Sanctitas Sua, attenta attestatione Ordinarii Lugdunensis, benigne annuit, ac propterea eidem Ordinario committi mandavit, ut, veris existentibus narratis, petitam, pro suo arbitrio et conscientia communicationem indulgeat privilegiorum et gratiarum spiritualium in omnibus juxta preces. Contrariis quibuscumque etiam speciali ac individua mentione dignis non obstantibus.

Romae etc.

I. Card. MASOTTI, Praefectus.

Fr. ALOYSIUS, Episc. Calliensis, Secretarius.

—

Eadem S. Congregatio sub die 1 Julii 1887, praecitatam gratiam Sororibus externis Monialium S. Clarae civitatis *Versaliensis, Ambianensis* et *Insulensis* benigne extendit.

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS

Incitamenta Seraphica.

—

DE DISCIPLINA REGULARI RESTITUENDA

CAPUT III.

DE STUDIO ET LABORE.

§ 3. *De materia et modo studiorum.*

31. In Ordine seraphico Clerici et Laici distinguuntur. Illi dignitate sacerdotali decorantur, et tum ad verbi divini praedicationem, tum ad Sacramentorum administrationem deputantur, atque ideo scientiarum, praecipue theologicarum, studio diligenter incumbere debent.

32. Dignitatem sacerdotalem sacrarum scientiarum studium exigere, ex ipsa sacra Scriptura patet. In ipsa enim legimus (1): « Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem « requirent ex ore ejus, quia angelus DOMINI « exercituum est ». Et in alio loco DEUS ipse dicit (2): « Quia tu scientiam repulisti, repel« lam te, ne sacerdotio fungaris mihi ». Variis etiam in Conciliis confecti sunt canones, quibus Sacerdotes ad sacrarum scientiarum studium obligantur. Neque Sacerdotem excusare potest illud effugium, se ad praedicandum non esse destinatum; siquidem sola sacerdotalis dignitas scientiarum ornatu carere non debet, licet aliquis pro nullo ministerio sit destinatus, et vituperabile in eo vitium foret, in ignorantia, cum discere possit, culpabiliter jacere. « Quid, quaeso, ait Trithemius, miserabilius « Sacerdote indocto, qui licet nullum praedi« cationis officium habeat, ratione tamen su« scepti Ordinis ad scientiam obligatur Scriptu« rarum ». Talis non se ipsum tantum, sed et statum sacerdotalem in facie mundi contemptui exponit.

33. Necessitas studiorum in Ordine nostro, praeter rationes jam allatas, praecipue ex injuncto nobis praedicationis munere petenda est. Ut enim quis utilis Praedicator fiat, magno scientiarum apparatu opus est. Necessaria est ipsi Philosophia, sine qua ipsius conciones debito ordine et requisita claritate et soliditate carebunt. Necessaria est ipsi pariter clara, completa et solida Theologiae dogmaticae et moralis cognitio, ut tum veritates fidei, tum officia moralia auditoribus debito modo proponere possit. Opus quoque est, ut ipse in sacris Bibliis et sanctis Patribus bene versatus sit; oratorem enim christianum ex his fontibus ea haurire decet, quae orationi dignitatem, venustatem et soliditatem conciliant. His pariter addi debet studium historiae, cujus necessitatem ostendens Melchior Canus ait (3), Theologorum quemquam historiae ignarum, Theo-

(1) Malach. II, 6.
(2) Ose. IV, 6.
(3) De loc. Theologic. lib. II, cap. 2.

logi nomine immerito gloriari. Pro concionatoribus magni etiam momenti est sacrae Eloquentiae studium. Verum quidem est, tum sanctos Apostolos, tum primos Ordinis nostri Fratres sine rethoricae artis regulis per simplicem praedicationem suam uberrimos fructus retulisse; sed hoc tum miraculis ab ipsis patratis, tum extraordinariis, quibus pollebant, Spiritus Sancti gratiis adscribendum est. Haec dona extraordinaria non omnibus praesto sunt, atque ideo ad media quoque naturalia, id est, ad bene ordinatam eloquentiam confugere oportet. Rejicienda autem omnino est illa eloquentia, quae flosculis tantum inhiat, et vano sermonis ornatu auditorum aures titillat, quin eorum intellectum instruat, aut cor moveat. S. Eloquentiae studium potius eo dirigendum est, ut praedicationis finis obtineatur, qui alius non est, quam ut auditores circa veritates fidei instruantur et convincantur, atque ad peccati fugam et virtutis exercitium moveantur.

34. Porro Confessarii, ut gravissimo suo officio rite fungantur, Theologiae moralis et pastoralis studio diligenter incumbere debent. Scientia enim Confessario est necessaria, attento triplici ejus officio: judicis, medici et doctoris. In scientia Theologiae moralis excultus esse debet in tantum, ut casus communiter occurrentes juxta Theologiae principia solvere, et circa difficiliores et magis implicatos saltem dubitare queat, ad hoc nimirum, ut vel auctores inspicere, vel doctiores consulere possit. Haec quidem generalia sunt; verum in particulari inde sequitur, necessarium esse, ut Confessarius cognoscat quoque speciem et gravitatem peccatorum. Hoc est: scire debet, ad quam speciem pertineant, seu cuinam virtuti adversentur peccata, quae communiter ab hominibus committuntur, et, an *ex genere,* vel *ex toto genere,* mortalia sint aut venialia. Scire debet etiam, quid requiratur ex parte poenitentis ad peccandum mortaliter; alioquin poenitentiam imponere non posset pro gravitate criminum, nec poenitentem debite commonefacere de gravitate reatus, quem contraxit. Cognoscere debet casus et censuras, a quibus absolvere non potest; scire debet impedimenta matrimonii, conditiones contractuum, varias causas restitutionis, radices et occasiones peccatorum, remedia ipsis afferenda, satisfactiones salutares et convenientes imponendas etc. Insuper scire debet, quibus poenitentibus absolutionem dare, et quibus eam denegare debeat. Instruere debet poenitentem, quando ignorat ea, quae ad salutem necessaria sunt necessitate medii. — Ad haec omnia bene praestanda sane non mediocri studio opus est.

35. Scientiarum studium in Ordine etiam necessarium est, ut idonei Praelati inveniantur. Cum enim isti non tantum pro oeconomica Conventus administratione, sed multo magis pro spirituali subditorum suorum directione tamquam pastores animarum deputentur, omnino necessarium est, ut non solum pietate, sed etiam scientia et doctrina insigniti sint. Ea propter Concilium Toletanum IV Praelatos admonuit dicens: « Si in Laicis vix « tolerabilis videtur inscitia, quanto magis in « his, qui praesunt, nec excusatione digna est, « nec venia ». Praelati regulares indocti tum subditorum suorum, tum saecularium quibuscum ipsis hinc inde agendum est, contemptui se exponunt, neque officia sua recte adimplere valent. Omnino ergo necessarium est, ut Religiosi scientiarum studio diligenter incumbant, et sic ad omnia officia idonei fiant.

36. Haec omnia probe scientes Majores nostri in Studiorum Statutis sapienter praescripserunt (1) « Omnes praesertim juvenes vehe« menter hortamur, ut SS. Patrum exemplis, « Majorumque nostrorum exemplis et vestigiis « inhaerentes, sacrarum humaniorumque litte« rarum studiis ex corde, et qua decet dili« gentia et gravitate attendant. Superioribus « vero tum Provinciarum tum Conventuum, « auctoritate qua in Ordine pollemus, stricte « injungimus, ut quos ad studia idoneos no« verint, pro uniuscujusque capacitate, omnem « eisdem opem et favorem impendant, omnia « pro viribus ad id assequendum media solli« cite suppeditantes ».

37. Juxta P. Gaudentium Kerckhove (2) in Religiosis ad studia deputatis gravis est obligatio cum omni diligentia studendi et impendendi tempus ad hoc a Superioribus eis designatum, sic ut in eo notabiliter negligentes peccent mortaliter: tum quia transgrediuntur obedientiam, quae eos ad diligenter studendum

(1) Stat. Gen. studiis regendis, pag. 4.
(2) Commentar. in Statut. Gen. cap. VII. § 6. n. 12.

obligat, dum interim ab aliis oneribus eximuntur; tum quia abutuntur commoditate eis a Religione ad studendum concessa; tum quia in re gravissima offendunt Religionem, dum se reddunt incapaces ad ea munera, ad quae per eos praestanda Religio jus habet, et ipsi praestare debent vi status quem assumpserunt et professi sunt. Attendant hoc omnes Religiosi studiosi, et diligenter studiis incumbant, sic tamen, ut sanctae orationis et devotionis spiritum non extinguant, memores quod Deus pie agentibus det sapientiam (1).

38. Verum si subditi studiis applicati pro gratia sibi data diligenter iis incumbere tenentur, sub peccato etiam mortali obligantur Praelati procurare ut subditi capaces studiis et scientiis debitis imbuantur, cum id ad bonum Religionis maxime sit necessarium. Ut hanc muneris sui partem rite adimpleant, ea omnia praestare tenentur, quae in Constitutionibus praescribuntur. Praecipua autem quae studentibus suppeditari debent media ad sequentia possunt revocari.

39. Superiores in primis curare debent, ut Lectores et Studentes omnibus provideantur rebus ad studia necessariis, praecipue libris ad disciplinas, quae traduntur, spectantibus; atque invigilent, ut in Conventibus, maxime studiorum, bibliothecae bene sint ordinatae, in quibus, quantum fieri potest, libri necessarii ac quomodocumque litteris atque scientiis utiles extent et in diem pro viribus parentur (2).

40. Praeter libros, Superiores concedere tenentur studentibus tempus sufficiens ad studendum. Unde per Statuta cautum est (3), ut studentes nullo modo a studiis praepediri possint. Et vero, scientiis debite imbui nequeunt, nisi detur ipsis tempus ad studendum sufficiens: inde infert Sanctorus, Superiorem peccare mortaliter, qui sua facilitate, vel sine gravi causa studentibus occasionem praebet relinquendi lectiones vel eas non addiscendi.

41. Ut studentes in scientiis debite et sancte proficiant, super omnia necessarium est, ut de idoneis Lectoribus provideantur. Statuta praescribunt (4), ut ad hoc officium Religiosi deputentur moribus et scientiis commendati, digniores aptioresque. P. Kerckhove in suis Commentariis dicit, hoc Statutum in ipso jure naturae esse fundatum. Quomodo enim, dicit, debitis scientiis instruerent alios, si ipsi vel scientes non sint, vel scientiam, si quam habeant, in alios transfundere nesciant, vel nolint. Unde dicitur (1): « Antequam loquaris, disce ». Id est, antequam loquaris docendo, disce prius audiendo; nemo enim dare potest, quod non habet. Nec sola scientia sufficit, ut quis idoneus Lector reputetur, sed insuper requiritur morum probitas et devotio; ut non tantum noverit discipulos suos debitis instruere disciplinis, sed et eos exemplo et verbo saepius ad pietatem adhortari. Duces ergo ad pietatem se suis discipulis praebeant Lectores, et veri magistri partes substinebunt.

42. Non sufficit autem, ut Lectores idonei et pii studentibus praeficiantur, sed requiritur etiam, ut sufficiens tempus eis ad studendum concedatur, ita ut nullo officio aut alia occupatione a quotidiana lectione praepediantur. Ideo sapienter per Statuta (2) cautum est, quod munus Guardiani, Secretarii vel operis cujuscumque, quod cum quotidiana lectione discipulis tradenda haud facile componi queat, sine speciali Superioris Generalis dispensatione Lectoribus omnino sit vetitum.

43. Hoc gravissimi momenti Statutum ab iis Superioribus maxime attendendum est, qui Lectores a debito studio et lectionibus tradendis praepediunt, sive nimia praedicatione, sive aliis officiis, sive, quod pejus est, eos extra Conventum per plures dies ratione sacri ministerii saepius mittendo. Si enim mortaliter peccent Superiores, qui sua facilitate, et sine gravi causa, studentibus occasionem praebent relinquendi lectiones vel eas non addiscendi: quis excusare eos poterit, dum Lectoribus hujusmodi occupationes imponunt, quae cum lectionibus tradendis nullo modo componi possunt? Nec dicatur, opus magis salutare et Provinciae utilius praestari, si etiam Lectores extra Conventum mittantur tempore Quadragesimae aut Adventus, sive occasione Missionis tradendae, praesertim rogantibus Episcopis: cum enim hoc per Statuta prohibeatur, eo ipso est

(1) Eccli. 43.
(2) Cfr. Constit. Gen. n. 319, 389.
(3) N. 315.
(4) N. 325.

(1) Eccli. XVIII.
(2) N. 355.

illicitum, nec ut eveniant bona, practicari potest. Addo, gravissima mala ex tali consuetudine oriri; nam ubi non debite instruuntur studentes, nec veri nominis Sacerdotes, nec proficui confessarii, nec idonei Superiores aliquando evadent; et sic, languentibus studiis, ipsa quoque Provincia, viris orbata litterarum scientia praeditis, splendorem suum et famam paulatim amittet.

44. Neque hic silentio praeterire possumus alium abusum, qui sub specie boni haud raro practicatur, quo scilicet ob carentiam Sacerdotum abbreviatur tempus studiis juxta Statuta impendendum, et sacro applicantur ministerio, qui studia tum philosophica tum theologica nondum absolverunt. Recordentur Superiores, melius esse, ut sint pauci Sacerdotes pii et docti, quam ut sint multi, qui sua ignorantia Ecclesiae et Ordini potius dedecus afferunt et damnum. Neque dicatur, hujusmodi Religiosos postea successu temporis ea omnia adhuc addiscere posse, quae studiorum tempore nondum didicerunt. Hoc ipsos utique posse, nemo est qui serio neget. Quaestio vero est, utrum ejusmodi postea sufficiens tempus et bonam voluntatem ad hoc praestandum habeant. Teste experientia multiplici, tales ad studium serium ordinarie non amplius redire solent.

45. Ut studium Religiosorum sit bene ordinatum ac vere fructuosum, quaedam a studiosis sunt observanda. Imprimis scientia sacra pro sua majestate et reverentia peculiariter in suis studiosis requirit *vitam puram ac sanctam*, necnon *frequentes fervidasque preces*.

46. Caveat summopere sacrae Theologiae candidatus, ne peccatis gravatus ad studium divinae sapientiae irreverenter accedat. « Vult « Deus, dicit S. Hilarius, a crimine esse li« berum coelestis doctrinae contemplatorem: « vult eloquia sua a casti corporis casto ore « tractari ». Est igitur in primis habenda ratio integritatis vitae et puritatis, uti etiam graviter docet S. Athanasius his verbis: « Ad Scriptu« rarum indaginem verumque intellectum opus « est vita proba, animo puro et virtute, quae « secundum CHRISTUM est; ut mens per ejus « tramitem decurrens, ea quae expetit adipisci « possit, quatenus fas est humanam naturam « divina intelligere. Nam sine pura mente et « Sanctorum imitatione nemo comprehenderit « Sanctorum verba. Quemadmodum si quis « intueri velit solis jubar, oculos detergit, ut « lumen solis contempletur: ita quoque qui « vult mentem virorum coelestia loquentium « intelligere, prius detergere et abluere vi« vendi disciplina animam debet, et ad San« ctos accedere cum studiorum factorumque « similitudine, ut illis consuetudine vitae pa« ris familiaris redditus, quae ipsis a DEO re« velata sunt, cognoscat ».

47. Nec minus necessaria est oratio, ut sacrae Theologiae arcana percipias et penetres. Saepe orandum, imo preces assidue studio praemittendas, sancti viri verbo docent atque exemplo. « Quando serio studetur, ait S. Au« gustinus (1), et DOMINUS puro corde oratur, « plurima quae cognitione digna sunt, ipso « DEO inspirante magis, quam hominum ali« quo commonente perdiscentur ». De S. Thoma Aquin. legimus, quod numquam sese lectioni aut scriptioni daret, nisi post orationem. In difficultatibus sacrae Scripturae ad orationem jejunium adhibebat. Quin etiam sodali suo Fratri Reginaldo dicere solebat, quidquid sciret, non tam studio aut labore suo peperisse, quam divinitus traditum accepisse. Pari modo S. Bonaventura fassus est, se ope orationis doctrinae suae excellentiam obtinuisse. Sancto Thomae enim aliquando de fontibus unde tam multiplicem eruditionem promeret, sciscitanti, principem sui librum JESUM CHRISTUM ostendit. Itaque diligentia nostra ab oratione, fidissima scientiae adjutrice, deseri numquam debet.

48. Hisce de studio in genere praemonitis, quaedam peculiaria duximus commendanda, tum ipsis juvenibus nostris in scientia instituendis, tum illis Patribus, quibus hoc arduum et responsabile educationis officium incumbit.

49. Tempore Novitiatus a studio litterarum abstineatur, prout per Constitutiones Apostolicas et Ordinis Statuta praescriptum est. In Novitiatu enim ad hoc unice intendi debet, ut juvenis spiritum mundanum deponat, spiritum vero Ordinis nostri addiscat, secundum hunc spiritum in vita monastica se jugiter exerceat, et sic istam vitae formam diligere

(1) Epist. 150.

saltem serio incipiat. Quod ut obtineatur, multis instructionibus, exhortationibus atque exercitiis opus est, ita ut totum Novitiatus tempus ad hoc sit valde necessarium. Si juvenis tempore Novitiatus non bene formetur, vix unquam bonus Religiosus evadet. Graviter ergo errant, ac ipsis juvenibus et Religioni non leve damnum inferunt, qui, ut etiam Novitii studio litterarum incumbant, vel volunt vel permittunt. Quodsi opportunum videatur, ad summum concedi poterit, ut Novitii excerpta ex Patribus et scriptoribus ecclesiasticis perlegant, quae dum humaniorum litterarum culturae inserviunt, animos simul ad pietatem accendunt.

50. Magno studio Superiores curare debent, ut fervor spiritus, quem juvenes in Novitiatu assumpserunt, non solum conservetur, sed etiam in dies magis augeatur. Propterea juvenes in obedientiae et humilitatis virtute jugiter exerceantur, et ad plenam et perfectam religiosae disciplinae observantiam adigantur, et ad pietatem fovendam serio moneantur atque stimulentur.

51. Tempus a Superioribus pro studio assignatum sine necessitate atque licentia pro alia occupatione quacumque juvenes impendere nequeunt; secus enim contra status sui obligationem agunt. Aliorum cellas ingredi minime possunt, et extra recreationis tempus strictum silentium servare debent.

52. Patres Lectores discipulorum suorum verum in scientia et virtutibus profectum semper prae oculis habeant atque obtinere studeant; minime vero propriam gloriam, honores, dignitates vel vanas titulorum ineptias quaerant; secus enim coram Deo mercedem suam perdunt, et coram toto mundo vere contemptibiles se reddunt.

53. Ordinationes tum per Generalia Ordinis Statuta, tum per respectivas Provincias praescriptas Lectores ipsi adamussim observent, et a suis discipulis accurate observari faciant. Praesertim vero studeant, ut discipulos suos bono religiosae observantiae et disciplinae exemplo semper aedificent, et ita, quod verbo suo docent, confirment exemplo.

54. Ex dictis satis patet, quanta circumspectione opus sit in electione Lectorum. Etenim ipsi non tantum debita scientia praediti sint oportet, sed praecipue etiam pietate et religiosa observantia commendabiles esse debent. Quia vero in Provinciis subinde Patres deesse possent, qui debitis qualitatibus praediti et in aliis officiis non sunt occupati: ideo Constitutiones Generales prudenter dicunt (1): « Si qua Provincia Lectores, qui sufficiant, « non habuerit, per ejus Ministrum Generalis « Praesul moneatur: qui pro sua pietate et « paterna sollicitudine, ut communis Pater, « providere curet ».

55. Lectores de gravitate muneris sibi injuncti intime persuasi sint oportet; officium enim suum rite adimplentes, magna sibi merita comparabunt, illud vero negligentes, de illatis toti Ordini damnis gravem Deo rationem reddent. Ante omnia ergo maximam curam gerere debent, ut ipsi sibi necessariam ad alios erudiendos doctrinam comparare, eamque assiduo studio in dies perficere satagant, quatenus magis magisque concreditae sibi juventuti prodesse queant. Praelectiones statutis diebus et horis sine gravissima ratione numquam omittendae aut decurtandae sunt. In ipsis praelectionibus vero Lector eo animum intendere debet, ut veritates, quantum fieri potest, clare et distincte proponat et explicet, solidis argumentis probet et contra adversarios vindicet. Cum praelectionibus vero etiam frequentes repetitiones seu examinationes eorum, quae pertractata fuerunt, jungendae sunt, tum ut Lector inquirat, an ejus discipuli propositas ab eo doctrinas rite intelligant et diligenter addiscant, tum ut eaedem menti juvenum firmius impressae maneant, et simul horum memoria continuo exerceatur. Neglectis his repetitionibus et examinibus, ipsas praelectiones exigua emolumenta afferre, experientia testatur.

56. Qui studiis incumbunt, erga Lectores suos magnam reverentiam et in corde fovere, et exterius manifestare debent; nam ad ipsos vel maxime spectant verba S. Patris in Testamento dicentis: « Et omnes Theologos, et qui « ministrant nobis sanctissima verba divina, « debemus honorare et venerari, sicut qui mi- « nistrant nobis spiritum et vitam ». — Necesse autem est, ut studiosi non solum prae-

(1) N. 339.

lectionibus diligenter atque attente intersint, sed etiam ut ea, quae pertractata fuerunt, postea ruminent, propositas doctrinas melius atque melius intelligere, atque memoriae imprimere studeant. Cavere quoque debent, ne, dum a Lectore suo in scientia quadam erudiuntur, mentem suam aliis studiis occupare, aut variorum auctorum libros pervolvere praesumant; tali enim modo facile animum suum perturbarent, et confusas tantum omnis generis cognitiones, non autem veram et solidam scientiam consequerentur.

57. Maximi vero momenti est, ut alumni in studiis suis non alium sibi finem praefigant, nisi gloriam Dei et animarum salutem, atque ut, dum studiis incumbunt, pietatem seu perfectionem suam moralem et religiosam non negligant; scientia enim nihil prodest, nisi pietati sit conjuncta; quare Apostolus ait (1): « Si linguis hominum loquar et Angelorum, « charitatem autem non habeam, factus sum « velut aes sonans aut cymbalum tinniens. Et « si habuero prophetiam, et noverim mysteria « omnia, et omnem scientiam; et si habuero « omnem fidem, ita ut montes transferam, « charitatem autem non habuero, nihil sum ».

58. Praecipua et fundamentalia, quae in institutione et educatione juvenum clericorum nostrorum sunt observanda, optime praescribuntur in Legibus disciplinaribus pro clericis almae Provinciae Tyrolensis S. Leopoldi (2), quae propterea hic exscribere censuimus.

Magistri omnes et Lectores numquam non considerent institutionem et educationem sibi demandatam esse juvenum *christianorum, franciscanorum, ecclesiasticorum,* ideoque sui muneris esse illos secundum formam christiano-catholicam, religioso-franciscanam, et ecclesiasticam solide instituere et educare.

Quapropter juvenis seraphicus 1° qua *christianus catholicus* non modo circa catholicam doctrinam de fide et moribus sincere ac plene instrui atque ad eam vitae rationem alacriter ineundam et firmiter tenendam, quae christiano homini digna sit, excitari debet; verum etiam ita instituendus est, ut cum Ecclesia catholica Romanoque Pontifice et pro Ecclesia ubique, semper, et in omnibus sentiat.

2° Qua *Religiosus Franciscanus* non modo de obligationibus a S. Regula impositis juxta Summorum Pontificum declarationes edoceatur, sed praeterea, quod potissimum est, virtutes et officia religiosi cujuslibet hominis, praesertim vero Franciscani, illi exponantur, scilicet: humilitas, obedientia, paupertas, modestia, sui abnegatio mundique et omnium, quae ad mundum pertinent, contemptus, ita ut ad perfectiora usque tendens eo pervenire valeat, ut cum S. Paulo et Seraphico Patre nostro Francisco dicere vere possit: « Mihi mundus cru« cifixus est et ego mundo »; — « Christo con« fixus sum cruci ». — Ad hoc filialis amor erga Ordinem Seraphicum ubique terrarum existentem sollicite in ejus corde insinuetur et foveatur adeo, ut quin velit Ordinem suum super ceteros extollere, prae ceteris tamen diligat, atque ob ejus etiam amorem tum ipse caveat, ne quid detrimenti Ordo patiatur, tum Ordinis damna vel incrementa sicuti sua sentiat.

3° Qua *ecclesiasticus,* sacerdotio aliquando initiandus, vel proxime auctus, instruatur circa sacras caeremonias ritusque ecclesiasticos juxta decreta et sensum sanctae matris Ecclesiae, ita videlicet, ut non materialiter tantummodo, sed spiritualiter ecclesiasticas functiones rite exercere valeat. Verum, quia clericus ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, et quia sacerdos franciscanus non sibi soli vivere, sed et aliis proficere debet, Magistri et Lectores sollicite invigilent et omni opere satagant, ut clerici sibi persuadeant, se sacerdotali nomine et honore indignos prorsus esse, nisi summa cum diligentia studiis vacent, eum in finem, ut possint suo tempore idonei operarii in vinea Domini evadere et administratores mysteriorum Dei in salutem animarum. Haec sunt puncta praecipua et fundamentalia, in quibus juventus nostra seraphica a Novitiatu usque ad absoluta studia theologica pro vita christiano-catholica, religioso-franciscana et ecclesiastico-sacerdotali instruatur, educetur et exerceatur oportet, ut sic in pietate fundatus, moribus religiosae modestiae convenientibus

(1) I. Corinth. XIII, 1.

(2) Leges disciplinares pro Clericis et Patribus Provinciae Tyrolensis S. Leopoldi Ordinis Fratrum Minorum S. P. Francisci Reformatorum sub Magisterio constitutis, a Rmo P. Bernardino a Portu Romatino, Ministro Generali adprobatae. Oeniponte, 1874, pag. 3. § 2.

ornatus, et scientiis necessariis instructus Franciscanus neocuratus ad opus suum a s. obedientia ipsi injunctum procedat in Nomine DOMINI. Attamen cum omne datum optimum et omne donum perfectum desursum sit, descendens a Patre luminum, qui solus dat velle et posse et perficere, omnes sibi persuasum habeant, in vanum se laborare, ut quae superius exposita sunt assequi valeant, nisi per jugem orationem sapientiam a DEO postulent. Quare Magistri et Lectores toti in eo, ante omnia, esse debent, ut hoc sanctae orationis exercitium et spiritum in juvenibus ad institutionem sibi commissis commendent ac foveant.

(Continuabitur).

—

CAPITULA PROVINCIALIA

anno 1887 celebrata.

XX.

Obs. Prov. S. Ioannis Baptistae de Bogotá in Republ. Columbiae.

Die 25 Julii, sub praesidentia R. P. BERNARDINI GONZALEZ, in Conventu maximo civitatis *Bogotá* rite celebratum est Capitulum, in quo canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Rufinus J. Ruiz.

CUSTOS PROVINCIAE

A. R. P. Gregorius Pinilla.

DEFINITORES PROVINCIAE

R. P. Lucius B. Galindo.
R. P. Marianus Barros.
R. P. Franciscus A. Perez.
R. P. Virgilius Rodriguez.

XXI.

Collegium Missionum S. Antonii in civitate Cajamarca in Republ. Peruana.

Die 25 Junii in Collegio civitatis *Cajamarca*, praesidente A. R. P. LEONARDO CORTES, Commissario Generali, rite et canonice electi sunt:

GUARDIANUS COLLEGII

R. P. Leonardus Badiola.

DISCRETI COLLEGII

R. P. Pacificus Ferrá.
R. P. Augustinus Alemany.
R. P. Leonardus Mogollon.
R. P. Antonius Berduque.

XXII.

Ref. Prov. Bohemiae S. Wenceslai D. et M.

In Conventu Pragensi ad B. M. V. ad Nives, die 29 Septembris, praesidente A. R. P. MICHAELE ERHART, Provinciae Tyrolensis S. Leopoldi Ex-Ministro Provinciali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Casimirus Adamek.

CUSTOS PROVINCIAE

A. R. P. Bonaventura Cerny.

DEFINITORES PROVINCIAE

R. P. Gilbertus Procháska.
R. P. Hippolytus Philipp.
R. P. Hugolinus Franz.
R. P. Iacobus de Marchia Fahrner.

—

INCORONATIO B. MARIAE VIRGINIS

IN CONVENTU MONTIS CALVARIAE

Obs. Prov. Galicianae.

Admodum Reverende Pater,

Si placet, communicatam relationem de coronatione gratiosae ac venerandae Imaginis B. Virginis MARIAE hoc anno mense Augusto in Calvaria (dioecesi Cracoviensi) peracta rogo ut in *Acta Ordinis* inserere velis.

« Provincia Galiciana sub titulo Immaculatae Conceptionis B. Virginis MARIAE a pluribus saeculis militans, hoc anno magnam celebravit festivitatem. Imago etenim gratiosa, in altari capellae Zebrzydovianae, Ecclesiae Conventus Calvariensis in Dioecesi Cracoviensi a duobus saeculis et ultra asservata, die 15ª mensis Augusti auream et gemmis 600 adornatam obtinuit coronam. Coronationem dictae Imaginis rite peregit, adstantibus duobus Archipraesulibus Leopoliensibus, Severino de Dabrowa Morawski latini et Isaaco Nicolao Isakowicz, armeni ritus, nec non praelatis, ca-

nonicis, praepositis diversorum Ordinum et copiosissimo populo fideli ex Hungaria, Silesia, Slavonia et Polonia congregato, Rmus ac Excell. Albinus de Sas Dunajewski, Episcopus Cracoviensis. Tali modo Provincia hoc merito laetatur quartam jam celebrasse praefatae Imaginis solemnem coronationem. (Primo coronata est Sacallii a. 1724, 2° Lezajsci 1752, 3° Ressoviae a 1763 8 Septembris). Cum hoc laetum nuntium toti Familiae seraphicae per universum terrae orbem diffusae mittere expediat, succinctam hujus festivitatis exponam historiam. Jam in capitulo provinciali sub praesidentia A. R. P. Eusebii Fermendzin, Definitoris Generalis, Leopoli a. 1885 celebrato injunctum fuit A. R. P. Elzeario Widzisz, Praeposito Conventus Calvariensis, ut quae pro coronatione venerandae Imaginis B. V. MARIAE Calvariensis praescripta sunt, a S. Sede postularet. Ad haec impetranda strenue se accinxit laudatus Pater Custos, adscitis sibi aliis duobus de familia sua Patribus concionatoribus, Stephano Podworski et Ceslao Bogdalski. Hi tres Patres documenta in archivio Conventus reperibilia, quae ad sacram Imaginem spectant, collegerunt, Ordinario loci submiserunt, qui, iisdem expensis, petitum a Conventu Calvariensi ad Capitulum Vaticanum pro obtinendis aureis diadematibus directum, una cum aliis Archiepiscopis, Episcopis, nobilibus, utroque clero et populo fideli, subscripsit. Et brevi factum est, quod Capitulum Vaticanum jam die 21 Decembris anni elapsi porrectis sibi precibus libenter indulsit et sub die 10 mensis Februarii anni lab. decretum edidit, quo tributum est jus et facultas Exc. Episcopo Cracoviensi Albino Dunajewski, ut nomine et vice Rmi Capituli expetitam ad tramitem libelli « *Ordo servandus* etc. imaginis Beatae Virginis MARIAE peragat coronationem. His documentis obtentis, per totam Galiciam, Silesiam, in districtu Posnaniensi aliisque in locis instituta est publica collectio eleemosynarum pro parandis coronis aureis illisque imponendis capitibus Infantuli JESU et Beatae V. MARIAE. Ad hunc ritum absolvendum dies 15ª Augusti a. c. fuit assignata. Spatio hoc brevi numismata cusa, imagines pictae, poemata occasionalia typis impressa et Cracoviae ab aurifice Ladislao Wojciechowski coronae aureae affabre et eleganter sunt factae. Silentio haud praeterire possum hanc in honorem populi Silesiani vergentem circumstantiam. Populus enim Silesiam Austriacam inhabitans, pietate grata ergà B. V. MARIAM Calvariensem ductus, propriis sumptibus, 1000 florenis, coronam pro Infantulo JESU comparavit et alia plura perfecit. In sessione in conventu Leopoliensi 14 et 15 Aprilis a. c. sub praesidentia A. R. P. Provincialis habita, Patres ad hoc vocati plura sanxerunt; quae ad modum et ordinem in hac solemnitate observandum pertinere visum est. Convenerunt in eo, ut solemnitas haec a die 7 Augusti inciperet et per omnes sequentes dies missarum et vesperarum solemniis, concionibus mane et vespere in honorem Beatae Virginis MARIAE a nostris et aliis praedicatoribus habitis celebraretur. Cum jam omnia parata essent, invitati sunt ad solemnitatem augendam omnes Episcopi nationis, praelati, sacerdotes confines, Ordinum praepositi, nobiles nec non syndicus Conventus Calvariensis Bronislaus de Górka Gorczynoki, possessor bonorum in Brzeznica. Praeter omnem expectationem concursus populi fuit extraordinarius. Jam in primis vesperis die 7 Augusti a A. R. P. Provinciali celebratis Ecclesia Calvariensis erat auditoribus plena. Primam concionem habuit P. Norbertus Golichowski, Exprovincialis Minister super thema: « Quomodo gens polonica a primordiis usque ad novissima tempora semper devota erga B. V. MARIAM extiterit, ideoque nil mirum, si centena loca habeantur, ubi MARIA gratiis coruscans laudatur et colitur ». De die in diem affluebat populus et ad numerum 200,000 excreverat. Numerus vero sacerdotum computari potest ad 200. Clementia coeli per omnes dies hujus festivitatis non parum contulit ad augendum spiritum pietatis et laetitiae religiosae. Decursu hujus octiduanae devotionis nil est praetermissum, quod ampliando honori B. V. MARIAE, saluti fidelium necessarium esse videbatur. Sacerdotes fideliter incumbebant celebrationi missarum a primo mane usque ad meridiem, distributioni SS. Eucharistiae, confessionibus fidelium; Archiepiscopi vero collationi sacrae confirmationis. Sic inter crebras cantilenas usque ad noctem a populo milleno protractas, inter labores, vires cujuscumque sa-

cerdotis excedentes, appropinquavit dies coronationis. Oh! quam bonum et jucundum hic fuit in monte Calvariae Zebrzydovianae! oh quantam gloriam habuit Deus ex parte hujus absque numero populi devotissimi! quis hoc enarrare poterit? Satis erit, cum dicam, populum lachrymis perfusum majori missae ab Exc. Coronatore celebratae et concioni ab Archiepiscopo ritus Armeni catholici, eloquenti praedicatore, habitae interfuisse.

Cum autem Imago jam coronata humeris Religiosorum nostrorum elevata et populo in valle circumstanti ostensa esset, tunc immensus jubilus et acclamatio laetitiae e pectoribus erupit. Dein instructa est pompa cum Imagine coronata e loco coronationis (Ecclesia Sepulcri B. V. Mariae) usque ad Ecclesiam principalem et Capellam propriam, et ibidem collocata, hymnus *Te Deum* et subscriptio documenti de peracta coronatione finem huic apposuit festivitati. Coronatio peracta est, sed memoria ejus numquam dabitur oblivioni; millia hominum per diversos districtus terrae Polonicae, Hungaricae, Silesianae, Slavonicae, Galiciae diffusa ubique gloriam Beatissimae Virginis Mariae de Monte Calvariae Zebrzydovianae praedicabunt et memoriae posterorum mandabunt.

Pro coronide fas sit mihi adiungere orationem supplicem ad coronatam Virginem Mariam: Mater sancta, Virgo et Dei genitrix benignissima, ante Tuam gratiosam Imaginem ante quinque annos pluries celebrabat missam Rmus noster Minister Generalis, Bernardinus a Portu Romatino (occasione provincialis capituli). Haud dubium quod a Te gratiam pro toto Ordine et in specie pro nostra exorabat Provincia. Corones modo, prouti ipsa in hac Imagine coronata existis, eius suspiria ac vota et benedic toti Ordini; salvum fac nostram sub tuo venerabili titulo militantem Provinciam. Voca ad illam operarios dignos, resuscita in illis avitam observantiam; fac nobiscum misericordiam in terris, ut misericordiam Tuam et Dei cantemus in coelis. — Amen.

Scripsi in vigilia S. Bartholomaei Ap. anni 1887, redux e loco Coronationis.

Fr. Norbertus Golichowski,
Ord. S. Franc. de Obs. Ex-Provincialis.

—

RELATIO

Inaugurationis novae Ecclesiae S. Antonii Patavini Taurinensis ad Reverendissimum Patrem Ministrum Generalem.

Reverendissime Pater,

Officii mei debitum arbitror, Revmae Paternitati tuae referre solemnitatem optatae Inaugurationis novae Ecclesiae nostrae in honorem S. Antonii de Padua, Ordinis nostri Thaumaturgi, in civitate Taurinensi Provinciae praecipua erectae. Haec Ecclesia, cum paterna tua Benedictione, incoepta fuit anno 1883 cura et sollicitudine Adm. R. P. Firmini Vallero, tunc temporis Ministri Provincialis, qui etiam Conventum huic Ecclesiae adnexum jam a duobus annis aedificari curaverat. Incoeptam postea quam maxime opere et consilio promovit Adm. R. P. Lucas Turbiglio, illius in Provincialatu successor; ac tandem, piorum fidelium, sed praecipue Fratrum dispersorum oblationibus, ac magna solertia, labore et dispendio, operibus praesidente R. P. Candido Mondo Provinciae Definitore, completa fuit hoc anno 1887, et quidem perpulchra et styli, ut ajunt, *Romanici*. Igitur die 12 mensis Junii p. e., quae fuit dies Dominica, Excellentmus ac Revdmus Dominus Basilius Leto, Episcopus titularis Samariensis, a Fratribus rogatus, summo mane ad novam Ecclesiam veniens, eam rite ac solemniter cum tribus ejus altaribus consecravit ac dedicavit; et peracta dedicatione primum Omnipotenti Deo obtulit Sacrificium ad Altare majus S. Antonio dicatum, dum interim aliae Missae ad alia duo Altaria, nempe Beatae Virginis de Salute et S. Josephi, celebratae sunt.

In sero autem, primis Vesperis S. Antonii solemniter decantatis, Excellentmus ac Revdmus Dominus Æmilianus Manacorda Episcopus Fossanensis analogo sermone, et postea cum cantu Hymni Ambrosiani ac trina pontificali benedictione, Ecclesiam cultui publico aperuit ac inauguravit.

Die sequenti, quae erat dies propria Sancti Nostri Titularis, hora decima matutina supradictus Excellentmus ac Revdmus Dominus Basilius Leto Missam pontificaliter celebravit, et in sero Vesperas solemnes decantavit ac

Pontificalem benedictionem impertivit, laudes S. Antonii dicente tum hac die solemni, tum per totam octavam, laudato Excellentmo ac Revdmo Episcopo Fossanensi.

In his solemnitatibus stipata semper fuit nova Ecclesia a concursu fidelium, qui adhuc ad eamdem convenire, et S. Antonium Patavinum Taurini Compatronum devoto studio ac honore prosequi pergunt.

Deo igitur gratias, qui dedit incipere, consummare et perficere; quique Fratribus suppressione dispersis domum hanc aperire permisit, ut in ea iterum congregati in unum manus suas extollant in Sancta, et benedicant Dominum. Gratiae etiam referantur Bmae Virgini dulcissimae Matri Nostrae Immaculatae, B. Francisco Patri Nostro amantissimo, B. Thomae Apostolo Provinciae Patrono ac B. Antonio Patavino, ut quorum protectione haec omnia perfecta cognoscimus et confitemur, ita eorum validissima intercessione Fratres ibi degentes Christi bonus odor semper efficiantur, et fideles qui hoc Templum beneficia petituri ingredientur cuncta se impetrasse laetentur.

Cum osculo sacrae tuae dexterae benedictionem imploro.

Taurini e Conventu S. Antonii Patavini die 8 Septembris 1887.

Paternitatis Tuae Revdmae
Humilmus ac Obmus filius,
Fr. Petronius Ugone Min. Prov.

—

REGULAE FRANCISCALES

(Continuatio).

CONSTITUTIONES S. COLETAE

CAPUT III.

DE QUALITATE HABITUS.

Cum Regula, seu forma vitae dicat, quod « Sorores vestimentis vilibus induantur », ordinamus et statuimus, ut vestimentorum vilitas attendatur in pretio pariter et colore. Et licet in eadem forma vitae contineatur, quod deposito habitu saeculari, Abbatisa concedat ei, scilicet intrare volenti, tres tunicas, et mantellum; tamen si necessitas, vel infirmitas seu conditio personae, vel loci, aut temporis aliqua urgeat, quod pluribus tunicis indigeat, declaramus, quod possit ei Abbatissa, de consilio Discretarum, modo debito providere, cum dicta forma dicat, quod Abbatissa provideat Sororibus de vestimentis, « *secundum qualitates personarum, et loca, et tempora, et frigidas regiones, sicut necessitati viderit expedire* » (1). Et est intelligendum, quod illae tres tunicae, quae in dicta forma vitae exprimuntur, non debent esse ejusdem formae seu figurae. Quia duae interiores conceduntur eis, non tantum pro forma Ordinis, sed potius pro fomento et calefactione seu honestate corporis. Nec etiam oportet quod sint ejusdem coloris. Quapropter volumus et ordinamus, quod tunica superior habitus Ordinis nuncupetur, sine quo non liceat Sororibus in publicum procedere, nec sine eo dormire, nisi infirmitate, vel debilitate, vel aliqua necessitate manifesta, quae per Abbatissam, vel ejus Vicariam legitima fuerit judicata, aliud cogant faciendum.

Longitudo habitus talis sit, quod dum fuerit indutus, ultra longitudinem Sororis deferentis eum non debeat dictus habitus ad terram protendi. Latitudo vero XIV palmorum (2) non excedat mensuram. Manicae ultra pugnum majus non extendantur. Tunicae interiores sint de humili panno, nec debent duplicari de pellibus sive pelliciis. Mantellus etiam sit semper de vili et grosso panno, non crispus vel rugatus circa collum. Nec etiam ita longus, quod supra terram ullo modo protendatur. Et semper in omnibus vestimentis Sororum appareat et reluceat vilitas, austeritas et paupertas in forma, pretio pariter et colore. Omnes etiam Sorores, tam Abbatissae quam aliae officiales de communi panno induantur, et omnis partialitas evitetur. Chorda, qua Sorores cinguntur, sit communis et rudis, et omnis curiositas ab ea penitus abscindatur.

Ceterum de operimento capitis statuimus et ordinamus, quod omnes Sorores, tam Abbatissae quam aliae professae sine distinctione aliqua operiant capita sua cum humilitate, honestate et religiositate, omni curiositate et vanitate sublata. Et ut melius semper ab omnibus ubique in Conventibus suis observetur, or-

(1) Reg. cap. II.

(2) Scilicet trium metrorum cum dimidio, secundum modernam mensuram.

dinamus, quod omnes Sorores taliter coaptent capitegia sua, quod frons et utraque maxilla et mentum operiantur pro majori parte, ita quod nullo modo vultus Sororum plene videatur. Vela vero et capitegia, quae ponuntur supra caput et circa collum, taliter coaptentur, quod totum caput et pectus et spatulae retrorsum pro majori parte ex eis operiantur. Item volumus, quod omnia vela et capitegia sint de communi, grossa et rudi tela, ut semper in eis reluceant sancta paupertas et austeritas suae professionis. Insuper ordinamus, quod quaelibet Soror de licentia et beneplacito suae Abbatissae possit habere duo vela nigra, et duo vel tria mutatoria capitegiorum alborum pro munditia semper observanda. Et caveant omnes Sorores, ne unquam habeant capitegia rugata, vel vela de serico, vel de alia materia pretiosa. Item, nulla Novitia portet velum nigrum ante professionem expressam, nisi esset professa in alia Religione, sed capitegia alba debito modo coaptata secundum dispositionem Abbatissarum, sicut hactenus est consuetum.

CAPITULUM IV.

DE DIVINO OFFICIO.

De divino Officio tam de die, quam de nocte DOMINO persolvendo, hoc observetur, quod ante omnium horarum canonicarum principia, statim post primam pulsationem omnes Sorores, quas bona causa non excusat, quae per Abbatissam, vel ejus Vicariam vera et legitima fuerit judicata, ad Chorum conveniant, DOMINO praeparaturae corda sua ibique sine discursu, murmure, risu et absque vanis et vagis aspectibus sub silentio et pace, cum debita et religiosa gravitate et reverentia permaneant. Et ibi usque in finem unanimiter perseverent: nec aliqua de Choro exire praesumat, dum dicitur divinum Officium, sine licentia Abbatissae, vel ejus Vicariae, sive ibidem Praesidentis, donec totum Officium fuerit persolutum. Easdem quoque Sorores hortamur in DOMINO J. C., ut semper et ubique divinum Officium persolvant attente, integre, plene et religiose; simul incipiant, simul pausent, et usque in finem unanimiter perseverent. Ita tamen, quod divinum Officium semper altius et prolixius dicatur, quam Officium B. MARIAE V. et mortuorum.

Quantum vero ad modum pulsandi pro veniendo ad Missam et ad alias horas canonicas, et quantum ad modum sedendi et genuflectendi, inclinandi, elevandi, vertendi et e regione standi, Sorores semper se habeant secundum consuetudinem et ordinationem Fratrum Minorum, nisi quantum ad aliquas caeremonias, quae eis non conveniunt.

Item nulla Soror litterata, cujuscumque conditionis existat, eximatur a Choro, sed omnes Sorores ad Missam et ad omnes Horas Canonicas venire teneantur, exceptis aegrotantibus actu, et servientibus illis pro tempore de licentia Abbatissae. Officiales vero et aliae Servitrices diligentiam talem debent habere in earum servitiis, quod taliter sua servitia et officia expediant, quod in Ecclesia cum aliis divinum Officium persolvant. Sorores etiam, quae non sunt litteratae, et quae, ut praefertur, non sunt infirmae, vel in servitiis aliarum pro tunc occupatae, ad Ecclesiam pari modo conveniant, ad persolvendum divinum Officium, ad quod sunt obligatae in aliquo loco, propter hoc eisdem assignato. Si autem Abbatissa, vel Vicaria aliquam Sororum in praemissis repererit negligentem, debite eam puniat secundum delicti exigentiam sive culpae.

Praeterea ordinamus, quod omni die infra octavam sanctae Clarae usque ad festum Assumptionis Virginis gloriosae fiat festum novem lectionum de eadem, et in aliis diebus post dictum festum Assumptionis fiat commemoratio de eadem ad *Benedictus* et ad *Magnificat.* Et deinde sancti Ludovici.

Rursus ordinamus, quod tempore generalis interdicti omnes Sorores matribus Ecclesiis se conforment, dummodo illud interdictum fuerit illis legitime per illos ad quos spectat, vel per eorum rectos nuntios, seu litteras denuntiatum. Et tunc Sorores, januis clausis, et interdictis, seu excommunicatis foris extra Ecclesiam ejectis, dicant et persolvant totum divum officium, sicut dicitur communiter officium B. Virginis in diebus simplicibus, non sedendo, sed stando, ut est consuetum. Si vero tempore interdicti praedicti aliqui de Fratribus deputatis in servitio Conventus, vel de Sororibus infirmari contingat, seu mori, communi

cetur, vel sepeliatur, non tamen solemniter, sed basso modo, et sine praesentia excommunicatorum seu interdictorum, ita tamen, quod de officio exequiarum vel communionis nihil omittatur.

Insuper ordinamus, quod semper post completionem officii divini dicatur post orationem Dominicam « Salve Regina », cum aliquibus orationibus, sicut hactenus est fieri consuetum. Item volumus, quod indilate post primam pulsationem Completorii pulsetur pro Collatione, in qua omnes Sorores sanae tenentur convenire, et illa, quae non est in principio, in crastinum per totum prandium careat vino, nisi justam habuerit excusationem.

(Continuabitur).

III.

MISSIONES

—

MISSIO SUPERIORIS AEGYPTI.

Postquam *A. R. P. Hieronymus a Monte S. Savini,* Praefectus Apostolicus Misssionis superioris Aegypti, supplicibus precibus iteratis rogaverit, ut a suo officio dimitteretur, S. Congregatio de Propaganda Fide renuntiationem tandem benigne acceptavit ac die 9 Septembris a. c. novum Praefectum Apostolicum pro dicta Missione nominavit *A. R. P. Franciscum Zanobi a Florentia,* Ref. Provinciae Thusciae.

—

EX REPUBLICA ARGENTINA.

Die 18 Augusti hujus anni, Rivi Quarti in republica Argentina Fr. P. Quiricus Porreca, filius Ref. Provinciae S. Bernardini in Aprutiis, et Collegii nostri de Propaganda Fide ibidem Guardianus, magno aureo numismate a civili auctoritate decoratus fuit pro meritis durante epidemico morbo asiatico (Colera). Numisma octo circiter unciarum ponderis in una facie gerit Monogramma benemeriti Patris, opere musivo ex pretiosis lapillulis inscriptum, quo circum verba *La virtud tiene su recompensa. Rio Cuarto. Republica Argentina,* in altera vero facie *Coléra de 1886-87.*

IV.

BIBLIOGRAPHIA

—

Orbis Seraphicus, historia de tribus Ordinibus a seraphico patriarcha S. Francisco institutis, de eorum progressibus per quatuor mundi partes etc. *De missionibus Fratrum Minorum* a S. Congregatione de Propaganda Fide dependentibus; tomus *secundus,* editioni adsistentibus PP. Marcellino a Civetia et Theophilo Domenichelli ejusdem Ordinis. Ad Claras Aquas (Quaracchi) prope Florentiam. Ex typographia Collegii S. Bonaventurae 1887, in fol. paginae VII et 906. — Pretium fr. 25.

Immensum opus *Orbis Seraphici,* cujus ideam primus concepit, descripsit et anno 1688 Capitulo Generali Romae celebrato obtulit P. Dominicus de Gubernatis a Sospitello, Ordinis Minorum de Strictiori Observantia, ex Reformata Provincia D. Thomae Apostoli, totius Ord. Chronologus, triginta quinque volumina in folio, in plures partes distincta, secundum rationem ab eodem stabilitam complere debuit. Ipse autem P. Dominicus non nisi quinque tomos edidit, scilicet primo quatuor de historia Ordinis *generaliter* tractantia; deinde primum tomum de *Missionibus* Ordinis antiquis (usque ad finem saeculi XV.), qui prodiit an. 1689. Primae autem seriei tomus I. editus est Romae 1682, qui in quinque libris agit de Ordinis fundatione, fine, Ministris Generalibus, regulis et reformationibus; tomus II, Lugduni 1685, tractans de variis familiis ejusdem et de tribus Ordinibus; tomi III. et IV, Romae 1684 et 1685, de ordinationibus Capitulorum Generalium, et de constitutionibus et decretis Apostolicis. — Post mortem P. Dominici aliis Patribus onus continuandi Orbem Seraphicum delegatum est; sed continuati operis unus tantum tomus, quantum scimus, impressus fuit, qui seriem operis alteram de Provinciis Ordinis in *particulari* tractantem inchoavit. Hunc edidit 1742 Augustae Taurinorum P. Sigismundus Cavalli a Cuneo Min. Ref., qui hunc tomum recenset *totius* operis volumen sextum et *secundae* partis tomum primum. Ipse refert de Provinciis Bavariae, Bohemiae, Austriae, Tyrolis, Slavoniae, Carniolae, Tridenti (cfr. pag. 885 col. 2 libri II de Missionibus nunc editi). Hic tomus P. Sigismundi fere remansit incognitus; invenitur tamen pluries in conventibus Austriae et etiam in nonnullis Italicis. Idem auctor alia duo volumina paravit edenda, quae tamen periisse videntur.

Tomus autem ejusdem Orbis Seraphici, quem nunc edidit Adm. Rev. P. Marcellinus cum suo socio, est secundus illius seriei, quae agit de *Missionibus* Franciscanis, a P. Antonio Maria de Turre ab Augusta Praetoria conscriptus ab anno 1730. Tractat autem tantum de missionibus nostris *recentioribus* (a saeculo XVII.), a S. Congregatione de Propaganda Fide dependentibus; quod etiam P. Dominicus de Gubernatis sibi proposue-

rat. De fatis huius operis miseris editores loquuntur in praefatione; sufficiat hic commemorare, partem non exiguam, ultimos tres libros et partem libri VI complectentem, igne periisse. Restant et impressi sunt libri tractantes de attinentibus ad missiones Propagandae in communi — de missionibus ad Valles Lucernae in Pedemontio — in Aegypto et Aethiopia — Albania — Cypro, Caramania, Pamphylia — Barbaria, Tunesi, Tripoli. Pro quodam perditarum partium supplemento Adm. Rev. P. Definitor Generalis Marcellinus a Civetia cum suo socio addidit tres appendices (a pag. 697-885) utilissimas et quasi necessarias omnibus, qui historiae Ordinis Minorum, praesertim missionum ejusdem, operam dare volunt. Ordine enim alphabetico recensentur in primo appendice 217 auctores vel rara opera, praesertim manuscripta, in secundo vero alia 52 cum diffusis excerptis, quibus aliud egregium ejusdem Adm. Rev. Patris opus: *Saggio di bibliografia Sanfrancescana*, quasi continuatur, augetur et interdum corrigitur.

Anastasio Bocci, M. O. — In morte del P. Alessandro Baroni, ricordo del P. Anastasio Bocci, Min. Oss.

Bernardus a Claravalle, Min. Oss. — L'Evoluzioni del Protestantesimo, Discorso letto nell'Accademia di S. Tommaso in Camerino da Fr. Bernardo Cappuccini da Chiaravalle dei MM. OO. — Chiaravalle, Tipografia di Augusto Spinaci 1887. In-8.°, pag. 42.

Calasanctius (P.) a Llevaneras. — Breves Soliloquios del alma con la Divina Pastora Maria SS., dispuestos para 31 Visitas, Triduo, Novena, y varias devociones, por el P. J. C. de Llevaneras, Capuchino, autor de varias obras. Con las debidas licencias, Barcelona, Imprenta y Lib. de la Immac. Concepcion, 13, Buensucesu 1887. Pag. 96.

Giacinto (P.) da Belmonte. — Racconti miracolosi per istruire dilettando, dal P. Giacinto da Belmonte, Cappuccino, d. g. cons. dell' Indice. Volumi II. Seconda edizione rifatta. Roma, coi tipi di Mario Armanni, nell' Orfanatrofio Comunale 1887. Prezzo L. 6.

Marcellino (P.) da Civezza, M. O. — Il Romano Pontificato. Sermone detto in Genova il giorno di Pasqua del 1856 dal P. Marcellino da Civezza, Min. Oss. Firenze, tipogr. di Mariano Ricci, 1877. Pag. 24.

Pietro (P.) Albini. — Genesino il Marinaio; racconto del P. Pietro Albini, Cappuccino, da Quinto al Mare. 2. vol. Genova, tipog. del R. Istituto Sordo-Muti 1887.

Remigio Buselli M. O. — Parole di commemorazione lette dal P. Remigio Buselli nella chiesa della Madonna di Livorno alle solenni esequie del fu M. R. P. Alessandro Baroni M. O. Bologna, tipografia Pont. Mareggiani 1887.

Il Terz'Ordine Secolare di S. Francesco d'Assisi, secondo le recenti disposizioni del Sommo Pontefice Leone XIII. Quaracchi, tipografia del Collegio di S. Bonaventura 1887.

V.
NECROLOGIA

A R. P. Cherubinus a Brientia Lector Iubilatus Provinciae Basilicatae.

Ad ceteras angustias, quae tenent cor nostrum ob civilem suppressionem Provinciae, quam, Deo auspicante, restaurandam videbimus ut repleatur numerus Fratrum, qui de die in diem ingrediuntur viam universae carnis, accessit exitus Adm. R. P. Cherubini a Brientia, Lectoris Iubilati de numero nostrae Obs. Provinciae Basilicatae, qui Neapoli sacramentis refectus, supremum diem obiit die 22 Februarii vertentis anni 1887. Pluries Definitoris officium exercuit. Ipse erat unus ex illustrioribus Provinciae Theologis, in qua Nostrates et exteros cum magno plausu et alumnorum profectu docuit. — Regularis disciplinae amantissimus, ipse praebebat exemplum bonorum operum, Fratribus quibus apprime charus fuit. — Hilaris semper et benevolus erga omnes, in charitate Christi, requiescat.

Nihil obstat

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

EX S. RITUUM CONGREGAT.

De patrinis in collatione baptismatis vel confirmationis.

Rev. Dominus Franciscus Pozzi, Praefectus Apostolicus Bengalae centralis, Sacrorum Rituum Congregationi insequentia Dubia pro opportuna solutione humillime subjecit, nimirum:

Dubium I. In collatione baptismatis adultorum, post tres genuflexiones et dicto *Pater noster,* Sacerdos dicit Patrino « Signa eam etc. » et nulla fit mentio de Matrina. Quaeritur: an in absentia Patrini Sacerdos debeat dicere Matrinae: « Signa eam etc. » vel potius, omisso signo crucis per Matrinam, Sacerdos tantummodo ter signare debeat de more catechumenum?

Dubium II. Interdum accidit quod desint Patrini pro baptismo solemni vel confirmatione, sed tantummodo praesto sint Moniales (Sorores charitatis): quaeritur, num in hujusmodi casu expediat conferre ea Sacramenta sine Patrinis, vel potius ut Moniales adhibeantur uti Matrinae in utroque Sacramento pro foeminis?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

Ad II. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

Atque ita rescripsit et servari mandavit die 15 Februarii 1887.

—

EX S. RITUUM CONGREGAT.

De praecedentia Tertiariorum.

LUCERINA.

Extat in loco vulgo dicto S. Bartholomaeo in Galdo, intra fines Dioeceseos Lucerinae, Sodalitas confratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci, penes Ecclesiam Ordinis Minorum Reformatorum, inde ab anno 1739 canonice erecta, cujus Moderatores ad Apostolicam Sedem nuper recursum habuerunt quoad jus praecedentiae in Processionibus. Quum vero altera Sodalitas adsit ibidem (nuper ad dignitatem Archiconfraternitatis evecta) a SS. Sacramento et Immaculata Deiparae Conceptione nuncupata atque anno 1781 rite approbata, quae ejusmodi praecedentiae jus sibi vindicare contendit: Moderatores confratrum Tertii Ordinis ad suum jus confirmandum, gravibus suffulti rationibus ac praesertim generali Decreto Sac. Rit. Congr. diei 28 Maji anno superiore lato (1), eidem S. Congregationi sequens Dubium discutiendum humillime subjecerunt; scilicet: num praefatum sodalitium Tertii Ordinis praecedentia gaudeat in dicto loco super ceteras Archiconfraternitates et Sodalitates laicas necne? Sacra porro Rit. Congregatio ad

(1) Cfr. *Acta* anno V, p. 150.

relationem infrascripti Secretarii, auditoque Rmo Dno Episcopo Lucerino, omnibus in casu mature perpensis, ita proposito Dubio rescribendum censuit:

Praecedentiam spectare privative ad Confratres Tertii Ordinis.

Atque ita rescripsit et servari mandavit die 2 Junii 1887.

D. Card. Bartolinius, *S. R. C. Praef.*
Laurentius Salvati, *S. R. C. Secretarius.*

—

EX S. CONGR. INDULG.

De recitatione Angelus *in Sabbato Sancto.*

Rmus Dnus N. Episcopus N. humillimis votis, ut solvantur sequentia dubia postulat:

I. Utrum, ultimo majoris hebdomadae triduo, laudabiliter recitetur *Angelus* ter in die, et obtineantur Indulgentiae sicut per annum?

II. Utrum in Sabbati sancti meridie fideles recitare debeant *Angelus* flexis genibus, an vero *Regina coeli* stando?

In conventu cum Emo Cardinali responsum fuit die 19 Iunii 1885:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad secundam.

F. Della Volpe, *Secretarius.*

—

INDULGENTIAE

pro festo Nativitatis D. N. J. Christi.

Ad excitandam majorem Christifidelium devotionem in solemnitate Nativitatis divini nostri Redemptoris Jesu Christi, et ad eam celebrandam cum fructu animarum suarum, Summus Pontifex Sixtus V cum Brevi *Ut fidelium devotio,* diei 22 Octobris 1586 concessit sequentes Indulgentias omnibus, qui vere contriti et confessi ac S. Synaxi refecti dicto die recitant divina Officia, vel iis assistunt personaliter in quacumque ecclesia, scilicet:

Indulgentiam centum annorum pro Matutino et Laudibus; Indulgentiam centum annorum tum pro Missa, tum pro primis et secundis Vesperis; Indulgentiam quadraginta annorum pro qualibet Hora, Prima, Tertia, Sexta, Nona et Completorio.

II.

ACTA ORDINIS

—

Fr. Bernardinus a Portu Romatino
strictioris observantiae
SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI
jam s. theologiae lector, venetae provinciae
ex-minister
ex-procurator reformatorum
s. r. c. consultor
totius ordinis minorum minister generalis
et humilis in domino servus

Omnibus et singulis dilectis plurimum Nobis in Christo Adm. RR. PP. Ministris Provincialibus necnon Custodibus gubernii Ordinis Nostri, Salutem et pacem in Domino.

Ea, quae inter Missiones Ordini Nostro Divina Providentia concreditas, evasit omnium celeberrima, et jure merito semper habita fuit veluti pretiosissima Ordinis margarita, nempe Missio Terrae Sanctae ab ipso Seraphico Patre Nostro Francisco primum instituta, et per septem ferme saecula usque ad hodiernam diem continuo tot laboribus et martyriis Franciscalium enutrita, nunc ob luctuosa praesentium rerum ac temporum adjuncta in magna penuria Missionariorum versatur, adeo ut, nisi cito provisum fuerit, haud paucas neque parvas Stationes, non sine Ordinis dedecore, aliis derelinquere cogatur.

Nos vero, qui ex muneris nostri ratione ad Custodiam Terrae Sanctae jugiter defendendam ac sedulo, prout tempora permittunt, conservandam totis viribus incumbere debemus, omnibus et singulis Provincialibus et Custodibus gubernii Ordinis Nostri necessitates Terrae Sanctae patefacere et ab ipsis opportunum auxilium invocare tenemur.

Et quia Summus Pontifex Benedictus XIV in sua Apostolica Constitutione incipiente *In supremo Militantis Ecclesiae,* data die 7 Januarii anni 1746, confirmata a fel. record. Pio Papa IX per Breve incip. *Romani Pontifices,* dato die 18 Augusti anni 1846, expresse mandavit atque praecepit, ut omnes Ordinis Provinciae sive Observantium, sive Reformatorum, aut Recollectorum vel Discalceatorum participes fiant benedictionum, quibus praemian-

tur Terrae Sanctae inservientes, ideoque decrevit in Terram Sanctam mittendos saltem duos ex unaquaque Provincia Missionarios; Nos harum Nostrarum vigore, praefato Summorum Pontificum praecepto inhaerentes, statuimus ut singuli Provinciarum Ordinis Ministri, vel Custodes gubernii, tam Observantium, quam Reformatorum aut Recollectorum vel Discalceatorum, proponant Nobis saltem unum ex suis Sacerdotibus, et, si possibile foret, etiam unum status laicalis Religiosum, qui puritate morum, pietate, sufficienti scientia quoad Sacerdotem, prudentiaque praediti ad inserviendum Custodiae Terrae Sanctae, in regionem pretiosissimis D. N. Jesu Christi vita, miraculis et Sanguine decoratam, quam primum a Nobis mitti valeant. Nos quidem non latet omnes Ordinis Nostri Provincias penuria Religiosorum laborare; tamen haud timendum censemus eis grave damnum obventurum propter unius, aut duorum Religiosorum absentiam in servitium et utilitatem Missionis Terrae Sanctae, quae alioquin sine prompto et concordi omnium Provinciarum auxilio miserrime prolaberetur. Imo firmiter sperandum est fore ut Dominus Noster, qui unum daturis centuplum repromisit, magis magisque excitet religiosas vocationes, ita ut Provinciae, quae unum vel duos ex suis Fratribus pro Terra Sancta suppeditarunt, multos multosque plures postea, Deo benedicente, recipiant. Minime vero dubitamus quin omnes et singulae Ordinis Provinciae atque Custodiae, urgentibus Missionis Terrae Sanctae necessitatibus pro suis viribus subvenientes, vocem nostram auxilium pro Sancta Custodia petentem audiant, paternae nostrae appellationi cito respondeant, et ita divinam clementiam, atque seraphicam Sancti Patris Nostri Francisci benedictionem, quam singulis toto cordis affectu impertimus, sibi demereantur.

Datum Romae, ad S. Antonium, die 4 Novembris anno 1887.

Fr. Bernardinus, Min. Glis.

L. ✠ S.

De mandato Pat. Suae Revmae
Fr. Mauritius de Venetiis
A secretis Missionum Ordinis.

—

AD FRATRES NOSTROS

Incitamenta Seraphica.

—

DE DISCIPLINA REGULARI RESTITUENDA

CAPUT III.

De studio et labore.

§ 4. De praedicatione Verbi Divini.

59. Christus Dei Filius proprio ore Evangelium salutis nobis annuntiare dignatus est. Ipse etiam ad praedicandum misit discipulos binos ante faciem suam, et ascensurus in coelum Apostolis suis ait (1): « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni « creaturae ». Hoc divini Redemptoris exemplo commotus S. Franciscus pariter se dedit praedicationi. Et ex eadem causa S. Pater etiam discipulos suos ad praedicandum mittere voluit, ut animarum salutem promoverent. Nam ait (2): « Dico vobis in veritate, quod Dominus Minores elegerit et miserit propter pro- « fectum et salutem animarum totius mundi ».

60. Ideo in Regula sua (3) praecepta et monita pro praedicatoribus posuit, « ex quo « patet, ait S. Bonaventura, quod Fratres ex « sua professione habent praedicare, in quo- « rum Regula inter omnes specialis tractatus « de praedicationis officio continetur, unde « certissime constat, quod nullis aliis Religio- « sis plus competit praedicare ex ratione sta- « tus sui, quam his qui hanc Regulam profi- « tentur ».

61. Propterea Gregorius IX ad omnes Ecclesiae Praelatos haec verba scribit (4): « Quo- « niam abundavit iniquitas et refriguit charitas « plurimorum, sacrum Ordinem dilectorum « filiorum Fratrum Minorum Dominus suscita- « vit, qui non quae sua, sed quae sunt Christi « quaerentes, tam contra profugandas haereses « quam contra pestes alias mortiferas extirpan- « das se dedicarunt etiam evangelizationi verbi « Dei, in abiectionem voluntariae paupertatis. « Nos igitur sanctum eorum propositum et ne- « cessarium ministerium favore benevolo pro-

(1) Luc. X, 1., Marc. XVI, 15.
(2) Opusc. part. III, proph. 7.
(3) Cap. IX.
(4) Anno 1237, VIII Id. Aprilis.

« sequentes, universitati vestrae ipsos affectuose « duximus commendandos, charitatem vestram « rogantes et exhortantes in Domino ac per « apostolica vobis scripta mandantes, quatenus « dilectos filios Fratres Ordinis memorati, pro « reverentia divina et Nostra, ad officium prae- « dicandi, *ad quod sunt ex professione sui Ordi- « nis deputati*, benigne recipere procuretis; ac « populos vobis commissos, ut ex ore ipso- « rum verbi Dei semen devote suscipiant, « admonentes etc. ».

62. Verbum Dei praedicatum miram ad animarum salutem promovendam efficaciam habet; comparatur enim ab ipso Christo semini, quod in terra bona uberrimos fructus profert (1). Ut autem verbi divini praedicatio vere salutaris fiat, opus est, ut ex legitima missione, seu auctoritate suscipiatur, et debito modo perficiatur. Propterea, prout dicit S. Bonaventura, B. Franciscus in capite nono suae Regulae primo agit de pertinentibus ad praedicationis auctoritatem, et secundo de pertinentibus ad praedicationis utilitatem. Ad legitimam missionem pro Fratre Minore requiritur consensus Episcopi, et approbatio Ministri Generalis. Ut vero praedicatio ab ipso debito modo perficiatur, salutaria monita debet observare, quae in praefato capite Regulae habentur.

63. S. Franciscus, humilitatis et pacis amator, noluit, ut ipsius alumni in alterius messem, invito domino, falcem mittant, et ideo eis prohibuit praedicationem « in Episco- « patu alicuius Episcopi, cum ab eo illis fue- « rit contradictum ». Prohibitio haec justissima est. Episcopi enim sunt Pastores, quibus greges commissi sunt, et ad quos spectat, pabulum doctrinae ovibus suis subministrare; ipsis ergo invitis, alius hoc perficere non potest. Juxta citata Regulae verba tamen ad licite praedicandum non requiritur consensus Episcopi expressus, sed sufficit tacitus, i. e. sufficit, ut ab eo illis non fuerit contradictum. In hoc sensu praedicationis prohibitionem intelligendam et a Fratribus Minoribus observandam esse declaravit Nicolaus III (2) dicens: « Quia « expresse continetur in Regula, quod Fratres « non praedicent in Episcopatu alicuius Epi- « scopi, cum ab eo illis fuerit contradictum, « nos in hoc et deferentes Regulae et nihilo- « minus auctoritatem apostolicae plenitudinis « conservantes, dicimus, quoad praedictum ver- « bum ad litteram, sicut Regula ipsa protulit, « observetur, nisi per Sedem Apostolicam circa « hoc pro utilitate populi christiani sit conces- « sum vel ordinatum aliud, vel in posterum « concedatur sive ordinetur ».

(1) Matth. XIII.
(2) Constit. *Exiit*, art. IX.

64. Successu temporis a Romanis Pontificibus varia privilegia circa praedicationem Fratribus Minoribus sunt concessa. Sed haec privilegia restricta fuerunt per Concilium Tridentinum, quod praecepit Regularibus, ut in propriis ecclesiis praedicaturi *benedictionem*, in alienis autem ecclesiis hoc munere functuri *licentiam* ab Episcopo petant (1). Quamvis vero Episcopi a praedicatoribus regularibus personalem praesentationem exigere possint, tamen huic juri etiam possunt renuntiare. Eos autem personalem praesentationem non exigere, vel ab expressa eorum declaratione, vel ex consuetudine et praxi dignosci potest. Ceterum ipsa S. Congregatio Episcoporum et Regularium anno 1635 Episcopos monuit, quod non debeant exigere personalem eorum praesentationem, qui longe ab ipsis dissiti sunt, voluitque, ut his per litteras, aut per Vicarios locorum benedictionem impertiantur.

65. Cum S. Regula tunc solum praedicationem prohibeat, si Episcopus contradicat, et Concilium Tridentinum nonnisi Episcoporum benedictionem aut licentiam requirat, videtur Fratribus Minoribus praedicationem licitam esse, si tantum parochi contradicant. Id expresse declaratum etiam fuit ab Alexandro IV. Nihilominus multae rationes suadent, ut, etiam parochis contradicentibus, a praedicatione in eorum ecclesiis abstineatur; secus enim pax turbaretur et scandala orirentur. Propterea ipse S. P. N. Franciscus, cujus exemplum utique sequi oportet, in suo Testamento ait: « Si haberem tantam sapientiam, « quantam Salomon habuit, et invenirem pau- « perculos sacerdotes hujus saeculi, in eccle- « siis, in quibus morantur, nolo praedicare ul- « tra voluntatem eorum ». Praeterea S. Pater considerans, quod regimen animarum pertinet principaliter ad pastores ecclesiasticos, acciden-

(1) Sess. V. de reform. cap. 2.

taliter autem ad Religiosos, Fratres suos sic admonuit (1): « In adiutorium clericorum « missi sumus, Fratres charissimi, ad anima- « rum salutem, ut quod in illis invenitur mi- « nus, suppleatur a nobis. Quilibet recipiet « mercedem, non secundum auctoritatem, sed « secundum laborem. Scitote, Fratres, quod « DEO est gratissimum animarum lucrum. Hoc « consequi melius possumus cum pace cleri- « corum, quam cum discordia. Si autem ipsi « salutem impediunt, DEI est ultio, et ipse « retribuet eis in tempore. Ideoque estote sub- « jecti Praelatis, ne quantum ex vobis est, « malus zelus consurgat. Si filii pacis fueritis, « clerum et populum lucrabimini: et hoc ac- « ceptabilius DEO erit, quam populum solum, « clero scandalizato, lucrari. Tegite eorum « lapsus, multiplices eorum supplete defectus; « et cum haec feceritis, humiliores estote ».

66. S. Regula vult, ut praedicationis officium exercere volentes prius a Ministro Generali examinentur et approbentur. Cum autem successu temporis ob magnam Ordinis amplitudinem sine plurimis difficultatibus hoc a solo Ministro Generali peragi non potuisset, Nicolaus III facultatem Praedicatores examinandi et approbandi etiam Ministris Provincialibus cum Definitoribus in Capitulo congregatis concessit; ait enim (2): « Nos et statum « praeteritum ipsius Ordinis in paucitate sui, « et modernum in ampliato Fratrum numero « ac utilitatem animarum (ut condecet) ad- « vertentes, concedimus, nedum Generalem « examinare et approbare Fratres praedicatu- « ros in populis, ac illis concedere licentiam « praedicandi, quatenus personae idoneitatem « et praedicationis officium licentia ipsa re- « spiceret, prout in Regula continetur; ve- « rum etiam Provinciales Ministri hoc possint « in Capitulis cum Definitoribus: quod etiam « hodie observari dicitur, et in Fratrum pri- « vilegiis contineri: quam quidem licentiam « praefati Ministri revocare ac suspendere va- « leant ac arctare, sicut et quando id eis vi- « debitur expedire ».

67. Ut Minister Provincialis aliquem sacerdotem *extra Capitulum* pro praedicationis officio valeat approbare, opus est, ut specialem ad hoc a Ministro Generali obtinuerit facultatem.

68. Examen non est necessarium pro illis, de quorum scientia, pietate et dexteritate ad praedicandum jam aliunde constat, prout observat S. Bonaventura.

69. Quamvis Fratres licentiam praedicandi a Ministro Generali vel Provinciali obtinuerint, in exercitio tamen praedicationis a Superioribus suis localibus dependent, qui, attentis personarum et locorum circumstantiis, ad praedicandum illos deputare tenentur, quos aptos et dignos iudicaverint. A recto ergo tramite aberrant Fratres illi qui, amore proprio obcaecati, seipsos pro quolibet pulpito aptos et dignos putant, et si non deputentur, injuriam sibi fieri censent, inquietantur et obmurmurant.

70. Gravem pariter reprehensionem merentur illi, qui a praedicationis munere se eximere conantur, vel quia nimis timidi sunt et judicia hominum expavescunt, vel quia pigritiae dediti labores cum praedicatione conjunctos abhorrent. Omnes isti amore proprio decipiuntur. Si enim ex obedientia erga Superiores praedicationis munus suscipiant et necessariam diligentiam adhibeant, divinum auxilium certo obtinebunt, et gloriam DEI promovebunt, quam unice quaerere debent, judicia hominum non curantes. Qui ex pigritia labores refugiunt, per exemplum CHRISTI, Apostolorum et tot Sanctorum, qui pro gloria DEI et animarum salute diu noctuque laborarunt, miserrime confunduntur, et judicium servi pigri, qui talentum suum in terra abscondit, pertimescere debent.

71. In salutaribus monitis, quae S. Pater dat Praedicatoribus in nono capite Regulae, indicat modum, quem observare, finem, quem sibi praefigere, materiam, quam pertractare, et tempus, per quod praedicationi insistere debent.

72. Quod *modum* praedicandi attinet, vult S. Pater, ut *examinata* et *casta* sint Praedicatorum eloquia. Siquidem praeter doctrinam diutino studio comparandam, aliud etiam immediatius instituendum est examen de materia auditorio proponenda, cui instans concio est facienda. SPIRITUS enim SANCTUS dicit (1):

(1) Opusc., tom. III., coll. 12.
(2) Constit. *Exiit,* art. IX.

(1) Eccli. XXI, 28.

« Ne temere quid loquaris, neque cor tuum « sit velox ad proferendum sermonem coram « Deo ». Quantum quis amat veritatis certitudinem, tantum laboris adhibet ac diligentiae ad magis eam investigandam, ut eam securo animo valeat enuntiare. In hoc non mediocriter peccant extemporanei quidam concionatores, qui suo judicio semper parati, quolibet tempore audent conscendere cathedram et perorare. De vanis talibus gloriosis nimiumque sibi fidentibus declamatoribus recte Quintilianus pronuntiavit (1): « Qui stultis videri eru« diti volunt, stulti eruditis videntur ». Conciones ex tempore habitae sunt ut plurimum plenissimae vanitatis neque initium aptum neque finem habentes, periculoque verbosae subjacent redundantiae et vaniloquentiae, quam caveret facile sedula praemeditatio.

73. Sollicitam ergo apponamus curam ea colligendi, quae consideratis auditorii conditionibus, coram quo praedicaturi sumus, fuerint opportuna, quaeque eos affectus, quos intendimus, in ipsis valeant suscitare. Totam etiam materiam tam apta faciamus connexione cohaerentem, ut possit facile retineri. Dum res subtiliores fuerint proponendae, tot modis formisque repetendae sunt et evolvendae, ut speremus omnes, nisi stupidissimi sint, eas intellecturos. Divinae res, quae in sacro pulpito tractandae sunt, ad mortem vitamque pertinent animarum, ideoque non nisi summa cum attentione, reverentia et maturitate sunt pertractandae.

74. Cum res dicendae congregatae, scriptae, dispositae atque memoriae mandatae fuerint tamquam aliis enuntiandae, easdem prius velut nobisipsis dictas accipiamus, sintque nobis instructionis spiritualis materia ad mores proprios componendos, vel ad amorem Dei timoremque in nobis suscitandum. « Quis plan« tat vineam, et de fructu eius non edet (2) »? Si concionator secus fecerit, de ipso dici potest (3): « Est vir astutus multorum eruditor, « et animae suae inutilis est ».

75. Praedicatoris eloquia etiam *casta* esse debent, i. e. remota a quacumque dictione, quae gravitati materiae, et sanctitati tum loci tum muneris adversari videtur. Sapientia illa divina, quae debet per os prodire concionatoris, tota sancta est, coelestis et a terrenis remotissima vaporibus. Unde S. Iacobus eam describens, puritatem pro prima ejus assignat conditione, dicens (1): « Quae desursum est « sapientia, primum quidem pudica est ». — Cum necesse fuerit aliquid de lutosa illa attingere materia, id extremis digitis, maximoque cum timore fiat ac verecundia. Vitari ergo omnino debent dictiones omnes, quae aures pudicas offendere, vel etiam innocentibus scandalum parere possent.

76. Procul sint etiam a concionatore sacro verba scurrilia, jocosa et nonnisi risum moventia. Abstinere quoque debet a sententiis et verbis nimis obsoletis et plebeis, quae sacrum munus inhonorant; nec non ab ironicis et satyricis, quae auditores exasperant. Neque leviter sacri verbi profanant puritatem allegationes nimis frequentes poëtarum et philosophorum ethnicorum, sicut et illi qui loco sacrarum historiarum, ad virtutis exemplum obtrudunt facta paganorum, et fabulas deorum inanium, quibus nec ipsi maturiores ethnici crediderunt. « Numquid non est Deus in Israel, « ut eatis ad consulendum Beelzebub deum « Accaron (2) »?

77. *Finem* praedicationis S. Pater indicavit, dum dixit, sacra eloquia proferenda esse ad *utilitatem* et *aedificationem* populi. Imprimis invigilandum est rectitudini intentionis in hoc munere praefigendae; nimirum ut non nostram, sed Dei gloriam quaeramus. Sic divino enim judicio decretum est, ut qui ad propriam augendam gloriam in publicum prodiere, nihil proficiant animabus. Intentionis puritatem, quam in ceteris omnibus operibus bonis a servis suis poscit Deus: multo magis in hoc exigit opere praedicationis, quod principaliter a Spiritu Sancto noscitur exerceri. Magna fatuitas est, quod praesumat humana imbecillitas de divinae virtutis opere gloriari. Eam sub sequenti similitudine noster Fr. Ioannes Lucensis describit dicens (3): « Heu, quam « fatui sumus, qui de bonis actibus, quos Deus « per nos operatur, stulte gloriamur; non ali-

(1) Institut. lib. X, cap. 7.
(2) I. Corinth. IX, 7.
(3) Eccli. XXXVII, 21.

(1) Iac. III, 17.
(2) IV. Reg. I, 3.
(3) Annal. Ord., tom. VI. ad ann. 1472, n. 36.

« ter quam gloriabunda musca arantis bovis « cornibus insidens sub vespere dicere posset: « Ecce quam spatiosum campum aravimus ». Imitemur ergo sanctum Apostolum Paulum, qui de se dicere potuit (1): « Ita loquimur, « non quasi hominibus placentes, sed Deo, « qui probat corda nostra. Neque enim ali- « quando fuimus in sermone adulationis, sicut « scitis, neque occasione avaritiae; Deus te- « stis est, nec quaerentes ab hominibus glo- « riam, neque a vobis, neque ab aliis ». Per hanc sinceritatem intentionis verbum Dei potentissimum factum est in ore eius.

78. Quidam rogavit aliquando S. Bernardinum, ut quum tanti apud omnes populos haberentur sermones, quos publice enuntiabat, tantumque fructum parerent, doceret ipsum singulares, quas in enuntiandis ipsis sermonibus regulas observaret, quibus instructus utiliores et ipse suos, quos habituros esset sermones facere posset. « Unicam, dicebat Sanctus, tan- « tum regulam observavi ». Quod quum ille admirans ac gaudens simul, quod facilior ei esset unius quam plurium regularum observatio, quaenam esset haec regula rursum quaesivisset: « Ex quo, ait, coepi huic exercitio « intendere, numquam nisi propter honorem et « laudem Dei verbum aliquod protuli. Atque « haec regula, quam semper sollicitius obser- « vavi, mihi praestitit quidquid vel scientiae, « vel eloquentiae vel promptitudinis vel aucto- « ritatis sum consecutus. Haec, quascumque « animas errantes ad Deum converteram, sola « mihi praestitit (2) ». Absque dubio eos dirigit et adjuvat Spiritus Sanctus, quos videt pura mente serioque conatu in id unum collimare et hoc opus aggredi, ut prosint spiritualiter promotioni virtutis, pietatis et poenitentiae. Ipsi experiuntur, quod olim promisit Dominus (3): Inebriabo animam sacerdotum pin- « guedine, et populus meus bonis adimplebi- « tur, dicit Dominus ».

79. *Materiam* in concionibus pertractandam S. Pater quatuor verbis indicat, in quibus omnia in sacro pulpito dicenda continentur. Vult enim, ut Fratres sui hominibus annuntient *vitia* et *virtutes, poenam* et *gloriam*, i. e. omnia, quae vitanda et agenda, quae timenda et speranda sunt.

(1) I. Thessal. II, 4.
(2) Annal., tom. V.
(3) Ierem. XXXI, 14.

80. Circa *tempus*, per quod praedicationi insistendum est, S. Pater monet, ut concionetur « cum brevitate sermonis ». Secundum S. Bonaventuram « haec brevitas excludit ver- « borum ambages, et sententias involutas, « verba etiam ardua supra capacitatem audien- « tium ». Brevitas sermonis etiam ita intelligi potest et debet, quod praedicator sermonem suum non ultra terminos discreti temporis extendat. Ideo dicit S. Bonaventura: « Ad lit- « teram etiam studendum est brevitati, quia « prolixitas generando fastidium, auditores re- « trahit saepius ab auditu ».

81. Ipsum Concilium Tridentinum ea, quae a S. Regula nostra praescribuntur, Praedicatoribus injungit, scilicet quod « plebes sibi « commissas pro sua et earum capacitate pa- « scant salutaribus verbis, docendo ea, quae « scire omnibus necessarium est ad salutem, « annuntiandoque eis cum brevitate et facili- « tate sermonis vitia, quae eos declinare, et « virtutes, quas sectari oporteat, ut poenam « aeternam evadere, et coelestem gloriam con- « sequi valeant (1) ».

(Continuabitur).

CAPITULA PROVINCIALIA

anno 1887 celebrata.

XXIII.

Obs. Prov. Ssmae Trinitatis de Chile.

Die 1. Septembris celebratum fuit Capitulum Provinciale, in Conventu B. M. V. de Succursu Civitatis Sancti Jacobi, in Republica Chilena, sub praesidentia Adm. R. P. Isaiae Nardocci, Commissarii Generalis et Visitatoris, in quo rite atque canonice electi sunt:

Minister Provincialis

Adm. R. P. Antonius a Jesu Rodriguez, Theologiae Lector et bis ex-Minister.

Custos Provinciae

R. P. Marcus Bula, ex-Definitor.

(1) Conc. Trid. sess. V. cap. 2. de Reform.

DEFINITORES PROVINCIAE

R. P. Angelus Custos Pollanco.
R. P. Pius a Sancta Maria Moura.
R. P. Franciscus Muñoz.
R. P. Emmanuel Jesus Fuenzalida.

XXIV.

Ref. Provincia Principatus.

ELECTIO VICARII PROVINCIALIS ET NOVI CUSTODIS.

Defuncto die 4 Octobris A. R. P. Francisco a Monteforti, Provinciae Ministro, a Definitoribus in Conventu S. Mariae Lauretanae Castromaris legitime congregatis, die 12 Octobris plenis votis rite et canonice electus est in Vicarium Provincialem, Adm. R. P. GULIELMUS A CASTROMARI ex-Minister et actualis Custos Provinciae, in Custodem vero, unanimi item voto, eadem die electus est Adm. R. P. FRANCISCUS AB AJELLO, ex-Minister Provincialis.

—

REGULAE FRANCISCALES

(Continuatio).

CONSTITUTIONES S. COLETAE

CAPITULUM V.

DE ABSTINENTIA.

Cum secundum formam vitae *omni tempore Sorores debeant jejunare* (1), dicimus consequenter, quod semper et ubique ab esu carnium se debent abstinere. Et licet in dicta forma vitae contineatur ista clausula, videlicet: Quod *in Nativitate* DOMINI, *in quocumque die venerit, Sorores bis refici possunt,* declaramus, quod propter hoc non conceditur eis eadem die esus carnium, sicut nec in diebus Dominicis, in quibus etiam Sorores bis refici possunt. In communitate, vel alibi sicut bis reficiuntur omnes Christiani in diebus Quadragesimae secundum consuetudinem et ordinationem sanctae matris Ecclesiae. Item in eadem continetur, quod cum adolescentulis et debilibus, sicut videbitur Abbatissae, misericorditer dispensetur. Circa quod est notandum, quod in hujusmodi dispensatione aetas vel debilitas communiter bono modo determinari non potest, cum saepe contingat, quod aliquae sint fortiores in decimo tertio anno, quam aliae in decimo sexto. Et etiam aliquae sunt magis gravatae ex modico et levi morbo, quam aliae de majori et prolixo morbo. In his autem hortamur easdem in DOMINO, ut per omnia ita prudenter se habeant, ut secundum DEUM et rectam conscientiam inter ipsas magis charitas CHRISTI quam carnalitas corporis humani reluceat, et magis justa dispensatio quam crudelis dissipatio appareat, quia saepe propter hujusmodi dispensationes fiunt magnae relaxationes. Possit tamen Abbatissa vel ejus Vicaria, de consilio Discretarum, cum supradictis adolescentulis debilibus, etiam et infirmis, quod bis vel pluries reficiantur in dies, dispensare, cum vera et justa causa hoc requirat, quibus, secundum earum necessitatem et imbecillitatem, tam in cibariis quam in aliis faciat eis sufficienter provideri.

Ordinamus insuper, quod Abbatissae solitam curam gerant, quod de eleemosynis, quae obveniunt Conventibus, provideatur competenter iuxta eleemosynarum et obventionum quantitatem Sororibus in communi, ne ipsae Sorores, propter defectum communis et sufficientis victus, habeant occasionem desistendi ab inceptis.

(1) Reg. c. III.

CAPITULUM VI.

DE CONFESSIONE ET RECEPTIONE CORPORIS DOMINI N. I. C. ET DE CONFESSORE ET SOCIIS EJUS.

Ut autem in Sororibus dicti Ordinis puritas mentis et corporis magis vigeat, fervorque et amor erga sacratissimum Corpus DOMINI augeatur et concrescat, volumus et ordinamus, quatenus ultra numerum in forma vitae taxatum, videlicet, *« quod duodecim vicibus de Abbatissae licentia Sorores confiteantur in anno »,* quaelibet Soror, ubi legitima praepeditio non fuerit, de quindena in quindenam Confessori Conventus de licentia Abbatissae confiteatur. Et omnibus diebus Dominicis dictarum quindenarum, cum septem vicibus in dicta forma vitae contentis, devotius prout poterit, recipiat

Corpus sanctissimum DOMINI in Missa Conventuali, nisi de licentia Abbatissae, de consilio Confessoris Conventus aliqua vellet remanere et a dicta receptione abstinere, et usque ad aliam diem propter justam causam retardare. Volumus etiam et praecipimus per obedientiam, ut nulla Soror, cujuscumque conditionis existat, possit vel audeat confiteri alicui confessori religioso vel saeculari cujuscumque conditionis, gradus vel dignitatis existat, praetextu etiam cujuscumque gratiae vel privilegii alteri eorum concessae, nisi confessori Conventus, et nisi de beneplacito et licentia Abbatissae obtenta et majoris partis Discretarum, et pro justa et rationabili causa. Item ordinamus, quod ab ultima pulsatione Completorii usque ad horam Tertiarum, nulla Soror vadat ad Confessionem, nisi quando fuerit necessitas magna. Quamvis autem in forma vitae dictarum Sororum contineatur, quod pro communicandis Sororibus infirmis et sanis Capellano liceat intus celebrare: tamen modernis temporibus propter multa pericula et magna inconvenientia, quae ex hujusmodi celebratione et communicatione ad intra possent Sororibus in futurum evenire, praecipimus per obedientiam omnibus Abbatissis et Ostiariis et Sororibus aliis praesentibus et futuris singulorum Conventuum et locorum, quod numquam permittant vel consentiant aliquem Sacerdotem regularem vel saecularem intra clausuram ipsarum celebrare, vel intrare pro Sororibus sanis vel infirmis communicandis, nisi forte aliqua ipsarum gravi corporis infirmitate videatur tendere ad extrema, vel etiam in casu, quo aliqua ipsarum lepra vel aliqua alia infirmitate seu contagione prolixa gravaretur, et aditus bono modo esse non posset, nec opportunitas, quod taliter infirmans posset sine periculo cum aliis Sororibus in Ecclesia Missam audire vel Corpus DOMINI recipere. Et tunc in dicto casu concedimus, quod septem vicibus in forma vitae statutis, Confessor vel socius suus in absentia sua, pro hujusmodi celebratione, vel administratione facienda intra clausuram possit intrare.

Praeterea, cum dicta forma vitae contineat, quod Sorores Capellanum cum uno Clerico bonae famae, discretionis providae, et duos Fratres laicos sanctae conversationis et honestatis amatores, in subsidium paupertatis misericorditer ab Ordine Fratrum Minorum semper habeant: quae quidem verba declaramus ita debere intelligi, et fieri in modum, qui sequitur, videlicet: Quod in quocumque Conventu dictarum Monialium Sorores habeant, vel habere valeant quatuor Fratres de Ordine Fratrum Minorum, quorum primus et principalis sit Capellanus, i e. Sacerdos, et Confessor ipsarum. Qui quidem talis debet institui et assignari, qui sit probus et devotus, providus et discretus, ac in Observantia Regulari probatus, non multum juvenis, sed idoneae aetatis. Secundus Frater sit socius suus, qui non solum debet esse Clericus, sed simplex Sacerdos bonae famae et discretionis providae; cui Confessor Sororum poterit confiteri, quandocumque indiguerit. Et alii duo Fratres sint Laici, qui, sicut dicit forma vitae, debent esse sanctae conversationis et honestatis amatores. Quos quatuor Fratres Abbatissa cujuslibet Conventus de consilio Discretarum suarum, debet humiliter et de gratia a Generali Ministro vel a Provincialibus Ministris postulare. Et praefatus Generalis pro omnibus Conventibus dictarum Sororum, vel dicti Ministri Provinciales pro Conventibus dumtaxat in suis Provinciis situatis, debent dictae postulationi misericorditer et intuitu pietatis DEI, et beati Francisci condescendere, et praedictos quatuor ei concedere.

CAPITULUM VII.

DE CLAUSURA.

Innocentius Papa IV in forma vitae ait: Omni namque tempore vitae suae hanc vitam profitentes, clausae manere debent. Et postquam claustrum hujus Religionis intraverint aliquae et professae fuerint, hanc regularem observantiam promittentes, nulla eis conceditur licentia vel facultas inde ulterius exeundi, nisi forte causa plantandi vel aedificandi eamdem Religionem, vel reformandi aliquod Monasterium, seu causa regiminis vel correctionis, seu alicuius gravis dispendii devitandi per licentiam Generalis Ministri Ordinis Fratrum Minorum, seu Provincialis illius Provinciae ejusdem Religionis, in qua Monasterium situm fuerit, ad aliquem locum transmittantur.

Volumus autem, quod quandocumque continget aliquam vel aliquas praefato modo transferri, quod ad clausuram Ordinis sibi assignatam, cum secura et honesta societate, quam citius potuerint, accedere festinent. Et illa seu illae, quas contigerit sic transferri, caveant, dum erunt inter homines, seu personas saeculares vel Regulares, a sermonibus indiscretis, a vanis et apertis aspectibus personarum quarumcumque: sed semper sint modestae et humiles, honeste loquentes omnibus, sicut decet.

Item, in dicta forma vitae fit mentio de Sororibus extra Monasterium servientibus, quae, prout habetur ibidem, faciebant professionem sicut aliae Sorores, praeterquam ad votum de clausura, et intrabant Monasterium et egrediebantur, ac serviebant aliis Sororibus de illis, quae extra Conventum negotiari oportebat, secundum quod erat expediens. Nihilominus tamen propter multa incommoda et pericula, quae dictis Sororibus et Conventibus ex hoc possent evenire, Dominus Papa Benedictus XII ordinavit ac statuit, quod de cetero nulla Sororum professa, nisi in certis casibus in forma vitae positis, extra clausuram exire praesumat. Nos vero ordinationem praedictam inviolabiliter observari volentes, praecipimus, quod omnes Sorores cujuscumque conditionis ac status fuerint, quae sunt ad observationem professionis adstrictae, et quae de cetero adstringentur, debeant sub perpetua clausura manere; ita quod nulli earum sub servitialium nomine vel quacumque alia ratione vel causa fit, vel esse valeat clausuram hujusmodi deinceps egrediendi facultas nisi prout dictum est, in casibus supra dictis. Si tamen in futuro praefatae Sorores indigerent obsequio et servitio aliquarum devotarum feminarum maturarum et honestarum, aetateque provectarum, recipiant eas in praefatis obsequiis et servitiis ipsarum, dum tamen in habitu saeculari incedant, quae non admittantur ad interiora Monasterii, quovis modo. Praeterea ordinamus, quod in quolibet Conventu in loco patenti et communi habeatur unum tantum torneatorium fortissimum, latitudinis et altitudinis congruentis, et ita compositum, quod per rimas ejus aliquis nec intrare Conventum, nec extra possit aspicere, per quod Sorores possint res sibi oblatas recipere, et reddere extra, illa quae fuerint reddenda. Si autem res hujusmodi essent ita magnae et grossae, latae vel longae, quod per rotam sive illud torneatorium non possent commode intrare vel extra poni, tradantur per portam in Monasterium, et extrahantur quando oportebit.

Insuper pro majori securitate et honestate tam Sororum quam Conventuum, ordinamus, quod in nullo Conventu dicti Ordinis facto vel fiendo, fiat seu fieri permittatur quovis modo alia crates, sive aliud loquutorium, seu aliud torneatorium seu porta, aliter quam consueverint; sufficiat omni tempore ubique in quolibet Conventu habere unum loquutorium, cum rota sive torneatorio, et una crates et una porta in locis publicis et consuetis. Rursum ordinamus, quod prope rotam sive torneatorium habeatur loquutorium cum una crate ferrea forti et firma, quatenus et ibidem in loquutorio Sorores loquantur, secundum modum et formam vitae, et in praesenti Ordine descriptum, dum oportuerit et fuerit utile vel necesse. Item ordinamus, quod infra clausuram Conventus de directo contra vel ante portam principalem, sit una alia porta minus principalis eo modo clausa et obserata, sicut prima porta, et taliter disposita, quod Sorores nullo modo possint ire vel pertingere usque ad portam principalem, nec forenses propter obstaculum dictae portae secundae per rimas portae principalis, si quae sint vel essent, possint respicere intra Conventum nec Sorores audiri. Item volumus, quod ostia virgulti et dormitorii sint de nocte clausa, et firmiter obserata.

Praeterea, ut major securitas inter eas vigeat, ordinamus, quod nulla Soror, cujuscumque officii vel conditionis existat, aliquam litteram recommendatitiam, sive missivam clausam, et apertam pro se, vel pro aliqua alia quovis modo in rota, crate, porta vel alibi ponat seu poni faciat, ut foras mittatur vel portetur, nec aliquam ibi positam vel undecumque per quamcumque personam positam vel projectam recipiat, sive recipi faciat, legat vel aperiat, sive legi vel aperiri faciat, nisi prius Abbatissae vel eius Vicariae littera fuerit tota integra tradita et praesentata. Quas quidem litteras Abbatissa vel ejus Vicaria debet legere, antequam mittantur vel

recipiantur ab aliqua Sororum. Et in casu, quo ipsa Abbatissa vel ejus Vicaria in eisdem litteris reperiat aliquid non scribendum vel recipiendum, nullo modo tradentur Sorori, cui mittuntur vel extra Conventum missae per eandem mittantur, sed graviter Soror puniatur, nec alicui concedatur, quod litteram ponat in manu deferentis. Item, nulla Abbatissa litteram aliquam sibi deforis missam legat, nec alicui extra Conventum scribat vel litteram mittat, nisi prius dicta littera fuerit praesentata uni Sorori, Discretae assignatae per alias Discretas pro hujusmodi causa, quae omni anno debet mutari, et alia loco ejus assignari; quam litteram dicta Soror sic assignata debet legere antequam mittatur vel recipiatur ab Abbatissa.

(Continuabitur).

III.

MISSIONES

—

EX REPUBLICA ARGENTINA.

De morbo asiatico et de opera Patrum nostrorum ac Monialium Tertii Ordinis, ex relatione R. P. Quirici Porreca, Guardiani Collegii S. Francisci Solano in Rivo Quarto.

Rme Pater,

Ut debito meo piisque P. V. Rmae desideriis, per Epistolam diei 22 Martii patefactis, satisfaciam, narrationem aggredior de morbo asiatico *(Cholera),* qui hanc civitatem, provinciamque invasit a die 28 Novembris anni praeteriti, usque ad mensem Februarii currentis anni; simulque notum faciam quam laudabiliter se gesserint tum religiosa Communitas, cum Sorores Tertiariae S. P. N. Francisci.

Verum ante omnia protestor coram Deo et hominibus, in praefata relatione nihil iactantiae et vanaegloriae animum moveri; sed tantum ut major Dei gloria, proximique aedificatio promoveatur, utque Nostrates ante oculos habentes quae ab antecessoribus peracta fuerint, ad sequenda eorum vestigia excitentur; quippe quod soli Deo debetur honor et gloria, qui per inutilia mundi mirabilia operatus est.

Mense igitur Octobris praeteriti anni rumor irrepsit civitatem *Buenos-Ayres,* hujus Reipublicae caput, a terribili visitatam esse *Cholera-morbo.* Et statim cujuscumque ordinis auctoritates vocem dederunt, praecipientes ut Reipublicae habitantes salubritati pro viribus vacarent, ac sese abstinerent a fructibus aliisque alimentis, quae quoquo modo possent interaneas perturbationes excitare; ponentes insimul custodes (cordoni), qui Provinciam a Provincia, commune a communi per *cuarantenas* separarent. Commissiones, ut dicunt, hygienicae, a respectivis Municipiis statutae, frequenter domos et publica opificia (stabilimenti) visitabant; illudque tali apparatu ac imprudentia peragebant, ut timorem non modo mitigarent, sed omnino foverent.

Omnibus, quae a *scientia* et prudentia dictabantur, statutis, exceptione facta ad Deum accedendi, ejusque misericordiam publice implorandi, cum sacrae functionis prorsus prohibitae fuerint, sub praetextu majoris periculi, propter populi coadunationem in templis, liberos ab omni contagione se putabant.

Paucis abhinc diebus, Cholera, talibus ordinationibus non obstantibus, custodum vigilantiam irridet, civitates et oppida uti absolutus dominus aggreditur, victimasque humanas plena manu metit ac mactat.

Dum publicae ephemerides vocem minitantis morbi dederunt, astiti coram Dno Alexandro Roca, hujus loci Praefecto, meque sacerdotesque meae curae subjectos libenter offerens, non modo pro ministerio sacerdotali, verum etiam pro quocumque etiam humillimo officio. Quod praefatus Dominus pergratum habens, die 28 Novembris mihi injunxit ut in curru, qui de industria paratus erat, ad loca, quae vulgo *el cuartel de la Artilleria* vocantur, me conferrem; ibi enim aliquos casus dicebatur advenisse, et simul quae de morbi qualitate sentirem, patefacerem. Reapse, ibi quatuor personas cholera infectas inveni, etsi morbus non gravis appareret. Illis infirmis Ecclesiae Sacramentis refectis, ad praefatum Dominum reversus sum, tum ut officii mihi crediti partem darem, tum ut aliqua remedia indicarem, quae opportuniora videbantur ad morbi propagationem repellendam; pro quibus necessarium fore, dixi, ut nonnulla habitacula immunda et

vera sterquilinia, vulgo *ranchos*, omnino desererentur, ut alimenta salubriora providerentur, etc. Verum observationes hujusmodi in vanum lapsae sunt; cum enim illa habitacula ad militum familias pertinerent, non auctoritas politica, sed militaris de ipsis disponere poterat.

Celebrabantur tunc temporis novendiales precationes Immaculatae Virginis MARIAE, Civitatis et Provinciae praecipuae Patronae; et hoc hora matutina, cum prohibitum fuerit a Consilio salubritatis, ut dixi, illas hora consueta peragendi. Nostra religiosa Familia, sicuti et Tertiariae fervidas perfundebant preces ad justam DEI iram placandam, eodemque tempore vim faciebamus ne prohiberetur a Municipio imaginem Virginis processionaliter deferre die 8 Decembris, ipsi Immaculatae sacra, simulque sanctum Rosarium alta voce recitare et poenitentiae cantus personare. Ut Itali in praefata poenitentiae processione partem haberent, perciperentque loci auctoritates quam cordi esset exteris in talibus circumstantiis ad DEUM et ad Virginem clamare, ipsis suggessi ut veniam peterent imaginem Virginis Carmeli, Tertii Ordinis Patronae, propria sponte et devotione in processionem deferendi. Auctoritates nationalium et exterorum christianum fervorem admirantes, lubenti animo omnia concesserunt.

Die octava Decembris, vere memoranda! cum omnia in promptu essent ad processionem faciendam, nuntiatum est mihi per Doctorem Moisen Echogoyen, militiae medicum, pestem invasisse legionem. Statim, ipso comitante, ad hiberna perrexi, et eheu! quam triste spectaculum ante oculos habui! Super nudis tabulis, lecto et lodicibus destituti, inter immunditias involuti, muscis cooperti, horribilibus contorsionibus attracti, jacebant infelices miserique milites, quin quis aquam saltem porrigeret ad sitis ardores extinguendos.

Chirurgus exterrefactus, praesentibus officialibus, interrogavit me an esset *cholera* nec ne. Cui respondi: « Est, et quidem fulminans; ita ut aliqui vix tempus habeant ad Sacramenta recipienda; alii salvari forsan poterunt, si subito adhibeantur medicamenta aliaque necessaria provideantur, praecipue lecti et infirmarii ». Quibus auditis, promittentes omnia sollicite provisuros, discesserunt. Ego, quin tempus tererem, infirmioribus Sacramenta administravi: qui statim animam DEO dederunt. Solus et derelictus, infirmarii et vespillonis officium fungi necesse habui. Verum, cum sol ad occasum properaret, quin aliquid, juxta promissa, provisum fuerit, jam omnium infirmorum confessionibus auditis, ad auctoritatem me contuli ac nomine DEI humanitorumque sensuum suppliciter petii, ut infelicium derelictorum quam cito misereretur.

Aderat ibi militiae dux, illique verbis ardore plenis exposui infirmorum statum infirmariorumque defectum: quam ob causam multi certo perirent, et eorum morte magistratuum conscientia graviter onerata remaneret; quapropter postulavi ut mihi facultatem concederet ad milites sermonem habere, eorumque voluntatem erga commilitones excitare: nam inter saeculares difficile est hujusmodi abnegationem invenire. Sed frustra: adeo ut tantam indifferentiam prospiciens, sive indignatione sive commiseratione, nescio, amare flevi.

Tum ad auctoritatem politicam me verti, et petii ut saltem ad carcerem accedere liceret, et petere a reclusis ut infirmorum servituti sese praestarent, promittentes, ab omni poena liberos futuros, si a contagione remanerent incolumes. Quod lubenti animo praestitit; ita ut habito sermone ad reclusos non fuerim fraudatus a desiderio meo, cum aliqui sese libenter offerrent et, ipsis comitantibus, festivus ad lenocomium, ad hoc paratum, reversus sum. Quid hoc lenocomium esset, silentio praeterire puto: sat erit cum Domino Eleodoro Damianoviche asserere, esse locum insalubre et immundum.

Ibi meliori, quo potui, modo infirmariorum servitium statuere sategi, providens praecipue lectos et reliqua ad rem facientia. Militiae duces, nec non et officiales meis adhortationibus intenti, non modo suam cooperationem assidue praestabant, verum etiam profundebant pecuniam, propriis militibus affectuose succurrendo.

Dum infirmis lenocomii locorumque adjacentium pro viribus vacarem, epidemia civitatis centrum furenter invasit. Aderat vero angelorum exercitus, videlicet Tertiariae Moniales, quae exiguo licet numero, sese opere multipli-

cabant ad proximorum calamitates heroica fortitudine sublevandas; et de domo in domum mirabili charitatis aestu percurrentes, remedia et alia necessaria sollicite ministrabant, magistratibus et civibus mirantibus et plaudentibus: dum nostri Collegii sacerdotes praesto erant ad Sacramenta administranda, adeo ut nemo ex sexcentis, qui accubuerunt, decesserit e vita, quin Ecclesiae auxiliis refectus fuerit.

Et utinam contra epidemiae rabiem sola fuisset colluctatio! Contra populi praejudicia vanasque medicorum theorias pugnare necesse fuit. Populus enim a famosi Lodani etc. guttis quam maxime abhorrebat, dum medici infirmos ab omni parentum propinquorumque societate et cura separantes; domos infectas in favillas et cineres redigentes, terrorem nimium in societatem infundebant, efficiebantque ut quamplurimi scientiae gratia ad mortem ducerentur. Experientia duce compertum habui segregationem infirmorum a quacumque societate aliquos forsan a contagione salvare, sed multos incuria et negligentia mactare et perdere. Reapse, nonnulli Tertiariarum cura ab omni periculo erepti, statim in malum prolapsi sunt cum charitativae infirmariae, propriis necessitatibus pressae, eos tantisper relinquebant. Insuper habitacula et domos comburere hoc unum efficere, ut multi, propriam domum servandi gratia, occulti remanerent, sese suosque morti pro certo tradentes.

Ut contagionis praejudicio ab omnium animis expellerem, exemplum praebui, non solum infirmis assistendo et abjectissima quaeque officia perficiendo, sed etiam cadavera propriis manibus contrectando ac ad funereum currum exportando. Multi mirabantur, dicentes: « Hujus Religiosi abnegatio est revera mirabilis; scientia vero contrarium docet »: et ideo non convertebantur.

Ut effectus a me propositi victoriose consequi valerem, Deus, vere misericors, misit ad nos eximium Doctorem Medicum Petrum Mallo, qui istorum populorum visibilis providentia vocari potuit et fuit. Ipse enim statim visitavit militare lenocomium, cui ego praepositus eram; et ab illo, qui inter brachia affectuose me recepit, suppliciter petii ut, medicorum extravagantiis se imponens, prohiberet 1.° propinare Lodani guttas, quas populus ita timebat ut praeferret mortem subire, quam illas deglutire: 2.° comburere habitacula, ne infirmi, domos conservandi gratia, medicorum curis se subtraherent, occulti remanentes et certae morti sese tradentes: 3.° ut magistratibus medicisque convinctionem infunderet quam absurdum, quamque damnosum esset infectos a propinquis et quacumque societate penitus separare: experientia enim docuit majorem infirmorum partem incuria periisse.

Praelaudatus Doctor rationibus a me expositis benigne annuens, ordinavit ut salubrius lenocomium quam cito disponeretur, duo spatiosa tentoria insimul construerentur, utque pharmacopola, e *Buenos Ayres* vocatus, medicamenta ministraret, aliaque multa sapienter disposuit, adeo ut spes et fiducia in omnium animis reviviscerent.

Tunc temporis lenocomii cura et administratio Sororibus Tertiariis commissa fuit; et auctoritas commissioque nationalis statuere dignatae sunt, ut expensae et alia quae infirmis necessaria forent, meae curae relinqueretur. Et ita factum est ut Doctoris Mallo humanitate, scientia et experientia omnia ad commune bonum disposita fuerint.

(Continuabitur).

IV.

BIBLIOGRAPHIA

—

Aloysius de Parma. — Ad sacrae theologiae alumnos qui in coenobio Sancti Spiritus Ferrariae diebus V et VI Julii 1887 specimen suorum studiorum exhibent, oratio Fr. Aloysii de Parma, Sacrae Theologiae Lect. Gen. et Min. Obs. Provinciae Bononiae Ministri. Placentiae, typ. ep. Josephi Tedeschi. 1887. In 8.° p. 24.

Bernardinus Orellana, Min. Obs. — Ramillete historico de los Milagros de la Virgen del Valle estractados de la informacion juridica de 1761 y dispuestos en Orden de lectura piadosa para espiritual solaz y espansion de los devotos de esta santa imágen, por el

P. Fr. Bernardino Orellana, Religioso Francescano, publicado con licencia de la Autoridad eclesiástica del Obispado de Salta y la del Prelado superior del autor. Buenos Ayres, Imprenta de Pablo e. Coni È Hijos, especial para obras. Calle Alsina, 60, 1887. In 16.°, pag. XX-251.

Giuseppe M.ª da Drappia, Min. Rif. Lett. Em. — 1. La nuova Babele, ovvero l'odierna Gerusalemme, già domicilio dell' eletto popolo d' Israele unito tra sè, e fedele a Dio, ed ora ricovero di un gran numero di sette opposte tra sè ed infedeli a Dio. Operetta dialogittica. Napoli 1887, pag. 322 in 8.° picc.

2. Dissertazione contro le pretese antinomie Papato e Ragione, esposta dal P. fr. Giuseppe M.ª da Drappia Lett. Em. dei Min. Rif. della Provincia dei Santi sette Martiri. Napoli 1887, pag. 24 in 8.°.

3. Discorso parenetico al Comitato cattolico di Torre del Greco. Napoli 1887, pag. 60, in 4.°.

Card. Guglielmo Massaja, Capp. — I miei trentacinque anni di Missione nell' alta Etiopia. Memorie storiche di Fra Guglielmo Massaja, Cappuccino, già Vicario apostolico del Galla, Cardinale del titolo di S. Vitale, illustrate da incisioni e carte geografiche. *Volume quarto* (L. 12).

Rivolgersi al P. Egidio da Milano, Archivista Generale Cappuccino, piazza Barberini Roma. — (Pei Religiosi Cappuccini, Osservanti e Riformati, L. 8, 50 — per l' estero l' aumento delle spese di posta).

Innocentius Wapelhorst, Min. Recoll. — Caeremoniale et sacrae liturgiae compendium juxta ritum Romanum, praesertim ad usum Fratrum Ordinis Minorum S. P. Francisci, una cum Appendice de Jure ecclesiastico particulari in America foederata septentrionali vigente. Scripsit P. Innocentius Wapelhorst, Lector S. Theologiae Recoll. Prov. SS. Cordis Iesu. Neo-Eboraci, Cincinnati, S. Ludovici: Benziger Fratres, Summi Pontificis typographi; Einsidlae: Benziger et Soc. 1887.

Joannes Franciscus Florentinus. — Tractatus de Disciplina in Choro servanda per Fratres Ordinis Minorum S. P. Francisci iuxta Rubricas Breviarii ac Missalis Romani, et Regulas Caeremonialis tam Episcoporum quam praefati Ordinis, necnon recepta probatorum Auctorum placita, dispositus per Fr. Io. Franciscum Florentinum, ad Novitiorum ejusdem Ordinis instructionem. Editio quarta. Ad Claras Aquas (Quaracchi) ex typographia Collegii S. Bonaventurae 1887.

Leonardo da Piedilama, Lett. teol. M. R. — Da Marsiglia alla Missione di U-Chang, Cina. Viaggio. Assisi, tipografia Metastasio, pag. 24 in 8.°.

Ludovicus Lanari a Claravalle, Min. Obs. — 1. L'Aritmetica del fanciullo insegnata per fatti ed esempi secondo il metodo naturale agli alunni delle tre prime classi elementari maschili, femminili e rurali, per il P. Lodovico Lanari di Chiaravalle, Marche. Seconda edizione migliorata ed arricchita di molte applicazioni alla geografia, alla storia, al commercio, alle scienze ed alle arti, con oltre 900 problemi, approvata come libro di testo dal Consiglio Provinciale Scolastico di Ancona e Catania. — Torino, tipografia di Grato Scioldo, via S. Francesco da Paola. 1887. In 16.°, pag. 111. Prezzo cent. 75.

2. L' Aritmetica del giovinetto ad uso delle classi superiori delle scuole elementari maschili e femminili e delle scuole normali, magistrali, ginnasiali e tecniche, per il. P. Lodovico Lanari di Chiaravalle, Marche. M. O. In vendita presso l' Autore in Chiaravalle, Marche. Chiaravalle, tipografia Augusto Spinaci. 1887. In 16.°, pag. 112. Prezzo cent. 75.

3. La Ginnastica dell' intelletto. — Discorsi circa l'insegnamento dell'aritmetica nelle scuole. In 16.°. Prezzo cent. 40.

Sylvester Winkes, Min. Recol. — Unterricht über den Ordensstand im Allgemeinen, nebst einer buchstäblichen Erklärung der Regel der Minderbrüder des heiligen Franziskus. Insbesondere zum Gebrauche der Laienbrüder der Sächsischen Provinz vom heiligen Kreuze, von P. F. Sylvester Winkes, aus derselben Ordensprovinz. Im Auftrage und mit Gutheissung der Ordensoberen. Druck von F. W. Cordier, Heiligenstadt. 1887.

V.

NECROLOGIA

—

Die 12 Octobris 1887 in Conventu vulgo *il Paradiso* civitatis Faventiae, Ref. Provinciae Bononiae, decessit e vita ejusdem Provinciae insignis filius Adm. R. P. Victorinus a Fusignano, actualis Definitor Generalis ac Praeses Collegii Poenitentiariorum Sacrae Lateranensis Basilicae. Natus die 2 Octobris 1819, sextodecimo suae aetatis anno seraphicum habitum induit in Ref. Bononiensi Provincia, et in tyrocinio singularia prorsus vocationis indicia monstravit. Pietati studiisque diligenter incubuit, ac passivo studiorum curriculo magna cum laude emenso, tum Philosophiae, tum Theologiae, tum Sacrae Eloquentiae cathedras, praevio ad singulas concursu, tenuit, ac in postrema ita emicuit ut Romam vocatus fuerit ad eamdem in Conventu S. Francisci ad Ripas moderandam. In Urbe magni habitus fuit ob eximiam doctrinam pietati, observantiae regulari ac prudentiae simul conjunctam; ideoque et Academiae Sapientiae Censor, et Poenitentiarius Apostolicus Lateranensis nominari meruit.

Anno 1881 Definitor Generalis electus, nedum consilio, sed opera etiam Ordinem juvit, Provincias Romanam, Bononiensem ac Tusciae qua Commissarius Generalis et Capituli Praeses, summa charitate, zelo ac prudentia visitavit, eorumque bonum pro posse promovit, ubique suimet desiderium relinquens.

Postremis hujus anni mensibus febri laborans, ad medelam salutemque mutatione aëris quaerendam Faventiam profectus, a medico inventus est mortali hepatis morbo laborare. Morbi molestiis patienter toleratis, divinae voluntati sese conformavit, et Rmi Patris Generalis visitatione recreatus, omnibusque dein Ecclesiae Sacramentis munitus, viam universae carnis ingressus est. R. I. P.

Die 15 Septembris hujus anni 1887 in Conventu S. Paschalis Neapolis decessit adm. Rdus Pater Vitus Maria a S. Rosa, Sacramentis Ecclesiae munitus. Optimus iste Pater ortum habuit Baruli die 17 Novembris anni 1817, et die 5 Maii 1835 ingressus est Ordinem nostrum in Provincia Discalceatorum Lyciensis Provinciae, ubi, studiorum cursu confecto, praevio examine, inter Lectores Philosophiae ac Theologiae adnumeratus istas scientias per sexennium laudabiliter docuit. Neapoli, et alibi praedicationem cum plausu exercuit, et licet semper infirma valetudine, tamen ab audiendis sacramentalibus confessionibus nunquam destitit usque ad vitae suae extremum. Difficillimis istis temporibus officium Ministri Provincialis ac Custodis prudentissime gessit. Praeclarae illius virtutes morales atque scientificae, quae eumdem consilii virum fecerunt, carissimum eum reddiderunt non tantum Confratribus, verum etiam omnibus, qui ejusdem familiaritate gaudebant. Quare mors illius luctum et dolorem omnibus attulit. Orate pro eo.

R. P. Raphael Venégas, Missionarius in Collegio Apostolico Sancti Ildephonsi de Chillan ex honestis ac piis parentibus natus, die 4 Septembris 1858 solemnia vota nuncupavit: per totam fere vitam aegra laboravit valetudine; pluries nihilominus Collegii discretus fuit renuntiatus ob animi sui et ingenii dotes, ac tandem gravi morbo correptus, quem patienter per aliquot menses ad finem usque toleravit, sanctisque Sacramentis rite munitus, obiit in memorato Collegio die 16 Julii 1887, annos natus 52. R. I. P.

R. P. Renatus Leuridan, Gallus, in quodam pagello prope civitatem *Roubaix* anno 1844 natus, absoluto gymnasiorum cursu, sacro franciscalium habitu in Recollecta Belgii Provincia anno 1865 indui petiit et obtinuit. Juvenis clericus quo magis in pietate et litteris proficiebat eo ardentiori quodam amoris vigore sese in rem sacrarum missionum ferri sentiebat, quem vigorem ceu supernum Dei nutum agnoscens, ut pium decuit juvenem, impense fovere numquam intermisit. Anno 1872 praeclara sacerdotii dignitate auctus, inter Missionarios Franciscales Vicariatus Hu-pè Occiduo-septentrionalis laetus annumeratus est, ubi diligentia, ingenio et vita intemerata rei christianae illius Vicariatus plurimum profuit. Officio rectoris

seminarii tres annos laudabiliter est functus; dein aegra valetudine turbatus, ad christianitates exiit, ubi cuncta sui muneris negotia judicio et charitate ita peregit, ut ab omnibus non modo aestimari sed et sincere amari promeruerit. A cultu sacrarum virtutum et Evangelii praedicatione nulla molestia nullaque difficultate revocari unquam passus, sed ut vir apostolicus in iis usque progredi summis viribus nitebatur. Tanti eius zeli monumento sunt multi ex infidelibus ad fidem catholicam conversi et non pauca sacella eius industria aedificata. Ejus sanctam vitam paucis complexus est Reverendissimus Episcopus Banci scribens: « P. Renatus erat verus Franciscanus, qui professam regulam adamussim observabat, et vitam agendo sanctam mortem oppetiit sanctissimam » die 30 Julii ann. currentis in domo *San-Kin* districtus Immaculatae Conceptionis. R. I. P.

Adm. R. P. Franciscus a Monteforti, natus die 15 Februarii 1833, Ordinemque nostrum ingressus in Ref. Provincia Principatus die 23 Aprilis 1849, doctrina et eloquentia, nec non erga Ordinem dilectione laudabilis, tum in Provincia, tum Romae in Conventu S. Francisci ad Ripas familiae Reformatorum principe, Sacrae Eloquentiae Lectoris munere functus est. In plurimis Italiae civitatibus, nec non Alexandriae et Cairi in Aegypto praedicationis officium non sine laude exercuit. A Definitorio Generali die 21 Augusti 1886 Minister suae Provinciae electus, prudentia, necnon Provinciae instaurandae zelo praeditum semet ostendebat; ast dum multa de eo sperabantur, singulari prorsus morbo, quem per bimestre patienter toleravit, correptus, die 4 Octobris S. P. N. Francisco sacra, omnibus Ecclesiae Sacramentis munitus, in pace Domini quievit. R. I. P.

Die 30 Iunii 1887 in Conventu Caldariensi Provinciae S. Leopoldi in Tyroli, supremum diem clausit A. R. P. Petrus Paulus Ausserer, Poenitentiarius ad S. Joannem in Laterano emeritus et Conventus Halensis Vicarius actualis. — Natus anno 1835 in pago S. Felicis, Dioecesis Tridentinae, studia in gymnasio Bulsanensi peregit et 1857 Ordinis Seraphici habitum sumpsit. Studiis theologicis absolutis per annum Salisburgi qua sacerdos excurrens in subsidium parochorum commoratus est; deinde Romam 1865 vocatus, ut Poenitentiarii munere fungeretur. Ibi tempus, quo ab officio vacabat, perdiligenter impendit ad invisendas almae Urbis ecclesias obeundaque aedificia sacris usibus destinata, ita ut non solum advenis e Germania peregrinis gnarus dux ad visitanda venerandaque sacra existeret, sed librum quoque lingua germanica componeret, quem « *Pilgerführer* » (ductor peregrinorum) inscripsit. Plurima alia de Roma, aliisque Italiae locis conscripsit, praeprimis eo tempore, quo alma Urbs Coetum Patrum ad Concilium Vaticanum celebrandum exceperat, et quo invasores eamdem expugnarunt. Anno 1871 cum Rmo Episcopo Eligio Cosi iter aggressus est per Austriam, Bohemiam et Hungariam, ut pro Missione Sinensi eleemosynas colligeret. Reversus in patriam Provinciam 1875, variis muneribus, aliquando etiam Guardiani et Superioris functus est. Tempus, quod ab officiis et exercitationibus communibus supererat, libris conscribendis sedulo impendebat, inter quos praecipue nominandi sunt: « *Der hl. Franciscus, Christi Nachbild und des Christen Vorbild* »; « *Leben der Maria Agnes Clara Steiner* »; « *Leben der Seligen Carl von Sezze und Humilis von Bisignano* »; praeprimis autem « *Seraphisches Martyrologium* », ex fontibus authenticis diligentissime et eruditissime compositum: etiam in conscribendo periodico, quem « *St. Francisci-Gloecklein* » vocant, adjutor extitit promptissimus. — Fuit vir pius et omnibus carus, in quo maxime eluxit humanitas et benevolentia.

R. I. P.

Nihil obstat

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

BREVE

quo indulgentiae conceduntur occasione sacerdotalis Iubilaei SS. Leonis XIII.

LEO PP. XIII.

Universis Christifidelibus praesentes Litteras inspecturis salutem et Apostolicam Benedictionem. Quod primo adventantis anni die, Deo favente, Sacerdotalis Jubilaei Nostri solemnitatem celebrabimus, omnes ubique terrarum gentes et cujuscumque ordinis familiae, quasi cor unum et anima una prae laetitia gestiunt, mirificisque modis in hac temporum difficultate Nobis in sublimi Beatissimi Petri Sede divinitus collocatis, solemnia suae fidei, studii, obsequii et gratulationis exhibent testimonia. Haec quidem omnia accepta referimus Deo qui consolatur Nos in tribulatione Nostra, Eumque sine intermissione obsecramus, ut dominico gregi universo propitius benedicat, et optatam jamdiu pacem et concordiam concedat.

Nos exploratis hisce amoris et antiquae pietatis significationibus permoti, precibusque ad id Nobis admotis obsecundantes, ut universi filii ex Parentis sui festivitate aliquod sibi parent ad aeternam facilius potiundam beatitatem emolumentum, Ecclesiae thesauros, quorum dispensationem Nobis credidit Deus reserandos censuimus. Quare de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius Auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus Romam occasione sacerdotalis Jubilaei Nostri peregre advenientibus, ut suorum populorum nomine publice et palam pietatem et obsequium testentur, debitum supremae Nobis a Deo traditae auctoritati honorem et obedientiam praestent, nec non omnibus pariter utriusque sexus fidelibus, qui supradictas ad Urbem peregrinationes mente et corde prosequantur, comitentur, itemque omnibus et singulis, qui suam quovis modo in piarum hujusmodi peregrinationum bonum felicemque exitum operam conferant, si novendialem supplicationem recitatione tertiae partis SS. Rosarii ipsi sacerdotalis Jubilaei Nostri diei, Kalendis nempe venturi Januarii praemiserint, et si eandem supplicationem novendialem intra praestitutum piarum peregrinationum hujusmodi admissionibus tempus iteraverint, ac vere poenitentes et confessi ac Sancta Communione refecti, parochialem suam vel aliam quamlibet ecclesiam aut publicum oratorium visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, tum ipsa memoratae solemnitatis Nostrae die, tum die festo immediate subsequenti supplicationem novendialem pro cujusque arbitrio intra praefixum tempus ut supra repetitam, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in Domino concedimus. Universis praeterea et singulis qui corde saltem contriti novendiales supplicationes ut supra celebraverint, quovis ex hisce die id praestiterint, trecentos dies de injunctis eis

seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, etiam animabus in Purgatorio detentis applicari posse indulgemus, et hoc tantum anno concessas volumus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 1 Oct. MDCCCLXXXVII, Pontificatus Nostri anno X.

L. ✠ S.

M. Card. Ledochowski.

II.

ACTA ORDINIS

—

CONSECRATIO

Novae ecclesiae Collegii nostri Generalis ad S. Antonium Paduanum in Urbe.

Die 16 Aprilis anni 1884 solemniter positus fuit primarius lapis pro exstruendo Collegio Generali Ordinis nostri in Urbe. Dicto die omnes Curiae Generalis Patres per incruenti Sacrificii oblationem a Deo efflagitarunt, ut quod pro ipsius gloria inchoabatur, pro Ordinis emolumento ad felicem finem perduci posset. Hisce precibus non defuit effectus. Nam tribus annis et quatuor mensibus elapsis, Deo benedicente, aedificium eo perductum erat, ut Curia Generalis die 17 Augusti 1887 in illud transferri potuerit. Cum vero nova ecclesia eo tempore ad divinum cultum celebrandum nondum sufficienter parata esset, Curiae Patres in duobus oratoriis in Conventu erectis sacrum faciebant et consueta exercitia religiosa peragebant. Labores in ecclesia interim continuati tandem circa finem mensis Novembris eousque absolvebantur, ut ad solemnem ejus consecrationem procedi posset, designata die 4 Decembris hujus anni 1887, in quam incidit Dominica secunda Adventus.

Quia vero nova ecclesia multiplici ratione ad totum Ordinem spectare noscitur, decere visum est, ut ejus consecratio etiam solito majori splendore perageretur. Quamobrem a Rmo P. Ministro Generali plures Ordinis nostri Rmi Episcopi rogati fuerunt, ut huic solemni consecrationi interesse non dedignarentur. Qui pro eximio suo affectu erga Ordinem Rmi P. Ministri Generalis votis libentissime annuentes ante indictam diem Romam venerunt, et nobiscum in Collegio habitarunt.

In antecessum vero, die nempe 28 Novembris, quatuor campanarum, quas Lucae in Hetruria egregius artifex Magni fuderat, benedictio facta est ab Emo ac Rmo Dno Lucido Maria Parocchi, Cardinali Vicario Sanctitatis Suae, penes sacristiam Ecclesiae, adsistentibus cunctis Curiae Generalis Religiosis. Campana major benedicta fuit in honorem Beatissimae Virginis Mariae Immaculatae; reliquae tres in honorem S. P. N. Francisci, S. Antonii Paduani et S. Bernardini Senensis.

Igitur, quum nova ecclesia undecim altaria habeat, placuit, ut, una cum Emo D. Cardinali Vicario altare majus consecrante, simul decem Episcopi decem lateralia altaria consecrarent. Quod et factum est.

Pridie consecrationis secundum Pontificalis Romani praescriptum repositio earum ss. Reliquiarum fieri debebat, quae in actu consecrationis in singulis altaribus erant includendae. Propterea die 3 Decembris circa horam 5 vespertinam pro hac devota functione peragenda ad Sacristiam in hunc finem decenter adaptatam et ornatam accesserunt:

1. Eminentissimus ac Rmus D. Lucidus Maria Card. Parocchi, Sanctitatis Suae Vicarius Generalis;

2. Rmus D. Fr. Seraphinus Milani, Ord. Min. Obs., Archiepiscopus Episcopus Apuanus *(Pontremoli)*;

3. Rmus D. Fr. Antonius Maria Grasselli, Ord. Min. Conv., Archiepiscopus Colossensis;

4. Rmus D. Fr. Benedictus La Vecchia Guarnieri, Ord. Min. Obs., Archiepiscopus Syracusanus;

5. Rmus D. Dominicus Jacobini, Archiepiscopus Tyrensis, S. Congregationis de Propaganda Fide Secretarius;

6. Rmus D. Fr. Leonardus Giannotti, Ord. Min. Ref., Episcopus Mutilanensis *(Modigliana)*;

7. Rmus D. Fr. Aloysius Connavò, Ord. Min. Cap., Episcopus Candiensis;

8. Rmus D. Fr. Franciscus Maria Imparati, Ord. Min. Obs., Episcopus Venusinus *(Venosa)*;

9. Rmus D. Fr. Lucianus Saracani, Ord. Min. Obs., Episcopus Mandelensis *(Poggio Mirteto)*;

10. Rmus D. Fr. Daniel Tempesta, Ord. Min. Ref., Episcopus Triventi;

11. Rmus D. Fr. Jucundus De Nittis, Ord. Min. Ref., Episcopus Castellanetensis *(Castellaneta)*.

Singuli Rmi Praesules respectiva documenta de authenticitate sacrarum Reliquiarum subsignarunt, ipsas Reliquias in capsulas posuerunt, sigillarunt et reliqua in Pontificali praescripta peregerunt. Quibus peractis, religiosa familia, quae huic functioni adstiterat, juxta ejusdem Pontificalis praescriptum coram ss. Reliquiis expositis Vesperas et Matutinum cum Laudibus de Communi plurimorum Martyrum, necnon alias preces recitavit.

Ipso consecrationis die 4 Decembris, omnes Curiae Generalis Patres ceterique Sacerdotes hospites in Conventu degentes summo mane SS. Missae sacrificium in praefatis oratoriis privatis Deo obtulerunt in gratiarum actionem pro beneficiis tempore constructionis ecclesiae et Collegii obtentis necnon ad implorandam Dei benedictionem super utramque fabricam.

Sacer consecrationis ritus inchoatus est hora 7 $^1/_2$ matutina, et completus fuit hora 1 $^3/_4$ pomeridiana. Plures Curiae ac etiam aliorum Conventuum Patres, cantum Gregorianum probe noscentes, qui ad hoc specialiter vocati et designati fuerant, durante sacra functione, antiphonas, litanias, psalmos et hymnos juxta ritum decantarunt. Praeter Curiae Religiosos etiam Fratres Clerici Collegii S. Isidori et Clerici Conventus Aracoelitani necnon plures Religiosi hospites Rmis Episcopis ad altare ministrarunt.

Dum consecratio altaris majoris ab Emo D. Cardinali Vicario inciperet, singuli praelaudati Episcopi ad altare sibi designatum sese contulerunt, ejus consecrationem una cum Emo Domino peracturi.

Ad futuram memoriam hic indicandum censuimus, a quonam Episcopo quodlibet altare sit consecratum, et quaenam SS. Reliquiae in quolibet altari sint reconditae. Nimirum:

1. In *altari majori*, S. Antonio Paduano dedicato, consecrato ab Emo ac Rmo D. Lucido Maria Card. Parocchi, inclusae fuerunt Reliquiae Sanctorum Christophori, Coelestini, Lucidi et Amandi Martyrum;

2. In *altari S. Francisci* (1), consecrato a Rmo D. Archiepiscopo Seraphino Milani, inclusae fuerunt Reliquiae Sanctorum Clementis, Benigni et Benedicti Martyrum;

3. In *altari S. Bonaventurae* (2), consecrato a Rmo D. Archiepiscopo Antonio M. Grasselli, inclusae fuerunt Reliquiae Sanctorum Donati, Aurelii et Gaudentiae Martyrum;

4. In *altari SS. Martyrum Japonensium*, consecrato a Rmo D. Archiepiscopo Benedicto La Vecchia Guarnieri, inclusae fuerunt Reliquiae Sanctorum Pacifici, Valerii et Fidelis Martyrum;

5. In *altari SS. Martyrum Gorcumiensium*, consecrato a Rmo D. Archiepiscopo Dominico Jacobini, inclusae fuerunt Reliquiae Sanctorum Desiderii, Adeodati et Generosi Martyrum;

6. In *altari SS. Cordis Jesu*, consecrato a Rmo D. Episcopo Leonardo Giannotti, inclusae fuerunt Reliquiae Sanctorum Ludovici ac Elisabeth necnon Sanctarum Coronatae et Beatricis Martyrum;

7. In *altari B. Mariae V. Immaculatae*, consecrato a Rmo D. Episcopo Aloysio Connavò, inclusae fuerunt Reliquiae Sanctorum Probi, Vincentiae et Illuminatae Martyrum;

8. In *altari S. Clarae Assisiensis*, consecrato a Rmo D. Episcopo Francisco Maria Imparati, inclusae fuerunt Reliquiae Sanctorum Agapiti, Mansueti et Simpliciani Martyrum;

9. In *altari S. Joseph, Sponsi B. M. V.*, consecrato a Rmo D. Episcopo Luciano Saracani, inclusae fuerunt Reliquiae Sanctarum Jucundae, Restitutae et Fulgentiae Martyrum;

10. In *altari S. Ludovici Episcopi*, consecrato a Rmo D. Episcopo Daniele Tempesta,

(1) Primum in latere Evangelii.

(2) Primum in latere Epistolae.

inclusae sunt Reliquiae Sanctorum Emeriti, Eulaliae et Laurae Martyrum;

11. In *altari S. Bernardini Senensis*, consecrato a Rmo D. Episcopo Jucundo De Nittis, inclusae sunt Reliquiae Sanctarum Bonosae, Faustinae et Justinae Martyrum.

Peracta ecclesiae et altarium consecratione, Rmus D. Archiepiscopus Seraphinus Milani in altari majori primum ss. Missae sacrificium obtulit.

Ultra 150 Confratres nostri solemni functioni interfuerunt. Praeter Rmos Episcopos supra recensitos ea die etiam sua praesentia nos honestare voluerunt Rmus D. Fr. Simon Milinović, Ord. Min. Obs., Archiepiscopus Antibarensis *(Antivari)*, necnon Rmus D. Eusebius Maria Semprini, Ord. Min. Ref., Episcopus Tiberiopolitanus et Vicarius Apostolicus de Hu-nan meridionali in Sinis.

Peracta ecclesiae dedicatione, Revendissimus Pater Minister Generalis Ordinis brevibus, sed fervidis verbis congregatos in Refectorio, lingua italica ita fere alloquebatur:

« En dies tandem venit a nobis diu desiderata, quamvis, inspecta praesertim operis magnitudine, haud longum praeterierit tempus, ex quo incoepta est aedificatio.

« Ecce per hodie habitam consecrationem Ecclesiae Dei veluti sigillativa virtute impressum opus Collegii nostri internationalis!

« In primis plurimae agendae sunt gratiae Sanctissimae Trinitati, quae per suam ineffabilem misericordiam debiles vires nostras adjuvit atque abunde suffecit ita ut, Ipsa benedicente, ad optatum finem tandem opus perficeretur.

« Postea grati animi sensus solemniter significandi sunt Sancto Antonio Patavino, glorioso nostro Thaumaturgo, hujus novae nostrae Ecclesiae Titulari et Patrono, qui in tanto opere condendo tot praeclara atque evidentissima suae protectionis argumenta nobis exhibuit.

« Sed post Deum, post inclytum Sanctum Patronum Nostrum, permultae prorsus peculiares gratiae agantur Eminentissimo Cardinali Vicario, erga Seraphicum Ordinem nostrum tam bene affecto, qui cum primarium fundamentalem lapidem jam tribus abhinc annis, defossa humo, supposuisset, etiam ultimum lapidem per hodiernam veluti coronationem aedificii superimponere valde cupiebat.

« Insuper gratiae agantur maximae Revendissimo Dno Jacobini Archiepiscopo Tyrensi, qui hodie apud nos repraesentat Eminentissimum nostrum Cardinalem Protectorem, necnon tam benemeritam Sacram Congregationem de Propaganda Fide, quae tot tantisque beneficiis nos in opere ad finem perducendo plurimum adjuvit. Valde sperandum est fore ut beneficia praefatae Sacrae Congregationis usque in hodiernam diem nobis collata minime cessent, sed per alia, quae in posterum expectamus, adhuc augeantur.

« Demum gratiae agendae Revmo Dno Grasselli, Archiepiscopo Colossensi, Ordinis Minorum Conventualium, necnon Rmo Dno Connavò, Ordinis Minorum Capuccinorum, Episcopo Candiensi, atque omnibus ac singulis Ordinis Nostri Archiepiscopis et Episcopis hic adunatis, quorum plures e longinquo venerunt ut sua praesentia hanc nostram solemnitatem decorarent ».

Hic addebat Revmus Pater Generalis:

« Nostris quidem fuisset in votis ut hac mane solares radii incrementum dedissent splendori hujus solemnitatis, licet nunc e fractis nubibus sol tandem appareat *(in hoc momento radius solis per fenestras immissus triclinium aliquantisper illuminabat, plaudentibus cunctis ibi coadunatis)*; ast solatium praebeat Sacrae Scripturae effatum: *Dominus habitat in nebula;* imber autem, qui hac nocte et mane cecidit, reputari debet tamquam symbolum coelestium benedictionum, et signum fluentium gratiarum, quae in novum templum, Divinae Majestati hodie consecratum, copiose descenderunt.

« Templum Dei nunc tandem habemus, ita concludebat Revmus Pater Generalis; habemus nempe altare et sacrificium; in his duobus omnia habemus, haec duo sufficiunt nobis; enixe nos orare oportet ut permaneant nobiscum, et Deus, post opus materiale, benedicere dignetur etiam operi formali Collegii nostri internationalis instituendi, et disciplinae religiosae in ipso servandae ».

Eminentissimus vero Cardinalis Parocchi benigne respondebat gratias agendo Revmo Patri Ministro Generali, nec non Patribus Ge-

neralis Definitorii cunctoque Franciscalium Ordini pro gaudio, quo cor suum in hodierna solemnitate, superabundabat, et pro humanissimis verbis, quae Revmus Pater Generalis ingenita ac prorsus peculiari sua amabilitate nuper protulerat.

« Quamvis, ait Eminentissimus, opus aedificationis hujus Ecclesiae et Collegii ego materialiter adjuvare nequiverim, verumtamen initium, progressum et finem laborum constructionis incessanter oculis cordis mei prosecutus sum semper inter spem et timorem haesitando; nam ex una parte valde timebam externa impedimenta, quae operis tam salutaris futuras sortes minari poterant; ex altera vero parte in coelesti tutela atque adjutorio firmius confidebam, sperans fore ut divina clementia cuncta amoveret obstacula, et adversariorum conatus propulsaret, atque irritos faceret. Nunc vero magna afficior laetitia, quia Eminentissimus Cardinalis hujus Seraphici Ordinis Protector, necnon Revmus Dmus Archiepiscopus Jacobini, Sacrae Congregationis de Propaganda Fide a secretis, opportunum medium, sicut mihi relatum est, invenire potuerunt, quo stabilitas hujus operis in tuto collocabitur.

« Hoc aedificium absque dubio artis architecturae merito pollet, et supereminet omnia alia, quae in hac alma Urbe surrexerunt post luctuosa facta, quibus mutata est Roma christiana. In singulis cellis paupertas seraphica resplendet, et severitas franciscana interius ubique apparet; sed in Ecclesia aedificanda pauperes Franciscales monumentum condiderunt quale Domum Dei reapse decebat.

« Nullimode dubito quin hodierna solemnitas Sanctissimo Patri nostro Leoni XIII pergrata atque perjucunda evasura sit; certe Sanctitas Sua hodie consecrationi hujus Ecclesiae corde adstitit, cum personaliter assistere nequiverit, eo magis quia, sicut alias dicebam, monumentum hoc extollitur in proximitate Lateranensis Sacrosanctae Basilicae, in cujus favorem Summus Pontifex vere regia liberalitate ac munificentia thesauros pro absidis restauratione erogavit.

« Reminiscor quidem me die 16 Aprilis anni 1884, quando primarium lapidem hujus aedificii collocavi, verbis ex corde depromptis in memoriam revocasse celeberrimam visionem summi Pontificis Innocentii Papae III, qui pauperculum Assisinatem propriis humeris sustentantem Laterani Basilicam videbat. Hodie vero vos quidem potestis, charissimi, inclyto Innocentii tertii Successori fidenter dicere: « Nunc, Pater Sanctissime, apud tuam splen-« didam Lateranensem Basilicam hanc domum « habes, in qua Sancti Francisci filii operam « sui Seraphici Patris ac Fundatoris prosequen-« tur. In ea reflorebit utique praeclara Sancti « Bonaventurae et Scoti doctrina; hic a Mini-« stro Generali Ordinis necnon ab ejus Gene-« ralitia Curia gesta renovabuntur Sancti Joan-« nis a Capistrano et Sancti Jacobi de Marchia; « hic reviviscet spiritus religiosae disciplinae « Sancti Bernardini Senensis; hic demum apo-« stolatus Cardinalis Ximenes et Sancti Fran-« cisci Solani novum validumque impulsum « accipiet ».

« Filii semper subditi et humillime subjecti Sanctae Romanae Ecclesiae, Franciscani, non quaerunt vanam mundi gloriam et caducos terrae honores; semper et ubique ad se in sacrificium generose offerendos parati, tantummodo pro Dei gloria et salute civilis societatis operantur, nullo modo curantes si postquam strenue adlaboraverint, sudaverint, alserint, vitamque ipsam profuderint, parvipendantur, ut plurimum solet, despiciantur, et quasi in angulum conjiciantur, tamquam cortices mali medici, quae, expresso succo, projiciuntur, sicut accidit iis, quibus hac mane in liturgica caeremonia consecrationis hujus Ecclesiae usi fuimus.

« Utinam quoad hanc religiosam Domum eventu comprobentur verba illa, Pontificalis: *In aeternum mansura*. Quoad me, ex intimo cordis mei hodie exulto quoties reminiscor, Sancto Antonio Patavino dedicatam fuisse primam Ecclesiam, cui consecrandae junior sacerdos aderam: quis tunc praedicere valuisset me hodie, qua Sanctissimi Patris Vicarium, hanc etiam Ecclesiam eidem Sancto Patrono dedicatam consecraturum? Tanta est, qua perfundor laetitia ut si hodierna Ecclesiae consecratio pro me foret ultima et hac ipsa die mori deberem, perlibenter spiritum meum in manus Dei tradens dicerem cum annoso Propheta: *Nunc dimittis servum tuum, Domine* ».

Die 5 Decembris Fratres clerici Collegii nostri S. Isidori in honorem Episcoporum

nostri Ordinis defenderunt varias theses ex S. Theologia. Huic disputationi Rmus P. Minister Generalis et novem supranominati Rmi Praelati, necnon multi Patres, Sacerdotes saeculares et studentes aliorum Collegiorum in aula praefati Collegii, decenter ornata, interfuerunt.

Die 6. Decembris praefati Rmi Episcopi a Summo Pontifice insimul in Audientia fuerunt recepti.

In festo Immaculatae Conceptionis B. M. V. utraeque Vesperae in nostra ecclesia fuerunt cantatae, celebrante Rmo P. Ministro Generali. Solemne Sacrum decantavit Rmus D. Archiepiscopus Syracusanus. Et post secundas Vesperas Emus ac Rmus D. Joannes Card. Simeoni, Ordinis nostri Protector, Sanctissimi Sacramenti benedictionem impertitus est.

Coronidis gratia, enarrationi nostrae sequentem rhythmum adjungimus:

DIE IV DEC. A. MDCCCLXXXVII.

Rhythmus in consecratione Aedis S. Antonii in Exquiliis.

Templum Dei decore indutum,
Domus Domini virtutum
Edidit mysteria.
Iuges aquae et oleum Sacrum
Decurrerunt in lavacrum:
Stetit pacis Angelus.
Domus infima et superna
Iunctis angulis aeterna
Sociarunt cantica.
Nunc Ierusalem beata,
Christo Principi jugata,
Margaritis emicas!
Sponsi sanguine detersa,
Gratiis omnibus respersa,
Sponsae ritu cingeris.
Saxis malleo conquadratis,
Fabri scalpro complanatis,
Tangis astra vertice.
Sancti Spiritus nos templum
Facti sumus in exemplum
Vivi ex fide lapides.
Elevemus hanc naturam
In perpetuam structuram
Christo superpositam.
In hoc aevo aedificatio,
Et in fine dedicatio
Pereuntis saeculi.
Sanctae Ecclesiae gratulemur,
Divi Antonii collaetemur
Tuti patrocinio.
Sit parietum stabilitas,
Sit fidelibus utilitas
Sub tui vultus lumine.
Detur januis ingressus,
Detur adytis accessus,
Fundamentis firmitas.
Ipsa calx et ipsum sabulum
Pulset, urgeat procul diabolum,
Agitent terroribus.
Deus, auspex aedificii,
Deus, auctor beneficii,
Tibi laus in saecula.

REGULAE FRANCISCALES

(Continuatio).

CONSTITUTIONES S. COLETAE

CAPITULUM VIII.

DE ELECTIONE ABBATISSAE, ET OFFICIALIUM, AC DISCRETARUM.

Et licet forma vitae dicat, quod Sorores procurent Generalem vel Provincialem Ordinis Fratrum Minorum, qui eas verbo Dei informet ad omnimodam concordiam et omnem utilitatem in electione facienda suae Abbatissae, Nos tamen considerantes multitudinem Fratrum Minorum, et dilatationem ipsorum Conventuum ac etiam Provinciarum, necnon et magnas et assiduas occupationes, quas praefati Generalis et Provinciales Ministri habent circa praedictos Fratres et Conventus: insuper sanctam paupertatem dictarum Sororum, et non minus sumptus, quos pro mittendo ad dictos Superiores oporteret facere: statuimus et ordinamus, ut in hujusmodi electione facienda Visitator seu Confessor ipsarum in ejus absentia, possit ipsam exhortationem seu informationem facere, sed confirmatio ipsius Abbatissae fiat per Generalem Ministrum, si ille fuerit in Provincia, et in ejus absentia per Provincialem illius Provinciae, in qua fuerit Monasterium constitutum, vel per Commissarium suum seu illum, cui super hoc ipse concesserit auctoritatem suam. Ut autem semper in hujusmodi electione tutius procedatur, statuimus et ordinamus, quod quandocumque continget aliquam Abbatissam mori, vel aliqua diuturna et gravi infirmitate detineri, ita quod commode non possit officium suum exequi, seu etiam ita

instanter pro aliqua justa causa et rationabili, omnino vellet cedere officium suum, vel sicut habetur in forma vitae: luculenter appareret universitati Sororum ipsam esse praevaricatricem formae vitae ipsarum; vel etiam, quod absit, in aliquo gravi crimine esset deprehensa, tum post triduum mortis vel depositionis, seu absolutionis ejusdem, Sorores provideant sibi de Abbatissa per electionem canonicam, in qua electione nulla Soror possit pro Abbatissa eligi, quae annum trigesimum aetatis non attigerit, et formam vitae promiserit, et in ea fuerit approbata.

Item, omnes Sorores professae ad sonum campanae ad Capitulum conveniant hora congrua, per Vicariam Conventus provide assignata, et sic in unum congregatae, invocata Spiritus sancti gratia, dicendo: *Veni Creator Spiritus.* — *Emitte* etc.; *Et renovabis* etc. — *Concede nos* etc. — *Deus qui Ecclesiam* etc. — et *Famulos tuos,* — cum omni pace et devotione, sicut decet ancillas Christi, ad electionem procedant, hoc modo: videlicet, Vicaria sedens in loco Abbatissae defunctae, vel absolutae, petat bona fide, simplicibus verbis, ab unaquaque Sorore singillatim, incipiendo ab antiquioribus et sanioribus, quam Sororem eligat in Abbatissam pro illo Conventu. Et sic omnibus et singulis interrogatis, et responsionibus earumdem habitis, illa Soror, quae plures voces et magis sanas in dicta electione habuerit, ipsa, pro Abbatissa habeatur. Si autem contingat, quod duae Sorores, vel plures habeant in dicta electione voces in numero aequales, et non possint bono modo in unum concordari, tunc omnes Sorores professae possint unam vel duas Sorores de Discretioribus et Deum timentibus, antiquis et maturis eligere vel nominare, cui, vel quibus committant dictam electionem, et ad illius, quam sic eligunt, confirmationem procedatur. Possint etiam, si voluerint Sorores et eis expedire videbitur, procedere in dicta electione per viam scrutinii, videlicet, quod quando erunt congregatae in Capitulo, ut praefertur, omnes eligant unam Sororem boni testimonii, quae sciat scribere, et alias duas Discretas etiam boni testimonii, quae sic electae, debent se aliquantulum separare, ita quod possint videri, sed non audiri ab aliis simul congregatis. Et una illarum, quae assistunt scribenti pro testimoniis, nominet scribenti illam, quam ipsa eligit pro Abbatissa, et faciat eam scribi. Et postea alia, quae etiam ibi adest pro testimonio, et postea singillatim omnes illae, quae sunt in Capitulo, accedant ad eas, et nominent, et faciant scribi illam, quam eligunt pro Abbatissa, et sic votis omnium Sororum Professarum conscriptis, illa Soror, quae scripsit, cum aliis duabus testibus ad Capitulum coram omnibus Sororibus procedat, et illa quae scripserit, dicat in hunc modum: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Ita est electio Matris Abbatissae istius Conventus, celebrata tali anno, mense et die. Et primo talis Soror eligit talem Sororem in Matrem et Abbatissam istius Conventus. Et postquam omnium vota ipsa perlegerit,* dicat: *Et Ego Soror talis nomine meo et nomine earum, quae mecum consenserunt, eligo talem Sororem in Matrem et Abbatissam hujus Conventus.* Et tunc illa, quae plures et saniores voces habuerit, pro Abbatissa habeatur, vel ubi aliqua vel aliquae aequales voces in numero in dicta electione haberent, et bono modo non possent concordare, committant omnes Sorores uni vel duabus de Discretioribus antiquis, sicut jam supra dictum est. Caveant autem omnes Sorores summopere, ne aliquam Sororem eligant in Abbatissam, quam evidenter noverint esse indignam.

Cavere etiam debent omnes Sorores, ante electionem, et in electione Abbatissae, et in quacumque alia, ab omni subornatione vel cavillatione, sed unanimiter semper eligant illam, quam meliorem pro salute animarum et utilitate Conventus noverint esse. Possunt etiam omnes Sorores, quae habent vocem in electione Abbatissae, ante hujusmodi electionem insimul convenire, et salubre consilium super hujusmodi electione habere. Caveant tamen in hoc consilio, ne fiat quaecumque discordia, seu perturbatio, sed pacifice post hujusmodi consilium ad electionem per aliquem modorum praedictorum procedant. Electione sic completa et consummata, Sorores binae et binae Capitulum ingrediantur, et procedant ad Ecclesiam dicendo: *Te Deum laudamus* etc., in fine vero *Confirma hoc Deus* etc. Resp. *A templo* etc. cum Oratione, *Deus qui corda fidelium,* cum aliis orationibus et precibus supradictis. Nulla Abbatissa officio suo fungatur, donec fuerit con-

firmata, sed Vicaria Conventus faciat officium Abbatissae (1).

Praeterea, cum forma vitae dicat, quod, de communi consensu omnium Sororum, omnes Officiales Monasterii eligantur, in eodem modo ad minus octo Sorores de Discretioribus eligantur, quarum in his, quae forma vitae requirit, Abbatissa uti semper consilio teneatur: ideo, ut pax, dilectio et veritas magis semper inter dictas Sorores vigeant et concrescant, hortamur in Domino JESU CHRISTO easdem, quatenus in hujusmodi electionibus et mutationibus Officialium et Discretarum praedictarum, omnis cavillatio et ambitio evitetur. Nec minus idoneae quovis modo magis dignis praeponantur, et quandocumque per viam Spiritus sancti aliquam contigerit ad aliquod officium eligi, quod laborem et onus importet, non refutet, sed illud secundum gratiam a DEO sibi datam diligenter et humiliter exerceat et compleat. Caveant insuper omnes Sorores, ne hujusmodi Officiales passim sine magna et legitima causa mutent, sive removeant ab officiis suis, nisi de bono et sano consilio, sicut secundum DEUM viderint expedire. Eodem modo hortamur in Domino JESU omnes Officiales praesentes et futuras, quatenus non petant se ab officiis absolvi, sed secundum gratiam eis datam officia sibi injuncta, amore DEI semper habeant perficere, sicut decet Religionis utilitati et saluti, et Altissimus, ob cujus amorem hoc faciunt et facient, reddet illis mercedem sempiternam.

CAPITULUM IX.

DE MODO TENENDI CAPITULUM.

Cum secundum formam vitae semel in hebdomada ad minus Abbatissa teneatur Sorores suas ad Capitulum convocare; ut autem ubique et semper hoc jugiter observetur, statuimus et ordinamus, quod Abbatissa vel ejus Vicaria studeat summopere talem horam secundum varietatem locorum et temporum assignare pro tenendo dicto Capitulo, ut omnes Sorores fortes et sanae ibidem possint convenire. Et nihilominus de divinis officiis seu aliis obsequiis propter hoc nihil omittatur. Quandocumque autem Abbatissa voluerit Sorores suas ad Capitulum convocare, pulsetur campanula Refectorii ex una parte tantum, et omnes Sorores sanae et fortes, quae in servitio infirmorum non fuerint pro tunc de necessitate occupatae, statim debeant, audita campana, ad Capitulum convenire, et omnibus ibidem congregatis et sedentibus, Abbatissa vel ejus Vicaria, invocata Spiritus sancti gratia, faciat in loco suo recommendationes generales pro vivis et defunctis, nominando expresse benefactores et benefactrices, qui, vel quae dederunt eleemosynas suas pro subsidio earumdem. Et factis et dictis his recommendationibus, Sorores surgant, et ordinata dicant Suffragia pro eisdem, videlicet: *Ad te levavi oculos meos,* cum *Gloria Patri* etc., et *De profundis,* cum *Requiem,* cum Suffragiis, quae sequuntur, videlicet: *Pater noster. Et ne nos. Fiat pax. Memento congregationis tuae* etc. *Salvos fac servos tuos. Oremus pro fidelibus defunctis. Requiescant in pace. Domine exaudi. Oremus. Ecclesiae tuae quaesumus Domine. Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia. Praetende Domine. Absolve quaesumus Domine.* Et in fine dicto *Pater noster: Deus det nobis suam pacem,* Abbatissa et omnes Sorores iterum sedeant et singillatim dicant culpas suas plene et humiliter et devote, prout noverint se deliquisse, junctis manibus, flexis genibus prostratae ad terram, incipiendo a Novitiis et junioribus, seu illis, quae non sunt in officiis constitutae. Abbatissa vero, vel ejus Vicaria, secundum suam rectam conscientiam et bonum judicium, imponat eis tunc poenitentiam, si oporteat, etiam eas monendo et redarguendo, prout sibi melius videbitur expedire, et hoc secundum quantitatem et qualitatem delictorum, nullam partialitatem ostendendo; sed omnes, ubi deliquerint, corrigendo. Sorores autem semper praedictam poenitentiam cum humilitate recipiant, et cum devotione persolvant. Caveant autem Sorores ne unquam in Capitulo, vel alibi lites habeant, vel replicas seu excusationem palliatam faciant seu quaerant. Nec aliqua ibidem loquatur, nisi de licentia Abbatissae. Novitiae autem, sicut dictum est, ante omnes debent dicere culpas suas. Statim dictis culpis, et acceptis poenitentiis, debent extra Capitulum exire. Caveant insuper omnes Sorores, ne

(1) Notandum quod haec forma electionis a Concilio Tridentino modificata fuerit, Sess. XXV de Reform. (de regul. et Monial.).

culpas in Capitulo vel visitatione accusatas, vel punitas audeant una alteri quovis modo improperare, nec etiam alias, si quas in saeculo contraxerint. Et si aliqua in hoc deliquerit per Abbatissam graviter puniatur. Omnibus autem his dictis et completis, ut supra dictum est, si quae sint tractanda, sicut dicit forma vitae, Sorores tractent et expediant, quae expedienda fuerint cum debita gravitate et honestate, a verbis superfluis, injuriosis, sive quibuscumque aliis indebite prolatis, penitus praecavendo. Et omnibus completis recedant a Capitulo in nomine Domini.

CAPITULUM X.

DE SILENTIO ET MODO LOQUENDI AD CRATEM ET LOCUTORIUM.

Praeterea, quia pax est opus justitiae et silentium cultus ejus, ne devotionis fervor per inquietudinem multiloquii extinguatur, ordinamus, quod Sorores sileant, sicut in forma vitae ipsarum continetur, videlicet ab hora Completorii, id est, a dicto Completorio usque ad Tertiam, et post horam Tertiarum sileant etiam continue, sicut dicit dicta forma vitae, in ecclesia; dormitorio et in refectorio, dum comedunt, praeterquam in infirmaria, et licet ibi non sit mentio, quod debeant silere in claustro, ea forte causa est, quia in loco sancti Damiani, in quo morabatur beata Clara, tempore formae vitae sibi a beato Francisco datae, non erat pro illo tunc claustrum ibidem propter nimiam paupertatem constructum. Nos autem attente considerantes, quod Dominus Papa Gregorius IX ordinavit in prima Regula, quod dictae Sorores tenerent continuum silentium in omnibus horis et locis, ac etiam quod in omnibus Religionibus bene regulatis et ordinatis claustrum sit locus post ecclesiam primus, ubi dictum silentium consuetum est observari; statuimus et ordinamus, quod omnes Sorores de cetero debeant silere in claustro, sicut et in aliis tribus locis in forma vitae positis.

Item praecipimus, quod nulla Soror cujuscumque officii, gradus aut conditionis existat, accedat ad locutorium, sicut in dicta forma vitae continetur, sine licentia Abbatissae vel Vicariae; nec aliqua licentiata cum aliqua persona loquatur quovis modo in locutorio dicto, nisi praesentibus et clare audientibus duabus Sororibus de numero octo Discretarum Conventus; quia in crate, quae est in ecclesia coram Deo et Angelis ejus, assignantur volentibus loqui tres Sorores de octo Discretis, secundum tenorem formae vitae, fortiori ratione in locutorio, quod est locus magis communis et publicus, debent assignari duae de octo Discretis illi Sorori, quae in locutorio voluerit loqui, de bona licentia, et debito modo, et pro debita causa.

Item ordinamus, quod ad portam Sorores nullo modo loquantur cum aliqua persona forensi alte vel basse cum sociis vel sine sociis. Praeterea volumus, quod quando aliqua Soror pro evidenti utilitate, vel necessitate, vel de bona congruitate fuerit ad cratem, quae est in ecclesia, ut cum aliqua persona loquatur, in principio locutionis poterit removere aliquantulum pannum interius appositum, statim ipsum in loco consueto reponendo, ita quod dum loquitur, non videatur in facie ab aliquo, et in fine locutionis suae iterum pannum illum aliquantulum removeat, et vale loquenti faciat, et pannum statim vale facto reponat; et nulla Soror ibi loquatur, nisi secundum formam vitae, et cum personis solemnibus, maturis et securis, parentibus, propinquis, spiritualibus amicis, et hoc rarissime fiat.

Item, quandocumque aliquam personam extraneam ad eas ingredi, vel alias per cratem eis loqui contigerit, tegant facies suas cum modestia et inclinent se parumper, prout Religionis convenit honestati. Item in Quadragesima sancti Martini, quam volumus incipere in crastinum omnium Sanctorum, et durare usque ad Nativitatem Domini; et in Quadragesima majori, quam volumus incipere in crastinum Quinquagesimae usque ad Resurrectionem Domini, nulla Soror temporibus praedictis loquatur cuicumque personae ad locutorium, sive ad cratem, nisi pro causis in forma vitae contentis, nisi Abbatissae vel ejus Vicariae, sive Portariae, et hoc solum pro negotiis et utilitatibus Conventus, sicut hactenus est fieri consuetum. Easdem quoque hortamur in Domino Jesu Christo, quod quandocumque contingit aliquam Sororem loqui ad locutorium, sive ad cratem, caveant omnino a prolixis et

inutilibus, sive vanis et mundanis colloquiis, sed omnia verba, quae procedent de ore ipsarum, sint honesta et utilia, sicut decet ancillas CHRISTI et observatrices sancti Evangelii. Et ad evitandum familiaritates suspectas saecularium, et locutiones prolixas et inutiles eorumdem, ordinamus, quod nullo modo Sorores fiant per se, vel per aliam personam, commatres virorum vel mulierum. Rursus ordinamus, quod quandocumque continget aliquam personam clausuram intrare, sive pro visitatione infirmarum, sive pro alia quacumque de causa, Sorores licentiatae non audeant eis loqui, nisi praesentibus et audientibus duabus Discretis Sororibus, per Abbatissam vel ejus Vicariam eis assignatis.

CAPITULUM XI.

DE OBSERVANTIA PAUPERTATIS ET QUOD SORORES NON RECIPIANT POSSESSIONEM ALIQUAM, NEC SIBI ALIQUID APPROPRIENT.

Cum secundum formam vitae, Abbatissa et omnes Sorores teneantur sanctam paupertatem, quam Domino DEO et beato Francisco promiserunt observare, scilicet in non recipiendo, seu habendo possessionem vel proprietatem per se, vel per interpositam personam; ut autem praedictam paupertatem diligentius et perfectius possint custodire, ac in non recipiendo, seu habendo possessionem, vel proprietatem strictius et purius se habere, inhibemus per obedientiam eisdem Sororibus, ne domum ad locandum, terram sive hortum ad colendum, pratum ad secandum, vineam, sive aliquid aliud ad laborandum quovis modo recipiant aut possideant. Item, haereditates, reditus annuos, pensiones, eleemosynas perpetuas nullatenus habeant vel recipiant per se ipsas, vel per interpositam personam. Praeterea, habere granaria sive cellaria, de emptis vel mendicatis, seu aliter acquisitis, ita grandia et copiosa, ut de eis aliquid vendant, vel quod per annum integrum, absque mendicatione possint transigere vitam suam, repugnat paupertati earum. Insuper, boves, greges ovium, seu armenta pecorum numquam habeant, nec scyphos, scutellas vel aliquid aliud vas de auro vel argento, vel de quacumque alia re pretiosa: item, thesaurizationes auri, argenti, lapidum pretiosorum, ceterarum quarumcumque rerum, et omnis congregatio vel provisio, quae possit durare ultra annum, quae omnia sint eis interdicta.

Ceterum volumus, quod in omni supellectili ipsarum tam in vasis quam in vestimentis, seu quibuscumque aliis, omnis curiositas et superfluitas evitetur, et in ipsis semper paupertas reluceat et appareat, et in usu necessitas, sicut decet sanctissimae paupertatis sectatrices. Item volumus et ordinamus, quod de legatis Sororibus in ultimis voluntatibus decedentium, fiat in modum, secundum quem ordinavit Dominus Nicolaus Papa III in declaratione Regulae Fratrum Minorum fieri ab ipsis Fratribus.

Insuper, cum vitae forma dicat, quod « Sorores nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem », et per Dominum Nicolaum III et Clementem V et nonnullos alios summos Pontifices sit declaratum in declarationibus Regulae Fratrum Minorum, quod expropriatio seu abdicatio omnium rerum, quam dicti Fratres faciunt, intelligi debeat, et servari tam in speciali quam etiam in communi; Nosque circa hunc articulum vestigiis inhaerentes praedictorum, praefatam expropriationem seu abdicationem proprietatis, omnium rerum, quam propter DEUM Sorores faciunt, sicut meritoriam et salutiferam et aeterna retributione dignam, volumus et mandamus tam in speciali quam etiam in communi integre et inviolabiliter ab omnibus dictis Sororibus praesentibus et futuris observari. Possunt tamen dictae Sorores, sana conscientia habere usum simplicem et jus utendi omnium rerum, eis secundum formam vitae concessarum, vel illarum quae ipsis in eadem non prohibentur, sine tamen appropriatione aliqua, sicut sunt usus necessariorum pro celebratione et manutentione servitii divini, pro habitatione et sustentatione corporis humani, et pro executione officiorum et negotiorum, eis secundum formam eamdem vitae et sacrae religionis necessariorum. Possunt etiam pro transigendo vitam suam in agone praesentis militiae, de his, quae eisdem offeruntur liberaliter, et de his, quae pro ipsis mendicantur, et quaeruntur humiliter, ac etiam de his, quae

ab ipsis acquiruntur per laboritium, dummodo sic oblata, mendicata, quaesita, sive habita, non aperte dissonarent statui paupertatis et Religionis ipsarum, habere jus utendi et simplicem facti usum.

Praeterea ordinamus, quod de rebus vel eleemosynis in particulari datis vel missis, Sororibus distribuatur indigentibus in particulari vel in communi, secundum quod bonum videtur Abbatissae. Nec volumus licere alicui Sorori, quod illud quod fuerit sibi datum, vel missum a parentibus vel ab aliis, possit indigenti Sorori communicare, vel alicui personae extra Conventum dare vel mittere, sine beneplacito et expressa licentia Abbatissae vel ejus Vicariae. Insuper volumus, quod in debitis contrahendis Sorores se habeant semper et ubique sicut in forma vitae continetur. Item praecipimus, quod caveant se omnimode a multitudine et magnitudine aedificiorum, et a sumptuositate eorumdem, sed sint contentae temperatis et humilibus aedificiis.

CAPITULUM XII.

DE INFIRMIS SORORIBUS.

Ordinamus, quod quandocumque continget aliquam Sororem infirmari graviter vel debilitari, Abbatissa vel ejus Vicaria teneatur eidem infirmae statim providere de servitio opportuno; Sorores autem servitiis infirmarum vel debilium deputatae caveant, ne in officiis sibi concessis defectum notabilem faciant, sed humiliter et devote in fervore caritatis serviant eis, sicut vellent sibi serviri, si ita infirmae essent; Abbatissa autem, si non fuerit legitime occupata, omni die saltem semel teneatur visitare infirmas Sorores, dum actu graviter infirmantur. Et in absentia ejus, hoc Vicaria ejus facere teneatur. Item, quod propter earum incuriam, nulla Soror infirma defectum habeat in sua infirmitate secundum earum possibilitatem. Caveant autem Abbatissa et ejus Vicaria, ne consilium pro sanitate habenda Sororum infirmarum petant ab aliquo medico vel chirurgo, sive barbitonsore, nisi a catholicis personis, si tales possent haberi, et semper a magis devotis, quae poterunt bono modo reperiri, pro remedio habendo. Nec alicui praedictorum intrare clausuram permittatur nisi urgenti necessitate vel infirmitate, et semper associati sint taliter intrantes debito modo, ita quod Abbatissa, vel ejus Vicaria, vel aliae duae, vel tres de Discretis Conventus sint praesentes, donec foras egrediantur. Item, si contingat aliquam Sororem, vel plures aliquo gravi et contagioso et prolixo morbo languere, ut est lepra, insania capitis vel aliquid simile, propter quem taliter infirmantes non possent sine periculo cum aliis residere, provideatur eis de camera separata intra clausuram, et de bonis servientibus talibus infirmis, prout casus et infirmitas requirit, ita quod nulla clausuram unquam exeat, nisi aliter fuerit consultum.

Insuper hortamur omnes Sorores in Domino praesentes et futuras, quatenus propter Deum non refutent servire talibus humiliter et devote sicut fuerit necesse. Si vero aliqua Abbatissa vel Vicaria seu aliquae aliae servitiis infirmarum deputatae non providerint secundum possibilitatem et facultatem loci et qualitatis infirmantis sive conditionem de pharmacis et cibariis et aliis necessariis, accusentur ab omnibus coram Visitatore dum visitat, et sicut nimium crudeles graviter puniantur, si defectum notabilem commiserint in servitio infirmarum. Continetur etiam in forma vitae, quod Sorores quae sunt infirmae, secundum Dominum Innocentium Papam IV, quae non multum gravi infirmitate laborant in saccis cum paleis jaceant et habeant ad caput capitalia de pluma. Sed si forte aliquam vel aliquas gravi vel prolixo morbo laborare contigerit, aliter oporteret providere secundum Deum et consilia bona Discretarum; ideo volumus et ordinamus, quod quandocumque contigerit aliquam vel aliquas infirmas gravari aliquo morbo gravi et prolixo, Abbatissa vel ejus Vicaria de consilio Discretarum provideat vel providere faciat talibus infirmantibus de culcitra et aliis necessariis secundum formam vitae ipsarum, si secundum bonas et rectas conscientias videbitur infirmitati sic infirmantis vel infirmantium expedire, et easdem sic infirmantes in eadem culcitra, modo convenienti et humano, faciant requiescere sicut suae infirmitati fuerit opportunum. Provideant etiam diligenter Abbatissa vel ejus Vicaria seu So-

rores aliae deputatae in servitio infirmarum, quod quandocumque continget aliquam vel aliquas ab hac luce migrare, quod in hora mortis moriens sit induta habitu Ordinis et cincta chorda et velata in capite, si fieri bono modo possit, et taliter induta sepeliatur.

Item in eadem forma vitae habetur: et quae indigent pedulis laneis et culcitris uti possunt; quae verba sunt dispensatoria, quando necessitas hoc requirit. Quapropter ordinamus, quod nulla Soror cujuscumque conditionis vel officii existat, tempore bonae sanitatis, pedulos laneos nec culcitras habere possit nec uti eisdem nisi sit actu indigens. Nec talis indulgentia per quamlibet debet arbitrari, sed per Abbatissam cum consilio Discretarum et majoris partis numero earumdem; quae quum viderit aliquam vel aliquas manifeste indigere calceamentis, vel fuerit de hoc requisita ab eisdem quod dispenset cum eis, tunc si eisdem Abbatissae et Discretis justum et rectum visum fuerit, provide consideratis conditionibus personarum, varietate temporum et locorum, quod debeant cum eis dispensare, dispensent, quod possint portare pedulos laneos sive calceolos durante necessitate, et si maior urgeret necessitas, quod possint portare soleas de corio cum pedulis laneis vel calceolis de panno.

CAPITULUM XIII.

DE OCCUPATIONIBUS SORORUM.

Quum forma vitae dicat, quod Sorores, quibus dedit Dominus gratiam laborandi, post horam Tertiae laborent; ut autem hoc jugiter melius ab omnibus observetur, volumus, quod Sorores propter Deum officia humilitatis et charitatis non recusent, sed quum eis aliqua a Matre Abbatissa vel ejus Vicaria fuerint injuncta pro communi vel particulari utilitate Conventus, eadem officia sine murmuratione quacumque faciant et voluntarie et dulciter acceptent et cum diligentia, fideliter et devote perficiant, sicut fuerit eis imperatum. Nec aliqua Soror pallio negligentiae sive tepiditatis vel superbiae, quando sibi a praedictis modo praedicto injungitur, se contegat dicendo: Deus non dedit mihi gratiam hoc vel hoc faciendi seu operandi, dum tamen sana mente et corpore fuerit; sed voluntati praecipientis obtemperet sicut decet sanctae obedientiae professores. Cavere etiam debent Abbatissae et earum Vicariae, ne alicui Sorori aliquid praecipiant quod probabiliter et clare sciant eam nescire vel non posse perficere.

Et quia in praedicta clausula formae vitae continetur: post horam Tertiae; Nos tamen, considerantes strictam paupertatem dictarum Sororum et necessitates et indigentias quas possent habere, concedimus, quod si aliquando negotium ante horam praedictam in Conventu eveniat quod sit necessarium vel conveniens ad perficiendum, quod Abbatissa vel ejus Vicaria possit praecipere cui voluerit, quod illud faciat vel perficiat, si opus jam sit inceptum. Item volumus, quod immediate post Missam vel horam Tertiarum pulsetur pro labore, et tunc omnes quae non habent excusationem legitimam vadant ad faciendum opera eis injuncta. Item injungimus dictis Sororibus, quod de cetero nulla ipsarum audeat seu praesumat agere seu perficere aliquam operationem pro suo Ordine vel pro quacumque persona, cuiuscumque conditionis existat, de quacumque materia de qua possint juste de vanitate aut curiositate notari. Et hujusmodi operationes, si quas contingit per Sorores fieri, antequam acceptentur vel recipiantur, praesententur integraliter Abbatissae vel ejus Vicariae, quae utrum illud sit licitum facere Sororibus debeant arbitrari, et sine earum beneplacito et voluntate nihil fiat de dicta operatione. Et quaecumque Soror contrarium fecerit, puniatur secundum arbitrium Abbatissae vel ejus Vicariae.

Praeterea ordinamus, quod omnes Sorores tam praesentes quam futurae ab omnibus locis spatialibus et etiam a ludis quibuscumque vanis et mundanis quarumcumque rerum semper et ubique se abstineant, sed quandocumque fuerint duae vel tres vel plures in unum congregatae semper ad invicem de Deo loquantur vel de vita Sanctorum vel Sanctarum vivorum et defunctorum vel de his quae pertinent ad salutem animae vel de negotiis bonis, honestis et utilibus, ab otiosis, nocivis et lascivis verbis penitus abstinendo, sicut decet Christi ancillas et observatrices sancti Evangelii et sanctae Religionis professores.

Insuper inhibemus dictis Sororibus, ne aliquos libros in Conventibus suis servent seu

habeant, legant, scribant vel scribi faciant, in quibus expresse vel occulte continentur vanitates et carnalitates personarum mundanarum. Liceat tamen omnibus Conventibus habere in communi libros sanctos pro solatio et profectu animarum, qui in particulari et in generali et in mensa legantur secundum ordinem et dispositionem Abbatissae.

CAPITULUM XIV.

DE CORRECTIONE DELINQUENTIUM.

Ordinamus, quod in quolibet Conventu Abbatissa et in ejus absentia Vicaria moneant et corrigant humiliter et caritative Sorores suas, ne propter negligentiam admonendi et corrigendi ipsas in transgressionis et remissionis foveam collabantur, ita quod praedictae Praesidentes in huiusmodi admonitione et correctione, ut dictum est, veram charitatem et dulcem humilitatem servent. Caveant tamen ne sub specie humilitatis et mansuetudinis remissionem seu relaxationem delinquentibus subministrent, et ne sub umbra caritatis carnalitatem corporum seu crudelitatem animarum ostendant, sed omnes sine differentia secundum earum defectus aequaliter puniantur ut oportet. Et si casus, quod absit, evenerit, quod aliqua Soror aliquod grave et enorme peccatum committeret, exponendo animam suam perditioni et Ordinem suum confusioni, et etiam si esset aliqua ita rebellis et incorrigibilis seu perseverans in malitia sua quod nullo modo vellet se emendare, fiat pro talibus et pro causis consimilibus una camera disciplinae in quolibet Conventu fortis et humana, in qua detineatur in pane et aqua usque ad certum terminum, juxta exigentiam delicti et dispositionem Abbatissae et Discretarum suarum. Item si aliqua Soror adversus Abbatissam vel ejus Vicariam se erexerit vel sibi dixerit aliquod verbum indecens seu injuriosum seu contumeliosum, ad terram in pane et aqua comedat coram omnibus Sororibus in una refectione.

CAPITULUM XV.

DE OSTIARIA ET INGRESSU IN MONASTERIUM.

Et quamvis in forma vitae contineatur, quod Ostiaria in cella aperta sine ostio in die resideat, tamen nos multis justis causis ad hoc nos moventibus, nolumus nunc id esse obligatorium nec aliquo modo de cetero faciendum; quia licet tempore beatae Clarae hoc foret Sororibus licitum et honestum, nihilominus temporibus modernis illud posset dictis Sororibus valde esse periculosum et nocivum. Eapropter nos volentes dictarum Sororum providere honestati et securitati, ordinamus, praedicta fieri in modum qui sequitur, videlicet quod ad ostium Monasterii et ad locutorium custodiendum aliqua talis ex Sororibus deputetur, quae omnino Deum timeat, quae sit matura moribus, diligens et discreta sitque convenientis aetatis, ut dicit forma vitae, quae in opere et sermone possit aedificare cum quibus oportebit negotiari et loqui. Cui sit alia socia idonea deputata quae quum necesse fuerit, id est tempore alicujus infirmitatis gravis, quae posset sibi evenire, ipsa socia vel una alia ad hoc magis vel aeque idonea per Abbatissam de consilio Discretarum deputata vicem principalis dictae Ostiariae in omnibus exequatur. Quibus duabus Ostiariis adhuc una alia Soror de numero octo Discretarum erit adjuncta, quae omni hebdomada poterit mutari et alia loco ejus ordinari ad audiendum personas volentes loqui Sororibus, quia, ut supra dictum est, nulla Soror debet loqui personis forensibus nisi praesentibus et clare audientibus duabus Sororibus de numero octo Discretarum, quae tres insimul, quando pulsatum fuerit ad portam, veniant ad cellam, infra quam situata sunt locutorium et torneatorium tali modo, quod una sine aliis duabus non stabit ibidem ad loquendum nec duae sine tertia, sed omnes insimul stabunt et Ostiaria tantummodo habebit respondere volentibus loqui, et aliae duae praesentes et audientes erunt. Et in casu, quo aliquis vellet loqui alteri Sororum quam Ostiariae, tunc ipsa vel una alia Ostiariarum accedat ad petendam licentiam Abbatissae, et data licentia Soror, quae petitur, veniat ad loquendum. Et tunc Ostiaria principalis erit praesens et audiens cum una aliarum, nec unquam aliqua Soror loquatur personis existentibus extra sine praesentia dictae principalis Ostiariae. Praetera ordinamus, quod in cella antedicta sit ostium ligneum cum duabus clavibus semper de nocte, et aliam portaria

principalis et illam quam custodiat Abbatissa de nocte, Soror per hebdomadam adjuncta duabus Ostiariis de die, intra quam cellam ad loquendum nulla Ostiariarum intrare poterit sine alia.

De ingressu personarum in Monasterium firmiter et districte praecipimus, ut nulla unquam Abbatissa vel ejus Sorores aliquam personam religiosam seu saecularem aut cujuslibet dignitatis in Monasterium intrare permittant. Nec omnino hoc liceat nisi quibus concessum a Sede Apostolica fuerit vel a Domino Cardinali. Excipiuntur autem a dicta ingrediendi lege medicus et minutor causa urgentis necessitatis vel infirmitatis necnon et illi quos ingredi necessarium est causa incendii vel ruinae seu alterius periculi vel dispendii aut pro aliquo opere exercendo, quod commode extra Monasteria fieri non posset. Sed et si aliquis de Cardinalibus in aliquod Monasterium intrare voluerit, cum reverentia quidem et devotione suscipiatur, sed rogetur quod cum duobus vel tribus honestioribus sociis debeat introire. Nulla tamen Soror loquatur omnino cum aliquo nisi sicut in forma vitae continetur sive infirma fuerit sive sana. Et illud praecipue caveatur, ut hi quibus aliquando fuerit concedendum in Monasterium ingredi tales sint, de quorum verbis et moribus necnon et vita aedificari valeant intuentes et materia justi scandali exinde nequeat generari.

Item ordinamus, quod quandocumque continget ad Conventum aliquid adduci sive apportari quod per rotam sive torneatorium commode intrare non possit, sicut dolia vini, ligna, blada et cetera hujusmodi, caveant Abbatissa et portaria et ejus socia, ne porta ultra quam oportebit sit aperta. Nec portitores seu vectuarios rerum apportatarum ad aliqua loca Conventus intrare vel ire permittant, nisi ad illum locum inter duas praedictas portas situatum vel ad alia, ubi de necessitate fuerit congruum eos accedere pro collocatione rerum praedictarum. Et semper cavere debent Sorores, ne alii quam illi qui tunc fuerint necessarii, intrare permittantur, nec ultra tempus complementi sui operis intra remanere sinantur, sed foras completo suo opere exire per Sorores cogantur. Caveant etiam Sorores ne tunc in conspectu eorum appareant nisi illae quae fuerint deputatae per Abbatissam vel ejus Vicariam, nec cum eis loquantur nisi ea quae fuerint necessaria pro negotio rerum praedictarum exponendo, sicut decet utilitati religionis et honestati.

Item in eadem forma vitae habetur, quod in die ostium sine custodia minime dimittatur. Super quo dicimus, quod pro omni securitate sufficere debet sine alia custodia, quod ambae portae maneant firmiter obseratae modo quo supra dictum est. Praeterea continentur in eadem haec verba: Quum autem intra Monasteria ad opus faciendum necesse fuerit alios intrare, statuat tunc Abbatissa personam convenientem, quae tantum illis et non aliis, ad opus deputatis aperiat. Super quibus verbis dicimus, quod illa Ostiaria, quae est secundum formam vitae instituta, dummodo sit matura et discreta cum sociis sibi deputatis debent sufficere pro aperienda porta ingredientibus pro labore faciendo vel pro aliis causis justis et rationabilibus, sic tamen quod dictam portam aperiat ex ordinatione et licentia Abbatissae. Et caveant praedictae Ostiariae, ne prolixa colloquia vel alia ad opus, ad quod venerint non spectantia habeant cum ipsis quovis modo, sed eos mature et discrete si necesse fuerit de voluntate et ordinatione Abbatissae vel ejus Vicariae ad operationem dirigant et ordinent ut oportet. Nec aliqua Soror, cujuscumque conditionis existat, procedat vel exeat ad conspiciendum hujusmodi operatores vel opera eorum, nisi cui ex ordinatione Abbatissae fuerit commissum pro utilitate rei perficiendae. Et quando sic oportebit ad eos ire, numquam sine matura societate et secura Sororum Discretarum, nec cum eis longam moram vel verba prolixa habeant. Et caveant Abbatissae et omnes Sorores, ne negotia et opera, quae poterunt per se facere et operari, faciant per extraneos vel forenses fieri. Nec permittant quovis modo ejusmodi operarios, nec alios ingredientes clausuram, cujuscumque conditionis aut status fuerint, intra eamdem comedere.

Insuper hortamur omnes Sorores in Domino Jesu, quatenus nunquam de benedictionibus Abbatissarum, nec de consecrationibus Monialium curent. Sufficiat eis sacra professio ipsarum, quam si bene servaverint, benedictionem a supremo Pontifice Jesu Christo obtinebunt.

Rursum ordinamus, quod quandocumque continget Confessorem cum socio ingredi Monasterium, pro causis necessariis, sint ambo induti sacris vestimentis, scilicet albis aut superpelliceis. Item ordinamus, quod consideratis temporibus modernis, et tempore datae formae vitae, de cetero nulla Missa inter Monasterium celebretur pro vivis aut solemnibus defunctarum, nisi in casu inevitabili, ut supra dictum est de infirmis.

CAPITULUM XVI.

DE VISITATIONE.

Cum forma vitae duo de Visitatore dicat, primum, quod sit semper de Ordine Fratrum Minorum; secundum, quod sit secundum voluntatem et mandatum Dni Cardinalis Protectoris; primum temporibus modernis observandum est, sed secundum non; causa est, quia licet tempore formae institutae Monasteria Sororum vel Sorores non existebant in omnibus sub obedientia et regimine Fratrum Minorum, tamen postea, pro certis causis et rationabilibus per Dnum Innocentium Papam IV et nonnullos alios summos Pontifices, cura ipsarum Sororum plene in omnibus et per omnia commissa est Generali Ministro, et Provincialibus Ministris dicti Ordinis Fratrum Minorum. Quapropter ut convenientius et securius in dicto Ordine procedatur in visitationibus faciendis ordinamus, quatenus secundum tenorem formae vitae dictarum Sororum praefatum Visitatorem Sorores semper habeant de Ordine Fratrum Minorum, qui juxta Dni Papae Innocentii IV statuta, et aliorum summorum Pontificum, et nostram praesentem ordinationem, sit eis assignatus de mandato seu ordinatione, seu licentia Generalis dicti vel Ministrorum Provincialium in suis administrationibus. Quem Visitatorem dictae Sorores debent humiliter petere ab uno de praedictis, videlicet a Generali Ministro super omnes Conventus dicti Ordinis Sororum, vel a Provincialibus Ministris super Conventus suarum Provinciarum. Praeterea inhibemus dictis Sororibus, ut petant vel recipiant aliquem in Visitatorem, nisi talis sit, de cujus religiosa vita et moribus et fide notitia plena et securitas habeatur, qui zelum Dei habeat, et sit suae regulae observator, ac amator sanctae paupertatis et totius honestatis. Qui quidem Visitator omnes Conventus sibi commissos teneatur visitare semel in anno, vel pluries si necesse fuerit, vel si ab Abbatissa et Sororibus aliis Discretis pro rationabili causa fuerit super hoc requisitus.

Insuper ordinamus, quod dictus Visitator nunquam ingredi permittatur ad interiora Conventus nisi solummodo cum fuerit necessitas. Et hoc in visitatione juridica vel ordinaria. Qui cum ad Monasterium visitandum introgressus fuerit, sic se per omnia exhibeat et ostendat, ut omnes a bono ad melius provocet, et ad Dei amorem, et inter se mutuam charitatem semper inflammet pariter et accendat, et stet semper cum socio suo in loco communi, et ita unus prope sit alteri, quod possint se mutuo videre, nec ultra expletionem sui officii moram protrahat intra clausuram, sed statim exeat. Item dictus Visitator, dum ad aliquem Conventum venerit visitandi causa, ante duos vel tres dies naturales suum officium exequatur, et antequam incipiat visitationem, si fuerit dispositus, faciat Sororibus collationem vel sermonem. Postea faciat praeceptum omnibus et singulis Sororibus, quod per obedientiam salutarem respondeant bona fide, si sciant aliquid super his, de quibus interrogabuntur, cum omnes Sorores et singulae teneantur firmiter obedire, scilicet in his quae ad officium suae visitationis pertinent. Deinde omnes Sorores tam Abbatissa quam aliae dicant singillatim culpam suam, et unaquaeqne earum, dicta culpa, egrediatur Capitulum, si sit visitatio publica, ita quod illae, quae remanebunt in Capitulo, possint accusare, si accusanda fuerit illa, quae fuerit egressa, et tunc nomina accusantium et accusatarum et illa crimina de quibus accusabuntur, conscribantur, dummodo crimen possit juridice per duas Sorores boni testimonii probari. Item, si aliqua Sororem aliquam falso et injuste accusaverit, et hoc fuerit legitime deprehensum, poenam sustineat, quam accusata pro tali crimine, de quo ipsam accusaverat, si fuisset aperte culpabilis et infamata, deberet sustinere. Postquam Soror dixerit culpam suam, et foras fuerit egressa et debite accusata, vel

omnino reperta pura ab omni crimine, in judicio accusanda revocetur ad Capitulum et sui defectus notabiles, de quibus accusata fuerat, juridice recitentur, et poenitentia debita imponatur; tamen audientia sibi non negetur, sed plene tribuatur, ut secure se possit excusare, si legitimam excusationem habeat in toto vel in parte, et sic modo praedicto omnes et singulae Sorores dicant culpas suas, egrediantur, accusentur, et revocentur ad Capitulum, et coram omnibus debite puniantur de illis, de quibus in publico fuerint puniendae. Si tamen sit in aliquo Conventu aliqua Soror, quae sciat certitudinaliter, aliquam Sororem graviter deliquisse vel de facto in aliquo gravi crimine esse vel permanere, quod crimen non possit pro tunc probari, illa Soror, quae hoc scit, potest de Sorore, et de crimine eodem modo, quo ipsa hoc scit, informare Visitatorem, et tali in casu Visitator nunquam debet revelare nomen accusantis Sorori accusatae.

Insuper dictus Visitator istum modum loquendi infrascriptum potest tenere, si sibi videatur expediens; ut videlicet cum omnibus, vel cum pluribus simul loquatur, aut secreto cum una aliis tamen ad minus duabus in conspectu ejus longe sedentibus, ut per omnia bonae famae integritas observetur; quod si aliquid tale sibi occurrerit, quod congrue per se nequeat emendare, ad Superiorem referat, ut ejus consilio ac praecepto, sicut expedit, corrigatur. Caveat autem Abbatissa ne a se, vel ab aliis Sororibus status sui Monasterii in observantia Religionis et in unitate mutuae charitatis Visitatori aliquatenus abscondatur, quia peccatum magnum esset, et offensa graviter punienda; imo volumus et mandamus, quod ea quae secundum vitae suae formam corrigenda et emendanda fuerint, publice et private, sicut melius fuerit faciendum, Visitatori diligenter suggerant et proponant, quae si aliter fecerint, a Visitatore tam Abbatissae quam aliae digne, ut convenit, puniantur.

Ceterum Visitator quandocumque continget, eum visitare secrete vel publice, inter cetera, quae requiret a Sororibus, primo requiret de essentialibus Regulae, videlicet de obedientia, paupertate, castitate et de clausura perpetua; secundo quomodo dicitur divinum officium, de die et de nocte; de modo loquendi ad cratem et torneatorium, de congregatione et provisione grani, vini et bladi; de servitio infirmarum et debilium et valde antiquarum; de abundantia et pretiositate et curiositate vestimentorum; de observantia jejuniorum et abstinentiarum; de negligentia Praesidentium et Discretarum et Ostiariarum; de inobedientia et rebellione subditarum; de observantia formae vitae et praesentis ordinationis; de pace et unitate observanda; de vinculo perpetuae caritatis; de frequentia Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae; quomodo sacrificium sanctae orationis et devotionis in Conventu vigeat et ferveat. Et si aliquam vel aliquas in aliquo praemissorum, vel in aliis legitime repererit vitiosam, vel aliter quovis modo deprehensam, zelo charitatis et amore justitiae debitae cum discretione puniat et corrigat, secundum quod delictum fuerit commissum, vel frequenter iteratum.

Per praecedentia autem non intendimus quovis modo infringere bonas et sanctas ordinationes, quas alias praefatis Sororibus tradidit venerabilis Religiosa Soror Coleta, filia nostra in CHRISTO JESU carissima. His itaque declarationum, admonitionum et Constitutionum praesidiis, cum vestro statui arbitremur divino munere provisum esse, vos in CHRISTO filiae, Abbatissae, et universae Monasteriorum Sorores, a praefata devotissima Matre vestra, Sorore Coleta, laudabiliter atque fama singularissima fundatorum, et in CHRISTI nomine fundandorum, praesentes pariter et futurae, ad quas universas et singulas haec nostra vestrae directionis scripta transmittimus, tanta mentis, et omnium vestrarum praeparatione ad eorum religiosissimam observantiam incumbatis, quanto uberiores fructus ex eorum observantia vos consecuturas non dubitamus. Nos vero quo majori robore atque auctoritate haec omnia et singula apud vos valeant et devotiori humilitate suscipiantur, solemnitatibus consuetis visionis, examinationis, approbationis et appensionis sigilli nostri officii fecimus munimine roborari.

Datum Gebennis Provinciae Burgundiae, sub anno Domini 1434 die 28 Septembris, Pontificatus sanctissimi in CHRISTO Patris et Domini D. Eugenii Papae IV, anno IV et inchoationis sacri Concilii Basileen. ad reforma-

tionem omnium statuum, pacem procurandam inter fideles, et extirpationem haeresum feliciter nunc perseverantis anno IV.

—

DE ORIGINE ET PROGRESSU

NOVAE CUSTODIAE ANGLIAE.

Quum occasione Provincialis Capituli Provinciae Belgii, mense Augusto proxime elapso celebrati, auctoritate Rmi P. Generalis et annuente Capitulo, Conventus in Anglia existentes a Belgii Provincia segregati et ad titulum ac jura Custodiae Gubernii erecti fuerint, hujus Custodiae neo-erectae (1) originem, progressum et praesentem statum breviter exponere non dedecet, nec utilitate carebit.

Jam ab anno 1849 de restaurando in Anglia Ordine seraphico consilium iniere Belgicae Provinciae Moderatores. Hac enim de causa, Patrum Definitorii seu praevie exquisito judicio, Minister Provincialis Belgii ad Angliam destinaverat venerandae memoriae P. Bernardum Van Loo, tunc temporis sacrae Theologiae Lectorem et Provinciae Definitorem, ut praesens videret num aliqua spes affulgeret intentum consilium ad felicem exitum perducendi. Suscepta missione prudenter functus, laudatus Definitor per tres hebdomadas in Anglia permansit, et tum ab Illmo Walliae Vicario apostolico, tum ab egregio Confratre nostro Gulielmo Hendren, Provinciae Anglicae olim filio et Districtus occidentalis ejusdem Regni Vicario apostolico, litteras obtinuit, ex quibus licentia Provinciae Belgicae Patribus concedebatur, ut, praehabita S. Sedis approbatione, Conventus in Anglia erigere valerent. « Nec dubitamus, scribebat Ministro Provinciali Rmus Hendren, quin benedicente DOMINO, per piorum et catholicorum benevolentiam et adjutorium res feliciter cessura sit et tandem aliquando, quod diu intentis quidem sed frustratis votis optavimus, Provincia haec Fratrum Minorum Anglorum sit restituenda (2) ».

(1) Cfr. Decretum erectionis, fasc. IX hujus anni, pag. 134.

(2) Ex Archivo Prov. Belgii, tom. I, n. 95.

Feliciter expleta P. Bernardi Van Loo missione, ex parte Definitorii Provinciae Belgii die 30 Octobris 1849, transmissa fuit petitio ad Cardinalem Protectorem simulque ad Ministrum Generalem, ut praedictorum Episcoporum voto annuerent. Sed qua de causa intentum finem non sint prosecuti, ex Archivi documentis non patet. Etenim non tunc temporis, sed tantum annis octo transactis, anno scilicet 1858, optatae restaurationi manum admovere Superiores, et primi Conventus erectio ad effectum deducta est.

Ineunte igitur anno 1858, Rmus D. Gulielmus Vaughan, Episcopus Plymouthensis, ad Ministrum Provincialem Belgii litteras direxit, in quibus locum vulgo *Sclerder* prope oppidum *Trelawny* in Cornubia proponebat, ut ibidem Ordinis Conventus erigeretur. De consensu Definitorii et approbante Rmo P. Bernardino a Montefranco, Ministro Generali (1) primum Ordinis nostri Coenobium in Insula Sanctorum restituit Provincia Belgii et eodem anno, supplicante Adm. R. P. Bernardo Van Loo, qui ad munus Procuratoris Generalis Recollectorum et Discalceatorum evectus fuerat, S. Congregatio de Propaganda Fide ejusdem Coenobii canonicam erectionem impertivit (2), simulque annuit, « ut praedictus Conventus maneret sub jurisdictione et regimine Provinciae Recollectorum Belgii, donec alii Conventus in hac natione accesserint, e quibus Custodia cum ordinario Gubernio erigeretur (3) ».

Interim laudatus P. Procurator, Ordini in Anglia restaurando jugiter incumbens, auctor fuit, ut Minister Provincialis aliam fundationem iniret in oppido *Gorey*, dioecesis Wexfordiensis in Hibernia, quam dives quidam Anglus, vir catholicus, obtulerat. Attamen vix incepta communitas, nonnullis exortis difficultatibus, de oppido Goreiensi ad civitatem *Killarney* translata est. Episcopus enim Kerriensis, Rmus D. David Moriarty, per litteras diei 8 Aprilis 1860, domum fundumque se daturum ultro promiserat, ad Conventum et ecclesiam construendum, atque paulo post Killarniensis Coe-

(1) Ibid. n. 218, Epistola diei 8 Aprilis 1858.

(2) Rescriptum diei 30 Maii anni 1858.

(3) Ex Archivo Provinciae Belgii, n. 251.

*

nobii canonicam erectionem Sedes Apostolica approbavit (1).

Sequenti anno, Adm. R. P. Archangelus Vendricks, Provincialis Minister, a Rmo Episcopo Salfordiensi petivit, ut novi Conventus erectionem permitteret in civitate Mancuniensi (Manchester), et revera, assentiente Episcopo (2) Patres huic fundationi in *West Gorton,* suburbio Mancuniensi, statim operam dare coeperunt.

Haud multo post, mense scilicet Februarii anno 1864, Conventus Trelawnensis, de consensu Sanctae Sedis, a Superioribus derelictus fuit et ejusdem familia ad Conventum Mancuniensem translata; vix enim in loco Sclerder regularem vitam Fratres ducere valebant, multoque minus religiose sustentari et propagari.

Praedictis Conventibus Killarniensi et Mancuniensi in Regno unito jam existentibus adjunctum est anno 1867 Coenobium Glasguense in Scotia, de consensu Rmi D. Joannis Gray, Vicarii apostolici Districtus Scotiae occidentalis et canonice erectum fuit una cum Parochia Conventui unita et incorporata (3).

Divina tandem Providentia res et eventus ita disposuit, ut civitas Londinensis, Regni princeps, in qua tot Martyres nostri, et praesertim B. Joannes Forest, sanguinem suum pro CHRISTO fuderunt, iterum Fratres Minores acciperet eisque duplicem exhiberet habitationem. Jam enim Illmus D. Manning, Archiepiscopus Westmonasteriensis, anno 1870 Romae degens ut Concilio Vaticano interesset, supremis Ordinis Moderatoribus desiderium suum patefecit seraphici Ordinis residentiam Londini stabiliendi. Attamen ad effectum res non devenit nisi anno 1873, cura praelaudati P. Bernardi Van Loo, qui tunc Provincialis Ministri in Belgio munere fungebatur. Stratfordiensem missionem in parte orientali civitatis administrandam suscepit et ibidem religiosam erexit domum, quae mox canonica approbatione aucta est (4).

(1) Rescriptum S. C. de Propaganda Fide diei 3 Junii 1860.

(2) Per litteras diei 27 Novembris 1861.

(3) Rescriptum de Propaganda Fide, die 13 Decembris an. 1867.

(4) Rescriptum S. C. de Propaganda Fide, diei 27 Julii 1873.

Denique anno 1882, libentissime consentiente Eminentissimo Cardinali Manning, Archiepiscopo Westmonasteriensi, emptus est fundus in *Upton-Stratford* pro fundatione novi Conventus, qui sine mora aedificari coepit. Completa aedificii praecipua parte, Emus Cardinalis, die 2 Junii 1885, Pontificium Rescriptum jamdiu obtentum (1) exsecutus, Coenobium canonice erectum declaravit, servatis praescriptionibus in Bulla *« Romanos Pontifices »* LEONIS XIII contentis.

Peracta horum quinque Conventuum in Insulis Britannicis erectione, Superiores Provinciae Belgii vocationum multiplicationi favere cupientes et juvenum Anglorum formationi providere, Collegio seraphico in Conventu Mancuniensi anno 1881 initium dederunt; anno vero 1885 Novitiatum pro Clericis in Conventu Killarniensi, studiaque humaniora in Conventu Uptoniensi institui curarunt.

Omnibus ex divina opitulatione ita compositis et imminente celebratione Capituli Provincialis vertentis anni, tempus opportunum adesse visum est novae Custodiae Anglicae denuo erigendae sub titulo Immaculatae Conceptionis, antiquae Provinciae patronae, et hanc erectionem, Capitulo assentiente, Rmus P. Generalis, ut dictum est, decrevit.

De singulis Custodiae Conventibus pauca adjungemus, statumque eorumdem, mense Augusti 1887, indicabimus.

I. CONVENTUS KILLARNIENSIS

IN HIBERNIA.

Conventus hic vere franciscanus dici potest; fabrica omnino regularis triginta circiter Religiosos admittere valet. Ecclesia ampla, sed seraphicae paupertati conformis, SS. Trinitati dicatur. Cathedra praedicationis ex ligno confecta, pulcherrime adaptata est; pars ejus inferior exhibet statuam S. P. Francisci Fratres suos in orbem mittentis ad praedicandum.

In hoc Coenobio invenitur Novitiatus tam pro Tertiariis seu Oblatis quam pro Clericis; ibidem commorantur 6 Patres, 2 Laici, 4 Novitii Clerici, 1 Laicus et 5 Tertiarii.

(1) Rescriptum, diei 15 Feb. 1883.

II. CONVENTUS MANCUNIENSIS

IN DIOECESI SALFORDIENSI.

Ecclesia seraphico S. P. Francisco dicata, adnexam habet Paroeciam, in qua catholicorum quinque fere millia numerantur. Pro pueris et puellis Paeroeciae educandis tres habentur scholae sub directione magistrorum saecularium a Patribus selectorum. In eisdem 700 circiter inveniuntur alumni.

Collegium Seraphicum in hoc Conventu ab anno 1881 fundatum, ab initio usque in praesens 47 alumnos admisit, ex quibus 4 in Killarniensi Novitiatu inveniuntur et 16 jam expleta probatione professionem emiserunt.

In hoc Coenobio commorantur 11 Patres, 1 Laicus, 2 Tertiarii Oblati et 11 alumni in Collegio Seraphico.

III. CONVENTUS GLASGUENSIS

IN SCOTIA.

Ecclesia in honorem S. P. Francisci pariter dicata amplissima est, licet adhuc aedificandum remaneat altare majus cum presbyterio.

In Paroecia fere 12 millia catholicorum numerantur, mille circiter pueri vel puellae scholas frequentant sub directione 20 magistrorum.

Paucae habentur cellae et hortus omnino deest, sed plures habentur areae, in quibus Fratres religiose recreari possunt.

Ibidem commorantur 6 Patres et 2 Tertiarii Oblati.

IV. CONVENTUS LONDINENSIS

(Upton London E.)

IN DIOECESI WESTMONASTERIENSI.

A paucis mensibus incepta est ecclesia, quae nunc (mense Augusti) ad fastigium fere pervenit et brevi complebitur. In triplici navi divisa, amplissima evadet ac in memoriam S. Antonii Patavini dedicabitur.

In Paroecia jam 1700 circiter fideles numerantur, licet nuperrime erecta sit; sed illorum numerus in dies augetur, et successu temporis fiet una ex numerosioribus Londini Paroeciis, quum multi catholici, loci amoenitate et salubritate attracti, areas in hac civitatis parte libenter emant, praesertim ab initio fundationis Conventus nostri.

Desunt adhuc scholae paroeciales dictae, sed habetur schola media, in qua centum fere pueri jam educantur.

Pars tantum Conventus existit, sed altera pars jam exsurgit et mox fere 40 cellae habebuntur. Structura omnino regularis apparet ac seraphicae paupertati consona. Adest etiam Conventui annexus hortus, cujus extensio decem millia metrorum quadratorum attingit.

In hac Communitate degunt 5 Patres, Clerici studentes 10, Laicus 1, Tertiarii Oblati 3.

V. RESIDENTIA LONDINENSIS

(Stratford, London E.).

Erecto in ultima Congregatione intermedia Conventu Uptonensi, Communitas Stratfordiensis, quae ab Upton distat viginti solummodo minutorum itinere, simplex residentia permansit.

Ecclesia, ad S. P. Franciscum dicata, parva est ac omnino insufficiens fidelium numero, qui duo millia excedit.

Ibidem adsunt 4 Patres et 3 Oblati Tertiarii.

In nova igitur Custodia nunc degunt 32 Patres, Clerici studentes 10, Novitii 5, Laici 4, Tertiarii 15.

Quibus adjugendi sunt duo Patres, alter in Collegio ad Claras Aquas (Quaracchi) prope Florentiam et alter in Sinis, necnon 4 Clerici in Belgio adhuc studiis incumbentes. Summatim ergo in tota Custodia numerantur 72 Fratres et 11 Alumni Collegii Seraphici.

Utinam Ordo Seraphicus in Regno Unito iterum reflorescat ad Dei gloriam animarumque salutem et sanctae Matris Ecclesiae consolationem!

—

CONCURSUS GENERALIS

(anni 1885)

Anno 1885, a die 20 usque ad diem 24 Octobris in Conventu Observantiae prope Senas, Observantis Provinciae Tusciae, factus est Concursus Generalis ad normam Statutorum Ordinis, pro Cathedris theologicis et philosophicis, Praeside Adm. Rev. P. Henrico Rosa a Massa, dictae Provinciae Ministro Provinciali, ex speciali commissione Reverendissimi P. Ministri Generalis. Approbati fuerunt sequentes:

Pro Sacra Theologia.

1. P. Aemilius Crivelli, Obs. Prov. Tusciae.
2. P. Augustinus Cengić, Obs. Prov. Bosniae.
3. P. Hugolinus Filippi, Obs. Prov. Corsicae.

Pro Philosophia.

1. P. Marinus Marcucci, Obs. Prov. Tusciae.
2. Fr. Stephanus Bralić, Obs. Prov. Bosniae.
3. P. Laurentius Giraldi, Obs. Prov. Tusciae.
4. Fr. Leonardus Bianconi, Obs. Prov. Tusciae.

CONCURSUS GENERALIS

(anni 1887)

Anno 1887, a die 14 Novembris usque ad diem 22 ejusdem mensis, in Conventu divae Mariae Angelorum prope Assisium, Observantis Provinciae Seraphicae, factus est Concursus Generalis pro Cathedris theologicis et philosophicis, praesidente Rmo P. Bernardino a Portu Romatino Ministro Generali. Approbati fuerunt sequentes:

Pro Sacra Theologia.

1. P. Innocentius Zoboli, Obs. Prov. Tusciae.
2. P. Franciscus Omrcĕnović, Obs. Prov. Bosniae.
3. P. Frygdianus Giannini, Obs. Prov. Tusciae.
4. P. Seraphinus del Seppia, Obs. Prov. Tusciae.
5. P. Urbanus Talija, Obs. Prov. Ragusii.
6. P. Antonius Gori, Obs. Prov. Tusciae.
7. P. Martinus Martilli, Obs. Prov. Tusciae.

Pro Philosophia.

1. P. Hyacinthus Mei, Obs. Prov. Tusciae.
2. P. Joannes M. a S. Maria Angelorum, Obs. Prov. Seraphicae.
3. P. Aloysius a Melita, Obs. Custodiae Melitae.
4. P. Constantius a Bolentina, Obs. Prov. Seraphicae.
5. P. Barnabas ab Arnica, Sacrae Custodiae Terrae Sanctae.

III.

MISSIONES

—

EPISTOLA S. C. DE PROPAGANDA FIDE

ad omnes Missionum Praesules.

Illme et Rme Domine

Ut Missionum tam variae ac multiplices res rite examinentur ac facilius expeditiusque tractentur, Sacra haec Congregatio Antistites aliosque Missionum Moderatores identidem de nonnullis admonuit quae ipsis observanda essent in suis cum eadem S. C. relationibus. Quorum quidem observatio adeo opportuna in dies apparet ut, quae jam fere omnia per plures circulares litteras singulis Missionum Praesulibus sunt enuntiata, ea nunc in memoriam ipsis revocare visum sit, ut scilicet:

1. De regionibus sibi commissis plenam statuto tempore S. Congregationi rationem

reddant juxta *Quaestiones*, quae in apposito libello indicantur (1).

2. Quotannis mutationes, si quae forte in respectivis Missionibus factae fuerint, notificent.

3. Nonnisi ex praevia S. Congregationis venia et rescripti tenore servato ullum Romam, ut in Urbanum Collegium cooptetur, adolescentem mittant (Litt. Circ. 1 Aug. 1854).

4. Meminerint gravi sese obligatione teneri quolibet anno diligenter perquirendi de statu singulorum qui, ad ipsorum respective Missionem quovis modo pertinentes, alumni fuerunt S. Congregationis, deque illis eorumque statu, exercitiis ac locis eamdem Congregationem monendi (Const. Alex. VII 20 Julii 1660).

5. Epistolas, petitiones nec non acta ad causas ecclesiasticas pertinentia nonnisi latine aut italice vel saltem gallice scripta ad S. Congregationem transmittant (Litt. Circ. 28 Sept. 1868).

6. Cum de pluribus negotiis ad S. C. referunt, efficiant ut unumquodque ex iis proprium habeat folium (Litt. Circ. 5. Aug. 1878).

7. In petitione facultatum alias concessarum postremi rescripti diem nedum mensem atque annum accurate commemorent (Litt. Circ. 15 Dec. 1883).

8. In litteris responsivis numquam omittant numerum referre (italice *Numero di Protocollo*), quem relativa S. Congregationis epistola in capite inscriptum habet (Litt. Circ 15 Dec. 1883).

9. Eam ephemeridem, quae suppeditandis circa statum religionis in propria Missione notitiis potissimum apta videtur, ad S. C. mittant (Litt. Circ. 2 April. 1884).

10. Ne grave sit iis operum quae de rebus Missionum, vel utcumque in Religionis bonum in Missionibus typis mandantur aliquod exemplar *ad S. Congregationis Archivum* directe transmittere.

Haec omnia Tibi enixe commendans, Rme Dne, precor DEUM ut Te in omnibus benigno favore prosequatur.

Die 12 Decembris 1887.

✠ D. ARCHIEP. TYREN.
S. C. de Prop. Fide Secr.

(1) Cfr. *Acta* hujusce anni, fasc. V pag. 109, ubi referuntur istae *Quaestiones*.

EX REPUBLICA ARGENTINA

De morbo asiatico ex relatione
R. P. Quirici Porreca.

(Continuatio).

Dum in *Rio* 4° res sic se haberet, epidemia longe lateque dire grassare coepit; et, deficientibus medicis, populorum animae corporisque salus in Religiosorum manibus reposita fuit. Enimvero, Adm. R. P. Praefectus perrexit ad Reductionem duodecim circiter leucis ab hac civitate posita ibique corporalis spiritualisque medici officio laudabiliter functus est. P. Julius de Alba ad locum, *Villa de la Carlota* nuncupatum, destinatus fuit, ubi fortiter labori incubuit usque ad epidemiae finem. P. Franciscus Luchini, postquam summa animi abnegatione officia praestiterit in hac civitate, ad Coloniam, antiquum *Sarmiento* castrum, se contulit; ibique peste correptus, gloriae coronam, tantae debitam charitati, pie credimus assequutum esse (1). Ejus loco P. Antonius Cardarelli, actualis parochus, suffectus fuit, postquam et ipse magno charitatis aestu pro amicis et ovibus animam heroica fortitudine posuerit.

Etiam Sorores Tertiariae morti tributum solverunt in praesenti epidemia. Si enim Sorores Agnes a Sancta Maria, Assumptio et Humiliana, a morbo correptae, Doctoris Mallo cura a morte sunt liberatae, Sorores Illuminata a Puero JESU salvari nequaquam potuit. Ipsa enim die 4 Januarii, hora 7 matutina in morbum incidit: mortem laeto animo sustulit, seipsam divinae justitiae offerens, ut DEUS populos a peste corporis et animae dignaretur liberare.

Nec minor fuit Franciscalium zelus in civitate Cordubensi, quae epidemia tabescebat. Ordinato enim in S. Francisci Coenobio salubri lenocomio, Tertiariae Collegii S. Margaritae ejusdem civitatis, cooperantibus Tertii Ordinis saecularis asseclis, ita se infirmorum servitio manciparunt, ut effectus salutares ab omnibus celebrarentur.

(1) Tres charitatis victimae in praefato Castro sepultae sunt, nempe praelaudatus P. Franciscus Luchini, P. Gulielmus Zelli ac Fr. Venantius Bazzani anno 1874.

**

Non defuere societates, quae sub titulo *Crucis,* ut dicunt, *Rubeae,* lenocomia fundarunt. Non dubito quin humaniores sensus ad hoc ipsos excitarint; verum timens Massonismi insidias, animarumque perditionem, ad duces societatis, quae in *Rio* 4° ordinata erat adire proposui, et illos sic alloquutus sum.

« Scio vos *Crucis Rubeae* societatem efformasse, et non dubito quin principiis christianis sit conformis, ac ad verum proximorum bonum destinata; quapropter vobis proponere liceat, ut si quis vestrum, quod absit, in morbum ceciderit, me sicut ultimum societatis infirmarium ad abjectissima quaequae officia perficienda assumere dignemini, vobis amplam facultatem praebens, quascumque offensas mihi inferendi, si charitatis officia pro viribus non praestiterim. Insuper rogo ut licentiam mihi concedatis infirmos a me visitatos alio ducendi: quod si facere renueritis, libere vobis dicerem vestrum comitatum non a Cruce Christi vim et splendorem obtinere, sed vana mundi gloria tantum pollere ». — Nemo ausus est respondere verbum; sed societas illa tamquam fumus evanuit, et Religiosorum charitas in DOMINO triumphavit.

Interea, sociorum benevolentia, inter sub-Commissionis membra pro auxilio infirmis ferendo sum cooptatus. Tantum honorem maximi faciens, meis sociis proponere duxi, ut officinam statuerent ad infirmorum, orphanorumque necessaria adlaboranda, ex quo duplex haberetur beneficium: pauperibus succurrere, puellisque indigentibus lucrum laboris providere. Hac propositione unanimi consensu adprobata, vix dici potest quantum beneficii in tam calamitosis circumstantiis attulerit. Satis pateret si amplissimam relationem ad Praesidem transmissam extense transcribere valerem. Ex ipsa tamen excerpere puto, vestes et alia pauperibus elargita ad 1963 ascendere, praeter lectos, culcitras, lodices etc., insuper et ea quae a me abundanter distributa sunt.

Verum omnium cordi erat non solum victum et vestitum indigentibus providere, sed pupillis parentibus orbatis asylum et protectionem comparare. Et ad hoc officium tam permagnificum praesto fuerunt Divi Francisci filiae. Et quam tenerrimum de seipsis spectaculum exhibuerunt! Infantes atque lactentes materno amore, charitate inspirante, inter ulnas suas amplectebantur, dum grandiusculos verbis suavissimis solabantur, eorum lacrymas tergentes, cibis omni cura refocillantes, eorum necessitudines sollicite praevenientes, adeo ut parentum defectum vix experirentur. Et utinam omnia a Tertiariis peracta, tum infirmis assistendo, tum erga orphanos maternum officium exercendo, possem hic, qua meretur diffusione referre. Aliquid saltem patebit ex sequentibus eximii Doctoris Mallo epistolis, ad eas missis, quae sic se habent:

« Soror Agnes:

« Pergratam Reverentiae tuae epistolam accepi, et plurimas gratias rependens, mei animi gratitudinem erga te perenniter servabo.

« In medio societatis seu civilis consortii, facies quidem videntur, corda autem non intuentur; et illi qui mundum philosophice meditantur, uti ego consuesco, cor rectum inveniendo, verum miraculum experiuntur.

« Posthac, monasticis institutionibus jam reconciliatus, potero humanitatis detractoribus dicere: Si bonitatem, si virtutem, si abnegationem, usque ad sacrificium ductas, cupitis invenire, ite, et in apostolatu Sororum S. Francisci Tertiariarium, in *Rio* 4° degentium, contemplate.

« Vos, Sorores dilectissimae, sicuti et Religiosi franciscales, spiritum meum vestro exemplo roborastis, tantum in illum dolorem infundentes, ut difficili missioni mihi creditae non desperarem, etsi ad morbum repellendum mediis opportunis omnino carerem. Si quid boni fecerim, vobis debetur gloria; et ideo gratias tibi, Soror Agnes, omnibusque simul Sororibus denuo ex corde rependo: quae bonum sola proximorum charitate peragentes, fortitudinis exemplum mihi ita praebuistis; ut essetis mihi, quod Constantino illa visio coelestis fuit: *In hoc signo vinces.*

« Omnia prospera isti Communitati ex animo peroptans, permaneo

« *Gratissimus addictissimus*
PETRUS MALLO »

En altera ad Praefectam missa:

« Rediens a salutari Missione istic perfecta, Gubernium cupiens mea servitia liberaliter remunerari, bis mille et quingentas libellas mihi tradidit; quas ego grato animi sensu accepi, eo consilio ut ad vos, quae fortitudinis et abnegationis exempla mihi praebuistis, mitterem, quippe quod vobis prae omnibus haec subsidia debentur. Multo magis quod ad pauperes succurrendo ad publicam charitatem clamatis, uti ex ephemeridibus perspexi. Utinam hoc leve subsidium valeat ea damna resarcire, quae vel ignorantia, vel quacumque alia causa, praeter intentionem tamen, alicui forsan attulerim.

« Spero ad aliquid hoc tenue obolum profuturum; tantum rogo ut filiae meae, cujus consensu est oblatum, memineritis in orationibus vestris.

« Tandem, peroptans ut vestra benefica institutio per totam Rempublicam extendatur, peramanter maneo

obsequentissimus servus
Petrus Mallo.

Et tam insignis proximi ac Tertiariarum benefactoris vota exaudita esse perhibetur. Re quidem vera, virtuosus Provincialis Franciscanae Provinciae *Mendoza* vim facit, ut Sororum domus in illa civitate fundetur; Adm. R. P. Commissarius Generalis postulat, ut illae in *Salta* stabiliantur; alii hinc inde certatim petunt tam benemeritas Sorores in suis civitatibus habere: ex quo patet Sancti Patriarchae Francisci specialis protectio, ac Dei et Domini Nostri Jesu Christi benedictio, cui honor et gloria.

—

BREVE

Quo Vicariatus Apostolicus Chen-si in Sinis dividitur.

Leo PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam. Anno 1885 ad evangelizandum meridionalem districtum Vicariatus Apostolici Chen-si in Sinis seraphici Franciscalium Minorum Ordinis religioni et curis concrediti, nonnulli alumni Seminarii SS. Apostolorum Petri et Pauli pro sacris ad exteros expeditionibus a felic. record. Pio IX. Decessore Nostro in hac alma Urbe instituti, et deinceps aliquot juxta initam, annuente dilecto filio Nostro Joanne S. R. E. Presbyt. Cardinali Simeoni Consilii propag. fidei Praefecto, inter praedicti Ordinis Ministrum Generalem et Moderatorem memorati Seminarii conventionem se contulerunt. Ex quo optata et ab ipsis Franciscalibus Minoribus proposita, ampli illius Vicariatus partitio facilior est facta, et nuper Venblis Frater Amatus Pagnucci Episc. Tit. E. Agathonicensis et Vicarius Apostolicus de Chen-si exposuit numerum Missionariorum una cum aliquot sacerdotibus indigenis impigre ac strenue in praefata dicti Vicariatus meridionali parte laborantium, propositae petitioni jam satis favere; imo dictam divisionem illorum fidelium bono utilem reddidisse. Quare Nos collatis consiliis cum Venerabilibus F. Nostris S. R. E. Cardinalibus Congreg. Christo nomini propagando praepositis, expensisque locorum ac rerum adjunctis Vicariatus Apostolici Chen-si divisionem de eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum consilio decernendam censemus. Itaque Nos de christiani Nominis incremento ac de fidelium omnium commoditatibus solliciti, ex suprema potestate Nostra, meridionalem partem a Vicariatu Apostolico, uti nunc est Chen-si in Sinis, omnino avellimus et sejungimus, eamque in Vicariatum Apostolicum Chen-si meridionalis erigimus et constituimus, manente Vicariatu Apostolico Chen-si septentrionalis spiritualibus Missionariorum Franciscalibus curis concredito. Novi hujusce Vicariatus Apostolici Chen-si meridionalis in Sinis curam Seminario SS. Apostolorum Petri et Pauli supradicto committimus, eumque constare volumus e civili districtu de Han-tchung et Hi-ngau, ita ut limes inter utrumque Vicariatus sit montium tractus, qui hunc districtum a reliqua parte provinciae Chen-si separat; hinc novum Vicariatum, uti supra, per Nos erectum et institutum Chen-si meridionalis pro limitibus ecclesiasticis habere volumus sequentes Vicariatus, nempe ad septentrionem Chen-si septentrionalem, ad orientem Hu-pè septentrionalem, ad meridiem

S'-tchuen orientalem et S'-tchuen occidentalem, ad occidentem Hau-seu.

Praeterea decernimus has litteras Nostras firmas etc.

Datum Romae etc. die II Augusti 1887. Pontificatus Nostri anno X.

M. CARD. LEDOCHOWSKI.

IV.

BIBLIOGRAPHIA

ALMANACH DU TIERS-ORDRE pour l'année bissextile 1888 à l'usage des Tertiaires et Cordigerés de S. François sous la direction des Perès Franciscains de l'Observance. Douzième année, Bordeaux, Imprimerie typo-lithographique O. L. Favraud, 91 rue Porte-Dijeaux. In-32, pag. 122, (prix 0,30).

ANONYMUS. — Una mano morta, ossia una mano scolpita col fuoco del purgatorio narrazione autentica della apparizione d' un' anima del purgatorio avvenuta in Foligno nell' anno 1859 con appendice di tre apparizioni e le Norme della Pia Associazione di N. S. del Suffragio.

Quarta Edizione. Torino 1884, Emporio Cattolico, Via S. Donato, 31.

P. GAUDENTIUS. — Statuten der Ehrw. Schulschwestern vom dritten Orden des hl. Franziskus im Mutterhause zu Kaufbeuren, nach dem Sinne der hl. Regei dieses Ordens und nach dem Geiste des hl. Stifters. Von P. Gaudentius, General-Definitor des Franziskaner-Ordens. Druck von Friedrich Pustet in Regensburg. 1887.

GIUSEPPE DA NOCERA, Min. Ref. — Elogio funebre del M. R. P. Francesco da Monteforte Ministro Provinciale dei Minori Riformati della Provincia di Salerno recitato dal R. P. Giuseppe da Nocera, Diffinitore della stessa Provincia, il 5 Ottobre del 1887 giorno dei solenni funerali nel Santuario di Materdomini. Cava dei Tirreni Tipografia di Paolo Fenoglio 1887 pag. 12.

SALVATOR DE BOIS-HUBERT. — Courtes méditations ascétiques pour tous les jours del' année par le R. P. Ioseph de Dreux, des Frères Mineurs Capucins. Ouvrage inédit du XVII. siècle, revu et pubblié par le R. P. Salvator de Bois-Hubert, Cap. Paris, Paussielgue rue Cassette 15 1887, pag. 384.

VERONICA GIULIANI (Santa). — I suoi *scritti* in tre volumi: I°. tomo ossia parte detta il volume di Pio IX. Città di Castello, Convento delle Cappuccine 1883, pag. 292. II°. Tomo, ibid. 1884, pag. 462, (prezzo L. 3.) —. III°. tomo, ibid. 1885, pag. 394, (L. 2,50).

ANONYMUS. — Den hl. Franciskus' tredje Orden eller Ordensliget i Verden. Bearbejdet og udgivet efter den bellige Fader Pave Leo XIII 's nyeste Anordninger af danske Ordensmedlemmer. Kjebenhavn. Carl Lund Pogtrykkeri ved Magnus Lund. 1887. (Manuale tertii Ordinis in lingua Daniae).

BUSELLI (P. R.) — Al Pontefice sommo Leone XIII nel cinquantesimo anniversario dalla consacrazione sacerdotale. ODE. Livorno coi tipi di Franc. Vigo 1887.

LEO TRUSZICWICZ, Observ. provincia Galicianae. — Kazaniae etc. (Sermo in honorem B. Simonis a Lipnica).

NORBERTUS GOLICHOWSKI, ex-provincialis observ. provinciae Galicianae. — Wyklad etc. (De Pontificatu ex S. Petro).

Catechismo della Regola dei frati Minori, compilato dal P. ANDREA DELFINO da Tortona lettore giubilato dell' Osservante Provincia di Bologna. Bologna, Tipografia Pontificia Mareggiani, Via Marsala N. 4. 1885. — In-8 pag. 381. (L. 3).

V.

NECROLOGIA

—

Provincia Fratrum Minorum Recollectorum Belgii, S. Ioseph, die 28 nuperrimi mensis Augusti, ingentem fecit jacturam ob mortem Admodum Venerandi Patris SERVATII DIRKS, S. T. Lectoris Iubilati et Provinciae Ex-definitoris.

Ortum habuit vir praeclarus Mosae-Trajecti et vix annos natus septemdecim Minoriticum Ordinem est ingressus.

Statim ab initio apparuit dotibus animi a DEO mire ditatus, ita ut spes affulgeret non exigua illum nascenti Provinciae magno decori evasurum simul ac emolumento.

Enimvero post expletum tyrocinium ad Gymnasium Thiletanum directus, cui tunc temporis Patres Recollecti Belgici Rectores praeerant, Poesin ibi per aliquot annos splendide docuit.

Cum autem per aetatem liceret, Sacerdotio auctus est et ad officium delectus Sacras Litteras Fratribus interpretandi. Quali cura et studio quantoque cum fructu, per annos 35, juvenum animos SS. Librorum scientia excoluerit, ipsi norunt qui illius lectionibus felices auditores interfuere.

Linguas sacras, tum etiam modernas quamplures edoctus studiique amantissimus extitit.

Nullum fere litterarum genus, quod non pertentaverit: Historiam, Poesin, Criticen, eo quidem successu ut ab hujuscemodi peritis communi calculo probaretur.

Multa scripsit, tum ad scientiam tum ad pietatem spectantia, in quibus locum principem tenent opus quod « Vita S. Antonii Patavini » inscribitur, flandrica lingua exaratum, necnon aliud cui titulus « Historia litteraria et bibliographica FFr. Minor. de Observ. in Belgio et Hollandia », gallice vulgatum (1).

(1) Alia ejusdem opera nominanda sunt: *Les Caciques, de Tlascala,* in idiomate italico etiam editum; — *Frère Pierre Farde; Additamentum ad Patriam historiam* (in lingua Flandr.), quin et multos periodicorum articulos commemoremus.

Hinc factum est ut non apud solos consodales, sed apud exteros quoque et dissitos, Patris Servatii nomen celebraretur.

Ut autem erat dicendi aeque ac scribendi peritus et saluti animarum intentus, praedicando verbo DEI allaboravit indefesse, neque minorem sermone quam calamo laudem promeruit; Sacras, quotquot in Belgio insigniores sunt, Cathedras conscendit; sed et publicis nonnunquam in Comitiis, aut Congressibus, ut vocant, dum res ecclesiasticae tractarentur, jussus est ex pulpito dicere.

Verumtamen honores inter et plausus hominum, nominis omen servans, quam voto professus fuerat modestiam humilitatemque, et habitu prae se ferebat.

Comes, mitis, vel ad minimos affabilis, caritate repletus, ab omni detractionis pruritu alienus semper extitit, ut omnibus acceptus evaserit cunctorumque sibi animos nexu devinxerit amoris. Quum igitur, ob maturam aetatem et omnigenam eruditionem, uberiora in dies, ab egregio viro, genii virtutisque monumenta sperare liceret, praeter omnium expectationem in morbum incidit exitialem, vitaque pie functus est in Conventu Trudonopolitano, Fratribus suis, Catholicae Patriae et rei litterariae maximum sui desiderium relinquendo.

Optimi Confratris animam sibi commendatam velint omnes S. P. Francisci filii, ut operis ac laboris mercedem quantocius consequatur.

R. I. P.

FR. ANTONIUS BONTI reg. observantiae, collegio S. Laurentii in Republica Argentina Americae meridionalis adscriptus, die 29 Septembris anni vertentis pie in DOMINO obiit anno aetatis suae 65.°

Is triginta annis fere continuis, ex quo in Americam venerat, munere magistri in schola praedicti collegii fungebatur tanto zelo tantaque charitate, ut et discipulorum amorem et civium summam emeruerit existimationem. Humilitatem atque mansuetudinem impense colebat; honoris externi significationem a magistratu saepiùs sibi delatam, semper in eum re-

ferebat, cui soli omnis competit honor et gloria; hinc est, quod aueam crucem, qua a municipio honoris gratia decorabatur ac obtinuit, illico beatae MARIAE Virgini donavit.

Eius insignia merita in promovenda re scholastica testatur diploma anno 1880 a commissione scholastica Reipublicae datum.

Fuit vir sacrae regulae seraphicae observantissimus, qui exemplo S. Patris nostri Francisci in omnes ardenti charitate, et peculiari quadam animi sui propensione in infirmos ferebatur, quos fovere, consolari et iuvare in deliciis habuit. Haud paucos in extremis vitae constitutos amore et consilio disponebat, ut DEO conciliati mortem piissimam obierint; verbo fuit ille speculum virtutum et religiosus exemplaris, qui omni virium adstrictione conabatur non sibi soli vivere sed et aliis proficere.

Quam amatus in vita aestimatusque fuerit, publicus civium dolor atque luctus evincit. Vix enim morte eius cognita, senatus populique voluntate decretum fuit, ut eum amplissimo atque magnifico funere publicis expensis efferrent; quod potestate a collegio iis facta, magna populi frequentia quae ex insulis quoque convenerat, assistente executum est.

R. I. P.

P. AUGUSTINUS MAREK, observantis provinciae Immaculatae Conceptionis in Galicia placidissimam obiit mortem in residentia sanctissimi Sepulcri, quae est penes conventum Kalvariensem, die 8 Novembris anni currentis anno aetatis suae 74. sacerdotii vero 53.

Is vita in diversis conventibus integerrime acta, tandem anno 1872 more in ea provincia antiquissimo ad residentiam sanctissimi Sepulcri se receperat, ubi meditationi et jugi orationi intentus DEO servire satagebat; ecclesiam sanctissimi Sepulcri magna sollicitudine curabat ut munda atque semper nitida decorem verae domus DOMINI exhibuerit. In excipiendis confessionibus fidelium, qui magna semper frequentia convenire solent, admodum assiduus fuit atque diligens. Fuit vir animo placidus, conscientia tenera et pietate sincera.

R. I. P.

R. P. BONAVENTURA PERISIĆ natus Fojnicae an. 1812, statim ac per aetatem licuit Ordini Seraphico nomen dedit in patrio coenobio. Felicissima memoria et acuto ingenio praeditus philosophiae ac theologiae curricula in episcopali seminario Quinqueecclesiis non modo absolvit, verum etiam vastissimam eruditionem sibi comparavit, ut omnibus admirationi esset et magna quaequae de se sperare sineret. Sacerdotio auctus et animarum curae adhibitus, totus in id incubuit, ut christianam doctrinam et pietatem populo instillaret, dignus, quem omnes paroeciae, quas administravit, sanctum adhuc vivum appellaverint, atque summo honore prosecutae fuerint. Cum interim a studio litterarum nihil remitteret, pluries legendi muneri admotus fuit, in quo ita se gessit, ut doceret simul et faceret, magnamque inde sibi laudem compararet. Hunc veluti eruditionis prodigium et quandam encyclopediam ipsi Sacrorum Antistites, provinciae moderatores et litterati uti oraculum consulebant, gloriae sibi ducentes familiariter cum eo agere ejusque vitae necessitudine perfrui. Ipse autem cum sciret unum esse necessarium, honores et cetera mundana constanter abhorruit, omnemque curam in id contulit, ut religiosam adsequeretur perfectionem, utque vota sua plene DOMINO redderet. Orationi insistens vitae finem confidenter expectabat, et dies noctesque in sacris exercitiis insumebat, quo factum est, ut vigilantem inopina occupaverit mors, quae eum ad aeternam evocavit mercedem die 8 Novembris an. curr.; cui et nos divinam imploremus clementiam.

R. I. P.

Nihil obstat

FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

TABULA MATERIARUM

PERIODICI

ACTA ORDINIS MINORUM

ANNO 1887.

—

I. — ACTA ROMANO-SERAPHICA.

II. — ACTA ORDINIS.

Regulae Franciscales.

Incitamenta Seraphica.

Cap. II. De oratione.

Cap. III. De studio et labore.

Capitula Provincialia.

III. — Missiones.

IV. — Varia.

V. — Bibliographia.

VI. — Necrologia.

ACTA

ORDINIS MINORUM

MONITUM.

Non raro accidere solet, ut in epistolis ad Rmum P. Ministrum Generalem directis petantur etiam facultates a S. Sede obtinendae. Cum autem hujusmodi facultates per Procuratores Generales peti debeant, monentur Fratres omnes, ut ejusmodi petitiones non ad Ministrum Generalem, sed ad respectivum Procuratorem dirigant.

Insuper valde conveniens est, ut petitiones de libris transmittendis, vel *Acta Ordinis* concernentes, aut alia hujusmodi, non in epistolis de aliis negotiis tractantibus fiant, sed potius in separatis schedulis, dictis epistolis adjunctis, notentur.

OMNES TANDEM MONEMUS UT EPISTOLAS, TELEGRAMMATA ET INVOLUCRA POSTALIA, AD CURIAM GENERALITIAM DESTINATA, IN POSTERUM DIRIGANT:

ROMA
COLLEGIO S. ANTONIO
VIA MERULANA

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

DECRETUM S. C. INDICIS

Feria II. die 19 Decembris 1887.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 19 Decembris 1887 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

Ledrain E. Histoire d'Israël. Première et deuxième partie. Paris, Alphonse Lemerre, éditeur, 1879-1882.

Lenormant François. Les origines de l'histoire d'après la Bible et les traditions des peuples orientaux. — De la création de l'homme au déluge. Vol. 1. — L'humanité nouvelle et la dispersion des peuples. Vol. 2. Paris, 1880-1882-1884. *Auctor ante obitum laudabiliter declaravit se reprobare quidquid in suis Operibus censura dignum Ecclesia indicaverit.*

Les Saints Evangiles, traduction nouvelle, par Henri Lasserre (1) Paris, 1887.

Los secretos de la Confession. Madrid, Establecimiento de G. Osler, 1886. — El Sacramento Espureo. Madrid, Imprenta de Ramon, 1887. Pseudonimo auctore presbytero Constantio Miralta. *Decr. S. Off. fer. IV die 7 Septembris 1887.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 20 Decembris 1887.

Fr. THOMAS MARIA Card. MARTINELLI
Episc. Sabinen. Praefectus.
Fr. Hieronymus Pius Saccheri

S. Ind. Congreg. a Secretis.
Ord. Praed.

La dévotion au Sacré-Cœur de N. S. Jésus-Christ, par un Père de la Compagnie de Jésus. *Decr. 11 Mart. 1704. — Hoc Opus adiudicatum P. Joanni Croiset Societatis Jesu ab Indice librorum prohibitorum expungitur. Decr. S. Off. fer. IV. die 24 Augusti 1887.*

Loco ✝ Sigilli.

Die 23 Decembris 1887 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia Mag. Curs.

—

EX S. RITUUM CONGREGAT.

Indulta pro Triduo in honorem B. Joannis Forest in ecclesia S. Antonii in Urbe.

I.

Beatissime Pater,

Fr. Andreas Lupori, Procurator Generalis Ordinis Minorum S. Francisci, praevio osculo ss. pedum, humiliter exponit, diebus 20, 21 et 22 proximi mensis Januarii in ecclesia nova Collegii S. Antonii Paduani in via Merulana solemne triduum celebratum iri in honorem B. JOANNIS FOREST, cujus cultum Sanctitas Tua nuper ratum habuit et approbavit. Quapropter Orator gratiam implorat, ut in quolibet tridui die omnes Missae dici valeant de praefato Beato.

Ut Deus etc.

Ordinis Minorum S. Francisci.

Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro LEONE Papa XIII tributis, attentis expositis, benigne annuit, ut diebus 20, 21 et 22 proxime advenientis mensis Januarii in praefata ecclesia Missae omnes valeant esse propriae de Beato JOANNE FOREST Martyre; dummodo quoad solemnem non occurrat duplex primae classis, et quoad lectas duplex etiam secundae classis: non omissa tamen conventuali officio diei respondente, ac servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 19 Decembris 1887.

A. Card. BIANCHI *S. R. C. Praef.*

II.

Beatissime Pater,

Fr. Andreas Lupori, Procurator Generalis Ordinis Minorum S. Francisci, praevio osculo ss. pedum, humiliter exponit, diebus 20, 21 et 22 currentis mensis Januarii in ecclesia nova Collegii S. Antonii Paduani in via Merulana solemne triduum celebratum iri in honorem B. JOANNIS FOREST Martyris Angliae, cujus cultum Sanctitas Tua nuper ratum habuit et approbavit. Quapropter Orator gratiam implorat, ut Fideles confessi et s. Communione refecti in dicto triduo lucrari possint Indulgentiam plenariam et alias Indulgentias partiales.

Ut Deus etc.

Ordinis Minorum S. Francisci.

Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro LEONE Papa XIII tributis, attentis expositis, benigne indulsit, ut Fideles utriusque

(1) Auctor vero laudabiliter se subjecit.

sexus qui vere poenitentes, confessi ac sacra Synaxi refecti, durante praefato triduo, Ecclesiam de qua in precibus, visitaverint, atque ibi juxta mentem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium devote oraverint, lucrari semel valeant Indulgentiam Plenariam in forma Ecclesiae consueta, applicabilem etiam Animabus igne piaculari detentis: qui vero corde saltem contrito ipsam ecclesiam eodem perdurante triduo visitaverint, atque ibi, uti supra, pias ad DEUM preces fuderint, partialem Indulgentiam septem annorum semel in die consequi valeant, applicabilem pari modo Animabus igne Purgatorii detentis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 9 Januarii 1888.

A. Card. BIANCHI *S. R. C. Praef.*
Pro R. P. D. LAURENTIO SALVATI Secretario,
JOANNES PONZI Substitutus.

—

EX S. CONGR. EPISC. ET REGULARIUM.

Tricaricen. seu Ordinis Minorum Reformatorum super validitate conventionis et associatione ad funera. (Ex *Actis S. Sedis*).

Die 18 Martii 1887.

COMPENDIUM FACTI. Edita lege civili suppressionis Regularium, Municipium loci vulgo *Grassana* Minorum Reformatorum Ecclesiam, quibusdam ejusdem Ordinis Religiosis, annuente Episcopo, tradidit, ut ibi sacras functiones ad fidelium instantiam celebrare valerent.

At non multo post, imminuto Religiosorum numero, sacrae etiam functiones imminui coeperunt. Ad promovendum itaque cultum divinum et ad fovendam pietatem, quae jam frigescere incoeperat, Tertius Ordo S. Francisci in illa Ecclesia sub directione illorum Religiosorum institutus fuit, cui nonnullae regulae et quaedam normae ad Confratres defunctos associandos et funerandos, cum Ordinarii approbatione, datae fuerunt.

Verum Parochus aegre ferens, quod praedicti Tertii Ordinis moderatores cadavera, absque ipsius et Cleri interventu, associarent, et ratus praefatos Religiosos, utpote extra claustra et in privatis domibus degentes, suae jurisdictioni esse obnoxios, ac proinde non posse, absque ipsius permissione ullam functionem vel cultus actum exercere, Curiae episcopali una cum Clero contra eorum agendi rationem recursum porrexit.

Porro Curia episcopalis, ad tricas evitandas, sub die 10 Junii 1885 duobus Religiosis scripsit mandans, ne ad exceptionem defunctorum qui Tertio Ordini aggregati erant, funera pro defunctis in Coenobii Ecclesia celebrarent. Post haec Clerum inter et duos Religiosos conventio ab Episcopo approbata, die 1 Septembris 1885 inita fuit, vi cujus in funeribus omnibus tam Clerus, quam duo Religiosi viri promiscue intervenire ac inter ipsos lucra dividere deberent.

Cum ex novis hisce dispositionibus Tertii Ordinis functiones in Coenobii Ecclesia rariores fierent, et Ecclesia ipsa cum damno spirituali Confraternitatis Tertii Ordinis deserta ac clausa fere maneret; hinc Confratres ad S. C. Episc. et Regul. confugerunt, petentes ut res in pristinum restituerentur.

DISCEPTATIO SYNOPTICA.

DEFENSIO RELIGIOSORUM. Favore Religiosorum praeprimis perpensum fuit, conventionem anni 1885 inter Clerum et Religiosos peractam non sustineri, utpote beneplacito Apostolico destitutam. Nec ad eam convalidandam sufficere, quod Episcopus consensu suo intervenerit eamque approbaverit, sed S. Sedis consensum omnino requiri. Et hujusmodi beneplacitum apostolicum in conventionibus ineundis exigi, etiamsi agatur de Regularibus, qui, ut in casu, extra claustra degunt, et in privatis domibus, tamquam saecularizati ad tempus vivere coguntur; quandoquidem in aprico est hosce quoque Regulares etsi extra claustra viventes, esse vere Religiosos et suorum Superiorum Regularium jurisdictioni subiectos. Et hanc esse doctrinam S. Poenitentiariae, quae in declaratione diei 18 Aprilis 1867, relate ad hujusmodi Religiosos haec praescribit: « Pariter curandum est etiam Regulares, qui extra « claustra et praefatas domos tamquam saecu« larizati ad tempus vivere coguntur, in sua « vocatione permaneant, votaque solemnia, qui« bus se DEO consecrarunt, meliori similiter « quo fieri possit modo persolvant. Unde omni« bus Superioribus Regularibus S. Poenitentia-

« ria declarat, ipsorum jurisdictionem in pro- « prios subditos suppressos etiam extra clau- « stra degentes minime cessasse ». Ideoque jure optimo a S. C. Ep. et Reg. per rescriptum 13 Augusti 1886 Ministro Generali Reformatorum datum, decretum fuisse, ut suis Religiosis mandet, ut revertantur ad servitium propriae ecclesiae, ut antea. Demonstrato itaque, conventionem anni 1885 ob defectum solemnitatum nullam fuisse, conclusum fuit non sustineri, eaque Religiosos nullo pacto adstringi posse.

Quo vero ad quaestionem juris funerandi animadversum fuit, Tertium Ordinem S. Francisci non uti simplex Sodalitium, sed veluti Ordinem Regularem habendum esse, atque uti talem a Romanis Pontificibus habitum fuisse, qui hunc Ordinem nedum probavere, sed et maximis privilegiis exornarunt. In cuius rei confirmationem citatus fuit liber P. Antonii de Cipressa, Romae anno 1865 typis impressus, ubi legitur « Tertium Ordinem probavit Honorius III uti ex litt. ejusdem *Significatum* 16 Dec. 1224, quas confirmavit Gregorius IX ». Horum exemplum imitatos fuisse Pontifices successores, nempe Nicolaum IV in sua Constitutione *Supra montem,* nec non Clementem V et Gregorium XI. Tandem nec aliter se gessisse nuperrimis hisce temporibus Summum Pontificem Leonem XIII in duabus Constitutionibus, quarum altera die 17 Septembris 1882 agit de S. Francisco Assisiensi et de Tertii Ordinis propagatione, altera vero diei 30 Maii 1883 agit de regula Tertii Ordinis saecularis S. Francisci.

Posito autem quod Tertius Ordo S. Francisci Ordini Regulari aequiparandus sit, sponte fluere iisdem juribus ac privilegiis frui debere, quibus Ordines Regulares cumulati sunt. Porro quaenam sint Regularium jura circa funera et associationem defunctorum, id mirum in modum scatere ex *Baren. seu Ordinis Minorum Reformatorum super interventu ad funera.* Praesertim vero ex *Caven. et Sarnen. funerum et emolumentorum* quae ideo affertur quia a S. C. Ep. et Reg. datae fuerunt normae pro hujusmodi controversiis solvendis sequendae. In ea siquidem quatuor dubia proposita fuerunt, quorum primum hoc erat : « An et cui competat « jus associandi cadavera ab ecclesiis Regula- « rium, ad quas allata fuerunt pro funeribus « persolvendis, ad coemeterium commune ? « S. C. respondit: *Affirmative favore Regula- « rium.* Ad alterum dubium: An Parochi jus « habeant percipiendi emolumenta, quae ab « haeredibus sacerdoti persolvuntur, qui cada- « vera ad coemeterium defert ? respondit : *Ne- « gative.* Ad tertium dubium : An Religiosi in « cadaverum associatione, de quibus agitur, « teneantur vocare parochum, ut ab ipso de- « functi ad coemeterium deferantur ? respon- « dit pariter : *Negative.* Tandem ad quartum « dubium : An Regulares cum stola et cruce « propria usque ad sepulchrum procedere va- « leant vel potius utramque, dum per paro- « chias transeunt, deponere debeant, rescripsit « *affirmative* ad primam partem, *negative* ad « secundam, sine pompa et recto tramite (1) ».

Si igitur in vim mox citatae resolutionis, Regulares jus habent nedum funera peragendi in propriis Ecclesiis; verum etiam cadavera cum stola et cruce propria, sine parochi interventu ad coemeterium associandi; hujusmodi jura ob paritatis rationem ad Tertium Ordinem quoque pertinere censendum est, ex eo quod praefatus Ordo inter Regulares Ordines annumerandus esse videtur.

Verumtamen Tertii Ordinis Congregatio potest Missas *tam pro vivis, quam pro defunctis* et functiones non parochiales independenter a parocho celebrare etiamsi non uti Ordo regularis, sed veluti simplex sodalitium habeatur. Haec siquidem a parocho independentia, qua fruuntur Confraternitates, praeterquamquod a decreto *Urbis et Orbis* diei 30 Dec. 1703 statuitur, ab innumeris resolutionibus confirmatur, ceu videre est in *Firmana Jurium Parochialium* 2 Junii 1736 et praesertim in *Hortana Jurium Parochialium* 1 Augusti 1739, ubi proposito dubio : « An capellani in Ecclesiis Con- « fraternitatum terrae Suriani recitare possint « officium defunctorum et canere Missam ad « praescriptum Ritualis, antequam sepeliantur « cadavera illata in dictis Ecclesiis, sive priva- « tive id spectet ad Parochos »; rescriptum prodiit: *affirmative* quoad primam partem et *negative* quoad secundam.

Tandem relate ad alteram quaestionem, cui scilicet liceat, expleto officio, Missam cum

(1) Cfr. *Acta* anno II, pag. 57.

cantu et exequias celebrare perpensum fuit hoc jus Ecclesiae Rectori competere, nedum in vim citati decreti diei 13 Augusti 1886, quo S. C. Ep. et Reg. Generali Ordinis Reformatorum praescripsit, ut suis Religiosis mandet, ut revertantur ad servitium propriae Ecclesiae, verum etiam ex eo quod cum praedicta Ecclesia regularis sit, exemptionis privilegio frui debeat. Sane Minister provincialis de informatione et voto super controversia requisitus sequentia ad rem respondit: « Cum ecclesia « praedicta dici possit regularis, donec per au« ctoritatem sacram privilegio hujusmodi expo« lietur, prout toties definitum est: conclude« rem in casu juxta decretum *Urbis et Orbis* « diei 16 Dec. 1703, non posse impediri no« minatos patres Minores reformatos, quomi« nus ad requisitionem confratrum III Ordinis « S. Francisci et aliorum fidelium, functiones « ecclesiasticas non parochiales peragere pos« sint juxta statuta congregationis ». His consideratis extra dubium esse videtur, Tertii Ordinis rectori jus competere Missam cum cantu et exequias in dicta Ecclesia celebrandi.

Defensio Parochi. Ex parte vero parochi animadverti posse videtur conventionem in casu omnino sustinendam esse, ex eo quod praedicti Religiosi, utpote extra claustra et in privatis domibus tamquam saecularizati viventes, non amplius ceu veri Religiosi habendi sunt, qui adhuc sub Superiorum Regularium jurisdictione perseverant, sed veluti simplices presbyteri, qui a voluntate Episcopi illius Dioecesis unice dependent, in qua ipsi degunt. Res cum ita se habeant jam manifestum erumpit, praedictos Religiosos privilegia quae Regularium propria sunt, pro se non posse invocare, ideoque praefatam conventionem viribus suis consistere oportere.

Verum dato etiam quod veri Religiosi censendi sint, ideoque sub Superiorum Regularium obedientia vivant; nihilo tamen secius conventionem in pleno firmitatis robore permanere dicendum esse videtur, in vim taciti consensus Ministri provincialis, qui ideo praesumitur, quia potuisset ac debuisset impedire, quominus Religiosi sibi subiecti conventionem inirent.

Quo vero ad quaestionem quae secundo loco continetur, favore parochi allata fuerunt quae tradit Herdt, S. Liturg. praxis tom. III, n. 227 et seq. quae ita se habent: « Parochi, « ad quem spectat defunctus, est stolam de« ferre, cadaver e domo levare, illud aqua be« nedicta aspergere, intonare antiphonam — « *Exultabunt* — et processioni funerali prae« esse usque ad januam Ecclesiae tumulantis, « sive haec sit saecularis, sive regularis. S. Rit. « Congr. 23 Martii 1619, 20 Novembris « 1677 etc.). Vide Rituale Rom. Exequia« rum Ordo.

« Regularibus autem non licet aut in do« mo, aut per viam dum defuncti cadaver ad « sepeliendum defertur, illud aspergere, neque « ante januam ecclesiae orationem solitam can« tare seu dicere, antequam cadaver intus il« lam collocetur, etiam si in eorum Ecclesiis « suam defuncti elegerint sepulturam; haec « enim omnia proprio parocho competere: ad « Regulares vero supradictos solum spectare « facere officium circa corpus defuncti post« quam intus eorum ecclesias fuerit delatum « (S. Rit. Cong. 12 Oct. 1619, 3 Sept. 1746 « et 7 Maii 1763). Regularibus nullo modo li« cet, etiam specialis alicujus consuetudinis « praetextu, parochias cum cruce *processionali« ter* aut aliter ad levanda et efferenda defun« ctorum corpora intrare, vel illa levare et ef« ferre, nisi vocato et expectato proprio pa« rocho, eoque ibidem praesente, nisi tamen « ipse aliter fieri consentiat, vel requisitus ve« nire expresse omnino recuset » (S. Rit. Cong. 22 Junii 1675 et 20 Nov. 1677).

Haec omnia quae usque huc allata sunt favore parochi valent etiam in hypothesi, quod Confraternitas Tertii Ordinis S. Francisci ut Ordo regularis habeatur. A fortiori autem valere debent, si tamquam simplex sodalitium consideretur. Hoc siquidem in casu parochus jus habet officium funebre persolvendi super illis defunctis, qui in vita fuerunt sui parochiani, etiamsi post mortem efferendi essent in oratoriis publicis Confraternitatum, intra limites suae parochiae existentibus. Idque argui ex dispositione famigerati decreti *Urbis et Orbis*, ubi ad dubium XX: An ad parochum spectet facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis in Ecclesiis et Oratoriis publicis Confraternitatum? responsum fuit *affirmative*, quando tumulandus est subiectus infra cujus

fines est ecclesia vel oratorium. Idipsum tradi a S. C. Cong. in Fabrianen. *funerum* 30 Januarii 1830, in Viterbien. *Jurium parochialium* 22 Sept. 1826. Cui concordat S. Cong. Rit. Collect. Gardellin n. 2663, 4524, 4643; nec non S. C. Ep. et Reg. in Asculana diei 6 Feb. 1874 ad III dubium.

Haec quoad parochum, quo vero ad Cleri interventum in funeribus peragendis, Episcopus favore eorum consuetudinem in provinciis neapolitanis vigentem adducit. Consuetudini vero, quae requisita a lege praescripta habeat, magnum pondus inesse in hujusmodi materia, neminem esse, qui ignorat. Re sane vera S. C. Ep. et Reg. in Calaritana seu Ordinis Minorum diei 28 Martii 1879, attenta consuetudine statuit, quod Capitulum Ecclesiae Cathedralis exequias in ecclesia S. Rosaliae facere posset, quae ad praedictum S. Francisci Ordinem pertinebat.

Hisce omnibus praenotatis proposita fuerunt diluenda sequentia

DUBIA.

1° An Regulares Ordinis Minorum Reformatorum conventionem rescindere debeant in casu.

2.° An et quomodo Confraternitas Tertii Ordinis S. Francisci confratres defunctos associare, divinum officium recitare et cadaver ad coemeterium efferre debeat, absque Cleri et quonam parochi interventu in casu?

3.° An expleto officio, si parochus vel ab ipso deputatus Missam cum cantu et exequias celebrare renuit, ad id P. Rector teneatur, vel potius Confraternitas alium Sacerdotem substituere valeat in casu?

Resolutio. S. Ep. et Reg. Congregatio propositis quaestionibus de more cribratis sub die 18 Martii 1887 respondere censuit: Ad I. *Conventionem esse nullam, et servetur Decretum S. Congregationis diei 13 Augusti 1886.* Ad II. *affirmative in omnibus,* ad primam partem; ad secundam *servetur Rituale Romanum.* Ad III. *provisum in primo.*

Ex quibus colliges 1.° Conventiones a Regularibus absque beneplacito Apostolico initas non sustineri.

2.° Neque ad eas convalidandas sufficere, quod Episcopus approbaverit, sed S. Sedis beneplacitum omnino requiri.

3.° Et hujusmodi beneplacitum exigi etiamsi agatur de conventionibus Regularium, qui extra claustra et in privatis domibus tamquam saecularizati ad tempus vivere coguntur.

4.° Tertium Ordinem S. Francisci Regularium Ordinibus aequiparari posse: ideoque juribus, exemptionibus et privilegiis Regularium propriis gaudere.

5.° Jura autem et privilegia Regularium circa funera hujusmodi esse; nempe cadavera associare et a propriis ecclesiis, absque parochi interventu, ad coemeterium deferre, emolumenta percipere; cum stola et cruce propria ad sepulcrum procedere, etiam dum per parochias transeunt, dummodo sine pompa et recto tramite id agant.

6.° Vicissim parochorum circa suos defunctos jura, juxta Rituale Rom. — *Exequiarum ordo* — Haec esse: nempe stolam deferre, cadavera e domo levare, illa aqua benedicta aspergere, intonare antiphonam — *Exultabunt* — et processioni funerali praeesse usque ad januam ecclesiae tumulantis sive haec sit saecularis, sive regularis.

7.° In quaestionibus circa funera multum valere consuetudinem; eam tamen ab una Dioecesi ad aliam extendi non posse. Insuper dictam extensionem neque dari in eadem Dioecesi, quin imo neque in eodem capitulo *de uno actu ad alterum.*

II.

ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS

Incitamenta Seraphica.

—

DE DISCIPLINA REGULARI RESTITUENDA

CAPUT III.

De studio et labore.

§ 5. *De confessionibus excipiendis.*

82. Sicut Fratres Minores vocati sunt, ut fideles per divini Verbi praedicationem ad poenitentiam et vitae emendationem invitent;

ita pariter ab Ecclesia DEI deputantur, ut per S. Poenitentiae Sacramenti administrationem peccatores a sordibus suis abluant et cum DEO reconcilient. Quare S. Antonius Paduanus ait (1): « Fructum facit, qui praedicando « movet cor populi, sed fructum affert, qui « post praedicationem libenter sedet ad au« diendas confessiones. Tunc enim fructum af« fert, auditis confessionibus, et teste con« scientia, scit qualem et quantum DOMINUS « fructum per ipsum fecerit. Praedicare est « seminare, sed confessiones audire est fru« ctum metere. Stultus est ergo, qui libenter « seminat, et fructum colligere non curat ». — Ipse S. Antonius, prout legitur in ejus vita, confessiones auscultando saepissime usque ad solis occasum remanebat jejunus (2).

83. Mos excipiendi confessiones saecularium viguit in Ordine nostro ab initio; et quidem cum jure. Nam Gregorius IX de Fratribus Minoribus ad universos Praelatos scribit (3): « Nec impediatis, quominus illi qui ad « praedicationem eorum accesserint, tunc eo« rum sacerdotibus valeant peccata confiteri ».

84. Quoad munus Confessarii tam per defectum, quam per excessum errari potest. Per defectum errant, qui in hoc sancto munere negligentes existunt; per excessum vero, qui inordinato zelo ad hoc munus abripiuntur. Utrumque pro viribus debet evitari.

85. Ut Confessarius officio suo magno zelo incumbat, in primis charitas erga DEUM eum impellere debet. Charitas enim erga DEUM postulat, ut ejus honorem et gloriam omnibus viribus promovere, atque ideo offensas divinas impedire, ad virtutes vero et opera DEO placentia homines perducere studeamus. Hoc autem efficacissimo modo in tribunali Poenitentiae fieri posse, experientia testatur. Quis ergo sacerdotali dignitate insignitus et ad confessiones fidelium excipiendas deputatus, sibi persuadere poterit, se DEUM debito amore prosequi, si de officio suo rite adimplendo parum sollicitus efficacissimum medium negligat ad DEI gloriam promovendam? CHRISTUS pro infinito suo erga Patrem amore nullis laboribus pepercit, ut homines in viam salutis et justitiae dirigeret. Ideo circuibat Galilaeam et Judaeam praedicans Evangelium regni, et peccatores benignissime recipiens. Omni jure ergo CHRISTUS se bonum pastorem nominavit, qui « animam suam dat pro ovibus suis (1) ». Quale exemplum et quale motivum pro Confessariis, conversioni peccatorum et saluti animarum magno zelo incumbendi? Certe illi CHRISTUM parum amare convincuntur, qui non pro viribus laborant, ut amissas oves ad Ipsum reducant.

86. Charitas proximi a nobis exigit, ut ipsi in necessitatibus corporis et animae subveniamus. Animae autem necessitatibus praecipue per debitam Sacramenti Poenitentiae administrationem potest subveniri. Poenitentiae enim tribunal ille locus merito dici potest, in quo a Confessario, debito zelo animato, maxima charitatis opera exercentur. Ibi enim immortalis anima ex daemonis captivitate liberatur, ab infirmitatibus spiritualibus sanatur, ac pretiosa gratiae sanctificantis veste et virtutibus decoratur.

87. Verum quidem est, quod in hujus Sacramenti administratione non raro pericula pro propria Confessarii anima occurrere possint; sed huiusmodi pericula, debita adhibita diligentia et praecautione, declinari possunt. Qui enim necessariam scientiam sibi comparat et cum recta intentione ad tribunal confessionis accedit, auxilium divinum certo exspectare potest, ut cum fructu animarum munus suum exequatur.

88. Ut Confessarius illa pericula declinet, quae ipsi imminere possunt, ante omnia in suo officio nullum alium finem habere debet, nisi ut fideles a peccatis retrahat, ad virtutis studium excitet atque sic DEI gloriam promoveat. Ab hoc autem fine recedit et tamquam infidelem erga DEUM ministrum se ostendit Confessarius, qui ex respectu humano officium suum non recte adimplet, qui ex timore offendendi poenitentes eosdem circa graviores defectus debito modo examinare aut serio corrigere negligit, vel qui, ut benigni Confessarii nomen acquirat et magnum poenitentium numerum attrahat, laxiora principia secutus contra sanas theologiae moralis regulas occasio-

(1) Serm. 4. de Apostolis.
(2) Bolland., 13 Jun.
(3) *Quoniam abundavit*, 1238.

(1) Joan. X.

narios, consuetudinarios, recidivos etc. levi animo absolvit. Talis zelus non ad gloriam Dei et animarum salutem tendit, sed potius Deum offendit et animas perdit.

89. Quilibet Confessarius cavere debet, ne semetipsum magis idoneum animarum directorem reputans, alios despiciat, et ne animo inquietetur vel misera zelotypia crucietur, dum alios Confessarios cernit magna hominum confidentia gaudentes et poenitentium multitudine stipatos. Recordetur potius, quomodo S. Paulus charitatem describit (1), quae « non aemu« latur, non agit perperam, non inflatur, non « est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, « non irritatur, non cogitat malum, non gau« det super iniquitate, congaudet autem veri« tati, omnia suffert, omnia credit, omnia spe« rat, omnia sustinet ».

90. Bene attendat Confessarius, ne in suo officio vanam gloriam vel lucrum temporale quaerat, vel ambitionem manifestet. Quaeri enim debet Confessarius, non quaerere. Propterea etiam S. Franciscus, ut discipulos suos ad pacem cum reliquo clero conservandam excitaret, dixit: « Si vos vere humiles vide« rint, et omnino ab avaritia alienos judica« verint ecclesiarum Praelati... ipsi vos roga« bunt, ut saluti populi provideatis, et omnium « confessiones audiatis ».

91. Reprehendi etiam Confessarius meretur, qui nimia et familiari cum alterius sexus poenitentibus conversatione aut animam, aut saltem famam propriam periculo exponit.

92. Necesse omnino est, ut Confessarius ante omnia seipsum continuo perficere studeat, atque ideo orationi, praecipue mentali, lectioni spirituali studioque incumbat; secus enim cum debito spiritu et fructu in vinea Domini laborare non poterit.

93. Illi ergo Religiosi, qui praevia Superiorum destinatione et episcopali approbatione ad hoc officium sunt applicati, sibi quoque dictum reputent, quod S. Franciscus praedicatoribus suis mandavit; scilicet, ut « sint exami« nata eorum eloquia »; ut in promptu habeant leges generales dirigendarum conscientiarum, discernere possint inter lepram et non lepram, mortale peccatum a veniali distinguere; sint eis ad manus motiva generalia ad excitandam in peccatoribus contritionem, et opportuna remedia peccatorum; ut quicumque eos accesserint, cum pace suarum recedant conscientiarum, ipsique pacem dantes aliis, propriam suam non perturbent per sententias praecipitatas. Annuntient eis vitia, nempe quam gravia, quam periculosa, et quam facilia sint ad vincendum. Haec quidem in suggestu praedicantur utiliter; efficacius autem cor penetrant poenitentis, si in confessionali cum prudentia proponantur, et cum moderamine charitatis. Poenam et gloriam, quamvis plerique audiant in concionibus explicari, tamen quod omnibus dicitur, non a singulis sibi dictum existimatur. Quae vero poenitenti in sacro tribunali exponuntur, magis intima cordis penetrare solent.

94. Omnia tamen in confessione « cum brevitate sermonis » expedienda sunt, ne exspectantibus aliis taedium et impatientia generetur deturque occasio suspicandi, alia ibi tractari quam ad conscientiae negotium pertinentia. Minime permittat Confessarius, in hoc foro a parte poenitentis misceri sacra profanis, de domesticis poenitentium negotiis, de rixis domesticorum, et similibus impertinentibus.

95. Ex opposito peccant alii nimia brevitate. Non raro enim inveniuntur poenitentes, qui nullam absolvendi materiam Confessario subministrant, aut saltem ita exiguam, ut dubitetur, an sufficiat ad absolutionem; qui insuper ita hebetes sunt, ut vix intelligant quid sit peccatum, nec meminisse possunt quid egerint mali, quasi nullam habentes penitus conscientiam. Volunt interim absolvi; et si dimittantur sine absolutione, periculum est, ne sordidi sordescant adhuc. Non exigua in hoc casu opus est patientia. Hujusmodi enim poenitentes non asperitate et impatientia increpandi sunt, sed potius in spiritu lenitatis examinari et instrui debent.

96. Confessariorum etiam sint casta eloquia, praesertim dum feminas necesse fuerit monere vel examinare. Fomitem concupiscentiae nondum extinctum secum affert poenitens et Confessarius. Propterea sit valde cautus in interrogando, interrogationes non necessarias evitet, necessarias vero prudenti et honesto modo instituat, ac interim spiritum suum ad coelestia elevare, seque Deo commendare studeat.

(1) I. Corinth. XIII, 4.

97. Dum veri poenitentes accesserint, cordis sui plagas intelligentes animaeque medelam veraciter requirentes: meminerimus officii nostri, quod est charitatis illius et misericordiae ministerium, quam JESUS redeuntibus ad se filiis praeparavit. Dum filius ille, qui dissipaverat substantiam suam vivendo luxuriose, rediret poenitens ad patrem suum, non ei fuit prodigalitas verbis acribus improperata; sed « cum adhuc longe esset, vidit illum pater « ipsius, et misericordia motus est (1) ». Nec unquam legimus, Redemptorem nostrum redeuntes ad eum peccatores durius increpasse; sed paralytico dixit (2): « Confide, fili, remit« tuntur tibi peccata tua »; mulieri in civitate peccatrici (3): « Remittuntur tibi peccata »; item illi, quae fuerat in adulterio deprehensa (4): « Vade, et jam amplius noli peccare ». Per haec docentur ministri CHRISTI, quo affectu sint peccatores recurrentes ad poenitentiam suscipiendi. Cur durus et austerus adversus eos sit dispensator, ubi tam mansuetus et benignus est DOMINUS? Negotium hujus fori peragi debet in spiritu lenitatis, ne peccator perdat confidentiam atque desperet.

98. De officio Confessarii Monialium B. Bernardinus a Feltria dicit (5): « Periculosum qui« dem est, sed meritorium; taediosum, sed sa« lutare ». Arduum sane officium, multaque prudentia indigens et circumspectione; quoniam si ars artium est regimen animarum, potiori jure hoc dici poterit de regimine feminarum. Ut ergo huiusmodi Confessarius devotas animas sibi concreditas dirigat securius, devitetque fastidia multa, quae quotidie sibi possent in hoc munere suboriri, quasdam regulas observare studeat, quas tradit noster P. Bonaventura Dernoye.

99. 1.° Solum fori interni curam sibi meminerit commissam, et aliis se non immisceat. Externum enim regimen et publicae correctiones ad Superiores pertinent, non autem ad Confessarios. Confessarius propterea ab hisce rebus abstineat; secus enim auctoritati Praefectae derogaret, ac etiam hoc modo necessariam confidentiam impediret. Cum enim genus illud hominum suspiciosissimum sit, facile timebunt, ne ex iis quae confessae fuerint, aliquid statuatur exterius. Hoc vero vitatur, si cognita sit Confessarii abstractio ab externo regimine. Quaerulantur aliqui de hoc officio, velut onerosissimo fastidiosoque, deque Monialium importunitate tamquam quibus numquam satisfieri possit. Verumtamen non ipsis solis ea sunt imputanda fastidia, sed iis quoque, immo et maxime, qui ea gratis admittunt, dum se negotiis intricant ad suum officium minime pertinentibus.

100. 2.° Studeat pacem inter illas filias conservare vel procurare. Licet omnibus hominibus pax perquam necessaria sit, feminis tamen maxime, quae sine pace in nulla Religionis observantia sciunt perdurare. Mollis enim et passibilis est earum animus, et affectionibus ducuntur potius, quam ratione; et ideo propter pacem semper est eis turbationis materia subtrahenda.

101. 3.° Extra confessionem non habeat longas conversationes. Raro enim habent causam loquendi, numquam tamen eis loquendi materia deest. Et quia interius ad regulare silentium coarctantur, liberior videtur campus apertus, si Confessarium valeant detinere. Multa sane tam Confessariis quam Sororibus jam orta sunt ex frequenti confabulatione praejudicia. Siquidem Confessarius uni concedat haec spatia, necesse erit concedat et aliis, ut possit evitare zelotypiae malum. Quod si faciat, tunc una post aliam veniet, et bonus vir summopere gravabitur. Propterea ultra necessitatem vel veram utilitatem ejusmodi colloquia non frequententur aut extendantur.

102. 4.° In confessione tamen non sit parcus in audientia concedenda. Notum est, quod cum ignorantiores sint debiliorisque judicii, non sciant quae juvare possint ad conscientias quietandum, nisi a doctioribus instruantur. Simul et timidiores sunt, ad umbram periculi minimam trepidantes; et quia magis puritati cordis intendunt, magis quoque obnoxiae sunt terroribus istis, qui non nisi absolutis veritatis resolutionibus quietantur. Haec autem subinde plus temporis exposcunt. Hoc igitur a prudenti Confessario desideratur, ut neque parcus sit in utilibus aut necessariis audiendis, neque largus in impertinentibus.

(1) Luc. XV, 20.
(2) Matth. IX, 2.
(3) Luc. VII, 48.
(4) Joann. VIII, 11.
(5) Annal., tom. VII., ad ann. 1481, n. 11.

103. 5.° Non habeat speciales, quibus confidat prae ceteris. Omnibus communis sit pater, omniumque profectum aequaliter procurare pro viribus studeat. De hoc semper certissimus sit, quod omnis familiaritas et specialitas causabit ipsi regiminis turbationem (1).

104. DEUS a sexu femineo aeque coli vult ac a viris, et in eo sibi multas reservavit animas justas, simplices et timoratas, etiam in saeculo quaerentes in omnibus justificationibus DOMINI ambulare, quarum prima est cura pudicitiae. Multae earum Confessarios quaerere solent DEUM timentes Religiosos. Curemus ergo, ut apud nos eam inveniant securitatem, quam sanctissima Virgo MARIA apud castissimum Joseph vel apud discipulum, quem diligebat JESUS, qui hoc pretiosissimum DEI templum omni custodierunt reverentia. Nos quoque in timoratis illis mulieribus sanctum revereamur SPIRITUM ipsis inhabitantem, eodemque illas oculo intueamur, quo illorum animas intuebimur in coelo unitas DOMINO DEO nostro. Nec in nobis nihil aliud deprehendant nisi coeleste, et quod redoleat DEI SPIRITUM in nobis etiam habitantem.

105. Valde cauti simus oportet in spirituali directione harum animarum. Non subito illis consulendum est, ut tertium Ordinem amplectantur, vel aliquod monasterium ingrediantur. Illae enim, quae faciles sunt ad mundanas levitates, procaces in verbis, superbae in gressu, vagae, garrulae, societatum amicae, primae ad detrahendum, suae formae ostentatrices, domi contumaces et impatientes, minus aptae ad hoc inveniuntur. Non facile inducendae sunt, ut perpetuam (praesertim in saeculo mansurae) voveant continentiam: immo nec hoc ipsis permittendum est, nisi post longum bonae conversationis experimentum.

106. Eadem circumspectione cavendum est Confessario, ne votum ab eis acceptet (et adhuc minus exigat) exhibendae sibi obedientiae. Neque ejs minutula praescribat, ad rem domesticam pertinentia, aut insolitas mortificationes; neque coarctet, quominus alteri confiteri libere possint. S. P. N. Franciscus ait (2): « Nulla penitus mulier ab aliquo Fratre recipiatur ad obedientiam; sed dando sibi consilium spirituale, ubi voluerit, agat poenitentiam ».

107. Bonus Confessarius, summi boni Pastoris charitate et zelo repletus, non solum ad excipiendas confessiones semper paratum se exhibet, et officio suo magna diligentia, prudentia, patientia et charitate fungitur, sed etiam pro poenitentibus suas fervidas subinde ad DEUM preces fundit, juxta monitum quod tradit S. Gregorius sequentibus verbis (1): « Cum peccatores confiteri coeperint mala quae « commiserunt, atque confitendo relinquere, et « fletibus punire, necesse est, ut doctores sancti pro eorum peccatis sollicite exorent, quatenus mensae DOMINI carnis oblationes portent. Quod quoties agunt et in hoc pro « alienis peccatis interveniunt, sua ante DEI « oculos amplius detergunt: quia ex ipsa charitate se justificant, qua mira pietate pro « alienis iniquitatibus mactant. Nec laboriosum « debet esse doctori pro conversis peccatoribus lacrymas fundere, quando et ipse qui « creavit omnia homo factus, pro nostris iniquitatibus in cruce lacrymas fudit et sanguinem ».

(Continuabitur).

(1) Cfr. etiam opus: *Il novello confessore delle Monache.* Quaracchi, 1883.

(2) Regula I. Fratr. Min. cap. 12.

(1) Homil. 27. in Ezech.

III.

MISSIONES

—

NOVUS CUSTOS TERRAE SANCTAE

Postquam A. R. P. Aurelius a Buja officio Custodis Terrae Sanctae sponte renuntiaverit, in Congressu Definitorii Generalis diei 12 Decembris 1887 A. R. P. JACOBUS A CASTROMADAMA, Lector Jubilatus, S. C. Concilii Consultor necnon Definitor Obs. Provinciae Romanae, nominatus fuit Custos Terrae Sanctae, quam nominationem S. Congregatio de Propaganda Fide die 30 Decembris ratam habuit et confirmavit.

RELIGIOSI ORDINIS NOSTRI

QUI IN MISSIONES PROFECTI SUNT

Anno 1887.

I. In Terram Sanctam.

1. *Adm. R. P. Norbertus Golichowski,* Obs. Provinciae Poloniae Austriacae, ex Min. Provincialis.
2. *R. P. Ludovicus a Caserta,* Ref. Provinciae Romanae, Lector Generalis S. Theologiae.
3. *P. Emmanuel a Ssma Virgine,* Obs. Seminarii Varatojani in Portugallia.
4. *P. Ioseph Maria Caballero,* Obs. Collegii Ssmae Virg. Mariae de Guadalupe in Mexico.
5. *P. Ioseph Maria ab Urbe,* Obs. Provinciae Romanae.
6. *Fr. Ioseph ab Angelorum Regina,* Laicus Obs. Seminarii Varatojani in Portugallia.
7. *Fr. Benedictus Campos,* Laicus Obs. Collegii S. Francisci de Pachuca in Mexico.
8. *Fr. Ludovicus a Pruno,* Clericus Obs. Provinciae Seraphicae.
9. *Fr. Fidelis Heynen,* Laicus Recoll. Provinciae Belgii.
10. *Fr. Ioseph Maria Mansi,* Laicus Obs. Collegii Limae, in Rep. Peruana.
11. *Fr. Benedictus Borsini,* Laicus Obs. Provinciae Thusciae.
12. *Fr. Bernardus ab Insula,* Tertiarius Obs. Provinciae S. Hieronymi in Dalmatia.

II. In Missionem Tripolitanam.

13. P. *Emydius ab Abbatia SSmi Salvatoris,* Ref. Provinciae Thusciae.

III. In Albaniam.

14. *P. Robertus a Cles,* Ref. Provinciae S. Vigilii Tyroli meridionalis.
15. *P. Antonius a Priò,* Ref. Provinciae S. Vigilii Tyroli merid.
16. *P. Paulinus a Castrotesini,* Ref. Provinciae S. Vigilii Tyroli merid.

IV. In Missionem Superioris Aegypti.

17. *P. Richardus a Florentia,* Ref. Provinciae Thusciae.
18. *Fr. Raymundus ab Augurdo,* Laicus Ref. Provinciae Venetae.

V. In Missionem Sinensem.

19. *P. Leonardus a Piedilama,* Lector Philos. Ref. Provinciae Seraphicae, ad Vicariatum Hu-pè Orientalis.
20. *P. Barnabas ab Alsatia,* Obs. Provinciae S. Ludovici in Gallia, ad Vicar. Chan-tong septent.
21. *P. Zacharias de Keyser,* Recoll. Provinciae Belgii, ad Vicar. Hou-pe occiduo merid.
22. *P. Erardus Strobl,* Ref. Provinciae Tyroli septentrionalis, ad Vic. Hu-nan merid.

VI. In Missionem Brasiliensem.

23. *P. Petrus Antonius Pietrelli,* Obs. Provinciae Thusciae.
24. *Fr. Marius Cangini,* Tertiarius Obs. Provinciae Thusciae.

VII. In Missiones Reipublicae Argentinae.

25. *P. Pacificus Marcucci,* Obs. Provinciae Marchiae, Colleg. Rivi Quarti.

VIII. In Missionem Bolivianam.

26. *P. Emmanuel a Laas,* Obs. Provinciae S. Ludovici in Gallia, missus ad Collegium Pacense.

—

RELATIO

Missionum ad Collegium Taricae pertinentium in Boliviana Republica (1).

Rme Pater,

Mihi infrascripto cura commissa est a R. P. Missionum Praefecto relationem historicam status et conditionis harum nostrarum Missionum ad Rmam P. T. mittendi, et quamvis propter mei ingenii tenuitatem diffidam me posse dato muneri satisfacere, satagam autem meorum Superiorum jussa pro viribus perficere.

Deo ita disponente, licet non propter fidei desiderium nostri Indi in Missionibus permaneant, sed propter tutelam, quam Mis-

(1) Cfr. praecedentem relationem in *Actis* editam, anno V. pag. 95.

sionarii ipsis praestant, ex qua innumera prope bona percipiunt, nihil magni momenti accidit in nostris Missionibus anno transacto: gratulamur vero quam maxime de progressu non parvo, quem fides et religio catholica sunt consequutae apud Indos Chiriguanos, qui nostras incolunt Missiones.

Enim vero, licet causae majoris vel minoris progressus nostrarum Missionum superioris anni suo tempore Tibi fideliter relatae et in Ephemeride nostri Ordinis benignitatis tuae gratia insertae, minoratae nequidem sint, nihilominus, quia lex Domini convertens animas et illuminans oculos est, permultos inter parvulos, multosque inter adultos, ad gratiam Baptismi Spiritus Sanctus attraxit.

Numerantur siquidem inter parvulos 551;
Inter adultos vero 97.

Ii quos aeternam requiem in Domino speramus jam assequutos adultorum numerum 29 attigerunt; dum credimus jam cum Deo regnantes 199 parvulos.

Neophyti in gratia Baptismi confirmati 166.
Confessi tempore quadragesimae 1082:
Communione paschali refecti 804:
Matrimonia juxta ritum celebrata 41.

Patres Missionarii fruuntur fructibus ex suis laboribus reportatis, pergrandi scilicet baptizatorum numero; nam non aliam mercedem praeter animarum salutem in hac vita a Deo quotidie expostulant.

Morum reformatio inter Neophytos favente Deo progreditur. Nam cum bona semina seminare non desinant Missionarii, neque spinas et tribulos crescere et multiplicare patiantur, vineam quam indefesso studio enixe colunt, ab omnibus malis purgatam citius iri, fructusque optimos daturam non immerito confidunt.

Non tantum inter Neophytos haec habetur, verum etiam inter Catechumenos. Hi siquidem, licet non libenter meliores fruges cupiant, tamen saltem propter importunitatem, ut s. Evangelium de oratione nos docet, modo bene vivendi pedetentim ultro se accommodant. Nam ex ipsis sunt qui Baptisma in majore aetate receperunt; pauci quidem in articulo mortis, caeteri in maxima valetudine; et cum jam essent more gentilico Matrimonio juncti, multi sese praeparant ad eamdem Baptismi gratiam recipiendam.

Sed major progressus Missionum, nostrarum in scholis puerorum et puellarum invenitur. Sunt enim apud ipsos qui legere et scribere sciunt, nec non Catechismum Hispano-Chiriguanum, qui 150 paginis constat, memoriter tenent, non tantum qui legere sciunt, sed etiam illitterati qui, ex sola ipsius auditione, memoriae doctrinam mandant. Cui et alium addunt, quo Parochi Americae, in aliquibus locis pro suis instituendis ovibus utuntur. Sunt etiam qui hispanico idiomate loquuntur, cum fere omnes, aliqualiter intelligant, licet eodem loqui nequeant.

In nonnullis Missionibus, ipsorum numerus valde multiplicatus est, cum certa scientia et consilio omnibus parvulis infidelibus aditum ad scholas apertum fuit. Ex quo magnas expensas Missiones erogare coguntur ad illorum vestes comparandas. Quae magni non facimus dum ipsorum educationi civili et catholicae providemus, necnon eorumdem bono et honestati prospicimus.

Quae omnia laetitia magna R. P. Missionum Praefectum affecerunt qui s. Visitationis tempore omnes scholarum utriusque sexus alumnos benigne amplectens, postquam praemia ipsorum capacitati et diligentiae elargitus fuit, unumquemque illorum studio, labori, bonisque moribus, necnon hispanico idiomate studere diu noctuque adhortatus est; et si ita, ut ipse ex corde desiderat, in futura visitatione inveniret, alia majoraque praemia, ipsis libenter dare dignabitur.

In praefata visitatione omnia bene composita fuere, nonnulla sapienter statuta prudenterque disposita. Sed notatu dignum est, magna crimina vel publica scandala deesse, licet de gente, quae dudum politis moribus informata est, sermo sit.

Cum annus praeteritus jubilaei fuit, aliquid de ipso specialiter dicendum puto, et quomodo nostri Indi D. N. J. C. in terris Vicesgerentis gratiam sibi compararunt. Licet modicae fidei sint, et indifferentes, praesertim quoad ea quae sensum superant, et tantum quae sensibus consona sunt multi faciant, ipsisque ex animo adhaereant, tamen major illorum pars, vel fere omnes, scilicet 804 confessi sunt, et communione refecti, ea omnia compleverunt, quae ad jubilaeum consequendum Sanctitas sua injungebat.

Fames per duorum mensium spatium nostris Missionibus tristitiam attulit, sed primo corda Missionariorum haec calamitas transfixit. Nam cum omnes amore JESUM CHRISTUM prosequantur, non parvi doloris ipsis erat parvulos utriusque sexus, senes et parentibus orbatos, macilentos aspicere, et eos per montes, camposque errare ad sibi victum adquirendum ex radicibus sylvestribus; et utinam easdem abundantius invenissent, et amarulentum succum ex eis non habuissent. Alteras enim per unum diem in olla vi ignis purificare opus fuisset, alterae nimis gustum mortificabant veluti si calcis qualitates haberent. Nec alibi victum quaerere fas erat, quia generalis in his regionibus erat penuria, et illi qui parum habebant, pro sibimetipsis propriisque filiis reservabant, nec plurimi illa emere sinebant. Sed huic calamitati praesto fuit Patrum Missionariorum educatio et charitas quoad Missiones. Educatio quidem, nam propter eam gregem proprium multi facere assueverunt Indi, quem tempore famis ad eamdem satisfaciendam mactaverunt; charitas vero ea omnia, quae prae manibus habebant, largiter libenterque subministrantes, quasi mater filiis suis panem fregerunt. Unum tantum Missionariorum corda feriebat, penuria scilicet rerum dandarum, et ex paucis impossibile esse, infinitam familiam vel turbam pro lubito satiare. Qui haec scribit certior fieri cupiens, quae esset penuria apud Neophytos, scholam ingressus fuit, dum puellae cibum capiebant, et proh dolor! passim vidit quatuor, sex, octo, vel decem puellas, quae circumsedebant ad pugillum farinae vel granulorum frumenti. Nihilominus tanta privatio tristes non efficiebat.

Famem subsequuta fuit siccitas. Sperabant Indi non multum temporis pati, ob proximum leguminum et aliarum rerum quibus vescuntur adventum, sed non pluit nec cito, nec ut opus erat; qua de causa abundantius vires reficere non potuerunt, et vix ex fructibus sylvestribus habebant ad vivendum necessaria; et quae coluerunt ex parte exsiccata perierunt, praesertim in aliquibus locis. Propter hanc pluviae deficientiam Indi, qui beneficio Missionis adhuc carent, quatuor vel quinque ex suis contribulibus mortem intulerunt, tamquam maleficis auctoribus illius deficientiae. Alii autem dicebant, esse aliquem inter maleficos (vulgo *ipaye*) per aërem volantem qui eos oderat, nubes dissipantem.

Pauca nunc addam de modo quo se gerunt Indi cum suis PP. Conversoribus. Cum una sit methodus, qua utuntur Missionarii in Indis gubernandis, tamen quia non eodem modo Indi salutaribus monitis obtemperant, accidit quod in una missione sint magis addicti, obedientes, mandatis obsequentes; in altera vero inobedientes, sibi credentes, superbi et etiam malignantes. Generaliter vero loquendo, statu Missionum contenti sumus: inobedientes enim corriguntur. Si enim Indi nimis carnales indifferentes sunt, et tantum quae sensus propria sunt, perfecte perficiunt, quid mirum, si inter ipsos discoli, inobedientes, superbi non desint? Quae natio, quae civitas, quae communitas suos non habet delinquentes? Mihi licitum sit verum fateri: duplex est causa, quare Indi non progrediantur uti debent: prima est eorumdem indifferentia, ut supra dixi; altera est malum exemplum sive scandalum, quod accipiunt a vicinis catholicis, cum favore et protectione conjunctum, praesertim dum Indi vagantur. Dolet, quam maxime dolet, tot Indos sive baptizatos, sive non, vagari per catholicorum regiones, eosque doceri hodiernam civilitatem atque progressum, et non esse in potestate Missionariorum eosdem ad sua reducere.

Haec omnia satis manifestant statum nostrarum Missionum, et ea quibus incumbere debent Missionarii Collegii Civitatis Taricae apud infideles degentes. — Curam etiam habent omnium catholicorum qui passim inveniuntur circa Missionum territorium, praesertim in Missionibus *Itau* et *Chimeo*, quae mixtae sunt, constant enim ex Neophytis et *Mestizos* vulgo nuncupatis. Nam horum parvulorum 73 in aqua Baptismi tinxerunt; confirmati a Missionum Praefecto 43; sepultura Ecclesiastica donati adultorum 37, parvulorum vero 35; matrimonia celebrata 15; et tempore jubilaei confessi 633, exceptis *Caiza* et *Yacuiva*, quarum relationes ad me non pervenerunt: quibus in locis per aliquot dies nostri Missionarii praedicaverunt et confessiones fidelium audiverunt jubilaei tempore.

Post haec aliquid dicam de Missionario-

rum operositate, quoad aedificanda, melioranda atque reparanda ea quae ad Missiones spectant, Indis suis adjuvantibus. — In *Itau* restaurata sunt templum, domus et scholae, quae nonnulla detrimenta passa fuerant. In *Chimeo* praeter dicta, frumentum et tabacum coluerunt, quorum qualitas multo aestimatur. In *Tarairi* novum templum interius exteriusque omni arte picturae decoratum, et in statu illud solemniter benedicendum relictum fuit; ipsius platea quae in declivi est, forti muro efformato lapidibus, necnon platea domi per medietatem, murique aedificiorum per circuitum strati sunt lapidibus; crux lignea altitudinis 14 metr. in platea Neophytorum erecta fuit; domus Neophytorum et Catechumenorum viginti octo constructae fuerunt. — In S. Francisco Solano, in ora orientali Pilcomayi, area 800 metr. quadrat. ab arboribus aliisque id genus polita, ad templum, domus et scholas aedificanda, via unius leucae per medium sylvae aperta; fossa pro aedificiorum fundamentis, murus 272 metr. per circuitum, nec non primarius templi lapis die 28 Februarii solemniter positus, aliaque ad Missionem de novo aedificandam praeparata et disposita fuerunt. — *Tygüipa* templum ampliatum fuit, domus octo aucta cellulis, schola puellarum valetudinario instructa. — In *Machareti* novum templum, prosequutum et fere absolutum fuit. In S. Antonio Patavino, in ora occidentali Pilcomayi, restaurata fuit ecclesia, quae in proximo est ut benedicatur, nonnullaque alia effecta. Haec reductio nondum habet proprium Conversorem ex sacerdotum penuria, sed gubernatur a Conversore S. Francisci Solani in altera ora posita.

Natio *Toba* sicut et *Noctena* perseverant Missionario subiectae: prima in S. Francisco Solano; secunda in S. Antonio de Padua. Ex quo pax stabilita fuit inter Tobas et caeteros nil novi advenit; homicidia et latrocinia finem acceperunt; Tobae Missionario adhaerent, ipsumque adjuvant in nova S. Francisci Solani Missione melius reaedificanda. In proximo est, ut stabiliantur scholae pro Tobis et Noctenis, speramusque et ipsos ad meliores fruges reducere.

Nunc, Rme Pater, habe me excusatum ob hujus relationis defectus, et dignare Missionarios omnesque ipsis subiectos Seraphica benedictione confortare, ut patienter ferant pondus diei et aestus in his Missionibus, ut videant omnes suos Indos in gregem Domini aggregatos, ut Spiritus Sanctus eos repleat omni dono, et tandem ut Pater familias illos recipiat, ipsisque praemia vitae aeternae donare dignetur.

Datum Tarairi die 8 Maii 1887.

Fr. Leonardus Stazi
Miss. Apost. int. Infideles.

IV.

BIBLIOGRAPHIA

Camillus ab Hierapoli, Min. Obs. — Sequentia edidit opera in *lingua arabica*, typis Terrae Sanctae:

1. Thesauri absconditi in Tertio Ordine Seraphico; in 18°, pag. 411. anno 1881.
2. Regula T. O. saecularis a Leone XIII modificata; in 18° p. 35, 1886.
3. Petite Grammaire française, par le P. Dominique Werson, Franciscain Miss. ap., traduite en Arabe par le P. Camille d'Alep. 1884.
4. Compendio della Grammatica italiana tradotta in Arabo, dal P. Camillo d'Aleppo, anno 1886.

Capecelatro (Emus Cardinalis). — La vita del P. Lodovico da Casoria scritta dal Cardinale Alfonso Capecelatro, Arcivescovo di Capua. Napoli, tipogr. Editrice degli Accattoncelli San Raffaele a Mater Dei. 1887. (L. 6) pag. 671.

Daniele da Bassano, Min. Rif. — Il segreto dell' amor di Dio nell' unione spirituale, per Fr. Daniele da Bassano in Teverina, Def. Gen., Penit. apostol., Min. Rif. Confessore di Sua Santità Leone Papa XIII; umile omaggio per le sue nozze d' oro. Quarta edizione, migliorata ed accresciuta dallo stesso autore. Quaracchi, presso Firenze, tip. del Collegio di S. Bonaventura. 1888. In 32. pag. 413. (L. 1).

David da Bibbiena, Min. Rif. — La Chiesa delle Sacre Stimmate sul Monte Alverna pro-

getto di ristauro del Padre David da Bibbiena. Roma, Tipografia Vaticana. 1888. pag. 31.

Eusebius Fermendzin, Min. Obs. — Acta Bulgariae ecclesiastica. Ab a. 1565 usque ad a. 1799. collegit et digessit P. Eusebius Fermendzin, Min. Obs. et Defin. Gen. Ordinis. Edidit Academia scientiarum et artium slavorum Meridionalium. — Zagrabiae 1887. Posita veno in Taberna Libraria eiusdem Academiae L. Hartman (Kugli-Deutsch). In 8° pag. XXII-409.

J. C. a Llevanenars, Min. Cap. — Veritas traditionum almae domus Lauretanae multiplici traditionis fonte comprobata, per P. J. C. a Llevanenars, Ord. Min. Cap. Romae, ex typ. editrice. 1887, pag. 93.

V.

NECROLOGIA

—

Die XIX Augusti 1887, Ordo noster jacturam irreparabilem passus est interitu Adm. Rev. Patris Alexandri Baronii, Observantis Provinciae Thusciae. Labrone anno 1819 honestis parentibus ortus, undevigesimo aetatis anno, adolescens egregiae spei, divino quodam instinctu propemodum singulari, S. Francisci Assisiatis, Legiferi nostri, Instituto se addixit, ejusdem habitum in Conventu Observantiae ad Senas induit. Jam inde a tyrocinio, quod sanctissime exercuit, visum est quantus in oratione, in religiosa operositate, in studiis esset aliquando futurus. Pietatis in Deum, quam ad obitum usque impensissime coluit, testes sunt quotquot eum ex visu et alloquio cognoscere delectati sunt. Varia vitae discrimina, assentationes hominum profligatissimorum, studia, in quibus ingenium acutissimum periclitabatur, spiritum orationis a sancta Regula commendatum nedum aut extinxerint aut relaxaverint, confoverunt. Sacerdotio auctus, atque experimento idoneus repertus qui traderet philosophicas disciplinas, hoc munere Florentiam, in Conventum omnium Sanctorum, contendere jussus est. Vix credibile memoratu est quanta alacritate id muneris obiret, quantaque sollicitudine officia omnia impleret, quae ipsum aut Sacerdotem aut Lectorem decerent. Disciplinae suae alumni magnis cum laudibus efferebant, quod, cognitor rei tradendae peritissimus, mira perspicuitate abdita quaeque scientiae aperiret, difficultates item enodaret, adversae partis argumenta disjiceret: omnes vero qui sive ruri sive per urbes eum concionantem audissent, viri apostolici pectoris zelum atque doctrinam suspiciebant. Ubi Labronem, in patriam sese recepit, in magisterio cum privato tum publico vir plane extraordinarius innotuit: nam quoquot essent ex omni ordine cives ingenii laude florentes eum conveniebant, consilium, lumen, solatium recepturi. Quo factum est ut Labrone per ora omnium Alexandri Baronii nomen reverendum suavissimumque sonaret: pauperes laudare charitatem, sapientes extollere doctrinam, clerici magnificare curam in muniis sacerdotalibus obeundis solertissimam, homines vitae spirituali addicti revereri artem dirigendarum animarum in viam perfectionis; paucis: noster Alexander Baronius habebatur et erat magnum decus habitus franciscalis, quem vel difficillimis temporibus magnopere dilexit, et Sacerdotii catholici lumen praeclarissimum. Huius rei veritatis habemus testimonium amplissimum justa funebria postridie obitum ejus solemniter persoluta, et die trigesimo solemnius instaurata cura Sodalium, necnon quorumdam piorum coetuum; praecipue vero scholae suae olim discipulorum, qui, eo magistro usi, sanam doctrinam ebiberant, optimaque ratione mores componere apprehenderant.

Studiorum ejus monumenta haud peritura extant multa volumina cum edita tum inedita, ex quibus digna sunt quae commemorentur, *Orationes* quaedam panegyricae sententiarum profunditate, oratorii styli nitore verborumque delectu spectabiles; opus super *Amorem ac Scientiam Seraphici Doctoris S. Bonaventurae;* necnon tria volumina super sententiam Scholae Franciscalis circa *substantialem corporum compositionem*. Ex postremis his duobus operibus, quarum scribendarum provinciam Rmus Generalis Patri nostro demandaverat, luculentissime patet, quantopere scientificas Ordinis traditiones adamaret, quamque eniteretur ut apud

nostrates et apud extraneos pristinus honor Doctori seraphico redderetur.

Ave, pater pientissime, octo et sexaginta annorum aetate nondum senex, immiti morte nobis abrepte! e caelesti Sede, ubi te speramus collaetantem, DEUM adprecare ut universis Franciscalis Ordinis alumnis benedicat, iis praesertim, qui Superioribus suadentibus, Scholae nostrae instaurationem moliuntur; tuisque precibus urge, Pater, urge faustum fortunatumque diem, quo aedificium illud spectandum incredibili ausu restitutum, novo demum splendore inclarescat.

R. I. P.

Adm. R. P. ANASTASIUS A COMUNANTIA Ref. Provinciae Picenae die 15 Novembris 1887 in pace DOMINI quievit Montisalti anno aetatis suae 76° religionis vero 59°. — Fuit Philosophiae ac Theologiae Lector, sed ob eximiam suam doctrinam et eloquentiam, antequam cursum theologicum, qua Lector, absolveret ad Sacrae Eloquentiae cathedram destinatus, eamdem per plures annos et fere usque ad civilem Provinciae suppressionem, magno cum discipulorum profectu, moderatus est. Emerentiam jure adeptus, Provinciae Secretarius, quater Definitor, semel Custos ac Minister Provincialis fuit. Dispensationibus et exemptionibus a Statutis sibi concessis minime utebatur, ac Conventui quasi unus ex junioribus alacriter inserviebat. Humilis, et ab omni vana gloria alienus, saecularium consortia vitabat suosque omnes sincere diligebat, et ad animum inter assidua studia recreandum, saepius cum simplicioribus Laicis conversari solitus erat. A Coenobio pulsus, una cum nonnullis Confratribus in domum rusticam Montisalti ab insigni benefactore oblatam secessit, in qua ereniticam fere vitam duxit, ac multimode ruricolarum salutem juvit tum pueros catechizando, tum moribundis Sacramenta ministrando.

Magni habitus fuit, praesertim ab ecclesiasticis viris. Seminarii Montisalti cathedras eidem saepius oblatas constanter respuit, Examinatoris vero Synodalis et Scholastici munus per plures annos exercuit, in quo singulari tyrones examinandi peritia excellebat, prouti quamplurimi testantur ab eodem examinati, qui magna eum veneratione ac dilectione prosequebantur, ac modo una cum Ref. Provinciae alumnis charissimi Patris amissionem deflent, ejusque animam piorum suffragiis commendant.

R. I. P.

Reformata Provincia Marchiae praeter A. R. P. Anastasium eodem mense Novembris die 24 alium amisit Patrem pietate ac doctrina celebrem, A. R. P. MAXIMILIANUM A CASTRO AEMILII. Natus die 1°. Martii 1817 et Ordinem ingressus die 4 Octobris 1835; completo passivo studiorum curriculo, Lectorem egit usque ad Emerentiam, ac in Urbinatensi studiorum Universitate primum, postea vero in Seminario Dioecesano per triginta circiter annos Studii Biblici et Historiae Ecclesiasticae Professor fuit. Ab Archiepiscopis Angeloni, Pettinari, et Borgognoni nedum Examinator Synodalis sed etiam Collationum moralium Moderator designatus, tanti habebatur, ut quamplurimi de difficilioribus quaestionibus pro consilio ad eum recurrerent. Erga CHRISTI passionem, Beatissimam Virginem et Seraphicum Patriarcham, nec non animas in Purgatorio detentas singulari pietate afficiebatur, et maximo zelo ac assiduitate fidelium confessionibus excipiendis incumbebat. Saepius Definitor electus, Provincialatus Ministerium ne sibi imponeretur impedivit. Quatuor abhinc annis paralysi correptus, morbi molestias patienti animo tulit, ac demum superveniente cordis pulmonumque stasi, omnibus Ecclesiae Sacramentis munitus placide obiit Urbini.

R. I. P.

Infausta ad nos pervenit notitia de repentina morte Illmi et Rmi P. ALBERTI CRACCHI, Ref. Prov. S. Didaci in Insubria et Episcopi Pulatensis in Albania. Venerandum Praelatum suffragiis omnium commendamus, ejusque necrologiam proxime dabimus.

Nihil obstat

FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

BREVE

praescribens annuam quaestuationem pro Terra Sancta.

LEO PP. XIII

Ad perpetuam rei memoriam.

Salvatoris ac Domini Nostri Jesu Christi, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, vices in terris immeriti licet gerentes, inter multiplices gravissimasque tam excelsi Apostolatus curas, quibus in dies detinemur, in id tamen peculiari ac praecipua Pastoralis sollicitudinis vigilantia incumbimus, ut tanti ac tam salutaris Mysterii, quae in Urbe Hierusalem et viciniis illius monumenta supersunt, qua maiori sanctiorique fieri poterit custodia asserventur, utque salubria monita ac mandata Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum suos hac super re effectus sortiantur. Ipsi enim Pontifices jamdiu a vetustissimis temporibus ea ad loca pretioso Humanati Verbi Sanguine purpurata oculos convertentes, Catholici nominis gentes ad Christi Sepulchrum recuperandum excitarunt; et postquam illud denuo in infidelium ditionem cecidit, et Fratribus Minoribus Ordinis S. Francisci Assisiensis tantummodo licuit ea loca asservare, nunquam destitere, quin quacumque ope possent, custodiae saltem ipsorum consulerent, et Fratrum eorumdem, quos neque persequutionum, neque vexationum, neque saeva cruciatuum discrimina tanto unquam ab incoepto deterruerunt, praesentibus necessitatibus pro re ac tempore providerent. Quare et vivae vocis oraculo et Apostolicis etiam litteris, Patriarchis, Antistitibus et aliis totius terrarum orbis locorum Ordinariis instanter atque iteratis vicibus mandarunt, ut respectivae eorum curae commissos Christifideles ad eleemosynas pro Locis Sanctis tuendis afferendas colligendasque impellerent, et certas etiam regulas hac super re statuere pluribus Apostolicis litteris, modo sub plumbo, modo sub Annulo Piscatoris datis, per quas unanimi consensu asseruerunt universis in terrarum Orbis Dioecesibus singulis annis quosdam per unumquemque Ordinarium sub sanctae obedientiae obligatione dies statuendos esse pro eleemosynis in Sanctorum Locorum emolumentum colligendis. Denique Pius PP. VI fel. rec. Praedecessor Noster, litteris quarum initium « *Inter cetera divinorum iudiciorum abdita arcana* » die XXXI, mensis Julii anno MDCCLXXVIII sub plumbo datis, quatuor per annum vicibus ab omnibus Sacrorum Antistitibus Terrae Sanctae necessitates piae Christifidelium charitati commendandas esse decrevit. Nunc autem dilectus Filius Bernardinus de Portu Romatino, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Assisiensis de Observantia nuncupatorum generalis Administer, Nobis exponendum curavit, adauctis in dies praesertim vertentibus annis necessitatibus hujusmodi, Sanctorum Locorum custodiae haud amplius provenientes e fidelium eleemosynis

redditus sufficere, eaque potissimum de causa quod elapso jam saeculi intervallo a postrema, quam memoravimus fel. rec. Pii PP. VI Constitutione, nonnulli ex Ordinariis illam veluti fere obsoletam negligunt, neque eleemosynas pro Sanctis Locis commendare, ea qua par est sollicitudine, student; ideoque enixas Nobis preces humiliter adhibuit, ut quaedam hac super re providere de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine velimus. Nos igitur, quibus tanti momenti custodia maximo est cordi, votis hujusmodi annuere cupientes, de Apostolica Nostra auctoritate, vi praesentium, perpetuum in modum decernimus, ut Venerabiles Fratres Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi et alii totius terrarum orbis locorum Ordinarii, sub sanctae obedientiae vinculo, curare teneantur, ut respective in cujuscumque Dioecesis Parochiali Ecclesia, una saltem singulis annis vice, nempe Feria Sexta Maioris hebdomadae, vel alio ad uniuscujusque Ordinarii lubitum similiter semel tantum quotannis eligendo die, fidelium charitati Sanctorum Locorum necessitates proponantur. Pari autem auctoritate expresse interdicimus atque prohibemus ne quis audeat vel praesumat eleemosynas pro Terra Sancta quomodolibet collectas in alios usus convertere atque immutare. Propterea jubemus collectas, ut superius dictum est, eleemosynas Parochum Episcopo, Episcopum tradere proximiori Ordinis S. Francisci pro Terra Sancta Commissario; hunc autem curare volumus, ut eaedem quam citius Hyerusalem ad Sanctorum Locorum Custodem, ut moris est, transmittantur. Decernentes praesentes Nostras litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat, ac spectare poterit, in omnibus plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios et delegatos judicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque. Denique volumus, ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVI Decembris MDCCCLXXXVII Pontificatus Nostri anno decimo.

L. ✠ S.

M. Card. Ledóchowski.

—

LITTERAE APOSTOLICAE

IN FORMA BREVIS

SUPER BEATIFICATIONE

VEN. SERVI DEI

AEGIDII MARIAE A S. JOSEPHO

LAICI PROFESSI

ORDINIS MINORUM STRICTIORIS OBSERVANTIAE
EXCALCEATORUM S. PETRI DE ALCANTARA
PROVINCIAE LYCIENSIS
EDITAE

A SS. DOMINO NOSTRO

LEONE PAPA XIII.

Leo PP. XIII

ad perpetuam rei memoriam.

Cum Dei Verbum humanam naturam ineffabili charitatis consilio suscepit, ita se ad nostram conditionem abjecit, ut non solum « formam servi », prout ait Apostolus, « accipiens, semetipsum exinaniret », sed illud Isaiae praeferens « opprobrium hominum, et abjectio plebis » quidquid inter homines humile magis excogitari potest, ut propriam partem sibi eligere voluerit. Hinc inter cetera bona homines et istud consecuti sunt, ut divini exempli lumine collustrati, uti grande et coeleste colere inciperent, quod antea vitii loco habuerant, et Christi Ecclesia innumeros omni aetate protulerit viros, qui despectui habentes quidquid fastum et saeculi vanitatem sapit, crucis Christi

ignominiam amplecterentur, sibique gloriae ducerent inter opprobria, et contemptus christianam humilitatem profiteri. Jamvero inter eximios humilitatis cultores probe adnumerandus est Venerabilis Dei Servus Frater Aegidius Maria a S. Josepho, qui illud Ecclesiastici (III, 20) reapse prae oculis habuit « Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam ». Tarenti a parentibus sane ingloriis, sed pietate illustribus hic ortum duxit XVI Kalen. Decembris MDCCXXIX, et Francisci nomine in baptismate est appellatus. Ad omnem pietatem rite institutus, miram quamdam a puero maturitatem, morumque gravitatem praesetulit, adeo ut nil puerile saperet, et tantummodo ea quae ad religionis cultum spectarent diligeret. Franciscus adolescens adhuc cuidam artifici traditus, singulari patientia in opus incumbebat, et aequalibus suis longe anteibat, quos modestia et humanitate ad christianae vitae cultum incitabat. Mane impiger a stratis surgens, Sacro intererat, et vespere domum petens, Ecclesias invisens, enixis precibus Deum exorabat. Hinc ut divinis rebus impensius vacaret, sodalitati a Sanctissimo Beatae Mariae Virginis Rosario nomen dedit. Qua in Sodalitate tanta morum sanctimonia eluxit, ut singuli eam admirarentur. Interim majori erga Deum amore flagrans, de capessendo aliquo pio instituto consilium iniit. Votis Deum mirabilem in modum adfuisse vulgatum est; quippe nocte quadam ipsi dormienti coelestes duo viri adesse visi, qui illum ad se perhumaniter invitarent. Mane ad Coenobium Fratrum S. Petri de Alcantara pendens animis advolans, vix ad altare majus, dum deprecaretur, oculos sustollens sacras ejusdem S. Petri et S. Paschalis imagines recognovit. Haud pluribus opus, ut ipse inter Alcantarenses sodales nomen profiteretur suum, atque inter laicos Fratres, annum agens vigesimum quartum Aegidii Mariae nomine a S. Josepho cooptaretur. Tyrocinio inito, eo sanctimoniae indicia praebuit, ut ad praecipuum virtutis gradum facile eum perventurum intelligi posset. Quo expleto, religiosa vota anno MDCCLV nuncupavit. Exinde ad coelestia incumbere majori animi contentione incepit. Regulis quippe sui instituti veluti animo insculptis, illis ceu stimulis utebatur, quibus ad rectam agendi normam excitaretur. Quare alacriori in Deum studio ferebatur, Deiparam, castumque eius Sponsum Joseph vehementius colebat, diu noctuque ante eorum altaria fervidas preces effundens. Paupertas illi in deliciis erat, ita ut quamvis suis sodalibus eleemosynis corrogatis, omnia quae usui sunt, suppeditaret, sibi tamen nil prorsus reservatum vellet, cubiculo delitescere inopi, obsoleta indutus veste; simplici contentus pane, et aqua sitim restingueret. Praecipuus inerat ei pudor et modestia, quae ex illius vultu enitebat, ita ut vernanti in illo iuventutis flore, tamquam Angelus e sidereis sedibus missus videretur. Obedientia erat singulari, in minimis etiam rebus humilitate maxima moderatoribus suis obtemperans, illorum voluntatem semper uti unicam suae vitae normam habens. Hinc cuncta quae ad animi demissionem, suique contemptum spectabant, alacriter suscipiebat. Nil enim ei potius erat, quam ut laboriosi humilisque operis occasionem sedulo captaret, modo conclavibus purgandis, modo mensae comparandae, vel eleemosynis colligendis, vel Coenobii liminibus custodiendis. Sed postquam in lucem hominum prodiit, Neapolis eius virtutes maxime suspexit. Non enim aliqua huius civitatis regio, non platea, non domus, vel remotus extitit locus, qui de praeclaris illius gestis conticescere posset. Omnes praesertim effusam illius charitatem summis laudibus celebrabant. Innumera quippe multitudo egenorum extitit, quorum inediam, algorem, nuditatem sublevavit, lacrymas abstersit, angorem recreavit; scilicet illius miseratio nullis evocata precibus ultro calamitosis occurrere consueverat. Humanitate vero tanta enituit, ut homines etiam ferocioris ingenii morum et alloquii suavitate deliniret. Nec illi, coelesti lumine illustrato, sapientia deerat, qua dissidia amice componeret, et difficiliora negotia expediret. Quare Christifideles ad eum accurrebant, atque ipsis nobilibus regalis aulae viris in trepidis rebus eius consilium expetentibus, rectam agendi rationem divinitus significabat. Superno prorsus consilio evenisse dicendum est, ut Venerabilis Dei Servus Neapoli per id tempus moraretur, ubi, et pravae doctrinae disseminari coeperant, et morum corruptio propagari, utrique scilicet pesti, tum piis colloquiis, tum vitae sanctioris exemplis occurreret. Sed jam inclinata ad senium

aetate, et lethali morbo correptus, vitae finem sibi instare prospexit. Nil territus, sed conscientia recte factorum erectus, in CHRISTI ligno affixi, et Deiparae, ac S. Joseph imagines oculos vertens, eorum adspectu recreari summopere videbatur. Ita Sacramentis refectus VII idus Februarii anno MDCCCXII ab huiusce exilii aerumnis ad coelestem patriam migravit. Quae de ejus sanctimonia opinio animis insiderat, post mortem magis magisque aucta est, eamque signa, quae divina virtute, eo invocato, contigisse vulgo edicebantur, incredibiliter amplificarunt. Quare de Venerabilis Servi DEI vita ac virtutibus causa delata fuit ad Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus tuendis praepositorum, rebusque omnibus maturo judicio perspectis, virtutes, quibus DEI Servus inclaruerat, heroicum attigisse culmen, decrevit fel. rec. Pius IX Decessor Noster VI Kalendas Martias anno MDCCCLXIII. Dein quaestio acta est de miraculis quibus Ven. Aegidii a S. Josepho virtus confirmari videbatur, ac proinde diligenti examine peracto, cum duo ex illis vera et explorata fuissent judicata, Nos rite ea probavimus decreto edito IX Kalendas Martias anno MDCCCLXXXVI. Tandem nil aliud supererat, nisi, ut de more interrogaretur Sacrum Consilium ritibus legitimis cognoscendis, utrum censeret, ipsum tuto Beatorum albo adscribi posse, id vero peregimus VIII Kalendas Junii an. MDCCCLXXXVI eo Coetu coram Nobis habito, qui unanimi consensione censuit cum Nobis visum esset commemoratum DEI Servum BEATUM posse declarari. Verum in re tanti momenti Nostram mentem pandere distulimus, ut a Patre luminum subsidium, ferventibus precibus posceremus. Quo implorato, Dominica ultima post Pentecosten superioris anni, die Praesentationi Beatae MARIAE Virginis Sacra, solemni decreto pronunciavimus tuto procedi posse ad solemnem Venerabilis Aegidii a S. Josepho Beatificationem. Quae cum ita sint, universi Ordinis Fratrum Minorum Excalceatorum Strictioris Observantiae S. Petri de Alcantara precibus votisque permoti, ex memoratae Congregationis Cardinalium consilio et assensu, Auctoritate Nostra Apostolica harum Litterarum vi facultatem facimus, atque impertimur, ut idem DEI Servus Aegidius Maria a S. Josepho Beati nomine in posterum nuncupetur, ejusque corpus et lipsana, seu reliquiae (non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae) publicae fidelium venerationi exponantur. Praeterea eadem Auctoritate Nostra concedimus, ut de illo recitetur quotannis Officium et Missa de communi Confessorum non Pontificum, cum orationibus propriis per Nos approbatis, juxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero Officii recitationem et Missae celebrationem fieri dumtaxat concedimus in civitatibus et dioec. Lycien. et Tarent., necnon in omnibus templis et religiosis domibus Fratrum Minorum Excalceatorum Strictioris Observantiae S. Petri de Alcantara ab omnibus CHRISTI fidelibus, qui horas canonicas recitare teneantur, et quod ad Missas attinet, ab omnibus sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus ad Ecclesias in quibus festum agitur, confluentibus. Denique concedimus ut solemnia Beatificationis Venerabilis Aegidii a S. Josepho in templis supradictis celebrentur cum Officio et Missis duplicis majoris ritus, quod quidem fieri praecipimus die per Ordinarium praefiniendo intra primum annum postquam eadem solemnia, ob temporum conditionem, in Aula Superiori porticus Basilicae Vaticanae celebrata fuerint (1). Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, modo manu Secretarii dictae Congregationis subscripta, et Praefecti sigillo munita sint, eadem prorsus in disceptationibus etiam judicialibus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, his Litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die III Februarii anno MDCCCLXXXVIII Pontificatus Nostri anno decimo.

L. S.

M. Card. LEDÓCHOWSKI.

---

(1) Solemnis beatificatio peracta est die 5 Februarii in aula praedicta Basilicae Vaticanae, adstantibus pluribus Cardinalibus, Praelatis, multis Confratribus aliisque fidelibus. In bibliographia fusiorem vitam B. Aegidii hac occasione editam annuntiamus.

EX SACRA POENITENTIARIA

Responsa circa communionem quotidianam apud Moniales (1).

Beatissime Pater,

Franciscus Eduardus Karley
Archiepiscopus Cameracensis

Ad Sanctitatis Vestrae pedes devotissime provolutus humiliter postulat sententiam circa sequentem difficultatem.

Moniales a S. Clara, seu Collettinae, et quaedam aliae, Superiorum ecclesiasticorum auctoritate fultae, omnes quotidie sacra communione reficiuntur, licet juxta Regulas et theologorum multorum decisiones pro aliquibus tantum et in quibusdam circumstantiis talis et tanta gratia reservari debeat. Sed multum dolebunt piae Sorores quae hanc consuetudinem summo aestimant pretio. Quid agendum?

S. Poenitentiaria, mature consideratis expositis, respondet laudabilem esse consuetudinem Monialium quotidie ad Sacram Communionem accedendi; spectare autem ad Confessarium id singulis permittere juxta regulas a probatis auctoribus traditas et praesertim a S. Alphonso de Ligorio.

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 19 Novembris 1885.

R. Cardin. Monaco P. M.

Concordat cum autographo Cameraci 30 Decembris 1887.

† Franc. Eduardus *Archiep. Cameracensis.*

(1) Cfr. *Acta* anni elapsi pag. 147.

II.

ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS

Incitamenta Seraphica.

—

DE DISCIPLINA REGULARI RESTITUENDA

CAPUT III.

De studio et labore.

§. 6. *De Missionibus indigenis.*

108. Seraphici Ordinis alumni non solum religiosam et sanctam vitam ducere, sed etiam animarum saluti et Ecclesiae fulcimento strenuam debent impendere operam. Non enim hunc Ordinem elegit Deus, ut Fratres sibi solis viverent, sed ut et aliis proficerent, et animas lucrarentur ad exemplum illius, qui unus pro omnibus mori dignatus est.

109. Divinae hujus missionis intime conscius, et eximiae caritatis incendio flagrans, S. P. N. Franciscus ab initio conversionis suae evangelicae perfectionis aemulator exstitit, et ad poenitentiam ac vitae emendationem omnes invitavit. Vix tribus acceptis discipulis, oppida et castella Marchiae Anconitanae circuibat, et salutaribus et simplicibus verbis omnes ad Dei amorem et poenitentiam hortabatur. Septimo autem admisso discipulo, cum uno sociorum versus unam regionem perrexit, reliquos sex ad modum crucis ad alias tres orbis partes deputavit. Postea vero, crescente numero discipulorum, ad omnes fere orbis partes Instituti sui operarios destinavit.

110. De S. Francisci praedicatione S. Bonaventura scribit (1). « Eadem mentis constantia magnis loquebatur et parvulis, eademque spiritus jucunditate paucis loquebatur et multis. Omnis aetas omnisque sexus properabat ad virum novum mundo coelitus datum et cernere et audire; ipse vero per diversas regiones progrediens evangelizabat ardenter, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis. In virtute namque Nominis ejus veritatis praeco Franciscus ejiciebat daemonia, sanabat infirmos, et, quod majus est, sui sermonis efficacia obstinatorum mentes ad poenitentiam molliebat, simulque sanitatem corporibus reddebat et cordibus ».

111. S. Franciscus nulli unquam pepercit labori, nullis cessit periculis; sed propriam vitam jugiter pro animarum ponens salute, se pro ipsis usque ad ultimum vitae halitum impendit, ut filios suos exemplo suo doceret, quam strenue et quam solerter proximi salutem curare et promovere deberent. Quam probrosum esset, si seraphici Patris exemplum imitari recusaremus, et nostro commodo aut utilitati propriae unice intendere vellemus! Non enim vocavit nos Deus, ut otio vacemus aut soli contemplationi intendamus, sed ut pro

(1) Vita, cap. 12.

viribus proximum aedificemus, eumque ad amorem Dei et observantiam mandatorum ejus verbo et exemplo inducere studeamus.

112. Omnino dignum et justum est, ut nos, qui tot spirituales favores, tantam protectionem et tam maternam sollicitudinem ab Ecclesia Christi accipimus, gratitudinem eidem exhibeamus, atque ejus defensioni et filiorum suorum saluti omni nos cordis alacritate addicamus. Sacra ministeria eo libentius fidelibus praestare debemus, quod ipsi nos alant omnibusque corporis necessitatibus provideant. Aequum est, ut spirituales consolationes, verbum vitae aeternae et omnia salutis subsidia eis semper exhibere simus parati.

113. Haec omnia peculiari modo fidelibus praestantur in sacris Missionibus, ad quas praedicandas non raro invitantur Fratres nostri. De hoc saluberrimo sacri ministerii exercitio nunc aliqua censuimus dicenda.

114. Salutare Missionum indigenarum exercitium ubique terrarum valde utile, immo necessarium est. Fere omnia enim gubernia Religionem non uno tantum modo vexant, Episcopos, Sacerdotes, Religiosos continuo calumniantur, christianam juventutis institutionem impediunt, veram libertatem tollunt ac falsam inducunt, omni artificio populum seducunt. Juventus quae ob dictas causas christiana fide et bonis moribus imbuta non est, et quam libri mali, pessimae ephemerides et impia consortia corruperunt, mala principia, quae hausit, transmittere ad posteros gestit; et hoc modo malum, ut cancer, longius serpit. Tanta mala ordinariis mediis tolli non possunt, sed extraordinaria requiruntur, inter quae Missiones primum locum habere, apud omnes, qui rem norunt, in confesso est. Corruptio populi praesertim sacris Missionibus tollenda est. Quisquis Missiones tradidit, vel in eis confessiones excepit, tristi experientia novit, multas confessiones a populo sacrilege institui. Causa quidem repeti potest vel inde, quod forsitan quidam confessarii muneri suo desint, vel quod daemon naturali hominis erubescentia in confessionali omni molimine ad ejus perditionem abutatur. Jam vero sine Missionibus hoc malum fere numquam plene reparabitur.

115. Fanatica secta, quae illuminatorum, carbonariorum, seu franco-muratorum nomine venit, jam a longo tempore « convenit « adversus Dominum et adversus Christum « ejus (1) »; quotidie celerrime crescit viresque acquirit eundo; propagatur per orbem terrarum; curias implet et tribunalia; ubique dominari gestit et rerum potiri. Jurejurando juravit non tantum destruere fidem et evertere, si posset, Ecclesiam catholicam, sed et in sua rabie omnium rerum civilium perturbationem completam perpetrare. Infernalis illa secta a Lucifero missa est, ut qua late patet orbis, « furetur et mactet et perdat (2) ». Et nos, Sacerdotes Domini, nollemus vim vi repellere? S. Alphonsus de Liguori, qui per 40 circiter annos Missiones tradidit, de omnimoda Missionum necessitate erat convictus, et librum valde utilem de praxi Missionum composuit. Sanctus noster Leonardus a Portu Mauritio, qui per 44 annos huic exercitio summo zelo ac immenso cum fructu incubuit, et pariter insigne volumen de Missionibus composuit, de hac Missionum necessitate intime erat persuasus.

116. Si alicubi, certe in Missionibus Deus maximas et specialissimas gratias concedit, prout quotidiana experientia constat. In Missionibus enim videmus inveteratorum peccatorum conversiones, inimicorum reconciliationes, injustitiarum reparationes, turpium conjunctionum dissolutiones, illegitimorum connubiorum adunationes, turbatae pacis in familiis jucundae instaurationes; et ut uno verbo omnia comprehendamus, in universo auditorum coetu Fidei et Religionis evidentissimum incrementum. Quot fideles jam christiane vivunt, quia delictorum juventutis, quae rubor vel ignorantia absconderant, per bonam in Missione confessionem veniam impetrarunt! Ceteri vero, qui, tentante diabolo, et ob aestum passionum ad vomitum redeunt, vel adeo turpiter non amplius ruunt, vel citius et facilius ad meliorem frugem redeunt. Quot parochiae, ubi infelix lolium ab annis miserandum in modum crescebat, per Missionem in melius mutatae sunt! Quot parochi, per Missiones edocti, majori cum zelo majorique cum fructu in vinea Domini laborant!

(1) Psalm. II, 2.
(2) Joann. X, 10.

117. Quatuor potissimum requiruntur, ut familia, ut parochia, ut civitas, ut patria sit felix; scilicet: Religio practica, boni mores, justitia et concordia. Atqui illa quatuor sunt ordinarius Missionum fructus. Ergo, si gubernium civile saperet, Missiones non solum nullo modo impediret, sed potius suo patrocinio maxime foveret.

118. Hinc merito Pius VI in Bulla *Auctorem Fidei*, damnat sequentem propositionem conciliabuli Pistoriensis: « Irregularem strepi« tum novarum institutionum, quae dictae « sunt Exercitia vel Missiones... forte num« quam, aut saltem perraro, eo pertingere, ut « absolutam conversionem operentur, et ex« teriores illos commotionis actus, qui appa« ruere, nihil aliud fuisse, quam transeuntia « naturalis concutionis fulgura ». Ista propositio, quae est sexagesima quinta, damnatur tamquam « temeraria, male sonans, perniciosa, « mori pio salutariter per Ecclesiam frequen« tato et in verbo Dei fundato injuriosa ».

119. Deus non semper solus agit, sed saepe per causas secundas, praesertim quando agitur de procuranda salute animarum. Sic in opere, de quo nunc agimus, per sacerdotes Missionarios tamquam per instrumenta in manu sua operatur. Hinc, ut opus bene perficiatur, instrumenta bona sint oportet, id est Missionarii debitas qualitates habeant necesse est. Qualitates autem praecipuae, quae requiruntur, sunt *solida pietas, sufficiens doctrina, zelus* atque *prudentia*.

120. Missionarius inprimis vere *pius* esse debet, ut quod praedicat verbis simul confirmet vitae suae exemplo, et ut per pietatem suam multas a Deo gratias tum sibi, tum auditoribus ac poenitentibus suis obtineat. Ut vero veram pietatem sibi conservet et adaugeat, subinde legat et semper bene observet quae Concilium Tridentinum *de vita et honestate clericorum* sapienter praescripsit (1); conscientiam mundam semper et tranquillam sibi conservet; praesentiam Dei colat eumque in omnibus creaturis inveniat; pacatam mentem in omni, etiam difficili, rerum eventu servet, cum multa fiducia in providentia Dei; cor habeat a quibuslibet creaturis avulsum, ut in veritate dicere valeat: « Quid mihi est in coelo « et a te quid volui super terram ?... Deus « cordis mei, et pars mea Deus in aeter« num (1) »; denique meditationem non nisi in vera necessitate in Missione omittat, et tunc eam pia intentione et cordis suspiriis suppleat.

(1) Sess. XXII, cap. 1. de reformat.

121. Missionarius etiam *debitam scientiam* debet habere, sine qua officio suo neque digne neque utiliter potest fungi. Necessaria est ipsi enim debita scientia, ut sit idoneus praedicator et bonus confessarius, prout jam alias diximus.

122. *Zelus* Missionarii est magnus et continuus ardor procurandi, omni possibili modo majorem Dei gloriam, perfectionem propriam et salutem animarum. Absque tali zelo Missionarius similis est militi, optimis quidem armis instructo, qui vero eis non utitur ad patriae defensionem. Bonus Missionarius zelum habeat Psalmistae, qui ait: « Zelus domus tuae come« dit me... Defectio tenuit me pro peccatoribus « derelinquentibus legem tuam... Tabescere me « fecit zelus meus... Vidi praevaricantes et ta« bescebam... Exitus aquarum deduxerunt oculi « mei, quia non custodierunt legem tuam (2) »; et S. Pauli dicentis: « Nocte et die non ces« savi, cum lacrymis monens unumquemque « vestrum (3) ». « Omnibus omnia factus sum, « ut omnes facerem salvos (4) ». Tali zelo animati etiam nos mirabilia possumus operari pro Deo et pro animabus. Si gloriosum est pro patria mori, multo sublimius est pro salute animarum sudorem et sanguinem fundere.

123. Advertere tamen debet Missionarius, zelum, quum ardor et ignis sit, christiana *prudentia* temperandum esse; nam ignis facile incendium causat. Prudentia autem est virtus intellectus, qua in quovis negotio occurrente novimus, quid amplectendum quidque sit fugiendum. Hanc virtutem Missionarius studeat habere. Dicit Spiritus Sanctus: « Prudentiam « voca amicam tuam (5) ». « Inclina cor tuum « ad cognoscendam prudentiam (6) ». « Pru« dentia servabit te (7) ». « Beatus homo, qui

(1) Psalm. LXXII, 25, 26.
(2) Psalm. LXVIII. et CXVIII.
(3) Act. XX, 31.
(4) I. Corinth. IX, 22.
(5) Prov. VII, 4.
(6) Prov. II, 2.
(7) Prov. II, 11.

« affluit prudentia: omnia quae desiderantur, « huic non valent comparari (1) ». « Sapien- « tia aedificabitur domus, prudentia robo- « rabitur (2) ».

124. Iis, quae in praecedentibus paragraphis de praedicationibus et confessionibus breviter adnotavimus, hic aliquas observationes pro Missionariis duximus adjungendas.

125. In *praedicatione* cavendum est ab incautis exaggerationibus, quae solent corda magis restringere quam convertere. Discrete legendi sunt illi concionatores, qui ut scopum suum attingant, textus sacrae Scripturae retorquent, v. g. quasi DEUS, post certum peccatorum numerum, peccatores sibi ipsi relinqueret, quia mensura completa est. Certe hujusmodi sententiae opponi possunt multi textus sacrae Scripturae, v. g. « Impietas impii « non nocebit ei, in *quacumque die* conversus « fuerit ab iniquitate sua (3) ». Sic etiam S. Ecclesia in litaniis omnium Sanctorum orat: « DEUS, cui proprium est misereri *sem-* « *per* et parcere » etc. — Deterrendi quidem sunt peccatores, sed alio modo.

126. Post quamlibet veritatem terribilem animentur peccatores. Incredibile dictu est, quam proclives sint peccatores ad pusillanimitatem et desperationem. Propterea erigantur ad spem et incitentur ad amorem DEI, qui etiam maximos peccatores in suam gratiam denuo recipere paratus est, dummodo vere contriti peccata commissa confiteantur atque peccata eorumque occasiones sincere velint relinquere. Multi vincuntur amore, qui nullatenus timore se vinci sinunt. Praeterea nullum perseverandi motivum fortius est amore; cito enim timor evanescit, quo evanescente vix ullum amplius peccatoribus frenum relinqueretur contra peccatum.

127. Stylus concionum sit clarus, simplex et ad captum auditorum. Stylus nimis elegans et sublimis saepe periculosam vanitatem redolet et vix ullum fructum apud auditores profert. S. Hieronymus scribit (4): « Multo melius « est ex duobus imperfectis rusticitatem san- « ctam habere, quam eloquentiam peccatri- « cem ». Vetus proverbium « loquimur ut in- « telligamur » praedicator, et praesertim Missionarius, numquam debet oblivisci. Venator bonus plumbum mittit in caput leporis, et non supra caput in aëra.

128. *Confessarius* « ad audiendas confes- « siones non inani gloria, non lucri cupiditate, « non curiositate, non denique ullo humano « affectu ductus, sed salutis fidelium procuran- « dae studio inflammatus accedat (1) ».

129. Iudicare debet, utrum pro poenitente confessio generalis sit necessaria, vel utilis, aut nociva. In confessione generali adjuvet poenitentem, qui hoc adjumento sincerior erit, atque confessio brevior. Interroget autem caste, considerans seipsum, ne et ipse tentetur; interroget sufficienter, sed prudenter. Judicare debet, utrum poenitens sit sufficienter instructus pro Sacramento. Si aliquid desit, ipse illum brevibus verbis instruat, ut hic et nunc scienter credat, speret, amet et doleat. Non eum remittat, donec instruatur; secus enim offensus abibit, magis peccabit, et forsitan non redibit.

130. Missionarius in confessionibus excipiendis non procedat lentius, v. g. per semihoram cum aliqua devotula tempus terendo; sed etiam non citius (possibili tamen brevitate): nam poenitens jus habet ad justam temporis mensuram, sicut ancilla ad justum pondus in officina. De poenitente praesente, et non de absente, DEO reddemus rationem. Qui praetextu multitudinis, vel ex respectu humano, tantum audiunt, non monent, non juvant, non interrogant, sed expleta criminum enumeratione, illico absolvunt, gravioris criminis rei sunt, ait Benedictus XIV in sua encyclica, qua jubilaeum annuntiat.

131. Diligenter evitet omnem laxismum ac pariter rigorismum; potius sapienter medium teneat. Caveat quidem a laxismo, quia secus ad illum spectant verba S. Scripturae (2): « Curabant contritionem filiae populi mei cum « ignominia, dicentes: pax, pax, et non erat « pax ». A rigorismo vero pariter, quia est contra Christi voluntatem et exemplum, et quia secus poenitentes desperatione afficiuntur.

(1) Prov. III, 13, 15.
(2) Prov. XXIV, 3.
(3) Ezech. XXXIII, 12.
(4) S. Hieron. epist. ad Nepot.

(1) S. Carol. Borrom. Instruct. de Sacram. poenitent.
(2) Jerem. VI, 14.

Confessarii rigoristae « alligant onera gravia et « importabilia, et imponunt in humeros homi« num; digito autem suo nolunt ea movere (1) ». Venia quidem non datur nisi peccatori vere dolenti et emendationem proponenti ; sed numquid voluntas seria cum speciali Dei gratia et zelo confessarii non potest sine mora operari ? Certe bonus latro, qui antea pessimus erat, illico conversus veniam adeptus est. Potest quidem haec conversio miraculum gratiae vocari ; sed quis probabit, hoc miraculum *semel* tantum locum habuisse ? Multi confessarii hoc miraculum saepius viderunt.

132. Quidam confessarii, quando consuetudinarium vel recidivum in materia gravi in confessione auscultant, statim timent, eumque remittunt, donec corrigatur. Sed quaestio est, utrum hoc modo conscientiae suae et poenitentis sufficienter consulant. Sufficit, quod confessarius habeat prudentem probabilitatem de dispositione poenitentis, et non obstet ex alia parte prudens suspicio indispositionis. Non enim potest formari judicium probabile dispositionis ab eo, qui prudenter suspicatur contrarium. Credendum est testimonio poenitentis de sua dispositione serio testantis ; modo nihil clare impediat huic testimonio credere. Prudens confessarius testimonium poenitentis non caece accipit, nec credit recidivo, si eodem modo cecidit, nullo adhibito conatu, et nullo impleto ex mediis praescriptis. Difficile hoc dubium minuetur multum, si confessarii secundum monitum Leonis XII in sua Bulla jubilaei expressum studeant ex imparatis ad absolutionem, duplicato zelo, paratos facere. Si tamen adhuc aliquale dubium remaneat, magis inclinandum est in misericordiam, quia Sacramenta propter homines. Huic opinioni suffragari videtur S. Hieronymus, qui scribit (2) : « Si dispensator « iniquae mammonae domini voce laudatur, « quanto magis CHRISTUS laudabit discipulos « suos, si in eos qui credituri sibi sunt, mi« sericordes fuerint »? Hoc adhuc magis valet pro Missione, in qua poenitentes plerumque melius sunt dispositi. Si autem poenitentes absolute gratiae resistant, v. g. omnino nolint occasionem proximam relinquere, vel injustitiam commissam reparare, licet possint ; tunc eos remittat, sed bene instructos, convictos et persuasos. Difficilioris utique ac longioris operis est aliquem remittere quam absolvere.

(1) Matth. XXIII, 4.
(2) Epist. 151. ad Algasiam.

133. Acceptionem personarum non habeat, divites pauperibus, feminas viris praeferendo ; sed solas animas aspiciat, quae ejusdem semper pretii sunt et dignitatis. Dicit S. Scriptura (1) : « Si autem personas accipitis, pec« catum operamini ».

134. Confessarius semper, praesertim vero in sacris Missionibus, sit poenitentibus optimus animae medicus ; ac medicum corporis imitetur, qui prius bene morbum examinat, deinde aptam medicinam praescribit. Qui communes easdem omnibus instructiones facit, similis est medico, qui omnes aegrotos eadem medicina et omnia vulnera eodem emplastro vult sanare. Poenitentia, quam injungit confessarius, *conveniens* debet esse atque *salutaris*. Conveniens quidem quodammodo peccatis a poenitente commissis atque etiam viribus ipsius poenitentis ; salutaris autem ad relapsus praecavendos. Graviores et diuturniores poenitentias injungentes saepe errant, quia poenitentes eas saepe non adimplent, vel hac ratione a confessione retrahuntur. Melius est injungere poenitentiam possibilem, et addere, ut offerat poenitens omnes suos labores, cruces etc. in satisfactionem suorum peccatorum. Praesertim in Missionibus minor potest dari poenitentia, quia poenitentiam jam agunt venientes ad conciones et confessionem, et quia plerumque major est eorum contritio.

135. Confessarii paterna bonitate cum poenitentibus agant ac saepius monitum S. Francisci Salesii recogitent : « Mementote a « miseris poenitentibus *patrum* nomen com« pellari vos, quod reipsa animum erga eos « habere debeatis paternum, recipiendo eos « summa cum charitate, sufferendo patienter « eorum rusticitatem, ignorantiam, imbecillita« tem, tarditatem aliasque imperfectiones (2) ». Debet de confessario dici posse, quod de Moyse (3) : « Erat Moyses vir mitissimus super « omnes homines qui morabantur in terra ». Propterea observare studeant, quae scribit S.

(1) Jacob. II, 9.
(2) S. Franc. Sal., Instruct. sacerd.
(3) Numer. XII, 3.

Paulus (1): « Si praeoccupatus fuerit homo in « aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hu- « jusmodi instruite in spiritu lenitatis ».

136. Non desunt quidem nostris temporibus verbi Dei praedicatores, ac nulla fortasse reperienda est urbs, in qua non adsint eloquentes concionatores; ast quot in tanta oratorum copia et eloquentiae fastu reperiendi sunt concionatores recta sapientes, quique tot fructus retulerint, quot S. Leonardus a Portu Mauritio, P. Franciscus a Verulis, Joseph Portella aliique Missionarii nostri, vel jam defuncti, vel vitam adhuc agentes? Si concionatores praedicarent Missionariorum more et sermone uterentur claro, facili, obvio, familiari; et si insimul cum veritatibus in praedicatione propositis ipsorum vita concordaret: tunc absque dubio ipsi pariter uberrimos fructus in suo ministerio operarentur.

137. Ante Religiosorum suppressionem in multis Ordinis nostri Provinciis *Collegia Missionum* erant erecta, in quibus illi Patres insimul sub stricta Regulae nostrae observantia et omnium virtutum exercitio vivebant, qui pro Missionibus indigenis a Provincia respectiva erant destinati. Hujusmodi Collegium habemus adhuc in loco *Incontro* in Hetruria. Utinam ejusmodi Collegia in multis locis denuo possent reviviscere! Pro istis Collegiis Rmus P. Minister Generalis Bernardinus a Montefranco p. m. peculiaria Statuta elaborari curavit, approbavit et observanda mandavit (2). Ex dictis Statutis Patres nostri possunt intelligere, quomodo secundum mentem Ordinis nostri illi vivere et studiis incumbere debent, qui pro sacris Missionibus deputantur.

138. Rogemus Dominum, ut in Ordine nostro multos Patres ad hoc salutare exercitium idoneos excitet ad augendam gloriam Dei et ad salutem animarum! Ipsos autem Fratres nostros rogamus, ut per diligens studium, per sanctae orationis atque virtutum exercitium ac per puram S. Regulae observantiam pro hoc sacro munere dignos et aptos se reddere studeant.

(Continuabitur).

(1) Galat. VI, 1.

(2) Statuta Generalia servanda ab alumnis Ordinis Minorum in Collegiis Missionum indigenarum, recognita et approbata a Definitorii Generalis Patribus, atque excusa et evulgata jussu Rmi P. Bernardini a Montefranco, Ministri Generalis, Visitatoris et Reformatoris Apostolici. Romae, ex typographia Tiberina, 1858.

CAPITULA PROVINCIALIA

anno 1887 celebrata.

XXV.

Collegium Apostolicum S. Mariae Angelorum civitatis Taricae.

In Collegio Apostolico S. Mariae Angelorum civitatis Taricae in Bolivia die 22 Novembris, praesidente A. R. P. Alexandro Maria Corrado, Commissario Generali, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

Guardianus Collegii

R. P. Dionysius Guerrini.

Discreti Collegii

A. R. P. Zephyrinus Muzzani.
R. P. Nicolaus Maria Sesti.
R. P. Bonaventura Lolli.
R. P. Gervasius Costa.

—

Anno 1888 celebrata.

I.

Recoll. Custodia S. Elisabeth Thuringiae.

A Rmo P. Ministro Generali ejusque Definitorio die 12 Januarii electi sunt:

Custos Gubernii

A. R. P. Damasus Rüsing.

Discreti Custodiae

A. V. P. Augustinus Moeller.
A. V. P. Gregorius Schlitt.
A. V. P. Didymus Matern.
A. V. P. Dionysius Schuler.

III.
MISSIONES

EX REPUBLICA BOLIVIANA.

STATUS

Brevis Missionum Collegii Taricae (1).

Missiones.	8
Indorum tribus.	3

(1) Cfr. relationem in ultimo fasciculo editam.

Numerus animarum	8,357
Neophytorum	2,159
Catechumenorum	1,178
Infidelium	5,020
Pueri in Scholis	709
Puellae	679
Patres Conversores	14
Magistrae puellarum	8

Spiritualis administratio neophytorum infra triennium mei gubernii.

Baptismata collata	Adultis. .	234	1,214
	Parvulis .	980	
Confirmationes.		274	
Confessiones et Communiones	in Paschate	2,912	
		2,235	
Devotionis		682	
Matrimonia benedicta . . .		109	
Sepultura ecclesiatica donati	Adulti .	82	487
	Parvuli.	405	

Administratio Spiritualis Christianorum vulgo Mestizos.

Numerus animarum		2,838	
Baptizati parvuli		359	
Confirmati		60	
Confessi		1,505	
Communione paschali refecti .		1,385	
Infra annum.		1,301	
Sepulturae ritu ecclesiastico dati	Adulti . .	167	296
	Parvuli . .	129	
Pueri in Scholis	a nobis inde-pendentes.	72	
Puellae		33	
Magistri eorumdem		4	
Matrimonia celebrata. . . .		96	

FR. SEBASTIANUS PIFFERI
Praefectus.

—

DESCRIPTIO

MISSIONUM AD COLLEGIUM SALTENSE PERTINENTIUM IN REPUBLICA ARGENTINA.

—

Emo. ac Rmo. DD. JOANNI CARD. SIMEONI
S. C. de Prop. Fide Praefecto.

Eme ac Rme Domine,

Cum praeter alia ministerii sacerdotalis munia duplex sit scopus praecipuus Collegiorum de Prop. Fide in America existentium, Missiones scilicet tum inter fideles tum inter infideles habere, hinc est quod descriptio hujus Missionis a Praefecto hujus Collegii Saltensis anno superiori juxta quaestiones ab ista S. C. propositas confecta, et Em. Tuae exhibita, minus accurata et valde deficiens deprehensa est. Quapropter litteris inhaerendo ab ista S. C. sub die 17 Junii currentis anni repetitis, hanc novam descriptionem summatim conficere et Em. Tuae mittere curavi, ut opera et labores, ab hujus Collegii Missionariis in obeundo apostolico ministerio ad majorem DEI gloriam et animarum salutem exantlati, cognoscantur.

Descriptio chorographica et civilis hujus Provinciae.

Hoc Collegium erectum fuit anno 1856 ab Adm. R. P. Petro M. Pellicci auctoritate istius S. C. ac voto Rmi P. Venantii a Celano Ministri Generalis Ordinis et ad instantiam Potestatis Civilis et Ecclesiasticae hujus Dioecesis, Provinciae et Nationis.

Salta cum suo territorio, quod plus minusve se extendit ad 7000 leucarum quadratarum, una est ex 14 Provinciis confoederatis, quae efformant Rempublicam Argentinam in America Meridionali, cujus Metropolis est Bonusaer, seu Civitas Bonaerensis *(Buenos-Ayres)*; in qua residet Gubernium generale Nationis, sed unaquaeque Provincia habet Gubernium proprium et independens circa omnia jura politica et civilia non delegata per Constitutionem Gubernio generali.

Salta sita est ad Aquilonem Metropolis 7500 Kilometros et amplius juxta gradum 24.° 45.^{1}, latitudinis australis et 6^{87}. circiter

longitudinis occidentalis a meridiano Parisiensi. Confinia habet ad Aquilonem (seu Æquinoctium) et Occidentem cum Provincia de *Jujui* (quae est ultima hujus Reipublicae ad Aquilonem) et cum Republica de Bolivia; ad Austrum cum Provinciis Tucumaniae (de Tucuman ac S. Iacobi *del Estèro (Santiago del Estèro)* et ad Orientem cum territorio Ciachensi *(del Ciaco)* ubi incolunt vel potius vagantur nonnullae tribus infidelium. Populus Saltensis ad 25 millia civium ascendit et totius Provinciae habitatores plus minusve ad 110,000. Omnes sunt catholici praeter paucos advenas protestantes: partim descendunt ab hispanis, partim ab indigenis, partim sunt mixti: immigratio Europea quamvis comparative ad Provincias littorales sit exigua, affluere et augeri incipit.

Descriptio Ecclesiastica.

Salta est Sedes Episcopalis, cujus juridictio extenditur ad quatuor alias Provincias. Dividitur in duas paroecias; territorium vero Provinciae in 20 paroecias partitum est. Parvus est numerus Cleri saecularis; nam in Civitate adsunt tantummodo 22 Sacerdotes, id est 8 Canonici incluso Vicario Capitulari, duo parochi, et alii 12. Sed horum aliqui sunt senes, alii infirmae valetudinis, alii in Curia occupati, alii in Seminario. Ex his unus tantummodo est europaeus. In parochiis ruralibus habentur 19 Sacerdotes, quinque europaei et reliqui indigenae; sed cum in tribus parochiis inveniantur ad tempus duo Sacerdotes, existunt quatuor parochiae, quae commendatae sunt parocho viciniori.

Ecclesiae in hac Civitate sunt quinque et sex Sacella sive Oratoria publica: in parochiis vero ruralibus, praeter Ecclesiam parochialem inveniuntur passim alia Oratoria publica ad commoditatem Christifidelium, quo aliquando se transfert parochus sive alius Sacerdos de ejus licentia ad instruendos et confirmandos in fide circumvicinos et Sacramenta illis ministranda.

In hac Civitate ab anno 1875 existit Collegium Seminarium, unicum in tota Dioecesi, cum 50 alumnis plus vel minus, qui vacant studiis grammaticae (hispanicae, latinae, gallicae), historiae sacrae et profanae; geographiae, matheseos, physices, chimicae, historiae naturalis et astronomiae; rethoricae insuper, philosophiae, theologiae, juris canonici, juris publici ecclesiastici et cantus. Habetur etiam in Civitate Collegium Nationale pro pueris et Schola Normalis pro puellis cum 100 circiter alumnis ex unoquoque sexu; et scholae elementares municipales, quae in Civitate sunt pro pueris sex, pro puellis quinque et mixtae novem, in quibus numerus puerorum 1000 excedit, et puellarum ad 1000 accedit. In districtibus vero vel parochiis ruralibus 14 pro pueris, 9 pro puellis, et 32 mixtae, in quibus instructionem recipiunt pueri a 1000 ad 1500, puellae ab 800 ad 1000; sed instructio et educatio christiana valde desideratur in his, licet catechismus sit obligatorius in scholis elementaribus.

Ad haec habentur in Civitate alia Instituta educationis, pro puellis scilicet Collegium *a Iesu* dictum, in quo optimam educationem recipiunt 70 circiter internae et totidem externae a 15 Sororibus, quae vulgo appellantur « *Esclavas del Corazon de Iesus* », Neo-Cordubae institutae; Collegium quod regitur a Sororibus Italis B. M. V. ab Horto nuncupatis N° 10, cum 60 internis et 100 externis plus vel minus; et Collegium pro orphanis cum 25 internis et 60 externis, quod moderantur 11 Sorores Perpetuae adorationis, vulgo « *Sacramentarias* » appellatae. A quatuor annis habentur quoque duae scholae, quae a Tertiariis Franciscalibus reguntur, una pro pueris ab 80 ad 100 et altera pro puellis a 150 ad 200. Haec secunda anno praesenti erecta est in Collegium, quod regitur a 10 Sororibus Tertiariis in Communitate viventibus, a R. P. Quirico Porreca Missionario Apostolico Neo-Cordubae institutis sub Regula Tertii Ordinis Regularis a LEONE X approbata.

Existit insuper Hospitale pro viris et mulieribus, quorum curam gerunt sex Sorores Italae ab *Horto* dictae, et Monasterium Ordinis Carmeli cum 21 Monialibus.

Descriptio Missionis inter fideles.

Haec est vinea, in qua a triginta annis laborant hujus Collegii Missionarii in audiendis confessionibus Monialium, Sororum et alumnorum Seminarii atque Collegiorum, nec

non utriusque sexus fidelium, in Ecclesia et in eorum domibus die noctuque in sana et aegra valetudine; in exercitiis spiritualibus dandis tum Clero, tum Monialibus et Sororibus, tum populo fideli; in praedicatione divini verbi, sive in nostra, sive in Cathedrali Ecclesia, sive in aliis; in Missionibus dandis fere in omnibus parochiis hujus Provinciae, et in aliquibus, sicut etiam in hac Civitate, bis vel ter; in supplendo defectum vel absentiam parochorum tum in Civitate tum in parochiis ruralibus etiam dissitis; et in adjuvandis parochis quoties postulant, praesertim tempore Quadragesimae et aliarum festivitatum. In nostra Ecclesia talis fit concursus poenitentium, ut Missionarii fere omnes in Collegio degentes, quotidie per plures horas sedem confessionalem occupare debeant, et communiones annuales excedant 50,000. Pro Tertio Ordine fovendo, cujus sodales sunt N° 500 et amplius, unus ex Missionariis fungit officio Rectoris; alius est Capellanus Sodalitatis Chordigerorum, quae numerat 4000 circiter socios, unus est Cappellanus Collegii *ab Horto,* alter Hospitalis, alter Collegii Tertiariarum.

Descriptio Missionis inter infideles.

Praeter hanc vineam hujus Collegii Missionariis a DOMINO paratam, alium agrum coluerunt penitus incultum et valde sterilem; Missiones scilicet inter infideles in territorio Ciachensi *(del Ciaco)*. Hoc territorium ad Orientem hujus Provinciae situm sese extendit a gradu 19° usque ad 29° latitudinis Australis, et a 60° usque ad 65 longitudinis Occidentalis a meridiano Parisiensi. Haec immensa planities nemoribus plena partim pertinet ad Rempublicam de Bolivia et partim ad Argentinam. Tria flumina praeterfluunt per eam, vel potius sine lege vagantur; scilicet Salsum *(Salado)* ad Austro-occasum, Pilcomarium *(Pilcomayo)* ad Aquilonem (vel potius ad Æquinoctium), quod dividit territorium Bolivianum ab Argentino, et Rubrum *(Bermeyo)* medium inter utrumque. Juxta horum fluminum ripas vitam ducunt nonnullae tribus infidelium sine spe, sine lege, sine DEO in hoc mundo, quaeque piscibus, ferina carne et fructibus silvestribus aluntur.

Prope fluvium Rubrum, quod distat 120 leucis ab hoc Collegio, ejusdem Missionarii quatuor pagos sive Reductiones fundarunt ex Tribu quae vocatur *Mataguaya*, quaeque imbecillior atque obtusior ceteris est. Primam Reductionem fundavit in loco *« Esquina Grande »* nuncupato super ripam dexteram fluminis P. Joseph Puigdengolas hispanus anno 1856 cum 300 circiter indigenis; et post erectionem hujus Collegii sese illi incorporavit. Haec Reductio finem habuit anno 1860, quia Gubernium hujus Provinciae terras illas aliis adjudicavit, et Missionarius a barbaris occisus est, dum novem Christianos captivos redimendi causa ad illorum terras transierat. Secunda Reductio fundata est anno 1858 ad sinistrum latus ejusdem fluminis cum 800 circiter indigenis, cui nomen ab Immaculata Conceptione inditum est. Haec fuit Reductio principalis, in qua ultimis annis habebatur schola pro puellis etiam Christianorum filiabus, vel potius Collegium, quia istae erant internae. Tertia initium habuit 1862 in loco « *Conchas* » nuncupato S. Francisco Solano dicata, 125 Kilometris ad Austro-Orientem Conceptionis cum 400 circiter indigenis; quae anno 1864 ferro et igne vastata et destructa est a Christianis finitimis, qui inique usurparunt agros Reductionis, et Gubernium in pacifica possessione illos reliquit. Quarta Reductio incepta est anno 1868. Non longe a Conceptione sub invocatione S. Antonii Patavini cum 350 indigenis plus minusve. Sed horum pars major ad Reductiones Conceptionis et S. Antonii, quae ad meliora in dies dirigebantur, perierunt anno 1875 ob alluvionem fluminis, cujus aquae alveum deserentes illa submerserunt, omniaque devastarunt. Et cum Missionarii alias terras ad Reductiones fundandas illis in locis obtinere non potuissent, et in agris quos occupabant non esset locus ab inundationibus liber, coacti sunt territorium Ciachense *(del Ciaco)* deserere, et alios agros emere super ripam sinistram fluminis Salsi *(Salado)*, ubi anno 1880 fundarunt Reductionem de *Miraflores* cum paucis Indis Reductionum eversarum, qui sponte illuc se transferre voluerunt; hujus novae fundationis bono et incremento dant operam duo vel tres Missionarii, et jam in ea habetur schola pro 30 circiter pueris et puellis.

Igitur Missionarii hujus Collegii ad meliorem vitae rationem initiarunt plusquam 1600

Indos sylvestres ac barbaros; infantes et adulti baptizati in Reductionibus sunt 1000 et amplius.

Insuper Missionarii in territorio Ciachensi opem ferebant in spiritualibus indigentiis 2000 Christicolis illa per loca sparsis ad 15 aut 20 leucas et amplius, quod in Reductione de *Miraflores* facere pergunt.

Varius fuit numerus Missionariorum hujus Collegii: in praesentiarum sunt 17, omnes Itali praeter unum indigenam, 4 Clerici Itali professi votorum simplicium et unus indigena; et 10 Laici Itali. Stationes residentiales fuerunt et sunt Collegium in Civitate, et Reductiones Indorum: in parochiis vero tantum ad tempus resident.

Haec est, Rme Domine, descriptio Missionis hujus Collegii rudi quidem calamo, sed diligentia qua potui maxima, exarata.

Da veniam et accipe voluntatem qua me profiteor

Em. Tuae Rmae.

Dat. Saltae, die 30 Octobris 1887.

Humilis in Dno Servus
Fr. Salvator Mazza.
Commissarius Generalis.

IV.

BIBLIOGRAPHIA

—

Calasanctius (P.) a Llevaneras, Min. Cap. — Compendium Theologiae Moralis, B. Mariae V. dicatum, sive summula continens omnes Theologiae Moralis quaestiones praecipue practicas. Opus omnibus animarum pastoribus, examinandis, etc. valde inserviens. Auctore Fr. Josepho Calasanctio a Llevaneras, O. Min. S. Francisci Cap., S. R. et U. I. Consultor. Editio 4.ª aucta. — Cum Rmi P. Generalis facultate et Ordinarii licentia. — Mediolani, ex typis Seraph. Ghezzi, Via Manzoni, Vic. Facchini, 6. — 1887. — Pretium: Pro Italia L. 2, 50. — Extra L. 3. — Pag. 481.

P. Ceslaus Bogdalski. — Redactor folii pro III Ord. S. Franc. dicti « Dzwonek » scripsit « Kalwarya Zebrzydowska » seu Memoria loci thaumaturgi Calvariae » Cracoviae 1887.

P. Leonard Maria Wörnhart, Min. Ref. — Das seraphische Kirchenjahr oder tägliche Betrachtungen zum Gebrauche für alle drei Orden des heiligen Vaters Franziskus. Bearbeitet von P. Fr. Leonard Maria Wörnhart, O. S. F., der heiligen Theologie Lector (Prov. Tirol. S. Leopoldi). Zwei Bände. Innsbruck, Druck und Verlag von Felician Rauch. (pag. 718 et 723).

Léopold de Chérancé, Min. Cap. — Sainte Marguerite de Cortone (1247-1297), par le R. P. Léopold de Chérancé, de l'Ordre des Frères Mineurs Capucins. Paris E. Plon, Nourrit et C. Imprimeurs-Editeurs Rue Garancière, 10. Pag. XVII-330. In-16. (L. 15).

P. Stephanus Podworski observ. Provinciae Galicianae Concionator, edidit lingua polonica librum precatorium inscriptum : « Drogi Kalwaryskie ». Cracoviae 1887.

P. Teofilo Domenichelli, Min. Obs. — Il Beato Giovanni Forest della Osservanza di S. Francesco, Martire in Inghilterra, per il Padre Teofilo Domenichelli, Min. Oss., Prato, tipog. Giachetti, 1887. (Pag. 178).

Vita del B. Egidio Maria di S. Giuseppe laico professo Alcantarino della Provincia di Lecce, morto nel Convento di S. Pasquale a Chiaia in Napoli, stampata a cura della Postulazione. Roma, Tipografia degli Artigianelli Via Monserrato N. 149. — 1887. In-16. Pag. 228.

Adest etiam alia vita fusior quae pariter invenitur apud Patrem Postulatorem.

P. Venceslaus Batinić, Observ. Provinc. Bosnae Argentinae. — Djelovanje Franjevaca u Bosni i Hercegovini, svezak III. U Zagrebu, 1887. « Id est » De laboribus Franciscanorum in Bosna et Hercegovina, tomus III. Zagrabiae. Hoc tomo tandem diu desideratum opus « De laboribus » Fratrum nostrorum in iis partibus completur. Ibidem enarrantur historiae seraphicae ab anno 1235 usque ad ann. 1835.

V.

NECROLOGIA

—

Adm. Rev. P. Franciscus a Torciliano, quem a nobis, heu miseris! abstulit Deus justus et misericors, natus fuit Torciliani prope

Camajorem ex honestis parentibus anno 1818. A natura sortitus animam bonam, post studia literarum (quae doctus fuit Lucae a Canonicis Regularibus Matris Dei) et Philosophiae, cui operam dedit in Seminario Sancti Michaelis pariter Lucae Professore P. N. Sandrini ex familia Observantium, qua Novitius Clericus habitum sumpsit S. Francisci in Reformata Custodia Lucensi die 1 Junii 1837. Probationis anno expleto professionem solemnem emisit anno sequenti die 19 Junii 1838. Ex quo tempore studia, quae in Religione Franciscana peragi solent, incepit cum alacritate laudanda perfectioneque mentis et cordis sui, ut postea eventus plene id probavit. Sacerdotio initiatus die 5 Junii 1841, et studiorum curriculo confecto, cum fructu vere nota digno, praedicationis verbi Dei onus suscepit, cui Philosophiae magisterium adjunxit. Quo tempore obedientia compulsus, qua Curatus Paroeciam nostram Sancti Antonii Patavini Viaregii cum pietate, animarumque zelo per annos circiter quatuor spiritualiter administravit. Sed Deus ad alia illum vocabat. Quare Paroecia per renuntiationem dimissa, et officio Lectoris Theologi cum experimento suscepto, primum studentes Custodiae Lucensis sacram Facultatem docuit, deinde in Provincia Thusciae admissus, per multos annos rei Theologicae juvenes Religiosos cum magisterio doctiori et efficaciori capaciores fecit. Toto tempore illo, et pene usque ad ultimos menses vitae suae, praedicationem evangelicam exercuit et permultos semper aedificavit, qualisque fuerit scientia hoc in officio amabilis Patris Francisci, semper in ore erit illorum et plurimarum illustrium Civitatum totius Italiae nostrae, eloquentia fortiori ac efficaciori aedificatarum. Id meruit ei Praedicatoris Emeriti honorificum titulum. E Thuscia reversus ad suos, dicta officia semper exercens, per septem annos Custodis Provincialis munus, ad quod canonice assumptus fuit, prudenter et fortiter exercuit. Multa tunc fecit et pertulit; sed Custodia sua, ut ipse dicebat, revixit et floruit. Postremo ad Cathedram Scientiae Morum Lucam accitus; hanc Scientiam per annos decem cum plausu universali docuit, minime avarus scientiae suae, omnes adjuvit sapientibus consiliis, ita ut bonum nomen ejus in omnium cordibus fixum maneat. Tandem laboribus oppressus mense Majo sensus malae valetudinis experiri coepit, quibus augescentibus, omnes Fratres suae Custodiae, sicut amici et noti ejus, timores angustiosos super ejus vitam ex tunc habuerunt, et quod ingratissimum praevidebant, fataliter accidit. Die enim 8 Decembris anni 1887 cum videbatur melioris valetudinis signa inspirare, morbo apoplectico correptus supremum diem obiit.

R. I. P.

A. R. P. Paschalis a Forigio, Lector Jubilatus, ex-Minister Provincialis et Examinator Prosynodalis Archidioecesis Neopolitanae.

Piis parentibus notus in Insula Ischae die 25 Iulii 1825, religioseque educatus, in juvenili aetate habitum Seraphicum petiit apud Fratres Minores Obs. Provinciae Neapolis. Expleto tyrocinio, et solemni emissa professione, Sacerdotio initiatus, superato concursu et Superiorum auctoritate primum philosophiam, dein theologiam docuit in Conventibus Aversae, Surrenti et Sanctae Mariae Novae Neapolis. In his curis non destitit a divina praedicatione, et verbum Dei cum simplicitate annuntiavit. Cum esset animo mitis et prudens, anno 1862, electus fuit Guardianus Valetudinarii novi Conventus Sanctae Mariae Novae, quod munus tam bene explevit, ut sola mors, heu quam immatura et repentina! rapere potuit.

Suppresso a Gubernio Valetudinario obtinuit, ut ipse et Fratres aegróti ad aliud transferri possent in Conventu S. Petri ad Aram. Postea officium Ministri Provincialis gessit; fecit quod potuit, et elapso triennio, per aliud confirmatus fuit.

Fratres amore ejus mortem luxerunt, quia cum esset sanus et plenus vita, apoplexia correptus decessit die 19 Decembris 1887.

R. I. P.

In Conventu Sinj, Dalmatiae, Observantis Provinciae Sanctissimi Redemptoris, in vigilia nativitatis Domini piissimam animam suam creatori reddidit P. Antonius Zorica, Lector jubilatus et ex-Minister provincialis.

Is primam lucem aspexit in pago Rupe, prope Scardonam sito, die 28 Octobris 1811 scholis inferioribus in Conventu Visovac absolutis, Theologiae operam navabat Viennae penes universitatem.

Inde in Provinciam reversus, cum esset

pietate distinctus atque scientiis rite informatus, majorum jussu diversis functus est officiis, uti: lectoris, praedicatoris, guardiani, parochi etc. Et quum in omnibus his officiis singularis quaedam, et quasi illi unico propria, agendi dexteritas, in omnes infucata charitas, et communis boni promovendi praecipuus manifestaretur zelus, factum, ut majorum in Provincia consensu, omnium vero, quotquot erant fratres, voto exoptatus, in Ministrum eligeretur. Ultimis annis pietatis exercitiis unice studens ad mortem se parabat, quam, ut supra Sacramentis munitus obiit.

Conventus Sinj exaedificatus, gymnasium et seminarium ejus civitatis actu frequens et florens, Fratres item ejus piae vitae exemplo instructi, populus vero fidelis in fide per eum confirmatus, in tribulationibus consolatus et in christiana civilitate perquam adiutus ejus memoriam in perpetuum recolent.

R. I. P.

A. V. P. Antonius Pommer, natus die 6 Julii 1825 in loco Delbrück in Guestphalia, Ordinem nostrum ingressus est in Provincia Saxoniae S. Crucis die 22 Junii 1846, et die 4 Septembris 1849 S. Presbyteratus ordine fuit initiatus. Propriae sanctificationi ac proximorum saluti magno zelo fuit intentus, ac S. Regulae nostrae observantiam verbo atque exemplo suo jugiter studuit promovere. Per 24 annos officio Lectoris magno studentium profectu functus est, primo litterarum humaniorum, deinde Theologiae moralis atque S. Scripturae. In Capitulo Provinciali anno 1885 celebrato Custos Provinciae fuit electus. Cessante Religiosorum suppressione in Borussia, anno 1887 cum Fratribus suis ex Hollandia, ubi per 12 annos commoratus fuerat, in patriam reversus, in Conventu Paderbornensi Lectoratus officium continuavit. Ibidem vero post paucorum dierum infirmitatem die 26 Novembris, in festo S. Leonardi a Portu Mauritio, quem singulari semper affectu coluit, placidissime in Domino obdormivit.

R. I. P.

Adm. R. P. Leo a Clary, ex-Definitor et ex-Minister Obs. Provinciae S. Ludovici in Gallia die 3 Januarii nuper elapsi pie in Domino obiit, aetatis suae 57 et religionis 27. Indefesso zelo ardens et Ordini Seraphico addictissimus, in propagando Tertio Ordine saeculari et Regulari jugiter adlaboravit. Periodici cuius titulus: *L' Année Franciscaine,* cui postea nomen aliud *Revue Franciscaine* impositum, auctor fuit et per multos annos Director. Nonnulla opera ejusdem supersunt. inter quas nominantur: « *la Séraphique Règle* » seu explicatio tertiae Regulae S. Francisci et praesertim « *l' Auréole séraphique* » sive Vita Sanctorum et Beatorum trium Ordinum S. P. Francisci, pluries edita, et in linguam Anglicam jam translata. Sit in pace locus meritissimi Patris.

R. I. P.

P. Bernardinus a Cryptis Castri, Lector Jubilatus, in hoc novo collegio S. Antonii Paduani, postquam omnibus morientium Sacramentis esset consolatus die 6ª Januarii circa horam quintam matutinam an. curr. inter pia oscula Crucifixi ac invocatis Jesu et Mariae sacris nominibus Domino suo et naturae placide concessit.

Is in vitam ingressus est die 22 Martii anni 1811. Optimus adolescens sacro habitu franciscano apud Patres Observantes in Provincia romana donatus, praeter cetera cordi in primis habuit sacrum orationis studium cui cetera temporalia servire debent, quod et ad ultimum usque spiritum impensissime colere non intermisit. Lectorem s. Theologiae agebat Parmae, unde ad suos reversus, primum Commissarii Visitatoris in Provincia, dein et in celeberrimo conventu Aracoelitano Romae, anno 1862, dum sub piae memoriae P. Bernardino a Montefranco Comitia Ordinis haberentur, Guardiani munere praeclare fungebatur. Post hoc a Reverendissimo Patre Ministro Generali nominatus Postulator Generalis pro Observantibus, qui promovendis Sanctorum causis studium daret. Quo in munere semper, ut in Deum et Sanctos pium decebat, curam maxime sollicitam gerebat. Erat is religiosus pius, et prisca fide romana conspicuus.

R. I. P.

Nihil obstat

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

BREVE

quo universis Episcopis usus birreti violacei conceditur.

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Praeclaro divinae gratiae munere effectum est, ut Sacerdotalis Nostrae consecrationis diem quinquagesimo anno redeuntem frequenti Episcoporum venerabilium Fratrum Nostrorum corona septi, innumero fidelium coetu stipati, quin et universo christiano orbe gestiente, celebrare potuerimus. Cui tantae celebritati fastigium impositum est maioribus coelitum honoribus, quos divino Spiritu adspirante suprema auctoritate Nostra nonnullis eximiae sanctitatis viris solemni ritu attribuimus. Quae quidem omnia non uno Nobis nomine grata et perjucunda fuerunt. Primo enim in spem adducimur fore ut fidelium precibus ac novensilium Sanctorum intercessione propitiatus Deus tot tantisque, quibus humana premitur societas, malis opportuna afferat remedia, optatamque mundo pacem ac tranquillitatem largiatur. Deinde vero ex eo laetamur quod innumerabiles observantiae et obsequii significationes, quibus Nos toto orbe fideles unanimi consensione prosecuti sunt, tum ostendunt et antiquam pietatem et Apostolicae Sedis amorem christianis pectoribus alte manere defixum, tum in summam Venerabilium Fratrum sacrorum Antistitum laudem cedunt, quorum opera ac virtute in populis sibi commendatis et concreditis in tanta temporum perversitate ita viget ac floret catholicae religionis cultus, et huic Sedi ac Romano Pontifici sunt animi addicti atque coniuncti. Nos ne fausti hujus adventus memoria intercidat, atque ut publicum aliquod benevolentiae Nostrae testimonium Venerabilibus exhibeamus, externo honoris insigni universos terrarum orbis Antistites exornandos censuimus. Quare hisce litteris Apostolica auctoritate Nostra perpetuum in modum concedimus, ut universi Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi birreto violacei coloris hoc futurisque temporibus uti libere et licite possint et valeant. Hoc ita illis proprium volumus, ut alius qui Episcopali dignitate non sit insignitus ejusmodi ornamento ullatenus potiri queat. Non obstantibus Constitutionibus et sanctionibus Apostolicis, ceterisque omnibus licet speciali et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die III Februarii MDCCCLXXXVIII Pontificatus Nostri anno decimo.

M. Card. Ledóchowski.

—

BREVE APOSTOLICUM

Quo in Missis, quae pro Religiosis nostri Ordinis celebrantur, conceditur Indultum altaris privilegiati. (1).

BENEDICTUS XIV.

ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut dilectus Filius modernus Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, per Constitutiones Ordinis hujusmodi auctoritate Apostolica confirmatas in cujuscumque Presbyteri, Clerici aut Laici, tam de Observantia supradicta, quam Reformatorum, Discalceatorum, Recollectorum, et Tertiariorum, ac Monialium monasteriorum Ordinis, sub jurisdictione, cura, regimine et gubernio dilecti etiam Filii Ministri Generalis hujusmodi existentium, die obitus vel aliis diebus, aliquas Missas unusquisque Frater dictorum Ordinis, et Reformationum in sacro Presbyteratus Ordine constitutus celebrare debeat: idemque Procurator Generalis Missas hujusmodi coelestium munerum, quorum dispensationem fidei Nostrae credidit Altissimus, elargitione a Nobis condecorari plurimum desideret:

Nos, piis ejusdem Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum DOMINO possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, et quandocumque Sacerdos aliquis Ordinis et Reformationum praedictarum Missam, vel in die obitus praefatorum presbyterorum ac clericorum et laicorum, necnon etiam Monialium Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia et Reformationum hujusmodi sub regimine et gubernio praefati Ministri Generalis existentium (1), ac quoad Moniales in earum respective ecclesiis Sacerdos quoque quilibet saecularis, vel alterius Ordinis regularis, vel in alio die *ad quodcumque altare ecclesiarum dictorum Ordinis* et Reformationum tam hactenus erectarum quam in posterum erigendarum pro illorum et illarum anima, quae DEO in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, celebrabit, Missa hujusmodi animae, pro qua celebrabitur perinde suffragetur ac si ad altare privilegiatum celebrata fuisset, auctoritate Apostolica, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Non obstante, quatenus opus sit, Nostrae et Cancellariae Apostolicae Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque; praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu et sigillo Procuratoris Generalis Ordinis praedicti pro tempore existentis munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 24 Martii 1741, Pontificatus Nostri anno primo.

(1) Huius indulti publicationem opportunam judicamus, quia forsitan non omnes Confratres illud cognoscunt.

(1) S. Congregatio Indulg, *re mature discussa* die 20 Aprilis 1711 declaravit: « Monasteria omnia Monialium, quae a cura et gubernio Fratrum suorum Ordinum sub immediatam jurisdictionem Episcoporum translata sunt, seu in posterum aliqua ratione transferri contigerit, non ideo privilegia et Indulgentias, quibus antea gaudebant, amisisse, seu amissura fore; sed eodem modo cunctis praedictis privilegiis et Indulgentiis uti et frui debere, ac si sub gubernio Fratrum suorum Ordinum actu existerent, quam declarationem Sanctissimus die 22 ejusdem mensis approbavit ».

—

RESCRIPTUM

quo Fratribus et Monialibus nostris indulgetur ut diversarum peregrinationum indulgentias domi lucrari valeant.

Beatissime Pater!

Frater CLEMENS DE PANORMO Minister Generalis Ord. Minorum, ad sacratissimorum pe-

dum Tuorum osculum humillime prostratus exponit, qualiter multi sui Ordinis Religiosi continuo instent, et afflictim petant facultatem visitandi Loca Sacra Romae, Laureti, Montis Varalli, Assisii et Alvernae. Quandoquidem vero tam frequentibus omnium et singulorum postulatis justis de causis Superior annuere non potest, et vel inde ob repetitas atque urgentes eorum preces, complura in Superiorem incommoda redundant, quibus, ut occurratur, desiderat Orator, peregrinationes ejusmodi per alia pia opera compensari, ut Fratres et in suis Conventibus permanere, et nihilominus sacrum Indulgentiarum thesaurum dictis sanctis Locis annexum lucrari possint. Supplicat summae Clementiae Sanctitatis Vestrae, petitque hanc gratiam, ut omnes Religiosi utriusque sexus, obedientiae sui Ordinis subiecti, dictas Indulgentias devota quadam peregrinatione, seu circuitu per Claustrum, et propriae Ecclesiae visitatione lucrari valeant, videlicet: — Loco visitationis septem Ecclesiarum Romae, circumeundo septies per Claustrum, et visitando in fine Sanctissimum Sacramentum ; — loco Lauretanae peregrinationis, trino circuitu per Claustrum, et una visitatione Altaris, aut Imaginis Beatae MARIAE Virginis. — Similiter terno circuitu per Claustrum, et visitatione Altaris Sanctissimi Crucifixi, loco Sacri Montis Varalli ; — et demum terno simili circuitu, et visitatione Altaris vel Imaginis S. P. Francisci, loco visitationis Sacrorum Locorum Assisii et Montis Alverni: orando semper in dicto circuitu, vel peregrinatione, et respective sacris visitationibus, pro exaltatione S. Matris Ecclesiae, extirpatione haeresum, conservatione Summi Pontificis, et pro pace ac concordia Principum christianorum. Quam gratiam etc.

Ex Audientia Sanctissimi,
die 28 Aprilis, anno 1758.

Sanctissimus attentis expositis, Ministri Generalis Oratoris precibus annuendo, omnibus et singulis Religiosis, et Viris atque Mulieribus Ord. Min. S. Francisci, eidem Ministro Generali subiectis, unumquodque ex intro scriptis piis exercitiis, devote peragentibus, *semel in anno,* eo nimirum respective die, quo praemissa Sacramentali confessione, sumptaque Sanctissima Eucharistia, et pias ad DEUM preces, ut in supplici Libello enuntiatur, fundendo, exercitium peregerint hujusmodi plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, in forma Ecclesiae consueta, benigne concessit.

Loco ✠ Sigilli.

I. C. BOSCHI, *Secretarius.*

II.

ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS

Incitamenta Seraphica.

—

DE DISCIPLINA REGULARI RESTITUENDA

CAPUT III.

DE STUDIO ET LABORE.

§ 7. *De Missionibus exteris.*

139. Sicut S. P. N. Franciscus sua praedicatione fideles populos ad poenitentiam, amorem DEI et virtutis exercitium excitare nunquam cessavit, ita etiam infidelium conversionem maximo semper zelo studuit procurare. Ob hanc causam ad Saracenos se contulit, et periculis omnibus spretis, JESU CHRISTI Evangelium illis praedicavit. Similiter Fratres suos, ad hoc idoneos, in varias mundi partes misit, ut infidelibus veram Religionem praedicarent eosque ad CHRISTI ovile feliciter perducerent. Intime enim persuasus erat, ipsum ejusque Fratres ad hoc opus a DEO esse vocatos. Quinque Ordinis Fratres in Marochium mittens, eis dicebat (1): « Filioli mei, DEUS mihi manda« vit, quod mittam vos ad terram Saraceno« rum, ad praedicandum et confitendum ejus « fidem et legem mahumeticam impugnan« dum. Ego ibo etiam per aliam partem ad « infideles, et Fratres alios mittam per uni« versum mundum. Idcirco, filii, paretis vos « ad implendum DOMINI voluntatem ». Sciscitanti Cardinali Hugolino, cur Fratres ad remotas terrae partes, in quibus tot incommoda fa-

(1) Opusc., Coll. 23.

mis, sitis et laboris pati deberent, misisset, S. Pater respondit (1): « Domine, vos puta« tis, quod solummodo propter istas provin« cias DOMINUS miserit Minores; sed dico vo« bis in veritate, quod DOMINUS eos elegerit « et miserit propter profectum et salutem ani« marum totius mundi. Et non solum in terris « fidelium, sed et infidelium et paganorum be« nigne recipientur, et multas animas DEO lu« crabuntur ».

140. Tanta semper fuit multitudo Minorum inter infideles ubique laborantium, ut etiam de eis dici possit (2): « In omnem terram « exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae « verba eorum ». Jam ab Ordinis initio nulla regio fuit hominibus pervia, quam Fratres Minores evangelizando non occuparent. Hoc factum noscitur ex publica historia, et etiam documentis Pontificum probari potest. Hoc testatur v. g. Alexander IV in sua Bulla, qua Fratribus Minoribus in omnes ferme infidelium terras se diffundentibus varia privilegia elargitur, quaeque his verbis incipit (3): « Dilectis « Filiis Fratribus de Ordine Minorum in ter« ris Saracenorum, Paganorum, Graecorum, « Bulgarorum, Cumanorum, Aethiopum, Sy« rorum, Yberorum, Alanorum, Gazarorum, « Gothorum, Zichorum, Ruthenorum, Jacobi« tarum, Nubianorum, Nestorianorum, Geor« gianorum, Armenorum, Indorum, Mosceli« norum, Tartarorum, Hungarorum Majoris « Hungariae, christianorum captivorum apud « Turcas, aliarumque infidelium nationum O« rientis, seu quarumcumque partium profici« scentium etc. ». Nostris temporibus idipsum testatus est Pius IX in Bulla canonizationis Sanctorum Martyrum Japonensium (4), in qua dicit: « Vero illo atque pio martyrii deside« rio ardentissime flagrans pauper ille Franci« scus, quem labentem ecclesiam Lateranensem « suis humeris Innocentius III praedecessor « noster sustinere conspexit, non modo ipse « Syriam nudis pedibus peragravit, et Maro« chii imperatoris benevolentiam summo ani« marum emolumento sibi comparavit, sed « fortissimos etiam atque impavidos Ordinis « sui alumnos ad Evangelium disseminandum « ubique terrarum misit. Quanto alacri animo « provinciam hanc Seraphici Patris filii susce« perint, ecclesiasticae historiae monumenta « testantur: ex quibus accepimus, nullam posse « inveniri regionem, quae primum detecta hos « evangelicae praedicationis ministros non ex« ceperit ».

(1) Opusc., prophet. 7.
(2) Psalm. XVIII, 5.
(3) Annal. Minor., tom. II. ad ann. 1258.
(4) Ann. 1862, VI Id. Jul.

141. Etiam nostris temporibus Fratres nostri Ordinis in Europa, Asia, Africa, America atque Australia in Missionibus sunt occupati et laborant ibi pro conversione tum infidelium, tum schismaticorum, tum haereticorum (1). Prout vero jam saepius diximus, praesens numerus Missionariorum minime sufficit pro Missionibus Ordini nostro concreditis. Propterea valde desideratur, ut hic numerus Missionariorum mox ita augeatur, ut non solum Missionibus, quas nunc habemus, debito modo provideri, sed etiam novae Missiones jam saepius nobis oblatae ad DEI gloriam et animarum salutem assumi possint ac valeant. Quod ut majori utilitate et efficacia obtineatur, de vocatione ad Missiones nunc breviter agendum censuimus.

142. Qui patriam suam relinquunt, plurimisque incommodis, periculis, aerumnis et persecutionibus se exponunt, ut inter infideles vel haereticos fidem catholicam praedicantes gloriam DEI et animarum salutem promoveant: hi absque dubio Apostolorum vitam perfectissime imitantur, et opus DEO acceptissimum, ac pro vita aeterna maxime meritorium suscipiunt. S. Franciscus hac in re Fratribus splendido suo exemplo praeivit, et ut praestantissimum hoc charitatis opus semper in Ordine suo debito modo suscipiatur, ab illis qui ad fidem catholicam propagandam inter Saracenos et alios infideles ire voluerint, tria requirit, scilicet: 1° ut sint divinitus vocati, seu divina inspiratione commoti ad Missionarii munus suscipiendum; 2° ut sint idonei, ac necessariis pro tanto munere qualitatibus instructi; et 3° ut petant et obtineant licentiam a suis Ministris Provincialibus, qui eam solummodo idoneis concedere possunt.

(1) Cfr. » Brevis conspectus praecipuarum Missionum Ordinis S. Francisci, auctore Fr. Bernardo Van Loo, Ord. Min. Recoll., Lovanii 1863 ».

143. Sapientissime sane S. Pater a Missionariis ante omnia exigit divinam inspirationem, seu vocationem, sine qua gratiae divinae ad tam arduum et periculosum munus exercendum necessariae expectari non possunt. Divina vero inspiratio, seu vocatio praecipue ex motivo dignoscitur, ex quo quis ad Missionarii munus suscipiendum se incitatum sentit, et quod nullum aliud esse debet, quam ardens desiderium, gloriam DEI et salutem animarum promovendi. Qui ergo ex levitate et inconstantia animi numquam cum suo statu contentus; vel ex curiositate, novas regiones novasque gentes videndi; vel ex ambitione, sibi nomen aliquod aut conspicuam dignitatem acquirendi; vel ex desiderio, jugum obedientiae excutiendi et disciplinam regularem fugiendi; vel ex aliis motivis non satis honestis ad Missionarii munus suscipiendum incitaretur: jam prima, et maxime necessaria conditione, ab ipsa Regula requisita, careret, et ideo ab immaturo suo consilio desistere deberet, ne propriam et aliorum salutem periculo exponeret.

144. Qui autem putat, se nonnisi ex optimo fine munus Missionarii desiderare, caute tamen procedat, et vocationem suam attente examinet juxta monitum S. Apostoli (1): « Probate spiritus si ex Deo sint ». Per fervidas ergo preces a DEO lumen imploret, per quod divinam inspirationem ab impulsibus naturae et a suggestionibus daemonis, qui haud raro in angelum lucis se transfigurat, recte secernere valeat. Insuper proprio judicio nullatenus confidat, sed intimos sensus confessario candide manifestet, ejusque judicium audiat.

145. Vult Pater Seraphicus, ut nonnisi idonei, seu necessariis qualitatibus instructi, ad Saracenos aut alios infideles mittantur. Ut vero Fratres ad tam arduum munus idonei reputentur, S. Bonaventura praecipue quatuor qualitates requirit; scilicet: 1° Sint *robusti corpore;* nam qui debiles et infirmi sunt, vel de sua salute corporali nimis anxios et sollicitos se ostendunt, et omnia sanitatis laedendae pericula reformidant, apti non sunt ad famem, sitim, frigus, aestum, itinera per aquas, glacies et nives aliasque Missionariorum molestias perferendas. 2° Sint *constantes in fide*, id est, tali circa veritates fidei scientia instructi, ut non solum ignorantes recte edocere, sed etiam aliter sentientes, et dogmata catholica impugnantes refellere possint; ac praeterea in animo tam firmam de fidei veritatibus persuasionem, et in corde talem erga catholicam Religionem affectionem habeant, ut pro hac etiam sanguinem fundere parati sint. 3° Sint *probati virtute*, id est, non solum nullum vitium morale, quo dominentur, in ipsis appareat, sed potius sint humiles, mansueti, sobrii, orationis exercitio dediti, charitate erga proximum ferventes; maxime autem opus est, ut sint probati virtute castitatis; nam, qui in hoc puncto fragiles sunt, nullatenus se plurimis, quae in Missionibus occurrere solent, periculis exponere possunt. 4° Sint *semper irreprehensibiliter conversati;* qui enim inter monasterii moenia laudabilem vitam non agunt, regularem vitam non observant, Superioribus non obediunt, aut alio modo reprehensibiles se ostendunt, idonei censendi non sunt pro Missionarii munere, in quo libertate, qua potiuntur, nimis facile in detrimentum animae suae, in scandalum aliorum et in Religionis dedecus abuti possunt.

146. Notandum tamen est, non pro omnibus Missionibus easdem qualitates requiri. Non apud omnes populos idem scientiarum apparatus, et eadem animi fortitudo in perferendis aerumnis, et contemnenda ipsa morte requiritur; ast reliquae qualitates, praesertim morales, ubique locorum necessariae sunt. Qui est bonus Religiosus et illa scientia instructus, qua in patria curam animarum cum fructu exercere valet, etiam in multis nostris Missionibus utiliter poterit laborare.

147. Praecipuae virtutes, quas nostri Missionarii exercere debent, seraphicus Pater noster quinque sanctis Fratribus, quos Marochium misit quique ibi martyrii coronam adepti sunt, exponebat dicens (1): « Charissimi filii, ut melius « DEI praeceptum possitis adimplere pro salute « animarum vestrarum, videatis, quod inter vos « sit pax et concordia, et nodus indissolubilis « charitatis. Fugite invidiam, quae principium « fuit nostrae perditionis. Sitis in tribulationi- « bus patientes, et in prosperis humiles, et sic « eritis in omni pugna victores. Imitatores

(1) I Joann. IV.

(1) Opusc. part. III colloq. 23.

« CHRISTI estote in paupertate, obedientia et « castitate. Dominus enim JESUS CHRISTUS pau« per natus est, pauper vixit, paupertatem do« cuit, et cum paupertate decessit. Et ut osten« deret se diligere castitatem, de Virgine nasci « voluit. Virgines milites Innocentes praemisit, « virginitatem consuluit et servavit, inter vir« gines ex hac vita migravit. Obedientiam « etiam a suo ortu tenuit usque ad mortem « crucis. Spes vestra tantum sit in DEO, qui « vos diriget et juvabit. Portetis vobiscum Re« gulam et Breviarium, ut divinum officium « perfectissime recitetis, et sitis majori vestro « Fratri Vitali omnes obedientes. Filii mei, « quamvis de vestra bona voluntate gaudeam, « cor meum tamen pro vestro recessu et se« paratione a me sentit quamdam amaritudi« nem amorosam; sed oportet quod DEI prae« ceptum praeferamus propriae voluntati. Rogo « vos quod ante oculos vestros semper habeatis « Dominicam passionem, quae vos roborabit, « et ad patiendum pro ipso fortius animabit ».

148. Qui ad Missionarii munus suscipiendum vere a DEO se vocatos putant, debent juxta Regulae nostrae praescriptum ad hoc perficiendum a suis Ministris Provincialibus licentiam petere. Hi vero obligantur, caute inquirere, an postulans necessariis ad tam arduum munus qualitatibus praeditus sit, necne; quia a Regula prohibentur aliis petitam licentiam concedere, quam illis, quos ad Missionarii munus idoneos cognoverint.

149. Contra suam conscientiam ille Minister Provincialis agit, qui eos Fratres, quos coram DEO idoneos cognovit, a Missionibus retinere vel retrahere conatur sine justa et rationabili causa. Parvus numerus Religiosorum Provinciae non debet avertere Praelatos ab opere salutari propagandae fidei; confidant potius Superiores divinae providentiae; potens est enim DEUS, qui in locum illorum, qui ex Provincia ad Missiones mittuntur, plures alios ad Ordinem et Provinciam vocare possit, ut experientia compertum est.

150. Ministri non possunt cogere per obedientiam nolentes ad munus Missionarii apud infideles; ipse S. Joannes Capistranus ita sensit, et dicit, « non esse tutum obligare renitentes cum tanto periculo corporis et animae ». — Aliter vero sentiendum est de Missionibus, quae in regionibus haereticorum aut schismaticorum habentur, et quarum Praefectus est ipse Minister Provincialis, qui ex sua Provincia illis idoneos Religiosos dare tenetur. Ad has Missiones Ministri Provinciales subditos suos vi obedientiae obligare possunt, quia Provinciae alumni per professionem jam quodammodo se obligant ad ejusdem Provinciae onera ferenda. In his Missionibus Minister Provincialis jurisdictionem in Missionarios retinet, dependenter tamen a S. Congregatione de Propaganda Fide. In Missionibus autem apud infideles Minister Provincialis nullam jurisdictionem habet in Missionarios e sua Provincia egressos.

151. Consideremus ergo saepius exemplum Salvatoris nostri, qui humani generis sortis misertus, dextram PATRIS sui coelestis relinquens, formam nostram assumere dignatus est, ut quaereret et salvum faceret quod perierat, quique pro animarum salute Sanguinem suum effundere non dubitavit. Consideremus etiam, quot sint nationes, ubi lux evangelica nondum resplenduit, quotque sint populi, qui adhuc in tenebris infidelitatis et in umbra mortis sedent, aut qui diro schismate aut haeretica lue jacent infecti.

152. JESUS CHRISTUS « videns turbas, mi« sertus est eis: quia erant vexati et jacentes, « sicut oves non habentes pastorem. Tunc di« cit discipulis suis: messis quidem multa, ope« rarii autem pauci. Rogate ergo Dominum « messis, ut mittat operarios in messem « suam » (1).

Haec Salvatoris verba repetere non cessat sancta mater Ecclesia, tot populorum miseram sortem deplorans, et undique quaerens operarios pro eorum conversione. Eadem verba etiam Ministri Generales, Vicarii quoque et Praefecti apostolici, omni tempore repetere consueverunt, invitantes et exhortantes Ordinis alumnos, ut hoc salutare opus pro viribus promovere studeant.

153. Quapropter, vos omnes, qui divina inspiratione ad Missionarii munus vocati estis, « levate oculos vestros et videte regiones, quia « albae sunt jam ad messem » (2). — « Ite et « vos in vineam meam » (3), vobis clamat

(1) Matth. IX, 36, 38.
(2) Joann. IV, 36.
(3) Matth. XX, 4.

SS. Salvator. — Qui autem ad tam excelsum ministerium destinati non sunt, aut debitis qualitatibus destituuntur, Dominum messis rogare non desistant, ut mittat operarios in messem suam; operarios scilicet hoc nomine dignos, seu viros vere apostolicos, qui sibi simul et doctrinae attendant, et per omnia irreprehensibiles se exhibeant, quique nullos labores nullaque pericula metuentes, seipsos impendant et superimpendant pro salute animarum.

(Continuabitur).

—

CAPITULA PROVINCIALIA

Anno 1888 celebrata.

II.

Ref. Provincia S. Bernardini in Aprutiis.

Die 1.ª Martii 1888 in congressu Definitorii Generalis nominati et electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Diomedes a Pescoconstantio confirmatus.

Custos Vocalis

A. R. P. Quintianus a S. Donato Lect. Em.

Definitores

R. P. Christophorus a Gallinario Lect. Theol.
R. P. Vincentius a S. Donato Lect. Artium.
R. P. Agapitus ab Agnone.
R. P. Salvator a' Scanno confirmatus.

III.

MISSIONES

—

LEGATIO IMPERATORIS MARROCHII

ad Summum Pontificem

Leonem XIII.

Inter tantas universi orbis erga Romanum Pontificem occasione sui Jubilaei sacerdotalis, gratulationis et affectus pignora, silentio haud praetereunda legatio Imperatoris Marrochii Muley-Hassan: haec enim tum gravitate eventus, cum res ipsa, quae in primis ad Familiam Franciscanam pertinet, nobis hac in ephemeride, memoratu digna videtur.

Haec terra protomartyrum Ordinis nostri sanguine saginata, quamquam maxima ex parte tenebris infidelitatis adhuc teneatur, paucis tamen abhinc annis laboribus Franciscalium Missionariorum, non exiguo fructu respondere coepit: numerus christianorum, ultimis labescentibus temporibus, a *quingentis* usque ad *quinque millia* feliciter excrevit, et in posterum majoris incrementi spes suavissima fulget (1). Hujus spei novum argumentum eventus, quem mox relaturi sumus, praebet.

Imperator Marrochii, cum animo revolveret suas gratulationes pro Jubilaeo offerre Pontifici, Patrem Josephum Lerchundi, ex Observantia Hispaniae, Praefectum Missionum Franciscanorum, illius regionis, virtute et prudentia maxime commendatum, et viginti septem annorum, quibus illic degerat, experientia probatum vocavit, ut ejus consilio rem prospere gereret. Qui toto corde mandatum assumens, hispanus a Hispaniae gubernio navem *Castilla,* qua legatio Marrochii navigio carentis, debito honore pontum transfretaret, mutuatus est, et die decima tertia Februarii, una cum Mohamed Ben el Arbi El-Torres, primo legato, loco Abd-El-Sadoc, morbo correpti, suffecto; cum Ben-Ahmed El Rifi, secundo legato; Ahmed El-Querdudi, a secretis, et ejus filio Mohamed; cum duobus *Kaid-elmiia,* scilicet, Mohamed Ben Abd-el-Jalak, et Hach Ahmed Taitai, ex litoribus Marrochii solvit Italiam petiturus.

Die vigesima quinta ejusdem mensis, curribus aptis ad aedem Vaticanam totus comitatus se contulit. Milites praetoriani Pontificis nobilioribus vestibus locis deputatis parati adstabant; in atrio Clementino, a Praefecto Caeremoniarum Domino Sinistri, legatio recepta est et ab eodem in aulam throni, praevio nuntio, solemniter introducta.

Sedebat Pontifex in majestate throni, electis praelatis Curiae Pontificiae circumstantibus.

Legatus primus, habens a sinistris Patrem Lerchundi, lingua arabica haec prolatus est verba, ab eodem Franciscano postea italice versa:

« Laus Deo, Summe Pontifex! »

(1) De statu Praefecturae Marrochii confer *Acta,* anno V, pag. 143.

« Augustus Imperator Marrochii, Dominus noster, quem Deus faveat, me ad Dignitatem tuam excelsam legatum misit, gratulationibus universi orbis, quod Deus altissimus Tibi quinquagesimum annum sacerdotii attingendi gratiam concesserit, illas sui nominis scerifiani additurum.

« Principi nostro, quem Deus servet ad multos annos, illud maxime cordi est, ut amicitiam perpetuam tecum stabiliatur, firmeturque: scit enim Te in iustitia mansurum, et semper quaesiturum omnium bonum et felicitatem. Imperator noster amicitiam etiam antiquam praedecessorum suorum, quos Deus sanctificet, cum Fratribus Ordinis Sancti Francisci renovare et corroborare desiderat.

« Sperat hanc amicitiam inter Dignitatem excelsam tuam, et Maiestatem suam scerifianam, nunquam omnino disjunctam iri, immo in perpetuum permansuram.

« Quapropter Dominus noster, cui Deus faveat, misit nos ad praesentiam Tuam, mandans ut tecum tale vinculum pacis, amicitiaeque nectatur, quod laetitiam et luctus in posterum communem efficiat.

« Princeps noster, quem Deus servet, scripsit litteras scerifianas, quas ejus mandato tradimus ad Dignitatem tuam, meorum verborum obtestationum fidem facturas ».

Ad haec, ita respondit Pontifex:

« Litteras imperiales, quas nomine tui Principis, nobilis et illustris Domine, Nobis mittis, maxima cum observantia recipimus, laetantes quamplurimum, quod occasione Jubilaei nostri sacerdotalis, mittens insignes viros, munera et gratulationes offerentes, humanitatis erga Nos et obsequii praeclarum testimonium praebuerit.

« Divinae Religionis toto terrarum orbe diffusae supremum regimen tenentes, nihil vehementius cupimus, quam ut populorum moderatores Ecclesiae catholicae benevolos se praebeant; quod ergo Majestatem scerifianam obtestatione amicitiae Nobiscum perpetuae Nostrum desiderium anteverterit, memorem animum, maximamque gratiam servabimus.

« Valde etiam laetamur videntes inter vos filium benemeritum illius Ordinis, qui a suis primordiis, exemplo Fundatoris, Africam, et specialiter regionem Marrochii ministerii apostolici officio coluit: lubenterque audivimus verba, quae de his Fratribus protulisti; nihil dubitantes eos benevolentiae et protectionis Majestatis suae, Imperatoris Marrochii in perpetuum dignos se ostensuros.

« Jam alias inter Romanos Pontifices et reges Africae, mutuae legationes, et amicitiae attestationes intercessae sunt; et Nos gaudentes de renovato foedere, ut hoc solidius stabiliatur, firmeturque, omnem curam impendemus.

« Grato animo igitur pro salute et gloria Suae Majestatis scerifianae ea ipsa vota facimus, quae magnus Gregorius VII, unus ex illustrioribus praedecessoribus nostris pro Aziro rege Mauritaniae amicitiam petente, proferebat; utque Marrochii ejusque Principis semper felix conditio sit, enixe Deum deprecabimur ».

Tunc El. Torres et Pater Lerchundi singulos comitatus componentes nominatim in Pontificis conspectum prodierunt. Postea Summus Pontifex una cum omnibus adstantibus in proximam aulam, vulgo *degli Arazzi,* se contulit, ubi munera ditissima Imperatoris Marrocchii, apto ordine disposita, miratus est; denique in secretiori cubiculo habuit cum legatis privata colloquia de conditione Marrochii et de Franciscanis ibi morantibus; et hora prima circiter post meridiem, totus comitatus ex aede Vaticana reversus est.

—

IMPERIUM SINENSE.

—

Epistola

Rmi P. Epiphanii Carlassare *Vicarii apostolici Hou-pè orientalis.*

Summarium: Secunda Synodus III.ae Regionis Sinarum. — Inundatio fluminis caerulei. — Conversiones et persecutiones. — Synoptica tabula administrationis.

Han-Keou, 26 Sept. 1887.

Rme Pater,

Synopticae tabulae administrationis spiritualis, aliqua praemitto quae vel sua natura vel quod statum Missionis prout nunc est clarius repraesentant, peculiari commemoratione digna esse videntur.

Primum locum dabo nostrae secundae Synodo, III.ae Regionis Sinarum (1). Habita est haec Synodus in nostra Residentia et Ecclesia hujus portus (Han-Keou) a Dominica 4a post Pascha usque ad Festum Ascensionis DOMINI N. J. CHRISTI. Ad eam convenerunt Rmi Vicarii Apostolici vel eorum Delegati provinciarum Kiang-nan, Tce-Kiang, Kiang-si, Hou-pè, Hu-nan et Ho-nan (meridional.), simul undecim numero et decem Patres Missionarii qua Synodi Officiales vel Theologi consultores. In ea actum est praecipue de disciplina ecclesiastica et propagatione fidei, et omnia peracta sunt secundum Caeremoniale et Pontificale Romanum.

Si hoc valde laetum, quod secundo enarro admodum triste. Postremis hisce mensibus magna aquarum inundatio dimidiam fere partem hujus mei Vicariatus miserrime afflixit et ad egestatem redegit. Jam hyemis tempore immoderate ninxerat, deinde frequentissimae pluviae accesserunt, quo factum est ut tempore aestivo magnum flumen caeruleum *(Jam-zu-Kiang)* ita aquis redundaverit ut jam impletis lacubus, qui in hac Provincia frequentes sunt, superatis etiam vel disruptis aggeribus, in agros praeceps effluxerit. Quot messium, quot domorum, quot hominum perditionem haec inundatio attulerit, ii clarius intelligent qui in Europa aliquando simile quoddam viderunt. Sed quanta sit post hujusmodi calamitatem hujus gentis miseria, isthac ubi tum Praefecti Reipublicae cum maxime civium christiana charitas sollicite indigentibus subvenit, facile sane comprehendi nequit. Neque ego hanc calamitatem miseriamque oratione persequi et sub oculos ponere tentabo; non ea mihi ingenii vis neque tempus suppetit. Verissimum tamen illud est quod quaedam anglica ephemeris, quae *Shanghai* in lucem prodit, de hac nostra inundatione scribebat, talem esse aerumnarum seriem et lamentabiles casus quaquaversus sibi succedentes, qui in Europa omnium animos profunda commiseratione afficerent. Tanto infortunio multi etiam fidelium nostrorum comprehensi sunt, qui usque ad ver futurum e suis sedibus exulare coguntur, ut quoquo possunt modo victum sibi quaeritent; siquidem ut superius dixi, annua messe privati, plurimi non habent unde vivant. Pueros quidem et feminas magis indigentes in Orphanotrophia Missionis recipiuntur, sed omnibus subvenire impossibile est. Verumtamen quia verum illud est: vexatio dat intellectum, et quia coelestis Pater ex malis bonum promovere solet, speramus fore ut multis, sicut alias quoque accidit, calamitas haec sit causa salutis.

Sat multae fuerunt etiam hoc anno Infidelium conversiones, quae in quibusdam locis ita bene coeperunt, ut ad magnum numerum augeri posse videantur. Sic, exempli gratia, P. Henricus Van Kessel praeter alias alibi, in quodam loco subpraefecturae *Tzum-Kiang*, qui *Seu-p'ai* appellatur, novem familias Religioni adscripsit. Hi, ut solet, a paganis quod superstitionibus cooperari renuerent, vexati, ad praefectum habuerunt recursum, qui, raro sane exemplo, in favorem eorum sententiam dixit, imo edictum ne amplius molestiis afficerentur emisit. Ita pariter P. Aloysius Sonsini in quodam pago subpraefecturae *Kiang-hia*, paucis diebus duodecim familias ad Catechumenatum recepit, quae primitiae quaedam copiosarum conversionum esse videntur. Ab quibusdam aliis Missionariis eodem modo plurium familiarum conversiones mihi significatae fuerunt.

Ut vero paullo ante dicebam et facile est conjicere, neoconversi, praesertim ubi Religio nondum asseclas habet, persecutionem eorum qui in gentilitate sua perseverant, raro effugiunt. Porro peculiari mentione digna est persecutio, quae facta est in subpraefectura *Hien-lin*, ubi abhinc duobus tantum annis christiani esse coeperunt. Semel et iterum Missionarium sinensem ad eos invisendos miseram et omnia in pace constituta esse videbantur, neque persecutionis suspicio ulla erat; ideoque tertio ut aperte et firmius ibi Religio inchoaretur, Missionarium europaeum, nempe P. Theophilum Ouwens, ad eos misi. Factum autem est ut catechumeni eum cum strepitu pyropilarum (1), ut solent Sinenses in omni fere tristi vel laeto eventu, honorifice exciperent: illud etiam accessit quod eo tempore pagani superstitiosos

(1) Annis 1879 et 1884 totum Sinense imperium a S. C. de Propaganda Fide in quinque ecclesiasticas regiones divisum fuit, ut videre est in *Actis Ordinis*, anno III, pag. 137 et seq.

(1) Sunt rotulae seu parvi cylindri in modum coronae precatoriae magno numero in unum colligati, quibus est inclusus pulvis pyricus.

agebant conventus; quapropter, cognito Sacerdotis adventu, statim magnus concursus ad locum catechumenorum factus est, tum curiositate videndi hominem europaeum, quem multi praesertim mulieres fortasse numquam viderant, cum etiam quod eorum plures, praesertim litterati, contra Europaeos et Religionem praejudiciis affecti, eum de loco disturbare intendebant. Multis molestiis et injuriis fuit ibi P. Theophilus aliquot diebus afflictus. Tandem abire coactus, ad civitatem perrexit subpraefecti auxilium petiturus; sed fuit transire de fumo ad flammam, pejus enim ei ibi accidit, siquidem adeo in eum turbae commotae sunt ut etiam in discrimine vitae versatus sit, a quo eum praefectus sua auctoritate liberavit. Quod petebat tamen non obtinuit et ideo, re infecta, noctu inde discessit et ad Residentiam Han-Keou reversus est. Ruri interea non destitit rabies contra catechumenos, quinimo et ipsi e suis locis exulare coacti sunt. Deinde illius regionis primarii, datis etiam publicis denuntiationibus calumniis refertis, inter se convenerunt ut Religioni nostrae omnis aditus obcluderetur. Haec quidem hoc anno sub veris initium acciderunt: jam vero nunc temporis si res nondum compositae dici possunt, de die in diem tamen, Deo dante, in melius vergunt. Siquidem ut meum erat, Consulem de laesione Conventionis, quae est inter Galliam et Sinas de his rebus facta, admonui; is vero obtinuit ut Praefecti majores quamvis remisse negotium tractandum susceperint: praeterea litterati seu illius regionis primarii plerique a priori et communi proposito recesserunt: catechumeni vero, quod potius est, constantes in suscepta Fide perstiterunt, ita ut aliae tres familiae eorum exemplum jam sint sequutae. Propterea non immerito sperare juvat fore ut tota haec tempestas ad multorum aeternam salutem demum proficiat.

Hic vero, Rme Pater, tacere nequeo quod jamdiu animo meo insidet. Ad infidelium conversionem, secundum consuetam divinae Providentiae dispensationem, requiruntur profecto Missionarii qui Evangelium praedicent, scriptum est enim: « Fides ex auditu, quomodo audient sine praedicante »? Sed conversio ad salutem non sufficit: mutandi sunt mores, abiiciendae superstitiones, addiscendae preces, leges observandae; et generatim loquendo non expedit ad baptismum nec conversos admittere, nisi de his omnibus vere satagant, alioquin repeti saepe illud posset: « Multiplicasti gentem, sed non magnificasti laetitiam ». Porro si ad conversionem infidelium requiruntur Missionarii, ad eorum christianam institutionem sunt omnino necessarii. Illud sane transeundo, ut ita dicam, saepe obtinetur; hoc vero nonnisi per longam commorationem. Illud saepe facile, quia strictiori sensu opus Dei: *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum;* hoc difficilius, quia plerumque actuosam Missionarii cooperationem magis requirit. Jam vero, Rme Pater, *messis quidem multa, operarii autem pauci.* Sane singulis annis tercentum et eo plures christianitates per majorem vel minorem dierum numerum secundum earum magnitudinem sunt a Missionariis visitandae; adsunt plura Instituta, quae quorumdam Sacerdotum perpetuam curam exigunt: Missionarii vero Europaei et Sinenses simul nunc temporis sunt viginti sex (paucis ante annis erant triginta), ex quibus etiam aliqui jam provecti aetate aut infirmi stipendia confecisse videntur. Cum res igitur ita se habeant, clarum quoque est quam sit difficile, non dicam conversionem, Deo dante, augere, sed neophytorum christianam institutionem quantum necesse est persequi, nisi alii operarii nobis opem ferant. Haec, Rme Pater, iis juvenibus fratribus dicta esse velim, qui ceteroquin zelum et alias virtutes habent, quibus opus nostrum promovere optime possent, et tamen praejudiciis nescio quibus detenti, Missiones, quas saepe alte commendant, non petunt. *Mitte, Domine, operarios in messem tuam!*

Velis, Rme Pater, mihi et his Fratribus, qui mecum in hoc Apostolico Vicariatu laborant illo paterno amore, quo semper nos prosequutus es benedicere, et abundantiam coelestis gratiae impetrare.

Rmae P. Tuae

Obmus Filius

† Fr. V. Epiphanius

Vicarius Apostolicus Hu-pè Orientalis.

QUAESTIONIBUS

a S. C. de Propaganda fide propositis Responsum.

1.° *Quae confinia Missionis sunt?* R. Latitudine incipit a gr. 28,56, et se porrigit usque ad gr. 32,16 circiter: longitudine vero incipit a gr. 109,57, et se protendit usque ad gr. 113,55.

2.° *Cujus dominio populus civiliter subest?* R. Imperatoris Sinarum.

3.° *Quot sunt incolae in Missione?* R. Iuxta recentiores computationes, circiter 16,000,000.

4.° *Quot sunt catholici?* R. In nostris Catalogis, praeter multos catechumenos, descripti inveniuntur 13,403.

5.° *Quot sunt Sacerdotes europaei?* R. Nunc temporis 13.

6.° *Quot sunt Sacerdotes indigenae?* R. Item 13.

7°. *Adsunt verae paroeciae?* R. Non adsunt.

8.° *Quot sunt stationes ubi Missionarius residet?* Non adsunt Residentiae, in quibus more parochorum Missionarii permanenter resideant, nisi duae Residentiae *U-ciam,* et *Han-Keou,* quae sunt etiam Episcopales, necnon *Pe-Chuen* non longe ab Han-Keou.

9.° *Quot sunt Stationes, quae a Missionario visitantur?* R. Sunt 343.

10.° *Quot sunt Ecclesiae?* R. Hoc nomine venire possunt 10.

11.° *Quot sunt Sacella?* R. Quinquaginta.

12.° *Habetur Seminarium? Ubi extat?* R. Habetur, et extat in *U-ciam-fu* civitate Provinciarum Hu-pé et Hu-nan principe.

13.° *Quot sunt in eo alumni?* R. Nunc temporis 21.

14.° *Quibus studiis vacant?* R. Alii grammaticae, alii philosophiae, et theologiae alii navant operam.

15.° *Quot sunt scholae elementares catholicae pro pueris?* R. Nunc temporis 25.

16.° *Quot sunt in his scholis alumni?* R. Circiter 600.

17.° *Quot sunt scholae elementares catholicae pro puellis?* R. Peculiares pro puellis sunt aliquae apud Sorores Instituti Filiarum Charitatis in *Han-Keou.*

18.° *Quot sunt in his scholis alumnae?* R. Hoc anno 328.

19.° *Quot et quae alia instituta educationis existunt? Ubi exstant? Quot sunt in singulis alumni interni, quot externi?* R. Unum Collegium: distat 20 milliaria ab Han-Keou; in eo pueri sunt 12.

20.° *Quot et quae instituta charitatis? Ubi existunt? Quot in singulis alumni?* R. Inter instituta charitatis enumerari possunt:

a) Tria orphanotrophia pro orphanis et aliis pueris, qui catechizantur vel addiscunt artes, qui numero medio de anno in annum sunt 150.

b) Domus Sororum in Han-Keou, in qua habentur pro puellis: orphanotrophium, scholae; praeterea pro mulieribus, catechumenium et seniotrophium.

c) Nosocomium in eodem portu Han-Keou.

21.° *Quaenam sunt instituta regularia virorum? Quaenam sunt instituta regularia mulierum?* R. Hactenus non habentur conventus virorum. Missionarii europaei sunt Fratres primi Ord. S. Francisci.

Adest una domus Sororum Instituti Filiarum Charitatis, vulgo *Canossiane.*

† Fr. Vinc. Epiphanius Carlassare *O. M.*
Ép. Madauren. *Vic. Apcus Hou-pé Or.*

—

EX EPISTOLIS

P. Didaci Lera, *Missionarii ejusdem Vicariatus Hou-pé orientalis.*

Summarium: Nova ecclesia in Pe-Chuen. — Conversiones in Ou-tchang-fou.

P. Didacus Lera, Missionarius in Hou-pè orientali, Rmo Patri Ministro Generali die 17 Septembris 1886 scribebat, novum sacellum extructum fuisse in oppido *Pe-Chuen,* quod a portu *Han-Keou* quinque leucis distat. Parvam hanc ecclesiam tribus distinctam navibus delineavit ipsemet Vicarius Apostolicus, Rmus Epiphanius Carlassare, et illam benedictione solemni dicavit in honorem purissimi Cordis B. Mariae Virginis et S. Antonii Patavini, die 8 Septembris 1886.

In hac christianitate invenitur orphanotrophium et Collegium, ubi juvenes ad Seminarium praeparantur. Ante persecutiones sub

imperatoribus *Kia-Kin* et *Kien-lung* tria fere millia christianorum ibidem aderant. Sperat Missionarius novam ecclesiam novis animarum conversionibus occasionem allaturam.

Die vero 7 Januarii 1887 praelaudatus Pater in alia epistola sequentia enarrat:

« A multis jam annis omnia adhibere me- « dia conabamur, ut numerosiores pagani illu- « minarentur et ad fidem catholicam venirent « in hac civitate *Ou-tchang fou*, (alii scri- « bunt *U-ciam-fu*) Provinciarum *Hou-pé* et « *Hu-nan* principe, ac in ejus suburbiis, in qui- « bus Venerabiles Patres Franciscus Clet at- « que Gabriel Perboyre, Sacerdotes Congre- « gationis Missionis gloriosum martyrium pro « CHRISTO in hoc saeculo passi sunt (1). Sed « votis nostris et labori exiguus accedebat exi- « tus, nam singulis annis decem adultorum « baptismi tantum numerabantur, DEO com- « probante, quod si alter plantat alter vero ri- « gat, ipse tamen solus dat incrementum. In « his tandem ultimis annis ex hac civitate et « duobus suburbiis quadraginta fere pagano- « rum familiae ad veritatis catholicae lucem « conversae sunt, et ex illis multi sacro bapti- « smate jam sunt abluti, dum alii ad similem « gratiam recipiendam instruuntur. Omnes « isti neophiti et catechumeni spiritu ferven- « tes in gratia perseverant, ac templum, cura « zelantissimi nostri Episcopi, Rmi Carlassare, « nuper ampliatum, pie frequentant. Haec di- « cta sint in laudem P. Jacobi Jen, Missio- « narii Sinensis et Tertiarii, cujus frater mar- « tyr occubuit, quique multa patientia et sol- « licitudine huic districtui invigilat ».

—

EPISTOLA

Rmi D. Praefecti Apostolici Daniae ad Rmum Ministrum Generalem.

DE RESTAURATO TERTIO ORDINE S. P. FRANCISCI.

Rme et Cme Pater Generalis,

Paterna admonitio Sanctitatis Suae, quae ad amplectendum Tertium Ordinem Sancti Francisci gravissimis verbis hortatus est, uberrimos jam in remota quoque Dania protulit fructus, quorum argumentum sit liber Regularum Tertii Ordinis S. Francisci, quem nuper in lingua Danica typis mandari curavimus, tamquam donum exiguum nostrum ad jubilaeum sacerdotale LEONIS PP. XIII. Duo hujus libri exemplaria hisce Paternitati Tuae transmittere ausi sumus (1), enixe Te rogantes, ut benigne velis unum accipere tamquam exiguum primae Congregationis Tertii Ordinis in Dania post reformationem erectae donum, alterum vero data occasione offerre Sanctitati Suae necnon Ipsi communicare, in Dania jam esse sodales haud paucos pluresque procul dubio intra breve tempus futuros.

Liber itaque jam adest, adsunt sodales; congregatio prima jamjam celebrata est die quarta Octobris in ecclesia parochiali S. Ansgarii Hafniae, (Copenhagen) multa undique concurrente fidelium turba. Ad rem autem bene constituendam ac finem Ordinis Tertii S. Francisci feliciter in Dania assequendum faveas dare mihi, Missionum Danicarum Praefecto Apostolico, cum ipse sum Tertiarius professus necnon a Rev. P. Provinciali Provinciae Germaniae litteras acceperim, quibus facultate aggregandi sodales Tertio Ordini praeditus sim, documentum aliquod Tuo sigillo munitum, quo Director nominer necnon Visitator Tertiariorum intra Praefecturae limina, usque dum Fratres Ordinis Minorum S. Francisci intra Danorum fines non inveniantur.

Jam liceat nobis in memoriam revocare tempora medii aevi, ubi in Dania floruerunt *viginti duo* Conventus Fratrum Minorum. Tempus vero infelix reformationis, cum Religione catholica etiam abstulit haec monasteria. Nunc vero post recuperatum Religionis exercitium refloret feliciter Religio catholica et jam numerus catholicorum de die in dies adaugetur, cum haud pauci ab haeresi lutherana ad gremium Sanctae Matris Ecclesiae poenitentes revertantur. Ipse procul dubio bene nosti pictorem Danicum Albertum Küchler, postmodum *Fra Pietro* (2), in Conventu S. Bonaventurae in monte Palatino anno elapso

(1) In proximo est ut ambo isti martyres beatificationis honore condecorentur. Post B. nostrum Odoricum a Portu Naone primi erunt Missionarii Imperii Sinensi cultu liturgico ditati.

(1) Annuntiatum fuit hoc opus in bibliographia *Actorum* anno elapso pag. 200.

(2) Cfr. *Acta* anno V. p. 67.

religiose defunctum; vidisti etiam, quanti aestimabatur ab omnibus Urbem adeuntibus. Religione catholica in dies altiores hic radices agente (1), paulatim apud heterodoxos decrescunt praejudicia contra ecclesiam imbuta. Magnopere certissime promoveretur Religio, si rediret in Daniam Ordo ille, qui olim medio aevo magnopere hic prosperavit adeo, ut memoria ipsius adhuc apud plebem nomine fori publici Hafniae horum Fratrum nomine insigniti revocentur. Tempus procul dubio felix et uberrimum fructibus, quod Deo et Paternitate Tua nobis favente, haud procul aberit. Interim me et meas necessitates piae Reverendissimi Patris memoriae commendans impensissimis existimationis sensibus me profiteor.

Hafniae, die 22 Octobris 1887.

Rmi Patris Generalis obsequentissimum et humillimum filium

Joannes von Euch
Praefectus Daniae Apostolicus.

(1) Juxta descriptionem *Missionum Catholicarum* anni 1887, in Dania numerantur catholici 3,492 ex incolis 2,000,000. Stationes extant 14, quae sequuntur: Aarthuus, Fredericia, Horsens, Kolding, Ordrup, Odense, Randers, Reykiavik, Svendborg (in Islanda) et 5 Hafniae (Copenhagen). Ecclesiae sunt 7 et sacella publica 9. Sacerdotes adsunt 28 quorum indigenae 9.

IV.

BIBLIOGRAPHIA

—

Anonymus. — La Régénération chrétienne et le salut de la Société, d'après les enseignements des Encycliques *Auspicato* et *Humanum Genus*. Châteaudun. Imp. J. Pigelet (pag. 14).

P. Basilio da Greccio, M. O. — Il B. Antonio da Stroncone, cenni biografici scritti nel secondo centenario della sua Beatificazione, da F. Basilio da Greccio, M. O. della Serafica Provincia. Assisi, tipografia Metastasio, Colonia Agricola di S. Pietro. 1887. (Pag. 32). Prezzo cent. 10.

P. Basilius a Neirone, Min. Ref. — Studium Theologiae moralis, compendiatum ab adm. Rev. P. Basilio a Neirone, Lect. Theol., Ord. Min. Ref. — Genuae, ex typographia archiepiscopali. 1888. In-16. (Pag. 404). L. 2.

P. Bertin Hermans, Min. Réc. — La Communion des Saints, par le R. P. Fr. Bertin Hermans, des Frères Mineurs Récollets de la province Belge. — Anvers, typographie Van Os-de Wolf, Rue SS. Pierre et Paul, 2. 1888. (Pag. 24).

P. Candido Mariotti da Gagliole, Min. Oss. — Il catechismo Cattolico professato da Dante Alighieri, proposto alla studiosa gioventù italiana dal P. Candido Mariotti da Gagliole, Min. Oss. — Genova, tipografia della Gioventù, 1888. In-16 (Pag. LII-289).

Giacinto (Rmo P.) da Belmonte, Min. Cap. — Compendio della vita del Beato Felice da Nicosia, Cappuccino, dal P. Giacinto da Belmonte, Def. Gen. Capp., Cons. dell'Indice. — Roma, Tipog. Vaticana 1888. (Prezzo cent. 30) pag. 107.

Fr. Franciscus H. Nedic Tolisensis, obs. Provinciae Bosnensis. Monumenta Privilegiorum... Provinciae Bosnae Argentinae (ab an. 1243-1885). Dukovar 1886.

P. Giusto da Gradoli, Min. Rif. — Vita di Fr. Ginepro da S. Vito, Laico professo della Riformata Provincia Serafica, morto in Orvieto in concetto e con fama di santità, il 28 Decembre 1794, in età di anni 77, per il P. Giusto da Gradoli, Min. Rif. della medesima Provincia. Assisi, tipografia Metastasio. 1888. (Pag. 128).

P. Gregorius Martić, obs. Prov. Bosnae — Pjesnicka Djela (opera poetica) jam tertius fasciculus prodiit, Sarajevo 1888.

Guida al Terziario Francescano nel secolo. — Quae primum semel nunc autem bis in mense publicatur Novariae, in fascic. pag. 32, et prostant lib. 3, 50 annuatim pro Italia, lib. 5 pro exteris nationibus.

Peti potest a typographia Petri Reina, Novara.

Confratribus in Italia valde commendatur ut hoc periodicum inter Tertiarios evulgari curent.

P. Modesto da Vetriano, Min. Rif. — Discorso, nelle solenni esequie del P. Francesco da Torcigliano. Lucca, Tipografia Landi, 1888 — Pag. 20.

D. Nicola de Angelis. — S. Bonaventura autore dell' antifona « Ave Regina coelorum »: Dissertazione del Professore D. Nicola de Angelis, Teologo della Cattedrale di Sezze e Pro-Vicario Generale. Foligno, Stabil. Giovanni Tomassini, 1888. In 4° pag. 14.

Roselly (Comte) de Lorgues. — Histoire posthume de Christophe Colomb. — Paris, librairie Académique Didier, Emile Perrin, libraire éditeur. Quai des Grands Augustins 35. In-8° (pag. III-457.)

V.

NECROLOGIA

—

Rmus P. Albertus Cracchi, Episcopus Pulatensis, in pago Vercellensis dioecesis, quem vulgo Landiona vocant, Kalendis Julii anni 1821 parentibus honestis et virtute clarissimis ortus est.

Pueritiam summa morum innocentia domi sub genitorum cura transegit; adolescens dum amoenioribus litteris, quae tunc docebantur, sedulo vacaret, pietatis spiritum cum profectu in scientiis arcte conjunxit.

Aetate provectior, ut eumdem spiritum, unde nobilissimae virtutes generantur, ultro excoleret, S. Franciscum Assisiensem, quem in vita postmodum imitaretur, sibi exemplar proposuit; quam ob rem et Ordinem Seraphicum in Provincia S. Didaci Reformatorum ingressus est (21 Octob. 1839).

Confectis in Provincia philosophiae et theologiae studiis et jam ab anno 1840 per vota solemnia Domino obstrictus, sacerdotii ordini (1845) initiatus est.

Novellus sacerdos seraphica quadam luce perfusus, quûm mundana quaeque vilescere cerneret, animum in primis ad meditanda coelestia attendit, unde et factum, ut Evangelium infidelibus annuntiandi studio mirum in modum incenderetur; cujus rei gratia a Superioribus eodem adhuc anno Romam ad conventum S. Petri in Monte Aureo missus pro missionario impigre praeparabatur.

Anno 1846 mense Septembri, obtenta benedictione Ministri Generalis, Missionarius in Albaniam concessit, quae est peninsulae balcanicae Provincia, imperio turcico subiecta. Hic ergo, inter pauperes montium Albanensium incolas, vitam veritati praedicandae et fidelibus juvandis impendere decrevit. Superiores ejus zelum et Domino placendi studium juste perpendentes primo Praefectum missionis in Pulati (1861), dein Vicarium generalem et administratorem ejus dioecesis nominarunt (1869), ultimo vero a S. Sede ad pontificalem honorem promotus Skodrae (Scutari), die 31 Julii anni 1870 Episcopus Pulatensis consecratus est.

Est ea dioecesis inter omnes, quae in dicta peninsula habentur, quoad extensionem territorialem quasi minima, tamen catholicos numerat 12,953, in decem parochias divisos atque ecclesiis, pluribus sacellis et parochis missionariis ex Seraphico Ordine rite provisos. Praecipua parochia in qua et primus ejus tribus dux, barjaktar dictus habitat, est Gjoani (Giovagni), ubi et episcopi resident.

Novus Episcopus, quae ad ecclesiae ovesque sibi commissas pertinerent, diligentissime curabat; in rebus gerendis erat semper promptus, laboriosus et perquam patiens; animo usque invicto et charitate inflammato negotia quaeque prudentissime expediebat. Missionarios, confratres suos ut pater, fideles ut verus pastor, cordi quam maxime habebat, et in vicem tantae charitatis ab iis sincera amoris et venerationis obsequia recipiebat.

Visitationes canonicas, quae in ea regione, ubi nullae habentur viae, sunt difficillimae, magno zelo et charitatis suae testimonio peragebat; fideles inter aspera montium habitantes, qui et sub duro adiunctorum temporis jugo saepe gemebant, verbo doctrinae consolabatur, et exemplo vitae confirmabat; eorum animos quandoquidem ebullientes, et conditionis suae

miseriis in transversa actos, pastorali mansuetudine et apostolica unctione sedabat, discordias summa charitate componebat. Haud raro etiam evenit, ut odia adversariorum in catholicos excitata coram tribunali quoque prudenti agendi ratione mitigabat tollebatque.

Multae ecclesiae, hospitiaque ab eo vel reparata vel funditus exstructa testantur ejus studium in promovendo etiam bono temporali suae dioeceseos.

Tandem aetate jam provecta, et viribus quasi fractus saepius morbis tentari coepit, quos tamen vir pius, divina bonitate subnixus et beatissimae Virgini devotissimus, incredibili patientia ferebat; tandem apoplexia correptus, divino autem refectus viatico et sacro oleo inunctus, vir religiosissimus placido exitu migravit e vita die 22 Decembris 1887.

R. I. P.

In Collegio S. Ildephonsi in republica Chilena, Americae australis, die 4 Novembris anni 1887 pie in DOMINO obdormivit P. JOANNES B. BUSTAMANTE, aetatis suae 31. Is vota solemni Religionis nostrae seraphicae emisit die 15 Julii an. 1877, sacerdotio vero initiatus mense Junio anni 1884. Munere praefecti sacristiae tres annos exacte et egregie functus, studio in virtutibus et litteris proficiendi, item humilitate et sui abnegatione, tanquam praecipuis inter ceteras virtutibus emicuit; sacrosanctis religionis Sacramentis consolatus piam suam animam Creatori reddidit exclamando, velle se moriendo divinam implere voluntatem.

R. I. P.

R. P. CHERUBINUS TRIBOLI, M. O., Lect. Jub. et ex-Definitor; lucem hanc in pago Cryptarum S. Stephani Balneoregii Dioecesis auspicatus est die 15 Octob. an. 1824. Adhuc puerulum parentes, quos optimis moribus praeditos nactus est, saeculari Presbytero bonis disciplinis instituendum tradiderunt: sub quo quantum profecerit subsequens probavit eventus. Nam statim ac per aetatem licuit, mente volvebat quo modo se DEO mancipare possit. Anceps non haesit; sed consilio et opera patruelis sui P. Petri Chrysologi M. R. (cujus memoria in benedictione est) inter Fratres Observantiae S. Francisci Prov. Seraphicae cooptari petiit et obtinuit. Seraphico indutus habitu spiritum vocationis sapientia sanctorum et exercitio virtutum fovit, donec tyrocinio cum laude peracto tribus votis DEO ad aram Portiunculae nuncupatis, veluti tribus clavis JESU CHRISTI Cruci se confixit.

Statim ac solemnem professionem emisit, ex obedientiae praecepto scholasticam palaestram aggressus est. Verum dum litteris et scientiis navam et sedulam impenderet operam, spiritum devotionis nedum non extinxit, sed ita aluit, ut in eo virtus et scientia pari gressu incederent. Fervidus ingenii cultor noctes insomnes transigebat, et talenta, quibus eum DEUS ditaverat, in dies augere contendit. Politiores litteras, quibus jucunde delectabatur, proprio marte didicit, atque latina et nostra exemplaria diurna nocturnaque versando manu, viridis adhuc aetatis, indubiam litteris spem afferebat. Cujus rei argumento fuit disceptatio publica, quam primum Interamnae super universam Philosophiam, et deinceps Narniae super universam Theologiam habuit coram selectissimis Doctoribus, qui omnes disserentis leporem dicendi et venustatem, acumenque ingenii in retundendis adversariorum telis, admirati sunt. Philologicis, philosophicis ac theologicis studiis rite absolutis, cum pro certo haberet se non posse scientiae apicem attingere, nisi naturalium scientiarum auxilio fulciretur, in Picenam Provinciam, facta sibi a Ministro Generali facultate, se recepit, ubi Mathematicae et Physicae scholas frequentavit.

Ordinis Moderatores P. Cherubini mores, ingenium et peritiam aucupantes, et de eo pro seraphica juventute bona cuncta sibi ominantes, ipsum acciverunt ad periclitandas ingenii sui vires in generalibus concursibus. Laurea Lectoris auctus Philosophiam, Mathematicam et Physicam nostrates docuit in praecipuis Ordinis nostri Athenaeis, idest, in Conv. S. Francisci Venetiarum, in Conv. de Observantia prope Senas, et in ipso Conv. Aracoelitano. Dum Romae ageret doctissimorum virorum necessitudine fruebatur maxima, et inter Academicos, quos quirites vocant, cooptari meruit. Ut autem academici partes pro suo mu-

nere expleret saepe numero de re philosophica disseruit, praesertim in illis salebrosis quaestionibus: « *Sul principio protologico* » et *Del supremo principio di moralità* », quas etiam ut sociorum desideriis satis faceret typis edidit, et in quibus scriptorem emunctae naris se exhibuit. Praeterea Mathematicae Institutiones concinnavit, quae tamen lucem nondum aspexerunt; cujus etiam exstant ineditae conciones quadragesimales, orationes in laudem Sanctorum, et alia plura tum versa tum soluta oratione conscripta.

Superiorum mandatis obtemperans Dianum, quod in Neapolitano regno illustre oppidum est, petiit, ubi Seminarii alumnos Philosophiam docuit et in eorum commodum librum exaravit, in quo breviore volumine complexus est quidquid de Ratione humana a philosophis, praesertim a Seraphico Doctore, est traditum. Diani Seminario relicto, ut Illmo ac Rmo Bernardino Triumphetti morem gereret ad illud Tarracinense se contulit, ubi juvenibus in sortem DOMINI vocatis Mathematicae praecepta per plures annos tradidit.

Multis jam annis in magisterio transactis, e Tarracinae Seminario ad claustrum revertitur, eo etiam consilio, ut animi sui vires reficeret. At hac quiete parum usus est. Nam quum sodales nostri iniquis legibus perciti hac illac exulare debuerunt, P. Cherubinus idem fatum subiit, eaque tempestate paroeciam administrandam suscepit in Balneoregii Dioecesi. Verum statim ac rescivit, Provinciae suae filios ad Conventus jam reverti, laetus ad Coenobium Montis Perusiae remeavit. Ad Religionem veluti exul ad patriam redux omnem operam Superioribus praestavit, ut faticiscentis Provinciae instauratio perficeretur. Ad hoc assequendum, Rectoris Lectorisque munus in Collegio Seraphico pro instituendis pueris habitum postulantibus, per plures annos exercuit, quod postea propter adversam valetudinem magno sui cordis dolore dimisit. Hoc in munere nullis pepercit laboribus ut demandatos sibi pueros in timore DOMINI et in liberalibus disciplinis erudiret, quodque tanta sedulitate et amore praestabat, ut pueri ipsum tamquam Patrem haberent et diligerent. Tandem, dum in Conv. S. Mariae Angelorum Guardiani munere fungeretur, apoplexiae morbo corripitur, et sacris refectus sacramentis die 9 Januarii 1888 ibi cursum suum consummavit, ubi religionis sumpsit exordium.

Vale, dulcissime Pater, et pro tua Provincia, cujus bonum et splendorem semper in votis habuisti, praesertim vero pro junioribus ejusdem alumnis, quos dum in terris ageres fovisti et solatus es, DEUM propitium exora.

R. I. P.

Neapoli in conventu S. Luciae in Monte, Provinciae fratrum Discalceatorum S. Petri de Alcantara die 22 Februarii anni currentis, omnibus Sacramentis munitus pie obiit P. MODESTUS MARIA DE ASSUMPTIONE praedictae Provinciae filius anno aetatis 81.

Natus Neapoli die 14 Novembris an. 1807, quum annum 16 ageret sancti Francisci seraphici habitu inter Fratres Alcantarinos donatus, praecipuo quodam atque laudabili zelo in virtutibus proficiendi studebat; quare et omnibus evasit gratus, Provinciae vero et populo fideli utilissimus. Superiorum jussu diversa obibat munera concionatoris, confessoris, guardiani, definitoris atque custodis; in quibus semper professionis suae memor DEI gloriam, Fratrum et fidelium salutem unice promovere satagebat. Hanc ob causam regibus Neapolitanis Ferdinando II et Francisco ejus filio atque sanctissimae memoriae Pio IX charus fuit. Exilii poenam, dum res Neapolitanae in aliam converterentur formam, sibi impositam patienter ferebat; Capitulo generali anni 1862 interfuit; et demum potestate in Neapolitanas redeundi partes obtenta, ibidem magno zelo piis operibus studebat. Ultimo aetate provectus apostolicis vero laboribus attritus, quum ex congressu Fratrum Tertii Ordinis, cujus sacra negotia zelose curabat, inter imbres rediret, pulmonidem contraxit et in DOMINO obiit ut supra.

R. I. P.

Nihil obstat

FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

EPISTOLA

Summi Pontificis qua, occasione sumpta Jubilaei sui sacerdotalis, statuitur in ultima Dominica proxime venturi mensis Septembris amplissima expiatio in favorem animarum in purgatorio degentium.

—

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII.

EPISTOLA

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS UNIVERSIS CATHOLICI ORBIS GRATIAM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS.

LEO PP. XIII.

Venerabiles Fratres
Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quod anniversarius Sacerdotii Nostri dies quinquagesimus nuper Ecclesiae peroptato illuxerit, acceptum, ut oportet, referimus summae DEI benignitati, cujus nutu arbitrioque providentissimo omnis vita hominum regitur. Ac pari modo tantam ubique animorum consensionem in obsequiis, in effusa liberalitate, in publicis laetitiae significationibus nemo poterat nisi Ille excitare, cujus omnino imperium est in hominum mentes et voluntates et corda, quique eventus rerum ad christianae religionis gloriam dirigit et moderatur. — Praeclarum quidem et memorabile factum, ex quo ipsi Ecclesiae hostes, vel inviti et nolentes, suis ipsi oculis perspiciunt, quemadmodum divina ejus vita ac divinitus ingenita virtus vigeat semper, atque adeo persuadere sibi cogantur, insano prorsus conatu gentes impias fremere et inania meditari adversus DOMINUM et adversus CHRISTUM ejus.

Jamvero, ut quam latissime hujus beneficii divini et memoria manaret et utilitas, coelestium gratiarum thesauros universo Nobis concredito gregi reclusimus: nec sane praetermisimus divinae pietatis munera iis implorare, qui extra unicam salutis Arcam adhuc versantur: quod hoc consilio fecimus, *ut omnes gentes et populi, in fide caritatis vinculo sociati, unico ovili sub uno pastore citius aggregentur:* ita sane *Dominum Nostrum* JESUM CHRISTUM cum gemitibus exoravimus in solemni Sacro Canonizationis mox celebratae.

Nos enim et ad triumphantem Ecclesiam sublatis oculis, heroibus christianis, de quibus jam absoluta feliciter erat praestantissimarum virtutum ac miraculorum ad juris tramites cognitio, aliis Sanctorum summos honores, aliis Beatorum cultum solemniter decrevimus et tribuimus, ut ea quae in coelis est Hierusalem, cum hac ipsa quae in terris peregrinatur a DOMINO, communione laetitiae jungeretur.

Verum quo huic ipsi rei veluti cumulus, DEO adiuvante, imponatur, Apostolicae No-

strae caritatis officia, de plenitudine infiniti spiritualis thesauri, ad eos quoque dilectos Ecclesiae filios, largius quo fieri possit, proferre cupimus, qui morte justorum obita de militia hujus vitae migrarunt cum signo fidei, ac mysticae vitis inserti propagini; ita tamen ut prohibeantur ingressu in aeternam requiem usque dum divinae iustitiae ultrici pro contractis debitis ad minimum reddant quadrantem. — Movemur autem tum piis catholicorum votis, quibus consilium hoc Nostrum pergratum esse scimus, tum lacrymabili poenarum, quibus defunctorum animae cruciantur, atrocitate: sed praeterea, et maxime movemur consuetudine Ecclesiae, quae, vel inter jucundiores per annum solemnitates sanctam et salubrem agit defunctorum memoriam, ut a peccatis solvantur.

Itaque cum ex catholica doctrina exploratum sit *animas in Purgatorio detentas Fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris sacrificio, juvari,* nullum censemus neque utilius neque optatius a Nobis proficisci ad eas posse pignus, quam si multiplicemus in locis omnibus pro satisfactione ipsarum oblationem mundam sacrosancti Sacrificii Mediatoris nostri divini.

Quare statuimus, cum necessariis omnibus dispensationibus et derogationibus, *ultimam Dominicam proxime venturi mensis Septembris* tamquam amplissimae expiationis diem, quo celebretur a Nobis, itemque a singulis fratribus Nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis aliisque Praelatis Dioecesim habentibus in suis cujusque Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis et Cathedralibus, specialis missa defunctorum, maiori qua fieri potest solennitate, eoque ritu, qui in missali adsignatur *in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum.* Id ipsum fieri probamus in Parochialibus et Collegiatis Ecclesiis tam saecularium quam regularium, et ab omnibus sacerdotibus, dummodo ne omittatur missa officio diei respondens, ubicumque est obligatio. — Alios autem Christifideles vehementer hortamur ut, facta sacramentali confessione, ad purgantium animarum suffragium angelico pane se devote reficiant. — His vero plenariam Indulgentiam pro defunctis; singulis, ut dictum est supra, celebrantibus, Altaris privilegium, auctoritate Apostolica impertimur.

Sic nimirum piae animae, in quibus noxarum reliquiae terribili cruciatuum magnitudine eluuntur peropportunum ac singulare solatium percipient ex Hostia salutari, quam Ecclesia universa, Capiti suo visibili conjuncta eodemque caritatis affectu inflammata, Deo est oblatura ut eis locum refrigerii, lucis et pacis indulgeat sempiternae.

Interea Vobis, Venerabiles Fratres, universoque Clero et populo curae vestrae concredito, Apostolicam benedictionem, coelestium munerum auspicem, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum in die solemni Paschatis an. MDCCCLXXXVIII. Pontificatus Nostri undecimo.

LEO PP. XIII.

—

DECRETUM GENERALE

SUPREMAE CONGREGATIONIS

S. R. et univ. Inquisitionis, quo damnantur 40 propositiones Antonii Rosmini.

Epistola

Emi Cardinalis Monaco La Valletta Ad Universi Orbis Episcopos.

Illme ac Rme Domine,

Hisce adjunctum litteris transmittitur ad amplitudinem tuam Decretum generale, quo Suprema Congregatio Emorum Patrum una mecum Inquisitorum Generalium, adprobante et confirmante SSmo D. N. Leone XIII, plures propositiones ex operibus, quae sub nomine Antonii Rosmini Serbati edita sunt, damnantur et proscribuntur.

Quapropter excitatur pastoralis cura et vigilantia Amplitudinis tuae, ut a damnatis hujusmodi doctrinis oves fidei tuae concreditas quam diligentissime custodias; ac si qui forte sint in ista dioecesi qui illis adhuc faveant, eos ad S. Sedis judicium docili animo suscipiendum inducere studeas. Praecipue vero eniteris, ut mentes adolescentium, eorum praesertim qui in spem Ecclesiae in Seminario aluntur, germana catholicae Ecclesiae doctrina e puris fontibus sanctorum Patrum, Ecclesiae

Doctorum, probatorum auctorum ac praecipue Angelici Doctoris S. Thomae Aquinatis hausta imbuantur.

Tibi interim fausta omnia ac felicia adprecor a DOMINO.

Datum Romae die 7 Martii 1888.

Addictissimus in Domino
R. Card. MONACO.

Feria IV, die 14 Decembris 1887.

Post obitum Antonii Rosmini Serbati quaedam ejus nomine in lucem prodierunt scripta, quibus plura doctrinae capita, quorum germina in prioribus hujus Auctoris libris continebantur, clarius evolvuntur atque explicantur. Quae res accuratiora studia non hominum tantum in theologicis ac philosophicis disciplinis praestantium, sed etiam Sacrorum in Ecclesia Antistitum excitarunt. Hi non paucas propositiones, quae catholicae veritati haud consonae videbantur, ex posthumis praesertim illius libris exscripserunt et Supremo S. Sedis iudicio subiecerunt.

Porro SSmus D. N. LEO divina providentia Papa XIII, cui maxime curae est, ut depositum catholicae doctrinae ab erroribus immune purumque servetur, delatas propositiones Sacro consilio Emorum Patrum Cardinalium in universa christiana republica Inquisitorum Generalium examinandas commisit.

Quare, uti mos est Supremae Congregationis, instituto diligentissimo examine, factaque earum propositionum collatione cum reliquis Auctoris doctrinis, prout potissimum ex posthumis libris elucescunt, propositiones quae sequuntur in proprio Auctoris sensu reprobandas, damnandas ac proscribendas esse judicavit, prout hoc generali decreto reprobat, damnat, proscribit; quin exinde cuiquam deducere liceat, ceteras ejusdem Auctoris doctrinas, quae per hoc decretum non damnantur, ullo modo adprobari.

Facta autem de his omnibus SSmo D. N. LEONI XIII accurata relatione, Sanctitas Sua decretum Emorum Patrum adprobavit, confirmavit, atque ab omnibus servari mandavit.

I. In ordine rerum creatarum immediate manifestatur humano intellectui aliquid divini in se ipso, hujusmodi nempe quod ad divinam naturam pertineat.

1. Nella sfera del creato si manifesta immediatamente all'umano intelletto qualche cosa di divino in se stesso, cioè tale che alla divina natura appartenga — (Teosof. Vol. IV. n. 2, p. 6).

II. Cum divinum dicimus in natura, vocabulum istud *divinum* non usurpamus ad significandum effectum non divinum causae divinae; neque mens nobis est loqui de *divino* quodam, quod tale sit per participationem.

2. Dicendo il divino nella natura, non prendo questa parola *divino* a significare un effetto non divino di una causa divina. Per la stessa ragione non è mia intenzione di parlare d'un divino, che sia tale per partecipazione — (Ivi).

III. In natura igitur universi, idest in intelligentiis, quae in ipso sunt, aliquid est, cui convenit denominatio divini non sensu figurato sed proprio.

Est actualitas non distincta a reliquo actualitatis divinae.

3. Vi è dunque nella natura dell'universo, cioè nelle intelligenze che sono in esso, qualche cosa, a cui conviene la denominazione di divino, non dico in un senso figurato, ma in un senso proprio — (Teosof. Vol. IV. *Del divino nella natura,* n. 15, pp. 18-19). — È una... attualità indistinta dal resto dell'attualità divina, indivisibile in sè, divisibile per astrazione mentale — (Teosof. Vol. III. n. 1423, p. 344).

IV. Esse indeterminatum, quod procul dubio notum est omnibus intelligentiis, est divinum illud quod homini in natura manifestatur.

4. L'essere indeterminato (essere ideale), il quale è indubitatamente palese a tutte le intelligenze, *(è quel divino che)* si manifesta all'uomo nella natura — (Teosof. Vol. IV. nn. 5 e 6, p. 8).

V. Esse, quod homo intuetur, necesse est ut sit aliquid entis necessarii et aeterni, cau-

5. L'essere intuito dall'uomo deve necessariamente essere qualche cosa d'un ente necessario ed eterno,

sae creantis, determinantis ac finientis omnium entium contingentium: atque hoc est DEUS.

causa creante, determinante e finiente di tutti gli enti contingenti: e questo è DIO — (Teosof. Vol. I. n. 298, p. 241).

VI. In esse, quod praescindit a creaturis et a DEO, quod est esse indeterminatum, atque in Deo, esse non indeterminato sed absoluto, eadem est essentia.

6. Nell'uno (essere che prescinde dalle creature e da Dio, e che è l'essere indeterminato), e nell'altro essere (che non è più indeterminato, ma Dio stesso, essere assoluto) c'è la stessa essenza — (Teosof. Vol. II. n. 848, p. 150).

VII. Esse indeterminatum intuitionis, esse initiale, est aliquid VERBI, quod mens PATRIS distinguit non realiter sed secundum rationem a VERBO.

7. L'essere indeterminato della intuizione... l'essere iniziale... è qualche cosa del VERBO, che ella (la mente del PADRE) distingue non realmente, ma secondo la ragione del VERBO — (Teosof. Vol. II. n. 848, p. 150. Vol. I. n. 490, p. 445).

VIII. Entia finita, quibus componitur mundus, resultant ex duobus elementis, idest ex termino reali finito et ex esse initiali, quod eidem termino tribuit formam entis.

8. Gli enti finiti che compongono il mondo risultano da due elementi, cioè dal termine reale finito, e dall'essere iniziale, che dà a questo termine la forma di ente — (Teosof. Vol. I. n. 454, p. 396).

IX. Esse, obiectum intuitionis, est actus initialis omnium entium.

Esse initiale est initium tam cognoscibilium quam subsistentium: est pariter initium DEI, prout a nobis concipitur, et creaturarum.

9. L'essere, oggetto dell'intuito... è l'atto iniziale di tutti gli enti — (Teosof. Vol. III. n. 1235, p. 73) — L'essere iniziale dunque è inizio tanto dello scibile quanto del sussistente... è ugualmente inizio di DIO, come da noi si concepisce, e delle creature — (Teosof. Vol. I. n. 287, p. 229; n. 288, p. 230).

X. Esse virtuale et sine limitibus est prima ac simplicissima omnium entitatum, adeo ut quaelibet alia entitas sit composita, et inter ipsius componentia semper et necessario sit esse virtuale. — Est pars essentialis omnium omnino entitatum, utut cogitatione dividantur.

10. L'essere virtuale e senza termini *(Divino in se stesso, appartenenza di* DIO) è la prima e la più semplice delle entità, per così fatto modo che qualunque altra entità è composta, e tra i suoi componenti c'è l'essere virtuale sempre e necessariamente — L'essere virtuale è parte essenziale di tutte affatto le entità, per quantunque col pensiero si dividano — (Teosof. Vol. I. n. 280, p. 221; n. 281, p. 223).

XI. Quidditas (id quod res est) entis finiti non constituitur eo quod habet positivi, sed suis limitibus. Quidditas entis infiniti constituitur entitate, et est positiva; quidditas vero entis finiti constituitur limitibus entitatis, et est negativa.

11. La quiddità (ciò che una cosa è) dell'ente finito non è costituita da ciò che egli ha di positivo, ma da' suoi limiti... La quiddità dell'ente infinito è costituita dall'entità, ed è positiva, e la quiddità dell'ente finito è costituita dai limiti dell'entità, ed è negativa — (Teosof. Vol. I. n. 726, pp. 708-709).

XII. Finita realitas non est, sed DEUS facit eam esse addendo infinitae realitati limitationem.

Esse initiale fit essentia omnis entis realis.

Esse quod actuat naturas finitas ipsis coniunctum, est recisum a DEO.

12. La realità finita non è, ma egli (DIO) la fa essere coll'aggiungere alla realità infinita la limitazione — (Teosof. Vol. I. n. 681, p. 658) — L'essere iniziale... diventa l'*essenza* di ogni ente reale — (Ivi Vol. I. n. 458, p. 399) — L'essere che attua le nature finite, a queste congiunto, essendo reciso da DIO... (Ivi Vol. III. n. 1425, p. 346).

XIII. Discrimen inter esse absolutum et esse relativum non illud est quod intercedit substantiam inter et substantiam, sed aliud multo maius; unum enim est absolute ens, al-

13. La differenza che passa tra l'essere assoluto e il relativo non è quella di sostanza a sostanza, ma una molto maggiore...; perocchè v'ha differenza di essere in questo senso, che l'uno è assolutamente ente, l'altro è assolutamente non-ente. Ma questo secondo è relativa-

terum est absolute non-ens. At hoc alterum est relative ens. Cum autem ponitur ens relativum, non multiplicatur absolute ens: hinc absolutum et relativum absolute non sunt unica substantia, sed unicum esse; atque hoc sensu nulla est diversitas esse, imo habetur unitas esse.

mente ente: ora col porre un ente relativo non si moltiplica assolutamente l'ente; sicchè rimane che assolutamente l'assoluto e il relativo sia non già una sostanza sola, ma bensì un essere solo, e in questo senso non v' abbia diversità di essere, anzi unità di essere — (Teosof. Vol. V. Cap. IV. p. 9).

XIV. Divina abstractione producitur esse initiale, primum finitorum entium elementum; divina vero imaginatione, producitur reale finitum, seu realitates omnes, quibus mundus constat.

14. Coll'astrazione divina abbiamo veduto come sia stato prodotto l' *essere iniziale*, primo elemento degli enti finiti: coll'immaginazione divina, abbiamo pure veduto come sia stato prodotto il *reale finito* — tutte le realità di cui consta l'universo (Teosof. Vol. I. n. 463, p. 408).

XV. Tertia operatio esse absoluti mundum creantis est divina synthesis, idest unio duorum elementorum: quae sunt *esse initiale,* commune omnium finitorum entium initium, atque *reale* finitum, seu potius diversa realia finita, termini diversi ejusdem esse initialis. Qua unione creantur entia finita.

15. La terza operazione dell'Essere assoluto creante il Mondo è la *sintesi divina,* cioè l'unione dei due elementi, l'*essere iniziale* inizio comune di tutti gli enti finiti, e il *reale* finito, o per dir meglio i diversi reali finiti, termini diversi dello stesso essere iniziale. Colla quale unione sono creati gli enti finiti — (Ivi).

XVI. Esse initiale per divinam synthesim ab intelligentia relatum, non ut intelligibile sed mere ut essentia, ad terminos finitos reales, efficit ut existant entia finita subiective et realiter.

16. Riferito dall'intelligenza, per mezzo della sintesi divina, l'essere iniziale, non come intelligibile ma puramente come essenza, ai *termini reali finiti,* fa che esistano gli enti finiti subiettivamente e realmente — (Teosof. Vol. I. n. 464, p. 410).

XVII. Id unum efficit Deus creando, quod totum actum esse creaturarum integre ponit: hic igitur actus proprie non est factus, sed positus.

17. Quello che fa Iddio *(creando)* è unicamente di porre tutto intero l'atto dell' essere delle creature; dunque quest' atto non è propriamente *fatto* ma è *posto* — (Teosof. Vol. I. n. 412, p. 350).

XVIII. Amor, quo Deus se diligit etiam in creaturis, et qui est ratio qua determinat ad creandum, moralem necessitatem constituit, quae in ente perfectissimo semper inducit effectum: hujusmodi enim necessitas tantummodo in pluribus entibus imperfectis integram relinquit libertatem bilateralem.

18. Vi ha una ragione in Dio stesso, per la quale ei si determina a creare; e questa ragione è di novo l'amore di se stesso, il quale si ama anche nelle creature. Quindi la divina sapienza, come meglio altrove esporremo, trova esser cosa conveniente la creazione, e questa semplice convenienza basta a far sì che l'Essere perfettissimo vi si determini. Ma non si deve confondere questa necessità di convenienza con quella necessità che nasce dalla forma reale dell'Essere, e che necessità fisica si suol chiamare. La necessità di convenienza è una necessità morale: cioè veniente dall'Essere sotto la sua forma morale: e la necessità morale non sempre induce l'effetto, che ella prescrive; ma lo induce solo nell'Essere perfettissimo, e non negli esseri imperfetti (a molti dei quali rimane perciò la libertà bilaterale), perchè l'Essere perfettissimo è insieme moralissimo, cioè ha compiuta in sè ogni esigenza morale — (Teosof. Vol. I. n. 51, pp. 49-50).

XIX. VERBUM est materia illa invisa, ex qua, ut dicitur Sap. XI. 18, creatae fuerunt res omnes universi.

19. Il VERBO è quella *materia invisa* da cui dice il libro della Sapienza (XI. 18) che furono create le cose tutte dell' universo — (Introduz. del Vangelo secondo Giov. lez. 37, p. 109).

XX. Non repugnat ut anima humana generatione multiplicetur; ita ut concipiatur eam ab imperfecto, nempe a gradu sensitivo, ad perfectum, nempe ad gradum intellectivum, procedere.

20. Niente ripugna che il soggetto, di cui si parla, si moltiplichi per via di generazione — (Psicolog. l. 4, n. 656) — Noi abbiamo già detto, che la generazione dell' anima umana si può concepire per gradi progressivi dall' imperfetto al perfetto, e però che prima ci sia il principio sensitivo, il quale giunto alla sua perfezione colla perfezione dell' organismo, riceva l' intuizione dell' essere, e così si renda intellettivo e razionale — (Teosof. Vol. I. 646, p. 619).

XXI. Cum sensitivo principio intuibile fit esse, hoc solo tactu, hac sui unione, principium illud antea solum sentiens, nunc simul intelligens, ad nobiliorem statum evehitur, naturam mutat, ac fit intelligens, subsistens atque immortale.

21. Rendendosi l' essere intuibile al detto principio (sensitivo), con questo solo toccamento, con questa unione di sè, il principio prima solo senziente, ora anco intelligente, si solleva al più alto stato, cangia natura, rendesi intellettivo, sussistente, immortale — (Antropol. l. 4. c. 5, n. 819) — Quindi si offre alla mente l' espressione, che il *principio sensitivo* sia divenuto *principio razionale,* che si sia convertito in un altro, avendo subito veramente una tale permutazione — (Teosof. Vol. I. n. 646, p. 619).

XXII. Non est cogitatu impossibile, divina potentia fieri posse, ut a corpore animato dividatur anima intellectiva, et ipsum adhuc maneat animale: maneret nempe in ipso, tanquam basis puri animalis, principium animale, quod antea in eo erat veluti appendix.

22. Quanto poi alle appendici di cui parliamo, cioè al corpo animato, non è certo impossibile il pensare, che dalla potenza divina possa esser da lui divisa l'anima intellettiva, ed egli tuttavia rimanersi nella qualità di animale, rimanendo il principio animale, che prima esisteva come appendice, siccome base del novo ente, cioè del puro animale che rimarrebbe — (Teosof. Vol. I. n. 621, p. 591).

XXIII. In statu naturali, anima defuncti existit perinde ac non existeret: cum non possit ullam super seipsam reflexionem exercere, aut ullam habere sui conscientiam, ipsius conditio similis dici potest statui tenebrarum perpetuarum et somni sempiterni.

23. Questa (l' anima del defunto) esiste certamente, ma è come se non esistesse — (Teodicea *Appendice,* art. 10, p. 638). — Nel quale stato (di natura) non essendo a lei (all' anima separata) possibile alcuna riflessione su di se stessa, nè alcuna coscienza, la sua condizione si potrebbe rassomigliare ad uno stato di perpetue tenebre, e di sempiterno sonno — (Introduz. del Vangelo secondo Giov. lez. 69, p. 217).

XXIV. Forma substantialis corporis est potius effectus animae, atque interior terminus operationis ipsius: propterea forma substantialis corporis non est ipsa anima.

Unio animae et corporis proprie consistit in immanenti perceptione, qua subiectum intuens ideam affirmat sensibile, postquam in hac ejus essentiam intuitum fuerit.

24. La forma sostanziale del corpo è piuttosto un effetto dell' anima e il termine interno delle sue operazioni: e però non è l' anima stessa che sia la forma sostanziale del corpo — (Psicol. Par. II. l. l, c. 11, n. 849). L' unione dell' anima col corpo consiste propriamente in una percezione immanente, per la quale il soggetto intuente l' idea afferma il sensibile dopo averne in questa intuita l' essenza. — (Teosof. Vol. V. Cap. LIII. art. II. § 5. V. 4.° p. 377).

XXV. Revelato mysterio SSmae TRINITATIS, potest ipsius existentia demonstrari argumentis mere speculativis, negativis quidem et indirectis, hujusmodi tamen ut per ipsa veritas illa ad philosophicas disciplinas vocetur,

25. Il mistero della TRIADE... dopo che fu rivelato, esso rimane bensì incomprensibile nella sua propria natura... ma ben... si può conoscere quella (l' esistenza) d' una TRINITÀ in DIO in un modo almeno congetturale con ragioni positive e dirette, e dimostrativamente con ragioni negative ed indirette; e che, mediante que-

atque fiat propositio scientifica sicut ceterae: si enim ipsa negaretur, doctrina theosophica *purae rationis* non modo incompleta maneret, sed etiam omni ex parte absurditatibus scatens annihilaretur.

ste prove puramente speculative dell' esistenza d'un'augustissima Triade, questa misteriosa dottrina rientra nel campo della filosofia — Quest' esistenza (della SSma Trinità) diventa una proposizione scientifica come le altre. — Qualora si negasse quella Trinità, ne verrebbero da tutte le parti conseguenze assurde apertamente... O conviene ammettere la divina Triade, o lasciare la dottrina theosofica di pura ragione incompleta non solo ma pugnante d' ogni parte seco medesima, e dagli assurdi inevitabili straziata e del tutto annullata — (Teosof. Vol. I. nn. 191, 193, 194, pp. 155-158).

XXVI. Tres supremae formae *esse*, nempe subiectivitas, obiectivitas, sanctitas, seu realitas, idealitas, moralitas, si transferantur ad esse absolutum, non possunt aliter concipi nisi ut personae subsistentes et viventes.

Verbum, quatenus obiectum amatum, et non quatenus Verbum idest obiectum in se subsistens per se cognitum, est persona Spiritus Sancti.

26. L' essere nelle tre forme *(subiettività, obiettività, santità*, o per dirlo altramente: *realità, idealità, moralità)* è identico — Le tre forme poi dell' essere, ove si trasportino nell' Essere assoluto, non si possono più concepire in altro modo, che come persone sussistenti e viventi (Vol. I. nn. 190, 196, pp. 154, 159). — Il Verbo, *in quanto* è oggetto amato, e non in quanto è Verbo cioè oggetto sussistente per sè cognito, è la persona dello Spirito Santo — (Introd. del Vang. secondo Giov. lez. 65, p. 200).

XXVII. In humanitate Christi humana voluntas fuit ita rapta a Spiritu Sancto ad adhaerendum Esse obiectivo, idest Verbo, ut illa Ipsi integre tradiderit regimen hominis, et Verbum illud personaliter assumpserit, ita sibi uniens naturam humanam. Hinc voluntas humana desiit esse personalis in homine, et cum sit persona in aliis hominibus, in Christo remansit natura.

27. Nell' umanità di Cristo la volontà umana fu talmente rapita dallo Spirito Santo ad aderire all' essere oggettivo, cioè al Verbo, che ella cedette intieramente a lui il governo dell' uomo, e il Verbo personalmente ne prese il regime, così incarnandosi rimanendo la volontà umana e l' altre potenze subordinate alla volontà in potere del Verbo, che come primo principio di quest' essere Teandrico, ogni cosa faceva, o si faceva dalle altre potenze col suo consenso. Onde la volontà umana cessò di essere personale nell' uomo, e da persona che è negli altri uomini rimase in Cristo natura... Il Verbo poi, incarnato così per opera dello Spirito Santo, estese la sua unione a tutte le potenze ed alla carne stessa — (Introduz. del Vangelo secondo Giov. lez. 85, p. 281).

XXVIII. In christiana doctrina, Verbum, character et facies Dei, imprimitur in animo eorum qui cum fide suscipiunt baptismum Christi.

Verbum, idest character in anima impressum, in doctrina christiana, est Esse reale (infinitum) per se manifestum, quod deinde novimus esse secundam personam Sanctissimae Trinitatis.

28. Insegnò dunque il Cristianesimo che il Verbo, carattere e faccia di Dio, come viene anco sovente chiamato nelle Scritture, s' imprime nelle anime di quelli, che colla fede ricevono il battesimo di Cristo (Introduz. alla Filos. n. 92) — Il Verbo dunque ossia il carattere impresso nell' anima, secondo il cristiano insegnamento, è l' essere reale (infinito) per sè manifesto, il quale dipoi sappiamo essere una persona, la seconda della divina Trinità — (Ivi, *Nota*).

XXIX. A catholica doctrina, quae sola est veritas, minime alienam putamus hanc conjecturam: In eucharistico Sacramento substantia panis et vini fit vera caro et verus sanguis Christi, quando Christus eam facit terminum sui principii sentientis, ipsamque sua vita vi-

29. Non crediamo aliena dalla dottrina cattolica, che solo è verità, la seguente conghiettura *(cioè che nell' Eucaristico Sacramento)* la sostanza del pane e del vino ha cessato intieramente d' essere sostanza del pane e del vino, ed è divenuta vera carne e vero sangue di Cristo, quando Cristo la rese termine del suo principio senziente, e così la avvivò della sua vita, a quel

vificat: eo ferme modo, quo panis et vinum vere transsubstantiantur in nostram carnem et sanguinem, quia fiunt terminus nostri principii sentientis.

modo come accade nella nutrizione, che il pane che si mangia e il vino che si beve, quand'è, nella sua parte nutritiva, assimilato alla nostra carne e al nostro sangue, egli è veramente transustanziato, e non è più, come prima, pane o vino, ma è veramente nostra carne e nostro sangue, perchè è divenuto termine del nostro principio sensitivo — (Introduz. del Vang. secondo Giov. lez. 87, pp. 285-286).

XXX. Peracta transsubstantiatione, intelligi potest, corpori CHRISTI glorioso partem aliquam adiungi in ipso incorporatam, indivisam pariterque gloriosam.

30. Avvenuta la transustanziazione, si può intendere che al corpo glorioso (di GESÙ CRISTO) si sia aggiunto qualche parte in esso incorporata, ed indivisa e del pari gloriosa — (Ivi).

XXXI. In Sacramento eucharistiae, *vi verborum* corpus et sanguis CHRISTI est tantum ea mensura, quae respondet quantitati (a quel tanto) substantiae panis et vini, quae transsubstantiantur: reliquum corporis CHRISTI ibi est *per concomitantiam.*

31. Appunto perchè il corpo di CRISTO è unico ed indiviso, egli è necessario che dove si trova una parte si trovi tutto...; ma non tutto quel corpo diviene termine del suo principio senziente, ma unicamente quella parte che risponde a quel tanto che v'aveva di sostanza di pane e di sostanza di vino nella transustanziazione. Ancora ne verrebbe che in virtù delle parole divine questa sostanza del pane e del vino si transustanziasse in carne e sangue del Salvatore; ma il rimanente del corpo e del sangue vi rimanesse unito per concomitanza; il che non par contrario alla dottrina cattolica — (Ivi, p. 286, seg.).

XXXII. Quoniam qui non manducat carnem Filii hominis et bibit eius sanguinem, non habet vitam in se; et nihilominus qui moriuntur cum baptismate aquae, sanguinis aut desiderii certo consequuntur vitam aeternam: dicendum est, his, qui in hac vita non comederunt corpus et sanguinem CHRISTI, subministrari hunc coelestem cibum in futura vita, ipso mortis instanti.

Hinc etiam Sanctis V. T. potuit CHRISTUS descendens ad inferos seipsum communicare sub speciebus panis et vini, ut aptos eos redderet ad visionem DEI.

32. Se dunque chi non mangia la carne del Figliuolo dell'uomo, e bee il suo sangue, non ha la vita in se stesso, e tuttavia chi muore col battesimo di acqua, o di sangue, o di desiderio, è certo che acquista la vita eterna; convien dire che quella comestione della carne e del sangue di CRISTO, che non fece nella vita presente, gli verrà somministrata nella futura al punto della sua morte, e così avrà la vita in se stesso... Anche a' santi dell'antico testamento, quando CRISTO discese al limbo, potè CRISTO comunicare se stesso sotto la forma di pane e di vino, e così... renderli atti alla visione di DIO — (Introduz. del Vang. secondo Giovanni lez. 74, p. 238).

XXXIII. Cum daemones fructum possederint, putarunt se ingressuros in hominem, si de illo ederet; converso enim cibo in corpus hominis animatum, ipsi poterant libere ingredi animalitatem, idest in vitam subiectivam hujus entis, atque ita de eo disponere sicut proposuerant.

33. (I demonii) impossessatisi di un frutto pensarono che entrerebbero nell'uomo, quand'egli, spiccatolo dall'albero, ne mangiasse; giacchè il cibo convertendosi nel corpo animato dell'uomo, essi potevano entrare a man salva nell'animalità, ossia nella vita soggettiva di questo essere, e farne quel governo che si proponevano. — (Introd. del Vang. secondo Giov. lez. 63, p. 191).

XXXIV. Ad praeservandam B. V. MARIAM a labe originis, satis erat ut incorruptum maneret minimum semen in homine, neglectum forte ab ipso daemone; e quo incorrupto se-

34. Preservò (IDDIO) dal peccato originale una donzella...: alla quale preservazione dall'infezione originale bastava che rimanesse incorrotto un menomo seme nell'uomo, trascurato forse dal demonio stesso, dal quale seme incorrotto passato di generazione in generazione

mine de generatione iu generationem transfuso, suo tempore oriretur Virgo Maria.

uscisse a suo tempo la Vergine — (Ivi, lez. 64, p. 193).

XXXV. Quo magis attenditur ordo justificationis in homine, eo aptior apparet modus dicendi scripturalis, quod Deus peccata quaedam tegit aut non imputat. — Juxta Psalmistam discrimen est inter iniquitates, quae teguntur: illae, ut videtur, sunt culpae actuales et liberae, haec vero sunt peccata non libera eorum qui pertinent ad populum Dei, quibus propterea nullum afferunt nocumentum.

35. Più che altri considera quest'ordine della giustificazione dell'uomo, più troverà acconcia la maniera scritturale di dire che Dio cuopre certi peccati o non gl'imputa. Infatti col battesimo non si distrugge la mala volontà naturale, ma le se n'aggiunge una soprannaturale, che cuopre, per così dire la naturale, e impedisce che quella perda l'uomo. Onde il Salmista dice: Beati quelli, le iniquità dei quali furono rimesse, e i peccati de' quali furono coperti; dove si fa la differenza fra le iniquità che si rimettono, e i peccati che si cuoprono, e sembra che per quelle si vogliano intendere le colpe attuali e libere, e per questi i peccati non liberi di quelli che appartengono al popolo di Dio, e che però non ne ricevono più danno alcuno — (Trattato della coscienza morale, l. I, c. 6. a. 2).

XXXVI. Ordo supernaturalis constituitur manifestatione esse in plenitudine suae formae realis; cujus communicationis seu manifestationis effectus est sensus (sentimento) deiformis, qui inchoatus in hac vita constituit lumen fidei et gratiae, completus in altera vita constituit lumen gloriae.

36. L'essere (essenziale) si comunica a noi nella sola forma ideale per natura, e questo costituisce *l'ordine naturale;* l'essere stesso si manifesta a noi altresì nella pienezza della sua *forma reale* per grazia, e questa è comunicazione e percezione vera di Dio, e costituisce l'ordine soprannaturale... l'effetto della comunicazione soprannaturale è un sentimento deiforme, di cui non abbiamo a principio coscienza, come non l'abbiamo di ogni sentimento nostro sostanziale e fondamentale. Or poi il *sentimento deiforme,* di cui parliamo, è incipiente in questa vita, nella quale constituisce il lume della *fede* e della *grazia;* compiuto nell'altra, nella quale constituisce il lume della gloria — (Filosof. del Dritto, Par. II. nn. 674, 676, 677).

XXXVII. Primum lumen reddens animam intelligentem est esse ideale; alterum primum lumen est etiam esse, non tamen mere ideale sed subsistens ac vivens: illud abscondens suam personalitatem ostendit solum suam obiectivitatem: at qui videt alterum (quod est Verbum), etiamsi per speculum et in aenigmate, videt Deum.

37. Il primo lume che rende l'anima intelligente è l'essere ideale e indeterminato; l'altro primo lume è ancora l'essere, ma non puramente ideale, ma ben anche sussistente e vivente... L'idea adunque è l'essere intuito dall'uomo, ma non è il Verbo; che non quella ma questo è sussistenza: quello è l'essere che occulta la sua sussistenza e lascia solo trasparire la sua oggettività indeterminata ed impersonale: nella mente che intuisce l'idea non cade la personalità dell'essere... ma chi vede il Verbo, ancorchè per ispecchio ed in enimma vede Iddio — (Introd. alla Filosofia, n. 85).

XXXVIII. Deus est obiectum visionis beatificae, in quantum est auctor operum *ad extra.*

38. Sebbene Iddio senza mezzo alcuno sia oggetto della visione beatificatrice, e forma dell'intelletto dei Beati; tuttavia egli è tale in quanto è autore delle opere *ad extra,* le quali in modo ineffabile sono in lui — (Teodicea, n. 672).

XXXIX. Vestigia sapientiae ac bonitatis, quae in creaturis relucent, sunt comprehensoribus necessaria; ipsa enim in aeterno exemplari collecta sunt ea Ipsius pars, quae ab illis videri possit (che è loro accessibile), ipsaque argumentum praebent laudibus, quae in aeternum Deo Beati concinunt.

39. I vestigii della sapienza e della bontà del creato lungi dal divenire loro (ai comprensori) inutili, anzi riescono necessarii; perocchè questi vestigii tutti raccolti nell'esemplare eterno sono appunto quella parte di esso che è loro accessibile, onde sono tuttavia quelli che danno argomento alle lodi che a Dio eternamente tributano — (Ivi, n. 674).

XL. Cum Deus non possit, nec per lumen gloriae, totaliter se communicare entibus finitis, non potuit essentiam suam comprehensoribus revelare et communicare, nisi eo modo qui finitis intelligentiis sit accommodatus: scilicet Deus se illis manifestat qûatenus cum ipsis relationem habet, ut eorum creator, provisor, redemptor, sanctificator.

40. Se dunque non potea (Dio) comunicare se stesso totalmente ad esseri finiti, neppure mediante il lume di gloria; rimane a cercare in che modo egli poteva rivelare loro e comunicare la propria essenza. Certo in quel modo che alla natura delle intelligenze create è conforme; e questo modo è quello pel quale Iddio ha con esso loro relazione, cioè come creatore loro, come provisore, come redentore, come santificatore — (Ivi, n. 677).

Ioseph Mancini S. Rom. et Univ. Inq.
Notarius.

II.

ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS

Incitamenta Seraphica.

—

DE DISCIPLINA REGULARI RESTITUENDA

CAPUT III.

De studio et labore.

§ 8. *De labore manuali.*

154. Labor per ipsam legem divinam hominibus injunctus est. Deus enim Adamo post commissam culpam ait (1): « Maledicta terra « in opere tuo: in laboribus comedes ex ea « cunctis diebus vitae tuae... in sudore vultus « tui vesceris pane; donec revertaris in ter- « ram, de qua sumptus es ». Sicut autem culpa Adami ad omnes homines pertransiit, sic et poena, qua ad laborandum obligantur. Propterea S. Paulus christianos gravibus verbis admonet, ut juxta status sui conditionem labori diligenter incumbant. « Rogamus, ait (2), ut « vestrum negotium agatis, et operemini ma- « nibus vestris, sicut praecepimus vobis ». Et alibi ait (3): « Si quis non vult operari, nec « manducet ». — Si ergo omnes homines in poenam peccati juxta status sui conditionem laborare tenentur: certissime status religiosus, qui praecipue ad mortificandum corpus dirigitur, ab hoc onere exemptus esse non potest. Magna propterea inordinatio esset, si quis Religionem ingrederetur, ut immunis a labore commodam vitam ducere posset. Talem nullatenus in Ordinem admittendum esse, declaravit S. Pater noster seraphicus cuidam dicens (1): « Vade viam tuam, frater musca, « quoniam vis comedere laborem Fratrum « tuorum ».

155. Religiosi ex speciali titulo ad laborandum sunt obligati. In professione enim tacitus fit contractus, quo Religio se obligat, ut Fratri necessaria ad victum et vestitum provideat, Frater vero se obligat, ut Religioni inserviat, vires suas in laboribus statui suo convenientibus impendendo. Sicuti ergo Superiores peccant, si subditis suis necessaria subministrare non student, sic etiam Fratres peccant, si labores ad se in societate religiosa pertinentes negligunt. Nullatenus ergo Superioribus jus abnegari potest, Fratres etiam per poenas ad laborandum adstringendi. Quapropter quilibet Religiosus, vocationis suae memor, saepe illa verba ruminare debet, quae leguntur in libro de Imitatione Christi (2): « Ad servien- « dum venisti, non ad regendum: ad patien- « dum et laborandum scias te vocatum, non « ad otiandum vel fabulandum ».

156. Specialis ratio Fratres Minores ad laborandum adigit. Ipsi enim plerumque de

(1) Genes. III, 17, 19.
(2) I. Thessal. IV, 11.
(3) II. Thessal. III, 10.

(1) Opusc., Apoph. 5.
(2) Libr. I. cap. 17.

eleemosynis vivunt. Benefactores autem ipsis eleemosynas tribuunt non solum, ut pro ipsis orent, sed etiam, ut cetera opera statui suo convenientia cum majori facilitate et promptitudine exerceant. Haec ergo negligentes alienis beneficiis indignos se reddunt.

157. S. P. N. Franciscus ideo quoque Fratribus suis commendavit laborem, ut, quantum fieri potest, ipsi necessariam sibi sustentationem procurent, et sic per nimis frequentatam mendicationem benefactoribus molesti non fiunt. Propterea etiam in suo Testamento dicit: « Quando non dabatur nobis pretium « laboris, recurrebamus ad mensam DOMINI « petendo eleemosynam ostiatim ».

158. Noluit tamen seraphicus Pater omnibus imponere manualem laborem, sed iis tantum, « quibus dedit DOMINUS gratiam labo« randi ». Quorumdam enim opera in aliis rebus, negotiis, studiisque utilior est. In Religione omnes sumus unius corporis membra, quae omnia non eumdem actum habent, sed habemus donationes, secundum gratiam, quae data est nobis, differentes. Tunc perfectae pacis et sanitatis indicium est, dum quodlibet membrum juxta datam sibi coelitus donationem operatur. Superiorum autem est, cujuscumque aptitudines et vires considerare, illisque applicare functionibus, quas sperant recte per ipsum administrandas. Discrete igitur sua singulis pensa distribuant: fortioribus graviora, infirmis facilia, indoctis corporalia, doctis spiritualia, simplicibus simplicia, expertis magis periculosa.

159. Fratres laici ideo in Ordinem recipiuntur, ut inserviant aliis Fratribus laboribus spiritualibus occupatis: ut nimirum hi cum majori facilitate et imperturbata sollicitudine muneribus suis praestantioribus insistere possint, illi necessaria ministeria quoad victum, vestitum etc. praestare tenentur.

160. Dum S. Pater in suo Testamento Fratres ad laborandum excitat, simul eosdem adhortatur, ut nonnisi honestum laborem suscipiant. Ait enim: « Firmiter volo, quod la« borent: de laboritio quod pertinet ad hone« statem ». Labor ergo a Fratribus suscipiendus decens, honestus, eorumque statui conveniens sit oportet. Ab omnibus autem laboribus et artibus mechanicis, statui religioso non convenientibus, abstinere debent, e. g. a venatione, a negotiatione, et similibus. Hujusmodi occupationes jam clericis saecularibus sunt interdictae, adhuc magis vero Religiosis.

161. S. Franciscus vehementer optavit, ut Fratribus suis labor non devotionis et perfectionis impedimentum, sed potius medium evadat in via virtutis progrediendi et merita augendi. Ideo ipsis modum laborandi praescripsit, dicens: « laborent fideliter et devote ».

162. Ut Fratres *fideliter* laborent, officium suum aeque peragere debent absente Superiori, ac si praesens esset. Infelices illi, qui coram parati sunt ad quaelibet obsequia, absentium vero negotía negligunt, quasi nullam mercedem reportabunt. S. Paulus docet, quomodo fideliter sit laborandum, scribens (1): « Non ad « oculum servientes, quasi hominibus placen« tes; sed in simplicitate cordis timentes DEUM. « Quodcumque facitis, ex animo operamini, « sicut DOMINO, et non hominibus: scientes « quod a DOMINO accipietis retributionem hae« reditatis. DOMINO CHRISTO servite ». Si cogitent jugiter Religiosi laborantes, se non Superiori servire, sed ipsi DOMINO CHRISTO, ejusque membris, atque ab illo DOMINO indesinenter conspici opera manuum suarum, et ab illo esse remuneranda: absque dubio non servient ad oculum humanum quasi hominibus placituri.

163. Ad fidelitatem etiam pertinet, ut Religiosi illi, quibus cura aliquarum rerum communitatis demandata est, sic omnia fideliter administrent ac dispensent, sicut Fratrum exigit necessitas, et religiosa dictat paupertas. Hinc communia bona non debent propriis vindicare commodis, sed communibus assignare. Non imperiose cum consodalibus debent agere, sed fraterne, ut etiam, dum ea petuntur ab illis, quae praestare non possunt, non repellant petitionem cum amaritudine; sed potius, quantum fieri potest, verbis satisfaciant postulanti, quando factis non possunt.

164. Requiritur insuper ad fidelitatem in laborando, ut quis absque legitima causa se operi injuncto non subducat. Praetexunt subinde aliqui excusationem, quod timeant nimietate laboris suam laedere complexionem vitamque abbreviare. Proculdubio ex eadem

(1) Coloss. III. 22.

materia compacti sunt isti, ex qua viri ceteri, qui in mari, in terra, in agris, in urbibus, et ubique locorum gravibus incumbunt laboribus, et tamen sani, robusti, vegeti et integri perseverant. Magis vero indignum foret Religiosis, si laborem declinarent ex indignatione in Superiorem concepta, et hoc modo aliquam irrogare vellent ultionem. Non enim solis Superioribus, sed potius sibimetipsis subditi laborant. Et ideo tali pervicacia parvum irrogatur Conventui damnum temporale, ingens vero spirituale ipsis subditis tali modo agentibus, nempe jactura meriti obedientiae, charitatis, humilitatis et patientiae. Alii laborem fastidiunt ob vilitatem officii, cui applicantur, dum arbitrantur se ad majora natos, seque posse in aliis occupationibus majorem conferre utilitatem. Similibus opinionibus seipsos attollentes nonnisi perfunctorie et aegre perficiunt ea, quae sui sunt officii. Non desunt quoque alii, qui ex pusillanimitate putant, se nihil boni praestare, et quidquid agant, omnibus displicere. Omnes isti tales tentationes simpliciter despiciant, et omnia opera quae ipsis injunguntur, propter DEUM fideliter peragant, et hoc modo pro quolibet labore mercedem suam recipient.

165. Labores nostri non solum fideliter, sed etiam *devote* peragi debent. Quod ut fiat, imprimis laboribus sancta praemittatur intentio. Ordinarius finis a saecularibus intentus operariis est, suis suorumque providere necessitatibus, fugere mendicitatem, et congregare aliquid pro illo tempore, quo non aderit lucrandi copia. Huic scopo facile avaritia se immiscet, et excessus quidam concupiscentiae sollicitudinisque temporalium. Alios ad laborem trahit studium valetudinis, quae conservatur exercitatione, et roboratur. Alios allicit mentis aliqua recreatio, dum in suis sibi complacent artefactis et sufficiens eis praemium est, egregium aliquid elaborasse. Ad sublimiora vero vocatur manualis Religiosorum exercitatio. Saeculares saepe operantur, ut corruptibilem coronam accipiant, nos Religiosi autem incorruptam quaerere debemus. Scopus nostri laboris esse debet ipse DEUS, ad quem actiones nostrae prudenti intentione sunt dirigendae. Hinc nobis curae sit non ex abrupto, vel sine intellectu, animalium more, nostros subire labores, sed rationabile faciamus obsequium nostrum, et quod corporale tantum est in saecularibus et inconsideratis hominibus, spirituale per religiosam reddamus intentionem, unde non solum corporum commoda, sed salutem quoque reportemus animarum. Profecto magna vanitas est et afflictio pessima, fraudare animam suam bonis, et solius corporis bonis intendere. « Operamini, monet SALVATOR noster, non cibum « qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam » (1).

166. Pretiosa sunt merita operum sanctificatorum, quibus reposita est vita sempiterna. Porro corporalis exercitatio spirituali sanctificatur intentione. Hujusmodi intentiones sunt, fuga otiositatis, studium humilitatis, cujus affectu ad infima servitia se redigit Religiosus, quae viris nobilibus honoratisque probrosa viderentur; item paupertatis amor, ut hoc modo se de pauperum sorte esse protestetur, simulque affectu religiosae parsimoniae, proprio labore sumptus praecaveat, qui in conducendis exterorum operariorum ministeriis faciendi essent. Pium quoque est laboritium animo domandae carnis susceptum. Sanctificant laborem etiam respectus exhibendae obedientiae, vel fraternae caritatis, quarum virtutum materia numquam deest, ob quotidianorum occurrentiam mandatorum, et ob commodum quod ex ea diligentia ceteris Fratribus noscitur provenire.

167. Magis augebitur laborum sanctitas, si pia mentis devotione, et jaculatoriis condiantur orationibus. In mediis etiam negotiis, in mediis ministeriis mentem possumus ad DEUM elevare, et si non ore, corde saltem dicere « DOMINE adjuva me », « Diligo te, Do« MINE », vel quid simile. Satagebat Martha circa frequens ministerium, sed noverat vel per transitum occasionem captare, paucis verbis DOMINUM alloquendi. Non omnes diu possunt ad pedes DOMINI consedere, possunt tamen breviter saltem aliquid ad DEUM in suis loqui occupationibus. Sic egit Martha, CHRISTUM allocuta, prout ei licuit per frequentiam ministerii; idemque in nostra est potestate. Hunc Marthae agendi modum moraliter exponens S. Gregorius ait: « Quo profecto exemplo in« struimur, ut qui Fratribus ministeria exhi« bemus, si per moram sedere ad Redempto-

(1) Ioann. VI, 27.

« ris pedes non possumus, per aliquantulam « moram saltem ei assistere debemus. Sed « bene ei assistimus, si transeundo et serviendo « videamus. Quod est enim transeundo DOMI- « NUM cernere, nisi in omni nostro bono opere « ad ipsum cordis dirigere intentionem. Trans- « imus enim, quando huic illuc discurrendo in « membris suis DOMINO ministramus. Sed trans- « eundo DOMINUM cernimus, si per omne quod « agimus praesentem nobis ipsum, cui placere « cupimus, contemplamur ». Hoc in cunctis actionibus suis et circa quarumcumque occurrentiam creaturarum seraphicus noster practicabat Patriarcha. Ut ex omnibus ad divinum excitaretur amorem, exultabat in cunctis operibus manuum DOMINI: et per jucunditatis specula in vivificam consurgebat rationem et causam. Contuebatur in pulchris pulcherrimum, et per impressa rebus vestigia prosequebatur ubique Dilectum: de omnibus sibi scalam faciens, per quam conscenderet ad apprehendendum eum, qui est desiderabilis totus. Inauditae namque devotionis affectu, fontalem illam bonitatem in creaturis singulis, tamquam in rivulis degustabat (1).

168. Aliud devotionis praesidium in labore manuum desudantibus praebet S. Paulus, scribens (2): « Audivimus quosdam inter vos « ambulare inquiete, nihil operantes, sed cu- « riose agentes. Illis autem qui ejusmodi sunt « denuntiamus et oramus in Domino JESU « CHRISTO, ut cum silentio operantes, suum « panem manducent ». Nemo est qui ignoret, quanta ex silentii neglectu scaturiant devotionis impedimenta. Nimia laboratium garrulitas et retardat expeditionem operis et spiritum extinguit devotionis; quapropter specialiter vitanda Laico franciscano, cui *fideliter* laborare praecipitur et *devote*. S. Pater noster aliquando dicebat (3): « Taciturnitas modesta, et puri « cordis est firma custodia, et inter virtutes « magnas non modica: mors enim et vita sunt « in manu linguae, non tam ratione gustus, « quam ratione loquelae ».

169. Querulantur subinde Laici, quod orationibus vacare non possint quemadmodum clerici, nec divinis aequaliter interesse, ob manualium operum impedimenta. Certe tamen non ex opere provenit impedimentum, sed ex defectu operantis. Opus non impedit a colloquio cum adstantibus, quos audiunt, quibusque respondent absque operis, quod prae manibus habent, detrimento: cur non aeque colloquium cum DEO institui possit praesente et attentissimo cordium inspectore? Inde igitur illorum oritur indevotio, quod non sic animum divino applicent colloquio, sicut fabulis humanis, quodque cogitationibus suis vagis laxent habenas, atque indiscriminatim objecta omnia suscipiant occurrentia, iisque sponte inhaereant, quia eisdem delectantur. Quos vero replet amor DEI, haerens profunde in cordium medullis, nulla difficultate de eo cogitant atque loquuntur quem diligunt. Tametsi circumeant, et circumsepti sint personarum ac negotiorum multitudine, per vicos etiam et plateas quaerunt quem diligit anima sua.

170. Ita labores nostros peragamus, ut spiritus devotionis, cui omnia temporalia debent servire, non solum minime extinguatur, sed potius per ipsum laborem magis augeatur. Modum hoc obtinendi edocet S. Bonaventura, scribens (1): « Qui vult cum activa vita con- « templativam habere, ut suum DOMINUM in « omnibus contempletur, videtur, quod haec « via sit brevis et bona; videlicet, ut se to- « tum recolligens intret in cor suum, se re- « solvat in DEUM, ut nihil nec videat, nec sen- « tiat nisi DEUM; et tunc aliquo modo sic dei- « ficatus et transformatus in eum, ad quod- « cumque se vertet, nihil nisi DEUM conside- « rabit; et quidquid operis faciet, non homini, « sed soli DEO facere existimabit. Dum hanc « formam tenebit in labore activo, contempla- « tiva fruetur. Et si forte contingat: immo « quia continget, eum ab hac nobili forma di- « scedere, ad ipsam nitatur statim redire, et « haec toties faciat, quod quasi in habitum « ducat, et hoc magis divina largitate, quam « aliqua industria impetrare credat ».

171. Qui hoc modo laborant, laborant sicut decet servos DEI, et revera sanctum DEO servitium exhibent. Ad tale servitium S. P. Franciscus nos excitat, dicens (2): « Heu quam « bonum est, Fratres, DEO servire: Melior est

(1) Vita S. Francisci, cap. IX, n. 1.
(2) II. Thessal. III, 11.
(3) Opusc. part. III, Apophl. 3.

(1) Stimul. amor. part. II. cap. 7.
(2) Opusc. part. III. Collat. 23.

« DEI servitus, quam mundi principatus. Sed « quis est, qui certo cognoscit, se esse servum « DEI? Nihil melius est, quam esse servum « DEI; nihil tamen difficilius est homini certo « cognoscere, quam si est DEI servus, vel ami- « cus. Ego vobis confiteor, quod rogavi DO- « MINUM, ut mihi dignaretur ostendere, quando « sum servus DEI, et quando non. Ipse autem « DOMINUS benignissimus sua dignatione re- « spondit mihi: Servum meum veraciter te « esse cognosce, cum sancta cogitas, loqueris, « et operaris. Ideo vobis praedicta insinuavi, « ut vos etiam sciatis, quando DEI servi estis, « et ei placetis ».

172. Huic Capitulo *de studio et labore* jam finem imponentes, omnes Fratres nostros enixe rogatos volumus, ut pro eorum capacitate et speciali vocatione semper strenue et sancte sese occupent pro DEI honore, Ordinis et proximi utilitate et propria sanctificatione. « Dum « tempus habemus, operemur bonum (1) ». Superiores serio attendant, ut otiositatem e Conventibus suis expellant, et subditos ad studium et laborem respective jugiter compellere non negligant. Magistri et Lectores juvenibus instituendis studii amorem instillare conentur. Fratres laici saepius moneantur, ut non solum injunctos sibi labores adamussim peragant, sed etiam sancto ac fructuoso modo laborare satagant, et sic DEI benedictionem et multas gratias pro semetipsis et pro Conventu suo obtinere studeant.

(Continuabitur).

—

CAPITULA PROVINCIALIA

Anno 1887 celebrata.

XXVI.

Obs. Provincia Corsicae.

Die 15 Augusti 1887, rite celebratum est Capitulum Obs. Prov. Corsicae, in Conventu Spiritus Sancti loci de Marcasso, praesidente Adm. R. P. ANDREA AB HURBACHE, ex-Provinciali Prov. S. Ludovici in Gallia, et canonice electi sunt:

(1) Galat. VI, 10.

MINISTER PROVINCIALIS

Adm. R. P. Antonius a Lumio.

CUSTOS PROVINCIAE

Adm. R. P. Petrus a Volpaiola.

DEFINITORES

R. P. Stephanus a Nuro.
R. P. Isidorus a S. Sabino.
R. P. Ambrosius a Levatore.
R. P. Donatus ab Avelio.

III.

MISSIONES

—

EX REP. ARGENTINA

ERECTIO

Conventus SS. Virginis Mariae de Mercede, civitatis vulgo Corrientes *in Collegium apostolicum de Propaganda Fide.*

Eminentissimus D. Ioannes Cardinalis Simeoni, S. C. Propagandae Fidei Praefectus et Ordinis nostri Protector, preces audiens Patrum Missionariorum *Conventus* S. MARIAE de Mercede in civitate *Corrientes* existentis ac supplicationibus annuens Rmi P. Ministri Generalis per Pontificium Rescriptum, datum Romae die 1. Iulii 1887, clementer indulsit ut hoc caenobium erigeretur in Collegium apostolicum de Propaganda Fide, cum privilegiis Brevis Piani quod incipit « Apostolica sedes » ad instar aliorum quae in America fundata sunt. Quod quidem Rescriptum executioni traditum est die 6 Octobris subsequentis, eademque die celebratum novi Collegii primum Capitulum, praesidente Adm. R. P. SALVATORE MAZZA, Commissario Generali Reipublicae Argentinae; rite autem electi sunt:

GUARDIANUS COLLEGII

R. P. Cornelius Casali.

PRAEFECTUS MISSIONUM

R. P. Ignatius Riccioni.

DISCRETI COLLEGII

R. P. David Belli.
R. P. Philibertus Bocchio.

R. P. Antoninus Belli.
R. P. Franciscus Ristorto.

—

COLLEGIUM SALTENSE.

Ex relatione R. P. Massaei, Praefecti Missionum ad Collegium de Salta pertinentium, die 2 Januarii currentis anni exarata, desumimus Missionem Sancti Michaelis Archangeli inter infideles recenter fundatam solatium fere nullum Missionariis adhuc attulisse. Harum etenim sylvarum Indi, ignorantiae et naturali pigritiae dediti, indifferentes se ostendunt et tam religiosae quam civili culturae infensos ac rebelles. Infantili aetate et jocis transactis, nullam addiscunt viri labores ac negotia, sed placido indulgent otio, sequentis diei nullam habentes sollicitudinem.

Revera Missionarius sicut olim prophetae exclamari posset: Putasne vivent ossa ista? (1) Sed certe vivent, quando DOMINUS eisdem spiritum dare voluerit. Interim plantare et sudore suo rigare Missionarii debent, hac spe suffulti ut, intercedente immaculata Virgine, DEUS tandem incrementum impertiatur.

In ultimo biennio domus lateribus extructa est, vinea plantata, diversa grana seminata etc. mediante subsidio 5000 libellarum a Gubernio concesso.

Quoad spiritualem administrationem sequentia notantur:

Baptismi	10
» in articulo mortis	40
Confessiones infirmorum	33
Extremae unctiones	13
Confessiones in ecclesia	230
Communiones	220
Matrimonia benedicta	8

Fr. MASSAEUS MASSEI
Praefectus Missionum.

—

EX COLLEGIO S. ANTONII
civitatis Cajamarcae in Rep. Peruviana.

Ex relatione V. Discretorii hujus apostolici Collegii die 8 Januarii 1877 exarata, 10 aderant Sacerdotes, 5 Fratres Laici, solemniter professi; 10 Choristae sive Clerici votorum simplicium; 2 Fratres Laici novitii; 2 Fratres Tertiarii et 4 juvenes studentes. Universim in Collegio degentes: 33.

Anno jam elapso multis in locis praedicata fuerant Missionum exercitia a Patribus Missionariis, qui Tertium Ordinem saecularem post singula exercitia instituerant ad spirituales Missionis fructus conservandos.

(1) Ezech. XXXVII, 3.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

APOLLINAIRE (R. P.) DE VALENCE, Capucin. — Histoire de la Mission du P. Martin de Nantes, Capucin de la Province de Bretagne, chez les Cariris, tribu sauvage du Brésil, 1671-1688. Réimpression exécutée par les soins du R. P. Apollinaire de Valence, Religieux du même Ordre. Rome, Archives générales de l'Ordre des Capucins, Place Barberini, 1888, pag. 183. — (Rivolgersi al P. Egidio da Milano, Archivista generale dei Cappuccini, piazza Barberini, Roma).

BASILIO A GRECCIO, Min. Obs. — Panegirico del B. Giovanni Forest, Francescano dell'Osservanza, martirizzato in Inghilterra sottò Enrico VIII. — Siena, tip. Arciv. S. Bernardino edit. 1888. In 12, pag. 24.

LEON DE CLARY, Min. Obs. — Lives of the saints and Blessed of the three Orders of Saint Francis, translated from the « *Auréole Séraphique* » of the very Rev. Father Leon, ex-Provincial of the Friars Minor of the Observance, with a Preface by his Eminence the Card. Archbishop of Westminster. — Taunton, published by the Franciscan Conv. In-8°.

Vol. I	(pag. XI-554)	anno	1885.
Vol. II.	(pag. VII-578)	»	1886.
Vol. III.	(pag. V-432)	»	1886.
Vol. IV.	(pag. V-408)	»	1887.

(Latine): Vita Sanctorum et Beatorum trium Ordinum S. Francisci, ex originale gallico anglica traductio.

Editioni Anglicae addetur quintum volumen, quod sub praelo est, continens vitam omnium Franciscalium

qui in Anglia passi sunt ab anno 1534 ad annum 1729.

Praelaudatum opus, quod omnibus Trium Ordinum alumnis Anglicum idioma callentibus enixe commendamus, peti potest a Superiorissa Sororum Franciscalium civitatis Taunton in Anglia: *Rev. Mother Abbess, Franciscan Convent, Taunton. (Somerset).*

P. PHILIBERTUS SEEBOECK. — Seraphisches Regelbuch für die Mitglieder des III. Ordens des hl. Vaters Franziskus nach der neuen Verfassung Sr. Heiligkeit Papst Leo XIII. von P. Philibert Seeböck, O. S. F. 11. verbesserte und vermehrte Auflage. 614 pag. in 24.° (50 cr., i. M., L. 5, 25).

P. THADDAEUS, Min. Rec. — Life of Blessed Father John Forest, O. S. F. by Rev. Fr. Thaddaeus O. S, F. — Burns Oates London and New York. 1888 (pag. 72).

V.

NECROLOGIA

—

Spalati in Dalmatia, in Conventu Observ. Provinciae Sanctissimi Redemptoris omnibus morientium sacramentis pie provisus die 18 Januarii anni curr. placide in DOMINO obdormivit P. SPIRIDION TOMIĆ ex-Minister Provincialis et Lector Jubilatus. Natus in pagello Stafilić die 10 Decembris 1831; ordinem ingressus 11 Novembris 1851; ad presbyteratus dignitatem promotus fuit 15 Augusti an. 1854. Dehinc munere Professoris, Guardiani, Concionatoris et Provincialis egregie functus est, semper saluti propriae et fidelium promovendae intentissimus.

R. I. P.

Eadem in Provincia in Conventu S. Crucis nuper animam suam Creatori reddidit P. FELIX VUKOEVIĆ, ex-Definitor, aetatis suae anno 65. Religiosus pius et devotus.

R. I. P.

Die 3 Februarii in Residentia Kerkradiensi, Provinciae Saxoniae S. Crucis, pie obdormivit A. V. P. FR. GEORGIUS BARTELS. Natus Monasterii Westfalorum 24 Sept. 1817, Sacerdotio insignitus 5 Jun. 1841, Ordini nostro nomen dedit 14 Sept. 1853, in quo inde ab anno 1859 Guardiani, Definitoris ac tandem Custodis officio successive functus, anno 1885 in manus Rmi P. Min. Generalis officiis omnibus, prae humilitate potius quam senectute, resignavit. — Fuit verus S. P. N. Francisci filius, praesertim per virtutes paupertatis, abstinentiae et s. solitudinis. Licet enim senex et infirmus, angebatur tamen, ne ulla pro se fieret expensa aliquantisper specialis; abstinentiae vero erat tantae, quae miranda potius, quam imitanda merito dicatur; extra cellam tandem, in qua oratione et studio, praecipue Ss. Scripturarum, jugiter occupabatur, non nisi ob officium aliquod implendum inveniebatur. — Sicut vero acceptissimus fuit Fratribus suis, ita etiam exteris, tam Clericis, quam Laicis, maxime Parochiae Hardenbergensi (unicae, quae a Provincia administratur), cui praefuit annis undecim et in qua hodiedum vigent et florent instituta pietatis ab ipso primitus excitata.

R. I. P.

Illmus ac Reverendissimus Dominus PASCHALIS VUICIĆ; Observ. Provinciae Venetae filius, episcopus titularis Antiphellensis et olim Vicarius Apostolicus in Bosnia, in conventu Imottensi Prov. SS. Redemptoris in Dalmatia, omnibus morientium sacramentis consolatus, pie in DOMINO obiit die 24 Martii an. curr., de quo in proximo fasciculo fusius dicturi sumus; nunc vero eius animam in pias Confratrum preces enixe commendamus.

R. I. P.

Nihil obstat

FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

E SUP. C. S. R. ET UNIV. INQUISITIONIS

De impedimentis matrimonium dirimentibus, urgente mortis periculo, et de executione dispensationum matrimonialium.

Illme ac Rvme Domine,

De mandato Sanctissimi D. N. LEONIS XIII Supremae Congregationi S. Rom. et Univ. Inquisitionis nuperrimis temporibus duplex quaestionum genus expendendum propositum fuit. Primum respicit facultates, quibus urgente mortis periculo, quando tempus non suppetit recurrendi ad S. Sedem, augere conveniat locorum Ordinarios dispensandi super impedimentis publicis matrimonium dirimentibus cum iis, qui juxta civiles leges sunt conjuncti aut alias in concubinatu vivunt, ut morituri in tanta temporis angustia in faciem Ecclesiae rite copulari, et propriae conscientiae consulere valeant: alterum spectat ad executionem dispensationum, quae ab Apostolica Sede impertiri solent.

Ad primum quod attinet, re serio diligenterque perpensa, adprobatoque et confirmato Eminentissimorum Patrum una mecum Generalium Inquisitorum suffragio, Sanctitas Sua benigne annuit pro gratia, qua locorum Ordinarii dispensare valeant sive per se, sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem super impedimentis quantumvis publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus Ordine, et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente.

Mens autem est ejusdem Sanctitatis Suae, ut si quando, quod absit, necessitas ferat, ut dispensandum sit cum iis, qui sacro subdiaconatus aut diaconatus Ordine sunt insigniti, vel solemnem professionem religiosam emiserint, atque post dispensationem et matrimonium rite celebratum convaluerint, in extraordinariis hujusmodi casibus, Ordinarii de impertita dispensatione Supremam Sancti Officii Congregationem certiorem faciant et interim omni ope curent, ut scandalum, si quod adsit, eo meliori modo, quo fieri possit removeatur tum inducendo eosdem ut in loca se conferant, ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, tum si id obtineri nequeat, injungendo saltem iisdem spiritualia exercitia aliasque salutares poenitentias, atque eam vitae rationem, quae praeteritis excessibus redimendis apta videatur, quaeque fidelibus exemplo sit ad recte et christiane vivendum.

De altero vero quaestionum genere, item adprobato et confirmato eorumdem Eminentissimorum Patrum suffragio Sanctissimus sanxit: 1. dispensationes matrimoniales omnes in posterum committendas esse vel *Oratorum Ordinario* vel *Ordinario loci:*

2. Appellatione *Ordinarii,* venire Episcopos, Administratores seu Vicarios Apostolicos, Praelatos seu Praefectos habentes iurisdictionem cum territorio separato, eorumque officiales seu Vicarios in spiritualibus generales, et

sede vacante Vicarium Capitularem vel legitimum Administratorem:

3. Vicarium Capitularem seu Administratorem eas quoque dispensationes Apostolicas exequi posse, quae remissae fuerint Episcopo aut Vicario ejus generali vel Officiali nondum executioni mandatas, sive hi illas exequi coeperint, sive non. Et vicissim sede deinde provisa, posse Episcopum vel ejus Vicarium in spiritualibus generalem seu Officialem exequi dispensationes, quae Vicario Capitulari exequendae remissae fuerant, seu hic illas exequi coeperit seu minus.

4. Dispensationes matrimoniales Ordinario Oratorum commissas, exequendas esse ab illo Ordinario, qui litteras testimoniales dedit, vel preces transmisit ad S. Sedem Apostolicam, sive sit Ordinarius originis sive domicilii, sive utriusque sponsi, sive alterutrius eorum; etiamsi sponsi quo tempore executioni danda erit dispensatio, relicto illius dioecesis domicilio, in aliam dioecesim discesserint non amplius reversuri, monito tamen, si id expedire judicaverit, Ordinario loci, in quo matrimonium contrahitur.

5. Ordinario praedicto fas esse, si ita quoque expedire judicaverit, ad dispensationis executionem delegare alium Ordinarium, eum praesertim, in cujus dioecesi sponsi actu degunt.

Haec quae ad pastorale ministerium utilius faciliusque reddendum Sanctissimus Dominus Noster concedenda et statuenda iudicavit, dum libens tecum communico, bona cuncta Amplitudini Tuae precor a Domino.

Datum Romae die 20 Februarii 1888.

Raph. Card. Monaco.

—

EX S. C. INDULGENT.

I.

RESCRIPTUM

Quo Missionariis nostris in Sinis degentibus conceditur, ut absque praevia confessione indulgentias plenarias lucrari valeant.

Beatissime Pater,

Fr. Bernardinus a Portu Romatino, Minister Generalis totius Ordinis Minorum S. Francisci, ad Pedes S. V. provolutus humillime exponit:

Missionarii tum Sacerdotes, tum Laici Primi et Tertii Ordinis S. Francisci, qui Missionibus Sinensibus inserviunt, raro possunt lucrari indulgentias plenarias, absolutiones et benedictiones Ordinis recipere, quia propter locorum distantiam adimplere nequeunt conditionem praeviae confessionis; nullo enim modo singulis vicibus possunt locum suae Missionis relinquere, et plurium saepe dierum itineri se committere, ut pergant ad locum ubi adest Confessarius.

Ne praefati Missionarii, qui ad utilitatem animarum in Sinensi Imperio laborant, thesauro indulgentiarum, de quibus agitur, absque propria culpa priventur, infrascriptus Orator humillime rogat S. V., ut eos super conditione praeviae confessionis dispensare benigne dignetur, ipsis concedendo, ut ad lucrandas praefatas indulgentias et absolutiones ac benedictiones Ordinis recipiendas sufficiat prima confessio, quam post diem in Ordinis Kalendario statutam peragere poterunt.

Ob quam gratiam etc.

Ex Audientia SSmi diei 7 Martii 1888.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, attentis expositis et de speciali gratia, benigne annuit iuxta preces. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 7 Martii 1888.

S. Card. Vannutelli *Praef.*

† Alexander, Episcopus Oensis, *Secret.*

—

II.

DECRETUM

URBIS ET ORBIS

Quo indulgentiae conceduntur parvum officium B. M. V. recitantibus.

Ex Audientia SSmi diei 17 Novembris 1887.

Pia et laudabilis jamdiu viget consuetudo longo saeculorum decursu numquam interru-

pta apud Christifideles speciali cultu prosequendi Beatissimam Virginem MARIAM devota recitatione parvi officii, quod in honorem ejusdem Virginis extat in Breviario Romano a S. Pio V recognito et approbato. Ad quam praedicti Officii lectionem et usum, ut majus adderet incitamentum, idem sanctus Pontifex aliquas Indulgentias nedum iis qui illud persolvere tenebantur diebus in rubrica praefinitis, sed et ceteris Christifidelibus, quibus ex propria devotione mos erat ipsum recitandi clementer elargitus est. Quo vero ista tam salutaris christiano populo consuetudo recitandi mariales laudes majus accipiat incrementum, hac praesertim aetate, qua ad DEIPARAM Virginem fidenter confugiendum est, ne tot, quibus undique premimur, aerumnis obruamur, SSmo Domino Nostro supplices exhibitae sunt preces, quatenus usum recitandi parvum Officium Beatae MARIAE Virginis ditiori Indulgentiarum thesauro promovere dignetur. Has porro preces idem SSmus peramanter excipiens, valdeque exoptans, appropinquante jam anno quinquagesimo, a quo Sacrum primum litavit, erga Sanctissimam DEI Genitricem suae venerationis gratique animi novum edere testimonium, et in Christifidelibus magis fovere studium ac pietatem ut, memorato laudum praeconio, pergant eidem divinae Matri cultum exhibere et honorem, Indulgentias, uti sequitur, benigne concessit; nempe 1. *Plenariam,* lucrandam quolibet anni mense, die unius cujusque arbitrio eligendo, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui mense integro quotidie totum parvum Officium B. MARIAE Virginis, idest Matutinum, quod uno tantum constat nocturno diei currentis cum reliquis horis usque ad Completorium inclusive, devote recitaverint, dummodo praefato die vere poenitentes, confessi ad sacram synaxim accesserint, piasque ad DEUM preces aliquo temporis spatio ad mentem Sanctitatis Suae effuderint; 2. *Septem annorum* totidemque Quadragenarum, semel in die acquirendam ab iis Christifidelibus, qui praefatum parvum Officium devote pariter et corde saltem contrito persolverint; 3. *Tercentum* demum *dierum,* ab iis similiter semel in die lucrandam, qui Matutinum tantum, uti supra, cum Laudibus devote ac corde item contrito recitaverint.

Quas omnes Indulgentias eadem Sanctitas Sua animabus quoque Christifidelium in purgatorio detentis fore applicabiles benigne declaravit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 17 Novembris 1887.

CAJETANUS Card. ALOISI MASELLA, *Praef.*
ALEXANDER, Episc. Oensis, *Secret.*

—

III.

DECRETUM

URBIS ET ORBIS

Quo universis Christifidelibus conceduntur Indulgentiae mense integro Novembri piis exercitiis animabus Purgatorii opem et solamen laturis.

Ex Audientia SSmi diei 17 Januarii 1888.

Inter cetera christianae pietatis officia illud etiam in permultis variarum Dioecesum ecclesiis obtinuit mense integro Novembri juvandi quotidianis suffragiis animas piacularibus poenis excruciatas, immo et privatim a Christifidelibus hujusmodi pium exercitium frequentari coeptum est. Quamvis autem singulis petentibus Indulgentiarum munera pro hoc pio exercitio Romani Pontifices concedere non renuerint, nondum tamen harum Indulgentiarum concessio universalis evaserat. Modo vero quum supplicationes porrectae fuerint SSmo Domino Nostro LEONI Papae XIII, quatenus universis Christifidelibus praefatum pium exercitium peragentibus Indulgentiarum thesaurum reserare dignaretur, Idem SSmus, hisce petitionibus clementer exceptis, quo ferventior erga defunctorum animas foveatur charitas, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui sive publice sive privatim peculiaribus piis exercitiis devotisque obsequiis animabus in Purgatorio detentis solamen per integrum mensem Novembrem quotidie afferre studuerint, Indulgentiam *septem annorum totidemque quadragenarum* semel in singulis praefati mensis diebus lu-

crandam, et iisdem pariter *plenariam Indulgentiam* in una memorati mensis die uniuscujusque arbitrio eligenda, qua vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti fuerint et aliquam ecclesiam vel publicum sacellum adiverint, ibique ad mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, clementer est impertitus; quas Indulgentias eadem Sanctitas Sua defunctis quoque applicabiles benigne declaravit. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, die 17 Januarii 1888.

CAJETANUS Card. ALOISI MASELLA, Praef.
ALEXANDER, Episcopus Oensis, Secret.

—

IV.

RESCRIPTUM

Quo conceditur Indulgentia trium annorum, semel in die lucranda, Christifidelibus recitantibus precem Angelici Doctoris S. Thomae Aquinatis.

Beatissime Pater,

VINCENTIUS LEO SALLUA, Archiepiscopus Chalcedonensis ad osculum ss. Pedum provolutus humillime Sanctitatem Vestram exorat, ut concedere dignetur *Indulgentiam trium annorum*, defunctis applicabilem, lucrandam semel in die ab omnibus Christifidelibus, qui corde saltem contrito ac devote recitaverint sequentem orationem, concinnatam et recitatam a S. Thoma Aquinate.

ORATIO

ad vitam sapienter instituendam.

« Concede mihi, misericors DEUS, quae tibi sunt placita, ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere et perfecte adimplere ad laudem et gloriam Nominis tui. Ordina, DEUS meus, statum meum: et quod a me requiris ut faciam, tribue ut sciam; et da exequi sicut oportet et expedit animae meae.

« Da mihi, DOMINE DEUS meus, inter prospera et adversa non deficere, ut in illis non extollar, et in istis non deprimar. De nullo gaudeam vel doleam nisi quod ducat ad Te, vel abducat a Te. Nulli placere appetam, vel displicere timeam nisi tibi.

« Vilescant mihi, DOMINE, omnia transitoria, et cara mihi sint omnia aeterna. Taedeat me gaudii quod non est in Te, nec aliud cupiam quod est extra Te. Delectet me, DOMINE, labor, qui est pro Te; et taediosa sit mihi omnis quies, quae est sine Te.

« Da mihi, DEUS meus, cor meum ad Te dirigere, et in defectione mea cum emendationis proposito constanter dolere.

« Fac me, DOMINE DEUS meus, obedientem sine contradictione, pauperem sine dejectione, castum sine corruptione, patientem sine murmuratione, humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, maturum sine gravedine, agilem sine levitate, timentem sine desperatione, veracem sine duplicitate, operantem bona sine praesumptione, proximum corripere sine elatione, ipsum aedificare verbo et exemplo sine simulatione.

« Da mihi, DOMINE DEUS, cor pervigil, quod nulla abducat a Te curiosa cogitatio: da nobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio: da rectum, quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio: da firmum, quod nulla frangat tribulatio: da liberum, quod nulla sibi vindicet violenta affectio.

« Largire mihi, DOMINE DEUS meus, intellectum Te cognoscentem, diligentiam Te quaerentem, sapientiam Te invenientem, conversationem Tibi placentem, perseverantiam fidenter Te expectantem, et fiduciam Te finaliter amplectentem. Da tuis poenis hic affligi per poenitentiam, tuis beneficiis in via uti per gratiam, tuis gaudiis in patria perfrui per gloriam: Qui vivis et regnas DEUS per omnia saecula saeculorum. Amen ».

Ex Audientia SSmi die 17 Januarii 1888.

Sanctissimus Dominus Noster LEO Papa XIII. benigne annuit pro gratia juxta preces. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla

Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, die 17 Ianuarii 1888.

CAJETANUS Card. ALOISI MASELLA, Praef.
ALEXANDER, Episcopus Oensis, Secret.

—

EPISTOLA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

in qua datur quaedam declaratio circa Breve SALVATORIS *praescribens ut in singulis paroeciis annuatim eleemosynae pro Terra Sancta colligantur.*

Illme ac Rme Domine,

Cum in litteris Apostolicis *Salvatoris ac Domini Nostri I. C.*, quae in forma Brevis expeditae sunt die 26 Decembris 1887 legatur « Patriarchae, Archiepiscopi... curare te« neantur, ut respective *in cujuscumque Dioe« cesis parochiali ecclesia* una saltem vice sin« gulis annis nempe Feria VI Majoris Hebdo« madae vel alio... fidelium caritati Sanctorum « Locorum necessitates proponantur » motum est ab aliquibus dubium, an in una tantum vel in unaquaque paroecia cujuscumque Dioecesis id fieri debeat. Quapropter Amplitudini Tuae significandum duxi praedicta verba, esse intelgenda de unaquaque cujuscumque Dioecesis paroecia, iisdemque praecipi, ut in omnibus cujuscumque Dioecesis paroeciis eleemosynae pro Sanctis Locis una saltem vice singulis annis colligantur.

Haec Amplitudini Tuae habebam significanda et DEUM precor, ut Te diutissime adiuvet ac sospitet.

Romae, 26 Martii 1888.

Amplitudinis Tuae

Uti Frater Addictissimus
I. Card. SIMEONI, *Praefectus.*

✠ D. JACOBINI, Archiep. Tyren.,
Secretarius.

II.

ACTA ORDINIS

—

EPISTOLA

Rmi P. Ministri Generalis ad Ministros Provinciales et Superiores locales de bibliotheca Collegii S. Antonii efformanda.

Admodum Reverendi Patres,

Amplissima Aracoelitana bibliotheca, uti notum est, peracta Conventuum civili suppressione, Ordini nostro erepta est, atque tribus abhinc annis ad nationalem Victorii Emmanuelis nuncupatam bibliothecam translata. Ideo de nova efformanda agendum est in generali Collegio S. Antonii, ad usum praesertim totius Ordinis studentium.

Hac de causa enixe rogamus singulos Provinciarum Moderatores vel Commissarios Generales, et locorum Superiores, ut ad novam constituendam S. Antonii bibliothecam ad nos transmittere velint libros, quorum duplicia possident exemplaria. Ne autem eadem opera ex diversis Provinciis mittantur, exoramus ut primum nobis scripto indicent catalogum operum, quae Collegio S. Antonii cedere valent, diligenter notatis singulorum auctoribus et editionibus, simulque an volumina soluta sint vel compacta.

Opera ad scientiam ecclesiasticam pertinentia et latino idiomate scripta prae ceteris optantur.

Attamen grato animo pariter excipientur opera sive historica sive scientifica, quocumque idiomate exarata, ex clarioribus historicis vel in diversis scientiis peritioribus viris.

Plura item exemplaria Bibliorum sacrorum, necnon compendia sacrae Theologiae, tam dogmaticae quam moralis aut Juris canonici, ex probatis auctoribus, praesertim Ordinis nostri Seraphici, perutilia Antonianis nostris studentibus esse poterunt.

DEO optimo ac Seraphico Patri Francisco gratiae agendae sunt, Admodum Reverendi Patres, quod superatis non paucis difficultatibus in hac temporum angustia, omnes sumptus pro Collegii fabrica operariis debitos sol-

vere potuerimus. Creditores non habemus nisi Sanctam Sedem vel quaedam Ordinis instituta, quibus annui fructus exsolvendi sunt. Singulis Provinciis, quae tanto operi activam opem praestiterunt, dignas rependimus grates, ac in ipsarum confidimus perseveranti charitate, ut quae supersunt debita cum tempore extinguantur.

Materialis fundationis coronidem, formalem scilicet Collegii et studiorum disciplinam, cui brevi, Deo favente, operam daturi sumus, cunctorum orationibus commendamus.

Vobis tandem, Reverendi Patres, ac singulis Fratribus Seraphicam benedictionem peramanter impertimur.

Romae, ex Collegio S. Antonii, die 20 Maii 1888.

Fr. Bernardinus a Portu Romatino
totius Ordinis Minister Generalis.

—

AD FRATRES NOSTROS

Incitamenta Seraphica.

—

DE DISCIPLINA REGULARI RESTITUENDA

CAPUT IV.

De mortificatione.

§ 1. *Praenotanda.*

1. Prima in schola Christi lectio est carnis mortificatio: « Si quis vult venire post me, « abneget semetipsum, et tollat crucem suam « quotidie, et sequatur me. Qui enim voluerit « animam suam salvam facere, perdet illam: « nam qui perdiderit animam suam propter « me, salvam faciet illam » (1). Si ergo Christi et cum Christo esse volumus, cum eo crucifixi esse debemus. Numquam in cubiculo hominis voluptatibus suis addicti repertus est Jesus; inter spinas in cruce est mortuus, et nullibi libentius quam inter spinas et rigores commoratur.

2. Hanc lectionem S. Paulus didicit, vita expressit et verbis docuit, scribens (2): « Mun« dus mihi crucifixus est, et ego mundo ». Hoc praeclarum exemplum alii Sancti sunt secuti. S. Ignatius martyr scribit (1): « Amor meus « crucifixus est: non placet mihi voluptas vi« tae hujus, Christo concrucifixus sum ». S. Bonaventura saepe suspirabat: « Sine vul« nere nec volo, nec possum vivere, cum aspi« cio Deum meum pro me vulneratum ». Perlustra omnes omnium Sanctorum vitas, et invenies eos omnes carnem suam mortificasse, abnegasse et spiritui subjugasse. Edocti enim erant ab Apostolo dicente (2): « Qui Christi « sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis « et concupiscentiis suis ».

3. Carnis mortificatio est animae vivificatio; est mors anticipata, mors cupiditatis et voluptatis, mors inordinatarum affectionum ac omnium peccatorum. Numquam Deus, semper bonus et misericors, mortificationem nobis tam impense commendasset, nisi scivisset, ex hoc semine uberrimam nobis et gratiae et gloriae segetem accrescere. Carnis enim mortificatio hominem in suo officio continet, sensus a damnosa delectatione cohibet, voluntatem a proprio amore alienat, omnesque passiones, ne ultra limites suos egrediantur, refrenat.

4. Qui mortificationem exercet, gratissimum Deo sacrificium immolat. Hoc autem peculiari modo Religiosis convenit, qui cum Psalmista dicere debent: « Propter te mortifi« camur tota die, aestimati sumus sicut oves « occisionis (3) ». Qui veri Religiosi esse volunt, martyres esse debent. « Sunt Religiosi, docet S. Joannes Chrysostomus, vivi martyres, « et pro Christo crucifixi ». Propterea S. Paphnutius ad sacrificandum idolis invitatus, ostensis equuleis, sartaginibus, securibus, scorpionibus, aliisque feralibus instrumentis, generose ac intrepide ajebat: « Putasne, o Praeses, « tua haec tormenta adeo mihi horribilia vi« deri, ut propterea Deum verum negandum « putem? quin imo hoc scito, nostras mona« sticas constitutiones multa plura in se tor« menta continere, quoniam in multis exerci« tationibus quotidie tentamur: sed Salvator « noster ita nos corroborat, ut omnia perferre « et superare possimus ».

(1) Luc. IX, 23. 24.
(2) Galat. VI, 14.

(1) Epist. ad Roman.
(4) Galat. V, 24.
(3) Psalm. XLIII, 22.

5. S. P. N. Franciscus mortificationem verbis docuit et opere exercuit. De ipso enim S. Bonaventura narrat (1): « Tanta disciplinae « rigiditate sensuales appetitus arcebat, ut vix « necessaria sumeret sustentationi naturae...; « cocta cibaria sanitatis tempore vix admitte- « bat et raro: admissa vero, aut condiebat ci- « nere aut condimenti saporem admixtione « aquae ut plurimum reddebat insipidum. De « potu quid dicam, cum et de aqua frigida, dum « sitis aestuaret ardore, vix ad sufficientiam « biberet? Modos adinveniebat abstinentiae « potioris et quotidie exercitatione crescebat, « licetque jam perfectionis culmen attingeret, « tamquam incipiens semper aliquid innovabat, « afflictionibus carnis puniendo libidinem.... « Nuda humus ut frequentius lectus erat las- « sato corpusculo, et saepius sedens ligno vel « lapide ad caput posito dormiebat, unica pau- « pere contectus tunicula, in nuditate DOMINO « serviebat et frigore ».

6. Hanc Patris sui mortificationem imitati sunt primi discipuli eius. In famosis illis prope Assisium comitiis plures ex carnis maceratione infirmitates contraxerunt, quod ut rescivit S. Fundator, publico obedientiae edicto statuit, ut mitius secum agerent, ac si qui essent, qui loricas, circulos ferreos, catenulas, aut alia hujusmodi durioris macerationis instrumenta gestabant, ea protinus deponerent, et ad se omnino deferrent. Inventae vero sunt mirae et variae poenitentiae artes, quas spiritus ardor excogitaverat; numerus loricarum et circulorum quingentesimum excessit (2). O beata tempora! Ubi nostris temporibus inveniuntur Fratres, qui per s. obedientiae praeceptum a mortificatione retrahi deberent? Quot excusationes permulti nunc excogitant, ut rigori Ordinis se subtrahant? Regnum coelorum etiam nunc vim patitur, et qui sibimetipsis vim non intulerint; illud non possidebunt. Non decet etiam, ut corpus animae, pars deterior praestantiori imperet; mortificatur ergo corpus, ut anima vivat.

7. DEUM adoramus, qui pro nobis crucifixus est; Institutorem agnoscimus, qui portat CHRISTI stigmata; chorda cingimur, quae significat funes et vincula SALVATORIS; Religionem ingressi sumus, cujus ars est faciendi crucifixos; Regulam profitemur, de qua Navarrus scribit (1): « Adeo suspicio ac veneror illam « altissimam Regulam sancti Francisci, ut ob- « servantes eam ad unguem et mentem autho- « ris, reputem esse quosdam incruentos CHRI- « STI Martyres ». Profecto, sub tali Capite, Institutore, habitu, Religione et Regula non decet esse membra delicata. Hypocritae essemus, si in nostro poenitentiae habitu delicias quaerere vellemus. Verorum Franciscanorum est, carnem domare, mala libenter pati, et quaeque incommoda infracto animo tolerare.

8. Dicit forsitan aliquis: infirmae et tenerrimae complexionis sum; propterea graviores mortificationes, longiores abstinentiae, et promiscui quilibet cibi essent mihi certo certius praematuram mortem allaturi. Tali S. Bernardus respondet, dicens (2): « Puta te, quae- « so, monachum esse, non medicum, nec de « complexione judicandum, sed de professio- « ne ». Qui austeriores mortificationes non possunt perferre, in minoribus se mortificare studeant. Coram DEO sane magnum est, in minimis se vincere. Innumerae sunt occasiones, quibus abnegationem possumus exercere, quin sanitati ullum afferatur damnum. Qui v. g. hoc illudve ad ostentationem vellet dicere, hoc illudve curiosius interrogare, hunc illumve verbis pungere: et ob amorem DEI hoc non faceret, absque dubio pretiosum DEO offerret sacrificium. Qui incitante somno dormire, vel per fenestram prospicere, vel aliquid quod sibi magis arridet gustare desideraret: et ab hoc propter DEUM abstineret, sua non frustraretur mercede coram DEO. Quod nobis est amarum, DEO est charum, si pro ipso illud sustineamus.

9. S. Paulus scribit (3): « Quod in prae- « senti momentaneum est et leve tribulationis « nostrae, supra modum in sublimitate aeternae « gloriae pondus operatur ». Leve utique est opus momentaneum: quid vero majus aeterno, immenso ac infinito coeli praemio? Minima mortificatio tanti valoris est, ut non sufficienter remuneraretur, si pro ea totus hic mundus visibilis, et quidquid in illo est, rependeretur. Qui propter DEUM, docet Blosius, sensualitati

(1) Vita, cap. V.
(2) Cfr. Annal. Ordin. ad ann. 1219.

(1) Comment. de Regularib. n. 17.
(2) Serm. 30. in Cantic.
(3) II. Corinth. IV, 17.

propriaeque voluntati etiam in rebus minimis reluctatur, ac se mortificat, rem DEO magis gratam facit, quam si multos mortuos ad vitam revocaret. In coelo remunerabimur proportionaliter ad eas tribulationes, quas in terra pro DEO perpessi fuimus. « Quanto laboris ac « doloris plus toleratum fuerit, tanto etiam « corona erit magnificentior », dicit S. Joannes Chrysostomus (1). O quam copiosa erit merces Religiosi, qui seipsum a mane usque ad vesperam in choro, in cella, in refectorio, et in omnibus locis mortificat, et in perpetuum amoris martyrem ac holocaustum se immolat! Tot coronas perdimus, quot mortificationes fugimus.

10. Mortificatio et suiipsius abnegatio non solum in coelo, sed etiam in hac vita mortali a DEO liberaliter remuneratur. Hoc enim exercitium, licet difficile et molestum appareat, magnum tamen gaudium spirituale confert, atque dulcem cordis pacem operatur. Qui seipsos vincere sciunt, satis intelligunt, quam verum sit, quod dicit S. Cyprianus (2): « Vo« luptatem vicisse voluptas est maxima, nec « ulla major est victoria, quam ea quae de cupi« ditatibus refertur ». Hoc idem docetur in libro de Imitatione Christi, ubi legitur (3): « Re« sistendo passionibus invenitur vera pax cor« dis, non autem serviendo eis ».

11. Ad mortificationem exercendam jam omnes christiani sunt obligati, ut pro suis peccatis satisfaciant. Qui debita sua solvere detrectat in hoc mundo cogitur a tribunali, et in carcerem conjicitur. Et qui pro peccatis commissis divinae justitiae non satisfacit in hoc mundo, certissime in altero mundo debet satisfacere. Multo melius est autem, ut solvamus debita nostra in hac vita per mortificationem, quam in altera vita in horrendis flammis piacularibus. De hoc monemur in libro de Imitatione Christi, ubi legitur (4): « Me« lius est modo purgare peccata, et vitia re« secare, quam in futuro purganda reservare... « Ibi erit una hora gravior in poena, quam « hic centum anni in amarissima poenitentia ». A permultis hominibus hoc non satis cognoscitur, et parum recogitatur. In celebri oratione quam post ultimam coenam JESU CHRISTUS ad PATREM fudit, memoranda illa verba protulit (1): « Pater *juste*, mundus te non cogno« vit ». Non dicit « Pater sancte, Pater omni« potens etc. », sed « Pater *juste* », significans utique, nullum divinum attributum ab hominibus minus cognosci, quam severa DEI justitia. « Utinam saperent et intelligerent, ac novis« sima providerent (2) ».

12. Quam felix est Religiosus, qui per suae Regulae observantiam exercet quasi continuam mortificationem! Si haec omnia debita intentione rectoque spiritu peragat, non solum pro propriis, sed etiam pro aliorum debitis divinae justitiae satisfacere poterit. Imitemur propterea exempla sanctorum Ordinis nostri Fratrum, qui, sicut in reliquis virtutibus, ita et in mortificatione quotidie proficere studuerunt. Immo per ipsum mortificationis exercitium etiam in reliquis virtutibus proficiemus, prout legitur in libro de Imitatione Christi (3): Tan« tum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris ».

13. Ut mortificatio nostra sit proficua, sequentes qualitates habeat oportet; nempe sit *constans, discreta* et *devota*. Imprimis perseverandum est in hoc sancto exercitio quantumvis tentator, vel ignavum cor nostrum dicat: « Descende de cruce ». Semper huic tentationi respondere debemus (4): « Calicem, quem de« dit mihi Pater, non bibam illum »? Mortificatio continua, licet levis, est multo melior, quam extraordinariae mortificationes, quae subinde dumtaxat exercentur, et postea ex animi mobilitate prorsus omittuntur. Mortificationes semper sint discretae, hoc est, statui, conditioni ac viribus convenientes, et si agatur de gravioribus, consensus Superioris vel confessarii petatur. Denique mortificatio sit devota, hoc est, procedat ex motivo supernaturali, praesertim vero ex studio, omnia cum meritis acerbissimisque cruciatibus JESU CHRISTI et cum doloribus amantissimae martyrum Reginae conjungendi.

14. Ingressi ergo Ordinem poenitentiae, mortificationem jugiter exercere studeamus, ut

(1) Orat. 5. advers. Judaeos.
(2) Lib. de discipl. et bono pudicit.
(3) Libr. I. cap. 6. n. 2.
(4) Lib. I. cap. 24. n. 2. et 4.

(1) Ioan. XVII, 25.
(2) Deuter. XXXII, 29.
(3) Libr. I. cap. 25. n. 11.
(4) Ioan. XVIII, 11.

hac ratione pro nostris peccatis et negligentiis, necnon pro aliorum peccatis divinae justitiae magis magisque in dies satisfaciamus, atque pro nobismetipsis, pro Ecclesia DEI et pro Ordine nostro uberes gratias coelestes obtineamus. Saepius recogitemus illa verba S. P. N. Francisci (1): « Semper ante oculos habete, Fratres charissimi, « viam humilitatis et paupertatis sanctae crucis, « per quam nos minavit Salvator noster JESUS « CHRISTUS, considerantes quod si ipsius divi- « nam maiestatem oportuit pati, et ita intrare « in gloriam suam, quod multo magis oporte- « bit nos peccatores adeo enormes per viam « crucis et passionis incedere. Et certe si ad « tollendam crucem suam quilibet obligatur « christianus, potiori jure ad hoc tenemur nos, « qui crucis vexillum sequi profitemur ».

15. Ante omnia illas cruces, difficultates et amaritudines, quas divina Providentia nobis imponere voluit, magna resignatione et patientia perferre et sustinere studeamus. Nullus utique invenitur in hoc mundo homo, qui non debeat volens nolens aliquam crucem portare. Qui divinae dispositioni se submittens, hujusmodi crucem patienter portat, innumerabiles mortificationis et abnegationis actus exercet, crucem suam suaviorem reddit et magnam sibi mercedem meretur. Qui vero crucem sibi impositam fugere studet, hoc non obstante, illam portare debet, per suam resistentiam eam difficiliorem reddit, ac pretiosam perdit mercedem. Prorsus ridiculum propterea foret, si quis crucem sibi impositam recusare, voluntarias vero mortificationes exercere vellet.

16. Major adhuc deordinatio esset, si quis mortificationes praeceptas negligeret, voluntarias vero exerceret. Prius enim agere debemus quae sunt de praecepto, deinde vero illa, quae sunt de consilio. Attendamus ergo nos, ut imprimis illas mortificationes exerceamus, quae tum a lege divina, tum a s. Regula et Constitutionibus Ordinis nostri nobis sunt injuncta atque praescripta. De praecipuis his mortificationibus, DEO volente, in sequentibus paragraphis breviter agemus.

(Continuabitur).

—

(1) Opusc. part. III. Coll. 24.

CAPITULA PROVINCIALIA

Anno 1888 celebrata.

III.

Ref. Provincia Vallis Nethi in Sicilia.

Die 15 Martii 1888 a Definitorio Generali in Congressu ejusdem diei electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

Adm. R. P. Angelus a Barrafranca.

CUSTOS VOCALIS

Adm. R. P. Ludovicus a Mazzareno, Min. immed.

DEFINITORES

R. P. Bonaventura a Castrojoannis.
R. P. Cajetanus a Barrafranca.
R. P. Benedictus a Mazzareno.
R. P. Ludovicus a Platia Armerina.

IV.

Ref. Provincia Siciliae seu Vallis Daemonis.

In Congressu diei 15 Martii 1888 a Definitorio Generali nominati sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Salvator ab Acicatena.

CUSTOS VOCALIS

A. R. P. Paschalis a Faro, Min. imm.

DEFINITORES

R. P. Franciscus a Monginffi.
R. P. Marianus ab Amastra.
R. P. Franciscus a Trecastagni.
R. P. Antoninus a Roccella.

V.

Ref. Provincia S. Joseph Lyciensis.

Die 15 Martii 1888 in Congressu Definitorii Generalis electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Eugenius a Martina, confirmatus.

CUSTOS VOCALIS

R. P. Raphael a Faggiano.

DEFINITORES

R. P. Ludovicus a Martina.
R. P. Augustinus a Martina.
R. P. Joannes Aloysius a Martina.
R. P. Josephus a Cisternino.

VI.

Obs. Provincia Barensi.

In Congressu diei 15 Martii curr. anni a Definitorio Generali electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Raphael ab Andria, confirmatus.

CUSTOS

A. R. P. Augustinus a Borulo.

DEFINITORES

R. P. Joannes ab Andria.
R. P. Raphael a Bitunto.
R. P. Josephus Antonius a Ruvo.
R. P. Bartholomaeus ab Andria.

VII.

Obs. Provincia Vallis Daemonis.

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Aloysius a Castro Lucii, confirmatus.

CUSTOS

R. P. Ludovicus a Ficarra.

DEFINITORES

R. P. Aloysius a Bronte.
R. P. Augustinus ab Hadrano.
R. P. Angelus a Monte Albano.
R. P. Coelestinus a Bronte.

III.
MISSIONES

—

VICARIATUS CHAN-SI

IN IMPERIO SINENSI.

Ex epistolis R. P. FRANCISCI A MONTEREGIO, *Obs. Prov. Bononiensis, et Missionarii Apostolici in Chan-si.*

Die 10 Octobris 1887, transactis viginti et ultra annis in Imperio Sinensi, R. P. Franciscus a Monteregio Ministro Generali relationem transmisit, in qua compendiose vitam suam in his longinquis Missionibus enarrat.

Quum mense Maji 1867 in Sinas pervenisset, potior ejus cura fuit linguam vernaculam addiscendi, et paucos post menses idoneus judicatus est et aptus ad praedicationem incipiendam. Districtui *Tai-t'un* ad partem Vicariatus septentrionalem profectus, ibidem per 18 menses commoratus est.

In hoc districtu, qui circa 200 kilometris quadratis late extenditur, tunc temporis 600 christiani vix numerabantur; hodie vero 2,000 circiter adsunt.

Deinde per septem annos districtuum *Ki-sien* et *Pin-iao,* in quibus 1500 christiani aderant, curam suscepit. Quum in his duobus districtibus, Provinciae centro vicinioribus, habitantes praesertim divites commorentur, litterati vel opulenti mercatores, qui negotia sua cum toto imperio agunt, opportunam habuit occasionem ritus moresque Sinenses apprime cognoscendi.

Anno 1877, defuncto cuidam sacerdoti, qui a viginti annis districtui *Lu-gan-fu* laudabiliter praeerat, R. P. Franciscus successit. Vasta haec regio ad partem meridionalem Provinciae usque ad flavum flumen extenditur et viginti circiter amplectitur civitates. In hac Missione invenit 4,000 christianos tresque Sinenses sacerdotes, sed omnes in extrema penuria constitutos. Hoc enim anno, uti notum est, in tota *Chan-si* Provincia, deficientibus terrae fructibus, fames valida desaeviit. « Si opus foret, ait ipse, enarrare quot vidi infortunia, quot miseris succurrere debui, ampla non sufficerent volumina. Satis, dixero, si hic advertam, quod vix transactis sex mensibus, christianorum meorum quarta pars fame interierat. In hoc districtu per septennium pariter mansi, et plurima passus sum non modo ob famem ejusque effectus, qui adhuc perdurant, sed propter innumeras lites, quas sustinere coactus sum, ad christianos protegendum contra paganorum aut mandarinorum vexationes. DEO sint laudes pro felici exitu concesso: dum enim anteactis temporibus vix tolerabatur, et interdum persecutioni subjacebat christiana religio, nunc quadam libertate gaudet et conversiones multiplicantur ».

Ratione gravis infirmitatis, anno 1884 ad residentiam *Tai-iuen-fu* a Rmo D. Grassi revocatus, anno sequenti ad portum Che-foo in Chan-tong missus est, ubi fraterna charitate exceptus a Confratre P. Caesario a Cappel, Obs. Prov. S. Ludovici et marinis balneis confortatus, ad propriam Missionem redire potuit, et Seminarii directionem suscipere.

Quamvis in ultimis hisce annis, Deo benedicente, fides catholica in Vicariatu propagetur, non desunt tamen obstacula superanda. Mandarini etenim christianis licentiam publica examina subeundi non concedunt, nisi ignominiosis impositis conditionibus, vel eo tantum fine, ut christianos agnoscant eosque licet meritissimos a laurea arceant. Ex legibus enim Sinensibus, ii solummodo excluduntur qui vili conditioni vel officio subsunt, sicuti satellites, histriones aut barbitonsores; ideoque ab examinibus excludi idem sapit ac despectae vilique conditioni aggregari. Quantum vero paganorum conversioni ratio haec agendi obsit, nemo non videt, si indolem noverit hujus nationis superbam. Rmus D. Grassi gallicae legationi non semel scripsit, ut ejusdem protectionem invocaret; sed frustra, recentis causa belli gallosinensis. Quapropter R. P. Franciscum, ad hoc tractandum negotium, Pechinum mittere decrevit.

Suscepto itinere, in fine Augusti viarum difficilium pericula sustinuit, sive per montes altissimos, sive per vastam *Che-ly* planitiem, ac tandem die 17 Septembris ad Civitatem totius imperii caput feliciter pervenit. Apud Patres Lazaristas benigne receptus, paternam charitatem Rmi D. Tagliabue, Vicarii Apostolici, R. Dni Favier ejusdem Vicarii Generalis ac S. Vincentii filiorum benevolentiam erga Ordinem nostrum expertus est.

Mox legationem gallicam adiit, et, profecto in Europam Ministro, ab ejus Delegato, Dno Souhart humaniter exceptus est. Qui, auditis Missionarii querelis, coram gubernio Sinensi christianorum jura defendere promisit. Revera quod promiserat adimplevit, uti P. Franciscus in subsequenti epistola declarat.

Die enim 15 Januarii 1888 ad *Tai-iuen-fu,* civitatem *Chan-si* principem redux, idem Missionarius negotii conclusionem sic enarrat:

« D. Souhart gallici legati vices gerens (chargé d'affaires) ad gubernium Sinense epistola directa, conquestus est christianos diverse tractari ac alios Imperii subditos, contra foedus cum Gallia initum, et ab examinibus injuste amoveri; ideoque exoravit, ut Provinciae *Chan-si* Examinator apposite interrogaretur.

Sinense gubernium confestim respondit se rem penitus ignorare, sed sine mora informationes petiturum. « Quamvis primum hoc responsum, addit P. Franciscus, nihil decideret, attamen omnibus placuit, quippe quod singulorum jura sarta tectaque haberet, Galliae scilicet Christianam religionem protegendi et christianorum, examina subeundi a lege praescripta ad liberalia officia obtinenda ».

Decurso quadraginta dierum intervallo, die tandem 12 Novembris, optatum ab Examinatore advenit responsum. Iste, sicuti mos est Sinensibus administratoribus, modum suum agendi erga christianos hypocritis rationibus excusat commendatque, et nedum persecutorem, sed potius eorum protectorem se ostentat. Praetensis enim divisionibus inter paganos et christianos, asseruit se ab istis expetivisse bonae vitae morumque attestationem, ut facilius et absque difficultate ulla ad examinis aulam admitterentur. Haec tantum ipsi mens fuit, ut christianos juvaret, efficeretque ne ullus inter eos malus inveniretur.

Tali responso innixum, Pechinense gubernium gallicam legationem hortabatur, ut Episcopo Chan-si rescriberet, ne ullum timorem ab Examinatore conciperet, sed in ejus optimis intentionibus confideret. Quid enim melius, concludebat, si christiani boni et simul baccalaureati haberi possint?

Quamvis praedicta Gubernii decisio expectationi non responderet, Examinatoris tamen Chan-si epistola indirecte fatebatur se proprio motu egisse, non autem ex Gubernii mandato, uti nonnulli timebant. Spes etiam affulgebat a Gubernio obtinendi, ut ad Chan-si novae mitterentur instructiones, quibus obtemperaretur.

Interea Pechinum pervenit Galliae Minister, D. Lemaire, quem viginti abhinc annis P. Franciscus in Civitate *Tien-tsin* cognoverat. Ad ipsum accessit noster Missionarius et denuo totam rem exposuit. Minister vero, cunctis benigne auditis et perpensis, Gubernio Sinensi relationem transmisit, in qua aequum

non esse demonstravit, ut christiani diversimode ac ceteri acciperentur; et quemadmodum a Mahumetanis, nec Taotheistis aliisve ulla vitae vel religionis attestatio exigeretur, ita nec etiam a christianis exigi debere. Sic enim, inter omnes aequa lance habita, concordia foveretur. Instanter urgebat relatio, ut hoc sensu ordinationes ad pacem tuendam mitterentur.

Die tandem 3 Decembris gubernium Pechinense haec respondit: « Mandata ad Chansi examinatorem transmisimus atque jussimus, ut cunctos pari justitia exciperet, absque ulla cujuscumque acceptione ».

Ultima haec decisio christianorum jura tuebatur, et si inviolate servetur, non modo Provinciae Chan-si, sed ceteris etiam Imperii Provinciis ac Vicariatibus non parum inserviet. Hac de causa in *Actis* eamdem inserere opera pretium duximus.

—

INSCRIPTIONES

descriptae ex christianis coemeteriis Civitatis Pechinensis a P. Francisco de Monteregio Min. Obs.

Priores quinque inscriptiones reperiuntur in coemeterio Jesuitarum, dicto etiam Lusitanorum. In lingua latina pariter et Sinensi singulae exarantur.

Ultima vero legitur in coemeterio Franciscanorum, in quo inveniuntur alia sepulcra, ex quibus sex erecta sunt cum lapidibus, sed sine inscriptione; unde conjicere licet, alios Franciscanos ibidem fuisse sepultos.

Ambo coemeteria vicina sunt et ad partem occidentalem extra Pechini civitatem, a qua tantum uno circiter kilometro distant.

D. O. M.

Illmus ac Rmus D. Fr. Franciscus Mogi di Peruio, Italus Mediolanensis, Ord. Minor. Reform. a S. C. de Propaganda Fide in Sinas missus anno MDCCLXII pauloque postea a Clemente XIII. P. M. Episcopus Miletopolitanus creatus ac Vic. Apost. Xan-Sinensis electus, causa fidei captus ac Pechinum deductus, ibidem aerumnis, laboribus ac morbo confectus pie ac gloriose in vinculis pro Jesu Christi nomine obiit, die XIII. februarii an. MDCCLXXXV. aetatis suae LXII.

D. O. M.

P. Fr. Eusebius a Cittadella Patavii Ord. Min. Strict. Obs. Ref. ac S. Congr. de Prop. Fide alumnus, natus an. MDCCXVI. Pekinum vocatus, per XX et ultra annos utilem Missioni posuit operam. Vir sane pius ac doctus quod ex albo Missionariorum S. Congr. delectus ille fuerit, Ecclesia Nantanensi (1) adscriptus est socius, ubi per biennium fere convixit ac demum pie obiit die XII. Aprilis MDCCLXXXV.

D. O. M.

P. Fr. Crescentianus ab Eporedia, Italus Pedemontanus Ord. Min. Obs. a S. Congregatione de Prop. Fide ad Sinas missus anno MDCCLXXXIII in Xantunensis Missione in odium fidei captus, in carceres Pechinenses detrusus an. MDCCLXXXV et post novem mensium passos labores liberatus, Nantanensi Ecclesiae adscriptus, ibidem post egregia pietatis ac sacerdotalis zeli monumenta relicta, pie obiit die XXIV Decembris an. MDCCXCI aetatis XLVII, quo quidem circiter tempore Romae Pius VI. P. M. ipsum elegerat Episcopum Crojensem et Vicar. Apost. Xan-sinensem.

D. O. M.

Fr. Antonius a Purificatione, Lusitanus Ulysiponensis, Ord. Minor. Obs. Goanae Prov. S. Matris Dei Exprovincialis ac Theologiae Magister emeritus, Pechinum veniens anno MDCCXCII, ibique evangelicae praedicationi incumbens pie obiit die XI. Martii an. MDCCC aetatis LVII.

D. O. M.

Illmus ac Rmus Alexander Gouvea, Tertii Ord. S. Francisci, Lusitanus Eborensis, factus

(1) Ecclesia Nantanensis, cui adscripti sunt P. Eusebius et P. Crescentianus, de quo infra, in parte meridionali civitatis Pechinensis sita est, et ita vocatur a sinensi vocabulo *Nan* scilicet *meridies*, et *tan* sive ecclesia.

Episcopus Pechinensis an. MDCCLXXXII, quo venit an. MDCCLXXXIV, ubi complevit annos XXIV, omnibus apostolici muneris virtutibus, zelo et charitate, verus pauperum pater, et XX in tribunali astronomico, cujus tandem praeses fuit. Pie obiit Pechini Julii VI anni MDCCCVIII, aetatis LVII, Episcopatus XXVI.

D. O. M.

P. Angelus a Burgo S. Sypi Papiensis, Ord. S. Francisci, Pechinum venit anno Domini MDCCXXII, ubi plenus meritis obiit in *Hoi-tien* anno MDCCXXVI die XV Maji, aetatis suae LII.

IV.

BIBLIOGRAPHIA

ANTONIO MARIA DA TROBASO, Min. Ref. — Il Sacerdote Terziario. Manuale pel Clero Italiano. Torino. Giacomo Orneudo, Editore. Via del Gallo 5. 1888, pag. 238.

BERNARDINUS (P.) AB EPPAN — Patristisches Handbuch. — Eine Sammlung vieler Stellen fuer die vorzueglichsten Glaubens und Sittenlehren der Kath. Erblehre aus den Schriften hl. Kirchenvaeter und kirchlicher Schriftsteller. Alphabetisch geordnet. Vón P. Bernardin Thuille, Kapuziner der nordtirolischen Provinz. Mit Approbation der Ordensobern. Regensburg. Verlags — Anstalt vorm. G. J. Manz. 1888. Seiten 620.

Latine: Manuale Patristicum.

BERNARDO (P.) DA NAPOLI. — Gesù, Maestro di spirito proposto a' fedeli dal P. Bernardo da Napoli, Cappuccino. — Napoli, Tip. di Dom. de Falco, via Salata ai Ventaglieri, 14, 1887. Pag. 614. Prezzo L. 5,00

FRANCESCO (P.) DA MONTE COLOMBO. — Vita del B. Felice da Nicosia, laico dell' Ordine de' Cappuccini, scritta dal P. Francesco da Monte-Colombo dello stesso Ordine. — Roma, Tip. Vaticana 1888. Pag. 270.

GAUDENZIO. (P.) DA CREMONA. — Vita del Beato Frate Crispino da Viterbo Cappuccino, scritta dal R. P. Gaudenzio da Cremona dal medesimo Ordine. — Milano Tip. Lod. Feel. Cogliati, Via Pantano, 26. 1887. Pag. 188.

NORBERTUS (P.) A TUX, Min. Cap. Drei Blumen aus dem Kapuziner-Garten. Eine kleine Gabe zum Papstjubilaeum Leo XIII von P. Norbert Stock, Kapuziner der nordtirolischen Provinz. Mit Approbation des F. B. Ordinariates Brixen, sowie der Ordensobern. Innsbruck, Druck und Verlag der Vereinsbuchhandlung u. Buchdruckerei 1888. Seiten 125. Preis: 25 Kr. — 50 Pf.

Latine: Tres flores ex horto Capuccinorum, i. e. Vita B. Felicis a Nicosia Confessoris, et VV. PP. Cassiani et Agathangeli, Martyrum Abyssiniae.

NICOLAUS (P.) LEPSÉNYI, Provinciae S. Mariae Hungariae Strictior. Observantiae. « Válasz Masznyik endre Urnak Luther Élete czimü munkájára ».

Latine: Responsum Domino Andreae Masznyik scriptori vitae Lutheri « lingua hungarica hucdum tribus fasciculis comprehensum, quo falsas assertiones dicti Masznyik convellit refutatque. Posonii 1888. fascic. I. II. III.

PETRUS (P.) DUDZIAK, Min. Ref. — Cwiczenia Duchowne czyli Rekolekcye zastósowane dla uzytku Zakonników réguly S. O. Franciszka z woloskiego dzielk. « Il Cappuccino per dieci giorni ritirato przez W. O. Hajetana Maria da Bergamo kapucyna przelozyl. O Piotr Dudziak Reformat. Krakóiw Nakladem OO. Reformatow. Czcionkami Drukarni Jwiazkowy pod zarzadem A. Szyjewskiego 1888.

Latine: Exercitia spiritualia in usum Ordinis S. Francisci a P. Caietani Maria de Bergamo Ord. Minor. Capuccinor. scripta, et a P. Petro Dudziak Ord. Min. Reformat. in linguam Polonicam conversa.

VENANZIO (P.) DA LAGO SANTO. — Modo di ben vivere, traduzione dal latino del P. Venanzio da Lago Santo, Lettore Cappuccino, con riflessioni adatte alle Terziarie Francescane, scritte dallo stesso Traduttore. — Messina, Tip. del Progresso, 1887. Pag. 440.

V.

NECROLOGIA

Mense Januario currentis anni Provincia Picena Minorum Observantium, graviter contristata est amissione duorum filiorum, quos charissimos habebat, nempe R. P. RAPHAELIS A S. MARIA NOVA, Aesinae Dioecesis, et R. P. FRANCISCI MARIAE PIANI a Macerata.

R. P. RAPHAEL natus erat die 25 Septembris 1825; Ordinem nostrum ingressus est anno 1841. Apoplexiae morbo correptus, obiit Camerini die 16 memorati mensis Januarii. Religiosus et Sacerdos fuit semper professionis suae observantissimus, prudentia et vitae integritate spectabilis; comis ceteroquin cum omnibus benignus, grataeque conversationis vir. Romam a R.mo P. Bernardino a Montefranco, Ministro Generali, qua Scriptor ac socius sui vocatus, officium sibi commissum fidelissime adimplevit, adeo ut ab eodem Rmo Patre et amplas laudes sibi meruerit et inter ex-Custodes fuerit cooptatus. — Camerini, ubi diu commoratus est, audiendis fidelium confessionibus praesertim ruricolarum in pagis et oppidis degentium sedulo incubuit. Si quod ei ab hujusmodi occupationibus supererat tempus, illud vel in studio moralis Theologiae, vel in precibus DEO fundendis, vel in operibus calligraphiae, quam artem egregie callebat, ac propterea a pluribus continuo urgebatur, insumere solebat. Ideo omnium qui eum noverant, sibi emeruit amorem, omnesque morti ejus illacrymati sunt, cui et nos pacem adprecamur aeternam.

R. P. FRANCISCUS MARIA PIANI claris ortus est parentibus die 25 Februarii 1822 in civitate Maceratensi. Expleto in patria Universitate humaniorum litterarum ac Philosophiae cursu, duodeviginti annos natus habitum nostrae seraphicae Religionis induit in Conventu Montisbirochii, ubi corpus clarissimi B. Sanctis magna veneratione colitur. Ibi absoluto probationis anno, illico se ostendit verum S. P. N. Francisci asseclam. — Ob ejus singularem prudentiam et sanctae Regulae observantiam, maturius Provinciae Patres Magistrum Novitiorum eum elegerunt in Conventu patrio inclyti S. Jacobi Piceni prope Monteprandonum, obtenta prius super defectu aetatis pontificia dispensatione; quod munus usque ad Religiosorum dispersionem tenuit, optimeque adimplevit. Postea Guardianus praefati Conventus renunciatus, ad viginti ultra annos hujusmodi officium exercuit, semper et cum omnibus affabilis, semper et omnibus tam intra quam extra Ordinem dilectus. Praedicationi verbi DEI et fidelium confessionibus excipiendis continuo praesto fuit. — Cum anno 1885 cholerae morbus in vicina oppida dire serperet, pius Pater in proximi auxilium totum se dedit usque ad morbi cessationem, omnibus suam desideratissimam adsistentiam praebendo. Insanabili pulmonitide correptus, mortem oppetiit die 26 Januarii proxime elapsi, cum esset Definitor Provinciae suae, quae adhuc tanti Patris plorat jacturam. R. I. P.

Jacturam gravem pariter passa est Seraphica Observantium Provincia, e vivis sublato adm. Rdo P. IACOBO A SOLERIO, Lectorum Ordinis nostri et Ministrorum Provinciae suae nestore; tot enim, tantaque munia obivit solus, quot forsan non praestitissent perplura individua collective sumpta.

Solerii in Insubria ortus, die undecima Februarii 1800, Brunone Josepho Robotti et Lucretia Novelli parentibus, et Petrus Franciscus in Baptismate nuncupatus, a pueritia ad senectam suavitate indolis praefulsit, morum integritate et pergrandi discendi studio, licet rebus privatis publicisque susque deque versis: Fratris sui Caroli Josephi natu majoris vestigia proterens, annos natus septemdecim, inter Franciscales Observantes Sacri Conventus Divae Mariae Angelorum prope Assisium adscriptus fuit die 28 Novembris 1817, sancti Jacobi Piceni redeuntibus Solemniis; in cujus honorem *Jacobi* nomen laetus assumpsit, et Provinciae suae fulcro et decori futurum esse praelusit.

Professione emissa, studiorum tirocinium in Montano Perusino coenobio inchoavit, quo decurrente, dialecticum peracutum, solertemque idiomatis latini, organi et musices cultorem sese ostendit et patefecit. Emenso studiorum curriculo, et Doctor Assisii et Romae salutatus, philosophiam et theologiam naviter

docuit Spoleti et Perusiae; et disputavit saepissime domi forisque, utrobique laudatus, atque eo successu egit, ut perplures e discipulis suis cathedras ascendere potuerint doctoris laurea redimita fronte, aliisque prodesse. Ariminum posthac accitus christianam ethicam docuit sacri seminarii alumnos, de ejus laudibus et magisterio integra resonante Dioecesi ac laetabundo Antistite, cui a consiliis erat et Examinator Prosynodalis.

In Umbriam redux, ob nimium amorem erga germanum fratrem, utriusque studii Tifernatis et Perusini praefecturam laudabiliter tenuit, lectoribus aeque ac discipulis multifariam utilis. Bernardino Trionfetti, Provinciae Ministro, a secretis adstitit et Definitor, eique in Provinciae regimine successit.

Primus omnium *Curionis* titulo decoratus praefuit Paroeciae Portiunculae, ineunte Novembri 1850 institutae et erectae, Petro Marinio Cardinali et Antistite Landi promotoribus. Spoletini Coenobii Guardianus diu fuit, ac saepissime Confessarius ordinarius et extraordinarius Sanctimonialium per Umbriae Provinciam, nec semel Sodalibus et Virginibus spiritualia exercitia agentibus uberes habuit sermones. Conciones habuit Mediolani, Brixiae, in Thuscia et in fere omnibus urbibus Umbriae: edidit: *Historiam Divi Brunonis*, Signini Episcopi et conterranei dulcissimi; atque notitias biographicas *Divi Perpetui Turonensis*, Solerii Patroni, tum *Venerabilis Patris Generosi a Premosello.* Alias quoque publici juris fecit opellas, vulgo: *Le tre ore d' Agonia, Lamenti dell' Anima penitente, Novena della Natività del Signore, e dell' Immacolata Concezione,* et inter plures litteratorum coetus adnumeratus fuit.

Apollinea tandem voce donatus et grandi musices peritia, odea perplura cantaturus ascendit, et auditorum laudes ubique promeruit, vocis suavitatem cunctis admirantibus; praesertim cum Gregorius XVI et Pius IX Basilicam Angelicam praesentia honestarunt, Ditionem Pontificiam perlustrantes. Fuit acceptissimus perpluribus Antististibus, inter quos accensendi Pius IX et Leo XIII, dum in minoribus agebant.

E Coenobio reluctans extorris, exeunte anno 1866, ex temporum iniquitate, sese recepit Uncinanum ad Spoletinos cum fratre et nepote Capellano, ibique parociae parocho destitutae utiliter praefuit, usque dum, apoplexia subrepto Fratre, Spoletum adiit, ubi nepote et nepte praereptis, senectam dolenter transegit. Ad claustra redire impos ob infirmitates habituales, et itinera aggredi incapax, Spoleti die 10 Februarii a. c. decessit placidissime, Sacramentis munitus, et sepultus fuit in publico Coemeterio eadem die qua, octoginta octo ante annos, ortus fuerat. R. I. P.

P. Aemidius Pellicioni, Observantis Provinciae Marchiae sacerdos, actualis Definitor, in conventu Montis-Prandonis apoplexia tactus, atque beneficio sacramentorum Ecclesiae consolatus, die 29 Februarii anni currentis pie in Domino obiit anno aetatis suae 60, religionis vero 42°. Piis et honestis parentibus in oppido Monsampolo del Tronto natus, a puero didicit pietatis studium aeque ac litteras amare, et dein Ordinem seraphicum in Obs. Provincia Marchanconitana professus, adeo colendis virtutibus et addiscendis litteris incubuit, ut inter compares semper eminuerit. Posthaec sacerdos in Insula Corsica et in nativa Provincia Lectorem egit sedulum atque discipulis admodum proficuum. Verbi divini praeco eximius cum sacri laboris exercitio manipulos collegit quamplurimos. In officiis suis explendis, in salute propria et fidelium promovenda diligentissimus, ut Christiani sic Franciscani devotissimi exemplum omnibus sese exhibuit. R. I. P.

P. Petrus Paulus, natus in oppido Ripaltae Aquensis Dioecesis, die 18 Aprilis 1818, Vincentio Petrasanta et Margarita Garrone parentibus, Seraphicum Ordinem ingressus est in hac alma Observanti Provincia Bononiae die 21 Novembris 1840. Tirocinio in Sacro Montisjani Recessu laudabiliter expleto ac solemni emissa professione, Philosophiae ac Theologiae Bononiae et Parmae operam navavit sedulam, ac Sacerdos consecratus. Superiorum jussu, dato prius juxta leges in coenobiis Centi et Parmae experimento ingenii sui et scientiae, praefatas facultates, praecipue vero Theologiam morum docuit Nostrates, Regii-Lepidi, Carpi, Ravennae ac demum Ferrariae, ubi Jubilationis lauream est adeptus. Etsi magisterio addictus, a divino verbo disseminando

magno cum animarum lucro non cessabat, nec orationis spiritum relaxabat vere pius, vere devotus. In nostram Ecclesiam S. Spiritus Ferrariae translata ab Emo Cardinali Aloysio Vanicelli-Casoni illius civitatis Archiepiscopo b. m. animarum cura quae dicitur S. Mathaei, ex Superiorum delectu illi praepositus fuit, quamque ab anno 1870 ad 1886 rexit sedulitate maxima ac prudentia. Igne charitatis exaestuans in Deum et proximum, incredibile dictu est quot pertulerit labores pro domo Dei quam stipe collatitia pavimento et perpulchro SS. Sacramenti Sacello adornavit, cujusque sacras suppellectiles strenue a rei publicae administratoribus vindicavit: quosque in sinum pauperum portaverit eleemosynas ad eorum sublevandam inopiam, quem eapropter eorum patrem et solatorem publice vocabant. Boni itaque pastoris partes per sexdecim annos fideliter adimplevit, dignus ergo qui a consodalibus et exteris magni haberetur. Guardiani munere, Definitoris et Custodis Provinciae alacriter functus est, et Examinatoris prosynodalis officium in Ferrariensi Archidioecesi explevit. Dumque laetabundus pro animarum cura sponte dimissa, nostris juvenibus sacra morum theologia imbuendis alacriter insudaret in illo nostro a prophanis manibus recuperato coenobio, repentina apoplexia correptus cessit e vita antelucanis horis diei 23 Novembris 1887 summo omnium et fratrum et civium luctu. Ejus exequiae, adstantibus sodalibus, Parochorum Collegio et immensa populi moestissimi caterva magna cum pompa celebratae sunt. Vixit pius, amabilis, beneficus, annis 69, mensibus 7, diebus 6, functus est, Provinciam iterato regente Aloysio Canali Parmensi. R. I. P.

R. P. Accursius Beine, Ref. Provinciae S. Joannis Baptistae Cincinnatensis in America Septentrionali professus, brevi morbo correptus, Sacramentis Ecclesiae rite munitus, corona Fratrum circumdatus placidissime exspiravit Ludovicopoli in Conventu S. Bonifacii die 13 Martii, aetatis suae anno 55, et religiosae professionis 26.

Natus die 15 Augusti 1832 in Luetgeneder, pago dioeceseos Paderbornensis in Borussia, anno 1858 in Americam venit, et die 4 Octobris 1860 religioni seraphicae nomen dedit. Sacerdotio initiatus die 7 Novembris 1862, pastorali munere per 25 annos uberrimo cum fructu in dioecesibus Cincinnatensi, Wayne-Castrensi, Detroitensi et Ludovicopolitana functus est. Spiritualibus exercitiis strenue incumbens, seraphicae regulae sectator pietatis in Deum, charitatis in proximum et apostolici zeli exemplar se exhibuit. Ss. Viatico flexis genibus, humi decumbens, devotissime suscepto, animam pie reddidit morte in conspectu Domini pretiosa.

In exequiis Revmus Epicopus Mac-Closkey Missam pontificalem in Conventu St. Bonifacii celebravit praesentibus 30 sacerdotibus saecularibus et multis confratribus. R. I. P.

Ad. R. P. Franciscus a Sersali. Die nono mensis Aprilis 1888, anno aetatis suae septuagesimo quinto, supremam horam explebat Ad. R. P. Franciscus a Sersali. Ex piis parentibus ortus, franciscalem vestem induit Mesoracae, ubi tyronibus ceterisque omnibus vitae integritate exemplar se praebuit. Deo votus solemni professione, studiis philosophicis theologicisque tum in sua Provincia tum Urbini operam egregiam navavit, adeo ut Æsii ad Philosophiae cathedram concurrerit. Hujus scientiae laurea nitescens in Provinciam suam Calabriae Citerioris Reformatorum regrediebatur, in qua in disciplinarum Moderatoris, in Definitoris et Provincialis munus, nec non Examinatoris Synodalis evectus est. Omnibus charus fuit, et semper magni habitus ab omnibus locorum Ordinariis Calabriae. Ast placita erat Deo anima illius, et ecce crudeli morbo correptus, adhuc Corpore et Christi Sanguine recreatus coelum scandebat patientiae suae coronam accepturus.

R. I. P.

Nihil obstat

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

E SACRA CONG. INDULGENTIARUM

I.

RESCRIPTUM

Quo Tertiariis nostris indulgetur, ut benedictionem cum indulgentia plenaria recipere valeant in vigiliis festorum, quibus adnexa est praefata indulgentia.

Beatissime Pater,

Pater ANDREAS LUPORI, Procurator Generalis Totius Ordinis Minorum S. Francisci, ad pedes Sanctitatis Tuae humiliter provolutus exponit: in Ordinis Provinciis non paucos esse Tertiarios saeculares, qui confessionem peragere solent in vigiliis praecendentibus festa, quibus adnexa est benedictio cum indulgentia plenaria, sive propter majorem facilitatem se confitendi, sive quia in diebus festis impediti sunt quominus adsistant coetibus Tertii Ordinis, in quibus talis benedictio publice conceditur.

Ne autem hujusmodi Tertiarii priventur bonis spiritualibus a Summis Pontificibus Tertio Ordini concessis, humiliter postulat, ut in praedictis vigiliis possint benedictionem cum indulgentia plenaria recipere, sicut concessum est a Sacra Congregatione Indulgentiarum Tertiariis Massiliensibus, die 21 Novembris 1887.

Ex Audientia Sanctissimi diei 11 Maii 1888.

Sanctissimus Dominus Noster LEO Papa XIII, benigne annuit pro gratia juxta preces servatis de jure servandis. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 11 Maii 1888.

S. Card. VANNUTELLI, *Praef.*
ALEXANDER, Episcopus Oensis, *Secret.*

—

II.

Recitantibus oratiunculam « DEUS MEUS ET OMNIA » *indulgentia conceditur.*

Beatissime Pater,

Fr. BRUNO A VINTIA, Procurator Generalis Ord. Min. Capulatorum, instantibus ejusdem Ordinis alumnis, iis praesertim qui in Bavarica Provincia degunt, ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, petit a Sanctitate Vestra, ut aliquam indulgentiam benigne concedere dignetur omnibus utriusque sexus Christifidelibus devote recitantibus jaculatoriam precem « DEUS MEUS ET OMNIA », quae et Seraphico Patri S. Francisco Assisiensi fuit familiaris, simulque opportuna et salutaris ad excitandum in Christifidelibus amorem erga DEUM.

Et DEUS...

Ex Audientia Sanctissimi diei 4 Maii 1888.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, omnibus utriusque sexus Christifidelibus *qualibet vice* corde saltem contrito ac devote recitantibus supradictam oratiunculam benigne concessit *Indulgentiam quinquaginta dierum* defunctis quoque applicabilem. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 4 Maii 1888.

S. Card. Vannutelli, *Praef.*

Alexander, Episcopus Oensis, *Secret.*

—

E S. C. EPISCOP. ET REGUL.

—

REGULA TERTII ORDINIS REGULARIS

Cum explanationibus, quibus aptatur praedicta Regula Sororibus externo servitio Monasteriorum S. Clarae addictis.

Beatissime Pater,

Soror Agatha, Abbatissa Monasterii S. Clarae, civitatis vulgo *Romans;* Soror Maria Seraphina, Abbatissa Monasterii S. Clarae, civitatis vulgo *Valence,* et Soror Maria Vincentia, Abbatissa Monasterii S. Clarae, civitatis vulgo *Crest,* Dioecesis Valentinensis, humillime postulant, ut Sorores externae praefatorum Monasteriorum, *Tourières* nuncupatae, emittant in posterum tria vota simplicia Paupertatis, Obedientiae et Castitatis juxta Regulam Tertii Ordinis B. Patris Francisci de Poenitentia a S. M. Leone PP. X. approbatam, Bulla « *Inter cetera* » 20 Januarii 1521 (1) cum declarationibus tamen et explanationibus inferius relatis, quibus praedicta Regula pro iisdem Sororibus externo servitio addictis aptatur, cum participatione indulgentiarum et gratiarum spiritualium Monasterio, cui inserviunt, concessis.

—

REGULA

PRO FRATRIBUS ET SORORIBUS TERTII ORDINIS

B. PATRIS FRANCISCI

DE POENITENTIA NUNCUPATIS

sub tribus votis essentialibus in communi viventibus (1).

—

LEO PAPA X.

Dilectis Filiis, Fratribus et Sororibus Tertii Ordinis S. Francisci, sub tribus votis essentialibus in Congregatione viventibus.

Dilecti Filii et Filiae, salutem et apostolicam benedictionem.

Inter cetera nostro regimini credita, ea nos potissime sollicitos reddunt, per quae fraenatis mundi carnisque concupiscentiis, innocentiae primaeque pacis coelitus (2) tranquillus status ad suam primaevam reduci cognoscitur originem. Dudum siquidem hujus gratia felicis recordationis Nicolaus Papa IV, praedecessor

(1) Haec Regula Tertii Ordinis Regularis seriei addenda est Franciscalium Regularum, quas anno elapso in Actis nostris edidimus, pag. 57 et seq.

Tertius Ordo, uti compertum est, pro utriusque sexus Christifidelibus in ipso saeculo et in coniugio priisque domibus manentibus a B. Patriarcha Francisco institutus, et a Nicolao IV confirmatus, quarto decimo labente saeculo, in Italia praesertim et exinde in ceteris christiani orbis nationibus, ad statum Religionis fuit evectus, ejusque Regula asseclis in communi viventibus accommoda, paulo post a Leone X fuit approbata. B. Angelina de Marsciano, quasi fundatrix habenda hujus Religionis, viginti monasteria in Italia erexit, et sub eadem Regula S. Hyacintha de Mariscottis, B. Lucia Salernitana aliaeque floruerunt.

Etiam inter viros Tertiarii Regulares extiterunt, vota pariter solemnia emittentes ac ita numerosi evaserunt, ut in varias Congregationes Galliae, Hispaniae ac Portugalliae dividerentur, sub jurisdictione Ministri Generalis totius Ordinis Minorum; quae quidem Congregationes usque ad Gallicam perturbationem saeculi proxime elapsi perseverarunt.

Restituta Ecclesiae libertate, jam ab exordio saeculi vertentis nova exorta sunt Tertii Ordinis Regularis Instituta, Regulam a Leone X approbatam sectantia cum peculiaribus Constitutionibus, sed vota tantum simplicia emittentia. Plurimorum ex his Institutis actualem statum edidimus in *Actis,* et monasteria existentia enumeravimus, in Hollandia anno I, pag. 71; in Anglia et Scotia I, 120; in Gallia II, 49; in Italia II, 68, 201; in Hispania III, 206; in America II, 99 et III, 13. *(Nota Redact.).*

(1) *Bullarium Romanum,* anno 1521, (tom. V, editionis Taurinensis, 1860, pag. 764, et seq.).

(2) Waddingus addit *collatae.*

noster, Tertiam Regulam B. Francisci, quam de Poenitentia appellavit, per quam almus Confessor homines utriusque sexus fideles spiritu Dei plenus salvare contendebat, confirmavit et approbavit. Verum, quia temporis decursu, spirante illo Spiritu Sancto, non solum viri conjugati mundique hujus incolae, pro quibus a B. Francisco praefata Tertia Regula edita fuerat, verum etiam innumerarum virginum chori, tribus essentialibus, et a quibusdam etiam clausurae nostra auctoritate assumptis votis, constructisque Monasteriis quampluribus, non sine militantis Ecclesiae fructu multiplici et aedificatione, praefati Tertii Ordinis jugo sua colla subdiderunt. Et quoniam in dicta Tertia Regula quaedam maritatis accommoda, caelibi vero virgineoque statui, sub hujusmodi Tertia Regula Domino famulantibus minus decentia innectuntur, ob quod castorum animorum nitidi affectus (1) ac juxta Domini voluntatem, pretiosum a vili separantes, eamdem Tertiam Regulam in modum, qui sequitur, distinctam, de novo confirmamus et approbamus; ac vobis et successoribus vestris servandam transmittimus, cujus tenor sequitur, et est talis:

CAPUT PRIMUM

De Novitiorum seu Novitiarum ingressu.

Fratres seu Sorores ad hunc Tertium Ordinem recipiendi debent esse fideles, catholici, de haeresi non suspecti, in obedientia Romanae Ecclesiae firmi, matrimonio non ligati, debitis expediti, corpore sani, animo prompti, nulla vulgari infamia maculati, cum proximis reconciliati. Et de iis omnibus, antequam recipiantur, ab eo qui recipiendi habet facultatem, sunt diligenter examinandi.

Declarationes et explanationes, quibus aptatur praedicta Regula statui Sororum in Clarissarum Monasteriis externo servitio addictarum.

AD CAPUT PRIMUM

Pro recipiendis Sororibus externo Monasterii servitio addictis, adamussim serventur conditiones in hoc capite praescriptae.

(1) Waddingus legit: *nitidi affectus ab ingressu dicti Ordinis nonnumquam avertuntur, nos juxta Domini* etc.

Notandum tamen, de *Fratribus* nullo modo esse quaestionem. Licet enim in transactis saeculis multa Secundi Ordinis Seraphici Monasteria ad quaestuationem aliaque externa munera obeunda, Fratres Laicos habuerint, mos tamen hodie ubique invaluit pias tantummodo mulieres ad hujusmodi servitia admittendi. Quae quidem mulieres Tertii Ordinis saecularis Regulam ordinarie profitebantur, superaddito simplici voto servandi Decalogi praecepta promissisque Matri Abbatissae obedientia, castitate ac paupertate.

Quoties igitur in Regula verbum *Fratres* invenitur, perinde ac non fuisset expressum habendum est; idemque dicendum de ceteris praescriptionibus, quae *Fratribus* unice conveniunt.

Admissae vero Sorores appellari solent *Sorores externae* sive *Rotariae,* quia externis officiis, ac Monasterii Rotae inserviunt.

Verba autem: *ab eo qui recipiendi habet facultatem,* intelligenda sunt de Matre Abbatissa ejusque Discretorio; et sic effecta receptio ab Ordinario, vel ejus delegato confirmanda est.

CAPUT SECUNDUM

De his quae debent promittere Fratres et Sorores in professione hujus Tertiae Regulae.

Fratres et Sorores, postquam per unum integrum annum habitum probationis detulerint (qui de vili panno, arbitrio Visitatoris, esse debet), si conversatio laudabilis fuerit, apud conventum, in quo quis vel quae habitum probationis portaverit, de consilio discretorum dicti conventus, ad professionem dicti Ordinis recipiatur. In qua professione promittat servare mandata Dei, ac satisfacturum de transgressionibus, quas facere posset in futurum contra hanc Tertiam Regulam, ubi a Praelatis requisitus fuerit, vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate.

AD CAPUT SECUNDUM

Sororibus externis optime applicantur hujus capitis praescripta, additis tamen quae sequuntur observationibus:

1.° Ante vestitionem, per unum saltem annum Sorores externae probari solent; durante hoc primo anno probationis in habitu saeculari, sed modesto, Monasterio famulantur, et tamquam *Postulantes* habentur.

2.° *Visitator* ac *Praelati,* de quibus in hoc capite agitur, sunt Episcopus dioecesanus vel ejus delegatus, et Abbatissa Monasterii.

3.° Sororum habitus juxta singulorum Monasteriorum consuetudines, sive peculiares Constitutiones ab Ordinario approbatas, assignari ac determinari debet.

4.° Notandum praesertim, quod tria vota in Regula expressa, *ad annum* tantummodo a Sororibus externis emitti debent, et singulis annis *per decennium* renovantur. Quo quidem transacto decennio, ad vota perpetua emittenda Sorores admitti possunt, judicio Matris Abbatissae ejusque Discretorii. Haec vota sunt simplicia, sed dispensatio a S. Sede obtinenda foret.

Dominium, ut ajunt, radicale bonorum suorum semper retinent; attamen ipsis interdicitur eorum directa administratio, ususfructus et usus, et de illis disponere nequeunt absque Abbatissae licentia.

Ante professionem vero cedere debent suorum bonorum administrationem, usumfructum et usum, quibus eis placuerit, etiam proprio Monasterio, et apponi poterit conditio, quod sit quandocumque revocabilis. Professa autem hoc jure uti minime poterit, nisi accedente Apostolicae Sedis placito.

CAPUT TERTIUM

De Jejunio.

Fratres et Sorores perpetuis temporibus feria secunda, quarta, sexta et sabbatò (excepto dominicae Nativitatis festo) carnes non comedant. Et a festo Omnium Sanctorum usque ad Resurrectionem DOMINI, omni feria quarta et sexta jejunare teneantur. Ac similiter, qualibet sexta feria totius anni. Item, a festo B. Martini usque ad Nativitatem DOMINI, jejunent quotidie; injuncta Quadragesima universalis Ecclesiae, usque ad Resurrectionem DOMINI, quam tamen a Quinquagesima incipere debent. Diebus vero, quibus non jejunatur, bis in die duntaxat comedant, excepto quod a festo Paschae usque ad mensem octobris, laborantes poenoso seu gravi labore ter in die refici poterunt, jejuniorum semper diebus exceptis. Poterunt autem itinerantes, infirmi, debiles, tempore necessitatis, jejunium solvere.

AD CAPUT TERTIUM

Animadvertendum: 1.° Feriae secundae abstinentiam a Clemente VII, Bulla « *Ad uberes fructus* », fuisse dispensatam, extra praescriptas Quadragesimas. 2.° Diebus pariter, quibus Sorores ad quaestuationes mittuntur, a jejunio Regulae dispensari. 3.° Tandem, praevia Superioris facultate, Matrem Abbatissam a jejunio et abstinentia Sorores eximere posse, quoties legitimam viderit dispensationis causam.

CAPUT QUARTUM

De divino Officio et oratione.

Fratres et Sorores in Ecclesia servent silentium, praesertim quando Missa celebratur, vel sermo DEI proponitur. In aliis vero locis servent quod per suos Superiores circa silentium illis fuerit ordinatum. Debent etiam quolibet die in sero intra se et DEUM cogitare quid fecerint, dixerint, vel cogitaverint. Quolibet autem die (si potuerint commode) debeant audire Missam. Et procurare debent quod habeant virum religiosum, qui illis verbum DEI certis diebus proponat, et eos ad poenitentiam et virtutes inducat. Illi autem vel illae, qui vel quae horas canonicas sciunt per se dicere, debent horas canonicas, secundum usum sanctae Romanae Ecclesiae, persolvere. Qui vero horas canonicas nesciunt dicere, dicant duodecim *Pater noster* pro matutino, et pro qualibet aliarum horarum, septem, addito *Gloria Patri* in fine cujuslibet *Pater noster,* addito etiam *Credo* et *Miserere mei, Deus,* in principio Primae et Completorii. Et qui praemissa nescierit, ter *Pater noster* pro poenitentia dicere debeat. Quoties autem prandium vel cibum sumunt, gratias DEO reddere debent. De confessione vero sacramentali et sacra Communione sumenda, servabunt ordinationem Nicolai Papae IV, quod ter in anno

confiteantur atque communicent, vel etiam statuta a suis Superioribus super hoc ordinata.

AD CAPUT QUARTUM

Sorores externae praedicationibus, quae Monialibus fieri solent, et ipsae intersunt. Horas canonicas non recitant, sed *Pater noster* praescriptum numerum dicere debent. Ipsis tamen libertas impertitur eligendi numerum *Pater noster* in hoc capite praefixum, vel numerum *Pater noster* in Regula Sanctae Clarae assignatum, scilicet : « vigintiquatuor pro Matutino ; pro Laudibus quinque, pro qualibet hora prima, tertia, sexta et nona, septem ; pro Vesperis duodecim, et Completorio septem ».

CAPUT QUINTUM

De Praelatorum et officiorum ordinatione.

Quaelibet domus, si Monasterium virorum fuerit, habebit Superiorem istius Fraternitatis, qui Minister localis appellabitur. Si vero mulierum, Mater dicetur. Et eligentur per suos conventus, vel instituentur per suos Provinciales Superiores seu Visitatorem Generalem; ita tamen quod nullus sit perpetuus, sed certi temporis. Qui Ministri et Matres obedient per omnia, quae ad praesentem Regulam spectant, Provincialibus Ministris Ordinis Minorum B. Francisci et Visitatoribus deputatis ab ipsis Ministris, quamdiu in dictis officiis fuerint. Quo vero ad alia officia intra domum, servabunt statuta sua.

AD CAPUT QUINTUM

Quoad institutionem vero Officialium inter Sorores externas, notandum est, omnia officia eisdem Sororibus assignari a Matre Abbatissa cum suo Discretorio juxta Statuta cujusque Monasterii ab Ordinario approbata. Sororibus externis praeest quaedam ex ipsis, quae *Sororis Majoris* non vero Superiorissae titulo decoratur.

Soror Major singulis trienniis a Matre Abbatissa ejusque Discretorio instituitur, praevia tamen interrogatione Sororum externarum professarum, quae oretenus vel scripto Matri Abbatissae sententiam suam humiliter manifestant. *Soror Major* Matri Abbatissae et Monialibus ab ipsa deputatis per omnia obedire tenetur.

Ceterae externae *Sorori Majori* humiliter subsunt, sicuti Sorori antiquiori, haec autem ita praeest, ut bono exemplo et omnium virtutum exercitio prior semper videatur.

CAPUT SEXTUM

De modo interius exteriusque conversandi.

Cum Fratres et Sorores hujus Fraternitatis dicantur de Poenitentia, oportet eos ab omni curiositate, tam in vestibus quam in aliis quibuscumque abstinere. Et (juxta apostolicum (1) principis B. Petri salubre consilium) depositis certis vanis hujus saeculi ornamentis, nullum ornamentum corporale portare debent, nisi solum humile et necessarium tegumentum corporis sui. Debent etiam ab accessu curiarum, principum, dominorum seu dominarum, ubi mollia hujus mundi (DOMINO testante) habentur, omnino cavere; nec ullo unquam tempore choreis, ludis, jocis et aliis histrionum vanitatibus interesse. Debent quoque esse parci in verbis et locutionibus, quae raro sine peccato multiplicantur. Et, super omnia, ab omni mendacio et juramento quocumque, juxta mandatum DOMINI, nisi pro pace, fide, calumnia et testimonio perhibendo, cavere debent. Et omni die in sero, inter cetera, debent examinare se, si vel mendacium, vel juramentum aliquod fecerint, et pro quolibet ter *Pater noster* dicere debent.

AD CAPUT SEXTUM

Modus conversandi Sororum externarum sive cum Monialibus in clausura degentibus, sive cum adventantibus saecularibus personis, per propria cujusque Monasterii statuta ab Ordinario approbata determinatur.

Mater Abbatissa singulis saltem quindenis singulas Sorores externas vocare debet, easque interrogare de spiritualibus ipsarum necessitatibus, de modo Regulam ac Statuta servandi et in virtutibus jugiter proficiendi. In hoc spi-

(1) Waddingus, loco *apostolicum... et certis,* legit *apostolorum... ceteris.*

rituali colloquio, Abbatissa sola esse potest absque Discretarum praesentia, et cratibus etiam, si voluerit, apertis, ut Sorores tamquam Matri filiae, mentem suam liberius declarare queant.

CAPUT SEPTIMUM

De Visitatione et cura infirmorum.

Si quis Frater vel Soror hujus Fraternitatis in infirmitate ceciderit, Minister domus vel Mater, semel quotidie, per se vel per aliam personam visitare teneatur, et de bonis communibus necesse diligenter faciat illi ministrari. Teneatur quoque infirmum vel infirmam monere ad poenitentiam acceptandam, veramque conversionem ad Deum faciendam, mortis propinquitatem et judicii divini districtionem, simulque divinam misericordiam proponendo.

AD CAPUT SEPTIMUM

Si quae in infirmitatem ceciderit, quotidie visitari debet a *Sorore Majori,* cujus est etiam invigilare, ut infirmae diligenter ministretur, et Mater Abbatissa de ejus statu fideliter moneatur.

Ingravescente morbo, si propter exiguum numerum Sororum externarum, infirmae ministrare difficile fuerit, tunc praevia Ordinarii licentia, Abbatissa cum suo Discretorio infirmam intra septa clausurae admittere potest, ut diligentius curetur, ac ad recipienda Sacramenta facilius disponatur.

CAPUT OCTAVUM

De Visitatione, quam Praelati debent facere circa Fratres et Sorores.

Minister Provincialis Fratrum Minorum vel Visitator ejusdem Ordinis, cui ipse commiserit, visitabit quolibet anno, semel tantum in qualibet domo, cum praesentia seniorum. Et, facta visitatione, non debet intrare officinas, nec alia interiora Sororum. Ipse autem Visitator numquam solus maneat et separatus cum aliqua Sorore. Debent autem Ministri et Matres dicere Visitatori defectus, qui correctione indigent; similiter et alii Fratres et Sorores. Et si aliqui fuerunt incorrigibiles, judicio Discretorum vel Discretarum domus, tanquam morbida pecora, ejiciantur de Congregatione.

AD CAPUT OCTAVUM

Quae hic dicuntur de *Ministro Provinciali vel Visitatore ejusdem Ordinis,* intelligi debent de Episcopo vel ipsius Delegato, qui, quoties Monasterii Canonicam visitationem instituit, Sorores externas pariter visitat.

Ejectio seu dimissio Sororis incorrigibilis effectum non habet, nisi obtenta prius a S. Sede dispensatione super votis ab illa Sorore emissis.

CAPUT NONUM

De Officio mortuorum.

Postquam aliquis Frater vel Soror ab hac luce migraverit, curabit Minister seu Mater, quod ejus exequiae solemniter celebrentur. Quibus exequiis omnes Fratres vel Sorores alicujus domus, ubi ipsum mori contigerit, personaliter interesse debent, nec recedere debent donec corpus traditum sit sepulturae. Et pro anima cujuslibet defuncti vel defunctae, infra octo dies, quilibet sacerdos unam Missam; scientes autem psalterium, quinquaginta psalmos; nescientes vero psalterium quinquaginta *Pater noster,* et in fine cujuslibet *Requiem aeternam* dicere teneantur. In fine autem cujuslibet anni, seu infra quemlibet annum, quilibet sacerdos tres Missas pro defunctis; scientes psalterium, unum psalterium; nescientes vero psalterium, centum *Pater noster* cum *Requiem aeternam* in fine cujuslibet dicere debeant. Et circa ista officia pro defunctis, et alia officia divina in praesenti serie annexa, cura imponitur Ministris et Matribus, ut fideliter persolvantur.

AD CAPUT NONUM

Defuncta aliqua Sorore externa aut etiam Moniali, Sorores Tertiariae psalmos non legunt, sed eorum loco quinquaginta *Pater no-*

ster ac totidem *Requiem* recitare tenentur, additis per novem dies *Viae Crucis* exercitio et Statione SSmi Sacramenti.

Singulis annis, decurrente mense Novembri, centum *Pater noster* cum *Requiem aeternam* pro defunctis Ordinis, ceterisque animabus in Purgatorio degentibus, dicere debent, aliasque effundere preces, quae in propriis cujusque Monasterii praefiniuntur.

CAPUT DECIMUM

De Obligatione contentorum in Regula.

Omnia et singula in praesenti Regula contenta sunt consilia ad facilius salvandas animas viatorum, et nulla sunt obligatoria ad peccatum mortale vel veniale, nisi humano vel divino jure aliquis alias esset obligatus. Obligantur tamen Fratres et Sorores facere poenitentias sibi a Superioribus impositas, quando super hoc requiruntur. Obligantur etiam ad tria vota essentialia, paupertatem, nihil habendo in speciali; castitatem, quia post votum non possunt matrimonium contrahere, nec, sine transgressione, vitiis carnis se immiscere; et obedientiam, quantum ad illa, sine quibus non potest commode ista Fraternitas manuteneri. Tenentur etiam ad clausuram servandam illae, quae ipsam expresse servare voluerint. Quod omnibus et singulis conventibus concedimus, dummodo hospitalitas et charitas, quam exercere solent apud infirmos, nullum cum honestate patiatur detrimentum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 20 januarii, millesimo quingentesimo vigesimo primo, Pontificatus nostri anno octavo.

(Datum die 20 Januarii 1521, pont. an. VIII).

AD CAPUT DECIMUM

Quae in praesenti capite de Clausura praescribuntur, ad Sorores externas, ut perspicuum est, non pertinent.

Omnibus Clarissarum Monasteriis, Episcoporum jurisdictioni subiectis, fas sit praedictam Regulam Tertii Ordinis S. Francisci, Sororibus externis accommodatam, acceptare, praevia Ordinarii licentia; eisdem tamen liceat propria servare statuta ac legitimas consuetudines, quae praefatae Regulae adnexisque animadversionibus non adversantur (1).

Cunctae vero Sorores externae, quae praedictam observant Regulam, participes sunt omnium gratiarum ac indulgentiarum, praesertim vero benedictionum papalium et absolutionum generalium, quibus gaudet Monasterium, cui inserviunt.

DECRETUM

Sanctissimus D. N. Leo PP. XIII, in Audientia habita ab infrascripto Domino Secretario Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium die 5 Maii 1888, attentis litteris commendatitiis Episcopi Valentinen., preces Abbatissarum trium praefatorum Monasteriorum benigne excipiens, indulsit, ut Sorores externo servitio eorumdem Monasteriorum addictae, « *Tourières* » nuncupatae, rite expleto Novitiatu, consueta tria Vota simplicia Paupertatis, Castitatis et Obedientiae prius ad tempus, dein in perpetuum emittant, juxta Tertiam Regulam S. Francisci a S. M. Leone PP. X approbatam, nec non declarationes et explanationes supra relatas, quas Sanctitas Sua, ut in hoc exemplari continentur, cujus autographum in Archivio praelaudatae S. Congregationis asservatur, benigne approbare et confirmare dignata est, prout praesentis Decreti tenore declarationes et explanationes ipsae pro Sororibus externis praedictorum trium Monasteriorum, approbantur et confirmantur, indulta quoque eisdem Sororibus participatione indulgentiarum et gratiarum spiritualium ad tramites earumdem declarationum.

Datum Romae, ex Secretaria memoratae Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, die 18 Maii 1888.

J. Card. Masotti, *Praefectus*

✝ Fr. Aloisius, Episc. Callinicen., *Secret.*

(1) Ex his declarationibus, a S. Congregatione Episcop. et Reg. approbatis, patet liberum licitumque esse singulis Clarissarum Monasteriis, quae hujusmodi Sorores habent externo servitio addictas, praedictam Regulam ejusque explicationes admittere, et ad hoc sufficit proprii cujusque Ordinarii facultas, quin ad Sanctam Sedem recurrendum sit (*Nota Redact.*).

II.

ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS

Incitamenta Seraphica.

—

DE DISCIPLINA REGULARI RESTITUENDA

CAPUT IV.

De mortificatione.

§. 2. *De jejunio et abstinentia.*

16. Sancti Patres et Ecclesiae Doctores unanimi consensu docent, jejunium saluberrimum esse, tum ad vitia extirpanda, tum ad virtutes acquirendas. « Quid enim, ait S. Leo (1), « potest efficacius esse jejunio, cuius observan« tia appropinquamus Deo, et resistentes dia« bolo vitia blanda superamus... Semper enim « virtuti cibus jejunium fuit ». — Ad pravam carnis concupiscentiam refrenandam jejunium necessarium esse, ipse Christus docet, de spiritu immundo dicens (2): « Hoc genus in nullo « potest exire, nisi in oratione et jejunio ».

17. S. P. N. Franciscus non potuit aliam viam inire, aut suis monstrare Fratribus, quam ipsius Christi et Sanctorum, qui jejunium coluerunt totis viribus, et commendarunt. Propterea in Regula sua praefixit dies et tempora, quibus a Fratribus suis jejunium sit observandum. Videamus nunc breviter, *quibus diebus* et *quomodo* jejunare debeamus, et quinam a lege jejunii censeantur *exempti.*

18. Fratres Minores *ex Regula sua* ad jejunium et abstinentiam sub gravi tenentur: 1.° *A Festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem* Domini. In ipsis festis Omnium Sanctorum et Nativitatis Domini vero ad jejunandum non tenentur, nisi ista festa incidant in Feriam sextam. Diebus Dominicis infra hoc tempus occurrentibus ad solam abstinentiam tenentur. 2° *A die Cinerum usque ad Resurrectionem* Domini; ita tamen, ut diebus Dominicis pariter ad solam abstinentiam obligentur. Iuxta communem expositorum Regulae opinionem Fratres Minores ad jejunium Quadragesimae ante Festum Paschatis non solum vi legis ecclesiasticae, sed etiam ex praecepto Regulae tenentur. Hanc sententiam tenet etiam S. Bonaventura, qui dicit (1): « Beatus Franciscus *duas* « *Quadragesimas* praecipiendo *imposuit,* tertiam « vero cum benedictione Dei suasit ». 3° Singulis Feriis sextis totius anni, etiamsi in Feriam sextam incidat Festum Nativitatis Domini.

19. Praeter haec a S. Regula praescripta jejunia Fratres Minores observare debent etiam *jejunia a S. Ecclesia injuncta,* prout Clemens V declaravit (1). Hinc jejunium ab ipsis observari debet: 1° *Quatuor Temporum;* 2° *Vigiliarum* (Pentecostes, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis B. Mariae V. et Omnium Sanctorum): et 3° abstinere debent a *carnibus diebus Sabbatinis.*

20. Insuper a Constitutionibus Ordinis nostri Generalibus praescribitur (3): « Vigilia S. « P. N. Francisci ab omnibus intra et extra « Conventum jejunio consecretur ».

21. Convenit etiam, ut Fratres Minores illa jejunia observent, quae ibi ubi commorantur sunt in usu, ne saecularibus sint scandalo, licet ad ea in conscientia non teneantur.

22. Iejunium incipiens a festo Epiphaniae et per quadraginta dies continuandum Fratribus non praecipitur, sed a S. Francisco duplici motivo commendatur; primo quidem quia juxta vetustissimam traditionem hoc ipsum tempus Christus Dominus suo sancto jejunio consecravit, et secundo, quia illis qui voluntarie hoc jejunium observant, magna benedictio divina promissa est.

23. Lex jejunii a S. P. N. Francisco iuxta universalem Ecclesiae consuetudinem lata duo praecepta in se continet; praescribit enim abstinentiam a cibis prohibitis, ac abstinentiam a secunda refectione. Quia S. Pater, circa hanc duplicem abstinentiam, specialem normam non praescripsit, jure infertur, Fratres in jejunio observando universalis Ecclesiae consuetudinem sequi posse et debere.

24. In jejunio ecclesiastico *abstinentia a carnibus* praecepta est: ergo etiam Fratribus

(1) Serm. 2. de jejun.
(2) Marc. IX, 28.

(1) In Cap. III Reg.
(2) Constit. *Exivi,* cap. 3.
(3) N. 225.

Minoribus in jejuniis a Regula praescriptis esus carnium graviter est interdictus. Iuxta communem Theologorum sententiam, circa abstinentiam ab ovis et lacticiniis, regionis consuetudinem esse servandam, cui etiam Fratres Minores juxta Regulae expositores se conformare debent et possunt.

25. In diebus jejuniorum *unica* tantum *refectio* licita est. Qui ergo jejunii lege adstringuntur, nullatenus cibis esurialibus pro libitu vesci, sed una tantum vice usque ad satietatem his refici possunt. Unica haec refectio prioribus Ecclesiae saeculis hora nona, idest tertia pomeridiana, sumebatur, in Quadragesima vero usque ad Vesperas differebatur. Pedetentim autem mos invaluit, in diebus jejuniorum circa meridiem refectionem sumendi, et hanc consuetudinem etiam Religiosi tuto sequi possunt. Immo Regularibus a Clemente VII privilegium concessum est (1), una hora anticipandi refectionem. Notabiliter horam refectionis praevenire absque rationabili causa non licet.

26. Quando consuetudo incepit sumendi refectionem circa meridiem, introducta fuit *coenula vespertina* ex indulgentia Ecclesiae. Quoad qualitatem et quantitatem ciborum in hac coenula, quam *collationem* vocant, sumendorum, Theologi dissentiunt. Quoad qualitatem ciborum magis placet opinio, quam tenet Billuart, qui dicit: « Rectius mihi docere videntur, qui « dicunt, standum esse consuetudini regionis, « in qua quis vivit: quia quum collatio ortum « habeat a consuetudine, etiam consuetudine « modus ejus regi debet ». — Quoad quantitatem Theologi communiter putant, sumi posse quartam partem ordinariae refectionis, vel etiam octo uncias.

27. Potus proprie dictus non frangit jejunium, quia principaliter ordinatur ad refrigerationem ac digestionem. Lac vero, mel, chocolat, etc., eo quod ordinentur magis ad nutritionem, potus censeri nequeunt, ac propterea, si in notabili quantitate sumantur, jejunium frangunt.

28. Jejunium tum ab Ecclesia, tum a Regula praescribitur ut opus poenitentiae et mortificationis, et praecipue ordinatus ad carnis concupiscentiam reprimendam, et ad corpus in servitutem spiritus redigendum. Jejunium vero, ut saluberrimos istos effectus producat, corpori quaedam commoda subtrahere, vel etiam incommoda afferre debet. Merito igitur ipsi saeculares reprehenduntur, qui propter incommoda, quae ex natura et fine jejunii sentire coguntur, se ab hoc excusatos putant: multo vero majori reprehensione digni sunt Religiosi, qui ob levia quaeque incommoda dispensationes quaerunt, vel seipsos excusant atque in servando jejunio ita se gerunt, ut de hujus rigore nihil sentiant. Manifestum est, quantum isti a vocatione sua recedant, cujus tenore JESU CHRISTI mortificationem semper in corpore suo circumferre deberent.

29. Non autem ideo negari potest, justas dari posse causas, ob quas etiam Fratres Minores a praescriptis sibi jejuniis excusentur. Ipse S. Pater hoc innuit, dicens: « Tempore « vero manifestae necessitatis non teneantur « Fratres jejunio corporali ». Ad haec verba quatuor Magistri observant, necessitatem aliquando contingere posse ratione aetatis, infirmitatis, debilitatis, laboris ac sustentationis.

30. Quod *aetatem* attinet, certum est, illos ad jejunium ecclesiasticum quoad unicam dumtaxat refectionem non obligari, qui vigesimum primum aetatis suae annum nondum compleverunt. Hoc absque dubio valet etiam pro Fratribus Minoribus ante completum vigesimum primum aetatis suae annum quoad jejunia a sola Ecclesia praescripta, de quibus supra sub n. 19 agitur. Hujusmodi juvenes vero praecise ratione *aetatis* a jejuniis per Regulam praescriptis, quae supra sub n. 18 enumerantur, non excusantur, quia in professione sua promiserunt, « toto tempore vitae suae Regulam « observare »; — propter alias autem rationes possunt esse excusati.

31. Nullum tempus ab Ecclesia determinatum fuit, in quo pro senibus jejunii lex cesset. Inter Theologos vero multi putant, quod jam sexagenarii a jejunio eximantur. Quia vero non raro senes robusti inveniuntur, alii Theologi dicunt, regulam generalem pro ipsis dari non posse, sed eorumdem dispositiones et vires attendi debere. Quod Fratres Minores sexagenarios attinet, ipsi juxta supra dicta non ratione aetatis, sed potius non raro ratione

(1) Const. *Dum fructus uberes.*

debilitatis, a jejunio Regulae possunt censeri exempti.

32. Ratione *infirmitatis* vel *debilitatis* excusantur, qui jejunare non possunt sine detrimento sanitatis aut probabili ejus periculo, ut graviter aegrotantes, reconvalescentes etc. In dubio standum est judicio experti et timorati medici, aut eo deficiente, alterius viri prudentis. Obligatio vitam conservandi est certa, et provenit ex ipsa lege naturali, quae praevalet praecepto humano positivo, quale est jejunium, quod imponitur sive ab Ecclesia sive a Regula ad mortificationem quidem naturae, non vero ad ejus destructionem. Infirmitas non semper a toto jejunio excusat; subinde enim aliquis potest esse exemptus a lege abstinentiae, quin tamen plures refectiones sumere ei liceat; et vice versa secundum rationem infirmitatis.

33. Juxta Theologorum sententiam a jejunio ecclesiastico excusat omnis *labor* honestus cum jeiunio incompatibilis, etsi non necessarius, dummodo non sit in fraudem jejunii susceptus. Laborem etiam a jejunio a Regula praescripto eximere posse, testatur S. Bonaventura, qui autem ad hoc laborem necessarium requirit. Laici nostri ergo per labores suos ordinarios a jejunio non eximuntur, bene vero per extraordinarios, et ita quidem, ut non carnes comedere, sed tamen pluries refici licite queant, dummodo labor necessarius, seu ab obedientia ipsis fuerit praescriptus. Quoad sacerdotes dubitari nequit, quod subinde ob labores spirituales, quibus ex obedientia incumbunt, a jejunio vel ex parte vel ex toto eximantur. Ast difficile est, in hac re regulam generalem statuere; exemptio enim tum a quantitate laboris, tum a conditione physica respectivae personae dependet, et ideo judicio prudentium praesertim Superioris vel confessarii relinquenda est.

34. Sicut labor, ita etiam *itineratio* a jejunio eximere potest, si iter ex obedientia susceptum sit, et a jejunante sine magno incommodo perfici nequeat.

35. Ratione *sustentationis* a jejunio eximitur, qui nihil habet quod comedat, nisi cibos tempore jejunii prohibitos; vel qui refectionis hora non habet tantum, quantum ad necessarium victum pro ea die sufficiat. In hisce sane casibus manifesta necessitas adest.

36. Praeter indicatas causas a jejunio excusantes, a jejunando etiam eximit, prout per se patet, *legitima dispensatio*. Non enim decet, ut Fratres ipsi a jejunando se excusatos judicent, sed potius, si commode fieri possit, hoc judicium Superioribus relinquant, ad quos spectat respectu suorum subditorum judicare, et etiam in casibus dubiis dispensare, prout eis secundum DEUM videbitur expedire. Propterea non bene faciunt Superiores, dum subditos dispensationem in causis dubiis petentes ad proprias conscientias remittunt. Potius debent in causis dubiis dispensare, cum ad hoc habeant necessariam facultatem.

37. Generatim cum zelo debet esse conjuncta discretio, ne Fratres vel absque necessitate praecepta jejunia frangant, vel ea cum tanto periculo servent, ut infirmi evadant et quasi inutiles pro Ordine se reddant.

(Continuabitur).

—

CAPITULA PROVINCIALIA

Anno 1888 celebrata.

VIII.

Pro Obs. Prov. Calabriae.

In Congressu diei 15 Martii vertentis anni, a Definitorio Generali electi sunt:

IN COMMISSARIUM GENERALEM

Adm. R. P. Augustinus Converti ab Amygdalaria.

IX.

Pro Obs. Prov. S. Ferdinandi.

IN COMMISSARIUM GENERALEM

Adm. R. P. Anselmus a Saxinoro.

X.

Pro Obs. Prov. Lyciensi.

In Congressu Definitorii Generalis diei 26 Aprilis, electus est:

IN COMMISSARIUM GENERALEM

Adm. R. P. Cajetanus a Monteroni.

XI.

Pro Obs. Prov. S. Saturnini in Sardinia.

In Congressu diei 3 Maii a Definitorio Generali electi sunt:

IN COMMISSARIUM GENERALEM

Adm. R. P. Pacificus Moj.

XII.

Pro Obs. Prov. S. Mariae Gratiarum, in Sardinia.

IN COMMISSARIUM GENERALEM

Adm. R. P. Salvator Angelus Secchi, Com. T. S.

XIII.

Obs. Prov. Basilicatae

MINISTER PROVINCIALIS

Adm. R. P. Alphonsus Aragiusto a Tricarico.

CUSTOS

Adm. R. P. Venantius a Lagonegro.

DEFINITORES

R. P. Josephus a Rivello.
R. P. Alphonsus ab Acherontia.
R. P. Michael a Stigliano.
R. P. Raphael ab Antio.

—

PRODIGIOSA SANATIO

interventu S. Antonii Patavini patrata.

Mirabilis DEUS in Sanctis suis! Padua mane diei 23 Maii circa horam nonam felix spectatrix, testisque erat insignis favoris, Thaumaturgo intercedente, obtenti a Maria Codemo, quatuor et decem annis nata, patria Alani Plavensis in districtu Feltriensi, Provinciae Belluni; cuius facti fidelem narrationem edimus ecclesiasticae Auctoritatis judicium et vocem desiderantes.

Ut res dilucidius pateat, silentio non est praetereundum puellam Mariam, mense Januario 1887, firma valetudine alacrique animo gaudentem die 6 primo mane, hora quarta appropinquante, lacrymabili egestate coactam, una cum tribus laboris consortibus, ad ligna quaeritanda, patriorum montium radices ascensu superasse, conscendendo semitam transeuntem prope pagi Coemeterium. Ast hic dolorum initium esse debebat; hic praeparatio ad divinae misericordiae triumphum. Atra enim umbra, ad instar humanae formae, nigra attritaque veste obtecta, Mariae caeterarumque oculis apparet, vel videbatur eis apparere. Consociis fugam petentibus, Maria audacior eam versus dirigit gressus, manibus conatur apprehendere, sed illico visio evanescebat.

Hujusce rei causa, aliquot diebus transactis, motus e nervorum convulsione, febris, magni corporis languores, membrorum dolorosa ariditas eam ita adoriebantur, ut post quatuor menses summis in angustiis immobilitate lecto detineretur, et heu! quali in miserabili statu! Ab imis unguibus usque ad verticem corpus contractum, brachia arida super pectus cancellata, genua elevata, breviter tota persona globus videbatur.

Omnia tentata sunt remedia pro eius valetudine, sed frustra, et jam nullum sidus propitium ei fulgebat. Desperata mater, terrena remedia flocci faciens miserrima filia, ambae oculos intenderunt in coelum, melius adiutorium deprecantes. Hac de causa Paduam venerunt die 22 Maii, ubi in Hospitio vulgo « *Croci Bianche* » moratae sunt.

Illico Doctor Burlini accersitus puellae miseriam miratus est, matrique suadebat perexcellentis D. Bassini medicum consilium. Ast haec in S. Antonio bonae spei plena declarabat, se iam humana remedia respuere velle et ad Thaumaturgi opem confugere. Medicus mulieris fiduciam non contempsit, eidemque non contradixit. Mane post horam septimam mater et filia ad Sancti altare stabant. Tunc puella in lectulo a tergo arae ponitur, Missam absque solito acri dolore audit, secundae etiam Missae adstat, sub qua sacra communione reficitur. Dein sub arca Sancti in culcitula collocatur, ibique tertiam Missam audit, qua durante magna animi agitatione se commoveri sentit, semet contorquet, querulos clamores edit, dum simul ejusdem membra moveri, juncturae enodari, pristinum statum recuperare conspiciuntur, ipsa e lectulo surgit et stare potest, manentibus tamen brachiis immotis cancellatisque.

Adstantes stupent, Rosarium recitant, miraculi complementum deprecantur, puellaeque suadent, ut semet crucis signo muniat. Paret ipsa, statimque perfecte sanata apparuit, et fusis precibus in gratiarum actionem pedibus suis diversorium repetit. Hocce miraculum gaudium et exultationem universo populo attulit, qui ad Basilicam accurrens testis erat recuperatae valetudinis. Puellam sanatam viderunt duo quoque ex nostris Generalibus Definitoribus, nempe Ad. RR. PP. Aloysius Lauer et Eusebius Fermendžin, qui illo tempore Padua transibant.

III.

MISSIONES

—

STATUS

Exercitiorum spiritualium a Patribus Collegii Apostolici Civitatis Corrientes *in Republica Argentina a die 11 Maii 1884, usque ad diem 6 Octobris 1887.*

Sacerdotes	10
Laici	2
Baptismi parvulorum ex parentibus fidelibus	509
Baptismi parvulorum ex parentibus infidelibus in Collegio	5
Confessiones	8,600
Communiones	7,412
» in carcere et hospitali	75
Matrimonia benedicta cum consensu Parochi	35
Viaticum et extremae unctiones cum consensu Parochi	93
Paroecia distans e Collegio 115 Kilometra	1
Sermones panegyrici in Collegio et aliis Ecclesiis	20
Sermones morales in Collegio et aliis Ecclesiis	130

In territorio Gran Chaco *Australi.*

In colonia *Resistencia* adsunt Sacerdotes.	2
Incolarum numerus ex Italia aliisque nationibus et ex Indiis	4,000
Baptismi puerorum ex parentibus fidelibus	180
Baptismi puerorum et adultorum indorum in *Presidencia Roca*	30
Baptismi puerorum et adultorum indorum in *Puerto Espedicion*	30
Baptismi puerorum et adultorum indorum in *Puerto Vermejo*	140
Confessiones	900
Communiones	730
Viaticum et extremae unctiones	32
Matrimonia benedicta	70
Mortui	110
Sacella intra spatium 37 Kilometrorum	2
Sermones morales omnibus diebus Dominicis et Festis	

In territorio Gran Chaco *Boreali.*

In colonia *Formosa* Sacerdos.	1
Incolarum numerus ex Italia aliisque nationibus et ex Indiis	5,130
Baptismi infantium ex parentibus fidelibus	352
Baptismi infantium ex parentibus infidelibus	3
Confessiones	1,100
Communiones	1,050
Matrimonia benedicta	34
Mortui	119
Sermones morales in mense.	3
Explicatio doctrinae christianae in hebdomada	2
Schola sub directione Parochi	1

Corrientes, die 7 Octobris 1887.

Fr. Cornelius Casali
Guardianus.

—

ELECTIO

NOVI COMMISSARII GENERALIS.

pro Mexicana Republica.

Elapso sexennio regiminis Adm. Reverendi Patris Fr. Theophili G. Sancho, Min.

Obs. Commissarii Generalis necnon Terrae Sanctae in Mexicana regione, die 24 Maii in Congressu Definitorii Generalis ei suffectus fuit Adm. R. P. ISIDORUS M. CAMACHO, actualis Guardianus Collegii Sancti Ferdinandi, in Urbe Mexici.

IV.

BIBLIOGRAPHIA

—

BEATO GIOVANNI BURALLI: Periodico bimensile, pel suo VI centenario. Parma, tipografia della SS. Nunziata, n. 1, 15 Maggio 1888.

Ad commendandum hujus periodici scopum utilitatemque, sufficit ejusdem programma hic inserere, prout jacet in primo fasciculo:

« Il fine del periodico è quello di far conoscere le virtù e i meriti, la santità e la dottrina, le gloriose gesta del Beato Giovanni di Parma, settimo Generale dell' Ordine Francescano, e preparare così i fedeli e specialmente questa sua patria a celebrare degnamente il VI Centenario dalla sua preziosa morte, che cade nel giorno 20 Marzo 1889.

Il periodico uscirà ai 15 e ultimo di ogni mese, incominciando dal Maggio di quest' anno, e proseguendo fino alla celebrazione delle feste centenarie, che verranno fatte nella seconda metà del Maggio 1889. Per cui il periodico durerà oltre un anno, e non avrà meno di 28 o 30 dispense; nell' ultima delle quali verrà inserita una minuta e circostanziata relazione delle Feste celebrate.

Ogni numero sarà di 8 pagine, non compresa la copertina; e conterrà tre parti: *Vita del Beato, monumenti* e *varietà.* Nella prima verrà esposta in tanti articoli la vita del Beato, tratta da storici contemporanei e autorevoli: nella seconda sarà pubblicato tuttochè di antico e di moderno conferisce a onore e gloria del Beato: nella terza, saranno date notizie le quali direttamente o indirettamente riescano di onore al Beato, o a questa nostra patria, o intorno a Francescani Parmensi, o in qualche modo utili.

Il prezzo di associazione	per un anno è di	L. 4,00
» »	per un semestre	» 2,00
» »	per un trimestre	» 1,20
»	per ogni numero separato	» 0,20

Il ricavato netto della pubblicazione di questo periodico è destinato per le spese delle feste centenarie.

La *Direzione del periodico* è nel *Convento della Santissima Nunziata, Parma.* Essa riceve con gratitudine qualunque scritto, che informato sia allo spirito del medesimo, e che tenda a raggiungere il fine per cui è fondato, da inserirsi nel periodico stesso: anzi prega caldamente ecclesiastici e laici ad onorare il Beato concittadino anche in questo modo, cioè con pubblicazioni che il mostrino per quello che Egli è, vale a dire — splendida gloria di Parma nel secolo XIII ».

COLOMBANO DEL CUOR DI GESÙ (P.) ex Provinciale Alcant. — La mia Orazione, ossia la settimana santificata dal Cuore di Gesù, esposta dal Sacerdote Fr. Colombano del Cuor di Gesù ex Provinciale dei Minori scalzi Alcantarini della Provincia di Napoli.

Napoli tipografia dei fratelli Menfredi, 1888, pag. XXX-308, in 16.°, lire 2.

Haberi potest a Curia Generalitia.

HILAIRE (P.) DE PARIS. — Où est le ciel? (Meditation d'un philosophe) par le F. A. P. Hilaire, des FF. Mineurs Capucins de S. François, docteur en théologie et en droit canon, etc. Extrait de la « Science catholique », Revue des questions religieuses. Novembre-Décembre 1887, janvier 1888 Delhome et Briguet, editeurs. Paris, rue de l'Abbaye, 13. Lyon, Avenue de l'Archevêché, 3. 1888. Pag. 75.

IGNATIUS (P.) JEILER, Min. Rec. — Normalbuch für die in der Welt lebenden Brüder und Schwestern vom dritten Orden des heiligen Franziskus, Von P. Ignatius Jeiler. Dülmen, 1888, Laumann'sche Verlagshandlung.

IOSEPHUS TOUZERY. — Manuel du Tiers-Ordre de S. François par l'Abbé Ioseph Touzery, Chanoine, Vicaire Général de Rodez, Docteur en Théologie et en Droit canonique, Directeur d'une Fraternité de Tertiaires. Deuxième Edition, Revue et approuvée par les Supérieurs de l'Ordre. Tulle, Mazeyrie, Editeur. — Paris, Gaume et C.e Editeurs 1888. In-16 Pag. 288-LXVIII

MARCELLINUS (P.) A CIVETIA, Min. Obs. — Epistolae Missionariorum Ordinis S. Francisci ex Frisia et Hollandia, ex codice manuscripto Regiae Bibliothecae Monachii in Bavaria; ediderunt Fr. Marcellinus a Civetia et Fr. Theophilus Domenichelli, Ord. Min. Ad Claras Aquas (Quaracchi) prope Florentiam, ex typ. Collegii S. Bonaventurae, 1888. In 8. gr., pag. VII-403. Pretium L. 7.

Clarissimi P. P. editores in hoc opusculo primo publicarunt plurima documenta hucusque ignota, quae

illustrant labores a Fratribus Minoribus Provinciae Coloniensis in Hollandia et Frisia pro suppressa religione catholica conservanda et propaganda susceptos. Sumpta autem sunt haec monumenta ex codice manuscripto Regiae Bibliothecae Monacensis in Bavaria, qui etiam alia ad eamdem historiam spectantia continet. Primo loco edita sunt 62 Decreta vel Litterae S. Congr. de Propaganda Fide vel quorumdam Praelatorum ecclesiasticorum. Deinde referuntur a n. 63 usque 406 litterae et informationes plus quam viginti Missionariorum ad suos Provinciales scriptae et responsa eorumdem aliaque quaedam pro historia Ordinis in illis partibus non exigui momenti.

· Michael (P.) Sleutjes, Ord.-Min. S. Francisci. — Instructio de Stationibus S. Viae Crucis erigendis visitandisque, cui accedit appendix de Crucifixis Viae Crucis vulgo nuncupatis, in lucem edita auctoritate Rmi P. Bernardini a Portu Romatino, totius Ordinis Fratrum Minorum Ministri Generalis; editio altera (in qua addita sunt Statuta piae Societatis a S. Via Crucis perpetua nuncupatae). Ad Claras Aquas (Quaracchi) prope Florentiam, ex typ. Collegii S. Bonaventurae 1888. In 16. pag. 117. Pretium L. 0, 75.

V.

NECROLOGIA

—

Rmus. P. Paschalis Dobreta Vujcić Imotae, Dalmatiae oppido, natus die 3 Aprilis anni 1826, praecipua Fratris Joannis Vujcić, patrui sui, cura in conventibus provinciae Capistranae Vukovar et Osjek educatus litteris latinis ceterisque scientiis, quae tum in gymnasio Osjekiensi explicari solebant, erudiebatur.

Anno 1841 die 21 Novembris pauperem sancti Francisci habitum et cum eo omnium virtutum amorem in conventu Fojnicensi Observantis Provinciae Bosnae Argentinae induit; novitiatu vero rite peracto, praemissa spiritus recollectione die 25 Novembris anni 1842 per vota solemnia semet Domino consecravit.

Studiis philosophicis in Hungaria absolutis, Venetias ad conventum de *la Vigna* se contulit, sacrae theologiae operam daturus, ubi cum ad sacrum presbyteratus ordinem iam fuisset promotus, facto concursu Assisii primum Philosophiae dein Theologiae Lector nominatus fuit; quo in officio quae et quanta illi Provinciae servitia praestiterit, viventes adhuc ejus discipuli grati enarrant; nam cum esset ingenio acutus et in exponendis scientiis perspicuus atque clarus, iuvenum ingenia apprime evolvebat et ad scientias sacras cum amore prosequendas perquam excitabat, pietate vero sua et humili vitae conversatione quoque ad priscam sanctitatem amplectendam permovebat et informabat. Cuius rei gratia factum ut non modo Venetiarum Guardiani, sed et in senatum Provinciae adlectus Definitoris munus exercuerit.

Tandem placuit divinae Providentiae, quae quemlibet ad sua destinatum tanquam Aaronem opportuno vocat tempore, eum ad infulam Pulatensem in Albania promovere, quod anno 1858, agente in primis Maximiliano archiduce Austriae, optimae memoriae principe, evenit, cum vix 33 aetatis suae ageret annum.

Anno 1862 a sanctae memoriae Pio IX summo Pontifice ad gubernandam ecclesiam Aegypti translatus, cum, uti moris est in illa regione, partim Alexandriae partim vero Cairi moraretur rem catholicam latinorum ceterorumque orientalium, apud quos Delegati apostolici munere fungebatur, magno zelo curabat; missioni Terrae Sanctae, juxta canalem Suez protensae, stabiliendae ipse cum auctoritate sua tum etiam amica cum celebri viro de Lesseps conjunctione plurimum contulit.

Anno 1866 administrator ecclesiae Bosnensis nominatus eam usque ad revectam hierarchiam catholicam zelose moderabatur. Tandem ad conventum Livno et dein post aliquot annos Imotam ad Fratres Provinciae SS. Redemptoris se recepit, ubi die 17 Aprilis anni currentis vitam cum morte piissime commutavit.

Fuit vir pius praelatusque zelosus, sacrarum scientiarum et diversarum linguarum rite peritus, inter mundanas hujus saeculi varietates humilitatis et solitudinis studiosissimus. Multa etiam cum pro populi instructione tum et aedificatione scripsit lingua croatica, attamen cum iniuria temporis ei fere omnia inviderit, haec quoque ingenii sui monumenta anno 1878 dum Bosnia novam status susciperet formam, exorto in Brestovsko incendio, una cum tabulario episcopali igne consumpta sunt.

Ordo seraphicus unum ex eximiis suis filiis, Provincia Bosnensis et hoc nostrum Collegium

S. Antonii in Urbe suum praecipuum benefactorem se amisisse dolent et lugent.

R. I. P.

Rmus P. Franciscus Converti, Archiepiscopus Rheginensis, Amygdalariae, qui est humilis pagus Consentinae Provinciae, die 24 Maii anni 1818 natus est ex honestis parentibus Leonardo et Helena Cataldi. Parvulus quinque annorum traditus est pro litteris addiscendis optimo presbytero, qui praeterea eum docuit et timere Deum et Virginem Matrem colere. Factus adolescentior, in clericalem militiam cooptatus est, ad eamque pertinuit usque ad vigesimum primum aetatis suae annum. In qua aetate, jam quatuor minoribus Ordinibus insignitus, et philosophico cursu expleto, petiit et obtinuit inter Alumnos Minorum Observantium Provinciae Calabriae adscisci. Expleto probationis tempore et solemni emissa votorum professione, ut pulchrae spei juvenis, a Ministro Generali missus est Firmum in Piceno, ut in Conventu Sanctissimae Annuntiationis philosophiae cursum repeteret, et postea sacrarum scientiarum cursui, doctissimis Magistris cathedras tunc temporis regentibus, vacaret. Superiorum spes haud frustranea fuit. Unctus enim Sacerdos anno 1843, publicam sustinuit in philosophia disputationem, et anno 1847, obtento jam Institutionis diplomate, Neapolim petiit, ibique in generali concursu primam meruit in philosophia adprobationem. In civitatem Consentiam pro lectura venit, et tribus in hoc magisterio consumptis annis, secundum cum laude sustinuit in Theologia concursum generalem Cavae Tirrenorum indictum. Approbatus, Consentiam rediit, ubi usque ad annum 1868 permansit. In tam longo temporis spatio sedulo incubuit tum juvenum sui Ordinis et clericorum saecularium instructioni, tum sacerdotalibus ministeriis exercendis. Primus Consentiae Sacratissimi Cordis Jesu publicum invexit cultum mensisque mariani devotionem. Munera Secretarii Provinciae, Definitoris et Guardiani Conventus Consentiae decore explevit. In quo postremo moenia religiosae domus et Ecclesiae ex frequentibus terrae motibus anni 1854 collapsa renovavit. Renunciatus Minister Provincialis anno 1862 insudavit, ut regularem disciplinam stabiliret. Tandem anno 1868 electus Definitor Generalis, et Romam accitus, ibidem moratus est usque ad italicae militiae invasionem. Consentiam redierat cum anno 1871 Minister Generalis ei curam commisit Custodiam Melitensem invisendi, et Praesidis partes gerendi in celebratione Capituli Custodialis. Hoc tanti momenti munere tam scite et prudenter functus est, ut Insulam reliquit ab omnibus lacrymatus Fratribus.

Ministerium praedicandi jam reassumpserat, quando Summus Pontifex Pius IX f. r. eum Romam vocavit ut consecratione archiepiscopali et pallio Ecclesiae Rheginensis, licet invitum insigniret. Archiepiscopus consecratus, Rhegium se contulit, orantibus ac plaudentibus omnibus illius regionis incolis. Septemdecim annorum spatio hanc rexit Ecclesiam, et valde difficile dictu est quot sustinuerit labores ad animas sibi concreditas Deo lucrandas. — Viros plusquam mille in tota Archidioecesi reperiit, qui impiorum insinuationi aurem praebendo, sibi consanguineas vel affines coram tantum potestate civili copulaverant mulieres. Horruit, sed animis haud cecidit. Scripsit lugens, admonuit, institit, et voti compos factus est: etenim a S. Poenitentiaria obtenta dispensatione, tot concubinatus conversi fuerunt in vera legitimaque matrimonia. Utrumque Seminarium, Urbanum scilicet et Clericorum reformavit, providitque, ut utriusque Alumnis nihil deesset sive de sana ac a temporibus novis requisita instructione, sive de rigidiori ecclesiastica disciplina, sive de salubri victitatione. — Sicut pastor errantes oves insequitur et ad ovile redire compellit, ita ille non paucos insecutus est ac ferventibus verbis urentibus lacrymis coniunctis hortatus, istorumque ad Deum conversionem obtinuit. — Bona emphyteutica Ecclesiae Rheginensis, sede vacante, et in septem annis, in quibus ipse haud fuit recognitus a Subalpino Gubernio, ab usurpatoribus direpta, Tribunalium sententiis vindicavit. — In publicis calamitatibus cum inundationum, tum pestilentiarum primus semper fuit ad sublevandam populorum egestatem, et ad excitandam fidelium commiserationem erga pauperes et aegrotantes. — Incommoda et labores parvipendens, suam valde extensam locisque asperis consitam Archidioecesim quinquies invisivit, ut pueris sacrum chrisma conferret, et adultos in christiana fide firmaret.

Aditus domus suae in qualibet diei hora omnibus semper patuit, neque fuit unquam qui in suis moeroribus non fuerit ab eo solatus. — Paupertatis studiosissimus, quam in Ordine professus fuerat, fastum luxumque abhorruit; redditus vero, ex beneficio archiepiscopali provenientes, detractis pro frugali sustentatione expensis, usque ad ultimum quadrantem expendit, ut maximum Rhegii templum, injuria temporum labefactum, vetusta in novam conversa forma, dignum Deo evaderet.

Levi apoplexia duobus abhinc annis correptus, vires in diem amittere coepit. Semel et iterum Neapolim venit, ut peritissimos hujus civitatis consuleret Medicos, sed frustra. Morbi enim aggressiones obstinate quolibet mense renovabantur, donec postrema evasit exitialis, haud tamen extemplo: post eam namque vixit et alios non paucos dies, in quibus Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae Unctionis Sacramentis devote susceptis, ad exitum ab hac vita animam suam disposuit. Tandem die 1 Maii proxime elapsi, defixis in Crucifixi imagine oculis, et nominibus Jesu et Mariae pluries et pie invocatis, Deo tradidit spiritum ab omnibus in Christo filiis suis diu ploratum.

R. I. P.

Brixinae in Tyroli die 16 Aprilis p. e. meritis cumulatus in senectute bona ex hac vita migravit A. R. P. Aloysius Strobl, Reformatae Provinciae S. Leopoldi Exminister, Custos et Definitor habitualis, s. Theologiae Lector, necnon Gymnasii Professor et Director emeritus.

Is anno 1801 Oeniponti natus, cum primis litterarum rudimentis imbutus esset professionem patris secutus artem sartoriam didicit. Sed haud multo post litterarum amore allectus et ad sacerdotium vocatum se sentiens obtinuit, ut studia in gymnasio aggredi liceret. Quibus perbene absolutis Franciscanorum Ordinem est ingressus, habitumque religiosum in Conventu Inticensi die 12 Octobris 1823 suscepit. Dein solemni emissa professione sacerdotii dignitatem die 2 Septembris 1827 est assecutus. Vix elapso posthac biennio, opus fuit in gymnasio Halensi per annum magistri vices explere, donec 1830 qua professor gymnasii Bulsanum vocatus est, ubi post aliquot annos examen tunc temporis praescriptum optimo cum successu superavit. Postquam per decennium et ultra ibi commoratus fuerat, a Superioribus iterum Conventui Halensi adscriptus est, ut non solum in gymnasio doceret, verum etiam Juvenibus s. Theologiae studiosis s. Scripturas N. F. explicaret. Quare anno 1844 examen pro lectoratu isto subiit, in quo pariter approbationem retulit. Attamen haud multo tempore hoc munus exercere licuit; nam 1846 Praefectus et 1848, rebus scholasticis in Austria aliquantum immutatis Director gymnasii in Capitulo Provinciali renuntiatus et qua talis a summis rerum publicarum moderatoribus adprobatus est, debuitque exinde omnem sollicitudinem huic officio adhibere, in quo permansit, usquedum anno 1863 in Provinciae Ministrum electus est, postquam 1857 Definitoris et 1860 Custodis ejusdem munere insignitus fuerat et qua talis anno 1862 *A. R. P Joannis Capistr. Sojer,* tunc Ministri Provincialis, legitime impediti vices gerens ad Generale Capitulum Romam venerat.

Ministeriatus triennio expleto iterum cathedram docentis ascendere opus fuit, cum *A. R. P. Eugenius Schoenherr,* qui ante annos viginti in Lectoris officio ei successerat, nunc in Ministri munere ejus successor factus esset. Igitur P. Aloysius, quamvis senex, per sexennium indefessa assiduitate adlaborabat Confratres s. Theologiae studiosos sacrarum Scripturarum cognitione imbuens; et tunc videre erat, quam solida scientia in juventute comparata fiat in ore senis, postquam multifariis experientiis fuerit decocta. Nam tanta cum affabilitate, tum spiritus unctione sacrarum litterarum sensum aperire et manna in iis absconditum proferre noverat, ut vix ullus suorum auditorum hujus studii amore non afficeretur. — Tandem 71 annos nato licuit ab his laboribus desistere et quieti se dare. Tempus inde ab anno 1874 in monasteriolo Brixinensi transegit, vitas Sanctorum perlegens, necnon oratione ac meditatione pro ultimo examine in ingressu aeternitatis subeundo se praeparans.

R. I. P.

Nihil obstat

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII.

LITTERAE ENCYCLICAE

AD PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS UNIVERSOS CATHOLICI ORBIS GRATIAM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

—

DE LIBERTATE HUMANA.

—

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS UNIVERSIS CATHOLICI ORBIS GRATIAM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS

LEO PP. XIII.

Venerabiles Fratres
Salutem et Apostolicam Benedictionem.

LIBERTAS, praestantissimum naturae bonum, idemque intelligentia aut ratione utentium naturarum unice proprium, hanc tribuit homini dignitatem, ut sit *in manu consilii sui,* obtineatque actionum suarum potestatem. — Verumtamen ejusmodi dignitas plurimum interest qua ratione geratur, quia sicut summa bona, ita et summa mala ex libertatis usu gignuntur. Sane integrum est homini parere rationi, morale bonum sequi, ad summum finem suum recta contendere. Sed idem potest ad omnia alia deflectere, fallacesque bonorum imagines persecutus, ordinem debitum perturbare, et in interitum ruere voluntarium. — Liberator humani generis JESUS CHRISTUS, restituta atque aucta naturae dignitate pristina, plurimum ipsam juvit hominis voluntatem; eamque hinc adjunctis gratiae suae praesidiis, illinc sempiterna in coelis felicitate proposita, ad meliora erexit. Similique ratione de hoc tam excellenti naturae bono et merita est et constanter merebitur Ecclesia catholica, propterea quod ejus est, parta nobis per JESUM CHRISTUM beneficia in omnem saeculorum aetatem propagare. — Nihilominus complures numerantur, qui obesse Ecclesiam humanae libertati putent. Cujus rei caussa in perverso quodam praeposteroque residet de ipsa libertate judicio. Hanc enim vel in ipsa sui intelligentia adulterant, vel plus aequo opinione dilatant, ita ut pertinere ad res sane multas contendant, in quibus, si recte dijudicari velit, liber esse homo non potest.

Alias Nos, nominatimque in litteris Encyclicis *Immortale Dei,* de *modernis,* uti loquuntur, *libertatibus* verba fecimus, id quod honestum est secernentes ab eo quod contra: simul demonstravimus, quidquid iis libertatibus continetur boni, id tam esse vetus, quam est veritas: illudque semper Ecclesiam libentissime probare et re usuque recipere solitam. Id quod accessit novi, si verum quaeritur, in parte quadam inquinatiore consistit, quam turbulenta

tempora ac rerum novarum libido nimia peperere. — Sed quoniam sunt plures in hac opinione pertinaces, ut eas libertates, in eo etiam quod continent vitii, summum aetatis nostrae decus et constituendarum civitatum fundamentum necessarium putent, ita ut sublatis his, perfectam gubernationem reipublicae cogitari posse negent, idcirco videtur, publica Nobismetipsis utilitate proposita, ejusmodi argumentum pertractari separatim oportere.

Libertatem *moralem* recta persequimur, sive in personis ea singulis, sive in civitate spectetur. — Principio tamen juvat aliquid de libertate *naturali* breviter dicere quia, quamquam a morali omnino distinguitur, fons tamen atque principium est, unde genus omne libertatis sua vi suaque sponte nascitur. Hanc quidem omnium judicium sensusque communis, quae certissima naturae vox est, in iis solum agnoscit, qui sint intelligentiae vel rationis compotes, in eaque ipsa caussam inesse apparet, cur auctor eorum, quae ab eo aguntur, verissime habeatur homo. Et recte quidem: nam quando ceteri animantes solis ducuntur sensibus, soloque naturae impulsu acquirunt quae sibi prosint, fugiuntque contraria, homo quidem in singulis vitae factis rationem habet ducem. Ratio autem, quaecumque habentur in terris bona, omnia et singula posse judicat esse, et aeque posse non esse: et hoc ipso nullum eorum decernens esse necessario sumendum, potestatem optionemque voluntati facit ut eligat, quod lubeat. — Sed *de contingentia,* ut appellant, eorum bonorum, quae diximus, ob hanc causam judicare homo potest quod animum habet natura simplicem, spiritualem cogitationisque participem: qui idcirco quod est ejusmodi, non a rebus corporeis ducit originem, neque pendet ex eis in conservatione sui; sed, nulla re intercedente, ingeneratus a Deo, communemque corporum conditionem longo intervallo transgrediens, suum et proprium habet vivendi genus, suum agendi: quo fit ut, immutabilibus ac necessariis veri bonique rationibus judicio comprehensis, bona illa singularia nequaquam esse necessaria videat. Itaque cum animos hominum segregatos esse statuitur ab omni concretione mortali eosdemque facultate cogitandi pollere, simul naturalis libertas in fundamento suo firmissime constituitur.

Jamvero sicut animi humani naturam simplicem, spiritualem atque immortalem, sic et libertatem nemo nec altius praedicat, nec constantius asserit Ecclesiâ catholicâ, quae scilicet utrumque omni tempore docuit, sicque tuetur ut dogma. Neque id solum: sed contra dicentibus haereticis novarumque opinionum fautoribus, patrocinium libertatis Ecclesia suscepit, hominisque tam grande bonum ab interitu vindicavit. In quo genere, litterarum monumenta testantur, insanos Manichaeorum aliorumque conatus quanta contentione repulerit; recentiori autem aetate nemo est nescius quanto studio quantaque vi tum in Concilio Tridentino, tum postea adversus Jansenii sectatores, pro libero hominis arbitrio dimicaverit, nullo tempore nulloque loco *fatalismum* passa consistere.

Libertas itaque, ut diximus, eorum est, qui rationis aut intelligentiae sunt participes, propria: eademque, si natura eius consideretur, nihil est aliud nisi facultas eligendi res ad id, quod propositum est, idoneas, quatenus qui facultatem habet unum aliquod eligendi e pluribus, is est factorum suorum dominus. — Jamvero quia omne, quod rei cujuspiam adipiscendae caussa assumitur, rationem habet boni, quod utile dicitur: bonum autem hoc habet natura, ut proprie appetitionem moveat, idcirco liberum arbitrium est voluntatis proprium, seu potius ipsa voluntas est, quatenus in agendo habet delectus facultatem. Sed nequaquam voluntas movetur, nisi mentis cognitio velut fax quaedam praeluxerit: videlicet bonum, voluntati concupitum, est necessario bonum quatenus rationi cognitum. Eo vel magis quod in omnibus voluntatibus delectum semper judicatio praeit de veritate bonorum, et quodnam sit anteponendum ceteris. Atqui judicare, rationis esse, non voluntatis, nemo sapiens dubitat. Libertas igitur si in voluntate inest, quae natura sua appetitus est rationi obediens, consequitur ut et ipsa, sicut voluntas, in bono versetur rationi consentaneo. — Nihilominus quoniam utraque facultas a perfecto abest, fieri potest ac saepe fit ut mens voluntati proponat quod nequaquam sit reapse bonum, sed habeat adumbratam speciem boni, atque in id sese voluntas, applicet. Verum sicut errare posse reque ipsa errare vitium est,

quod mentem non omni parte perfectam arguit, eodem modo arripere fallax fictumque bonum, esto indicium liberi arbitrii, sicut aegritudo vitae, est tamen vitium quoddam libertatis. Ita pariter voluntas, hoc ipso quod a ratione pendet, quando quidquam appetat quod a recta ratione dissideat, vitio, quodam funditus inquinat libertatem, eademque perverse utitur. Ob eamque caussam DEUS infinite perfectus, qui cum sit summe intelligens et per essentiam bonitas, est etiam summe liber, malum culpae velle nulla ratione potest; nec possunt, propter contemplationem summi boni, beati coelites. Scite Augustinus aliique adversus Pelagianos hoc animadvertebant, si posse deficere a bono secundum naturam esset perfectionemque libertatis, jam DEUS, JESUS CHRISTUS, Angeli, beati, in quibus omnibus ea potestas non est, aut non essent liberi, aut certe minus perfecte essent, quam homo viator atque imperfectus. De qua re Doctor Angelicus multa saepe disputat, ex quibus effici cogique potest, facultatem peccandi non libertatem esse, sed servitutem. Subtilissime illud in verba CHRISTI Domini (1), « Qui facit peccatum, servus est peccati »: *Unumquodque est illud, quod convenit ei secundum suam naturam. Quando ergo movetur ab aliquo extraneo, non operatur secundum se, sed ab impressione alterius, quod est servile. Homo autem secundam suam naturam est rationalis. Quando ergo movetur secundum rationem, proprio motu movetur et secundum se operatur: quod est libertatis; quando vero peccat, operatur praeter rationem, et tunc movetur quasi ab alio, retentus terminis alienis: et ideo* « qui facit peccatum, servus est peccati ». — Quod satis perspicue ipsa viderat philosophia veterum, atque ii praecipue quorum est doctrina, nisi sapientem, liberum esse neminem: sapientem vero, uti exploratum est, nominabant, qui constanter secundum naturam, hoc est honeste et cum virtute, vivere didicisset.

Quoniam igitur talis est in homine conditio libertatis, aptis erat adiumentis praesidiisque munienda, quae cunctos ejus motus ad bonum dirigerent, a malo retraherent: secus multum homini libertas nocuisset arbitrii. — Ac primo quidem *lex,* hoc est agendorum atque omittendorum norma, fuit necessaria; quae quidem proprie nulla esse in animantibus potest, qui necessitate agunt, propterea quod quidquid agant, naturae agunt impulsu, nec alium ullum sequi ex se possunt in agendo modum. Verum eorum, qui libertate fruuntur, ideo in potestate est agere, non agere, ita vel secus agere, quia tum, quod volunt, eligunt, cum antecessit illud quod diximus rationis judicium. Quo quidem judicio non modo statuitur quid honestum natura sit, quid turpe, sed etiam quid bonum sit reque ipsa faciendum, quid malum reque ipsa vitandum: ratio nimirum voluntati praescribit quid petere, et a quo debeat declinare, ut homo tenere summum finem suum aliquando possit, cujus caussa sunt omnia facienda. Jam vero haec *ordinatio rationis* lex nominatur. — Quamobrem cur homini lex necessaria sit, in ipso ejus libero arbitrio, scilicet in hoc, nostrae ut voluntates a recta ratione ne discrepent, prima est caussa, tanquam in radice, quaerenda. Nihilque tam perversum praeposterumque dici cogitarive posset quam illud, hominem, quia natura liber est, idcirco esse oportere legis expertem: quod si ita esset, hoc profecto consequeretur, necesse ad libertatem esse non cohaerere cum ratione: cum contra longe verissimum sit, idcirco legi oportere subesse, quia est natura liber. Isto modo dux homini in agendo lex est, eumdemque praemiis poenisque propositis ad recte faciendum allicit, a peccando deterret. — Talis est princeps omnium *lex naturalis,* quae scripta est et insculpta in hominum animis singulorum, quia ipsa est humana ratio recte facere jubens et peccare vetans. Ista vero humanae rationis praescriptio vim habere legis non potest, nisi quia altioris est vox atque interpres rationis, cui mentem libertatemque nostram subiectam esse oporteat. Vis enim legis cum ea sit, officia imponere et jura tribuere, tota in auctoritate nititur, hoc est in vera potestate statuendi officia describendique jura, item poenis praemiisque imperata sanciendi: quae quidem omnia in homine liquet esse non posse, si normam actionibus ipse suis summus sibi legislator daret. Ergo consequitur, ut naturae lex sit ipsa *lex aeterna,* insita in iis qui ratione utuntur, eosque inclinans *ad debitum actum et finem,* eaque est ipsa aeterna ratio creatoris

(1) Joan. VIII, 34.

universumque mundum gubernantis Dei. — Ad hanc agendi regulam peccandique frenos singularia quaedam praesidia, Dei beneficio, adjuncta sunt, ad confirmandam hominis regendamque voluntatem aptissima. In quibus princeps est atque excellit divinae virtus *gratiae;* quae cum mentem illustret, voluntatemque salutari constantia roboratam ad morale bonum semper impellat, expeditiorem efficit simulque tutiorem nativae libertatis usum. Ac longe est a veritate alienum, interveniente Deo, minus esse liberos motus voluntarios: nam intima in homine et cum naturali propensione congruens est divinae vis gratiae, quia ab ipso et animi et voluntatis nostrae auctore manat; a quo res omnes convenienter naturae suae moventur. Immo gratia divina, ut monet angelicus Doctor, ob hanc caussam quod a naturae opifice proficiscitur, mire nata atque apta est ad tuendas quasque naturas, conservandosque mores, vim, efficientiam singularum.

Quae vero de libertate singulorum dicta sunt, ea ad homines civili inter se societate conjunctos facile transferuntur. Nam quod ratio lexque naturalis in hominibus singulis, idem efficit in consociatis *lex humana* ad bonum commune civium promulgata. — Ex hominum legibus aliae in eo versantur quod est bonum malumve natura, atque alterum sequi praecipiunt, alterum fugere, adjuncta sanctione debita. Sed istiusmodi decreta nequaquam ducunt ab hominum societate principium, quia societas sicut humanam naturam non ipsa genuit, ita pariter nec bonum procreat naturae conveniens, nec malum naturae dissentaneum: sed potius ipsi hominum societati antecedunt, omninoque sunt a lege naturali ac propterea a lege aeterna repetenda. Juris igitur naturalis praecepta, hominum comprehensa legibus, non vim solum habent legis humanae, sed praecipue illud multo altius multoque augustius complectuntur imperium, quod ab ipsa lege naturae et a lege aeterna proficiscitur. Et in isto genere legum hoc fere civilis legumlatoris munus est, obedientes facere cives, communi disciplina adhibita, pravos et in vitia promptos coercendo, ut a malo deterriti, id quod rectum est consectentur, aut saltem offensioni noxaeque ne sint civitati. — Alia vero civilis potestatis praescripta non ex naturali jure statim et proxime, sed longius et oblique consequuntur, resque varias definiunt, de quibus non est nisi generatim atque universe natura cautum. Sic suam conferre operam cives ad tranquillitatem prosperitatemque publicam natura jubet: quantum operae, quo pacto, quibus in rebus, non natura sed hominum sapientia constituitur. Jamvero peculiaribus hisce vivendi regulis prudenti ratione inventis, legitimaque potestate propositis, lex humana proprii nominis continetur. Quae quidem lex ad finem communitati propositum cives universos conspirare jubet, deflectere prohibet: eademque quatenus pedissequa et consentiens est praescriptionibus naturae, ducit ad ea quae honesta sunt, a contrariis deterret. Ex quo intelligitur, omnino in aeterna Dei lege normam et regulam positam esse libertatis, nec singulorum dumtaxat hominum, sed etiam communitatis et coniunctionis humanae. — Igitur in hominum societate libertas veri nominis non est in eo posita ut agas quod lubet, ex quo vel maxima existeret turba et confusio in oppressionem civitatis evasura, sed in hoc, ut per leges civiles expeditius possis secundum legis aeternae praescripta vivere. Eorum vero qui praesunt non in eo sita libertas est, ut imperare temere et ad libidinem queant, quod pariter flagitiosum esset et cum summa etiam reipublicae pernicie conjunctum, sed humanarum vis legum haec debet esse, ut ab aeterna lege manare intelligantur, nec quidquam sancire quod non in ea, veluti in principio universi juris, contineatur. Sapientissime Augustinus (1): « *Simul etiam te videre arbitror, in illa temporali (lege) nihil esse iustum atque legitimum, quod non ex hac aeterna (lege) sibi homines derivarint* ». Si quid igitur ab aliqua potestate sanciatur, quod a principiis rectae rationis dissideat, sitque reipublicae perniciosum, vim legis nullam haberet, quia nec regula justitiae esset, et homines a bono, cui nata societas est, abduceret.

Natura igitur libertatis humanae, quocumque in genere consideretur, tam in personis singulis quam in consociatis, nec minus in iis qui imperant quam in iis qui parent, necessitatem complectitur obtemperandi summae cui-

(1) *De Lib. Arb.* lib. I, cap. 6, n. 15.

dam aeternaeque rationi, quae nihil est aliud nisi auctoritas jubentis, vetantis Dei. Atque hoc justissimum in homines imperium Dei tantum abest ut libertatem tollat aut ullo modo diminuat, ut potius tueatur ac perficiat. Suum quippe finem consectari et assequi, omnium naturarum est vera perfectio: supremus autem finis, quo libertas aspirare debet humana, Deus est.

Haec verissimae altissimaeque praecepta doctrinae, vel solo nobis lumine rationis cognita, Ecclesia quidem exemplis doctrinaque divini Auctoris sui erudita passim propagavit, asseruit: quibus ipsis et munus suum metiri, et christianas informare gentes nunquam destitit. In genere morum leges evangelicae non solum omni ethnicorum sapientiae longissime praestant, sed plane vocant hominem atque instituunt ad inauditam veteribus sanctitatem effectumque propiorem Deo simul efficiunt perfectioris compotem libertatis. — Ita semper permagna vis Ecclesiae apparuit in custodienda tuendaque civili et politica libertate populorum. Ejus in hoc genere enumerare merita nihil attinet. Satis est commemorare, servitutem, vetus illud ethnicarum gentium dedecus, opera maxime beneficioque Ecclesiae deletam. Aequabilitatem juris, veramque inter homines germanitatem primus omnium Jesus Christus asseruit: cui Apostolorum suorum resonuit vox, non esse Judaeum, neque Graecum, neque Barbarum, neque Scytham, sed omnes in Christo fratres. Tanta est in hac parte tamque cognita Ecclesiae virtus, ut quibuscumque in oris vestigium ponat exploratum sit, agrestes mores permanere diu non posse: sed immanitati mansuetudinem, barbariae tenebris lumen veritatis brevi successurum. Item populos civili urbanitate excultos magnis afficere beneficiis nullo tempore Ecclesia desiit, vel resistendo iniquorum arbitrio, vel propulsandis a capite innocentium et tenuiorum injuriis, vel demum opera danda ut rerum publicarum ea constitutio valeret, quam cives propter aequitatem adamarent, externi propter potentiam metuerent.

Praeterea verissimum officium est vereri auctoritatem, justisque legibus obedienter subesse: quo fit ut virtute vigilantiaque legum ab injuria improborum cives vindicentur. Potestas legitima a Deo est, et *qui potestati resistit,* Dei *ordinationi resistit:* quo modo multum obedientia adipiscitur nobilitatis, cum justissimae altissimaeque auctoritati adhibeatur. — Verum ubi imperandi jus abest, vel si quidquam praecipiatur rationi, legi aeternae, imperio Dei contrarium, rectum est non parere, scilicet hominibus, ut Deo pareatur. Sic praecluso ad tyrannidem aditu, non omnia pertrahet ad se principatus: sua sunt salva jura singulis civibus, sua societati domesticae, cunctisque reipublicae membris, data omnibus verae copia libertatis, quae in eo est, quemadmodum demonstravimus, ut quisque possit secundum leges rectamque rationem vivere.

Quod si, cum de libertate vulgo disputant, legitimam honestamque intelligerent, qualem modo ratio oratioque descripsit, exagitare Ecclesiam nemo auderet propter illud quod per summam injuriam ferunt, vel singulorum libertati, vel liberae reipublicae esse inimicam. — Sed jam permulti Luciferum imitati, cuius est illa nefaria vox: *non serviam,* libertatis nomine absurdam quamdam consectantur et meracam licentiam. Cujusmodi sunt ex illa tam late fusa tamque pollenti disciplina homines, qui se, ducto a libertate nomine, *Liberales* appellari volunt.

Revera quo spectant in philosophia *Naturalistae,* seu *Rationalistae,* eodem in re morali ac civili spectant *Liberalismi* fautores, qui posita a *Naturalistis* principia in mores actionemque vitae deducunt. — Jam vero totius *rationalismi* humanae principatus rationis caput est: quae obedientiam divinae aeternaeque rationi debitam recusans, suique se juris esse decernens, ipsa sibi sola efficitur summum principium et fons et judex veritatis. Ita illi, quos diximus, *Liberalismi* sectatores in actione vitae nullam contendunt esse, cui parendum sit, divinam potestatem, sed sibi quemque esse legem: unde ea philosophia morum gignitur, quam *independentem* vocant, quae sub specie libertatis ab observantia divinorum praeceptorum voluntatem removens, infinitam licentiam solet homini dare. — Quae omnia in hominum praesertim societate quo tandem evadant, facile est pervidere. Hoc enim fixo et persuaso, homini antistare neminem, consequitur caussam efficientem conciliationis civilis et societatis non in principio aliquo extra aut supra

hominem posito, sed in libera voluntate singulorum esse quaerendam: potestatem publicam a multitudine velut a primo fonte repetendam, praetereaque, sicut ratio singulorum sola dux et norma agendi privatim est singulis, ita universorum esse oportere universis in rerum genere publicarum. Hinc plurimum posse plurimos: partemque populi majorem universi juris esse officiique effectricem. — Sed haec cum ratione pugnare, ex eis quae dicta sunt apparet. Nullum siquidem velle homini aut societati civili cum DEO creatore ac proinde supremo omnium legislatore intercedere vinculum, omnino naturae repugnat, nec naturae hominis tantum, sed rerum omnium procreatarum: quia res omnes effectas cum caussa, a qua effectae sunt, aliquo esse aptas nexu necesse est: omnibusque naturis hoc convenit, hoc ad perfectionem singularum pertinet, eo se continere loco et gradu, quem naturalis ordo postulat, scilicet ut ei quod superius est, id quod est inferius subjiciatur et pareat. — Sed praeterea est hujusmodi doctrina tum privatis hominibus tum civitatibus maxime perniciosa. Sane rejecto ad humanam rationem et solam et unam veri bonique arbitrio, proprium tollitur boni et mali discrimen; turpia ab honestis non re, sed opinione judicioque singulorum differunt: quod libeat, idem licebit; constitutaque morum disciplina, cujus ad coercendos sedandosque motus animi turbidos nulla fere vis est, sponte fiet ad omnem vitae corruptelam aditus. In rebus autem publicis, potestas imperandi separatur a vero naturalique principio, unde omnem haurit virtutem efficientem boni communis: lex, de iis quae facienda fugiendave sunt statuens, majoris multitudinis permittitur arbitrio, quod quidem est iter ad tyrannicam dominationem proclive. Imperio DEI in hominem hominumque societatem repudiato, consentaneum est nullam esse publice religionem, rerumque omnium quae ad religionem referantur, incuria maxima consequetur. Similiter opinione principatus armata, facile ad seditionem turbasque labitur multitudo, frenisque officii et conscientiae sublatis, nihil praeter vim relinquitur; quae tamen vis tanti non est, ut populares cupiditates continere sola possit. Quod satis testatur dimicatio propemodum quotidiana contra *socialistas,* aliosque seditiosorum greges, qui funditus permovere civitates diu moliuntnr. — Statuant igitur ac definiant rerum aequi aestimatores, tales doctrinae proficiantne ad veram dignamque homine libertatem, an potius ipsam pervertant totamque corrumpant.

Certe quidem opinionibus iis vel ipsa immanitate sua formidolosis, quas a veritate aperte abhorrere, easdemque malorum maximorum caussas esse vidimus, non omnes *Liberalismi* fautores assentiuntur. Quin compulsi veritatis viribus, plures eorum haud verentur fateri, immo etiam ultro affirmant, in vitio esse et plane in licentiam cadere libertatem, si gerere se intemperantius ausit, veritate justitiaque posthabita: quocirca regendam gubernandamque recta ratione esse, et quod consequens est, juri naturali sempiternaeque legi divinae subjectam esse oportere. Sed hic consistendum rati, liberum hominem subesse negant debere legibus, quas imponere DEUS velit, alia praeter rationem naturalem via. — Id cum dicunt sibi minime cohaerent. Etenim si est, quod ipsi consentiunt nec dissentire potest jure quisquam, si est DEI legislatoris obediendum voluntati, quia totus homo in potestate est DEI et ad DEUM tendit, consequitur posse neminem auctoritati ejus legiferae fines modumve praescribere, quin hoc ipso faciat contra obedientiam debitam. Immo vero si tantum sibi mens arrogarit humana, ut, quae et quanta sint tum DEO jura, tum sibi officia, velit ipsa decernere, verecundiam legum divinarum plus retinebit specie quam re, et arbitrium ejus valebit prae auctoritate ac providentia DEI. — Necesse est igitur, vivendi normam constanter religioseque, ut a lege aeterna, ita ab omnibus singulisque petere legibus, quas infinite sapiens, infinite potens DEUS, qua sibi ratione visum est, tradidit, quasque nosse tuto possumus perspicuis nec ullo modo addubitandis notis. Eo vel magis quod istius generis leges, quoniam idem habent, quod lex aeterna, principium, eumdemque auctorem, omnino et cum ratione concordant et perfectionem adjungunt ad naturale jus: eaedemque magisterium DEI ipsius complectuntur, qui scilicet, nostra ne mens neu voluntas in errorem labatur, nutu ductuque suo utramque benigne regit. Sit igitur sancte inviolateque conjunctum, quod nec

disjungi potest nec debet, omnibusque in rebus, quod ipsa naturalis ratio praecepit, obnoxie DEO obedienterque serviatur.

Mitiores aliquanto sunt, sed nihilo sibi magis constant, qui aiunt nutu legum divinarum dirigendam utique vitam ac mores esse privatorum, non tamen civitatis: in rebus publicis fas esse a jussis DEI discedere, nec ad ea ullo modo in condendis legibus intueri. Ex quo perniciosum illud gignitur consectarium, civitatis Ecclesiaeque rationes dissociari oportere. — Sed haec quam absurde dicantur, haud difficulter intelligitur. Cum enim clamet ipsa natura, oportere civibus in societate suppetere copias opportunitatesque ad vitam honeste, scilicet secundum DEI leges, degendam, quia DEUS est omnis honestatis justitiaeque principium, profecto illud vehementer repugnat, posse iisdem de legibus nihil curare, vel etiam quidquam infense statuere civitatem. — Deinde qui populo praesunt, hoc omnino rei publicae debent, ut non solum commodis et rebus externis, sed maxime animi bonis, legum sapientia, consulant. Atqui ad istorum incrementa bonorum ne cogitari quidem potest quidquam iis legibus aptius, quae DEUM habeant auctorem: ob eamque rem qui in regendis civitatibus nolunt divinarum legum haberi rationem, aberrantem faciunt ab instituto suo et a praescriptione naturae politicam potestatem. Sed quod magis interest, quodque alias Nosmetipsi nec semel monuimus, quamvis principatus civilis non eodem, quo sacer, proxime spectet, nec iisdem eat itineribus, in potestate tamen gerenda obviam esse interdum alteri alter necessario debet. Est enim utriusque in eosdem imperium, nec raro fit, ut iisdem de rebus uterque, etsi non eadem ratione, decernant. Id quotiescumque usuveniat, cum confligere absurdum sit, sapientissimaeque voluntati DEI aperte repugnet, quemdam esse modum atque ordinem necesse est, ex quo caussis contentionum certationumque sublatis, ratio concors in agendis rebus existat. Et hujusmodi concordiam non inepte similem conjunctioni dixere, quae animum inter et corpus intercedit, idque commodo utriusque partis: quarum distractio nominatim est perniciosa corpori, quippe cujus vitam extinguit.

Quae quo melius appareant, varia libertatis incrementa, quae nostrae quaesita aetati feruntur, separatim considerari oportet. — Ac primo illud in singulis personis videamus, quod est tantopere virtuti religionis contrarium, scilicet de *libertate,* uti loquuntur, *cultus.* Quae hoc est veluti fundamento constituta, integrum cuique esse, aut quam libuerit, aut omnino nullam profiteri religionem. — Contra vero ex omnibus hominum officiis illud est sine dubitatione maximum ac sanctissimum, quo pie religioseque DEUM colere homines jubemur. Idque necessario ex eo consequitur, quod in DEI potestate perpetuo sumus, DEI nomine providentiaque gubernamur, ab eoque profecti, ad eum reverti debemus. — Huc accedit, virtutem veri nominis nullam esse sine religione posse: virtus enim moralis est, cujus officia versantur in iis, quae ducunt ad DEUM, quatenus homini est summum atque ultimum bonorum; ideoque religio, quae *operatur ea, quae directe et immediate ordinantur in honorem divinum* (1), cunctarum princeps est moderatrixque virtutum. Ac si quaeratur, cum plures et inter se dissidentes usurpentur religiones, quam sequi unam ex omnibus necesse sit, eam certe ratio et natura respondent, quam DEUS jusserit, quam ipsam facile homines queant notis quibusdam exterioribus agnoscere, quibus eam distinxisse divina providentia voluit, quia in re tanti momenti summae errorem ruinae essent consecuturae. Quapropter oblata illa, de qua loquimur, libertate, haec homini potestas tribuitur, ut officium sanctissimum impune pervertat vel deserat, ideoque ut aversus ab incommutabili bono sese ad malum convertat: quod, sicut diximus, non libertas sed depravatio libertatis est, et abjecti in peccatum animi servitus.

Eadem libertas si consideretur in civitatibus, hoc sane vult, nihil esse quod ullum DEO cultum civitas adhibeat aut adhiberi publice velit: nullum anteferri alteri, sed aequo jure omnes haberi oportere, nec habita ratione populi, si populus catholicum profiteatur nomen. Quae ut recta essent, verum esse oporteret, civilis hominum communitatis officia adversus DEUM aut nulla esse, aut impune solvi posse: quod est utrumque aperte falsum. Etenim dubitari non potest, quin sit DEI voluntate inter

(1) S. Th. II-II. qu. LXXXI. a. 6.

homines conjuncta societas, sive partes, sive forma ejus spectetur quae est auctoritas, sive caussa, sive earum, quas homini parit, magnarum utilitatum copia. Deus est, qui hominem ad congregationem genuit atque in coetu sui similium collocavit, ut quod naturae ejus desideraret, nec ipse assequi solitarius potuisset, in consociatione reperiret. Quamobrem Deum civilis societas, quia societas est, parentem et auctorem suum agnoscat necesse est, atque ejus potestatem dominatumque vereatur et colat. Vetat igitur justitia, vetat ratio atheam esse, vel, quod in atheismum recideret, erga varias, ut loquuntur, religiones pari modo affectam civitatem, eademque singulis jura promiscue largiri. — Cum igitur sit unius religionis necessaria in civitate professio, profiteri eam oportet quae unice vera est, quaeque non difficulter, praesertim in civitatibus catholicis, agnoscitur, cum in ea tamquam insignitae notae veritatis appareant. Itaque hanc, qui rempublicam gerunt, conservent, hanc tueantur, si volunt prudenter atque utiliter, ut debent, civium communitati consulere. Publica enim potestas propter eorum qui reguntur utilitatem constituta est: et quamquam hoc proxime spectat, deducere cives ad hujus, quae in terris degitur, vitae prosperitatem, tamen non minuere, sed augere homini debet facultatem adipiscendi summum illud atque extremum bonorum, in quo felicitas hominum sempiterna consistit: quo perveniri non potest religione neglecta.

Sed haec alias uberius exposuimus: in praesentia id animadverti tantum volumus, istiusmodi libertatem valde obesse verae cum eorum qui regunt, tum qui reguntur, libertati. Prodest autem mirifice religio, quippe quae primum ortum potestatis a Deo ipso repetit, gravissimeque principes jubet, officiorum suorum esse memores, nihil injuste acerbeve imperare, benigne ac fere cum caritate paterna populo praeesse. Eadem potestati legitimae cives vult esse subiectos, ut Dei ministris; eosque cum rectoribus reipublicae non obedientia solum, sed verecundia et amore conjungit, interdictis seditionibus, cunctisque inceptis quae ordinem tranquillitatemque publicam perturbare queant, quaeque tandem caussam afferunt cur majoribus frenis libertas civium constringatur. Praetermittimus quantum religio bonis moribus conducat, et quantum libertati mores boni. Nam ratio ostendit, et historia confirmat, quo sint melius moratae, eo plus libertate et opibus et imperio valere civitates.

Jam aliquid consideretur de *libertate loquendi,* formisque litterarum quodcumque libeat exprimendi. Hujus profecto non modice temperatae sed modum et finem transeuntis libertatis jus esse non posse, vix attinet dicere. Est enim jus facultas moralis, quam, ut diximus saepiusque est dicendum, absurdum est existimare, veritati et mendacio, honestati et turpitudini promiscue et communiter a natura datam. Quae vera, quae honesta sunt, ea libere prudenterque in civitate propagari jus est, ut ad quamplures pertineant; opinionum mendacia, quibus nulla menti capitalior pestis, item vitia quae animum moresque corrumpunt, aequum est auctoritate publica diligenter coerceri, ne serpere ad perniciem reipublicae queant. Peccata licentis ingenii, quae sane in oppressionem cadunt multitudinis imperitae, rectum est auctoritate legum non minus coerceri, quam illatas per vim imbecillioribus injurias. Eo magis quod civium pars longe maxima praestigias cavere captionesque dialecticas praesertim quae blandiantur cupiditatibus, aut non possunt omnino, aut sine summa difficultate non possunt. Permissa cuilibet loquendi scribendique infinita licentia, nihil est sanctum inviolatumque permansurum: ne illis quidem parcetur maximis verissimisque naturae judiciis, quae habenda sunt velut commune idemque nobilissimum humani generis patrimonium. Sic sensim obducta tenebris veritate, id quod saepe contingit, facile dominabitur opinionum error perniciosus et multiplex. Qua ex re tantum capiet licentia commodi, quantum detrimenti libertas: eo enim est major futura libertas ac tutior, quo frena licentiae majora. — At vero de rebus opinabilibus disputationi hominum a Deo permissis, utique quod placeat sentire, quodque sentiatur, libere eloqui concessum est, non repugnante natura: talis enim libertas nunquam homines ad opprimendam veritatem, saepe ad indagandam ac patefaciendam deducit.

De ea, quam *docendi libertatem* nominant,

oportet non dissimili ratione judicare. — Cum dubium esse non possit quin imbuere animos sola veritas debeat quod in ipsa intelligentium naturarum bonum est et finis et perfectio sita, propterea non debet doctrina nisi vera praecipere, idque tum iis qui nesciant, tum qui sciant, scilicet ut cognitionem veri alteris afferat, in alteris tueatur. Ob eamque caussam eorum, qui praecipiunt, plane officium est eripere ex animis errorem, et ad opinionum fallacias obsepire certis praesidiis viam. Igitur apparet, magnopere cum ratione pugnare, ac natam esse pervertendis funditus mentibus illam, de qua institutus est sermo, libertatem, quatenus sibi vult quidlibet pro arbitratu docendi licentiam: quam quidem licentiam civitati dare publica potestas, salvo officio, non potest. Eo vel magis quod magistrorum apud auditores multum valet auctoritas, et verane sint, quae a doctore traduntur, raro admodum dijudicare per se ipse discipulus potest.

Quamobrem hanc quoque libertatem, ut honesta sit, certis finibus circumscriptam teneri necesse est: nimirum ne fieri impune possit, ut ars docendi in instrumentum corruptelae vertatur. — Veri autem, in quo unice versari praecipientium doctrina debet, unum est naturale genus, supernaturale alterum. Ex veritatibus naturalibus, cujusmodi sunt principia naturae, et ea quae ex illis proxime ratione ducuntur, existit humani generis velut commune patrimonium: in quo, tamquam fundamento firmissimo, cum mores et justitia et religio atque ipsa conjunctio societatis humanae nitatur, nihil tam impium esset tamque stolide inhumanum, quam illud violari ac diripi impune sinere. — Nec minore conservandus religione maximus sanctissimusque thesaurus earum rerum, quas Deo auctore cognoscimus. Argumentis multis et illustribus, quod saepe Apologetae consueverunt, praecipua quaedam capita constituuntur cujusmodi illa sunt: quaedam esse a Deo divinitus tradita: Unigenitum Dei Filium carnem factum, ut testimonium perhiberet veritati: perfectam quamdam ab eo conditam societatem, nempe Ecclesiam, cujus Ipsemet caput est, et quacum usque ad consummationem saeculi se futurum esse promisit. Huic societati commendatas omnes, quas ille docuisset, veritates voluit, hac lege, ut eas ipsa custodiret, tueretur, legitima cum auctoritate explicaret: unaque simul jussit, omnes gentes Ecclesiae suae, perinde ac sibimetipsi, dicto audientes esse: qui secus facerent interitu perditum iri sempiterno. Qua ratione plane constat, optimum homini esse certissimumque magistrum Deum, omnis fontem ac principium veritatis, item Unigenitum, qui est in sinu Patris, viam, veritatem, vitam, lucem veram, quae illuminat omnem hominem, et ad cujus disciplinam dociles esse omnes homines oportet: *Et erunt omnes docibiles* Dei (1). — Sed in fide atque in institutione morum, divini magisterii Ecclesiam fecit Deus ipse participem, eamdemque divino ejus beneficio falli nesciam: quare magistra mortalium est maxima ac tutissima, in eaque inest non violabile jus ad magisterii libertatem. Revera doctrinis divinitus acceptis se ipsa Ecclesia sustentans, nihil habuit antiquius, quam ut munus sibi demandatum a Deo sancte expleret: eademque circumfusis undique difficultatibus fortior, pro libertate magisterii sui propugnare nullo tempore destitit. Hac via orbis terrarum, miserrima superstitione depulsa, ad christianam sapientiam renovatus est. — Quoniam vero ratio ipsa perspicue docet, veritates divinitus traditas et veritates naturales inter se oppositas esse revera non posse, ita ut quodcumque cum illis dissentiat, hoc ipso falsum esse necesse sit, idcirco divinum Ecclesiae magisterium tantum abest ut studia discendi atque incrementa scientiarum intercipiat, aut cultioris humanitatis progressionem ullo modo retardet, ut potius plurimum afferat luminis securamque tutelam. Eademque causa non parum proficit ad ipsam libertatis humanae perfectionem, cum Jesu Christi servatoris sit illa sententia, fieri hominem veritate liberum. *Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos* (2). — Quare non est caussa, cur germana libertas indignetur, aut veri nominis scientia moleste ferat leges justas ac debitas, quibus hominum doctrinam contineri Ecclesia simul et ratio consentientes postulant. Quin imo Ecclesia, quod re ipsa passim testatum est, hoc agens praecipue et maxime ut fidem christianam tueatur, humanarum quoque doctrinarum omne

(1) Joan. VI. X. 45.
(2) Joan, VIII. 32.

genus fovere et in majus provehere studet. Bona enim per se est et laudabilis atque expetenda elegantia doctrinae: praetereaque omnis eruditio, quam sana ratio pepererit, quaeque rerum veritati respondeat, non mediocriter ad ea ipsa illustranda valet, quae DEO auctore credimus. Revera Ecclesiae haec beneficia debentur sane magna, quod praeclare monumenta sapientiae veteris conservarit: quod scientiarum domicilia passim aperuerit; quod ingeniorum cursum semper incitaverit studiosissime has ipsas artes alendo, quibus maxime urbanitas aetatis nostrae coloratur. — Denique praetereundum non est, immensum patere campum, in quo hominum excurrere industria, seseque exercere ingenia libere queant: res scilicet quae cum doctrina fidei morumque christianorum non habent necessariam cognationem, vel de quibus Ecclesia, nulla adhibita sua auctoritate, judicium eruditorum relinquit integrum ac liberum. — His ex rebus intelligitur, quae et qualis illa sit in hoc genere libertas, quam pari studio volunt et praedicant *liberalismi* sectatores. Ex una parte sibi quidem ac reipublicae licentiam adserunt tantam, ut cuilibet opinionum perversitati non dubitent aditum januamque patefacere: ex altera Ecclesiam plurifariam impediunt, ejusque libertatem in fines quantum possunt maxime angustos compellunt, quamquam ex Ecclesiae doctrina non modo nullum incommodum pertimescendum sit, sed magnae omnino utilitates expectandae.

Illa quoque magnopere praedicatur, quam *conscientiae libertatem* nominant: quae si ita accipiatur, ut suo cuique arbitratu aeque liceat DEUM colere, non colere, argumentis quae supra allata sunt, satis convincitur. — Sed potest etiam in hanc sententiam accipi, ut homini ex conscientia officii, DEI voluntatem sequi et jussa facere, nulla re impediente, in civitate liceat. Haec quidem vera, haec digna filiis DEI libertas, quae humanae dignitatem personae honestissime tuetur, est omni vi injuriaque major: eademque Ecclesiae semper optata ac praecipue cara. Hujus generis libertatem sibi constanter vindicavere Apostoli, sanxere scriptis Apologetae, Martyres ingenti numero sanguine suo consecravere. Et merito quidem: propterea quod maximam justissimamque DEI in homines potestatem, vicissimque hominum adversus DEUM princeps maximumque officium, libertas haec christiana testatur. Nihil habet ipsa cum animo seditioso nec obediente commune: neque ullo pacto putanda est, velle ab obsequio publicae potestatis desciscere, propterea quod imperare atque imperata exigere, eatenus potestati humanae jus est, quatenus cum potestate DEI nihil dissentiat, constitutoque divinitus modo se contineat. At vero cum quidquam praecipitur quod cum divina voluntate aperte discrepet, tum longe ab illo modo disceditur, simulque cum auctoritate divina confligitur: ergo rectum est non parere.

Contra *Liberalismi* fautores, qui herilem atque infinite potentem faciunt principatum, vitamque nullo ad DEUM respectu degendam praedicant, hanc de qua loquimur conjunctam cum honestate religioneque libertatem minime agnoscunt: cujus conservandae caussa si quid fiat, injuria et contra rempublicam factum criminantur. Quod si vere dicerent, nullus esset tam immanis dominatus cui subesse et quem ferre non oporteret.

Vehementer quidem vellet Ecclesia, in omnes reipublicae ordines haec, quae summatim attigimus, christiana documenta re usuque penetrarent. In iis enim summa efficacitas inest ad sananda horum temporum mala, non sane pauca nec levia, eaque magnam partem iis ipsis nata libertatibus, quae tanta praedicatione efferuntur, et in quibus salutis gloriaeque inclusa semina videbantur. Spem fefellit exitus. Pro jucundis et salubribus acerbi et inquinati provenere fructus. Si remedium quaeritur, sanarum doctrinarum revocatione quaeratur, a quibus solis conservatio ordinis, adeoque verae tutela libertatis fidenter expectari potest. — Nihilominus materno judicio Ecclesia aestimat grave pondus infirmitatis humanae: et qualis hic sit, quo nostra vehitur aetas, animorum rerumque cursus, non ignorat. His de caussis, nihil quidem impertiens juris nisi iis quae vera quaeque honesta sint, non recusat quominus quidpiam a veritate justitiaque alienum ferat tamen publica potestas, scilicet majus aliquod vel vitandi caussa malum, vel adipiscendi aut conservandi bonum. Ipse providentissimus DEUS cum infinitae sit bonitatis, idemque omnia possit, sinit tamen esse

in mundo mala, partim ne ampliora impediantur bona, partim ne majora mala consequantur. In regendis civitatibus rectorem mundi par est imitari: quin etiam cum singula mala prohibere auctoritas hominum non possit, debet *multa concedere atque impunita relinquere, quae per divinam tamen providentiam vindicantur, et recte* (1). Verumtamen in ejusmodi rerum adjunctis, si communis boni caussa et hac tantum caussa, potest vel etiam debet lex hominum ferre toleranter malum, tamen nec potest nec debet id probare aut velle per se: quia malum per se cum sit boni privatio repugnat bono communi, quod legislator, quoad optime potest, velle ac tueri debet. Et hac quoque in re ad imitandum sibi lex humana poponat Deum necesse est, qui in eo quod mala esse in mundo sinit, *neque vult mala fieri, neque vult mala non fieri, sed vult permittere mala fieri, et hoc est bonum* (2). Quae Doctoris Angelici sententia brevissime totam continet de malorum tolerantia doctrinam. — Sed confidendum est, si vere judicari velit, quanto plus in civitate mali tolerari pernecesse est, tanto magis distare id genus civitatis ab optimo: itemque tolerantiam rerum malarum, cum pertineat ad politicae praecepta prudentiae, omnino circumscribi iis finibus oportere, quos caussa, idest salus publica postulat. Quare si saluti publicae detrimentum afferat et mala civitati maiora pariat, consequens est, eam adhiberi non licere, quia in his rerum adjunctis abest ratio boni. Si vero ob singularia reipublicae tempora usuveniat, ut modernis quibusdam libertatibus Ecclesia acquiescat, non quod ipsas per se malit, sed quia permissas esse judicat expedire, versis in meliora temporibus, adhibitura sane esset libertatem suam, et suadendo, hortando, obsecrando studeret, uti debet, munus efficere sibi assignatum a Deo, videlicet sempiternae hominum saluti consulere. Illud tamen perpetuo verum est, istam omnium et ad omnia libertatem non esse, quemadmodum pluries diximus, expetendam per se, quia falsum eodem jure esse ac verum, rationi repugnat. Et quod ad *tolerantiam* pertinet, mirum quantum ab aequitate prudentiaque Ecclesiae distant, qui *Liberalismum* profitentur. Etenim permittenda civibus omnium earum rerum, quas diximus, infinita licentia, omnino modum transiliunt, atque illuc evadunt, ut nihilo plus honestati veritatique tribuere, quam falsitati ac turpitudini videantur. Ecclesiam vero, columnam et firmamentum veritatis, eamdemque incorruptam morum magistram, quia tam dissolutum flagitiosumque *tolerantiae* genus constanter, ut debet, repudiat idemque adhiberi fas esse negat, criminantur esse a patientia et lenitate alienam; quod cum faciunt, minime sentiunt, se quidem, quod laudis est, in vitio ponere. Sed in tanta ostentatione *tolerantiae,* re persaepe contingit, ut restricti ac tenaces in rem catholicam sint: et qui vulgo libertatem effuse largiuntur, iidem liberam sinere Ecclesiam passim recusant.

(1) S. August. *de lib. arb.* lib. I. cap. 6. num. 14.
(2) S. Th. p. I. qu. XIX. a. 9. ad 3.

Et ut omnis oratio una cum consectariis suis capitulatim breviterque, perspicuitatis gratia, colligatur, summa est, necessitate fieri, ut totus homo in verissima perpetuaque potestate Dei sit: proinde libertatem hominis, nisi obnoxiam Deo eiusque voluntati subjectam, intelligi minime posse. Quem quidem in Deo principatum aut esse negare, aut ferre nolle, non liberi hominis est, sed abutentis ad perduellionem libertate: proprieque ex animi tali affectione conflatur et efficitur *Liberalismi* capitale vitium. Cujus tamen distinguitur forma multiplex: potest enim voluntas non uno modo, neque uno gradu ex obtemperatione discedere, quae vel Deo, vel iis, qui potestatem divinam participant, debetur.

Profecto imperium summi Dei funditus recusare atque omnem obedientiam prorsus exuere in publicis, vel etiam in privatis domesticisque rebus, sicut maxima libertatis perversitas, ita pessimum *Liberalismi* est genus: omninoque de hoc intelligi debent quae hactenus contra diximus.

Proxima est eorum disciplina, qui utique consentiunt, subesse mundi opifici ac principi Deo oportere, quippe cujus ex numine tota est apta natura: sed iidem leges fidei et morum, quas natura non capiat, ipsa Dei auctoritate traditas, audacter repudiant, vel saltem nihil esse ajunt, cur earum habeatur, praesertim publice in civitate, ratio. Qui pariter quanto in errore versentur, et quam sibimetipsis parum cohaereant, supra vidimus. Et ab

hac doctrina, tamquam a capite principioque suo, illa manat perniciosa sententia de rationibus Ecclesiae a republica disparandis: cum contra liqueat, geminas potestates, in munere dissimili et gradu dispari, oportere tamen esse inter se actionum concordia et mutatione officiorum consentientes.

Huic tamquam generi subiecta est opinio duplex. — Plures enim rempublicam volunt ab Ecclesia sejunctam et penitus et totam, ita ut in omni jure societatis humanae, in institutis, moribus, legibus, reipublicae muneribus, institutione juventutis, non magis ad Ecclesiam respiciendum censeant, quam si esset omnino nulla; permissa ad summum singulis civibus facultate, ut privatim, si libeat, dent religioni operam. Contra quos plane vis argumentorum omnium valet, quibus ipsam de distrahendis Ecclesiae reique civilis rationibus sententiam convicimus: hoc praeterea adjuncto, quod est perabsurdum, ut Ecclesiam civis vereatur, civitas contemnat.

Alii, quominus Ecclesia sit, non repugnant, neque enim possent: ei tamen naturam juraque propria societatis perfectae eripiunt, nec ejus esse, contendunt, facere leges, judicare, ulcisci, sed cohortari dumtaxat, suadere, regere sua sponte et voluntate subjectos. Itaque divinae hujusce societatis naturam opinione adulterant, auctoritatem, magisterium, omnem ejus efficientiam extenuant et coangustant, vim simul potestatemque civilis principatus usque eo exaggerantes, ut sicut unam quamvis e consociationibus civium voluntariis, ita Ecclesiam Dei sub imperium ditionemque reipublicae subjungant. — Ad hos plane refellendos argumenta valent Apologetis usitata, nec praetermissa Nobis, nominatim in Epistola encyclica *Immortale Dei,* ex quibus efficitur, divinitus esse constitutum, ut omnia in Ecclesia insint, quae ad naturam ac jura pertineant legitimae, summae, et omnibus partibus perfectae societatis.

Multi denique rei sacrae a re civili distractionem non probant; sed tamen faciendum censent, ut Ecclesia obsequatur tempori, et flectat se atque accomodet ad ea, quae in administrandis imperiis hodierna prudentia desiderat. Quorum est honesta sententia, si de quadam intelligatur aequa ratione, quae consistere cum veritate justitiaque possit: nimirum ut, explorata spe magni alicujus boni, indulgentem Ecclesia sese impertiat, idque temporibus largiatur, quod salva officii sanctitate potest. — Verum secus est de rebus ac doctrinis, quas demutatio morum ac fallax judicium contra fas invexerint. Nullum tempus vacare religione, veritate, justitia potest: quas res maximas et sanctissimas cum Deus in tutela Ecclesiae esse jusserit, nihil est tam alienum quam velle, ut ipsa quod vel falsum est vel injustum dissimulanter ferat, aut in iis quae sunt religioni noxia conniveat.

Itaque ex dictis consequitur, nequaquam licere petere, defendere, largiri, cogitandi, scribendi, docendi, itemque promiscuam religionum libertatem, veluti jura totidem, quae homini natura dederit. Nam si vere natura dedisset, imperium Dei detrectari jus esset, nec ulla temperari lege libertas humana posset. — Similiter consequitur, ista genera libertatis posse quidem, si justae caussae sint, tolerari, definita tamen moderatione, ne in libidinem atque insolentiam degenerent. — Ubi vero harum libertatum viget consuetudo, eas ad facultatem recte faciendi cives transferant, quodque sentit de illis Ecclesia, idem ipsi sentiant. Omnis enim libertas legitima putanda, quatenus rerum honestarum majorem facultatem afferat, praeterea numquam.

Ubi dominatus premat aut impendeat ejusmodi, qui oppressam injusta vi teneat civitatem, vel carere Ecclesiam cogat libertate debita, fas est aliam quaerere temperationem reipublicae, in qua agere cum libertate concessum sit: tunc enim non illa expetitur immodica et vitiosa libertas, sed sublevatio aliqua, salutis omnium caussa, quaeritur, et hoc unice agitur, ut, ubi rerum malarum licentia tribuitur, ibi potestas honeste faciendi ne impediatur.

Atque etiam malle reipublicae statum populari temperatum genere, non est per se contra officium, salva tamen doctrina catholica de ortu atque administratione publicae potestatis. Ex variis reipublicae generibus, modo sint ad consulendum utilitati civium per se idonea, nullum quidem Ecclesia respuit: singula tamen vult; quod plane idem natura jubet, sine injuria cujusquam, maximeque integris Ecclesiae juribus, esse constituta.

Ad res publicas gerendas accedere, nisi alicubi ob singularem rerum temporumque conditionem aliter caveatur, honestum est: immo vero probat Ecclesia, singulos operam suam in communem afferre fructum, et quantum quisque industria potest, tueri, conservare, augere rempublicam.

Neque illud Ecclesia damnat, velle gentem suam nemini servire nec externo, nec domino, si modo fieri, incolumi iustitia, queat. Denique nec eos reprehendit qui efficere volunt, ut civitates suis legibus vivant, civesque quam maxima augendorum commodorum facultate donentur. Civicarum sine intemperantia libertatum semper esse Ecclesia fautrix fidelissima consuevit: quod testantur potissimum civitates italicae, scilicet prosperitatem, opes, gloriam nominis municipali jure adeptae, quo tempore salutaris Ecclesiae virtus in omnes reipublicae partes, nemine repugnante, pervaserat.

Haec quidem, venerabiles Fratres, quae fide simul et ratione duce, pro officio Nostro apostolico tradidimus, fructuosa plurimis futura, vobis maxime Nobiscum adnitentibus, confidimus. — Nos quidem in humilitate cordis Nostri supplices ad DEUM oculos tollimus, vehementerque petimus, ut sapientiae consiliique sui lumen largiri hominibus benigne velit, scilicet ut his aucti virtutibus possint in rebus tanti momenti vera cernere, et quod consequens est, convenienter veritati, privatim, publice, omnibus temporibus immotaque constantia vivere. — Horum caelestium munerum auspicem et Nostrae benevolentiae testem vobis, venerabiles Fratres, et Clero populoque, cui singuli praeestis, Apostolicam benedictionem peramanter in DOMINO impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XX Junii An. MDCCCLXXXVIII. Pontificatus Nostri Undecimo.

LEO PP. XIII.

—

EX S. R. CONGREG.

I.

DECRETUM

Quo dubia solvuntur circa Missam solemnem pro Defunctis a Summo Pontifice in ultima Dominica Septembris praescriptam.

A Sanctissimo Domino Nostro LEONE PAPA XIII, litteris editis in die solemni Paschatis vertentis anni, quum praeceptum fuerit, ut in cunctis catholici orbis Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis et Cathedralibus ultima Dominica proxime venturi mensis Septembris specialis Missa Defunctorum, majori, qua fieri potest, solemnitate, celebretur, simulque data fuerit facultas ejusdem Missae celebrandae in omnibus aliis Ecclesiis Parochialibus et Collegiatis, et ab omnibus Sacerdotibus, dummodo ne omittatur Missa officio diei respondens, ubicumque est obligatio; insequentia dubia super ejusmodi mandato SANCTITATIS SUAE pro opportuna declaratione proposita sunt, nimirum:

I. An concessa sit dispensatio, seu commutatio obligationis tum Missae pro populo, tum Missae cujuscumque omnino diei affixae, ita ut minime transferri valeat?

II. An verba — *dummodo ne omittatur Missa officio diei respondens, ubicumque est obligatio.* — intelligenda sint tantummodo de Ecclesiis, in quibus ea die fit *officiatura Choralis?*

III. An ubi occurrit festivitas ex solemnioribus, ex. gr. Patroni, Titularis et Dedicationis Ecclesiae, sufficiat Missam pro Defunctis applicare, servando ritum festivitati cohaerentem?

Hisce porro dubiis a Sacra Rituum Congregatione, jussu ejusdem Sanctissimi Domini Nostri rite perpensis, Sacra ipsamet Congregatio rescribendum censuit — *Affirmative in omnibus.* —

Quibus per infrascriptum Secretarium eidem Sanctissimo Domino Nostro relatis, SANCTITAS SUA rescriptum Sacrae Congregationis approbavit, illudque per praesens Decretum evulgari mandavit.

Die 6 Junii 1888.

A. Card. BIANCHI, *S. R. C. Praef.*
LAURENTIUS SALVATI, *S. R. C. Secret.*

—

II.

DECRETUM

Quo universo Ordini indulgetur festum B. Aegidii a S. Josepho *Confessoris Strict. Obs Discalceatorum.*

Ordinis Minorum Sancti Francisci

Rmus P. Bernardinus a Portu Romatino, Minister Generalis totius Ordinis Minorum Sancti Francisci, nomine etiam Definitorii sui Generalis, a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII humillime expetivit, ut in Kalendario, nec non in Breviario et Missali suimet Ordinis, festum novensilis Beati Aegidii a Sancto Joseph Confessoris, ex eodem Ordine strictioris Observantiae Sancti Petri de Alcantara, sub ritu duplici minori, die IX Februarii affigi valeat; ad simplicem redacto a ritu duplici minori festo Sanctae Apolloniae Virginis et Martyris. Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, petitum Festum Beati Aegidii cum Officio ac Missa pro memorato Ordine Sancti Petri de Alcantara jam adprobatis, universo Ordini Minorum Sancti Francisci benigne indulsit juxta preces, servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 11 Junii 1888.

A. Card. Bianchi, *S. R. C. Praef.*
Laurentius Salvati, *S. R. C. Secret.*

—

DECRETUM RMI MINISTRI GENERALIS

de jam dicto officio die 9 februarii quotannis celebrando.

Fr. Bernardinus a Portu Romatino, *Minister Generalis totius Ordinis Minorum S. P. Francisci.*

DECRETUM

Ad normam Rescripti Sacrae Rituum Congregationis d. d. 11 Junii 1888 decernimus, praecipimus et mandamus omnibus et singulis jurisdictioni Nostrae subjectis, qui ad officium divinum tenentur, ut in posterum ab anno proxime adventuro 1889 die nona Februarii fiat officium de B. Aegidio a S. Joseph Conf. I. Ord. sub ritu *duplici minori,* prouti adprobatum fuit ab eadem S. R. Congregatione, cum *commemoratione,* et, extra Quadragesimam, *nona* lectione ex duabus composita S. Apolloniae V. et M., cujus officium ad ritum simplicem redigatur. Iuxta praesens Nostrum Decretum Provinciarum Kalendaristae annuum Kalendarium disponant.

Datum Romae, ad S. Antonium prope Lateranum, die 21 Junii 1888.

Fr. Bernardinus Min. Glis.

II.

ACTA ORDINIS

—

CAPITULA PROVINCIALIA

Anno 1888 celebrata.

XIV.

Ref. Provincia Basilicatae

Die 22 Martii 1888 a Definitorio Generali in Congressu ejusdem diei nominati sunt:

Minister Provincialis

Adm. R. P. Bernardinus a Cancellaria confirmatus.

Custos

Adm. R. P. Antonius Maria a Gentiano ex Min.

Definitores

Adm. R. P. Aloysius a Cancellaria, ex Min.
R. P. Antonius a Colitri.
R. P. Nicolaus a Tricarico.
R. P. Josephus a Gentiano.

XV.

Ref. Provincia Marchiae.

Die 11 Maji 1888 a Definitorio Generali in Congressu ejusdem diei electi sunt:

Minister Provincialis

Adm. R. P. Alexius ab *Arquata,* Lect. Em.

CUSTOS

A. R. P. Savinus a Rapagnano, Lect. Em.

DEFINITORES

R. P. Sanctes a Sanctamarianova, Lect. Theol.
R. P. Josephus a Coriano.
R. P. Adamus a Mondulpho.
R. P. Apollinaris ab Elcito.

XVI.

Ref. Provincia Neapolis et Terrae Laboris.

In Congressu diei 17 Maji a Definitorio Generali nominati sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Aloysius a Casanova.

CUSTOS

A. R. P. Antonius a Casaurea, ex Min. imm.

DEFINITORES

A. R. P. Raphael a Puteolis.
A. R. P. Joannes a Calatia.
A. R. P. Franciscus Antonius ab Afragola.
R. P. Bonaventura a Casalinovo.

XVII.

Obs. Prov. Bosnae Argentinae.

Die 17 Maji nuper elapsi rite celebratum est Provinciale Capitulum in Conventu Guciegorae, praesidente Adm. R. P. ELIA CAVAROVIĆ, ejusdem Provinciae ex-Ministro et Visitatore Generali, canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

Adm. R. P. Bonaventura Milisić.

CUSTOS PROVINCIAE

R. P. Gregorius Dosen.

DEFINITORES

R. P. Stephanus Ladan.
R. P. Stephanus Ikić.
R. P. Dominicus Tolić.
R. P. Dominicus Gajsilović.

XVIII.

Obs. Provincia Picena.

Die 7 Junii in Congressu Definitorii Generalis electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

Adm. R. P. Aloysius a Fabriano.

CUSTOS VOCALIS

Adm. R. P. Josephus a Montebaroccio, ex Min. imm.

DEFINITORES

R. P. Emygdius a Falconaria
R. P. Alphonsus a Nereto.
R. P. Hilarius a Mucia.
R. P. Antonius a Sanctamarianova.

XIX.

Ref. Provincia Romana.

In Capitulo Provinciali habito in Conventu S. Francisci ad Ripas de Urbe die 7 Junii 1888, sub praesidentia Adm. R. P. ALOYSII A PEDELAMA, ex-Ministri Provinciae Seraphicae et Comm. Visit. Generalis, rite et canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

Adm. R. P. Maximus a Scurcola, Lect. Em.

CUSTOS VOCALIS

Adm. R. P. Benedictus a Sublaco.

DEFINITORES

A. R. P. Stephanus a Meate, ex Min. imm.
A. R. P. Aloysius a Reate, Lect. Em.
R. P. Paulinus a Castellario.
R. P. Xystus ab Aletrio, Lect. Philosoph.

XX.

Ref. Provincia Seraphica.

Praeside Adm. R. P. RAPHAELE ANGELO, Reformatae Provinciae Bononiensis ex-Ministro et Com. Visit. Generali, in Sacro Conventu S. Damiani prope Assisium die 15 Junii 1888 celebratum fuit Provinciale Capitulum, in quo rite et canonice electi sunt:

Minister Provincialis

Adm. R. P. Nicolaus a Civitella reelectus.

Custos Vocalis

Adm. R. P. Aloysius a Pedelama, ex Min.

Definitores

R. P. Fortunatus ab Aquasparta.
R. P. Marianus a Ponte.
R. P. Salvator ab Assisio.
R. P. Leo a S. Jemino.

III.

BIBLIOGRAPHIA

—

MONITUM.

Rogamus Ordinis Superiores, ut ad normam epistolae Circularis Rmi P. Generalis, die 20 Maji nuper elapsi exaratae, opem suam conferre velint ad novam Collegii S. Antonii bibliothecam efformandam.

Hortamur insuper Ordinis nostri scriptores vel eorum Superiores, ut in posterum ad Curiam nostram transmittere curent operum suorum duo exemplaria, quorum alterum in Archivio Generali manebit, alterum vero Bibliothecae novi Collegii adscribetur.

Gaetano Cera, Canonico. — Profili biografici di Monsignor Alessandro Cantoli, dei Minori Osservanti, Vescovo di Bovino, per Gaetano Cera, Canonico Tesoriere della Cattedrale. Napoli — Tipografia del Diogene, strada Montesanto N.° 14, 1888. In-12 pagine 88. (Gli esemplari presso l'autore in Bovino).

Hilarius (P.) Parisiensis. — Liber Tertii Ordinis S. Francisci Assisiensis, cum appendicibus de Chordigeris, etc. etc. Auctore A. R. P. Hilario Parisiensi, Doctore Theol. et Jur., Ord. FF. MM. Capuccinorum S. F. — Genève, Henri Trembley, Libraire Editeur, 4, rue de la Corraterie 4. — Paris, Victor Palmé, Libraire, rue des Saints Pères, 76. — Bruxelles, Société belg. de Librairie, rue Treurenberg, 8. — 1888. Vol. pag. XVIII-890.

Olmi (D. Gasparus). — Terziarî Francescani senza spirito, sette dialoghi popolari di D. Olmi. — Genova, Tipografia Arcivescovile, 1888. Pag. 79.

Pacificus a Vicetia, Min. Ref. — Breve Commento sopra la Regola dei Frati Minori, ad uso speciale dei nuovi Professi nello stesso Ordine, per un Religioso della Veneta Riformata Provincia di S. Antonio. — Pola, Tipografia L. Bontempo, 1888. Pag. 254. In-16.

Règle du Tiers-Ordre Régulier de S. François et déclarations de la Sacrée Congrégation des Evêques et Réguliers approuvées par Léon XIII en faveur des Sœurs Tourières des Clarisses, (cum textu latino simul et gallico). — Quaracchi, près de Florence, Imprimerie de S. Bonaventure. 1888. In-16, pag. 56.

IV.

NECROLOGIA

—

R. P. Joseph Miolin, Obs. Prov. SS. Redemptoris in Dalmatia, S. Theologiae Dogmaticae Lector in Conventu Sebenicensi, phthisi consumptus praematura morte occubuit, die 1 Junii 1888, aetatis suae anno trigesimo. Nonobstante aegra valetudine, officio suo laudabiliter incubuit, atque pietate et observantia emicuit. Anno 1884 volumen edidit, cui titulus *Ruska Sinoda,* sive Synodus Russiaca, seu Constitutio Ecclesiae Russiacae.

R. I. P.

Fr. Didacus a Friguovo, Laicus Obs. Provinciae Neapolitanae, die 3 Junii nuper elapsi pie obiit in Domino, transactis 39 annis in servitio Commissariatus Terrae Sanctae.

R. I. P.

Nihil obstat

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

CONVENTIO

inter Sanctam Sedem et Rempublicam Columbianam (1).

In Nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis.

Sanctitas Sua Summus Pontifex Leo XIII et Praeses Reipublicae Columbianae, Excellentissimus Dominus Raphael Nuñez, in suos respective plenipotentiarios nominarunt;

Sanctitas Sua Eminentissimum D. Marianum Rampolla del Tindaro S. R. E. Cardinalem Presbyterum S. Caeciliae, suum Ministrum a publicis negotiis: et Reipublicae Praeses Excellentissimum Dominum Joachim Ferdinandum Vélez Legatum Extraordinarium et Administrum cum liberis mandatis apud Sedem Apostolicam. Qui post mutuo tradita respectivae plenipotentiae instrumenta de iis, quae sequuntur convenerunt.

Art. 1.

Religio catholica, apostolica, romana est religio Reipublicae Columbianae; publica potestas eamdem agnoscit tamquam essentiale elementum, quo societatis ordo constat, seseque obstringit eam, prout etiam ejusdem administros, patrocinio suo juvare ac tutari; illamque in usu et fruitione suorum jurium ac praerogativarum incolumem servare.

Art. 2.

Ecclesia catholica plena fruetur ac integra libertate et independentia a politica potestate, quapropter haec ulla ratione intercedet quin ipsa suam spiritualem auctoritatem et ecclesiasticam jurisdictionem universam libere exerceat, suaque juxta proprias leges moderetur et administret.

Art. 3.

Ecclesiae leges sunt a civili jure discretae, nec hujus partem constituunt; at Reipublicae Magistratus illas in honore et reverentia solemniter habebunt.

Art. 4.

Status agnoscit Ecclesiam suis legitimis potestatibus ordinibusque hierarchicis repraesentatam, vere proprieque juridicam habere personam, et capacitatem utendi fruendique juribus, quae ad ipsam pertinent.

(1) In Columbia, ante suppressionem civilem anno 1861 peractam, duodecim numerabantur Conventus, Obs. Provinciam S. Joannis Baptistae efformantes. Vi praesentis Conventionis, nonnulli ex his Conventibus Ordini nostro restituentur. Sed, durante suppressione, plurimi ex nostris Fratribus interierunt. Anno elapso 1887, celebratum est Capitulum die 29 Julii in Conventu de Bogotá, et electus est Minister Provincialis Adm. R. P. Rufinus J. Ruiz. In tota Provincia remanebant solummodo 23 sacerdotes, 13 clerici et 3 novitii, tresque supererant Conventus, scilicet Civitatis de Bogotá, S. Ludovici de *Ubate* tertiusque in loco de *Mongui*.

Collegium Missionariorum Franciscalium S. Joachim in *Cali* pariter extat. (N. Red.).

Art. 5.

Ecclesia jure pollet acquirendi justo titulo, possidendi libereque administrandi bona tum mobilia tum immobilia ad normam communi jure praefinitam, ejusque acquisitae res et fundationes inviolabiles nihilo secius ac propria civium Reipublicae bona.

Art. 6.

Ecclesiae proprietates poterunt publicis subjici vectigalibus aeque ac aliorum civium bona; exceptis tamen aedificiis divino cultui dicatis, Seminariis conciliaribus, Episcoporum et Parochorum domibus, quae tum a vectigalibus immunia erunt, tum occupari aut aliis usibus addici nunquam poterunt.

Art. 7.

Clerici tum saeculares tum regulares adigi nequibunt publica obire munera, quae ipsorum sacro ministerio vitaeque institutioni adversentur; insuper a quolibet servitio militari in perpetuum exempti erunt.

Art. 8.

Reipublicae Gubernium fidem suam obligat legibus, quae poenalia judicia moderantur, ea praescripta conditionesve apponere, quae sacerdotii dignitatem sartam tectam servent, quoties Ecclesiae ministrum criminali processu qualibet de causa implicari contingat.

Art. 9.

Locorum Ordinariis, ut et Parochis, integrum est exigere a fidelibus obventiones proventusque ecclesiasticos ad canonum normam et ex bono et aequo constitutos, quique sive ex immemoriali consuetudine cujuslibet dioeceseos causam habent, sive ex opere in sacro ministerio praestito; attamen ut actus et obligationes ab hujusmodi jurium fonte manantes vim civilibus legibus nanciscantur, et saecularis potestas suam auctoritatem interponat, locorum Ordinarii communicabunt cum Gubernio consilia.

Art. 10.

Poterunt libere institui fundarique in Columbiana Republica regulares Ordines religiosaeque Sodalitates utriusque sexus, dummodo canonicae eorum erectioni legitima potestatis ecclesiasticae auctoritas accedat. Praefati Ordines religiosaeque Sodalitates juxta proprias leges et constitutiones regentur et administrabuntur; attamen ut juridica frui valeant persona et patrocinio ac tutela legum Reipublicae juventur, civili potestati exhibere tenentur testimonium canonicae veniae a respectiva auctoritate ecclesiastica ipsis tributae.

Art. 11.

Sancta Sedes opem cooperationemque Gubernio praestabit, ut in Columbiana Republica religiosi Ordines constituantur, qui charitatis operibus praecipue vacent, missionibus, adolescentium institutioni instructionique universim, aliisque publicae utilitatis et beneficentiae operibus.

Art. 12.

In Universitatibus, collegiis, scholis aliisque studiorum institutis publica institutio atque instructio ad normam dogmatum morumque doctrinam Ecclesiae Catholicae conformata ordinataque esse debebit. In his omnibus studiorum facultatibus doctrinae religiosae institutio praecepti res erit, piae etiam catholicae religionis exercitationes in iisdem frequentabuntur.

Art. 13.

Quapropter respectivis locorum Ordinariis jus erit sive per se sive per speciales Delegatos in praefatis studiorum facultatibus inspicere, nec non libros, qui pro textu adhibeantur revisere quoad ea quae fidei doctrinam morumve spectant. Archiepiscopus Bogotensis libros seu textus designabit, qui in Universitatibus legi debeant, ad religionis morumque scientias tradendas; atque ut uniformis sit harum disciplinarum institutio, idem Archiepiscopus, collatis cum aliis locorum Ordinariis

consiliis, libros deliget, qui pro textu sint in reliquis publicis Athenaeis. Gubernium cavebit ne in humanioribus litteris aut scientiis, et universim in omnium generum disciplinis tradendis, placita evulgentur quae catholicis dogmatibus et reverentiae ac venerationi erga Ecclesiam debitae, adversentur.

Art. 14.

Quod si contingat magistros aut lectores scientiae religionis morumve contra Gubernii edicta et praescriptiones, catholicae doctrinae haud consentanea docere, poterit loci Ordinarius eisdem docendi potestatem adimere.

Art. 15.

Jus Archiepiscopos et Episcopos in vacantibus Ecclesiis constituendi est Sanctae Sedi proprium et peculiare. Nihilominus Sanctitas Sua, in specialis observantiae argumentum atque ut inter Ecclesiam et civilem statum pax et concordia servetur, annuit, ut explorata prius Praesidis Reipublicae sententia num eligenda persona ipsi accepta sit, provisio sedium Episcopalium et Archiepiscopalium peragatur. Quapropter cum Sedem aliquam vacare contigerit, poterit Reipublicae Praeses Sanctae Sedi ecclesiasticos illos viros directe commendare, qui iis omnibus dotibus pollere ipsi videantur, quae ad episcopale munus rite obeundum expostulantur. Vicissim Sancta Sedes priusquam Episcopum quem nuncupet, nomina candidatorum quos provehere animo cogitet, semper Praesidi praesignificabit, eum in finem, ut dignoscat num is civilis aut politici ordinis causas habeat, cur candidatorum personae sint ipsi minus gratae. Curabitur ut vacantium sedium provisio quantocius fiat, quae ultra sex mensium spatium procrastinari nequibit.

Art. 16.

Sancta Sedes novas dioeceses eriget, ac novas earumdem peraget circumscriptiones, cum id fidelium necessitas aut utilitas postulaverit; cum Gubernio tamen consilia conferet, ejusdemque aequas reique congruentes animadversiones acceptas gratasque habebit.

Art. 17.

Ut matrimonium eorum omnium qui catholicam religionem profitentur effectus civiles quoad contrahentium prolisque personas et bona progignat, juxta formam a Concilio Tridentino praescriptam contractum esse oportebit. Celebrationi officialis a lege statutus aderit, eum tantummodo in finem, ut matrimonium publicis tabulis continuo inscribat: excipitur tamen casus celebrationis matrimonii in mortis articulo, tum enim si haud facile impleri queat hujusmodi juris solemnitas, praetermitti et subsidiariis probationibus suppleri ipsa poterit. Contrahentium cura erit providere, ut civilis status officialis celebrationi matrimonii praesens adsit, parochi autem opera in id tantum circumscribitur ut contrahentibus obligationem, quam civilis lex ipsis imponit, opportune palam faciat.

Art. 18.

Quod matrimonia attinet quae ad formam in Concilio Tridentino praescriptam quovis tempore celebrata fuerint, quaeque effectus civiles sortiri debent, subsidiariae probationes potissimae habebuntur, quae ab auctoritate ecclesiastica promanant.

Art. 19.

Auctoritas ecclesiastica causas, quae respiciunt matrimonii vinculum et conjugum cohabitationem, ut etiam sponsalium validitatem, unice cognoscet; civilibus matrimonii effectibus ad judicem saecularem remissis.

Art. 20.

Exercitus Reipublicae exemptionibus gratiisque fruentur, quae sub generali privilegiorum castrensium nomine cognoscuntur, quasque Sanctitas Sua separatim determinabit.

Art. 21.

Post Divina Officia in omnibus Reipublicae templis sic orabitur: *Domine, salvam fac Rempublicam; Domine, salvum fac Praesidem ejus et supremas ejus auctoritates.*

Art. 22.

Reipublicae Gubernium dehinc perpetuo tamquam publicum status nomen et debitum (vulgo: *debito consolidato*) agnoscit pretium tum censuum in aerarii beneficium redemptorum, tum etiam bonorum publicatorum (vulgo: *beni disammortizzati*), quae olim ad Ecclesias, pia sodalitia, patronatus, capellas et instructionis ac beneficentiae instituta ab Ecclesia administrata pertinebant, quo demum cumque tempore ipsum in publici aerarii nominibus inscriptum fuerit. Hujusmodi nominum sors recognita (vulgo: *debito riconosciuto*) annuum foenus, quovis onere deducto, trientis cum dimidio reddet cujus quolibet exacto semestri dies cedat.

Art. 23.

Redditus, qui ex patronatibus, capellis, sodalitatibus aliisque privatis fundationibus proveniunt, iis directim addicentur et numerabuntur, qui juxta fundationum tabulas eosdem exigendi jure polleant, vel ab iis legitime delegatis. Illorum solutio, ut praecedenti articulo cautum est, absque ulla subductione fiet, ab insequenti anno 1888 exordio ducto. Casu, quo aliquam ex praedictis fundationibus extingui contingat, praehabitis inter potestatem ecclesiasticam et Gubernium consiliis, proventuum, qui ad illam pertinebunt, pietatis et beneficentiae operibus addictio fiet, quin tamen unquam contra fundatorum voluntatem quidpiam fiat.

Art. 24.

Sancta Sedes perpendens praesentem statum aerarii Columbiani, et attenta utilitate, quae ex observantia praesentis conventionis in Ecclesiam manat, Reipublicae sequentia remittit et condonat. *a*) Pretium sortis usque adhuc minime recognitae *(non riconosciuta in verun modo)* bonorum publicatorum (vulgo: *disammortizzati*), quae quoad maximam illorum partem ad conventus pertinebant aut sodalitia religiosa utriusque sexus jam extincta, et in praecedentibus articulis haud comprehensa. *b*) Nomina, quae debeat ecclesiasticis institutis ob non solutos redditus fructusve, quorum dies cessit, aliavè de causa ex publicatione oborta usque ad diem 31 Decembris vertentis anni 1887.

Art. 25.

In hujus beneficii compensantionem Columbianum Gubernium semel obstringit aliquam quotannis in perpetuum addicere expeditam pecuniae vim, quae in praesenti ad centena Columbianorum scutatorum millia constituta, quum aerarii conditio meliori fuerit loco aeque adaugebitur; quo, ea ratione et modo, qui inter summas utrasque potestates ex composito conveniat, ope auxilioque juvabuntur dioeceses, capitula, seminaria, missiones aliaque id genus opera, quibus Ecclesia gentes ad humaniorem vitae cultum adducit.

Art. 26.

Religiosi extinctarum sodalitatum adhuc dum superstites redditibus frui pergent, qui praecedentibus legibus attributi ipsis fuerunt pro eorum sustentatione aliisque vitae necessitatibus.

Art. 27.

Pari modo redditus aliaeque assignationes firmae rataeque constabant antehac attributae Divini cultus manutentioni in Ecclesiis, capellis aliisque religiosis locis, quorum ratio habita non est in Art. 22. Casu quo super hoc caput dubia aut difficultates oriantur, Gubernium consilia cum competenti ecclesiastica auctoritate communicabit, ut quod ad rem sit decernatur.

Art. 28.

Gubernium ecclesiasticis institutis bona publicata ad eadem pertinentia restituet, quae nulli destinata et attributa usui fuisse deprehendantur. Quorum ubi ignotus sit dominus, vel in quem impendantur finis cessaverit, sive sors ex eorum venditione proveniens, sive eorum redditus adsimilibus pietatis et beneficentiae operibus addicentur, prout uniuscujusque dioeceseos necessitas postulaverit, collatis ea desuper re cum competenti auctoritate ecclesiastica consiliis.

Art. 29.

Sancta Sedes vicissim publicae tranquillitati consulere cupiens declarat, eos qui durante praeteritarum vicissitudinum tempore ecclesiastica bona emerint publice proscripta, aut census in publico aerario redemerint, ad civilium legum tunc temporis vigentium normam, nullo unquam tempore aut modo ab ecclesiastica potestate molestiam habituros. Haec porro remissionis gratia nedum executores hujusmodi actuum comprehendit, verum etiam eos omnes qui in exercitio cujuslibet muneris eisdem participaverint; ita ut emptores aut mancipes, censuumque redemptores, tum ipsi, tum legitimi eorum successores ab iisve causam habentes, tuto et pacifice ea eorumque emolumenta et fructus sibi habeant. Id tamen semper fixum firmumque esse debebit, ut hujusmodi abusivae alienationes nunquam in posterum renoventur.

Art. 30.

Quod coemeteria attinet Reipublicae, Gubernium ex composito cum respectivis locorum Ordinariis operam adhibebit, ut cautiones, quas civicum bonum et publica salus legitime exigit, cum veneratione sacris locis, Ecclesiaeque legibus debita socientur. Casu, quo sententiae non conveniant, Reipublicae Gubernium negotium pro re nata cum Sancta Sede communicabit.

Art. 31.

Pacta conventionesque, quae inter Sanctam Sedem et Columbiae Gubernium ineantur quoad subsidia et adiumenta, ut catholicae Missiones penes barbaras tribus in Reipublicae territorio degentes, majora incrementa suscipiant, publicorum comitiorum Reipublicae suffragiis confirmari haud oportebit.

Art. 32.

Per praesentem Conventionem leges, ordinationem, decreta quolibet modo et tempore hucusque lata, in quantum conventioni eidem adversantur abrogata omnino censentur; atque eadem conventio veluti lex status in futurum omne tempus valitura habebitur.

Art. 33.

Ratificationes praesentis Conventionis mutuo tradentur infra sex mensium spatium a subscriptionis die aut citius si fieri poterit.

In quorum fidem praefati plenipotentiarii praesenti Conventioni subscripserunt illamque suo quisque sigillo obsignavit.

Actum Romae, die 31 Decembris 1887.

M. Card. RAMPOLLA.

JOAQUIN F. VELEZ.

—

E SACRA CONG. INDULGENTIARUM

I.

RESCRIPTUM

Quo conceditur plenaria indulgentia, semel lucranda infra mensem Septembris a fidelibus, qui per totum eumdem mensem pie recolant dolores B. M. Virginis.

Beatissime Pater,

PETRUS FRANCISCUS M. TESTA, Prior Generalis Ord. Servorum MARIAE, humiliter provolutus ad Pedes S. Vestrae exponit, ex benigno indulto s. m. Pii Papae IX, antecessoris vestri, concessam fuisse Indulgentiam tercentum dierum, lucrandam quolibet die mensis Septembris a fidelibus cunctis, qui corde saltem contrito ac devote pium peragant exercitium mense Septembri ad meditandos dolores B. MARIAE Virg., quolibet utendo libro, dummodo approbato, qui agat de doloribus ejusdem B. MARIAE Virginis. Nunc, eo consilio, ut fideles eo magis excitentur ad recolendos dolores SSmae Virginis MARIAE, et ex hujusmodi pio atque utili exercitio, spiritualia illa charismata percipiant, quae illud parere solet animabus piis, Sanctitatem Vestram exorat, ut concedere dignetur Indulgentiam plenariam illis qui, praedicta ratione, integro Septembri mense, Virginem perdolentem piis obsequiis sint prosequuti,

semel lucrandam recensito mense, eo die, quo vere contriti, confessi atque sacra refecti Synaxi preces effuderint juxta intentionem Sanctitatis Vestrae.

Quam gratiam etc.

Ex Audientia SSmi diei 27 Januarii 1888.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui modo super enuntiato quolibet die mense integro Septembri Dolores B. M. Virginis sive publice sive privatim devote recoluerint, petitam Plenariam Indulgentiam, defunctis quoque applicabilem, benigne concessit, lucrandam eo die, infra praedictum mensem uniuscujusque arbitrio eligendo, quo vere poenitentes, confessi, sacram Synaxim susceperint, et aliquo temporis spatio ad mentem Sanctitatis Suae pie oraverint. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 27 Januarii 1888.

Cajetanus Card. Aloisi Masella, Praef.
Alexander, Episcopus Oensis, Secret.

—

II.

RESCRIPTUM

Quo conceditur indulgentia quinquaginta dierum recitantibus psalmum De profundis etc.

Beatissime Pater,

Antonius Grasselli, Archiep. Colossen. humiliter provolutus ad Pedes Sanctitatis Vestrae, exorat ut concedere dignetur aliquam Indulgentiam fidelibus cunctis quoties corde contrito ac devote recitaverint psalmum *De profundis* cum versiculo in fine: *Requiem aeternam dona eis,* Domine, *et lux perpetua luceat eis.*

Quam gratiam etc.

Ex Audientia SSmi diei 2 Februarii 1888.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contrito ac devote recitaverint praedictum Psalmum cum adnexo versiculo: *Requiem aeternam dona eis,* Domine, *et lux perpetua luceat eis,* benigne concessit Indulgentiam, defunctis quoque applicabilem, *quinquaginta dierum,* ter in die lucrandam. Praesenti valituro *in perpetuum* absque ulla brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, die 3 Februarii 1888.

Cajetanus Card. Aloisi Masella, *Praef.*
Alexander Episcopus Oensis, Secret.

—

III.

RESCRIPTUM

Quo conceditur indulgentia tercentum dierum recitantibus Hymnum Ave, maris stella.

Beatissime Pater,

Vincentius Leo Sallua, Archiepiscopus Calcedonen., humiliter provolutus ad Pedes Sanctitatis Vestrae, exorat ut benigne concedere dignetur omnibus fidelibus, qui corde contrito ac devote recitaverint Hynnum *Ave maris Stella...* in honorem B. Virginis Mariae, ceu iacet in Breviario Romano, Indulgentiam *tercentum* dierum, semel lucrandam in quolibet die

Quam gratiam etc.

Ex Audientia SSmi diei 27 Januarii 1888.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII benigne annuit pro gratia juxta preces. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, die 27 Januarii 1888.

Cajetanus Card. Aloisi Masella, Praef.
Alexander Episcopus Oensis, Secretarius.

II.

ACTA ORDINIS

—

MONITUM

De licentia Rmi P. Generalis monentur Superiores Provinciarum Ordinis nostri, praesertim ex regionibus Europae septentrionalibus, adesse in *Bordighera,* prope Ventimiliam, novum Terrae Sanctae hospitium. Ad *Bordighera,* ut omnes norunt, multi quotannis ad hiemandum confugiunt exteri, propter aeris temperiem situsque amoenitatem in ora ligustica Mediterranei maris. In hospitio jam laudato Terrae Sanctae, singulis annis in posterum hiemali tempore admitti poterunt tres quatuorve sacerdotes nostri, qui ad reficiendas vires mitiori climate indigent, dummodo brevi concione saltem singulis dominicis habenda in lingua Anglica vel Gallica vel Germanica, et confessionibus audiendis in eisdem idiomatibus impares non sint.

Ministri Provinciales, qui tales haberent in suis Provinciis sacerdotes, ad Ministrum Generalem scribant, opportunas informationes et obedientiales litteras recepturi. Sic enim et bono animarum et saluti quorumdam nostratum, qui debili valetudine laborant, providebitur.

—

CAPITULA PROVINCIALIA

Anno 1888 celebrata.

XXI.

Ref. Custodia S. Joseph Lucensis.

Die 15 Junii 1888 rite celebratum fuit Capitulum Custodiale sub praesidentia Adm. R. P. Desiderii a Bononia, Provinciae Bononiensis ex Ministri et Comm. Visit. Generalis, in quo canonice electi sunt:

Custos Regiminis

Adm. R. P. Josephus a Burgo ad Mozzanum.

Definitores

R. P. Michael a Plebe Camajoris.
R. P. Pacificus a Quiesa.
R. P. Vincentius ab Anchiano Lect. Th.

XXII.

Obs. Prov. Immac. Conceptionis Galiciae.

Die 14 Julii 1888, in Conventu B. M. V. Sokali in Galicia, celebratum est Capitulum Obs. Prov. Immaculatae Conceptionis Russiae, praesidente Adm. R. P. Eusebio Fermendžin, Definitore Generali et Visitatore. Canonice electi sunt:

Minister Provincialis

Adm. R. P. Lucas Dankiewicz.

Custos

Adm. R. P. Rudolphus Waga.

Definitores

R. P. Apollinaris Gargulinski.
R. P. Seraphinus Nowak.
R. P. Methodius Slupek.
R. P. Martinus Krupinoki.

XXIII.

Obs. Provincia Bononiensis.

Die 19 Julii 1888, in Conventu SS. Annuntiationis Parmae rite celebratum est Provinciale Capitulum, praesidente Rmo P. Ministro Generali, et praevia canonica Visitatione a R. Adm. P. Petro a Monsano, Secretario Generali, peracta. Rite electi sunt:

Minister Provincialis

Adm. R. P. Aloysius a Parma.

Custos

Adm. R. P. Archangelus a Vado.

Definitores

R. P. Seraphinus a Fresanara.
R. P. Marius a Monzuno.
R. P. Hyeronimus a Castellatio.
R. P. Marcus a Cantalupo.

XXIV.

Obs. Prov. S. Ludovici in Gallia.

Die 26 Julii 1888, in Conventu Ambianensi, ad Cor purissimum Mariae, rite celebratum est Capitulum Provinciae, praesidente Adm. R. P. Rogerio Verbiest, ex-Provinciali

Recollectae Provinciae Belgii et Visitatore Generali. Electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

Adm. R. P. Andreas ab Hurbache.

CUSTOS PROVINCIAE

Adm. R. P. Chrysostomus ab Ithorrots.

DEFINITORES

R. P. Paulus a Sancta Maria.
R. P. Thomas a Rupe.
R. P. Bartholomaeus a Bionvilla.
R. P. Joannes Baptista a Glatinio.

III.

MISSIONES

EPISTOLA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

Exemplar encyclicarum litterarum « LIBERTAS » *ad singulos sibi subditos Praelatos transmittentis.*

Illme ac Rme Domine,

Heic adiectum mitto ad Amplitudinem Tuam exemplar Litterarum Encyclicarum « *Libertas* » SSmi D. N. LEONIS Pp. XIII, die 20 superioris Junii editarum. Hae porro litterae, quibus doctrina de liberalismo, uti aiunt, profunde pleneque absolvitur, eo maxime spectant, ut omnibus erronearum opinionum semotis ambagibus ac luce veritatis aperte prolata, in re tam gravis momenti cunctorum catholicorum mentes animique in plenissimam, uti decet, concordiam adducantur. Tui proinde officii maxime est omni ope adniti ut res, quoad ad Te pertinet, ex voto cedat. Impensissime proinde satages, ne istorum catholicorum animos ad contentionem ullam hac in re scribendi disceptandive libido lacessat, neque ad se commovendum, contra saluberrima Pontificis monita cujusvis privati scriptoris auctoritate aut ullo praepostero civilium partium studio trahantur. Sed eo quo par est obsequio Apostolicarum Litterarum documenta universi excipientes, eadem posthac veluti tutissimam normam habeant, cui ad recte sentiendum oporteat consentire.

Quem in finem minime dubito quin Tu, prouti Summo Pontifici in votis est, operam omnem atque auctoritatem velis conferre.

DEUM interea precor, ut Te diutissime sospitet.

Addictissimus in CHRISTO
J. Card. SIMEONI, *Praefectus.*

✠ D. ARCHIEP. TYREN., Secretarius.

—

ACTA PRAECIPUA

A S. Congregatione de Propaganda Fide elapso anno constituta.

In Australia eriguntur Vicariatus Apostolici Kimberliensis et Queenslandiae: Dioeceses Graftoniensis, Portus Augustae, Saliensis, Wilcanniensis, et Christopolitana in Nova Zelandia; Sedes Adelaidensis, Brisbanensis et Wellingtonensis in Nov. Zel. ad metropoliticam dignitatem evehuntur. — *Decreta 5 maji 1887.*

Archiepiscopalibus Sedibus Octaviensi et Marianopolitanae in America Septentrionali Britannica, suffraganeae Ecclesiae adsignantur. — *Decr. 6 maji.*

In Indiis Orientalibus Ecclesiasticae Provinciae constabiliuntur. — *Decr. 29 maji.*

Erigitur missio ad evangelizandos Maoros Dioecesis Aucopolitanae in Nova Zelandia. — *Decr. 21 junii.*

Vicariatus Apostolicus Chen-si meridionalis in Sinis instituitur. — *Decr. 6 julii.*

In Indiis Orientalibus efformatur Apostolica Praefectura de Kafiristan et Cashmire. — *Decr. 6 julii.*

A Dioecesi Vizagapatamensi sejungitur nova Dioecesis Nagporensis. — *Decr. 11 julii.*

In Stat. Foeder. Americ. Sept. dividuntur Dioeceses Omahensis et Leavenworthensis: et a prima separantur novae Dioeceses Concordiensis et Wichitensis: ab altera novae Dioeceses Cloyennensis et Lincolniensis. — *Decreta 27 et 28 julii.*

Vicariatus Colorado in St. Foed. Amer. Sept. in Dioecesim Denveriensem erigitur. — *Decr. 8 augusti.*

A Vicariatu Japoniae Septentrionalis Vicariatus sejungitur Japoniae Centralis. — *Decr. 16 mart. 1888.*

Praefectura Adensis in Vicariatum constituitur. — *Decr. 3. aprilis.*

Missio Congi Belgici Apostolicus Vicariatus efficitur. *Decr. 2 maji.*

Novissime vero, per duplex Decretum S. C. Dioecesis S. Pauli in Stat. Foeder. Americae Sept. ad metropoliticam dignitatem evecta est, habens suffraganeos Vicariatus Dakotae et Minnesotae; missio Honduras, titulo Praefecturae, a Vicariatu Jamaicae est separata.

IV.

VARIA.

—

BREVIS CONSPECTUS.

Kalendarii pro anno 1889.

—

Litt. Dominic. *F;* Litt. Martyrol. *M;* Epact. *XXVIII;* Aur. numer. *9;* Cycl. solar. *XXII;* Indict. Roman. 2.

—

Jan. 1. Fer. 3. Circumcisio Domini.
» 6. Dom. (vac.) Epiphania Dni.
» 12. Sab. De Dom. inf. oct. Epiph. (ll. l. noct. ex Epist. ad Rom. de Sab.).
» 13. Dom. 1. p. Epiph. Octav. Epiph. (Inc. Epist. I. ad Corinth.).
» 20. Dom. 2. p. Epiph. SS. Fab. et Sebast. Mm. (Inc. Epist. II. ad Corinth.).
» 27. Dom. 3. p. Epiph. S. Joann. Chrys. E. D. (Inc. Epist. ad Galat.).
» 31. Fer. 5. (Inc. Epist. ad Ephes.).
Febr. 3. Dom. 4. p. Epiph. B. Odorici. C. 1. O. (Inc. Epist. ad Philipp.).
» 8. Fer. 6. (Inc. Epist. ad Coloss. (1) et I. ad Thessalon. (2. 3.).
» 9. Sab. (Inc. Epist. II. ad Thes.). B. Ægidii a S. Josepho.
» 10. Dom. 5. p. Epiph. S. Scholasticae V. (Inc. Epist. I. ad Timoth.).
» 12. Fer. 3. . . (Inc. Epist. II. ad Timoth.).
» 14. Fer. 5 . . (Inc. Epist. ad Tit.).
» 16. Sab. . . (Inc. Epist. ad Philemon.) . . 9. l. et com. Dom. 6. p. Epiph.
» 17. Dom. Septuagesimae. (Inc. lib. Genesis).
» 18. Fer. 2. . . . Officium Defunctorum.
» 19. Fer. 3. Orationis Dni.
Febr. 24. Dom. Sexagesimae.
» 25. S. Matthiae Ap. (fuit heri), 9 l. (ex 3) et com. B. Sebast. C. i. O.
» 26. Fer. 3. Passionis Dni.
Mart. 3. Dom. Quinquagesimae.
» 6. Fer. 4. Cinerum.
» 7. Fer. 5. S. Coletae V. 2. O. (fuit heri) 9. l. et com. fer. et SS. Perpetuae et Felicit. Mm. tant (1).
» 8. Fer. 6. Spineae coronae Dni.
» 10. Dom. 1. Quadragesimae.
» 13. 15. 16. Quat. Temp.
» 15. Fer. 6. Lanceae et clavor. Dni.
» 17. Dom. 2. Quadragesimae.
» 22. Fer. 6. SS. Sindonis Dni.
» 24. Dom. 3. Quadragesimae.
» 29. Fer. 6. SS. V. Vulnerum Dni.
» 31. Dom. 4. Quadragesimae.
April. 5. Fer. 6. Pretiosiss. Sanguin. Dni.
» 6. Sab. B. Bentivolii C. i. O. semid.
» 7. Dom. Passionis.
» 12. Fer. 6. Septem Dolor. B. M. V.
» 14. Dom. Palmarum.
» 15. Fer. 2. maj. hebdom.
» 16. Fer. 3. » » (Renovat. profession.).
» 17. Fer. 4. » »
» 18. Fer. 5. in Coena Dni.
» 19. Fer. 6. in Paresceve Dni.
» 20. Sab. sancto.
» 21. Dom. Resurrect. Dni.
» 22. Fer. 2. Pasch.
» 23. Fer. 3. Pasch.
» 24. Fer. 4. infr. oct. Pasch.
» 25. Fer. 5. » » » (Litan. maj. Ord. nostr.).
» 26. Fer. 6. » » »
» 27. Sab. » » »
» 28. Dom. in Albis.
» 29. Fer. 2. S. Raphaelis Archang. (fuit 16 huj.).
» 30. Fer. 3. S. Marci Evang. (fuit 25 huj.). [*In Prov. Rom. vero die*] 30 April. S. Catharinae Sen. V. dup. 2. cl.].
Maj. 2. Fer. 5. S. Athanasii E. D. (Inc. lib. Act. Apost.) [*In Prov. Rom. vero* S. Marci Evang.] (2).
» 4. Sab. [*In Prov. Rom.* Inc. lib. Act. Apost.].
» 5. Dom. 2. Pasch. SS. Sepulchri Dni.
» 12. Dom. 3. p. Pasch. Patrocin. S. Joseph.
» 14. Fer. 3. (Inc. Apocal. b. Joann. Ap.).
» 19. Dom. 4. p. Pasch.
» 21. Fer. 3. (Inc. Epist. b. Jacobi Ap.).

(1) Juxta interpretationem privilegii nostri diei 17 Januarii 1883 nuper a Rmo P. Ministro Generali datam, illa Festa duplicia majora et sanctorum Ecclesiae Doctorum, in quorum die festum primae vel secundae classis suo die impeditum accidentaliter vel perpetuo respective, et in quantum dies ad hoc liberi habentur, transferenda sunt juxta translationis regulas. Hinc festum S. Thomae Aqu. hoc anno transferri debet.

(2) Cfr. supra notata ad 7. Mart.

Maj. 22. Fer. 4. B. Joannis Forest, M. i. O. dup. maj. 9. l. et com. B. Humilianae Vid. 3. O.
» 26. Dom. 5. p. Pasch. Dedicat. basil. Assis. [*Romae* vero S. Philippi Ner. C. dup. 2. cl.].
» 27. 28. 29. dies Rogat., process. et Lytan. omn. Sanctor. Ord. nostri.
» 27. (Inc. Epist. 1. b. Petri Ap.).
» 29. Fer. 4. . . . 9. l. com. et ult. Evang. vig. Ascens.
» 30. Fer. 5. Ascensio Dni.
» 31. Fer. 6. . . . (Inc. Epist. 2. b. Petri Ap.).
Jun. 2. Dom. inf. oct. et 6. p. Pasch. B. Baptistae Varan. V. 2. O. (Inc. Epist. 2. b. Joann. Ap.).
» 6. Fer. 5. Octav. Ascens. Dni.
» 7. Fer. 6. . com. fer. in Laud. Miss. et 2. Vesp.
» 8. Sab. Vigil. Pentecostes.
» 9. Dom. Pentecostes.
» 10. Fer. 2. Pent.
» 11. Fer. 3. Pent.
» 12. Fer. 4. (Quat. Temp.) inf. oct. Pent.
» 13. (J. P.) Fer. 5. » » »
» 14. Fer. 6. (Quat. Temp.) » » »
» 15. Sab. (Quat. Temp.) » » »
» 16. Dom. SS. Trinitatis.
» 17. Fer. 2. S. Antonii Pad. C. i. O. dup. 2. cl. cum resid. oct.
» 18. Fer. 3. . . . (Inc. lib. I. Regum).
» 19. Fer. 4. . . . Post Nonam termin. oct. S. Antonii (Cfr. *Act. Ord.*, ann. II. pag. 75, Regul. i.).
» 20. Fer. 5. SS. Corporis Chr. dup. 1. cl. cum oct. priv.
» 21. Fer. 6. inf. oct. SS. Corp. Chr.
» 22. Sab. » » » » » 9. l. com. et ult. Evang. vig.
» 23. Dom. inf. oct. SS. Corp. Chr. et 2. p. Pent.
» 24. Fer. 2. Nativ. S. Joann. Bapt. dup. 1. cl. cum oct., de qua quotid. fit com., except. dieb. 28 et 29 Jun.
» 25. Fer. 3. inf. oct. SS. Corp. Chr.
» 26. Fer. 4. » » » » »
» 27. Fer. 5. Octava SS. Corp. Chr.
» 28. Fer. 6. SS. Cordis Jesu 9. l. com. et ult. Ev. vig.
» 30. Dom. 3. p. Pent. Commem. S. Pauli Ap. dup. maj.
Jul. 7. Dom. 4. p. Pent. Pretiosiss. Sanguin. Dni.
» 13. Sab. . . . Officium Defunctorum.
» 14. Dom. 5. p. Pent. S. Bonaventurae E. D. i. O.
» 15. Fer. 2. . . . (Inc. lib. II. Regum).
» 21. Dom. 6. p. Pent. Octav. S. Bonaventurae.
» 28. Dom. 7. p. Pent. De ea. (Inc. lib. III. Regum).
Aug. 4. Dom. 8. p. Pent. (1 Aug.) S. P. Dominici C.
» 7. Fer. 4. . . . (Inc. Parabolae Salomon.).
» 11. Dom. 9. p. Pent. Octav. S. Dominici (Inc. lib. Eccle.).
» 18. Dom. 10. p. Pent. S. Joachim C. dup. 2. cl.
» 20. Fer. 3. . . . (Inc. lib. Sapientiae).
» 25. Dom. 11. p. Pent. S. Ludovici Reg. C. 3. O. [*Romae* S. Bartholomaei Ap.].
Aug. 26. Fer. 2. . . . [*Romae* d. 27.]. Inc. lib. Eccli.
Septemb. 1. Dom. 12. p. Pent. (1. Sept.) B. Isabellae V. 2. O. (Inc. lib. Job).
» 8. Dom. 13. p. Pent. Nativitas B. M. V.
» 15. Dom. 14. p. Pent. SS. Nominis B. M. V.
» 16. . . (Inc. lib. Tobiae). Officium Defunctorum.
» 18. 20. 21. Quat. Temp.
» 22. Dom. 15. p. Pent. Septem Dolor. B. M. V.
» 23. Fer. 2. . . . (Inc. lib. Judith).
» 26. Fer. 5. . . . (Inc. lib. Esther).
» 29. Dom. 16. p. Pent. (1 Oct.) S. Michaelis Archang.
Octob. 1. Fer. 3. . . . (Inc. lib. I. Machabaeor.).
» 6. Dom. 17. p. Pent. SS. Rosarii B. M. V. dup. 2. cl. (Offic. et Missa propria)
» 7. Fer. 2. S. Mariae Franciscae a Vuln. V. 3. O. (fuit heri).
» 13. Dom. 18. p. Pent. SS. Danielis etc. Mm. 1. O.
» 20. Dom. 19. p. Pent. Puritatis B. M. V.
» 21. Fer. 2. . . . (Inc. lib. II. Machab.) [Apud Monial. d. 23].
» 26. Sab. . . . 9. l. com. et ult. Ev. vig.
» 27. Dom. 20. p. Pent. S. Brunonis C.
Novemb. 2. Sab. De oct. omn. Sanct. — Omnium fidel. Defunctor.
» 3. Dom. 21. p. Pent. (1 Nov.) De ea. Inc. Ezechiel.
» 10. Dom. 22. p. Pent. Patrocin. B. M. V.
» 13. Fer. 4. . . . Inc. Daniel. — Officium Defunctorum.
» 17. Dom. 23. p. Pent. B. Salomeae V. 2. O. Inc. Oseas.
» 20. Fer. 4. . . . Inc. Joel.
» 22. Fer. 6. S. Caeciliae V. M. Inc. Amos, Abdias, Jonas.
» 24. Dom. 24. et ult. p. Pent. S. Joann. a cruce C. Inc. Michaeas.
» 25. Fer. 2. S. Catharinae V. M. Inc. Nahum, Habacuc, Sophonias.
» 27. Fer. 4. B. Delphinae V. 3. O. dup. maj. Inc. Aggaeus, Zacharias, Malachias.
Decemb. 1. Adventus.
» 2. Fer. 2. . . . Officium Defunctorum.
» 8. Dom. — Immac. Concept. B. M. V. 9. l. com. et ult. Evang. Dom. 2. Advent.
» 15. Dom. 3. Advent., com. diei oct. Immac. Conc.
» 22. Dom. 4. Advent.
» 29. Dom. inf. oct. Nat. S. Thomae Cantuar. E. M. 9. l. et com. Dom. et 4 oct. — Vesp. Nat. a cap. seq. com. praec. Dom. et 4 oct.
» 30. Fer. 2. fit de festo translato.

—

Festa duplicia majora et SS. Ecclesiae Doctorum, quae hoc anno propria die celebrari nequeunt, in sequentes dies sunt transferenda, nisi alicubi isti dies ad hoc vacui non sint:

Ex 17. Febr: S. Hilarii E. D. — ad 13. Mart.
» 19. Febr: S. Conradi C. 3. O. — ad 27. Febr.
» 7. Mart: S. Thomae Aqu. C. D. — ad 16. Mart.
» 22. Mart: S. Benvenuti E. C. 1. O. — ad 27. Mart.
» 24. Mart: S. Gabrielis Archang. — ad 26 Mart.
» 24. April: S. Fidelis M. — ad 31. Octob.
» 26. April: B. M. V. de bon. consil. — ad 15. Maj.
» 28. April: B. Luchesii C. 3. O. — ad 6. Novemb.
» 30 Maj: S. Ferdinandi C. 3. O. — ad 9. Decemb.
» 11. Jun: S. Barnabae Ap. — ad 30. Octob.
» 12. Jun: B Guidi C. 1. O. — ad 19. Decemb.
» 16. Jun: B. M. V. de Succurs. — ad 3. Jul.
» 27. Jun: B. Benvenuti C. 1. O. — ad 30. Decemb.
» 25. Aug: Puriss. Cord. B. M. V. — ad 6. Septemb.
» 13. Octob: Maternit. B. M. V. — ad 29. Octob.

—

Ubique hoc anno ad instar simplicis celebrantur sequentia festa SS. Ecclesiae Doctorum:

Die 15. April: S. Cyrilli Alex. E. D.
» 17. April: S. Cyrilli Hierosol. E. D.
[*Romae*, die 2. Maji: S. Athanasii E. D.].
Die 14. Junii S. Basilii E. D.

—

Ubique hoc anno nihil fit de sequentibus festis:

Die 18. April: de B. Andrea Hib. C. 1. O.
» 19. April: de B. Conrado ab Asc. C. 1. O.
» 21. April: de S. Anselmo E. D.
» 22. April: de SS. Sotero et Cajo Pont. Mm.
» 23. April: de B. Aegidio C. 1. O.
» 9. Jun: de S. Paulo a Cruc. C.
» 10. Jun: de B. Jolenta Vid. 2. O.

—

HISTORIA AUTHENTICA

Provinciae Turoniae Pictaviensis Regularis Observantiae Sancti Francisci, excerpta ex archivis Conventuum ejus ac Monasteriorum, per Ministrum Provincialem illius ac Commissarios ab ipso deputatos, juxta mandatum Reverendissimi Patris Josephi Ximenii a Samaniego, totius Ordinis Generalis Ministri anno Domini 1680 (1).

Anno 1388 excitavit DOMINUS spiritum trium Religiosorum ex Provincia Turoniae, qui feliciter Regularis Observantiae fundamenta jecerunt in Conventu Mirabelli, quae in aliis Galliae Provinciis excreverunt et solidata sunt virtute Decreti Concilii Constantiensis sub bono regimine suorum Vicariorum Generalium et Provincialium, quos adveniente morte aliquorum elegerunt.

SERIES VICARIORUM GENERALIUM ET PROVINCIALIUM DE OBSERVANTIA, AB EXORDIO NOSTRAE PROVINCIAE TURONIAE PICTAVIENSIS.

Vicarius Generalis	*Comitia Generalia*	*Tempus*	*Comitia Provincialia*	*Vicarius provincialis*
R. P. Nicolaus Radulphi	Institutus a Concilio Constantiensi.	1415		R. P. Joannes Peregrinus.
» » »	. . . Bercorii	1416	Bercorii	» » »
» » »	» » »	1417	»	» » »
» » »	» » »	1418	»	» » »
» » »	(Obiit Lavalli, 17 Oct.)	1419	»	» » »

(1) Fausta sorte repertum est antiquum hoc manuscriptum et ne pretiosa fragmenta pereant, eadem in *Actis* colligere operae pretium duximus. Optandum foret si singulae Provinciae Ministrorum suorum seriem pari cura efformare conarentur. Tale opus in *Actis* inserendum, si ad nos transmittatur, laeto animo excipiemus. *(N. Redact.)*.

Vicarius Generalis	*Comitia Generalia*	*Tempus*	*Comitia Provincialia*	*Vicarius Provincialis*
R. P. Thomas a Curia	Bercorii	1420	Bercorii	R. P. Joannes Peregrinus.
» » »	»	1421	»	» » »
» » »	»	1422	»	» » »
» » »	(Obiit Lavalli, 11 Aug.)	1423	»	» » »
» » »	Bercorii	1424	»	R. P. Joannes a Caparia.
» » »	»	1425	»	» » »
» » »	»	1426	»	» » »
R. P. Joannes de Mauberto	»	1427	»	» » »
» » »	»	1428	»	» » »
» » »	»	1429	»	» » »
» » »	»	1430	»	» » »
» » »	S. Audomari	1431	»	» » »
» » »	» »	1432	12 Aprilis Lavalli	R. P. Joannes Giraud.
» » »	» »	1433	»	» » »
» » »	» »	1434	»	» » »
» » »	» »	1435	»	» » »
» » »	» »	1436	12 Junii Clissii	» Idem »
» » »	» »	1437	»	» » »
» » »	» »	1438	18 Junii Clissii	» Idem »
» » »	» »	1439	»	» » »
» » »	» »	1440	»	R. P. Theobaldus Linger.
» » »	» »	1441	»	» » »
R. P. Joan. de Mauberto (1)	» »	1442	»	» » »
» » »	» »	1443	»	R. P. Geraldus Bonotilli.
» » »	» »	1444	»	» » »
» » »	» »	1445	»	» » »
» » »	» »	1446	Clissii	» Petrus Leger.
R. P. Joannes de Mauberto	Electus S. Audomari	1447	»	» » »
» » »	» » »	1448	»	» » »
» » »	» » »	1449	Ollonnae	» Geraldus Bonotilli.
» » »	(Obiit 24 Augusti 1450)	1450	»	» » »
R. P. Theodoricus Auriga	Electus Barchinonae	1451	»	» » »
» » »	» »	1452	»	» » »
» » »	» »	1453	Bercorii	» » »
R. P. Joannes Quiefdebet	Basileae	1454	5 Aug. Clissii	» Guillelmus Picard.
» » »	»	1455	»	» » »
» » »	»	1456	»	» » »
» Theodoricus Auriga	Fontiniaci (2)	1457	12 Apr. Fontiniaci	» Joannes Fournier.
» Joannes Maugin	Romae	1458	Ollonnae	» » »
» » »	»	1459	»	» » »
» » »	»	1460	Lavalli	» Joannes Macrifortis.
» Zeguerus de Dixmuda	Salmanticae	1461	»	» » »
» » »	»	1462	»	» » »
» » »	»	1463	Ambasiae	» Joannes Fournier.
» Joannes Macrifortis	Mechliniae	1464	»	» » »
» » »	»	1465	»	» » »
» » »	»	1466	Ancenisii	» Petrus Girard.
» Joannes Philippi	Montislucii	1467	»	» » »
» » »	»	1468	Magduni	» »
» » »	»	1469	»	» Guillelmus de Bertho.
» Franciscus Blonde	Palentiolae	1470	»	» » »
» » »	»	1471	»	» » »
» Joannes Chroin	Basileae	1472	Fontiniaci	» Joannes de Bertho.
» » »	»	1473	»	» » »
» » »	»	1474	Fontis Rupellae	» » »
» Joannes Philippi 2[do]	Odomaropolis.	1475	Clissii	» Guillelmus de Bertho 2°.
» » »	»	1476	Fulgerii	» » »
» » »	»	1477	»	» » »
» Guillelmus de Bertho	Castrirodulphi	1478	Castrirodulphi	» Joannes de Bertho 2°.
» » »	»	1479	Savenaii	» » »
» » »	»	1480	Tertollii	» » »
» Joannes Philippi 3°	Montislucii	1481	Mirabelli	» Oliverius Maillard.

(1) Vicarius Generalis totius familiae Uultramontanae per Breve Apostolicum anno 1443.

(2) Capitulum Generale Fontiniaci ordinavit Vicarios Provinciales non posse continuari ultra triennium, et ob bullam Callixti III remisit electiones Vicarii Generalis ad Capitulum Generale Mediolanense ubi tres praesentati sunt Ministro Generali qui elegit R. P. Theodoricum Auriga.

Vicarius Generalis	*Comitia Generalia*	*Tempus*	*Comitia Provincialia*	*Vicarius Provincialis*
R. P. Joannes Philippi	Montislucii	1482	Fontiniaci	R. P. Oliverius Maillard.
» »	»	1483	Magduni	» » »
» Joannes Chroin 2°	Brugis	1484	Ancenisii	» Joannes Cabut.
» »	»	1485	Ambasiae	» » »
» »	»	1486	Choleti	» » »
» Oliverius Maillard	Prope Tholosam	1487	Ollonnae	» Joannes Le Moyne.
» »	»	1488	Argentonii	» » »
» Joannes Chroin, 3°	Fontis Rupellae	1489	Lavalli	» » »
» »	»	1490	Fulgerii	» Joannes Cabut 2°.
» »	»	1491	Clissii	» » »
» »	»	1492	Bercorii	» » »
» Oliverius Maillard 2°	Florentiae (1)	1493	Robinieriarum	» Joannes Anasci.
» »	»	1495	Tertolii	» » »
» Franciscus Segara	Tholosae	1496	7 April. Flixiae	» Joannes Le Moyne 2°.
» »	»	1498	Castrirodulphi	» Joannes Cabut 3°.
» Oliverius Maillard 3°	Mechliniae	1499	Mirabelli	» Guillelmus Couri.
» »	»	1500	Fontiniaci	» » »
» Martialis Boulier	»	1502	Alliensi	
» »	»	1503	Savenaii	» Joannes Briand.
» Joannes Silvestri	Lavalli	1505	5 Maii, Lavalli	» » »
» »	»	1506	Ancenisii	» Guillelmus Couri 2°.
» »	»	1507	Ambasiae	» Paulus Burelli.
» Martialis Boulier 2°	Barchinonae	1508		
» »	»	1509	Croslaii	» Petrus Pichereau.
» Gilbertus Nicolaus	Rapistani	1511		
» »	»	1512	Bodilio	» Petrus Guignard.
» »	»	1513	Choleti	» » »
R. P. Martialis Boulier 3°	Antuerpiae	1514	Ollonnae	R. P. Aegidius Vincendelli.
» Gilbertus Nicolas 2°	Rothomagi	1516	Angelorum	» » »
» » »	» (2)	1517	Argentonii	» Petrus Guignard.

SERIES MINISTRORUM PROVINCIALIUM PROVINCIAE TURONIAE PICTAVIENSIS.

	Ministri Provinciales	*Tempus*	*Comitia Provincialia*	*Obitus dies et locus.*
1	R. P. Petrus Guignard	1517	Romae	
2	» Aegidius Vincendeau	1520	14 Octob. Magduni	24 Januarii 1523, Magduni.
3	» Oliverius Favet	1523	16 April. Tertollii	3 April. 1537, »
4	» Petrus de Capella, 1ª vice	1526	Fulgerii	
5	» Jacobus Regnard, 1ª vice	1529	12 Julii, Castrirodulphi	
6	» Petrus de Capella, 2ª vice	1532	9 Julii, S. Mart. a Telleyo	
7	» Ludovicus Andreas, 1ª vice	1535	D. 4 p. Pasc., Fontiniaci	
8	» Petrus de Capella, 3ª vice	1538	D. 4 p. Pasc., a Closis	28 Aug. 1538, Choleti.
9	» Jacobus Regnard, 2ª vice	1539	Balmetae.	
10	» Ludovicus Andreas, 2ª vice	1541	4 Julii, Lavalli	25 Oct. 1555, Croslaii.
11	» Jacobus Regnard, 3ª vice	1544	Pentecostes, Ambasiae	29 Dec. 1547, Lavalli.
12	» Oliverius Bertrand	1547	Croslaii	21 Junii 1554, Parisiis.
13	» Benedictus Le Frère	1549	Ambasiae	30 Nov. 1549, Lugduni.
14	» Hieronymus Batterel	1550	14 Julii, Ollonae	22 Aug. 1554, Fulgerii.
15	» Gabriel Chappuys	1552	2 d. Julii, Argentonii	22 Maii 1567, Ambasiae.
16	» Joannes Le Coureur	1555	Clissii	2 Oct. 1556, Fulgerii.
17	» Franciscus Boisgantier	1556	18 Oct. Fulgerii	
18	» Antonius Fabri Dartigny	1557	1 Nov. Croslaii	17 Sept. 1559, in Monte Senesii.
19	» Joannes Gorabault	1559	18 Oct. Tertolii	14 Febr. 1562, Ancenisii.
20	» Renatus Sion, 1ª vice	1562	14 Julii, Clissi	
21	» Michael Collin	1565	22 » Flexiae	1ª Decemb. 1577, Lavalli.
22	» Godefridus Gillot	1568	22 » Bercorii	20 Sept. 1584, Flexiae.

(1) In posterum duo tantum Capitula Provincialia celebrabantur in triennio.

(2) Hoc anno 1517 celebratum est Romae Capitulum Generalissimum et auctoritate summi Pontificis Leonis X Provincia nostra fuit erecta cum Ministro Provinciali et dicta *Provincia Pictaviensis in Tauronia.*

Ministri Provinciales	*Tempus*	*Comitia Provincialia*	*Obitus dies et locus.*
23 » Renatus Sion, 2ª vice	1571	22 » Ancenisii	30 Oct. 1571, Lavalli.
24 » Joannes Porthaesius (1)	1572	26 » Balmetae	1611, Ollonnae.
25 » Rolandus Georgius	1576	7 Aug. Ambasiae	26 Febr. 1599, Savenaii.
26 » Guido de Legibus	1580	16 Aug. Argentonii	
27 » Franciscus Dionysius	1583	8 Maii, Ambasiae	7 April 1617, Castrigonterii.
28 » Joannes Benedicti	1587	15 Julii, Clissii	9 Augusti 1592, Lavalli.
29 » Petrus Boistard	1590	6 Januarii, Flexiae	26 April. 1591, Flexiae.
30 » Petrus Renoul	1592	D. 4 Paschae, Lavalli	25 Augusti 1594, Bercorii.
31 » Joannes Pioulus	1595	10 Junii, Castrirodulphi	11 Julii 1616, Lavalli.
32 » Ludovicus Benedicti	1598	8 » Ancenisii	
33 » Joannes Pean	1601	22 Julii, Ollonnae	25 Sept. 1625, Ambasiae.
34 » Petrus Macé	1604	In Ascens. Ambasiae.	Castrigonterii.
35 » Petrus Le Mercier	1607	In Ascensione, Clissii	14 Maii 1616, Biturigis.
36 » Renatus Gasnier, 1ª vice	1610	14 Julii, Savenaii	
37 » Joannes Roussière	1613	13 » Croslaii	30 Septemb. 1620, Lavalli.
38 » Joannes Clerici, 1ª vice	1616	21 » Angelorum	
39 » Renatus Gasnier, 2ª vice	1619	24 Maii, Lavalli	1ª Novemb. 1642, Pretigniaci.
40 » Julianus Mothais	1622	Argentonii	29 Aug. 1624, Castrorodulphi.
41 » Joannes Clerici, 2ª vice	1625	14 Sept. Ancenisii	
42 » Alanus Sauvé	1629	24 Junii, Fontiniaci	25 Aug. 1659, Castrigonterii.
43 » Petrus Moreau	1632	14 Aug. Choleti.	1 Decemb. 1652, Choleti.
44 » Joannes Clerici, 3ª vice	1635	7 Septemb. Tertolii	15 Januarii 1664, Lavalli.
45 » Pardulphus Perouli	1638	24 Julii, de Bodelio	12 Junii 1665, Bercorii.
46 » Vincentius Porthaisius, 1ª vice	1642	24 Junii, Ollonnae	
47 » Claudius Caius	1645	30 Sept. Lavalli	15 Junii 1655, Flexiae.
48 » Guillelmus Clerici, 1ª vice	1648	17 Sept. Castrirodulphi	
49 » Vincentius Porthaisius, 2ª vice	1651	20 Octobr. Ambasiae	
50 » Joannes Périer	1654	22 Aug. Bercorii	4 Januarii 1658, Choleti.
51 » Guillelmus Clerici, 2ª vice	1657	19 Oct. Savenaii	
52 » Vincentius Porthaisius, 3ª vice	1660	13 Junii, Angelorum	4 Julii 1662, Biturigis.
53 » Andreas Formi	1663	10 » Ancenisii	15 Jan. 1664, Choleti.
54 » Franciscus Segret	1666	» » Ambasiae	
55 » Guillelmus Trouillet	1669	13 » Choleti	
56 » Philippus Greffier	1672	22 Sept. Insulae Bocardi	25 Martii 1674, Parisiis.
57 » Vincentius Le Hirbec	1675	26 Oct. Ancenisii.	
58 » Joannes Le Hirbec	1678	17 Sept. Pretigniaci	

Fr. J. Le Hirbec, *Minister Provincialis*

L. ✠ S.

Fr. S. Perier, *Secretarius.*

Hanc historiam Conventuum Provinciae nostrae Turoniae Pictaviensis veram esse ac originalibus fragmentis quae potuerunt Patres nostri grassantis haeresis igni subripere et ab incendio domorum nostrarum generali salvare conformem et similem testamur nos subsignati, quam ideo mittimus ad Reverendum admodum Patrem Petrum Esporin, Lectorem Jubilatum Sanctique Officii qualificatorem ac totius Ordinis Procuratorem Generalem, ut ei fidem concedat, et inter caeteras aliarum Provinciarum historias collocare dignetur.

Datum in Conventu Lavalli Observantiae Regularis Sancti Francisci, die 20 Februarii anni Domini millesimi sexcentesimi octuagesimi, sub majori dictae Provinciae sigillo et Chyrographo nostro et Secretarii nostri.

Fr. J. Le Hirbec, *Minister Provincialis.*

L. ✠ S.

Fr. S. Perier, *Secretarius.*

(1) Anno 1571, Pius V statuit, Provincialatum esse quadriennale, quod duravit usque ad annum 1587, in quo Sixtus V reddidit triennale.

V.

BIBLIOGRAPHIA

—

Beato Giovanni Buralli, periodico bimensile pel suo VI Centenario. Parma, tipografia della SSma Nunziata. 1888.

Hujus periodici, cura Adm. R. P. Ministri Observantis Provinciae Bononiensis editi, jam in luce prodierunt octo priores fasciculi. Ejusdem est scopus, uti alias diximus, Beati Joannis Parmensis, septimi Generalis Ordinis nostri et Doctoris Seraphici decessoris, memoriam cultumque promovere, recurrente sexto mortis centenario. Pro associatione (Lib. 4 annuae) scribendum Directori, *Convento della SS. Nunziata, Parma.*

Bernardino Gonzalez, Min. Obs. — Exámen Critico en el terreno de la Filosofia sobre el folleto intitulado *Derecho Politico* ó el Liberalismo por el R. P. Fr. Bernardino Gonzalez, Misionero Apostolico de los Descalzos. Lima, Imprenta de « el Comercio » por J. R. Sanchez. 3ª Quadra de Ayacucho nº. 44, 1887. Pag. 168.

Piatus (P.) Montensis, Min. Cap. — Praelectiones Juris Regularis ad usum Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci Capuccinorum Provinciae Belgicae, auctore F. Piato Montensi, Ord. F. F. Min. S. Fr. Capuccinorum, SS. Canonum Lectore, necnon SS. Canonum in Universitate catholica Lovaniensi Licentiato. Tornaci, apud V. H. Casterman, edit. pontif. episcopatus typographum. 1888. Tomus Primus. Pag. XVIII — 542.

Romanet du Caillaud. — Parallèle entre la vocation apostolique de Saint Thomas et celle de l'Ordre de St François, par F. Romanet du Caillaud. — Bordeaux, Imprimerie du Centre, 30. Place Pey-Berland, 1888.

Stephanus Schoutens, Min. Rec. — Maria's Henegouw of Beschrijving van de Wonderbeelden en merkweerdige Bedevaartplaatsen van O. L. Vrouw in de provincie Henegouw, door P. Fr. Stephanus Schoutens, Minderbroeder Recollect.-Lier, Joseph van In Cie Drukkers-Uitgevers, Rechtestraat, 48. In-8°, pag. 126; — 1888 (*Latine:* Hannonia Mariana sive historia statuarum prodigiosarum et peregrinationum B. M. V. in provincia Hannoniae) Pret. 0, 85).

Ejusdem auctoris: Leven van den Zaligen Rogerius (Vita B. Rogerii, ex *Analectis Bollandianis.*) — Anvers, Vanos, vol. in-8° pag. 39.

Stephanus Zlatović, Min. Obs. — Zivotopis otca Spira Tomića zasložnoga za vjeru, red i domovinu Franovca redodržave presvetoga odkupitelja u dalmaciji napisao O. Stipan Zlatović član istog reda i države. — Zagreb, Tisak Dionicke tiskare. 1888. (pag. 93.)

VI.

NECROLOGIA

—

Adm. R. P. Michelangelus Puglia a Regio, die 27 Aprilis 1806 exortus, a pueritia pietate bonisque litteris excultus, adolescens Deo se dicavit Bononiae inter Minores Observantes. Altioribus disciplinis vacans ita profecit, ut earum Magister fieri meruerit, easque Ferrariae, Regii, Bononiae perplures alumnos docuerit. Studiis adjecit eximiam pietatem in Christum patientem ejusque Matrem perdolentem. Provinciae suae praefecturam, licet reluctans, retulit, eamque prudentia et exemplo rexit. Alia honorabilia sortitus est munera etiam extra Ordinem. Varia scripsit opuscula de cultu Deiparae, aliaque non pauca, quae prae constanti modestia manuscripta permanserunt. Meritis tandem cumulatus annisque 81 gravatus, apoplexi tactus, pie decessit die 23 Februarii 1887, ab omnibus lacrymatus. R. I. P.

R. P. Deodatus Salvucci a S. Donato, Obs. Provinciae Romanae filius et Missionarius apostolicus in Vicariatu Chan-tong septentrionali, die 14 Aprilis nuper elapsi, supremum diem clausit Sacramentis munitus et lugentibus orantibusque christianis circumdatus. Annos solummodo 45 natus, septemdecim transegerat in hoc Vicariatu, Sinensium saluti zelanter incumbens. Tertius est apostolicus operarius, qui ab anno nondum elapso ex hoc Vicariatu ad Deum migravit; ideo enixe exorat Rmus Beniaminus Geremia, Vicarius apostolicus, Dominum messis, ut novos operarios in messem suam Sinensem mittere dignetur.
R. I. P.

Reformata Provincia Immaculatae Conceptionis B. V. M. in Borussia et Magno Ducatu Posnaniensi, cujus tantummodo vestigia supersunt post suppressionem anni 1875, suum Patrem ac Fundatorem amisit die 19 Maji 1888, Adm. R. Patrem PACIFICUM BYDLOWSKI.

Natus Suchore, czeki in Magno Ducatu Posnaniensi die 21 Augusti an. 1810 et sub nomine Vincentii Nephori in aqua et SPIRITU SANCTO renatus die 23 Augusti ejusdem anni, Ordinem nostrum in Reformata Provincia Mariano-Borussica B. M. V. Assumptae amplexus est die 10 Maji anni 1830. Professionem emisit juxta Regni leges die 25 Maji 1832 ac 1 septembris 1833 ad Sacrum Presbyteratus Ordinem promotus fuit. Vir fuit vere pius ac Ordinis amator, et ipsius praesertim opera anno 1855 erecta est Provincia Immaculatae in Borussia ex Conventibus a Provincia Mariano-Borussica separatis, et ejusdem primus Provincialis designatus fuit a Rmo Venantio a Celano in Decreto erectionis Provinciae d. d. 12 Maji 1855.

Anno 1871 in Congressu Definitorii Generalis die 7 Junii habito, propositus fuit Definitor Generalis in locum defuncti p. m. Agapii Dank, Provinciae Marianae in Hungaria et propositio approbata est per Rescriptum S. Congr Epp. et Reg d. d. 16 Junii ejusdem anni. Romam venit et de sua pietate, aliisque animi dotibus pergratam memoriam reliquit, cum in Provinciam, expleto Definitoris Generalis officio rediit. Suppressa an. 1875 per leges Maji ut audiunt, Provincia, mansit in Conventu Goruskensi, et cum utcumque compositis rebus inter S. Sedem et Borussicum Gubernium aliqua spes effulserit Provinciae restituendae, anxia veluti sollicitudine omnia pertentavit, sed frustra. Ad Collegii nostri Antoniani de Urbe aedificationem, quae potuit, omnia contulit.

Post brevem morbum ex inflammatione pulmonum, omnibus Ecclesiae Sacramentis munitus, obiit in Conventu Goruskensi die 19 Maji 1888, anno aetatis 78 et religionis 58.

Anima ejus in pace quiescat, ac uti speramus, in coelum recepta impetret inter populum polonici labii Ordinis nostri resurrectionem. R. I. P.

Die 16 proximi elapsi Junii Provincia Discalceatorum Lyciensis magnam passa est jacturam morte Adm. Rdi Patris ARCHANGELI RAPHAELIS A MARIA DOLOROSA, non multis antea diebus, secunda vice, in Definitorem electi. — Ortum habuit optimus Pater in oppido S. Martiani, Archidioecesis Tarentinae, die 17 Novembris anni 1817, et viridi aetate sexdecim annorum Ordinem est ingressus, ubi expleto studiorum cursu, honorifice Philosophiae ac Theologiae Lectoris examen subiit, quas facultates postea alumnos suae Provinciae laudabiliter docuit. Deinde omnia illius Provinciae Officia sibi commissa fuere. Fuit enim Guardianus, Definitor, Minister Provincialis ac Custos, et ista duo posteriora temporibus vere difficillimis, quae tamen semper mirabili prudentia ita exercuit, ut non ab amicis tantum, sed et ab inimicis magna in reverentia haberetur. Donec vires non defuerunt, ad audiendas Confessiones praesto omni tempore fuit, atque, ob adversam semper valetudinem, moderate etiam verbum DEI tam quadragesimali praedicatione, quam Missionibus nuntiavit. — Expulsis fratribus e Coenobiis, custos propriae Ecclesiae Lyciensis, ubi a vigintiquinque fere annis jam degebat, renuntiatus, assiduis curis et cujuscumque generis sacrificiis hanc ecclesiam divino cultui asservavit. Summopere quoque incubuit, ut pars saltem proprii Conventus cederetur habitationi Fratrum, et maxima cordis sui laetitia desiderium suum adimpletum vidit. At vir vere religiosus et ideo omnibus charus, consumptus laboribus ac diuturnis infirmitatibus, aequo animo fertis, inter lacrymas Confratrum et consanguineorum, Sacramentis munitus, placidissime ex hoc mundo ad coelum, uti sperare licet, migravit die supra dicta. Attamen oremus pro eo.

R. I. P.

Nihil obstat

FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

Ad omnes locorum Ordinarios communionem habentes cum Apostolica Sede

EPISTOLA ENCYCLICA

S. Romanae et Universalis Inquisitionis.

Interest quam maxime hujus Apostolicae Sedis scire, quinam sint effectus matrimoniorum, quae vocant mixta, quae nempe catholici ineunt sive cum acatholicis sive cum non baptizatis; et probe nosse, utrum religio catholica ex eis, et praesertim ex illis quae cum Apostolica dispensatione contrahuntur, aliquid lucri, an potius detrimenti capiat. Ne igitur omnibus locorum Ordinariis grave sit, pro ea qua praestant solertia et animarum zelo, haec omnia diligentius exquirere, et infra annum hanc S. Sedem edocere. Et praesertim curent renunciare:

1.° Quot in superiori decennio matrimonia mixtae religionis, quot disparitatis cultus in Dioecesi seu Vicariatu cum dispensatione Apostolica, quot sine ea inita fuerint.

2.° Quod ad ea quae cum dispensatione Apostolica inita vel revalidata fuerunt, utrum datae cautiones fideliter observatae fuerint. Sin minus quot eas violaverint; idest quot conjuges catholici fidei suae jacturam passi fuerint, quot de filiis in catholica religione educandis datam fidem fefellerint.

3.° Quod ad ea quae sine ulla prorsus dispensatione Apostolica inita sunt, qua in religione baptizentur et instituantur filii ex eis suscepti, quot conjuges catholici in sua religione permanserint, quot ab ea defecerint.

4.° Quo numero sint in Dioecesi seu Vicariatu catholici, quot acatholici, quot non baptizati.

Et quaecumque alia praeterea ad rem facere vel animadvertere existimaverint. (1)

Datum Romae ex S. Officio, die 18 Iulii 1888.

R. Card. MONACO.

—

DECRETUM S. R. C.

Quo jam statuta de sacri Rosarii ritu toto mense Octobri celebrando confirmantur, Officiumque proprium cum Missa pro festo SS. Rosarii approbantur.

URBIS ET ORBIS.

Diuturnis Ecclesiae acerbitatibus, ac temporum quotidie invalescente difficultate commotus, Sanctissimus Dominus Noster LEO PAPA XIII cunctos a sui Pontificatus exordiis ubique christianos excitare non destitit ad Deiparam Virginem MARIAM sacri Rosarii ritu colendam atque implorandam. Inter cetera quae praeclare edocuit in sua prima de Rosario Encyclica (1 Septembr. 1883) ait: *Divini necessitas auxilii haud sane est hodie minor, quam cum magnus Dominicus, ad publica sananda vul-*

(1) A S. C. de Propaganda Fide hanc Encyclicam recepimus ad Vicarios apostolicos Ordinis nostri transmittendam. Rogamus eosdem Rmos Vicarios ut expetita responsa ad praefatam Cong. de Propaganda Fide, sive directe, sive per Curiam generalitiam remittere velint. (*N. Red.*)

nera, Marialis Rosarii usum invexit. Ille vero caelesti pervidit lumine, aetatis suae malis remedium nullum praesentius futurum, quam si homines ad CHRISTUM, *qui* VIA, VERITAS ET VITA EST, *salutis per Eum nobis partae crebra commentatione rediissent; et Virginem illam, cui datum est cunctas haereses interimere, deprecatricem apud* DEUM *adhibuissent. Idcirco sacri Rosarii formulam ita composuit, ut et salutis nostrae mysteria ordine recolerentur, et huic meditandi officio mysticum innecteretur sertum ex angelica salutatione contextum, interjecta oratione ad* DEUM *et Patrem Domini Nostri* JESU CHRISTI. *Nos igitur non absimili malo idem quaerentes remedium, non dubitamus quin eadem haec a beatissimo viro, tanto cum orbis catholici emolumento, inducta precatio, momenti plurimum habitura sit ad levandas nostrorum quoque temporum calamitates.* Pontificiae voluntati permagna animorum alacritate et concordia ubique locorum obtemperatum est, *ut luculenter apparuerit quantus religionis et pietatis ardor extet in populo christiano, et quantam in caelesti* MARIAE *Virginis patrocinio spem universi reponant* (Encyclica 30 Augusti 1884). Hujusmodi porro spei veluti praeclarus fructus, jure nunc accenseri debet memorabile factum, quod hoc anno, sacerdotii ejusdem Sanctissimi Domini Nostri quinquagesimo, DEUS ostendit: mirandum profecto publicae religionis et fidei exemplum, pulcherrimum honestissimumque pietatis certamen in toto christiano orbe inter omnigenas laetitiae significationes exhibitum. Omnes hominum ordines, vel ex dissitis terrarum partibus, gestierunt prosequi Pontificem Summum, beati Petri successorem, omni genere officii: legationibus, litteris, peregrinationibus etiam longinquis ultro susceptis, oblatisque ingenti numero et effusa magnificentia muneribus, de quibus verissime dictum est, materiam et opus propensione superari voluntatis. *Qua* scilicet *in re admirabiliter fulget* DEI *benignitas et virtus, qui in magnis Ecclesiae laboribus vires ejus confirmat ac fulcit: qui pro nomine suo certantibus solatia tribuit: qui providentiae suae consilio ex malis ipsis uberem bonorum messem educit: fulget item Ecclesiae gloria, quae originis vitaeque suae vim divinam ostendit ac divinum, quo regitur vivitque, spiritum: quo fit, ut fidelium mentes et voluntates uno eodemque vinculo invicem, itemque cum supremo Ecclesiae Pastore jungantur* (Allocut. Consistor. 25 Novembr. 1887).

Jamvero id perpendentes Catholicorum gentes, dum inferorum portae quotidie audaciores fiunt in bello adversus Ecclesiam urgendo, probe sentiunt quantopere oporteat in potentissimam DEI Matrem augere fervorem, augere fiduciam, ut per Rosarii preces exorata, nomini Christiano et Apostolicae Cathedrae propitia succurrat: memores velle DEUM donorum suorum continuationem atque implementum *non solum bonitatis suae, sed etiam perseverantiae nostrae esse fructum* (Breve Apost. 24 Decembr. 1883).

Quapropter ad gratias agendas pro acceptis beneficiis, et pro concedendis enixius deprecandum, Beatissimus Pater quae superioribus annis per Suas Encyclicas, et per Sacrorum Rituum Congregationis Decreta (20 Augusti 1885 — 26 Augusti 1886 — 11 Septembris 1887) de salutaris sacri Rosarii ritu, praesertim toto mense Octobri celebrando, statuit et hortatus est; eadem omnia hoc vertente anno fieri mandat ac vehementer hortatur. Et quoniam plura de ampliori cultu liturgico magnae Virgini sub titulo Rosarii exhibendo jam decrevit; novum addere adhuc volens incrementum, sacrum festum ejusdem Rosarii solemnitatis, Dominicae primae Octobris adsignatum, *OFFICIO PROPRIO CUM MISSA* decoravit, illudque ab utroque Clero in posterum recitari praecepit, juxta schema, quod a se recognitum et probatum, per eamdem Sacrorum Rituum Congregationem hac ipsa die edi mandavit.

Nonis Augusti, in Festo Beatae MARIAE Virginis ad Nives anno 1888.

A. Card. BIANCHI, *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S.

LAURENTIUS SALVATI, *S. R. C. Secret.*

—

BREVE BENEDICTI XIV

Quo diversa confirmantur privilegia, scilicet:

1.° *Unius altaris privilegiati in singulis Ordinis ecclesiis pro Missis a Nostratibus celebrandis in altari ab Ordinariis locorum semel designandis.*

2.° *Ut Religiosi senes, infirmi aut debiles in valitudinario diversantes, visitando ejusdem valetudinarii oratorium, lucrari possint easdem indulgentias ac si Ordinis ecclesiam visitarent.*

3.° *Ut altare privilegiatum* (de quo in 1.°) *extendatur ad ecclesias Monialium Nostrarum pro Missis a Fratribus Minoribus celebrandis, et ad oratorium valetudinarii pro Missis a senibus vel infirmis ibidem celebrandis.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem tenuitati Nostrae credidit Altissimus, liberaliori manu elargiri non dubitamus ad levamen et solamen animarum Christifidelium, quae ex hac vita migrantes, in charitate DEO conjunctae, in purgatorio detinentur, ut quantocius ad sempiternam beatae felicitatis stationem in caelis perducantur. Sane Nobis alias humiliter oblati fuerunt supplices libelli tenorum sequentium: Ac primo quidem:

« Beatissime Pater,

« Frater Raphael a Lugagnano, Ordinis « Fratrum Minorum S. Francisci Minister Ge- « neralis, ad pedes Sanctitatis Vestrae humil- « lime provolutus exponit, quod san. mem. « Benedictus XIII sub die 14 Decembris 1725 « dignatus fuit omnia altaria privilegiata quo- « tidiana, variis ecclesiis dicti Ordinis in per- « petuum jam concessa, approbare et confir- « mare: iis ejusdem Ordinis ecclesiis, quae « tali privilegio quotidiano in perpetuum non « gaudebant, concessit illud, sed proportionate « ad Missarum numerum, quae in illis cele- « brantur; pro quatuor Feriis iis, in quibus « viginti; pro tribus, in quibus quindecim; « et sic gradatim. Cum autem, Beatissime Pa- « ter, comprobaverit experientia, hoc minime « sufficere ad satisfaciendum populorum devo- « tioni, et ex alia parte quotidie insurgant dif- « ficultates ex eo, quod non semper idem Mis- « sarum numerus in dictis ecclesiis celebretur, « nec celebrari valeat; ideo enixe Sanctitati « Vestrae supplicat Orator, ut, praevia revo- « catione privilegii altarium pro determinatis « hebdomadae Feriis, ut supra, per san. mem. « Benedictum XIII concessi, dignetur cuilibet « ecclesiae Fratrum Oratoris jurisdictioni sub- « jectae, altari privilegiato quotidiano perpetuo « non decoratae, *unum* concedere *ab Ordina-* « *riis locorum semel designandum;* et hoc per « Rescriptum, seu aliter, ut Sanctitati Vestrae « benevisum fuerit. Et Deus etc. — Sanctis- « simo Domino Nostro Benedicto Papae XIV. « — Pro Ministro Generali Ordinis Fratrum « Minorum S. Francisci.

« Rescriptum Sanctissimi.

« Ex Audientia Sanctissimi die 17 Decembris 1748.

« Sanctissimus benigne annuit pro gratia « juxta petita; pro Missis tamen, quae a Fra- « tribus Minoribus S. Francisci in *altaribus* « *per Ordinarios respective designandis* celebra- « buntur (1); et voluit etiam, gratiam hujus- « modi per hoc praesens Rescriptum perinde « valere, ac si per Apostolicas Litteras in forma « Brevis solitis omnibus muniti clausulis expe- « dita fuisset.

« JOSEPH LIVIZZANI, *Secretarius.*

Alter vero:

« Beatissime Pater,

« Frater Carolus Maria Perusinus, Com- « missarius Generalis Curiae Ordinis Minorum « de Observantia, Orator obsequentissimus ad « pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolu- « tus, omni cum animi demissione exponit, « qualiter san. mem. Benedictus XIII sub die « 24 Aprilis 1725 indulsit omnibus Fratribus « infirmis, senibus et imbecillibus Ordinis Mi- « norum Capuccinorum, qui propterea semper « in valetudinario diversantur, in ejusque ora- « torio Sacrum faciunt, suasque ad DEUM pre- « ces effundunt, ut in eodem oratorio seu sa- « cello lucrari possint singulas Indulgentias, « quae in posterum a Summis Pontificibus « suis pro tempore Successoribus ecclesiis to- « tius Ordinis concederentur. Hinc Orator hu-

(1) Cfr. *Acta* hujusce anni pag. 34, ubi per aliud Breve conceditur indultum Altaris privilegiati in Missis, quae pro Religiosis nostris vita functis celebrantur ad quodcumque Altare ecclesiarum nostrarum.

« millimus, summa fretus Sanctitatis Vestrae « charitate et clementia, qua Ordinem suum « prosequitur, supplicat, ut eamdem gratiam « impertiri dignetur Fratribus et Monialibus « jurisdictioni Ministri Generalis totius Ordi- « nis Minorum subjectis, qui aut quae senes, « infirmi, aut imbecilles in valetudinario diver- « santur, nec ecclesiam adeunt, sed in interno « oratorio aut sacello preces suas ad DEUM « effundere solent, quoad Indulgentias hucusque « concessas et in posterum a Summis Ponti- « ficibus concedendas ecclesiis ejusdem Ordi- « nis: Pro qua gratia etc.

« Ex Audientia Sanctissimi die 11 Septem- « bris 1755.

« Sanctissimus petitis annuendo pro gra- « tia, benigne concessit, ut Fratres ac Monia- « les Ministri Generalis Ordinis Minorum Ob- « servantium jurisdictioni subjecti, qui ex in- « troscriptis causis senectutis, infirmitatis ac « imbecillitatis in valetudinariis diversantur, « visitato oratorio aut sacello, in eodem va- « letudinario existente, Indulgentias, de quibus « in precibus, lucrari possint et valeant, ac si « ecclesias ejusdem Ordinis visitarent; reli- « quis expletis juxta praescriptum explendis.

« J. C. BOSCHI, *Secretarius*.

Tertius tandem:

« Beatissime Pater,

« Frater Carolus Maria Perusinus, Com- « missarius Generalis Curiae Ordinis Minorum « de Observantia, ad pedes Sanctitatis Vestrae « humillimus Orator provolutus exponit, quod « cum P. Raphael a Lugagnano, praeteritus « Minister Generalis Ordinis, Sanctitati Vestrae « supplicaverit pro altari privilegiato quoti- « diano perpetuo in qualibet ecclesia Fratrum « ejus jurisdictioni subjecta, Sanctitas Vestra « clementer pro gratia indulsit, prodiitque Re- « scriptum.

« Ex Audientia Sanctissimi die 17 Decem- « bris 1748.

« Sanctissimus benigne annuit pro gratia « juxta petita etc. *(ut supra)*.

« Nunc vero Orator obsequentissimus, « cum non videat in eodem Indulto compre- « hensas quoque ecclesias Sanctimonialium « ejusdem Ministri Generalis jurisdictioni sub- « jectas, et aliunde sciat, orta esse hac de re « dubia inter Fratres: omni cum animi de- « missione supplicat, ut sua paterna clementia « dignetur Sanctitas Vestra declarare, etiam an- « tedictas Monialium ecclesias in relato Indulto « esse comprehensas. Cum porro Fratres se- « nes, infirmi aut imbecilles ejusdem Ministri « Generalis jurisdictioni subjecti hac gratia « gaudere non possint, ut qui semper in vale- « tudinario diversantur, in ejusque oratorio Sa- « crum dumtaxat faciunt; hinc idem Orator « omni cum animi demissione supplicat San- « ctitati Vestrae, ut dignetur declarare *altare « privilegiatum quotidianum perpetuum, illud* me- « morati oratorii seu *sacelli valetudinarii* pro « iisdem tantum Fratribus. Pro quibus gra- « tiis etc.

« Ex Audientia Sanctissimi die 22 Septem- « bris 1755.

« Sanctissimus, petitis benigne annuendo, « gratiam *altaris privilegiati,* de qua in preci- « bus, etiam *ad ecclesias Monialium,* Ministri « Generalis Ordinis Minorum Observantium « jurisdictioni subjectas benigne extendit, pro « *Missis* tamen praedictis in ecclesiis a *Fratri- « bus ejusdem Ordinis* celebrandis, forma enun- « ciati Rescripti Sanctitatis Suae in reliquis « observata. Idemque privilegium *altaribus in « oratoriis valetudinariorum* respective existenti- « bus pro *Religiosis senibus,* infirmis atque im- « becillibus inibi celebrantibus clementissime « juxta petita concessit ».

I. C. BOSCHI, *Secretarius*.

Quoniam autem memoratus dilectus filius Carolus Maria Perusinus, Commissarius Generalis Curiae Ordinis Minorum de Observantia, Nobis nuper humiliter supplicari fecit, ut hujusmodi praeinsertos supplices libellos, et praeinserta Nostra Rescripta, quo firmius in perpetuum subsistant, et serventur exactius, per Apostolicas in forma Brevis Litteras confirmare de benignitate Apostolica dignaremur: ea propter, Nos, qui ipsum Carolum Mariam Perusinum, Commissarium Generalem, plurimi facimus, et inclytum Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci Institutum novis Aposto-

licae benignitatis potestatisque testimoniis amplius decorare cupimus, tenore praesentium Apostolica auctoritate confirmamus, et, quatenus opus sit, omnia et singula in eisdem Rescriptis contenta et concessa, iterum concedimus et perpetuo Apostolicae firmitatis robore munimus.

Decernentes, easdem praesentes Litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari: sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Apostolici auditores judicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariae Nostrae Apostolicae regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem, ut earumdem praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu pro tempore existentis Commissarii Generalis Curiae, et sigillo ejusdem Ordinis munitis, eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Majorem, die 21 Januarii 1756, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

Card. Cajetanus Amatus.

II.

ACTA ORDINIS

—

ELECTIO NOVI POSTULATORIS

Rmus P. Minister Generalis, audito Definitorio Generali, decreto suo diei 12 Augusti vertentis anni, novum elegit Causarum Servorum Dei Ordinis nostri Postulatorem, loco defuncti Adm. R. P. Bernardini a Cryptis Castri. Ad hoc munus assumptus est Adm. R. P. Candidus Mariotti, Obs. Provinciae Marchiae alumnus, Lector Jubilatus et nonnullorum operum auctor.

—

NOVUS TERRAE SANCTAE COMMISSARIUS

Ex Decreto Rmi P. Ministi Generalis, et approbante S. C. de Propaganda Fide institutus est novus Terrae Sanctae Commissariatus in America septentrionali Britannica, scilicet in regione Canadiensi. Ad hoc munus assumptus est R. P. Fridericus a Ghyvelde, Obs. Provinciae S. Ludovici filius et Custodiae Terrae Sanctae jam Vicarius. Qui ad civitatem Trifluvianensem die 13 Junii vertentis anni cum Fratre Laico feliciter pervenit, ibidemque sedem suam stabilivit, assentiente cum paterna benevolentia ejusdem civitatis Episcopo, Illmo et Rmo D. Francisco Laflèche. Faxit Deus, ut in hac tam catholica regione Ordo noster decursu temporis iterum florescat, traditionesque Patrum nostrorum, qui Canadensium primi extiterunt Missionarii, tandem reviviscant.

—

CAPITULA PROVINCIALIA

Anno 1888 celebrata.

XXV.

Collegium ap. de Cuzco in Rep. Peruviana.

Die 28 mensis Maii in Guardianali Capitulo apostolici nostri Collegii S. Antonii de Cuzco, canonice electi fuerunt:

Guardianus Collegii

R. P. Ignatius Leturia.

Discreti

R. P. Antonius Laurel.
R. P. Franciscus Cami.
R. P. Bernardinus Gonzales.
R. P. Leonardus Diaz.

XXVI.

Collegium apostolicum de Arequipa in Rep. Peruviana.

Die 30 Junii celebratum est Guardianale Capitulum in nostro Apostolico Collegio S. Ja-

nuarii de Arequipa; rite et canonice electi fuerunt:

Guardianus Collegii

R. P. Elias del Carmen Pasarell.

Discreti

R. P. Josephus Maria Cervera.
R. P. Daniel Ibarra.
R. P. Joannes Marti.
R. P. Leonardus Alfonso.

XXVII.

Ref. Provincia S. Antonii Genuae.

Preside Adm. R. P. Desiderio a Bononia, ex Ministro Provinciae Bononiensis et Comm. Visitatore, Capitulum celebratum fuit die 5 Julii in Conventu SSmae Visitationis Genuae et in eo rite et canonice electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Basilius a Neirone.

Custos Vocalis

A. R. P. Petrus a Riparolio, ex Min.

Definitores

R. P. Antonius a Carrodano.
R. P. Seraphinus a Sarzana.
R. P. Julius a Sigestro.
R. P. Venantius a Biassa.

XXVIII.

Ref. Provincia Bononiensis.

In Conventu S. Pauli in Monte prope Bononiam die 8 Augusti 1888 rite et canonice celebratum fuit Capitulum, Praeside Adm. R. P. Aloysio de Pedelama, Ref. Provinciae Seraphicae ex Ministro et Custode act., Comm. Visitatore, in quo electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Ferdinandus a Broni, Lect. Em.

Custos Vocalis

A. R. P. Petrus Damianus a S. Archangelo, ex Min. imm.

Definitores

A. R. P. Aloysius a Placentia.
R. P. Candidus a Nonantula.
R. P. Petrus Dominicus a Bononia.
R. P. Athanasius ab Imola.

III.

MISSIONES

—

STATUS

Missionum Catholicarum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide jurisdictioni subiectarum (1).

EUROPA.

STATUS ECCLESIAE CATHOLICAE

—

IN ANGLIA.

Archidioecesis	1
Dioeceses	14
Incolae	25.430.539
Catholici	1.439.831
Sacerdotes	2.311
Ecclesiae	1.210

IN SCOTIA.

Archidioeceses	2
Dioeceses	4
Incolae	3.604.637
Catholici	334.626
Ecclesiae	305
Sacerdotes	308
Scholae	303
Seminaria	2

IN HIBERNIA.

Archidioeceses	4
Dioeceses	23
Catholici	3.815.539
Ecclesiae et sacella	2.555
Ecclesiae parochiales	1.088
Sacerdotes	3.238

IN SUECIA ET NORVEGIA.

In Suecia:	Vicariat. apostolicus	1
»	Incolae	4.603.595

(1) Desumpsimus hunc Statum ex opere cui titulus: *Descriptio Missionum catholicarum ritus latini S. C. de Propaganda Fide subjectarum anno 1888.*

In Suecia :	Catholici	1.100
»	Sacerdotes	9
In Norvegia :	Praefect. apostolica	1
»	Incolae	1.913.000
»	Catholici	1.000
»	Sacerdotes	21

IN DANIA.

Praefectura apostolica	1
Incolae	2.000.000
Catholici	3.603
Sacerdotes	30
Ecclesiae	7
Sacella	9

IN MISSIONIBUS GERMANICIS.

Vicariatus apostolici	3
Praefecturae apostolicae	2
Incolae	6.247.563
Catholici	131.894
Ecclesiae et Sacella	78
Sacerdotes	112
Scholae	89
Alumni	9.823

IN HOLLANDIA ET LUXEMBURGO.

Archidioecesis	1
Dioeceses	5
Catholici	1.662.217
Decanatus	71
Parochiae	1.224
Sacerdotes	3.187
Seminaria	11
Alumni	1.075
Scholae	1.374

IN HELVETIA.

Praefecturae apostolicae	2
Catholici	13.487
Sacerdotes	33
Ecclesiae et sacella	68

IN PENINSULA BALCANICA.

Archidioeceses	4
Dioeceses	10
Vicariatus apostolici	2
Incolae	15.564.412
Catholici	552.077
Sacerdotes	618
Ecclesiae et sacella	594
Instituta educationis	196
Instituta charitatis	27
Seminaria	7

IN GRAECIA.

Archidioeceses	3
Dioeceses	5
Incolae	1.683.400
Catholici	36.310
Ecclesiae et sacella	170
Sacerdotes	103
Seminaria	2
Scholae	52
Alumni	1.767
Instituta charitatis	4

IN GIBILTERRA.

Vicariatus apostolicus	1
Catholici	15.300
Paroeciae	2
Sacerdotes	11

IN CANDIA.

Dioecesis	1
Catholici	600
Incolae	360.000
Sacerdotes	5

ASIA.

IN IMPERIO TURCICO ASIATICO.

Archidioeceses	2
Patriarchatus	1
Vicariatus	1
Incolae	6.798.000
Catholici	94.350
Ecclesiae et sacella	115
Stationes	80
Scholae et Collegia	439

IN PERSIA.

Dioecesis	1
Incolae	5.000.000
Catholici (ritus Chaldaei)	7.500
Sacerdotes	11

IN ARABIA.

Vicariatus apostolicus	1
Catholici	1.100
Habitantes	10.000.000

Sacerdotes	7
Ecclesiae	3
Scholae	5

IN INDIA.

Archidioeceses	7
Dioeceses	15
Praefectura	1
Incolae	233.891.972
Catholici	1.228.253
Stationes primariae	611
Ecclesiae et sacella	2.828
Instituta educationis	1.649
Alumni	74.250
Seminaria	19
Alumni	1.032
Missionarii europaei et indigenae	1.196
Orphanotrophia	100

IN PENINSULA INDO-SINICA.

Incolae	45.880.000
Catholici	601.256
Instituta educationis, Orphanotrophia	1.244
Alumni in scholis, Alumni in orphanotrophiis	24.922
Missionarii europei	281
Sacerdotes indigenae	337
Ecclesiae et sacella	1.809

IN MALESIA.

Vicariatus apostolicus	1
Praefectura apostolica	1
Catholici	39.474
Incolae Vicariatus	26.000.000
Stationes primariae	16
Stationes subsidiariae	67

IN IMPERIO SINENSI.

Vicariatus apostolici	36
Incolae	433.000.000
Catholici	541.358
Ecclesiae et sacella	2.872
Missionarii europaei	581
Sacerdotes indigenae	324
Scholae	2.409
Alumni	40.163
Seminaria	43
Alumni	953

IN REGIONIBUS SINIS ADJACENTIBUS COREA, JAPONIA.

Vicariatus apostolici	4
Incolae	46.883.812
Catholici	49.361
Ecclesiae et sacella	113
Christianitates	442

AFRICA

SEPTENTRIONALIS, CENTRALIS, MERIDIONALIS ET INSULARIS.

Archidioecesis	1
Dioecesis	1
Vicariatus apostolici	21
Praefecturae apostolicae	16
Catholici	395.000
Stationes	274
Ecclesiae et sacella	528
Sacerdotes	635
Instituta educationis	846
Instituta charitatis	103

AMERICA.

IN CANADA.

Archidioeceses	6
Dioeceses	17
Vicariatus	3
Praefecturae	4
Catholici	1.986.441
Ecclesiae et sacella	1.946
Sacerdotes	2.242
Instituta educationis	4.684
Instituta charitatis	122
Seminaria	20

IN STATIBUS FOEDERATIS AMER. SEPTENT.

Archidioeceses	12
Dioeceses	61
Vicariatus apostolici	8
Catholici	7.368.310
Sacerdotes	7.567
Ecclesiae	7.009
Sacella	1.577
Scholae parochiales	3.083
Alumni	550.771
Instituta charitatis	498

IN ANTYLLIS ET GUYANA.

Archidioecesis	1
Dioecesis	1
Vicariatus apostolici	4
Praefectura apostolica	1
Catholici	321.157
Incolae	1.340.800
Sacerdotes	173
Ecclesiae et sacella	187
Scholae	144

IN MISSIONIBUS PATAGONICIS.

Vicariatus	1
Praefectura	1
Catholici	28.000
Sacerdotes	19

COLLEGIA MISSIONUM IN AMERICA.

In Republica Mexicana,	Collegia	7
» »	Sacerdotes	103
In Republica Peruviana,	Collegia	5
» »	Sacerdotes	110
In Argentina,	Collegia	5
»	Sacerdotes	94
In Chilena,	Collegia	6
»	Sacerdotes	115
In Bolivia,	Collegia	5
»	Sacerdotes	41
In Brasiliano imperio,	Collegia	3
» »	Sacerdotes	47

OCEANIA.

IN AUSTRALIA.

Archidioeceses	4
Dioeceses	14
Abbatiae nullius	1
Vicariatus	3
Catholici	566.260
Ecclesiae et sacella	917
Sacerdotes	503
Scholae	679
Alumni	73.564
Seminaria	2

IN OCEANIA INSULARI.

Archidioecesis	1
Dioeceses	3
Vicariatus apostolici	8
Incolae	10.931.700
Catholici	168.662
Ecclesiae et sacella	595
Sacerdotes	260
Instituta educationis	375
Instituta charitatis	18

SUMMA GENERALIS.

Archiepiscopi	49
Episcopi	175
Vicarii Apostolici	98
Praefecti Apostolici	30
Sacerdotes sive Missionarii	24.632
Catholici	21.403.866

—

INSTRUCTIO
S. C. DE PROPAGANDA FIDE.

De observandis in Scholis et Collegiis, in quibus catholici et heterodoxi educantur (1).

SULLE SCUOLE E CONVITTI MISTI.

La erezione di Scuole e Convitti misti di Cattolici ed Eterodossi, che da qualche tempo sventuratamente si va rendendo ogni giorno più comune, ha indotto la S. Sede, desiderosa di provvedere alla sana istruzione dei fedeli, a richiamare in proposito i giusti principii, dare le opportune regole e porgere i necessarii avvertimenti tanto per organo del S. Offizio quanto della S. C. di Propaganda, secondo i casi che alla medesima sonosi denunciati. Nel presente foglio si è creduto conveniente di redigerne un compendio.

Sebbene vi abbia differenza tra le scuole Protestanti e Scismatiche, e generalmente parlando, maggiori forse siano i danni che hanno a temersi dalle prime, pur tuttavia non lasciano anche le seconde di essere grandemente pericolose per la gioventù cattolica. Onde con circolare dei 20 Marzo 1865 la S. Congregazione di Propaganda mentre rendeva avvertiti tutti i Vescovi Orientali del gravissimo pericolo, al quale sono esposti i giovinetti cattolici nel frequentare le anzidette scuole dirette dagli Scismatici e Protestanti, che vanno aprendosi, or più che in altra epoca, nelle princi-

(1) Italico idiomate, prouti edita fuit, dictam Instructionem hic inserimus *(Nota Red.)*.

pali città dell'Oriente, ne eccitava altresì lo zelo ad impedire energicamente siffatta costumanza, impiegando anche all'uopo tutto il nerbo della loro ecclesiastica autorità. Ai Vescovi principalmente ed ai Parrochi incombe l'obbligo di usare le più solerti ed efficaci cure, onde persuadere i padri di famiglia non potere far essi cosa più pregiudizievole alla loro prole, alla patria ed alla nostra santa Religione, che coll'esporre i propri figli ad un così manifesto pericolo, che sarebbe anche maggiore, qualora le scuole medesime fossero istituite col diretto intendimento di far proseliti all'eresia ed allo scisma. Ognun conosce quanta forza eserciti sull'animo giovanile l'autorità dei precettori, e come potentemente lo induca ad approvar tutto ciò che in essi scorge, e da essi ascolta. Quindi avviene che in un coll'insegnamento contragga senza quasi avvertirlo i loro errori, e concepisca disprezzo della Religione cattolica. A ciò si aggiunga il conversare giornaliero e familiare coi giovani Protestanti e Scismatici, i cui costumi sovente corrotti, la indocilità, il mordace parlare contro la nostra santa Religione e contro le pratiche della Chiesa pervertono la mente, e corrompono il cuore dei condiscepoli cattolici. Nè si creda già che da ogni pericolo vadano immuni quelle fra le anzidette scuole, il cui insegnamento riguarda la elementare istituzione, ovvero materie meramente profane; imperocchè oltre ai medesimi pericoli ch'esse presentano pel consorzio e familiarità coi condiscepoli educati nella eresia e nello scisma, porgono altresì ai precettori il mezzo d'ingannare la giovanile semplicità con arti quanto meno apprese altrettanto più efficaci. Tuttociò trovasi trattato in un'analoga istruzione emessa dalla Suprema Congregazione del S. Offizio per la Svizzera sotto il giorno 26 Marzo 1866.

Si è discorso fin qui dei giovani cattolici che frequentano le scuole Protestanti e Scismatiche. Passando ora a parlare dei giovani Scismatici e Protestanti che frequentano le scuole cattoliche, egli è chiaro che in questo secondo caso non esistono pei giovani cattolici tutti quei pericoli, che si dissero concorrere nel caso precedente: imperocchè essendo cattolico il precettore, cattolici l'insegnamento e i libri, nulla v'ha a temere da questo lato. Ed è perciò che questa S. Congregazione di Propaganda si è mostrata altre volte indulgente a tollerare o anche ad ammettere che nelle scuole cattoliche istituite nelle Missioni e dirette dai Missionari si ricevessero ed ammaestrassero dai precettori cattolici anche gli eterodossi. Non disconosceva però la stessa S. Congregazione che anche in tali scuole per direzione e per insegnamento cattoliche non mancherebbe qualche grave pericolo per l'ammissione dei detti giovani Scismatici e Protestanti a motivo principalmente del quotidiano contatto che questi avrebbero coi figli dei Cattolici. Laonde nel permettere tale promiscuità fu sollecita di prescrivere alcune cautele necessarie specialmente a rimuovere dai giovanetti Cattolici il pericolo di perversione, come pure dagli acattolici il pericolo d'indifferentismo.

Gioverà indicare talune risoluzioni prese in proposito da questa S. Congregazione. Una particolare adunanza tenutasi ai 18 Decembre 1742 fu di avviso potersi permettere ai Missionari Cappuccini di Moscovia che oltre alle scuole di lingue straniere e di scienze indifferenti, che allora si tenevano pei soli figli dei Cattolici, altre ne potessero tenere per tutti gli acattolici che volessero concorrervi, destinando all'uopo una camera separata. Certamente la separazione di camera elimina o almeno rende assai rimoti gli anzidetti pericoli che nascono dalla promiscuità di giovani Cattolici ed acattolici, e che formano appunto la principale difficoltà delle scuole miste, se pure possano dirsi propriamente tali nel caso che si assegni luogo distinto e separato ai discepoli eterodossi. Un tal metodo però di separazione assai difficilmente potrebbe adottarsi ovunque sì per mancanza di luoghi e di mezzi, come pure per la esigenza di più maestri, di cui havvi ordinariamente scarsezza nei luoghi di Missione.

Sul finire dello scorso secolo i Padri Riformati Missionari nell'Egitto superiore aveano aperto delle scuole in varie stazioni di quella Missione pei giovanetti Cattolici, e ad esse concorrevano ancora i figli dei Copti scismatici. La Congregazione generale adunatasi ai 29 Agosto dell'anno 1791 opinò potersi ciò tollerare per allettare gli eretici Copti al cattolicismo e non irritarli, aggiungendo però che

« periculum perversionis per magistrorum diligentiam removeatur. » Analogamente a questa risoluzione del S. Consesso fu scritto al Prefetto di quella Missione, non doversi far difficoltà che i figli degli eretici vadano alle scuole Cattoliche. Ma che siccome talvolta qualche giovanetto discolo eretico potrebbe pervertire alcuno dei cattolici, perciò i maestri debbano avere di ciò cura e non ammettere nelle scuole i giovanetti eretici licenziosi. All' opposto moltissimo bene si deve sperare dalla frequenza degli eretici alle scuole Cattoliche, potendosi questi imbevere così dei sodi principî della nostra vera Religione, ed avendo agio i maestri d' insinuarsi nel loro spirito per guadagnarli alla Chiesa.

Omettendo altre consimili risoluzioni giova riferire come nell' anno 1853 i Vescovi Armeni della provincia ecclesiastica di Costantinopoli riuniti in conferenze avendo annoverato fra i mezzi opportuni per la conversione degli scismatici nazionali anche quello di dare accesso ai loro figli alle Scuole Cattoliche, la Congregazione generale di Propaganda ordinò si scrivesse all'Arcivescovo Primate, significandogli che il mezzo proposto ravvisavasi molto acconcio a procurare la conversione degli scismatici, ma si richiedeva però un metodo assai prudenziale per non far nascere degli inconvenienti; che due sono i pericoli che possono derivarne, il primo che i giovani Scismatici pervertano i giovanetti Cattolici, se non si prendono tutte le cautele per impedire che parlino a lungo fra loro; imperocchè avvenendo naturalmente che fra gli Scismatici sianvi dei giovani astuti, di talento, radicati nello scisma in forza della domestica educazione, e che tra gli allievi Cattolici ve ne siano alcuni di scarso talento e di poco sentimento religioso, facilmente i primi pervertirebbero i secondi. L' altro pericolo è di rendere ipocriti i giovanetti Scismatici, se venissero obbligati ad intervenire agli esercizi religiosi, al pari dei figli dei Cattolici, perchè in tale caso vi sarebbe pericolo che simulassero la professione del cattolicismo contro la erronea loro coscienza; e si renderebbero proclivi all' indifferentismo. Si avvertì poi lo stesso Monsig. Arcivescovo che non s' intendeva parlare di ammetterli ai Sagramenti, perchè in tal caso dovrebbe precedere la formale abiura, è la sincera dichiarazione di ritornare alla religione Cattolica. Per ultimo s' insinuò ai Vescovi dell' anzidetta provincia, che per tener lontani tali pericoli dalle scuole, in cui insieme ai giovanetti Cattolici ricevonsi anche gli Scismatici, allorquando si riunirebbero in Concilio Provinciale formassero un apposito regolamento per siffatte scuole miste da sottoporsi all' approvazione di questa S. Congregazione.

Resta finalmente a dirsi qualche cosa intorno all' ammissione dei giovani Scismatici e Protestanti nei pensionati e convitti Cattolici. Non potrebbe però darsi una norma adequata e sicura applicabile a ciascun collegio, convitto o pensionato senza aver prima particolari ed accuratissime notizie sopra tutte quelle circostanze, dalla cui cognizione dipende appunto il giudizio che deve portarsi sull' anzidetta promiscua convivenza di Cattolici ed Eterodossi. Sarebbe quindi necessario di conoscere il preciso scopo del convitto, la condizione e l' età di quelli che vi si ammettono, la qualità e il grado d' istruzione che vi si dà, il regolamento onde è ordinata l' interna disciplina, specialmente per ciò che spetta alle relazioni le quali passano fra i fanciulli (o fanciulle, se trattisi di convitto di sesso femminile) di diverso culto; se possano liberamente trattare e parlare fra loro, se sia ad essi proibito di ragionare intorno a punti religiosi. Altro articolo assai necessario a conoscersi è il modo, con cui gli accattolici vengono diretti in materia di religione, vale a dire se vengono educati nella religione Cattolica con o senza il consenso dei genitori; qualora non sono educati cattolicamente, se è dato loro il permesso, od anche imposto l' obbligo di assistere in un coi Cattolici alla S. Messa ed alle pratiche di pietà, se debbono astenersi sempre dal ricevere i Sagramenti, ovvero se sia loro permesso di recarsi a riceverli qualche volta nelle loro chiese Scismatiche, e chi ve li accompagni. Interessa ancora sapere quale sia in ciascun convitto il numero dei Protestanti e Scismatici e in quale proporzione si trovi con quello dei Cattolici.

Occorrerebbe pertanto che i Superiori delle varie Missioni si procurassero possibilmente e rimettessero alla S. C. le succennate

notizie intorno a quei convitti misti, che si trovassero dipendenti dalla loro giurisdizione, per quindi riceverne le analoghe istruzioni adattate alle peculiari circostanze di ciascuno di essi. Frattanto però non sarà del tutto inutile riferire una risoluzione emessa nell' an. 1866 dal S. Offizio pel caso di un convitto misto di giovanette Cattoliche di rito Latino, e di Scismatiche di rito Orientale. Pria però di esporla fa d' uopo dare un cenno dell' interno regolamento del convitto medesimo, senza che non potrebbe ben comprendersi la portata dell' anzidetta risoluzione. Nello stesso stabilimento diretto da Religiose, in un colle giovanette Cattoliche, vengono educate anche le Scismatiche di rito Orientale. La proporzione del numero fra le une e le altre non fu sempre la medesima: da cinque anni però a questa parte le Scismatiche costituiscono presso a poco la terza parte dell' educandato; e vengono esse istituite non solamente nelle scienze profane, ma eziandio nella religione Cattolica, quante volte i loro genitori Scismatici ne facciano espressa richiesta. Oltre alla istituzione Cattolica, le ridette educande Scismatiche hanno in comune colle Cattoliche pie lezioni, esercizi spirituali, ed assistono con esse quotidianamente alla S. Messa. In addietro pregavano anche insieme, ma presentemente per disposizione dell' Ordinario, affine di evitare la comunicazione *in divinis,* pregano separatamente dalle Cattoliche di rito Latino le une e le altre nella loro lingua nazionale. Presso dimanda dei genitori le giovanette Scismatiche, una o due volte all' anno, sono condotte sotto la vigilanza di persona di fiducia alla chiesa Scismatica per ricevere i Sagramenti, le altre si astengono dal frequentarli. È da notarsi che gli Ordinari diocesani *pro tempore* non approvarono mai il metodo finora descritto, che si osserva nel succennato convitto, ma lo tollerarono per la speranza che le fanciulle educate cattolicamente, tornate alle loro case e divenute *sui iuris,* abbraccerebbero la religione Cattolica, vi condurrebbero i propri mariti e vi educherebbero la prole, come di fatti già dieci di esse abiurarono lo scisma, ed una converti il suo marito; e quand' anche non tutte si convertano, tuttavia speravano quei Prelati, che la educazione ricevuta cattolicamente farebbe loro deporre i pregiudizi contro la Chiesa Cattolica, l' odio ed il disprezzo contro i Cattolici; nè d' altra parte vi è a temere, come assicurava l' attuale Ordinario diocesano, che le giovanette materialmente Scismatiche, addivengano tali formalmente, atteso il tardo loro ingegno, secondo che attestano i Superiori del rimentovato stabilimento, il quale d' altronde se non ammettesse le giovanette Scismatiche, mancherebbe dei mezzi sufficienti per mantenere le Religiose che lo diriggono, e non si troverebbe in grado di diminuire la retta alle convittrici latine, d' ordinario povere e bisognose.

Presso tale relazione la Suprema Congregazione del S. Offizio rispose come siegue.

Feria VI loco IV die 1 Iunii 1866.

« Tolerari posse ut puellae schismaticae in collegium admittantur quod Sorores dirigunt, dummodo bonam praeseferant indolem, juxta exposita instituantur, nec tamen obligentur ad assistendum Missae Sacrificio aliisque functionibus ecclesiasticis, verum id earum arbitrio relinquatur, vetito quidem ne umquam disputationes cum puellis catholicis habeant de rebus ad religionem spectantibus; ne templum adeant schismaticum a ministris schismaticis sacramenta recepturae; quod si in aliquo casu id impediri nullo modo possit, Sorores passive se habeant, et pariter vetito, ne puellae ab amicis et conjunctis, exceptis parentibus et tutoribus, absque licentia Ordinarii visitentur; de quibus omnibus clare et explicite instructi fiant, et in iis consentiant parentes vel tutores earumdem puellarum, antequam ipsae ad collegium admittantur. Idque scribatur R. P. D. Archiepiscopo (Ordinario) cum advertentia ut curet omnium horum executionem, et bonum spirituale puellarum quoad fieri poterit, etiam post egressum e collegio, et instruantur Sorores quod si aliqua ad fidem catholicam converti petat, res ad ipsum Archiepiscopum erit deferenda, qui juxta casus adjuncta prudenter providebit, et sedulo caveat ne ex admissione schismaticarum ullum ne minimum quidem perversionis vel indifferentismi periculum puellis Catholicis subsit ».

Da questa risoluzione rilevasi il sentimento della prelodata S. Congregazione, e le cautele

da essa prescritte in proposito, sebbene però il riferito Decreto non possa darsi per regola generale applicabile a qualunque altro convitto misto, attese le varie circostanze di ciascun caso particolare sulle quali, siccome si disse, conviene avere esattissime notizie per adattarvi le analoghe provvidenze ed istruzioni.

Coerentemente alle sovraesposte norme, con lettera diretta sotto il giorno 16 Gennaio 1841 ai Metropolitani Irlandesi da comunicarsi ai loro suffraganei, si dichiarò che siccome dal sistema di educazione nazionale d'Irlanda nelle scuole secondarie o nelle classi inferiori, promosso dal governo inglese per la gioventù appartenente a qualunque comunione Cristiana, sembrava non essere derivato alcun nocumento alla Religione Cattolica durante il decennio, da che il sistema medesimo era stato introdotto; perciò questa S. Congregazione aveva giudicato non doversi proferire sull'argomento alcun definitivo giudizio, rimettendo piuttosto un tal modo d'insegnamento al prudente arbitrio ed alla religiosa coscienza dei Vescovi; essendochè il successo di esso dipendeva necessariamente dalla cura vigilante dei Pastori, dall'uso di varie cautele, e dalla esperienza del tempo avvenire. Peraltro la stessa S. Congregazione ammoniva seriamente i Vescovi Irlandesi quanto fosse necessario *che* si rimuovessero dalle scuole tutti i libri nocivi alla fede ed ai buoni costumi: *che* il Precettore nazionale dei Pedagoghi cattolici nella classe religiosa morale ed istorica fosse cattolico, ovvero non ve ne fosse alcuno: *che* sarebbe cosa più sicura d'insegnare le sole belle lettere nelle scuole *promiscue* di quello che insegnare ristrettamente i così detti articoli fondamentali e comuni della Religione cristiana, riserbando una speciale istruzione seperatamante alle singole sette: ed in fine *che* i Vescovi e Parrochi fossero vigilanti onde dal succennato sistema nazionale d'istruzione non abbia a contaminarsi alcuno dei fanciulli cattolici, e si adoperassero energicamente per ottenere dal Governo un ordinamento migliore, e più eque condizioni. Indicò ancora la S. Congregazione a quei Prelati che sarebbe cosa utilissima che le stesse località delle scuole restassero in potere dei Vescovi o dei Parrochi, e che di affare sì grave si trattasse dai Prelati riuniti in sinodo provinciale, coll'obbligo eziandio di rendere consapevole la S. Sede di tutto ciò che fosse per avvenire in contrario.

Nell'anno 1857 poi, in occasione che voleasi stabilire nelle città d'Irlanda scuole più alte sotto la esclusiva giurisdizione del Consiglio detto d'insegnamento nazionale, cosa (siccome veniva esposta alla S. Sede) piena di pericolo pel carattere protestante che presentavano coteste scuole, e per lo scopo che attribuivasi al governo di pervertire in esse i Cattolici, con lettera dei 20 Febbraro dello stesso anno 1857, si eccitò a nome della S. Congregazione la sollecitudine e lo zelo dei Vescovi a difendere il loro gregge ed a vegliare su di esso con tanto maggior cura e diligenza, quanto più grave era il pericolo, che dal nuovo sistema ridonderebbe alla salute delle anime, procurando con opportune ammonizioni, con prediche e lettere pastorali che fosse preservata la purità della fede dal contagio degli errori.

Per ciò poi che spetta alle scuole Universitarie e collegi misti istituiti dal Governo Inglese con lo stesso sistema per la istruzione scientifica della gioventù, la prelodata S. Congregazione con lettera dei 9 Ottobre 1847 manifestò ai Vescovi Irlandesi il suo timore che da tali collegi fosse per derivare gran pericolo alla fede cattolica, e che li riputava dannosi alla Religione; onde li ammoniva di non prendere veruna parte a siffatta istituzione, e li eccitava invece a far fiorire maggiormente i già istituti collegi Cattolici, ed a procurare la erezione di un'Accademia Cattolica. Il governo Inglese per sedare i concepiti timori modificò alcuni statuti del ridetto sistema; in seguito di che, esaminatasi nuovamente la cosa, la medesima S. Congregazione non per ciò credette mitigare la già presa e testè riferita risoluzione sui ridetti collegi in vista dei gravi ed intrinseci loro pericoli, siccome indicossi ai Prelati d'Irlanda con lettera degli 11 Ottobre 1848.

Gioverà per ultimo aggiungere come la rimentovata S. C. di Propaganda, nella generale adunanza dei 31 Agosto 1863, esaminando le regole dell'Istituto delle Suore di N. S. di Sion eretto in Francia e parlando delle giovani convittrici nel relativo Educandato, decise doversi rispondere al Fondatore « essere intendimento della S. C. che nelle scuole delle

« pensionate non si accolgano per massima « generale se non giovani cattoliche. Che se « per grave ragione occorresse di ricevere don- « zelle di altre confessioni *da educarsi però cat- « tolicamente* debba rendersi di ciò inteso il Ve- « scovo diocesano, affinchè di concerto colla « Superiora stabiliscano con ogni diligenza le « regole necessarie per evitare ogni pericolo « di seduzione o perversione, fra le quali re- « gole non si ometterà di prescrivere che nelle « visite che ricevono le suddette donzelle dai « loro parenti debba trovarsi ognora presente « una Suora ».

Dalla Propaganda li 25 di Aprile 1868.

—

TERRA SANCTA

EPISTOLA

R. P. Josephi Antonii a Lovera, Lectoris Generalis, in qua gratia narratur, intercedente S. Antonio Patavino, obtenta.

Admodum Reverende Pater,

De expresso Rmi P. Custodis T. S. consensu haec quae sequuntur, Adm. Rev. Paternitati Vestrae notifico eum in finem, ut (nisi forte illis, ad quos spectat, aliter visum fuerit) in « Act. Ordinis Minorum » publicentur. Quam potens sit apud DEUM sancti nostri Antonii Patavini intercessio, mirum in modum totius Judaeae incolis ineunte hujus anni vere experiri datum est. Siquidem ultima hieme decurrente praeter consuetum naturae cursum in his nostris regionibus valde raro pluerat, ita ut, mense Martio exeunte, a quo tempore usque ad duos ultimos anni menses in Palaestina generatim descendere non solet pluvia, complures jam incolae, deficiente in propriis cisternis aqua, ab aliis emere hoc elementum tam necessarium coacti fuerint. Porro cum vix alicui persuasum non esset, multiplici ratione communem imminere calamitatem, nisi per aliquot saltem dies fluentis caelestibus arida terrae facies infunderetur, mirum certe non erat, quod omnes fere diversarum religionum et sectarum asseclae, haud ignorantes, DEUM esse, qui operit caelum nubibus et parat terrae pluviam, preces privatas ac publicas effundere coeperint ad impetrandos imbres. Sic imprimis hunc in finem in Latinorum Ecclesiis ante et post solemnitatem S. Joseph preces publicae peragebantur; idem fiebat in ecclesiis Schismaticorum tum Graecorum tum Armenorum; similiter Turcae quoque orabant in propriis fanis. Denique « filii Israel secundum carnem » indixere trium dierum jejunium ab adultis observandum atque unius diei a pueris puellisque, et insuper juxta Ninivitarum exemplum bruta animantia jejunare fecerunt; unus autem ex Rabbinis magis quam ceteri afflictus propter communem calamitatem emittebat « votum », — si hoc nomine vocari liceat insipiens ejus promissio, — se non manducaturum nec bibiturum neque egressurum de synagoga, donec Jehovah misisset pluviam de caelo; et reapse, stans promissis suis obcaecatus, miserabilem oppetiit mortem fame sitique consumptus. — Crescente itaque in dies Judaeae incolarum angore et afflictione, eo quod preces ipsorum multiplicatae non exaudirentur, complures ex religiosis Franciscalibus et devotis saecularibus ab Excellmo ac Rmo DD. Patriarcha Vincentio Bracco permissum impetrant, ut in Ecclesia Parochiali SSmi Salvatoris peragi valeant cum quadam solemnitate extraordinaria preces triduanae in honorem S. Antonii ad implorandum hujus Thaumaturgi patrocinium. Et ecce, vix initium sumunt in praefata Ecclesia preces istae solemnes, cum jam exoritur super civitatem Jerusalem ventus validissimus, compellens ex diversis caeli partibus multitudinem nubium aqua gravidarum ac protinus per plures dies subsequentes aridam Judaeae terram vehementes irrigant imbres ac cisternas harum regionum aqua replent, fidelibus atque infidelibus Divum Antonium collaudantibus et magnum candelarum numerum ad ipsius aram afferentibus. — Quapropter gloria, laus et honor DEO optimo, maximo, qui mirabilis est in Sanctis suis ac praesertim in favoribus prodigiosis, Divo Antonio intercedente, obtentis!

Sacram dextram Adm. Rev. Paternitatis Vestrae reverenter deosculans omni cum debita veneratione maneo

Hierosolymis, die 1 Augusti 1888.

infim. et observantissimus servus

P. FR. IOS. ANTONIUS A LOVERA.

Miss. Apost. et S. Theolog. Lector Genlis.

IV.

BIBLIOGRAPHIA

—

ALEXANDER THOMAS. — Saint Jean Discalcéat, Recteur, puis Frère Mineur, son histoire et son culte, par l'Abbé Alexandre Thomas, Aumônier du Lycée de Quimper. — Quimper, Typographie Arsène de Kerangal, Imprimeur de l'Evêché, 1888. In-16, pag. 68.

ANONYMUS. — Il Perdono d'Assisi ossia Guida per l'acquisto della Indulgenza Plenaria detta della Porziuncola. Seconda edizione. Roma Tipografia Vaticana. 1888, pag. 20.

EVANGELISTA A S. BEATO, Min. Cap. — Sanctus Bonaventura, scholae franciscanae magister praecellens, disquisitio historico-philosophico-theologica, auctore R. P. Evangelista a S. Beato, Ord. S. Fr. Capuccinorum, theologiae dogmaticae professore. Parisiis, libraria internation.-catholica, via vulgo Bonaparte 66. — Lipsiae, apud L. A. Kittler, mandatarium, via Sternwarterstrasse, 45. — Tornaci, H. et L. Casterman, editores pontificales, episcopati typographi. In 8° pag. 71.

Ejusdem auctoris: De necessaria temporaneitate creaturae ad mentem Doctoris Seraphici sancti Bonaventurae. Tornaci, 1888.

LIÉVIN DE HAMME, Min. Réc. — Guide indicateur des Sanctuaires et lieux historiques de la Terre Sainte par le Fr. Liévin de Hamme, Franciscain résidant à Jérusalem. Troisième édition, revue, augmentée et accompagnée de cartes, de plans et de vues. Jérusalem, Imprimerie des Pères Franciscains, 1887, 3 vol. (Prix 12 francs).

Première partie, in-16, pag. LII-486.
Deuxième partie, pag. XXXVII-346.
Troisième partie, pag. XXXIX-359.

MARCELLINUS A CIVETIA, Min. Obs. — Il Romano Pontificato nella Storia d'Italia, pel P. Marcellino da Civezza, M. O. — Seconda edizione, riveduta e curata dall'autore. Prato, Tipografia Giachetti, figlio e C. 1888. In-8, vol. 3. (Pret. L. 10).

Libro I. pag. 515
» II. » 534
» III. » 574

A Curia generalitia peti potest haec nova editio.

V.

NECROLOGIA

—

Gravem irreparabilemque jacturam, Principatus Provincia, die 17 Julii, currentis anni, perpessa est. Adm. R. P. HIERONYMUS A SARNO, ex iterato Minister Provincialis, exacta aetate annorum 86 et dierum 26, in Conventu Sanctae Mariae Angelorum Nuceriae Paganorum, omnibus Ecclesiae sacramentis refectus, extremum diem obiit.

Sarni natus ex piis honestisque parentibus, a pueritia non dubia devotionis ac pietatis in DEUM indicia dedit. Nam, statim ac puerulus ansam habebat, ex straminibus, suis manibus, Crucem efformabat, ante quam genuflexus enixe orabat. Parentes id observantes, in corde suo stupebant magnaque prognostica de puero faciebant. Genitrix eum semper secum ducebat in Ecclesiam Fratrum Minorum haud distantem domo propria. Hincque pulchrum admirabileque erat puerum obserservare ante altare Seraphico Francisco dicatum, genibus flexis brachiisque extentis, diu preces fundere, quin oculos huc illucque diverteret. Pauca loquebatur, parentibus in omnibus subditus erat. Fratribus Minoribus commissus tam pro litteris humanioribus addiscendis, quam pro pietatis ac devotionis exercitiis exequendis, mirum in modum proficiebat. Cum autem ad aetatem pervenisset, qua vitae statum eligere debebat, imploratis a DEO luminibus auditoque suo Confessario, quod in animo gerebat, patefecit. Statuit Seraphicum Institutum amplecti. Parentes non obstiterunt, Fratres acceptaverunt, et Hieronymus, voti compos factus, veluti gigas ad currendam perfectionis viam, in Conventum Sancti Francisci Caven. se contulit ad Novitiatum peragendum.

Hoc feliciter perfecto, ad Professionem votorum solemnium, summa animi sui laetitia, admissus fuit.

Spiritu renovatus, rebus philosophicis ac theologicis, magno cum profectu se applicuit. Ast, quod impensius coluit, fuit studium mysticae theologiae. Sacris initiatus ad Sacerdotium ascendit, qua animi dispositione, non est hic locus referre. Piis religiosisque virtutibus nitescens, in viam perfectionis de die in diem progrediabatur, adeo ut Superiores oculos in eum intenderint et Novitiorum Magistrum designaverint. Quo in officio, spiritum Seraphici Patris, quo jam imbutus erat, alumnis suis communicavit summopere. Princeps in omnibus erat, et, quod voce dicebat, factis comprobabat. Hoc in munere per quadraginta annos et amplius permansit in sacro Recessu Sanctae Mariae Angelorum *Montis Aurei,* ubi se praebuit exemplum bonorum operum, omniaque charitatis officia exercuit. Anno autem 1857, unanimi Patrum vocalium capitulariter congregatorum voto, in Ministrum Provincialem electus fuit. Quod munus, sola obedientia adstrictus, accepit, et, pro secunda vice, anno 1873, sibi collatum fuit. Provinciam gessit summa rectitudine et sanctae Regulae observantiam restauravit.

Provincialatu remisso, in sacrum Recessum Montis Aurei se restituit, ubi virtutibus omnibus emicuit. Ingravescente autem temporum nequitia, hunc locum sibi carissimum reliquit, et domum se reduxit. Magno suorum civium laetitia exceptus, numquam vitam religiosam praetermisit, immo fervorem suum auxit, quo omnium animos ad Deum accendebat. Nuceriam Paganorum arcessitus, ut Ecclesiam nostri Conventus Sanctae Mariae Angelorum personaliter regeret, libenter se contulit. Quo in loco omnibus adjumento fuit, exemplo, consilio et bonis operibus, ita ut animos omnium, qui ipsum adibant, sibi obstringeret. Multis Episcopis finitimarum Dioecesium fuit acceptus, a quibus continuo commissa fuit cura Monialium, quarum conscientias summa prudentia et charitate direxit, quarumque mentem, in exercitiis spiritualibus praesertim, ad pietatem, devotionem et propriae Regulae observantiam accendit.

Quamvis senio confectus, semper sanctum Missae sacrificium quotidie obtulit. Tempus, quod supererat a recitatione Divini Officii, meditando atque orando in Choro transegit. Beatae Virginis Mariae et Sanctissimae Eucharistiae sacramenti devotissimus, Regulae Seraphici Patris observantissimus, sanctae Paupertatis amantissimus, et oculorum custos vigilantissimus fuit, adeo ut numquam in facie mulierem respexerit.

In ultima servili infirmitate patientissimum se prodidit. Nam, inflatis sibi pedibus, nequivit, uti optabat ardentissime, lectulum relinquere, ut sanctum Missae sacrificium offerret. Sed quia persuasum habebat sibi vitae finem instare, omnibus Ecclesiae Sacramentis refici, die 16 Julii Beatae Virgini de Monte Carmelo, quam summopere colebat, humiliter petiit. Hisce summa cum devotione et lacrymarum effluvio acceptis, laetanter dixit *se crastina die sanctum Sacrificium Deo oblaturum.* Hinc actis omnibus gratiarum actionibus de officiis charitatis sibi praestitis, omnium orationibus se commendavit. Tandem, compositis brachiis super pectus in formam Crucis, in agoniam incidit, et oculis in Crucifixi imaginem, quem manu dextera tenebat, semper defixis, die 17 Julii, uti praedixerat, hora 12 cum dimidio, in Domino placidissime obdormivit.

Sequenti die, solemnia funebria ei parentata fuerunt, et postea corpus, magna Fratrum comitante caterva, qui ex finitimis locis advenerant, in publico Coemeterio civitatis fuit sepultum, loco distincto atque separato.

Exoret nunc ante thronum Dei pro Ecclesiae pace et animarum salute.

R. I. P.

Nihil obstat

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

E SACRA CONG. INDULGENTIARUM

DECRETUM

—

TERTII ORDINIS SAECULARIS S. FRANCISCI ASSISIENSIS

Absolutio seu benedictio cum Indulgentia plenaria pridie festi privatim Tertiariis elargiri potest.

Sodalibus Franciscalibus Tertii Ordinis, qui saecularis nuncupatur, novies infra annum nonnullis occurrentibus diebus festis, jus est accipiendi *Absolutionem* seu *Benedictionem* cum plenaria Indulgentia, non solum publice a suis Curatoribus in Ecclesiis, in quibus erectae reperiuntur eorumdem Sodalium Congregationes, sed et privatim inter ipsius Sacramenti Poenitentiae administrationem a quolibet Confessario.

Quamvis autem ab Apostolica Sede iam indultum sit per decretum hujus S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sub die 16 Ian. 1886, ut Tertiarii *Absolutionem* seu *Benedictionem* accipere valeant etiam aliquo die festo de praecepto, qui intra Octidua *profestorum* dierum occurret, quibus illa fuit adnexa, eo quod his diebus vel legitime impediuntur quominus adeant Ecclesias accepturi in coetibus generalibus praefatam *Absolutionem* seu *Benedictionem*, vel difficilis ipsis evadit accessus ad tribunal Poenitentiae, praesertim, in locis ubi deficit copia Confessariorum; (1) eisdem tamen de causis pluries ab uno vel altero Moderatore Congregationum Tertiariorum Franciscalium in variis Catholici Orbis partibus existentium SSmo Dno Nostro supplicatum est, quatenus etiam indulgere dignaretur, ut Tertiarii suarum respectivarum Congregationum perfrui possent gratia *Absolutionis* seu *Benedictionis* in sacramentali Confessione die eas festivitates praecedente, quibus illa est concessa. Idque eo vel magis postulabatur, quod jam per generale decretum hujus S. Congregationis diei 6 Octobris 1870 sancitum erat, tum confessionem dumtaxat, tum confessionem et communionem peragi posse die, qui immediate illum praecedit, cui aliqua Indulgentia adsignatur.

Porro Sanctitas Sua, quae has preces jam clementer exceperat, modo universis Sodalibus Tertii Ordinis saecularis S. Francisci Assisiensis hac super re providere cupiens, ne quis eorum, quoad fieri potest, tam salutari beneficio *Absolutionis* seu *Benedictionis* privetur, in Audientia habita die 21 Iulii 1888 ab infrascripto Secretario benigne declarare ac decerni mandavit, prouti per praesens decretum declarat et decernit, quempiam praedictorum Sodalium *Absolutionis* seu *Benedictionis* participem fieri posse pridie diei, quo ipsa in Indice Indulgentiarum eiusdem Tertii Ordinis elargienda recensetur, *non tamen publice,* sed *privatim tantummodo,* nempe post expletam sacramentalem Confes-

(1) Cfr *Acta* anno V, pag. 23. — Cfr etiam Rescriptum, die 11 Maii 1888 Ordinis nostri Provinciis concessum, pag. 81 hujusce anni.

sionem, ceteris tamen servatis de jure servandis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die 21 Iulii 1888.

S. Card. Vannutelli, *Praef.*

L. ✠ S.

Alexander, Episcopus Oensis, *Secret.*

—

EX SECR. SAC. INDICIS. CONGR.

EPISTOLA

Ad Episcopum Barchinonensem de libro « El liberalismo es pecado ».

Die 10 Januarii 1877.

Excellentissime Domine,

Sacra Indicis Congregatio accepit delationem Opüsculi cujus titulus « *El Liberalismo es pecado* », auctore D. Felice Sardà et Salvány, sacerdote hujus tuae dioecesis, quae delatio repetita fuit una cum altero opusculo cui titulus « *El proceso del integrismo,* id est, *Refutacion de los errores contenidos en el opusculo:* « *El Liberalismo es pecado* »*;* auctor hujus secundi opusculi est D. de Pazos, canonicus dioecesis Vicensis. Quapropter eadem Sancta Congregatio maturo examine perpendit primum et alterum opusculum cum factis animadversionibus: sed in primo nil invenit contra sanam doctrinam, imo auctor ejusdem D. Felix Sardà laudem meretur eo, quia solidis argumentis, ordine et claritate expositis, sanam doctrinam in materia subjecta proponat atque defendat absque cujuscumque personae offensione.

Verum non idem judicium fuit prolatum super altero opusculo edito a D. de Pazos; nam aliqua in re correctione indiget, et insuper approbari non potest modus loquendi injuriosus, quo auctor utitur magis contra personam D. Sardà quam contra errores, qui supponuntur in opusculo dicti scriptoris.

Hinc Sacra Congregatio mandavit, ut D. de Pazos, monitus a proprio Ordinario, retrahat, quantum fieri potest, dicti sui opusculi exemplaria, ac in posterum, si aliqua controversiarum, quae oriri possunt, fiat discussio, se abstineat a quibuscumque verbis injuriosis contra personas, sicuti vera Christi charitas docet: eo vel magis quod dum Sanctissimus D. N. PP. Leo XIII. valde commendat, ut errores profligantur, tamen non amat neque approbat injurias in personas praesertim doctrina et pietate praestantes illatas.

Dum haec de mandato S. Indicis Congr. tibi communico ad hoc, ut praeclaro tuo dioecesano D. Sardà ad animi sui quietem manifestare possis, omnia fausta ac felicia a Domino adprecor et cum omni observantiae significatione subscribo.

Amplitudinis tuae addictissimus famulus
Fr. Hieronymus Pius Saccheri O. P.
S. Ind. Congr. a Secretis.

—

EPISTOLA

Emi Praefecti S. I. C. ad Episcopum Barchinonensem declarans et confirmans laudes tributas in praecedenti epistola Auctori libri « El liberalismo es pecado ».

Illme ac Rme Domine uti Frater,

Romae ex Secretaria S. Indicis Congregationis die 29 Augusti 1887.

Delatae sunt ad Apostolicam sedem supplices preces quorumdam fidelium istius Dioeceseos scire cupientium quaenam sit genuina significatio litterarum, quae a R. P. Secretario Sacrae Indicis Congregationis de presbyteri D. Felicis Sardá et Salvany opuscolo, cui titulus « El liberalismo es pecado » die 10 Januarii hujus anni ad amplitudinem tuam datae fuerunt.

Rationes, quae dubitationibus et anxietatibus locum dederunt ex eo ortae sunt, quod harum litterarum sensa ad politicas quaestiones, quae inter Hispaniae catholicos fervent, nonnulli pertrahere voluerunt, unde acres inter ephemeridum scriptores disputationes sequutae sunt, conscientiis perturbandis et opinionum dissidiis fovendis aptae.

Mature, Summi Pontificis jussu, praefatis precibus perpensis, apprime perspicere licuit laudes per epistolam P. Secretarii praedicto opusculo tributas, ex quibus potissimum dubitandi ratio petebatur, ad abstractam dumtaxat thesim et generalia doctrinae principia referri, quae a D. Sardá in suo scripto clare et ordi-

natim exposita sunt juxta ea, quae ab Ecclesia docentur, minime vero ad incidentales quasdam propositiones sive allusiones ibidem forte contentas, quae concretum factorum ordinem vel rerum politicarum Hispaniae statum respiciunt: neque enim haec attingendi ulla mens aut propositum fuit. Quapropter latior harum laudum interpretatio aut eas ad unius politicae partis asseclas, atque ad eorumdem procedendi modum in alterius partis detrimentum proferre, velut quidam conati sunt, nullo pacto fuit neque esse potuit in consilio Sacrae Congregationis. Fundamento itaque destituuntur aberrandi timores illorum catholicorum qui, seposita privatorum scriptorum auctoritate, pro sua agendi ratione in religionis juribus tutandis rebusque provehendis, solemnia sequuntur Romani Pontificis documenta et monita, nominatim ea, quae per Encyclicas litteras *Cum multa* et *Immortale Dei* tradita sunt. Ipsi porro tutissimam hanc normam ab Apostolica Sede fidelibus universis, et Hispanis praesertim, propositam fideliter sincereque sectantes, certi esse possunt se non solum officium omnibus impositum Catholicis impleturos, sed praeconio etiam dignos fore, proindeque immerito perterritos fuisse ob minus rectas interpretationes quae, politicis suadentibus passionibus, epistolae ab Indicis Secretario subscriptae tributae sunt.

Quae omnia perpendens haec Sacra Congregatio has litteras amplitudini tuae dandas esse censuit, ut ipsis publici juris factis, legitima ac vera interpretatio in istis regionibus restituatur laudibus, quas D. Sardá ob suum opusculum promeruit, et amoveatur quaelibet occasio ulterioris conscientiarum perturbationis, aut acrium disputationum, quae steriles in bonum cum sint, perniciosos effectus in detrimentum Ecclesiae, cujus finis est salus animarum et veritatis justitiaeque regnum, semper pepererunt.

Interim cuncta fausta ac felicia tibi a Domino adprecor, et cum omni observantiae significatione subscribo

Amplitudinis Tuae Addictissimus famulus
Fr. Thomas Maria Card. Martinelli
Episc. Salinen., Praefectus.

L. ✠ S.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri O. P.
Secretarius.

E S. CONGR. INDICIS

LITTERAE

Ad Rmum P. Ministrum Generalem Patrum Passionistarum, quibus Secretarius exhibet resolutionem duorum dubiorum quoad legentes ephemerides aut libros haeresim propugnantès.

Reverendissime,

Per litteras a Conventu SS. Joannis et Pauli datas die 25 Martii 1879 et a Paternitate tua Reverendissima subsignatas, proposita fuerunt S. Congregationi Indicis, ut enodarentur duo sequentia dubia:

1. An scienter legentes ephemerides propugnantes haeresim incurrant excommunicationem articuli secundi Const. *Apostolicae Sedis,* Summo Pontifici speciali modo reservatam?

2. An legentes sive libros proprie dictos, cujusvis auctoris, sive ephemerides continentes haeresim incidant in censuram Indicis a s. m. Pii Papae IX, ut supra, renovatam et confirmatam?

Sacra indicis Congregatio secundo dubio respondit: *Negative;* ceu Paternitati tuae alias jam significatum fuit. Et quoniam primum dubium reputatum est competere Supremae universali Inquisitioni, exhibitum eidem fuit, ut idem enucleare dignaretur.

Sacra vero suprema Inquisitio die 21 currentis Aprilis proposito dubio respondit: *Negative.* Cum me de hoc certiorem redderet S. C. Assessor, onus mihi imposuit patefaciendi R. Vestrae resolutionem ejusmodi.

Die 27 Aprilis 1880.

—

E. S. POENITENT. APOSTOLICA.

LITTERAE

Eminentissimi Poenitentiarii majoris ad Episcopos Italiae quoad decimarum suppressionem a civili lege patratam.

Ill.me ac R.me Domine,

Civili lege in Italia recens edita, qua ecclesiasticae Decimae generatim abolentur, plerique Archiepiscopi et Episcopi opportuna a SS.mo Patre documenta expetierunt. Horum

postulationes huic sacro Coetui, qui a Poenitentia nomen habet, ut normae Fidelibus rite instruendis necessariae exhibeantur, quaeque uniformi quadam regula eorum moderentur conscientias, idem SS.mus Pater serio examinandas committere decrevit. Hic igitur sacer Coetus facile agnovit, eam legem non modo Decimas, ceterasque ecclesiastica vel praescriptione vel consuetudine sancitas pensiones abolere, sed etiam praecipue vero in aliquibus Dioecesibus, Clerum ad graviorem adhuc inopiam redigere.

Eorum successoribus, qui hodiedum ecclesiasticis Beneficiis cum Animarum cura fruuntur, compensatio promittitur, quae tamen quoad Parochos Libellarum octingentarum, quoad Episcopos vero sex millium summam non excedat; siquidem propter hanc Decimarum abolitionem ipsorum redditus eadem summa minores fiant: ceteris autem ecclesiastica Beneficia obtinentibus, atque Ecclesiis, Locisque, ut aiunt, piis cuiusvis generis ea sint, nec quidquam adsignatur, nec ullum civili ratione jus agnoscitur.

Haec profecto reddituum ecclesiasticorum imminutio Clerum in vitae conditione longe inferiori adhuc statuere pergit, quam quae in catholica natione eidem debetur: eumque justis vitae praesentis adminiculis expolians id efficit, ut ille et missionem sibi divinitus traditam exsequi, et divini cultus majestati prospicere, et pauperum indigentiis, iisque multis, subvenire difficilius possit.

At vero quod majoris momenti res est, lex ista civilis Dei atque Ecclesiae legem, in his quae multo plurimi intersunt, atque ea quae fundamenti loco habentur societatis humanae principia laedit. Est enim Fidei dogma, Ecclesiam a divino suo Institutore verae ac propriae societatis exterioris atque perfectae naturam accepisse, et quidem cum omnibus juribus, quibus Ille, quin in iis utendis obnoxia esset civili potestati, quae immo Ecclesiam ipsam defendere debet ac tueri, eam donare voluit.

Regnum ita velle ab Ecclesia separare, ut laicus Dominatus ad supernaturalem hujus existentiam una cum divinis ejusdem juribus et consequentibus legibus agnoscendam non obligetur, idem est, ac supremam Dei dominationem limitibus circumscribere, divina opera susdeque vertere, atque eidem supremo Numini, humanam societatem auctoritatemque quamlibet publicam suis latis legibus obligandi potestatem denegare. Ea igitur *utopia,* uti divinae revelationi prorsus opposita, saepenumero ab Ecclesia damnata fuit.

Jamvero inter jura Ecclesiae divinitus attributa, et illud profecto est, quaelibet bona aliosque civiles redditus, sine ulla dependentia a quavis externa auctoritate, acquirendi ac libere administrandi.

Id jus a Deo in Ecclesiam collatum est, quo et cultui Divinitati debito, et suorum Ministrorum sustentationi et charitatis demum operibus tutius stabiliusque consulere possit. Immo etiam ad hunc finem assequendum potest auctoritate propria eas Fidelibus, quas ipsa necessarias judicarit, pecuniarias indictiones imponere. Lex ergo civilis, quae proprio nomine in bona redditusque Ecclesiae pro lubito disponendos sese ingerit, et a pecuniariis ecclesiastica lege sancitis indicationibus solvendis Fideles eximit, divino juri recta adversatur, potestatemque, qua caret, injuria sibimet attribuit.

Praetera quum jus proprietatis Ecclesiae inditum violet, juri publico ac privato debitam reverentiam atque observantiam in populo enervat, excutitque unum e firmioribus societatis humanae fundamentum; quum proprietatis jus in quibusque civium magis eo, quod multis nominibus sacratius est, verendum jam videri non possit. Sancta vero Ecclesia pro summa ejus finis, cui Ecclesiae ipsius bona redditusque inserviunt, praestantia, a vetustissimis usque temporibus eadem ab omni usurpatione continenter asseruit.

Et S. Tridentinum Concilium (sess. 22, cap. 11, de Reformat.) ecclesiasticis, quotquot ante prodierunt, legibus se conformans, quemque anathemate damnat, qui bona redditusque Ecclesiae vel sibi usurpet, vel quominus ab ea percipiantur impediat: in sessione vero 25, cap. 12, item de Reformat., Fideles ut decimas solvant speciali modo adhortatur.

Quibus de causis, eadem lex civilis in Italia edita nullius est valoris; et Fidelium conscientia ad decimas velut antea pensitandas obligata perstat.

Parem huic declarationem dedit S. Sedes ab anno usque 1853 cum Regnum subalpinum

decimas in Sardinia insula abolevit (Acta Pii IX. vol. 2, pag. 335); quemadmodum et summus Pontifex Alexander III. ad Episcopum Vercellensem scribens, Imperatoris Litteras, quibus a solvendis Decimis concedebatur exemptio, prorsus nullas declaravit (Tit. de Decimis etc. Cap. 25.)

Quapropter etsi lex illa civilis parem ablatis Decimis compensationem assignasset, atque idcirco nullum in re utili detrimentum attulisset Ecclesiae, eidem tamen fecisset iniuriam, sese in ejusdem res juraque ingerens sine ulla a suprema auctoritate, quam Ecclesia ipsa a Deo accepit, dependentia.

Tu igitur, Ill.me ac R.me Domine, etiam atque etiam cura, ut populus tibi concreditus hac super re, ut fas est, erudiatur: et generatim de divina jurium, quae Ecclesia possidet, origine; eamque nulla prorsus ratione laicae Potestati obnoxiam esse.

Quo vero efficacius in peculiaribus casibus conscientiae Fidelium consulatur, practica scripta norma tibi quam primum, una cum necessariis Apostolicis facultatibus, exhibebitur.

Interim omnia tibi a Deo bona ex corde ominor.

Romae, die 25 Augusti 1887.

Addictissimus tibi in Domino
R. Card. Monaco.
Sacri a Poen. Coetus summus Mag.

II.

ACTA ORDINIS

—

EPISTOLA MINISTRI GENERALIS

Ad Provinciarum Superiores de abstinentia in proxima Regulari Quadragesima.

J. M. J. F.

Rnde Pater Obsme

Praesentibus litteris Paternitati Tuae notum facimus SS. D. N. Summum Pontificem etiam in proxima regulari S. Adventus quadragesima hujus anni, omnibus Religiosis utriusque sexus Nostrae jurisdictioni subjectis benigne indulsisse:

I. *Usum carnium* primis quinque hebdomadae diebus, in unica tamen comestione, vetita carnium et piscium promiscuitate in eadem refectione, et exceptis feria IV quatuor Temporum, ac vigiliis Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis, et Nativitatis D. N. Jesu Christi.

II *Usum ovorum et lacticiniorum* in omnibus sextis feriis et Sabatis, in unica pariter comestione, et exclusis semper diebus quatuor Temporum, ac praefatis vigiliis: nisi forte alicubi, etiam in his diebus exceptis, vigeat privilegium vel legitima consuetudo utendi ovis et lacticiniis in jejuniis ecclesiasticis: tunc enim Religiosi quoque huic indulto seu consuetudini in jejuniis Regulae sese conformare possunt. *(Vid. Corduba in Expos. Regulae).*

Verumtamen hortamur hujus Apostolici Indulti favore usuros, ut nedum piis compensationibus mortificationem Christi in corpore circumferre studeant, sed singulis quibusque sextis feriis, post mensam in communi, ut mos est, vel privatim, qui tunc sunt impediti, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum devote visitent, et sequentibus precibus, idest: *O sacrum convivium etc.*, sex *Pater, Ave* et *Gloria,* ac semel *Salve Regina,* Divinae Misericordiae, B. V. Mariae intercessione, praesentes Catholicae Religionis, et Seraphici Ordinis Nostri necessitates commendent, ut gratiam et consolationem, quam P. T. et Provinciae Tibi commissae humiliter adprecamur, a Domino tandem recipere possimus.

P. T. R.

Romae, ex Collegio S. Antonii, die 3 Septembris 1888.

L. S.

Humillimus in Christo Servus
Fr. Bernardinus, *Min. Glis.*

—

CAPITULA PROVINCIALIA

Anno 1888 celebrata.

XXIX.

Collegium apost. de Chillan, in Rep. Chilena.

Die 5 Aprilis currentis anni in Guardianali Capitulo apostolici Collegii S. Ildephonsi de Chillan in Rep. Chilena rite et canonice electi sunt:

Guardianus Collegii

R. P. Emmanuel Cerda.

Discreti

R. P. Bonaventura Ortega.
R. P. Augustinus Venegas.
R. P. Jacobus Romero.
R. P. Samuel Mella.

XXX.

Collegium apost. S. Jacobi de Chile.

Die 20 Julii vertentis anni, in Guardianali Capitulo Collegii nostri apostolici S. Maria de Capite (vulgo *La Recoleta*) in Civitate S. Jacobi de Chile, sub praesidentia Adm. Rev. P. Isaiae Nardocci, Commissarii Generalis, canonice electi sunt:

Guardianus

R. P. Michael Reyes.

Discreti.

R. P. Gregorius Vargas.
R. P. Emmanuel J. Castillo.
R. P. Hieronymus Mayorga.
R. P. Joannes Baptista Gallardo.

XXXI.

Recol. Provincia S. S. Cordis in Statibus Foederatis.

In Capitulo Recollectae nostrae Provinciae Sacratissimi Cordis Jesu in Statibus Foederatis Americae septentrionalis, habito in Conventu ad S. Antonium civitatis S. Ludovici, die 25 Julii anni vertentis, praesidente Adm. Rev. P. Hieronymo Kilgenstein, Commissario Visitatore, canonice electi fuerunt:

Minister Provinciae

Adm. R. P. Ferdinandus Bergmeyer.

Custos

R. P. Anselmus Müller.

Definitores

R. P. Franciscus Albers.
R. P. Paulus Teroerde.
R. P. Nicolaus Leonard.
R. P. Innocentius Wapelhorst.

XXXII.

Collegium apostol. Taratae in Bolivia.

In Capitulo Guardianali apostolici nostri Collegii Missionum S. Joseph civitatis *Taratae* in Bolivia, celebrato die 6 mensis Augusti anni currentis, praesidente Adm. R. P. Alexandro Maria Corrado, Commissario Generali, rite et canonice electi fuerunt:

Guardianus Collegii.

R. P. Cherubinus Francescangeli.

Discreti.

R. P. Hugolinus Garleri.
R. P. Paschalis Bianchi.
R. P. Cyrillus Paone.
R. P. Hugolinus Russo.

XXXIII.

Ref. Prov. S. Joannis Bapt. in Statibus Foederatis.

Die 8 mensis Augusti vertentis anni, capitulum Ref. nostrae Provinciae S. Joannis Baptistae de Cincinnati, in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, celebratum est in residentia ad S. Clementem oppidi S. Bernardi (in statu Ohio) sub praesidentia Adm. R. P. Vincentii Halbfas, Commissarii Visitatoris, et canonice electi sunt:

Minister Provincialis

Adm. R. P. Hieronymus Kilgenstein.

Custos Provinciae

R. P. Ludovicus Haverbeck.

Definitores

R. P. Maximilianus Schaefer.
R. P. Petrus Baptista Englert.
R. P. Raphael Hesse.
R. P. Chrysostomus Theobald.

XXXVI.

Die 20 elapsi mensis Augusti anni currentis, habitum est Guardianale Capitulum nostri Apostolici Collegii Civitatis Quiti in Republica Aequatoris, praesidente Adm. Revdo Patre Q. Leonardo Cortes, Commissario Generali. Rite et canonice electi fuerunt:

Guardianus Collegii

R. P. Angelus Meneses.

Discreti Collegii

R. P. Franciscus Camps.
R. P. Antonius Argelich.
R. P. Antonius Serra.
R. P. Pacificus Hernandez.

XXXVII.

Ref. Provincia Imm. Conceptionis in Longobardia.

Praeside Adm. R. P. Thoma a Vallibus Dominorum, actuali Ministro Provinciae Venetiarum et Comm. Visitatore, die 9 Augusti 1888 in Conventu S. Mariae Angelorum de Sabbioncello cèlebratum fuit Capitulum, in quo electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Joannes Petrus a Bergamo, ex Praef. in Albania.

Custos Vocalis

A. R. P. Ignatius a Romano, ex Min. imm.

Definitores

A. R. P. Archangelus a Mediolano, ex Min.
R. P. Leo a Saronno.
R. P. Antonius a Ticino.
R. P. Hieronymus a Mediolano.

XXXVIII.

Ref. Provincia S. Antonii Bavariae.

In Capitulo Provinciali, celebrato in Ven. Conventu S. Annae Monachii, die 9 Augusti 1888, Praeside Adm. R. P. Aloysio Lauer, Definitore Generali Ordinis et Comm. Visitatore, rite et canonice electi sunt:

Minister Provincialis

Adm. R. P. Leo Seidl.

Custos Vocalis

R. P. Petrus de Alcantara Hötzl.

Definitores

R. P. Modestus Leipold.
R. P. Jo. Chrysostomus Luft.
R. P. Hugolinus Erras.
R. P. Bertrandus Egger.

XXXIX.

Ref. Provincia Tridentina in Tyrolo meridionali.

Die 22 Augusti in Conventu S. Bernardini prope Tridentum, rite et canonice Capitulum celebratum fuit, Praeside Comm. Visitatore, Adm. R. P. Francisco Antonio a Vicetia, Ref. Provinciae Venetae Exministro, in eoque electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Constantinus a Cimbria.

Custos Vocalis

R. P. Seraphinus a Valle Arsia, S. Th. Lect.

Definitores

R. P. Bonaventura a Tridento, S. Th. Lect.
R. P. Hieronymus a Furno, S. Th. Lect.
R. P. Venantius a Fundo, Lect. Gymn.
R. P. Alexander a Curtibus Navium, S. Th. Lect.

—

Ref. Provincia Lyciensis.

ELECTIO VICARII PROVINCIALIS

Defuncto die 10 Septembris a. r. p. Eugenio a Martina, actuali Provinciae Ministro, Definitorii Patres sub praesidentia a. r. p. Gregorii Mariae a Nerito, ex Ministri Provincialis et dignioris Provinciae Patris, ad normam statutorum Generalium, die 22 Septembris in Conventu Lyciensi S. Mariae de Itria, coadunati rite et canonice elegerunt in Vicarium Provincialem Adm. R. P. Raphaelem a Foggiano.

III.
MISSIONES

—

EX REPUBLICA ARGENTINA.

Relatio R. P. Quirici Porreca, Guardiani Collegii Rivi-Quarti, E.mo ac R.mo D.no Joanni *Cardinali* Simeoni, *S. C. de Propaganda Fide Praefecto.*

Eme ac Rme Domine.

Non voluntate, sed necessitate multam interposui moram quominus id perficerem, quod an. 1886 per Ministrum Generalem (1), Emin. V.

(1) Cfr. *Acta Ordinis* anni 1886, pag. 128.

fieri mandavit; territorii nempe, nec non status moralis materialisque Missionum huius Collegii descriptionem conficere et ad S. Cong. istam transmittere; nondum enim cognitum et exploratum erat territorium illud, in quo adlaborarunt et laborant Missionarii nostri; nunc vero, his novissimis mensibus opus, quod mihi deerat, per Gubernium ipsum scienter perfectum est: ideo qua possum diligentia et claritate mandatum persolvam: et quoad

PRIMUM QUAESITUM

Ad austrum Cordubensis Provinciae territorium habetur, quod infideles permulti, bellatores audacissimi, et nomini christiano christianisque infestissimi, incolebant. Hi frequentibus excursionibus mactando, depraedando et quotquot in manus suas inciderent, in servitutem redigendo, finitissimas regiones depopulabant. Ad tantis calamitatibus finem ponendum, et securam agendam vitam incolae Rivi Quarti, qui tunc parvi momenti pagus erat statioque militaris, utpote barbaris illis proximiores, ad Gubernium se contulerunt, et ut in oppidulo suo domus Missionis fundaretur, sollicitarunt. Hujus Provinciae Gubernator, una cum dioecesano Episcopo, et annuente non tantum, sed et auxiliante Gubernio Nationis, R. P. Marium ex Ordine Minorum Ref. Prov. Bononiensis alumnum, tunc per accidens supra nominati Rivi Quarti degentem (fuerat enim Missionarius in Bolivia) ut Romam pergeret, delegarunt, atque a Ministro Generali Ordinis aliquot Religiosos, et a S. Congregatione ista in dicto loco domus Missionis fundandae facultatem impetraret. Voti compos factus, P. Marius, Roma una cum duodecim sociis ex sui ipsius Ordine regressus est, et eodem anno, scilicet 1856, Rivi Quarti Missionem fundavit. Ab initio tamen novis Missionariis multae occurrerunt difficultates ita, ut opus tam feliciter inceptum, et ex quo tanta bona sperabantur ventura, periclitaretur: sed misericors Deus postquam probasset eos, occurrit illis in auxilium; nam tum Civium tum Guberniorum, Provincialis scilicet et Nationalis, non defuerunt eleemosynae, quibus Missionarii sustentarentur, et a fundamentis erigeretur Collegium, quod hujus Reipublicae omnium novissimum est.

AD SECUNDUM

Hujus Provinciae territorium extenditur a gradu 28 lat. et a 62 ad 66 long. Greenwich: circumscribitur vero ad Aquilonem a Provinciis Catamarcae et Sancti Iacobi *del Estero,* ad meridiem a Prov. Bonaerensi et a Gubernatione Pampae centralis, ad Orientem a Provincia S. Fidei, ad Occidentem a Prov. Ruconiae seu Rioxe et Sancti Aloysii. Superficies totius Provinciae extenditur ad 166, 600 Kilometra quadrata. Varia perfluunt flumina, sed majoris momenti sunt quinque: Primum, nempe, Secundum, Tertium, Quartum, et Quintum appellata. Regio ista plana est et ad prati instar pascua, aquilonem versus montes inveniuntur et arbores, quarum praecipue *Algarrobo* et *Quebracho;* adsunt et metalla, sed haec industria in sua adhuc infantia versatur.

AD TERTIUM

Territorium Praefecturae hujus Collegii confinia habet ad Aquilonem cum Provinciis *Mendoze* et Sti Aloysii a parallelo 35, et cum hac ipsa Pr. Cordubensi a parall. 36, ad meridiem cum flumine Rubeo, vulgo Rio Colorado, ad Occ. cum Prov. item Mendoze a meridiano, 63. 35, ad Orient. cum Prov. Bonaerensi a meridiano 68. 40. Superficies autem ascendit ad 261. 700 Kilometra quadrata. Regio ista arida est et deserta, caret et arboribus, et ideo nunc fere depopulata; antehac enim multae infidelium tribus ibi incolebant, inter quas Missionarii nostri ministerium suum exercebant: iterato quidem a Gubernio ipso delegati tractatus cum illis inibant, a captivitate quotquot christianorum potuissent, redimebant, etc. etc: sed anno 1877 Gubernium Nationale populis illis bellum indixit, et ex eis alios disperdidit, reliquos subjugavit, et fere omnes exercitui inservire coëgit.

AD QUARTUM

Provincia Cordubensis, una ex 14 Reipublicae Argentinae, proprium habet Gubernium, quod est repraesentativum, ac tertio quoque anno populariter renovatur, et sedem habet Cordubae. Pampa autem regitur per Gubernatorem militarem a Reipublicae Praeside nominatum, et residet in pago, vulgo *General Acha.*

AD QUINTUM

Lingua Hispanica communis est in hac Provincia: in Pampa autem infideles utuntur lingua vernacula propria, araucana nempe, seu Rauquelensi.

AD SEXTUM

Regio temperata et benigna est in Provincia. In Pampa vero aestivo tempore, propter soli siccitatem, calida; hiemali autem, valde frigida. Infirmitates his locis propriae sunt: *Pneumonia*, Gastroenteritis, et *Variola*, quae postremae charactere epidemico seu contagioso semper apparent; in Pampa praeterea mortis repentinae casus frequentissimi sunt.

AD SEPTIMUM

Populus Cordubensis ad 63 millia civium ascendit, totiusque Provinciae incolae ultimo censu inventi sunt 304.000, omnes catholici, perpaucis alienigenis protestantibus exceptis. Incolae Pampae 35.000 sunt, ex quibus 2.000 circiter infideles.

AD OCTAVUM

Priusquam Gubernium Nationale regione Pampae potiretur, Missionarii nostri tres Stationes tenebant, *Sarmiento* nempe, quae nunc Parochiae Rivi Quarti adjudicata est, *Totorita* et *Tres de Febrero* denominatas. Post infidelium dispersionem vero reductiones illae ab ipso Gubernio destructae sunt. Duo Sacerdotes, et certis temporibus tres, illis inserviebant. Nunc in territorio adhuc nullius Dioecesis, Cappellanus militaris tantum adest, qui parochialia jura exercet, qua de causa, et, ut contentiones cum illo evitarentur, Praefectus cessit juri suo, usque dum provideatur.

AD NONUM

Corduba Sedes episcopalis est, nunc vacans et Metropolitanae Bonaerensis suffraganea; jurisdictionem suam etiam in Provinciam Rioxe exercet. Praefectus Missionis hisce postremis annis in pago Pampae Centralis, Victorica dicto, residebat.

AD DECIMUM

Civitas et tota parochia Rivi Quarti quam exclusive Missionarii nostri in spiritualibus administrant, vastissima est; extenditur enim à parall. 33 ad 35. et a merid. 63,20 ad 65,15. Civitas numerat 15.000 habitatores, omnes catholici; et tota parochia 40.000 et amplius. Pertinet ad Episcopatum et Gubernium Provinciae Cordubensis. In civitate, habentur tres Ecclesiae: Parochialis scilicet, hujus Collegii et Sororum Tertii Ordinis S. P. N. Francisci, et nunc Sacellum in Nosocomio. Extra Civitatem diversis in locis aedes Viceparochiales decem, una scilicet in Reductione, sic dicta, valde a populo frequentata ad instar Sanctuarii, propter magnam devotionem erga imaginem SS. Crucifixi, quae ibi asservatur. Aliae aedes sacrae existunt in locis vulgo dictis *Carlota, Achiras, Sampacho, San Bartolo, Rodeo viejo, Tegua, Penas, Chajan* et *Sarmiento;* in Pampa autem centrali una tantum habetur parva Ecclesia nuper erecta in pago Victorica, et anno superiori una cum Coemeterio benedicta. Ecclesiae et sacrae aedes fere omnes per Missionarios hujus Collegii a fundamentis erectae sunt.

AD DECIMUM PRIMUM

In hoc apostolico Collegio tredecim sunt Sacerdotes ex quibus quinque indigenae. Duo vel tres Missionibus Infidelium, reliqui Parochiae et missionibus inter fideles inserviunt.

AD DECIMUM SECUNDUM

Corduba varia possidet Seminaria Regularium, in quibus juvenes ad statum ecclesiasticum aspirantes educantur; et Seminarium Conciliare, in quo educantur 150 juvenes.

In territorio autem hujus missionis unum tantum invenitur in hoc ipso Collegio, in quo duo Clerici nostri Ordinis educantur in disciplinis Theologicis.

AD DECIMUM TERTIUM

Multa Coenobia et Monasteria utriusque sexus habentur in hac Dioecesi, sub immediata directione hujus Apostolici Collegii. Domus Missionum Rivi Quarti cum tredecim Sacerdotibus, duobus clericis, professo uno, altero novitio, et quinque laicis professis: insuper quatuor Sororum 3 Ord. S. P. N. Francisci Collegia, Saltae nempe, Cordubae, Villae novae et Rivi Quarti, in quibus 65 Sorores

degunt et educationi puellarum inserviunt: quae inter internas et externas assurgunt ad 758.

AD DECIMUM QUARTUM

Civitas Rivi Quarti scholam graduatam et scholam normalem mixtam possidet; sed in his educatio christiana desideratur; habet et octo, quatuor nempe pro uno quoque sexu, scholas elementares municipales sub inspectione Missionariorum; in his educantur pueri 800 plus minusve, puellae 1105. Per Parochiam habentur scholae in reductione *Achiras, Carlota, Tegua, S. Bartolo, S. Catalina, S. Bernardo, Sampacho* et *Chajan*. In his pueri 541 et puellae 616 christiane educantur.

AD DECIMUM QUINTUM

In hac Civitate habentur Societates charitatis, sub invocatione Sancti Vincentii à Paulo, pro infirmis in Nosocomio, et Misericordiae; pro pauperibus et infantulis in orphanotrophio nuper erecto. Hic et per parochiam ad fovendam pietatem inter fideles, Missionarii nostri varias Confraternitates introduxerunt, vel instaurarunt, utpote Tertii Ordinis S. P. N. Francisci pro saecularibus, B. Mariae de M. Carmelo, de Mercede, SSmi Rosarii, Filiarum Mariae, Societates Bonae mortis, Apostolatus orationis, Confraternitas Cordigerorum S. P. Francisci etc. etc.

His responsis chartam Territorii Parochiae Missionumque geograficam adjungo, ut omnia clarius appareant. Si in his E. V. officio meo erga mandati tui scopum satisfecero, gaudium mihi erit; sin autem, benignitas tua inopiae mentis meae indulgeat.

Dat. Rivi quarti die 25 Augusti 1888.

Em. V. Rmae

Humilis in Dno Servus

Fr. Quiricus Porreca, *Guardianus*.

—

IMPERIUM SINENSE

Elenchus *Missionariorum ex Ordine nostro in Imperio Sinensi degentium.*

Chan-tong Septentrionalis.

Vicarius Apostolicus: Rmus Beniaminus Geremia, Episcopus titularis Usul. Obs. Provinciae Molisii. Residentia: *Tsi-nan-fu.*

1. P. Petrus Paulus de Marchi a S. Vito, Obs. Prov. Venetiarum.
2. P. Stephanus Pasinetti a Bergamo, Obs. Prov. Venetiarum.
3. P. Zeno Moeltner a Caldaro, Refr. Prov. Sancti Leopoldi Tyrolensis.
4. P. Anselmus Caillard a S. Salvatore, Obs. Prov. Galliae.
5. P. Caesarius Schang a Cappel, Obs. Prov. Galliae.
6. P. Josephus Vila, Min. Obs. Hispanus.
7. P. Pius Trovarelli a Neptuno, Obs. Prov. Galliae.
8. P. Eugenius Pandellé a Crouzeilles, Obs. ex Gallia.
9. P. Rochus Lescureux ab Airaines, Obs. Prov. Galliae.
10. P. Barnabas Meistermann ab Alsatia, Obs. Prov. Galliae.
11. P. Matthaeus Fenocchio, Tertiarius.
12. Fr. Octavius a Greccio, Laicus Obs. Provinciae Seraphicae.

Chan-si.

Vicarius Apostolicus: Rmus Aloysius Moccagatta, episc. titul. Zenopolitanus, Obs. Prov. Romanae. — Coadjutor Rmus Gregorius Grassi, episc. titul. Opthosien., Obs. Prov. Bononiensis; Residentia: *Tai-jenfu.*

1. P. Franciscus Maria Fagolla a Monteregio, Obs. Prov. Bononiensis, Director Seminarii.
2. P. Elias Facchini a Renocentese, Obs. Prov. Bononiensis.
3. P. Athanasius d' Agostini a Ferentino, Obs. Prov. Romanae.
4. P. Martinus Poell, Recoll. Provinciae Hollandiae.
5. P. Stanislaus Cornelisse, Recoll. Prov. Hollandiae.
6. Augustinus Faay, Recoll. Prov. Hollandiae.
7. P. Odericus Timer, Recoll. Prov. Hollandiae.
8. P. Hugolinus Villeret a Dorlanio, Obs. Prov. Galliae.
9. P. Theodoricus Balat, Obs. Prov. Galliae.
10. P. Norbertus Janssens, Recoll. Prov. Hollandiae.
11. P. Theodorus Leenen, Recoll. Prov. Hollandiae.

12. P. Bonifacius Timer, Recoll. Prov. Hollandiae.

Chan-si septent.

Vicarius Apostolicus: Rmus Amatus Pagnucci, Obs. Prov. Thusciae, Episc. tit. Agathonicen. — Coadiutor: Rmus Pius Vidi, Obs. Prov. Venetiarum, Episc. titul. Cestrinus. Residentia: *Cum juen-fang.*

1. P. Josephus Grané a Barcinone, Obs. Prov. Galliae.
2. P. Sanctes Propoggi a Ferentino, Obs. Prov. Romanae.
3. P. Petrus Baptista Galea a Melita, Obs. Custodiae Melitensis (ad tempus moratur in Chen-si meridionali).
4. P. Athanasius Goette, Recoll. Prov. SS. Cordis in Statibus Americae Foederatis.
5. P. Stephanus Rougé a Beauteville, Obs. Prov. Galliae.
6. P. Amedaeus Tissot de Merona, Obs. Prov. Galliae.
7. P. Hugo Scallan, Recoll. Custodiae Angliae.
8. P. Gabriel Maurice, Reform. Prov. Galliae.
9. Fr. Gaspardus Selin, Laicus, Obs. Prov. Galliae.

Hou-nan meridionalis.

Vicarius Apostolicus: Rmus Eusebius Semprini, Ord. Min. Ref., Prov. Longobardiae, episc. tit. Tiberiopolitanus; residet prope civitatem *Hen-kiou-fu.*

1. P. Ansgarius Braun, Reform. Prov. Tyrolis septentrionalis.
2. P. Joannes Capistranus Goette, Recoll. Prov. SS. Cordis.
3. P. Edmundus Rödiger, ejusdem Prov. SS. Cordis.
4. P. Erhardus Strobl. Ref. Prov. Tyrolis septentrionalis.
5. P. Xaverius Engbring, Recoll. Prov. SS. Cordis.

Houpé Orientalis.

Vicarius Apostolicus: Rmus Epiphanius Carlassare, Ref. Prov. Venetiarum, Episc. tit. Madaurensis; residentia: *Ou-tchang-fu.*

1. P. Celsus Ferraroni, Ref. Prov. Bononiensis.
2. P. Angelus Vaudagna, Ref. Custodiae S. Thomae in Pedemontio.
3. P. Didacus Lera, Ref. Prov. Bononiensis.
4. P. Honorius Mesini a Mutina, Ref. Prov. Bononiae.
5. P. Aloysius Sonsini, Ref. Prov. S. Bernardini in Aprutio.
6. P. Joannes Hofman, Recoll. Prov. Hollandiae.
7. P. Aegidius Brokman, Recoll. Prov. Hollandiae.
8. P. Bonifacius Oomsels, Recoll. Prov. Belgii.
9. P. Henricus Van Kessel, Recoll. Prov. Hollandiae.
10. P. Theophilus Oovens, Recoll. Prov. Hollandiae.
11. P. Mauritius Robert, Recoll. Prov. Belgii.
12. P. Gherardus Van-Elk, Recoll. Prov. Hollandiae.
13. P. Leonardus a Pedelama, Ref. Prov. Seraphicae.
14. Fr. Humilis Vetta, Laicus Custodiae Romanae Recessuum S. Bonaventurae.

Houpé occiduo-meridionalis.

Vicarius Apostolicus: Rmus Alexius Filippi, Ord. Min. Ref., Prov. Bononiensis, episc. titul. Paneadensis. Residentia: *Ita-Chang-fu.*

1. P. Candidus Risardi a Rigoli, Ref. Prov. Tusciae.
2. P. Joannes Franzoni a Botticino, Ref. Prov. Mediolanensis.
3. P. Beniaminus Christiaens, Recoll. Prov. Belgii.
4. P. Gabriel Van Gestet, Recoll. Prov. Belgii.
5. P. Laurentius Fuchs, Ref. Prov. Tyrolis septentrionalis.
6. P. Basilius Papin a Gorges, Ref. Prov. S. Bernardini in Gallia.
7. P. Zacharias de Keyser, Recoll. Prov. Belgii.

Houpé Occiduo Septent.

Vicarius Apostolicus: Rmus Ezechias Banci, Ord. Min. Ref. Prov. Thusciae, Episc. titul. Halicarnassen. Residentia: *Lao-ho-keu.*

1. P. Felix Siano de Palma, Ref. Provincia Neapolis.

2. P. Antoninus Fantosati, Ref. Prov. Seraphicae.
3. P. Benedictus Franzini, Ref. Prov. Tusciae.
4. P. Modestus Everaerts, Recoll. Prov. Belgii.
5. P. Quirinus Henfling, Recoll. Prov. Belgii.
6. P. Franciscus Xaverius Vosters, Recoll. Prov. Belgii.
7. Fr. Valentinus Romoli, Laicus Ref. Prov. Tusciae.
8. P. Remigius Goette, Recoll. Prov. S. Crucis Saxoniae.

Summa generalis.

Episcopi Franciscales	9
Franciscales Missionarii universim . . .	67
Adsunt praeterea circiter sacerdotes indigenae	80

—

STATUS

Pro-Praefecturae Apostolicae Castratensi in Albania.

Missio montana Scodrensis complectitur tribus *Castrati, Hothi, Kelmen* et *Gruda* ad Archidioecesim Hodrensem spectantes, necnon tribus *Triapci, Coccia* et *Potgoritz*, quae Archiepiscopo Antibarensi in spiritualibus, et Principi Montisnigri in temporalibus subsunt, dum quatuor priores Turcarum Imperatori subjectae sunt. — Praeter praefatas tribus ad Missionem pertinent duae paroeciae *Sestani* et *Liari*, in Archidioecesi Antibarensi. — Populus valde pauper vivit ex arte pastoritia et fructu terrae petricosae, quae panem vix supra anni medietatem sufficientem producit; loquitur lingua Albanensi.

Tribus *Castratensis* duas habet Parochias: *(a) Castrati Superius* ad *S. Marcum Evangelistam*, protenditur ad horas $2^1/_2$ longitudine et 2 latitudine; in ea adest Confraternitas Sanctissimi Sacramenti. *(b) Baiza* ad *S. Petrum Apostolum* long. horarum 2, latit. totidem, cui pertinent duo vici inter Turcas siti, nempe *Buzuite* (distat a Parochia hor. $2^1/_2$) qui habet domos 20, animas 145, et *Coplika* (distat a Parochia horas 3) qui habet domos 30, animas 215. — In Parochiali Ecclesia erecta est Confraternitas Immaculatae Conceptionis.

Tribus *Hothi* duas pariter Parochias efformat: *(a) Arapscia* ad S. Joannem Baptistam, quae protenditur ad 8 horas longit. et 3 latit., in qua adest Confraternitas sanctissimi Rosarii. Huic Parochiae pertinent tres Capellae *Cascia* distat 1 hor., *Drumai* distat hor. 4, et *Stare* distat 2 horas. *(b) Trabuina* ad Maternitatem B. V. MARIAE, extenditur per 5 horas longitudine et $1^1/_2$ latitudine; in ea extat Confraternitas Carmeli.

In tribu *Kelmen* duae item Parochiae sunt: *(a) Selze* ad *S. Clementem P. M.;* protenditur tempore hiberno ad 2 horas longit. et 1 latit.; tempore vero aestivo ad 14 horas longit. — Ad haec pertinent Capellae *Vratta* $^1/_2$ hora a Parochiali Ecclesia, *Vermose* 6 horis a Parochia, et *Zelatin* 12 horis. Circiter 210 familiae hujus Parochiae tempore hiberno prope Scodram degunt, ubi terras et pascua possident. Parochiae subsunt etiam 7 familiae inter Turcas degentes in pago *Visgniov* distanti 10 horas, et una in pago *Argianizza* distanti horas 13. *(b) Vukli et Nikci* ad S. Nicolaum Borensem, long. hiberno tempore horis 6, aestivo autem 12, lata hiberno tempore 1, aestivo 6 hor. — Habet Congregationem B. V. MARIAE Auxilium Christianorum. Etiam istius Parochiae 151 familiae hiberno tempore prope Scodram degunt.

Tribus *Gruda* Parochiam efformat ad S. Martinum, 5 horarum longitudinis et 4 latitudinis, maxime arduam. Tribus *Triapsci, Coccia* et *Potgoritz* totidem Paroecias constituunt, quorum prima ad horas 2 longitudinis et 1 lat. protenditur; duae aliae parvae sunt. — De Parochiis *Sestani* et *Liari* nulla habetur relatio, eas enim visitare non potuit Propraefectus Apostolicus.

Adm. R. P. GABRIELA MUTINA
Ref. Prov. Bononiensis.

CONSPECTUS PAROCHIARUM MISSIONIS

(exceptis Sestani et Liari).

Parochiae (1)	*Familiae*	*Animae*	*Baptism.* (2)	*Matrim.*	*Mortui*	*Commun. Pasch.*	*Commun. ex devot.*
Castrati *(a)*	162	1139	174	44	58	640	324
Baiza *(b)*	191	1660	301	63	61	500	300
Arapscia *(c)*	192	1800	180	55	138	900	200
Trabuina	200	1890	174	44	127	700	300
Selze (3)	307	2218	212	34	93	400	900
Vukli *(d)*	321	2067	197	44	51	884	1178
Gruda *(e)*	200	1200	132	33	60	700	150
Triapci	105	700	62	18	32	360	100
Coccia	44	264	31	10	15	110	52
Potgoritz	12	72	5	1	3	32	10
Summa	1734	13010	1468	343	638	5226	3514

Nota (1) Decem parochiis totidem Missionarii inserviunt.
(2) Baptismata, Matrimonia et Mortui computantur ab anno 1882 ad 1887.
(3) Communiones in Selze et Vukli plures sunt tempore aestivo.
(a) Adsunt insuper 91 turcae in 13 familiis.
(b) Turcae 280 in 30 familiis.
(c) Turcae 49 in 7 familiis.
(d) Turcae 40 in 7 familiis.
(e) Turcae 490 in 70 familiis.

IV.

VARIA.

—

SERIES

MINISTRORUM PROVINCIALIUM

Almae Obs. Provinciae Basilicatae ab ejusdem origine anno 1517 (1).

—

1. P. Joannes Franciscus a Potentia 1517
2. P. Joannes a Potentia 1518
3. P. Donatus a Petrafesa (2) 1554
4. P. Franciscus ab Armento 1564
5. P. Ruffinus a Molleonico 1574
6. P. Daniel a Monteferrato 1579
7. P. Archangelus ab Aliano 1582
8. P. Bernardinus ab Arcenova (Roccanova) 1585
9. P. Antonius ab Arce Imperiali 1588
10. P. Seraphinus a Molleonico 1591
11. P. Clemens a Pisticcio 1595
12. P. Hieronymus a Pisticcio 1597
13. P. Franciscus a Cursio 1600
14. P. Hilarius a Picerno 1604
15. P. Alexander a Rocca Imperiali 1607
16. P. Archangelus a Tricarico 1610
17. P. Hilarius a Picerno (2ª vice) 1613
18. P. Jacobus a Viggiano 1616
19. P. Maximus a Pisticco 1618
20. P. Andreas a Pisticco 1621
21. P. Maximus a Rivello 1625
22. P. Archangelus a S. Archangelo 1526
23. P. Alexander a Castrometiano 1629

(1) Ab actuali Ministro, Adm. R. P. Alphonso Tricarico, ad Curiam Generalem transmissa est.
(2) Nulla datur ratio de omissis certe Ministris ab anno 1518 ad 1554 et forsan in sequentibus decenniis.

24. P. Aegidius a Carbone 1632
25. P. Adrianus a Rivello 1635
26. P. Joannes Baptista a Stilliano (1) 1638
27. P. Franciscus a Saponara 1641
28. P. Hilarius a Montalbano 1644
29. P. Hieronymus a Vignola 1647
30. P. Bernardinus a S. Archangelo 1650
31. P. Hilarius a Montalbano (2ª vice) 1652
32. P. Benedictus a Petrafesa 1655
33. P. Maximus a Pisticco 1658
34. P. Alexander a Tertia 1660
35. P. Alexander a Vignola 1663
36. P. Dominicus a Carbone 1666
37. P. Alexander a Tertia (2ª vice) 1669
38. P. Joannes a Pisticco 1672
39. P. Bonaventura a Pisticco 1675
40. P. Maximus a Montalbano (2) 1678
41. P. Antonius a Tricarico 1681
42. P. Maximus a Montalbano (2ª vice) 1684
43. P. Carolus a Tito. 1687
44. P. Alexander a Balvano 1690
45. P. Laurentius ab Arce gloriosa 1693
46. P. Honufrius a Pisticco 1696
47. P. Franciscus a Saxo 1699
48. P. Martinus a Pisticco 1702
49. P. Honuphrius a Pisticco (2ª vice) 1705
50. P. Bernardinus a S. Martino 1709
51. P. Alexander a Balvano (2ª vice) 1712
52. P. Justinus a Craco 1715
53. P. Carolus a Stiliano 1718
54. P. Carolus a Carleto 1721
55. P. Joseph a Craco 1724
56. P. Ferdinandus a Carleto 1727
57. P. Antonius a Battalla (3) 1730
58. P. Michaelangelus a S. Mauro forti 1733
59. P. Angelus Antonius a Pomilleano 1736
60. P. Bonaventura a Calciano 1739
61. P. Nicolaus Maria a Lacunigro 1742
62. P. Joannes a Craco. 1745
63. P. Franciscus Maria a Salvio 1748
64. P. Nicolaus a Craco 1751
65. P. Joannes Jacobus a Sarcone 1754
66. P. Chrysantus a Stilleano 1757
67. P. Bonagratia a Tito 1760

(1) Qui Reformatus extitit, ac sub ejus regimine Provincia in duas partita fuit.

(2) Primo Vicarius ac deinceps Minister Provinciae electus.

(3) Primum Vicarius Provinciae deinde Provincialis electus.

68. P. Ferdinandus a Craco 1763
69. P. Joannes Franciscus e Montomurro 1766
70. P. Clemens ab Aliano 1769
71. P. Joannes Franciscus a Tito 1772
72. P. Bernardinus a Gallicinio 1775
73. P. Joannes Vincentius a Moliterno 1778
74. P. Deodatus ab Aliano 1784
75. P. Aegidius a Calvello 1788
76. P. Bernardinus a Gallicinio (2ª vice) 1791
77. P. Josephus Maria a Calvello 1794
78. P. Aloysius ab Aliano 1797
79. P. Justinus a Tito 1800
80. P. Prosper a Gallicinio 1803
81. P. Antonius a Moliterno 1806
82. P. Bernardinus a Pisticco 1809
83. P. Justinus a Tito (2ª vice) 1816
84. P. Aloysius ab Aliano (2ª vice 1819
85. P. Joseph Maria a Calvello (2ª vice) 1822
86. P. Raphael ab Aliano 1826
87. P. Bernardinus a Montomurro 1829
88. P. Prosper a Gallicinio 1831
89. P. Carolus a Stilleano 1832
90. P. Angelus Maria a Balvano 1835
91. P. Jeremias ab Arce Scaliga (per 6 annos). 1838
92. P. Alexander a Castrometiano 1843
93. P. Raphael a Tito 1846
94. P. Philippus a S. Mauro forti 1849
95. P. Antonius a Calvello 1852
96. P. Franciscus Antonius ab Oliveto Lucano. 1856
97. P. Philippus a S. Mauro forti (2ª vice) (1) 1859
98. P. Alexander de Acerentia 1863
99. P. Alphonsus Maria Aragiusto a Tricarico (2). 1884

—

ALBANIA.

Institutio et propagatio Tertii Ordinis S. P. N. Francisci in Troscian.

Paucis abhinc annis opera et zelo P.P. Franciscanorum Tertius Ordo seraphicus institutus est Scodrae metropoli Albaniae, qui

(1) In Capitulo Generali anno 1862 Definitor Generalis renuntiatus.

(2) Primus post suppressionem civilem electus ex decreto Ministri Generalis, et iterum confirmatus anno 1887.

quanta animabus illis beneficia praestat, satis in hac regione notum est. Ast in pagis, quamvis vicinis, institutio hujus Ordinis multo difficilior fuit ob rudem populi captum.

Superiore anno infra scriptus Missionarius coepit exhortari, commonere et docere populum spirituali suae curae concreditum officia, onera, privilegia, jura ac emolumenta Tertii Ordinis seraphici, eumque invitare ad amplectendum hunc praeclarum poenitentium Ordinem, quem tantopere allevavit et paterne commendavit sapientissimus Papa Leo XIII.

Conciones sacras super hoc argumento factas persaepe ab altari incassum abiisse fructuque suo frustratas esse, jam facti evidentia timere sinebat: nam undique auditi sunt vani timores et futiles quaestiones exortae sunt, quasi infernus ipse moveret omnem lapidem, ut impediretur haec tam generi humano proficua institutio.

Ipsemet cogitavi in corde meo, nihil esse posse de opere incoepto. Haec me cogitante imago semper Immaculatae Virginis, principalis Patronae Ordinis nostri Seraphici, mihi in mentem venit, statimque supplex Eam rogavi ut me pusillum adjuvaret: et illico apparuit alter status rerum; nam fideles christiani excitati velut e profundo lethargo confluunt acervatim ad informationem ac instructionem accipiendam.

Multi non solum ex propria parochia, sed etiam e vicinioribus villis ac pagis petunt habitu sacro indui modo tertiariis praescripto, ita ut spatio unius mensis plus quam 100 ex dignioribus personis diversi sexus Tertio Ordini adgregatae fuerint.

Feria IV Cinerum hujus anni habita est prima Congregatio, ubi plus quam 90 personae praesentes fuerunt, quae necessarios sibi Ministros ac officiales crearunt.

Quam dulce et decorum fuit videre in aliqua re prius discordes christianos se amplexari dulcissimoque fratris vel sororis nomine appellari!

Videre est exactam observantiam officiorum boni catholici, fraternam ad invicem correctionem, aemulationem virtutum ac omnimodam obedientiam et submissionem P. Directori suo, qui quanta auctoritate apud eos polleat, vel inde patet, quod in parochia nihil fit sine illius consensu.

Valde laudabiles sunt etiam, quod non solum sibi volunt vivere, sed et aliis proficere ducti Dei zelo, invitando confratres suos ad amplectendum quantocyus Tertium Seraphicum Ordinem.

Deus misericors, Beata ac Immaculata V. Maria et S. P. N. Franciscus prosperum in virtutibus iter faciant novis Tertiariis eosque protegant.

Trosciani die 15 Novembris 1887.

Fr. Laurentius Mihaćević, *Missionarius.*

V.

BIBLIOGRAPHIA

Anselmus (P.) a Fontana. — Il parroco di campagna al suo popolo, sul Vangelo delle domeniche, pel P. Anselmo da Fontana, Cappuccino. Sesta edizione riveduta dall' autore. — Milano, Eredi di Ernesto Oliva, editore. Via S. Pietro all' Orto, 17. 1888. Pag. 359.

Bonifacius Stephanus, Min. Obs. — Liber de Perenni Cultu Terrae Sanctae et de fructuosa ejus peregrinatione, auctore Fr. Bonifacio Stephano Ragusino, Ordinis Minorum Obs. Praedicatore Apostolico et Stagni episcopo. Venetiis, ex typ. L. Merlo Joh. Bapt. filii, 1875, in-12, pag. XX-319 (pretio L.). Invenitur apud Commissarium Terrae Sanctae Venetiarum, *S. Francesco della Vigna.*

Exuperius (P.) a Prats-de-Mollo. — Sainte Madaleine dans l' Evangile par le R. P. Exupère de Prats-de-Mollo, Capucin. — Tournai, Casterman. 1888. 3 volumes T. 1.° pag. 365. T. 2.° pag. 374. T. 3.° pag. 313.

Imparati (Mons. Francesco Maria) Vescovo di Venosa. — L' Assunzione corporea di Maria in Cielo e l' Ordine Serafico. — Discorso recitato in Roma nell' Accademia Tiberina il 24 Maggio 1869. Roma, tipografia Sociale, 1888, in 8.°, pag. 20.

Olmi (D. Gaspero). — La Via Crucis a Gerusalemme. Genova, Tipografia Arcivescovile, 1886. In 32. pag. 69.

VI.
NECROLOGIA

—

R. P. Franciscus Uribe anno 1846 habitum seraphicum induit in Collegio apostolico S. Ildephonsi de Chillan, in Chilena Republica, quum decimum octavum annum attingeret. Emissa solemni professione sedulo philosophiae operam navavit, sed infirma valetudine propter vitae austeritatem probatus, nonnisi anno 1856 sacris ordinibus et sacerdotio initiari potuit.

Novitiorum magister renuntiatus, munere suo cum tyronum profectu et communitatis aedificatione functus est. Cum P. Francisco Chavarria ad Missionem de Malven a superioribus missus, ibidem permansit, donec anno 1859, insurgentibus Araucanis, haec Missio igne vastaretur. Ad Collegium reversus, iterum Novitiis educandis praeficitur, moxque ad Collegii gubernium assumptus est. Durante primo regiminis triennio, sic prudentiae in agendis, patientiae, caritatis et observantiae zeli specimina dedit ut anno 1869, defuncto Guardiano, ipse Collegio iterum praeponeretur.

Quum ad normam Pianae Constitutionis « *Apostolica Sedes* » pro prima vice, Praefectus Missionum Araucanarum esset eligendus, Pater Franciscus hoc munere auctus, duas Missiones de Tirua et de Traiguen fundavit inter Araucanos, easque opportunis legibus stabilivit. Ad naturalem excitandam Araucanorum otiositatem, in Praefectura de Angol, praeter elementarem scholam quae in singulis Missionibus reperitur, aliam quoque instituit ad efformandos in variis artibus Neophitos, unde vitae necessitates sibimetipsis consulerent.

Transacto Praefecturae sexennio, Collegii Guardianus anno 1885 incipiente, tertio est electus ac, licet infirmitate et arduis operibus jam fractus, laborem non recusavit, sed praedixit, tale onus ultimum fore et ad triennii finem forsan haud duraturum. Verbum eventus comprobavit : vix enim quatuordecim elapsis mensibus, per quos regiminis sui bonam memoriam Fratribus omnibus reliquit, die 19 Martii 1886, gravi morbo correptus ac sacramentis pie refectus, paulo post die 9 Aprilis placide animam Deo reddidit, aetatis suae anno 58. R. I. P.

R. P. Valerius Icardi a Ceva, Obs. Provinciae Taurinensis, Missionarius Apostolicus in Vicariatu Chan-si, die 13 Junii proxime elapsi pie in Domino obdormivit, quadraginta et duobus annis in Sinarum Missionibus transactis. Die 21 Aprilis 1814 natus, in juvenili aetate habitum seraphicum induit et sacerdotio anno 1838 insignitus est. Paulo post ad apostolicas Missiones vocatus, et a Superioribus ad Collegium S. Bartholomaei de Urbe missus, subinde ad Provinciam Chan-si anno 1846 destinatur. Robusta pollens valetudine, districtum *Sin-liou* montibus arduum obtinuit, ibidemque per decem annos strenue allaboravit. Varia deinde Missionis negotia tractanda suscepit, et tandem Director orphanotrophii a S. Infantia nuncupati electus est. Quo munere laudabiliter fungebatur, quum ineunte hoc anno crurium inflammatione infirmari coepit, et breviter ad mortem usque devenit. Ad supremum vitae diem obeundum jamdiu se praeparare solitus erat, et hac de causa media nocte quotidie surgebat, ut preces ad sanctam mortem obtinendam recitaret, sicuti confratres ejus testati sunt. Castitatis eximium cultorem, licet cum mulieribus frequenter agere ex officio debuerit, semper ita se praebuit, ut *sicut lilium inter spinas* ab Episcopo suo vocari meruerit. Ex eadem epistola Rmi Vicarii Apostolici de Chan-si novimus, alium pariter sacerdotem Sinensem praematura morte Missioni sublatum fuisse, aliumque aetate et infirmitatibus praepeditum labori imparem factum esse: sicque in elapso anno quasi trium Missionariorum jacturam Vicariatum subiisse. Ideo enixe rogat Ministrum Generalem, ut novos loco defunctorum suppetat evangelicos operarios. Vocem Dei si audierint confratres, corda sua obdurare caveant, sed potius eidem obtemperantes, Praelatis suis vocationem manifestent.

R. I. P.

Nihil obstat

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

DECRETUM

De gratiarum actionibus SS. Cordi Jesu die 31 Decembris 1888.

URBIS ET ORBIS

Plures Catholici Orbis Sacrorum Antistites supplicia vota Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII nuperrime porrexerunt expostulantes, ut omnes Ecclesiae filii, qui hoc anno, ad finem nunc properante, Ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Iubilaeum Sacerdotale ubivis unanimi et impensissimo dilectionis ac religionis studio concelebrarunt, iterum congregentur ad gratiarum actiones Sacratissimo Cordi Jesu persolvendas, unde fluenta divinae misericordiae in omnes abundanter emanant. Hisce porro votis et precibus, quae et eximiae in Deum pietatis, et erga Jesu Christi Vicarium in terris filialis obsequii praestantissimum extant argumentum, ab infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario relatis, Sanctitas Sua obsecundans, declarare dignata est a Se maxime probari et commendari, ut in Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus et aliis, in quibus de Reverendissimorum Ordinariorum consensu placuerit, postrema die, nempe XXXI proximi mensis Decembris, ad Divini Cordis cultum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publicae Fidelium adorationi per aliquod temporis spatium maneat expositum; Beatae Mariae Virginis Rosarii quinque decades recitentur, ac demum post cantum hymni Ambrosiani et *Tantum ergo*, additis Orationibus *Deus, cujus misericordiae*, — *Concede nos*, Collectis pro Papa et pro Ecclesia, populo cum Divina Hostia benedicatur. Singulis vero Christifidelibus rite confessis ac sacra Synaxi refectis, qui ejusmodi publicae deprecationi pie interfuerint, et dulcissimum Servatoris nostri Jesu Christi Cor pro gratiarum actione, ut supra, nec non pro sanctae matris Ecclesiae et Apostolicae Sedis tranquillitate et pace ac pro peccatorum conversione, cum fide et fiducia exoraverint, Beatissimus Pater Indulgentiam Plenariam in forma Ecclesiae consueta, Animabus quoque in Purgatorio detentis applicabilem, benigne concedit. De Postulato autem, quod ab iisdem sacris Praesulibus simul exhibitum fuit, pro elevando annuo festo Sacratissimi Cordis Jesu in tota Ecclesia ad ritum duplicis primae classis, Sanctitas Sua sibi reservavit. Die solemni Omnium Sanctorum, 1 Novembris MDCCCLXXXVIII.

A. Card. Bianchi, *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S.

Laurentius Salvati, *S. R. C. Secret.*

—

E SACRA CONG. INDULGENTIARUM

I. - SEBENICENSIS.

De Indulgentiis adnexis recitationi parvi Officii B. Mariae Virginis.

Postquam SSmus Dnus Noster Leo Papa XIII ex Decreto *Urbis et Orbis*, per hanc S. Congregationem Indulgentiis Sacrisque Re-

liquiis praepositam edito sub die 17 Novembris 1887, ad ferventiorem in Christiano populo fovendam pietatem ac devotionem erga Bmam Virginem, praeter illas jam concessas a S. Pio V, alias impertitus est Indulgentias Christifidelibus recitantibus parvum Officium B. MARIAE Virginis, uti illud prostat in Breviario Romano ab eodem S. Pio V recognito et approbato, huic S. Congregationi sequentia dubia dirimenda proposita fuerunt:

I. *An Christifideles recitantes Officium parvum B. Mariae Virginis, quod est precatio stricto sensu liturgica, in quodvis vulgare idioma versum, etiam cum approbatione Ordinariorum, lucrentur Indulgentias a Summis Pontificibus adnexas recitationi ejusdem parvi Officii, uti innuere videntur plura decreta S. Congregationis Indulgentiarum, et illa praesertim edita sub die 30 Aprilis 1852, et sub die 29 Decembris 1864?*

Et quatenus negative:

II. *An expediat, praefatas Indulgentias extendere etiam ad recitationem ejusdem parvi Officii in quodcumque vulgare idioma versi?*

Porro S. Congregatio, re mature perpensa, auditoque unius ex Consultoribus voto, rescribendum censuit:

Negative ad utrumque.

Datum Romae, ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 13 Septembris 1888.

SERAPHINUS Card. VANNUTELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

ALEXANDER Episcopus OENSIS, *Secretarius.*

—

II. - DUBIORUM.

De injuncto opere orandi ad intentionem Summi Pontificis pro lucrandis Indulgentiis.

Quum inter pia opera, quae ad lucrandas Indulgentias praescribuntur, fere semper injungatur aliqua oratio ad mentem seu intentionem Summi Pontificis effundenda, hinc sequentium dubiorum solutio ab hac Sacra Congregatione Indulgentiarum et SS. Reliquiarum humiliter expostulatur:

I. *Cum ad lucrandas Indulgentias, sive plenarias sive partiales, praescribitur ad mentem seu intentionem Summi Pontificis orare, sufficitne, ut nonnulli docent, orare mentaliter?*

Et quatenus negative:

II. *An sit rejicienda opinio docens recitationem devotissimam etiam unius Pater et Ave cum Gloria Patri sufficere ad explendam conditionem orandi pro Summi Pontificis intentione, vel potius admittenda opinio illorum qui requirunt recitationem quinque Pater et Ave, aut orationes aequivalentes?*

Quibus dubiis Sacra Congregatio rescripsit:

Ad I. — *Laudabile quidem est mentaliter orare, orationi tamen mentali aliqua semper adjungatur oratio vocalis.*

Ad II. — *Detur Decretum in una Briocensi sub die 29 Maii 1841 ad dubium III* (1).

Datum Romae, ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 13 Septembris 1888.

SERAPHINUS Card. VANNUTELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

ALEXANDER Episcopus OENSIS, *Secretarius.*

II.

ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS

Incitamenta Seraphica.

—

DE DISCIPLINA REGULARI RESTITUENDA

CAPUT IV.

DE MORTIFICATIONE.

§ 3. *De vestimentis.*

38. Dum quodam die festivo, ad S. Francisci hortatum et preces, Sacerdos quidam sa-

(1) Briocen 29 Maij 1841.

Dubium III. — An sufficiat quinque Pater et Ave, quae recitari solent ad implendam Summi Pontificis intentionem, quando praescriptum est ut visitetur ecclesia vel altare, ibique fundantur preces, quemadmodum ex. gr. pro lucranda indulgentia plenaria praescriptum est associatis operis Propagationis Fidei?

Resp. ad III. — Preces requisitae in Indulgentiarum concessionibus ad adimplendam Summi Pontificis intentionem sunt ad uniuscujusque fidelis libitum, nisi peculiariter assignentur.

crum celebraret in aedicula S. MARIAE, quam Portiunculam dicunt, illudque Evangelium recitaret, in quo CHRISTUS Dominus discipulis ad praedicandum mittendis formam tribuit evangelicam vivendi, ne videlicet possiderent aurum aut argentum, nec in zonis pecuniam, nec peram in via, nec duas tunicas: (1) attentius instructionem hanc audivit vir DEI, expletisque sacris mysteriis, clarius sibi intimari et explicari rogavit a sacerdote. Quorum perfectum et litteralem sensum ut plenius apprehendit memoriaeque commendans secum ruminavit apostolicae paupertatis amicus, indicibili mox perfusus est laetitia. « Hoc est, in« quit, quod cupio, hoc quod totis praecordiis « concupisco ». Solvit proinde calceamenta de pedibus, deponit baculum, peram rejicit, et pecuniam execratur, unaque contentus tunica, pro cingulo funem sumit, omnem sollicitudinem cordis apponens, qualiter audita perficiat, et apostolicae rectitudinis regulae per omnia se coaptet (2).

39. Habitum simplicem et pauperem, quem assumpsit ipse, etiam illi induere debebant, qui ejus discipuli fieri, ejusque vitae formam sequi desiderabant. Quod ut semper a suis filiis observaretur, in regula sua tum numerum tum qualitatem vestimentorum praescripsit. Breviter ergo, ad quae quoad vestimenta obligemur, consideremus.

40. Vestimenta Fratrum Minorum sunt: Tunica, caputium, chorda, femoralia. Praeterea permittuntur altera tunica interior, mantellum atque sandalia. Haec patent tum ex S. Regula, cap. 2, tum ex Constitutionibus Summorum Pontificum, praesertim ex Bulla Innocentii XI *Sollicitudo pastoralis officii*, in qua Papa dicit: « Declaramus, omnes te« neri ad non utendum pluribus vestimentis, « quam illis, quae Regula praescribit, nempe « una tunica cum caputio et alia sine caputio, « chorda et femoralibus; nam aliud quodvis « vestimenti genus, ultra praedicta (excepto « mantello ab initio Religionis licito) ut indu« sia, seu camisiae, sudariola, tunicellae, et « similia, sunt contra Regulam, nisi adsit vera « necessitas excusans a praecepto, per Praela« tum approbanda ». Idem Pontifex in eadem Bulla declarat, omnes et singulos Fratres teneri in conscientia: « Ad incedendum sine cal« ceamentis, hoc est, absque aliquo, quod pe« dem cooperiat, cujuscumque illud materiae « sit, nisi adsit vera necessitas, a Praelato ap« probanda ».

41. Ex dictis, et juxta probatos Regulae nostrae expositores, patet, Fratres Minores graviter peccare, qui absque legitima dispensatione praeter duas tunicas portant tertiam, etsi sit de lana; qui sine dispensatione camisias, tunicellas vel interulas de lana portant praeter duas tunicas; qui sine necessitate et dispensatione, etiam cum unica tantum tunica, camisias lineas, indusia, sudariola, tunicellas etc. de lino ad carnem gestant, quia haec portare Fratribus Minoribus non solum prohibitum est ex Regula, sed etiam ex jure communi (1).

42. Quando Superiores Fratribus praeter habitum exteriorem et tunicam interiorem ex rationabili causa permittunt adhuc aliam tunicam in cellis pro necessaria mutatione, faciunt juxta Caput IV Regulae dicentis, ut « pro Fratribus induendis sollicitam curam gerant secundum loca, et tempora, et frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire ».

43. Superiores Ordinis possunt dispensare cum Fratribus, ut pluribus quam duabus tunicis induantur; item, ut possint portare indusia vel sudaria, etiam de lino; « sed pensa« tis necessitatibus et aliis circumstantiis, quae « secundum DEUM et Regulam attendendae vi« dentur ». Ita declaravit Nicolaus III (2) addens: « Nec per hoc Fratres videntur a Re« gula deviare, cum etiam in ipsa dicatur ex« presse, quod Ministri et Custodes de infir« morum necessitatibus et Fratribus induendis « sollicitam curam gerant secundum loca et « tempora et frigidas regiones ». Item declaravit Clemens V (3).

44. Necessitatem sufficientem ad dispensandum in pluralitate tunicarum, aut etiam mutatoriis, ait P. Petrus Marchant, esse infirmitatem Fratris, debilitatem, senectutem, aut acerbitatem frigoris, immo interdum necessariam honestatem, maxime, ubi Fratres sordidis quibusdam laboribus occupari debent. Ne

(1) Luc. IX, 3.
(2) Cfr. Annal. ad ann. 1208, n. 1.

(1) Extr. de statu Monachor. c. *cum ad monaster*.
(2) Const. *Exiit*, art. 7.
(3) Const. *Exivi*, cap. 3.

autem quis in hoc fallatur, requiritur Superioris licentia, expressa quidem, dum commode peti potest; implicita vero et interpretativa, si absente Superiore talis occurrat necessitas, ut de consensu Superioris prudenter dubitari nequeat.

45. Fratres post professionem obligantur ad habitum semper portandum. Extat gravissimus canon, quo Religiosi temere habitum deponere prohibentur, qui ita sonat: (1) « Ut « periculosa Religiosis evagandi materia sub« trahatur, districtius prohibemus, ut de ce« tero aliquis quamcumque Religionem tacite « vel expresse professus, in scholis, vel alibi « temere habitum suae Religionis dimittat. Si « quis autem temerarius horum violator exti« terit, excommunicationis sententiam incurrat « ipso facto ». — Hanc censuram incurrit, qui *temere* habitum dimittit; non vero, qui hoc facit ex rationabili causa, v. g. ut habitum purificet, aut a pluvia madefactum exsiccet, vel ut balneum ingrediatur, vel si Missionarius alieno vestitu utitur, ut apud infideles vitae discrimina vel graves vexationes effugiat. Item praefatam excommunicationem non incurrit, qui absque habitu dormit; neque peccat, qui ob infirmitatem, rationabilem necessitatem, et permittente Superiore, hoc facit.

46. Forma habitus et caputii, qua nunc utuntur Fratres de corpore Observantiae, est ab Ecclesia seu Summo Pontifice approbata, prout patet ex Bulla Joannis XXII *Quorumdam exigit* (2).

47. Ex historia constat, quovis tempore Monachos, omni mundana vanitate contempta, simplici ac vili vestiario usos fuisse. Ideo dicitur in Jure canonico (3): « A priscis usque « temporibus omnis sacratus vir cum medio« cri et vili veste conversabatur: audierunt « enim ex Deisona lingua, quia qui mollibus « vestiuntur, in domibus regum sunt ». Ideo etiam S. Franciscus, qui altissimam paupertatem Ordinis sui fundamentum constituit, praecepit, ut *Fratres omnes*, Sacerdotes et Laici, Superiores et Subditi, *vestimentis vilibus* induantur. Clemens V, qui in istis Regulae verbis praeceptum aequipollens agnoscit, illud ita exponit (1): « Vilitatem vestium tam habitus, « quam interiorum tunicarum illam intelligi « debere dicimus, quae secundum consuetudi« nem vel conditionem patriae debeat quan« tum ad colorem panni et pretium vilitas me« rito reputari: non enim quoad regiones omnes « potest determinatus usus et modus in talibus « assignari. Hujusmodi etiam vilitatis judicium « Ministris et Custodibus, seu Guardianis du« ximus committendum, eorum super hoc con« scientias onerantes, ita tamen, ut servent in « vestibus vilitatem ».

48. Illae vestes merito viles censendae sunt, quae a Ministris, Custodibus et Guardianis tales judicantur et conceduntur, quia horum judicio res ista a Clemente V est commissa. Si vero vestes pretiosae in pretio vel colore manifeste apparerent, tunc eorum judicio, manifeste Regulae praecepto adversanti, standum non esset, quia licet praedictis Praelatis judicium de vestimentorum vilitate commissum sit, tamen illis expresse prohibitum est, ut vestes pretiosas permittant. Quodsi dubium esset, an vere vilis secundum usum Religionis haec vel illa vestis censenda sit, tunc dictorum Praelatorum judicio secure inhaerendum est.

49. Valde deplorandum est, quod in Ordine nostro pro sterilibus quaestionibus de repetiatione habitus, de forma caputii, et similibus, de quibus a Regula nulla imponitur obligatio, tamquam pro aris et focis decertatum fuerit, cum tanto scandalo fraternaeque charitatis laesione. Utinam omnes Fratres Minores cujuscumque familiae ac nationis semper recordentur paternae admonitionis S. P. N. Francisci, ut « non litigent, neque contendant ver« bis, nec alios judicent: sed sint mites, pa« cifici, modesti, mansueti et humiles, honeste « loquentes omnibus, sicut decet »!

50. Fratres Minores sub gravi peccato prohibentur portare calceamenta, excepta cogente necessitate. Ita declaravit Clemens V, cap. 1. Superiorum Ordinis est dispensare, ut quis calceamenta portare possit, quando necessitas adest. Ita Clemens V, cap. 3. Haec tamen dispensatio ulterius durare non potest, quam duret necessitas. Quando vero non po-

(1) Cap. ut periculosa. *Ne Clerici vel Monachi,* in 6.
(2) Extrav., tit. 14. *De verb. significatione,* cap. 1.
(3) C. *Omnis.* 21. q. 4.

(1) Const. *Exivi,* cap. 3.

test peti dispensatio a Superiore absente, sufficit ex natura rei cognita rationabilis necessitas; dispensatio enim haec potius declaratio nominanda est.

51. Portare crepidas, aut soccos panneos absque necessitate et licentia Superiorum, juxta Regulae expositores, illicitum est. Portare vero caligas truncatas, quae non operiunt pedes, sed crura tantum a poplite usque ad genu, non est prohibitum.

52. Licitum est portare sandalia, prout docent omnes expositores. Etiam Apostoli, quibus a CHRISTO prohibita erant calceamenta in pedibus, portarunt sandalia, prout legimus in Evangelio S. Marci (1).

53. Cogentem necessitatem ad portanda calceamenta, ait Hugo de Dina, esse illam, quam non carnis prudentia, sed rationabilis et urgens conciliat causa, ut quando debitum impeditur officium, vel spirituale vel temporale timetur dispendium. Maior vero requiritur necessitas ad calceamenta portanda, quam ad portandos soccos panneos vel laneos.

54. Fratres Minores vilibus induti vestimentis, ac nudis pedibus incedentes, semper memores sint admonitionis Seraphici sui Patris, ne despiciant aut judicent homines saeculares, qui mollibus et coloratis vestimentis induuntur, aut proprios Confratres, qui haec Regulae praecepta in toto suo rigore observare non possunt. Potius studeat unusquisque despicere semetipsum, ut hoc modo humilitatem, quam per externum habitum ostendit, revera interius habeat et exerceat.

(Continuabitur).

NOVUS EX ORDINE EPISCOPUS

Per Breve diei 9 Octobris p. elapsi, Sanctitas Sua eligere dignata est Adm. R. P. GUIDUM CORBELLI a Cortona, Terrae Sanctae ex-Custodem et actualem Guardianum S. Mariae Angelorum Assisii, in Vicarium Apostolicum Aegypti pro Latinis et Delegatum Apostolicum Aegypti et Arabiae pro Orientalibus, eumdemque nominare Archiepiscopum titularem Pelusii.

Rmi P. Guidi solemnem consecrationem celebravit die 28 ejusdem mensis in Ecclesia nostra S. Antonii Eminentissimus Cardinalis Parocchi, Sanctitatis Suae Vicarius Generalis, assistentibus Rmis Praelatis Luciano Saraccani, Ep. tit. Epiphaniae, et Pio Vidi, Ep. tit. Cetrensi, quorum prior Rmi P. Guidi olim Lector fuerat, posterior vero condiscipulus.

Neo-electus succedit Rmo Anacleto Chicaro, Observantis Provinciae Romanae, qui deficiente valetudine, officio suo renuntiavit Romamque rediit.

(1) Cap. VI, 9.

ADM. R. P. IGNATIUS JEILER

Doctor renuntiatus.

Theologica Facultas Academiae Monasteriensis in Guestphalia per Diploma diei 24 Octobris 1888 A. R. P. IGNATIUM JEILER, Recollectae Provinciae Saxoniae S. Crucis filium, Collegii S. Bonaventurae ad Claras Aquas *(Quaracchi)* prope Florentiam Praefectum, Doctorem Sacrae Theologiae honoris causa promovit. Dictum Diploma praefatum Patrem sequenti elogio celebrat: « Virum, qui ingenii dotibus, eruditionis copia morumque candore, in primis scientia cum rerum divinarum tum Theologiae Scholasticorum excellens, de novissima editione operum S. Bonaventurae accuratissime praeparanda procuranda scholiisque ad verba scriptoris illustranda erudite conscriptis de doctrina doctoris Seraphici explicanda, promovenda optime meritus est ».

CAPITULA PROVINCIALIA

Anno 1888 celebrata.

XL.

Recollecta Provincia Hiberniae.

Die 12 Septembris anni currentis in Conventu Dublinensi celebratum fuit Capitulum sub praesidentia Adm. R. P. GREGORII JANKNECHT, ex-Definitoris Generalis et Provinciae Saxoniae ex-Ministri, Commissarii Visitatoris, in quo rite et canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Iosephus Cleary.

Custos Custodum

A. R. P. Augustinus Hill.

Definitores

R. P. Bonaventura Mac-Dermott.
R. P. Franciscus Begley.
R. P. Ludovicus Cassidy.
R. P. Iosephus Wogan.

XLI.

Recollecta Provincia Saxoniae S. Crucis.

In Conventu Paderbonensi ad S. Iosephum die 27 Septembris 1888, Praeside A. R. P. Aloysio Lauer, Definitore Generali et Commissario Visitatore, celebratum fuit Capitulum, et in eodem canonice electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Gregorius Ianknecht, ex-Definitor Generalis.

Custos Custodum

A. V. P. Osmundus Laumann.

Definitores

A. V. P. Antoninus Kleinsorge.
A. V. P. Stephanus Stoermann.
A. V. P. Basilius Pfannenschmid.
A. V. P. Menander Gipperich.

XLII.

Collegium civitatis Saltensis.

In Guardianali Capitulo Nostri Apostolici Collegii Missionum Sancti Didaci Civitatis Saltensis, in Republica Argentina, celebrato die 21 mensis Septembris, praesidente Adm. Rev. Patre Fr. Salvatore Mazza, Commissario Generali, rite et canonice electi fuerunt:

Guardianus

Adm. Rev. P. Joachim Remedi, Obs. Provinciae Thusciae.

Missionum Praefectus

Rev. P. Nazarenus Morosini, Obs. Provinciae Romanae.

Discreti

R. P. Daniel Michelini, Obs. Provinciae Thusciae.

R. P. Paulinus Strambi, item.

R. P. Pius Boccassi, Obs. Provinciae Bononiae.

R. P. Massaeus Massei, Obs. Provinciae Thusciae.

III.

MISSIONES

—

E SAC. CONG. DE PROPAGANDA FIDE.

QUAESTIONES

Pro relatione Dioecesis ad S. Congreg. de Propaganda Fide.

1. Exprimantur nomen, aetas, patria Episcopi, et etiam Institutum, si sit Regularis.

2. Amplitudo et qualitas Dioecesis.

3 In qua Provincia sit, vel quot Provincias contineat.

4. Si Ecclesia sit Archiepiscopalis, quot et quales habeat Suffraganeos; si vero Episcopalis, cujus Archiepiscopi sit Suffraganea.

5. An habeat Cathedralem, et propriam residentiam, et in qua Civitate?

6. An Episcopus habeat facultates speciales a S. Sede, et quas?

7. An habeat reditus proprios, quot et in quo consistunt?

8. Enumerentur loca Dioecesis, et eorum respective distantia.

9. Quando Visitatio Dioecesis fuerit peracta; num ad tramites praescriptionum canonicarum?

10. Quando Provinciales ac dioecesanae Synodi fuerint habitae.

11. An pro exercitio jurisdictionis aliqua inferatur molestia ab Episcopis finitimis?

12 An habeat Capitulum, et ex quot Canonicis constet?

13. An adsint Praebendae, et quae?

14. Quale servitium praestent Canonici Cathedrali: et an etiam fungantur munere parochi in locis Dioecesis?

15. An resideant intra fines Parochiae?

16. An se immisceant in regimine Ecclesiae, impediant liberam jurisdictionem Episcopi?

17. An habeat Seminarium et ubi: quot iuvenes ibidem alantur, et quibus studiis vacent?

18. Num Concilii Trid. regulae circa Seminaria serventur?

19. An ibi adsint Parochi, vel tantummodo simplices Missionarii?

20. An Parochi sint perpetui, vel ad nutum amovibiles, et an Missam celebrent festis diebus pro populo?

21. An eligantur ab Episcopo?

22. Quot sint Parochiae: an in eis servetur Sacrosancta Eucharistia, et qua decentia?

23. An habeant fines certos et propriam Ecclesiam: et quot Capellae inveniantur in districtu uniuscujusque Parochiae?

24. An aliquae Parochiae sint addictae Ordinibus Regularibus, et quibus?

25. An Parochi habeant Sacerdotes, qui eos adjuvent in cura animarum?

26. Exprimatur numerus et qualitas Catholicorum in singulis quibusque locis degentium.

27. An sint et quo numero scholae catholicae, et quot in iis instituantur?

28. An adsit Doctrina Christiana in lingua vernacula expurgata ab omni errore?

29. An sint, et quo numero scholae acatholicorum, et num catholici et quo numero illas adeant?

30. Exprimatur numerus Sacerdotum indigenarum et exterorum.

31. Eorum patria, mores, munera, in quibus se exercent, et cujus utilitatis sint pro servitio Ecclesiae.

32. An hujusmodi Sacerdotes facultates habeant a Sede Apostolica, et cujus expensis vivant?

33. An inter istos inveniantur Alumni Sacr. Congregationis de Propaganda Fide: quinam sint: et an satisfaciant muneri suo?

34. Exprimantur etiam nomen, aetas, et qualitates Sacerdotum indigenarum, qui sunt extra Dioecesim: tum etiam adnotentur loca in quibus morantur: quid ibi peragant: et an ex aliquo peculiari titulo teneantur inservire propriae Ecclesiae?

35. An sint etiam Clerici et quot: quomodo et ad quem titulum ordinentur; ubi resideant; et quid ab illis exigatur, ut ad Sacros Ordines promoveri possint?

36. An adsint Missionarii Regulares, quot, cujus Ordinis, et cujus Regionis?

37. An cuilibet Ordini sint assignati certi districtus; et qua auctoritate?

38. Ubi resideant, quibus Superioribus subsint, et quot habeant domos?

39. An habeant Conventus formatos, vel dumtaxat Hospitia: et in iis servetur Clausura?

40. An in communi vivant, et cum regulari observantia, vel habitent soli, et in domibus privatis cum saecularibus: et praecipue cum mulieribus?

41. In quo habitu incedant?

42. An admittant ad habitum et professionem sui Ordinis indigenas, et qua auctoritate?

43. An Regulares habeant facultates speciales, et an eas exhibeant Episcopo, antequam exerceant?

44. In quibus dependeant ab Episcopis?

45. Quibus mediis sustententur: an aliquid pro Sacramentorum administratione percipiant, et quae sit illorum fama?

46. An, et in quibus utile opus praestent pro salute animarum, et pro incremento Religionis.

47. An sit aliquis Monialium Conventus; cujus Instituti; qua auctoritate fundatus; et cujus curae et ministerio subsit?

48. An ibidem observetur vita communis, et an Moniales obstringantur Votis Solemnibus, Paupertatis, Castitatis, Obedientiae, et Clausurae?

49. An sint in Dioecesi piae aliquae Fundationes, seu Legata Pia?

50. An redditus pro hujusmodi Legatis rite administrentur et Canones ea de re serventur?

51. Enumerentur omnes abusus, qui forte irrepserunt etiam inter Catholicos, sive circa Fidem et Ritus, sive circa mores, vel administrationem Sacramentorum, Divini Verbi praedicationem, et cujusque alterius generis sint.

52. Exprimantur principales causae hujusmodi abusuum, et quomodo possint eradicari.

53. Num matrimonia rite contrahantur?

54. An a viginti circiter annis status Fidei Catholicae augeatur, vel potius decrescat: et qua de causa?

55. Tandem attente perpendat spirituales Christianitatis illius necessitates: eas distincte referat: mediaque proponat idonea ad praeteritos errores evellendos, ad majorem Religionis profectum inducendum.

—

IMPERIUM SINENSE

—

RELATIO

Illmi et Rmi D. Epiphanii Carlassare, *Vicarii Apostolici Hu-pe orientalis.*

Rme Pater,

Han-Kou mense Septembri 1888.

Quod superioribus hisce annis, ut desiderio Rmae Paternitatis Vestrae morem gererem, feci, tabulae synopticae administrationis spiritualis narrationem addendo factorum ad communem aedificationem utilium, hoc idem nunc facio. Et quia totus Vicariatus, prout alias scripsi, in quinque majores districtus dividitur, hanc divisionem narrando sequar, et de singulis aliquid dicam.

Incipio a districtu *U-ciam-fu* (1). In ipsa urbe Provinciae principe, in loco amoeno et omnino ad finem opportuno, aedificamus domum pro Sororibus Canossianis, quae jamdiu in hac Missione alacriter navant operam; ibi vero tum opus sanctae Infantiae promovebunt et hoc praecipue puellarum educatione, tum generatim in propagatione fidei non parum nobis erunt subsidii; eam siquidem consuetudinem cum mulieribus et matronis paganis, quae propagationi fidei optime inservit quaeque nobis viris ubique sane, sed in hoc imperio quam maxime salebrosa est, Sorores facile habebunt.

De eadem civitate commemorabo ingentem pauperum concursum, qui toto hyemis tempore et veris etiam, ibi factus est. Accidit enim ut agricolae ob inundationem primum, de qua anno elapso scripsi, dein vero ob diutissimam siccitatem, quae subsequuta est, in pluribus praefecturis fere nihil ex agris collegerint: fame propterea coacti ad alia loca migrabant, quam plurimi vero ad urbem provinciae principem, ubi ex publicis horreis sibi victum sperabant, advenerunt. Hos inter fuerunt etiam multi christiani quibus, pecuniario subsidio, Paternitate Tua postulante, ab Eminentissimo Praefecto S. Congr. Prop. Fidei, nobis concesso opem tulimus, sicut etiam aliis alibi. Laudandus vero omnino P. Didacus Lera, qui iis miseris in civitate solandis et sublevandis, multa patientia, assiduitate et charitate adlaboravit.

Anno elapso mentionem feci de conversione duodecim familiarum, quae fuerant a a P. Aloysio Sonsini in quodam pago subpraefecturae *Kiang-scia* ad catechumenatum receptae. Porro hae omnes in fide perseveraverunt et aliae iis adjunctae sunt, aliaeque, Deo favente, adjungentur; eo magis quod persecutio a daemone contra eas excitata, quae prius conversae sunt, optime superata est. Sciendum siquidem est, hoc anno mense Martii, occurrente paganorum annua solemnitate in honorem fabulosi draconis, cujus similitudo processionaliter cum laternis et magno strepitu deferri solet, paganos aegre ferentes vicinos suos ad Religionem christianam transiisse, eosdem ad patrias superstitiones cogere voluisse. Paucis autem ante diebus, opportune sane, advenerant illuc a me missi P. Theophilus Ouwens cum Fratre Humili Vetta. Horum porro praesentia et hortationibus confortati, boni illi catechumeni praetulerunt iram infidelium sustinere, potiusquam iterum se diabolico cultu inquinare. Ex communi consilio eliguntur quatuor seniores, qui obviam irent infidelium processioni rogarentque ne ad eos diverterent utpote qui christianam fidem susceperant. Ast male fuerunt excepti; tunc vero ad suos citissime reversi, omnes intra parietes, obseratis janais, se occultant. Et en jam percipitur strepitus infernalis, qui adventum processionis annuntiat. Illa infidelium multitudo furiose pagum ingressa, cum januas bene obseratas invenisset, contra Religionem et Christianos aliquo tempore atrocissimis maledictionibus debacchata est; deinde lapidibus januas impetere coeperunt, sed cum Christiani omnia in silentio sustinerent, tandem quin ad pejora progrederentur, mortem et excidium tempore oportuniori minitantes inde abierunt. Porro timendum erat ne propositum tenerent, sunt enim illi pagani numero et audacia praepotentes; ideo optime sibi consuluerunt Christiani et missionarii statuendo monendum esse subpraefectum tum de factis cum de imminenti periculo; quod quidem die sequenti actum est.

(1) In hac narratione nomina sinica juxta pronuntiationem italicam scribuntur.

Deo autem sint grates quod subpraefectus statim satellites suos ad locum misit et dein rem totam optime curavit, ita nempe ut pagani non modo nihil amplius contra Missionarios et Christianos moliri ausi sunt; quin imo aliquam reparationem pro injuria et damnis illatis exhibere coacti fuerunt.

2. Transeo ad districtum *Hoam-ciou-fu* qui manet ad laevam magni fluminis *Kiang* ad orientem provinciae et Vicariatus. Iste districtus praeter praefecturam a qua nomen accipit, sub se comprehendit praefecturam secundi Ordinis, quae dicitur *Ki-ciou*, et praefecturas tertii Ordinis *Hoang-mei*, *Kuang-Ki*, *Ki-xuei*, *Hoang-gan*, *Ma-cèm*, *Lo-tien*: in his duabus postremis nondum habemus christianos. Hic de iis quae ad propagationem fidei pertinent, quaeque mentione digna sint, pauca invenio. Christiani hujus districtus sunt valde dispersi, ita ut raro inveniantur plures familiae chistianae simul; accedit, multas esse familias in quibus fideles sunt paganis admixti, ita ut et cura eorum et exercitium Religionis sat difficile jam ab initio apud eos evaserit; ideo etiam plures christianitates nondum bene in Religione sunt fundatae. Quod in isto districtu optimo consilio fuit abhinc 14 annis constitutum, est institutio orphanotrophii in praefectura *Ki-ciou*, ad quod praeter orphanos mittuntur pueri neophytorum et catechumenorum, ut in Religione instruantur. Manet Orphanotrophium ruri in quodam antiquo templo idolorum et bontiorum monasterio, quod dicitur *U-pe-zu*, cujus acquisitio a nostris facta, historia certe indigna non esset, sed nimis meam hanc narrationem protraheret, de ea fortasse alias. Haec vero nunc commemoravi, ut ea quae modo ex quadam relatione P. Aegidii Broekman narrabo clariora fiant. Circa finem mensis Junii hujus anni laudatus P. Aegidius haec mihi referebat: « Quum per multos annos prope residentiam « *U-pe-zu* nemo de sancta nostra Religione se « occupabat, hoc anno duae familiae ei nomen « dederunt et alibi in eadem praefectura *Ki-ciou* « aliae plures. Ut notum est Excellentiae V., « ante festum Paschatis, peractis in *U-ciam* spi- « ritualibus Exercitiis, huc ad meos redii, ut « Pascha in *Hoam-mei* celebrarem; socius au- « tem meus, ut statutum jam erat, idem fe- « stum celebrare debebat in *Kuang-hi*. Interea « temporis venerunt ad me duo catechumeni, « ut me pro eodem festo ad *U-pe-zu* ducerent. « Ego considerans eorum bonam voluntatem, « nolui dicere hoc jam fieri non posse, sed ut « eorum desiderium magis excitarem, dixi nul- « lum Sacerdotem ad eos iturum, quia sem- « per pauci ad festa ascendebant et praesertim « nulla mulier. Ad hoc mihi responderunt, esse « equidem mulieres, quae optabant Missionarii « adventum. Candide fateor me hoc audito, ri- « sum tenere non potuisse. Per tot annos la- « boravimus frustra, ut etiam mulieres simul « cum viris neophytis converterentur et eccle- « siam frequentarent, nunc vero ipsae mulie- « res invitant Missionarium pro festo! quis « hoc crederet? Ridendo igitur respondebam: « bene, bene, curate ut omnes baptizati et cate- « chumeni, viri et mulieres, in die Paschatis « ad Ecclesiam veniant, et habebitis Sacerdo- « tem. Sciebam quidem Sacerdotem non ha- « beri, sed pro certo etiam habebam conditio- « nem nequaquam impletum iri. Ast me fefel- « lit opinio. Sane in die Paschatis praeter fere « omnes neophytos, plusquam quinquaginta mu- « lieres ad Ecclesiam convenerunt. Quod cum « mihi relatum esset, gavisus quidem sum, sed « etiam confusus haesi et obstupefactus de mu- « lieribus, quod suis parvis pedibus aliae unius, « aliae duarum horarum iter fecissent, ut ad « festum convenirent; maxime vero eo quod « hactenus in illis locis hoc non contigerat « umquam, ubi potius mundanus pudor femi- « nas ab ipsa conversione arcebat. De felici « eventu Deo gratias multas egi; ut autem eos « aliquo modo persolverem, nuntium tempes- « tive misi, qui diceret me festum Pentecostes « isthic certo celebraturum, ad quod propterea « iterum convenirent omnes sicut in die Pa- « schatis: et hoc etiam fecerunt. Porro cum « mecum quaererem, quid hujus inopinati pro- « gressus caussa esset, incidit in mentem prae- « ter quam peculiari Dei gratiae, id sequenti- « bus esse adscribendum. Excell. V. scit paga- « nos infortunia sua omnia a malis spiritibus « repetere, ab iisdem remedium quaerere, iis- « demque illud acceptum referre, quamvis casu « vel naturae mediis hoc idem obtinuerint; « quod tamen multoties minime accidit. Chri- « stiani vero in aqua lustrali magnopere con- « fidunt, quam propterea frequenter aspergendo

« adhibent, cum vero aegrotant non raro eam « bibendo sanantur. Accidit ergo, ut pagani a « daemone vexati vel morbo laborantes, aquam « lustralem, cujus mirabiles effectus audierunt « vel viderunt, a christianis sibi dari petant, « si vero optatam sanitatem consequuntur, ple- « rumque fidem amplectuntur. Alia causa ab « Orphanotrophio petenda est. Inter innocen- « tes istius Orphanotrophii pueros, inveniun- « tur qui praeter communes preces singulis die- « bus, alii *Viam Crucis* peragunt, alii vero Ro- « sarium recitant. Egomet vidi ex his binos et « binos ipso recreationis tempore ecclesiam « petere, eos alias ibidem inveni. Mihi vero « interroganti quid ita facerent, quidam respon- « debat: in precibus *Viae Crucis* narratur et « magister etiam explicavit Dominum Nostrum « JESUM CHRISTUM pro nobis horribiliter passum « esse; quotidie *Viam Crucis* perago, ut ei con- « doleam et ut pagani convertantur. Hujusmodi « preces DEUS certe audit. Ita P. Aegidius.

In hoc districtu Opus Sanctae Infantiae optimos etiam retulit fructus ex collectione infantium, quae a paganis projiciuntur et hoc praesertim in magno vico seu platea, quae vocatur *U-scié:* sed properandum mihi est ad alios districtus.

3. Venio tertio loco ad illum cujus nomen a civitate primi ordinis *Han-iam-fu*. In hoc districtu maxima christianorum pars ex antiquis constat; facta vero, quae hic peculiariter commemorentur, hoc anno non occurrunt. Multum tamen dicendum esset de operibus piis, quae exercentur apud Sorores *(Canossianae)* in *Han-Kou,* sed hoc ex tabula synoptica, huic narrationi adjecta, quantum sufficit, colligitur. Neque dicam de solemnitatibus, quae in nostra praecipua ecclesia in eodem portu celebrantur, per triduum hebdomadae sanctae praecipue et in Paschate, quando dimidia Missionariorum pars occasione spiritualium Exercitiorum hic adest; haec enim quotannis fiunt. Id solum commemorabo ab aliquot annis morem inductum fuisse, ut propinquorum locorum, tum mulieres apud Sorores, tum etiam viri, qui volunt, in loco ipsis idoneo, a cura terrenarum rerum semoti, in iis quae animae sunt exerceantur; quae consuetudo, ut facile conjicitur, optimos emendationis et devotionis fructus affert.

4. Quarto loco venit *Te-gan-fu*. Etiam in isto districtu, in quo Religio optime constituta est, maxima Christianorum pars ex iis constat, quos antiquos vocamus, suntque quatuor mille et fere tercentum. De hoc districtu, omissis ceteris magis communibus, narrabo sat singularem conversionem duarum familiarum, unius in subpraefectura *Iuon-mom,* alterius in ea quae dicitur *Gan-lou-scien*. Quomodo prioris conversio evenerit, narrat P. Aloysius Sonsini fere hoc modo: « Jam finieram Missionem in christianitate de *Nan-Kan* et iter alio jam parabam, quando insperato quaedam vetula pagana, ex secta jejunantium, eorum scilicet, qui ab esu carnium perpetuo abstinent, ad me venit cum quodam viro pagano, et mihi interroganti quid vellent, vetula respondit: Pater, homo iste est consanguineus meus et habet fratrem, qui jam diu aegrotat, et morbus ejus non est naturalis sed ex daemone, qui eum possidet et multis modis affligit; remedium petiit ab omnibus idolis, interposuit etiam bontiorum preces; multum pecuniae expensum est, et haec omnia frustra: nunc vero vult DEUM coeli adorare et rogat Patrem, ut recipiatur cum tota sua familia, novem simul personae. Deinde eadem vetula ad virum conversa: roga ergo Patrem, ut te recipiat. Tunc ille more hujus gentis coram me genuflexus orabat, ut inter Christianos adscriberetur: bene est, respondi, sed oportet superstitionibus abrenuntiare; et ille: utique, Pater, id faciam. Tunc iterum mulier: attende, nisi ex animo convertaris, gratiam quam cupis non obtinebis; vide etiam, ut in proposito perseveres, alioquin pejus vobis accidet. Mirandus sane hujus vetulae infidelis loquendi modus! Ipsa est Christianorum affinis et habet in coelo tres parvulos nepotes a Christianis in articulo mortis baptizatos. Ut vero hanc narratiunculam concludam, paucis dico, totam illam familiam revera, abjecto idolorum cultu, fidem suscepisse. Aegrotus, quem dicebant obsessum, convaluit; omnes vero discunt preces et leges christianas. Alterius familiae conversio accidit in christianitate *Tang-lieu-uam,* occasione simili, sed diverso modo. Sat longe ab illo loco erat quaedam femina materfamilias ab aliquot jam annis a spiritu agitata, qui se dicebat spiritum patris ejus, olim a rebellibus occisi. Porro

solebat infelix haec mulier discurrere hac illac ut lymphata; accidit autem ut quadam die venerit ad sacellum Christianorum, ibi vero nostram Religionem, de qua profecto ipsa nihil sciebat, magnificare coepit, et mirabantur omnes; sed pia quaedam virgo hujus christianitatis feminam a malo spiritu agitatam dignoscens, eam in domum suam excepit et bonis verbis solata est. Tunc vero mulier, quae ex intervallo ut sana loquebatur, precibus virginis se commendavit et abiit. Venit autem iterum et tertio, et fideles, sed praecipue laudata virgo, interea DEUM pro ea deprecabantur: ipsa vero mulier ab eadem virgine preces edocebatur; furor etiam decrescebat, sed spiritus aperte dixit, se non exiturum ante talem diem. Designata dies erat dominica. Mirabile dictu, ita omnino accidit. Ea ipsa indicata die post meridiem, dum Christiani de more *Viam Crucis* peragerent, en advenit mulier et sacellum ingressa sursum deorsum aliquo tempore dementer loquendo deambulat; Christiani nihilominus in oratione perseverant: sistit tandem illa, evomit, spumat et ut mortua in terram cadit: spiritus abierat. Paullo post mulier in se reversa est, et recreata viribusque recuperatis, DEO gratias egit et abiit in domum suam. Ibi a marito, qui pro ejus salute multis expensis non pepercerat, facile obtinuit ut rejectis idolis et superstitionibus tota familia unum verum DEUM coleret.

5. Remanet nunc dicere de districtu magis occidentali Vicariatus, cui nomen a civitate *Gan-lou-fu*. In hoc districtu, qui praeter civitatem et praefecturam primi ordinis complectitur praefecturas *Kién-Kiany, Kim-xan, Tién-men,* nunc temporis sunt fere ter mille Christiani, quorum mille neophyti. Multa hic occurrunt mihi dicenda, sed ne ista narratio praeter intentionem longissima evadat, sermonem contrahere studebo. In praefectura *Tyum-Kiany,* quae quoad rem eadem est cum praefectura *Gan-lou-fu,* aedificata est hoc anno ecclesia sub titulo Beatae VIRGINIS de Bono Consilio in christianitate, quae dicitur *Kao-nganlao,* in cujus circuitu frequentes infidelium conversiones per hos annos habuimus, de quibus alias, si DEO placuerit, dicam. In praefectura *Kién-Kiany* P. Laurentius Siu hoc anno nonagintanovem adultos sacro fonte CHRISTO regeneravit et multos adhuc habet catechumenos. In diversis locis desiderantur Ecclesiae aut saltem Oratoria, sed non possumus omnia simul. Anno elapso aedificatum fuit sacellum in loco, qui dicitur *Hoa-Kia-hou* et hoc anno aliud in alio loco dicto *Zou-xe-pu,* ubi ante quatuor annos non erant Christiani, nunc vero praeter multos catechumenos jam octoginta sacro baptismate regenerati enumerantur.

In praefectura *Kim-xan* Religio quibusdam in locis pariter bene progreditur, et hic de quibusdam novis christianitatibus loqui deberem; sed de his fortasse alias, et transeo ad praefecturam *Tién-men,* de qua parum fusius. Christiani istius praefecturae inter meliores totius Vicariatus recenseri merentur, praesertim antiquiores. Hi vividiorem habent fidem, quod tamen fere de omnibus antiquioribus nostris Christianis etiam dici potest, qui cum lacte, ut ita dicam, fidem suxerunt. Inter hujus vivae fidei signa mentione omnino digna est illa sollicitudo, qua pro infirmis graviter aegrotantibus Missionarium etiam si longe absit invitant, non parcentes labori et expensis, felices si eum possunt habere. DEO sint gratiae, non invaluit hic, neque cognoscitur praejudicium illud, quo in Europa plurimi laborant, qui de morte proxima et de Sacramentis, infirmis non loquuntur et nonnisi tardissime praesbyterum advocant. Isti fideles non ita sane. Mirabilis est etiam zelus, quo primores locorum et devotae feminae, si de mulieribus agitur, infirmis adsistunt, eis omnia quantum possunt suggerentes quae eorum aeternae saluti conferre possunt: nec eos deserunt in morte, sed conveniunt plures et orant pro moribundo, quousque animam DEO reddiderit. Certe et ipsi infideles hanc charitatem suspiciunt. Ad hoc propositum, P. Joan. Nep. *Tang,* qui nunc Christianos de *Tien-men* administrat, nuper hoc mihi referebat: Quadam die vocatus ivi ad Extremam Unctionem administrandam; tempore autem quo prandebam, venerunt plures pagani, cum quibus dum de more verba miscerem, unus ex eis me ita interpellavit: Quam bene Christiani se invicem diligunt! unus infirmatur et ceteri eum invisunt, ei adsistunt et pro eo orant, per integras etiam noctes si opus est insomnes in hoc officio transigunt! hoc certe alii facere neque solent, neque vellent. Ita ille Pater. Nolo

autem praeterire fideles de Tien-men suam fidem pariter belle nuper, occurrente aureo Jubilaeo Summi Pontificis, manifestasse: cum enim summa penuria ob inundationem anni elapsi laborarent, nihilominus sponte et libenter centum et quinquaginta libellas italicas pro donis Summo Pontifici offerendis, contribuerunt. Reverendissimae Paternitati Tuae hoc etiam scitu gratissimum judico: in vico *Ki-ou-tai,* ubi in circuitu Ecclesiae aut ab ea non longe distantes, sunt quingenti antiqui Christiani; optimi inter eos, hactenus numero triginta sex, Tertium Ordinem S. P. N. Francisci ingressi aut jam professi sunt, et consociati menstruum agunt in Ecclesia conventum, sive adsit Missionarius, sive non.

Scribendi finem faciam si prius dixero etiam in hac praefectura, praecipue ob zelum unius catechistae cognomine *Kao,* multas infidelium conversiones paucis abhinc annis locum habere: in praesentia sunt ibi fere sexcentum catechumeni. Hos et alios aliorum districtuum, orationibus Reverendissimae Paternitatis Tuae et omnium Fratrum nostrorum commendo, ut permaneant et crescant in fide et ne deducantur in tentationem, sed liberentur a malo: populus enim hic noster generatim morali fortitudine non eminet et persecutionibus facile atteritur.

Pro me et sociis meis seraphicam peto benedictionem et maneo semper

Reverendissimae Paternitatis Tuae
Obmus Filius
† Fr. V. Epiphanius *Vic. Aplcus Hu-pé Orientalis.*

IV.

VARIA.

CENTENARIA COMMEMORATIO

P. Lucae Waddingi.

Collegium Patrum Hibernorum Recollectorum de Urbe, in quo a nonnullis annis antiqua strictioris observantiae disciplina, Deo favente, una cum scientiarum studio refloruit, hoc anno intra domesticos parietes, laudabili sane consilio, trisaeculare anniversarium nativitatis sui fundatoris die 18 Octobris recurrens celebrare sategit. — Mane, solemni Missa, Deo actae sunt gratiae pro beneficiis Ecclesiae, Ordini, Provinciae Hibernicae, et in specie Collegio S. Isidori collatis per celeberrimum virum P. Lucam Waddingum, qui ante tercentos annos hac ipsa die S. Lucae Evangelistae dicata, hujus mundi lucem aspexit, et aqua et Spiritu Sancto regeneratus fuit. Sub refectione, antequam silentium dispensaretur, Praeses brevem sermonem habuit de Waddingi laudibus, ac se ex corde optare dixit fore ut quamprimum inclyta Hiberniae Recollectorum Provincia plurimos habeat Patris Waddingi doctrinae, pietatis, omniumque jurium haeredes et imitatores, simulque commemoravit fundationem Conventus Capranicensis; cum non absque divinae Providentiae consilio Fratrum mensae et hodiernae festivitati adfuerit Episcopus Sutrinus, in cujus Dioecesi sita est Capranica; qui magno gaudio perfusus est, eo quod absque praevisione huic trisaeculari commemorationi ei interesse datum fuerit. Vespere in cella super cujus ostium exstat inscriptio: « In hoc cubiculo venerandus P. Lucas Wad- « dingus vivebat, et mortuus est XIV. Kal. « Decembris MDCLVII » ante Waddingi imaginem a celebri Carolo Maratta depictam Academia polyglotta habita est, et diversis sub respectibus Waddingi merita et laudes novem linguis celebratae sunt a Collegii juvenibus, Hibernica nempe, Graeca, Latina, Anglica, Gallica, Lusitanica, Germanica, Batavica et Italica. Speciminis gratia heic subjicimus elogium latina lingua pronuntiatum:

AD TERTIUM CENTENARIUM

P. Lucae Waddingi.

Glorioso hoc anno Jubilaei, quum orbis stupore tenetur universus, laeteque exsultat cor quodque catholicum, haud scio an admodum convenire videretur, quod quis mente tempora revolveret ista, quae omni sunt tristitia referta, quia plena injuriis contra S. Pontificis auctoritatem supremam: nisi occasio suaderet

idipsum specialis ac justificaret. Die 18 mensis Octobris proxime elapsi complebatur tertium a nativitate viri magni Ordinis nostri centenarium. Anno 1588, tempore maximae calamitatis religiosae in Britannia majori atque infandae catholicorum Hibernorum suppressionis, P. Lucas Waddingus in « Sanctorum insula » natus, totius postea factus est Ordinis nostri chronologus famosus, scientia illustris ac, qui toti coetui seraphico purae exstaret exemplar observantiae dignissimus. Cujus memoriam et gaudio et stimulo nobis esse oportet. Gaudio, inquam ; gaudemus enim meritissimo de magnis nostris majoribus. Stimulo, inquam ; stimulamur nempe vita exemploque Patrum nostrorum. Utrumque autem, celebrem ejus magnitudinem et vitam nobis exemplarem laus una comprehendit. Erat totus Franciscanus ; erat totus catholicus, totus apostolicus, totus observator strictioris observantiae, hujusque praeterea restaurator atque promotor.

Erat vir vere catholicus : In catholica Hibernia, mediis in persecutionibus Ecclesiae romano-catholicae oriundus, sanctam fidem catholicam veluti lacte imbiberat ; a puero nil viderat, nil audiverat, nisi praeclara suae gentis pro Pontificia auctoritate certamina ac crudelissimos pro fide catholica toleratos cruciatus. Quare non potuit non incendi inflammarique ejus animus pro essentiali catholicae religionis dogmate defendendo ac tutando. Suo tamen vivaci fervori, quum diros improbarum injustissimarumque legum terminos et cultum Dei publicum et ipsam juventutis catholicam tam in scholis quam in familiis educationem infestantes omninoque frustrantes imminere videret, exivit e patria, in Lusitania seraphicam induit armaturam, peregre per Hispanias et Gallias profectus, tandem Romam petiit ibidem ad limina Sedis Apostolicae nationi suae comparaturus, quae non licuissent sibi illic.

Ut erat totus catholicus, jacturam, quod muneribus apostoli fungendo impar evasisset, eo reparabat, quod doctos, fortes, mundum cum inferno conculcantes heroes, veros apostolos Hiberniae educabat. Pauper, sed animo magno, humilis, sed Deo confisus, non sibi, sed Ecclesiae sanctae Dei in Ordine volens vivere, generosos Urbis adivit incolas, ut sibi, quae essent vel necessaria vel opportuna, auxilia praestarent. Solo Dei zelo ductus animos quoque Dei amore invenit commotos, misericordes, liberales, manu larga ipsi suppeditantes, quo factum est, ut almas S. Isidoro agricolae dicatas aedes in scholam seraphicae juventutis pro Hibernia instruendae perficeret. Nihil ipsi toto corde seraphici Patris aemulo tantae curae erat, quantae id, ut veros Minores primaeva praesertim omnigena arctissimaque seraphica paupertate ac ceterorum purae vitae franciscanae fundamentalium praeceptorum statutorumque accurata observatione imbutos religiosos patriae redderet.

Ad quod efficaciter exequendum, minime scientiarum studium posthabendum arbitrari poterat neque arbitratus est. Profecto, qui fieri possit, ut, qui specialissimo fine non sibi solis vivendi, sed et aliis proficiendi, vitam hanc, cura omni ac sollicitudine hujus saeculi carentem, elegerant, qui, quaeso, fieri possit, ut ii non totis quoque viribus in id incumbant, sine quo est vanum atque inane, ne dicam temerarium, altissimum illum finem obtinere ? Et revera cum restauratione vitae regularis secundum pura principia seraphica Waddingus solidis tum philosophicis tum theologicis disciplinis ad instar methodi inclytorum Doctorum nostrorum revivificandis omnem operam navavit. Ipsemet praeterea Annalibus suis de toto Ordine deque historia ecclesiastica perpetua sibi merita collegit, aere perennius monumentum collocavit. Neque intra Ordinis fines magni sui animi continebatur ardor benefaciendi cuicumque posset. Inerat namque in eo caritas vere universalis quaque versus diffusiva atque operativa. Ubicumque vidit bonum qualecumque, consilio, favore, adsistentia sua praesto semper erat et continuo strenue collaborabat. Ita quamvis Hibernus origine, fuit tamen magno suo spiritu vir plane universalis. Neque mirum : fuit quippe totus Franciscanus, qui ubique domi est, nam omnibus valedicit, qui ubique operatur, quia ubique a sola misericordia sustentatur.

Haec itaque principaliora sunt, quae P. Lucam Waddingum fecerunt praeclarum nobisque exemplarem : sanae solidae doctrinae catholicae cultura indefessa, zelus invictus pro pura observantia. Quod utrumque, quam sit nostris temporibus remedium, ipsa suprema auctori-

tate palam declarante, necessarium atque unicum, nemo non videt. Scientiae ubique, etiam in sacro nostro Ordine reviviscere coeperunt. Observantiam quoque nostram magis magisque in dies ubique accrescere augerique faciat Ille, qui majoribus nostris tanti fervoris tantaeque constantiae gratiam concessit.

—

SERIES PRAELATORUM

Qui Provincialatus vel Vicariatus Ministerio in Alma Observanti Provincia Bononiae functi sunt (1).

—

VICARII PROVINCIALES

1. . . . Ven. P. Hieronymus de Capistris ab Imola, doctus ac fervidus Concionator, qui praeclare moderata Provincia, piissime in patria cessit e vita anno 1450. — *P. Flaminius Bottardi de Parma in historia Prov. Bononiae Tom. 3 pag. 95 101.*

2. 1450. P. Franciscus Tintori de Bononia, prudentia, doctrina et morum integritate celebris. — *Flamin. Tom. 1 pag. 336. P. Fernandus de Bononia, in historia Prov. Bononiensis pag. 157.*

3. 1453. P. Gabriel Mezzavacca de Bononia, qui, optime administrata provincia, Custos Terrae Sanctae ac Hierusalem Guardianus instituitur; ubi maximis virtutibus excellens, dum Jesu Christi passionem ad ejus sepulcrum fervide meditaretur, in osculo Domini efflavit animam. — *Waddingus Tom. 12 pag. 336. Fernand. pag. 132. 181.*

4. 1456. Beatus P. Marcus Fantuzzi, alias Elefantuzzi de Bononia, jam Vicarius Generalis, electus anno 1456, et in munere Carpi confirmatus anno 1458. Postmodum iterum Vicarius Generalis. Placentiae defunctus, inter Beatos adnumeratus est, cujus festum agitur in Ordine die 31 Martii.

5. 1460. P. Ludovicus de Ferraria, Concionator ingenti eruditione ac religione praeditus, nec non in partibus Romaniae Legatus Pontificius, electus Ferrariae S. Spiritus die 5 Maii; Praesid. R. P. Baptista a Levanto Vicario Generali. — *Wadd. Tom. 12 pag. 291. Flamin. Tom. 1 pag. 45 Tom. 3 pag. 205.*

6. 1463. P. Laurentius de Parma, electus Cremonae S. Angeli. — *Flamin. Tom. 2 p. 229.*

(1) Studio et cura R. P. Hyacinthi a Cantalupo, ejusdem Provinciae Secretario, exarata est haec series, quae singulis Provinciis sicut exemplar proponitur.

7. 1465. P. Marcus ab Arimino, electus Placentiae S. Mariae de Nazareth die 17 Maii; Praesid. R. P. Marco Fantuzzi, qui supra.

8. 1468. P. Ludovicus de Ferraria pro secunda vice, electus Castriarquati S. Mariae Montis Oliveti.

9. 1471. P. Nicolaus de Regio, electus Cesenae SS. Annuntiationis die 27 Maii; Praesid. R. P. Marco Fantuzzi, de quo supra.

10. 1474. P. Laurentius de Parma pro secunda vice, electus Cremonae die 10 Maii; Praesid. Beato Angelo a Clavasio Vicario Generali. — *Flam. Tom. 1 pag. 132.*

11. 1477. P. Silvester de Ferraria, electus Bononiae S. Pauli die 1 Maii.

12. 1478. P. Franciscus de Placentia, electus Cremonae S. Angeli die 10 Aprilis. Dein Definitor Generalis et Custos Terrae Sanctae. Praesid. R. P. Petro de Neapoli Vicar. Gerali. — *Wadd. Tom. 13 pag. 398. 429. 437; Tom. 14 pag. 266.*

13. 1481. P. Bartholomaeus de Placentia, electus Ferrariae die 26 Junii. Postea Custos Terrae Sanctae. Praesid. R. P. Petro de Neapoli, qui supra. — *Flamin. Tom. 3 pag. 44.*

14. 1483. P. Joan. Baptista Fontanelli de Mutina, electus Mirandulae S. Francisci die 25 Aprilis; Praesid. R. P. Petro, de quo supra.

15. 1484. Beatus Bernardinus de Feltria, Concionator mirificus, ac Montium Pietatis pluribi fundator, electus Bononiae . . . . Hoc anno Capitulo Generali Observ. Alverniae celebrato interfuit. Vita functus inter Beatos cooptatus est, cujus Officium in Ordine die 28 Septembris celebratur. — P. Leonardus de Neapoli, *Cron. Francis. par. 3 Tom. 4 pag. 486.*

16. 1486. P. Jacobus de Mantua, electus Mutinae S. Ceciliae. Postmodum Definitor Generalis. — *Wadd. Tom. 15 pag. 437.*

17. 1487. P. Laurentius de Parma pro tertia vice, electus Veruculi S. Crucis die 26 Maii; Praesid. Beato Angelo a Clavasio, de quo supra. — *Flamin. Tom. 2 pag. 229.*

18. 1489. P. Joan. Baptista Fontanelli de Mutina pro secunda vice, electus Cremonae S. Angeli die 29 Octobris; Praesid. R. P. Joanne a Segesto Vicario Generali. — *Monum. MS. lib. P. pag. 72.*

19. 1492. P. Marcus ab Arimino pro secunda vice, electus Regii S. Spiritus die 11 Maii. — *Flamin. Tom. 2 pag. 566.*

20. 1495. P. Jacobus de Mantua pro secunda vice, electus Arimini S. Mariae Gratiarum die 15 Maii; Praesid. R. P. Hieronymo Tornielli Vicar. Generali.

21. 1498. P. Franciscus de Faventia, electus Mutinae die 10 Maii.

22. 1501. P. Joan. Baptista Fontanelli de Mutina pro tertia vice, electus Cesenae; Praesid. V. P. Ludovico a Turri.

23. 1504. P. Jacobus de Mantua pro secunda vice,

electus Mirandulae; Praesid. R. P. Hieronymo Tornielli, de quo supra.

24. 1507. P. Christophorus Numalius de Forolivio, electus Ferrariae die 26 Aprilis. Hic fuit ultimus Vicariorum Generalium et primus Generalis Minister post divisionem Ordinis. Postea S. R. E. Cardinalis, cujus corpus requescit in Ecclesia S. Mariae Aracoeli. — *Sbaralea, pag. 194.*

25. 1510. P. Joan. Baptista Fontanelli de Mutina pro tertia vice, electus Castrilauri S. Francisci die 19 Aprilis; Praesid. R. P. Francisco Zeni Vicario Generali.

26. 1513. P. Jacobus de Mantua pro tertia vice, electus Mutinae die 8 Maii; Praesid. R. P. Timotheo de Luca Vicar. Generali.

26. 1515. P. Jacobus de Cervia, electus Vitellianae S. Francisci die 3 Julii; et fuit ultimus Vicariorum Provincialium ante divisionem; Praesid. V. P. Pirotti de Parma Comm. Visitat. — *Flamin. Tom. 1 pag. 173 nota.*

(Continuabitur).

V.

BIBLIOGRAPHIA

ANONYMUS CAPUCCINUS. — Le litanie lauretane, con pii e brevi commenti a pascolo salutare dei devoti di MARIA SS. di un religioso Cappuccino, Missionario Apostolico. — Torino. Cav. Pietro Marietti. Tip. Pontif. ed Arciv. 1883. in 18°, p. 198. Prezzo: L. una;

ANONYMUS Tertii Ordinis. — Souvenir du Pélerinage franciscain á Rome, Lorette, Assise, etc. Avril 1888. Envente chez F. Levé, imprimeur de l' Archevêché, 17 rue Cassette, Paris. 1888, p. 44.

BONAVENTURA DA SORRENTO, Min. Cap. — 1. Il Cantico dei Poeti Italiani alla SS. Vergine pel P. Bonaventura da Sorrento Cappuccino Socio di varie accademie. S. Agnello di Sorrento Tipografia all' insegna di San Francesco d' Assisi. 1888.

2. Il Paradiso Serafico ossia i santi, beati e venerabili di tutto l' Ordine Francescano, pel P. Bonaventura da Sorrento, Cappuccino. S. Agnello di Sorrento, Tipografia all' insegna di S. Francesco d' Assisi. 1888.

3. L' Arancio, brevi note e piccoli appunti pel P. Bonaventura da Sorrento, Cappuccino, Socio di varie accademie. Estratto dalle Stelle e Fiori, S. Agnello di Sorrento. Succursale Tipografica di A. e S. Festa all' insegna di S. Francesco. 1888.

BENEDICTUS BECHTE, Min. Rec. — Das Geheimniss der göttlichen Liebe in der geistlichen Vereinigung. Ein Katholisches Gebetbuch, verfasst und dem hl. Vater LEO XIII anlässlich seines 50 jährigen Priester-Jubiläums ehrfurchtsvoll gewidmet von P. Daniel von Bassano, General Definitor des Franciscaner-Ordens, Präsident der apostolischen Pönitenziarie an St. Johann im Lateran und Beichtvater Sr. Päpstl. Heiligkeit. Mit Erlaubniss des Verfassers aus dem Italienischen übersezt von P. Benedictus Bechte, Priester desselben Ordens. Alle Rechte vorbehalten. Augsburg 1888. Literarisches Institut von Dr. M. Huttler. (Michael Seig).

MARIA ANTONIUS A VAURO, Min. Cap. — El Lirio Inmaculado, ò Manual del Peregrino de Lourdes: obra escrita en francés por el R. P. Fr. Maria Antonio, Misionero Capuchino, traducida al español por Dona Rosario de Solance: historia, dogma, simbolismo, liturgia, novena preparatoria, oraciones y cánticos, traducida de la Tercera Edicion Francesa. Con censura Ecclesiastica. Barcellona, Imprenta y Libreria de la Immaculada Conception, Buensuceso, 13. 1888. pag. 398.

MASSAIA (Emus. GULIELMUS Card.). — Mes trente-cinq années de Missions dans la Haute Ethiopie: Mémoires historiques du Cardinal Guillaume Massaia, Capucin, autrefois Vicaire Apostolique des Gallas, illustrées de gravures et cartes géographiques, traduites sur le texte italien par M. l' Abbé Abel Gaveau. Premier Volume. En vente chez Gustave Mesnil, 181, Boulevard St. Germain, Paris.

STEPHANUS SCHOUTENS, Min. Rec. — 1 Onze-Lieve-Vrouw van Rust te Heppe-

neert door Fr. Stephanus Schoutens, Minderbroeder-recollect Lier Joseph Van in en C, Drukkers-Vitgevers Rechtestraat, 48. 1888.

Latine: Beata Maria Virgo de Requie in Heppeneert. (Pretium 0. 20 c.)

2. Maria's Luik Luxemburg en Namen of Beschriyring van de Wonderbeelden en merkweerdige Bedevaartplaatsen van O. L. V. in de Provincien Luik, Luxemburg en Namen door P. Fr. Stephanus Schoutens, Minderbroeder-Recollect Lier Joseph Van in en C. Drukkers-Vitgevers Rechtestraat, 48.

Latine: Leodium Marianum, Luxemburgum Marianum, Namurcum Marianum, sive historia statuarum prodigiosarum et peregrinationum B. M. V. in Provinciis Leodii, Luxemburgi et Namurci. (Pretium 0, 80 c.)

A. R. P. Stephanus Zlatović, Obs. Prov. SS. Redemptoris in Dalmatia ex-minister, edidit opus lingua croatica scriptum: — Franovci države presvetoga odkupitelja i hrvatski puk u Dalmaciji, id est: Franciscani Provinciae SS. Redemptoris et Croatarum populus in Dalmatia. Zagreb. 1888. in 4°. min. pag. VIII-448.

Egregius scriptor exemplo PP. Fabianich et Batinić, qui de historia Franciscanorum in iis regionibus nostra aetate admodum meruerunt, opus suum non minus eruditione, quam veritatis amore conscripsit, quo antenatorum nostrorum res in iis partibus praeclare gestas exponit, et quidem ab anno 1339, seu ab exordio celeberrimae Provinciae Bosnae Argentinae usque ad tempora nostra.

VI.

NECROLOGIA

—

R. P. Pius a Volturaria Irpina, Reformatae Provinciae Principatus Definitor, die 10 Novembris anni 1830 natus est. Ordinem Seraphici Patris nostri Francisci ingressus est die 20 Junii 1847. Sapientiam amavit et exquisivit a juventute sua; quapropter Lectoris munere insignitus, lectionis et meditationis exercitiis strenue incumbere nunquam cessavit. Multis variisque tribulationibus tentatus, et caecitate laborans, patienti animo sustulit. Meritis onustus placidissime obdormivit in Domino die 9 Octobris 1888.

R. I. P.

Makarskae, quae civitas Dalmatiae est, in in Conventu Minorum Observantium Provinciae Sanctissimi Redemptoris, die 21 Julii 1888 pretiosam justorum mortem oppetiit A. R. Pater Antonius Lulić. — Kalendis Decembris 1812 in eadem civitate natus, octodecimo aetatis anno vestem seraphicam induit. Sacerdotio 1838 initiatus, cum promptum a natura ingenium sortitus esset, felici exitu dato publico experimento, Artium Lector ac Professor gymnasii renuntiatus fuit. Lectoratus emenso curriculo, donatusque Jubilationis laurea, Concionatoris quadragesimalis munus per plures annos non absque laude obivit: hac de causa Missionarius Apostolicus nominatus. Bis Provinciae Definitor, iterato Minister Provincialis, saepius numero in diversis Ordinis Provinciis Commissarius Visitator, et ab anno 1860 usque ad 1868 Definitor Generalis fuit. Varia proprii ingenii monumenta typis evulgavit, inter quae: *Compendio storico-cronologico di Makarska; Stato della Dalmata Osserv. Prov.; Tesoretto spirituale.* Interea pius, modestus, saeculum fugiens atque studio orationis ad mortem usque intentus. Denique, Sacramentis ecclesiae magno cum devotionis affectu sumptis, senectam diem in patria obiit, Capitulo cathedrali atque tota urbe civi optimo parentantibus.

R. I. P.

Nihil obstat

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

EX S. R. CONGREGATIONE

I. - DECISIO

De aspersione aquae lustralis.

NEAPOLITANA.

Eme et Rme Domine mi Obsme,

Exoptans Eminentia Vestra, ut in sacrae Liturgiae praxi omnia fiant juxta Rubricarum praescriptiones et Sacrorum Rituum Congregationis decreta in ecclesiis istius sibi commissae Archidioeceseos, votis etiam obsecundans Capituli ecclesiae metropolitanae, per epistolam diei 3 labentis mensis ab hac Sacra Congregatione exquisivit: An expediat, non obstante contraria ab antiquis temporibus invecta consuetudine, aspersionem aquae lustralis in ecclesia metropolitana iis diebus restituere, quibus Eminentia Vestra Missae solemni adsistit.

Sacra porro eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audito etiam voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito dubio rescribere rata est: *Contrariam consuetudinem, de qua in casu, non esse tolerandam; ideoque servandas esse praescriptiones rituales.* Atque ita rescripsit die 29 Augusti 1885.

Quae dum Eminentiae Vestrae communico, eidem manus humillime deosculor.

Eminentiae Vestrae
Pro Emo et Rmo D. Cardinali
D. BARTOLINI, *S. R. C. Praefecto.*

Humil. devot. servus verus
A. Card. SERAFINI.

LAURENTIUS SALVATI, *S. R. C. Secret.*

Emo et Rmo Domino
Card. GULIELMO SANFELICE,
Archiepiscopo Neapolitano.

—

II. - RESPONSA.

Circa Missam solemnem de Requie etc.

URGELLENSIS.

Hodiernus Magister Caeremoniarum Ecclesiae cathedralis Urgellensis de mandato sui Reverendissimi Episcopi insequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna resolutione humillime subjecit, nimirum:

... *Dubium III.* Quum non idem sentiant Rubricistae circa Missam de Requie, corpore praesente, in festis S. Joseph Patroni Ecclesiae catholicae, et Nativitatis S. Joannis Baptistae, ideo ad uniformitatem in praxi stabiliendam, quaeritur:

1. Utrum Decreta Sacrae Rituum Congregationis *in Veronen.* diei 7 Februarii 1874 ad I, necnon *in Lucionen.* diei 28 Decembris 1884 ad VII, ita absolute intelligenda sint, ut nulla ratione nulloque in casu permittatur solemnis Missa de Requie, praesente cadavere, in festo S. Patriarchae Joseph, necne?

2. Utrum Missa de Requie cani possit in Nativitate S. Joannis Baptistae, ubi solemnitas hujus festi translata invenitur ad Dominicam sequentem? Et quatenus negative:

3. An prohibita etiam censenda sit in memorata Dominica? Et quatenus affirmative:

4. An praedicta Missa cani possit his in locis, ubi quamvis generaliter translata sit solemnitas festi S. Joannis in Dominicam sequentem, prout accidit in Hispania per Decretum S. R. C. diei 2 Maji 1867, attamen populus, nihil curans nec memoriam habens de hac translatione, fere eodem modo ac antea S. Joannis Nativitatem recolit?

Dubium IV. An in secundis Vesperis Commemorationis S. Pauli Ap. in concurrentia cum officio Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi fieri debeat commemoratio SS. Petri et Pauli per antiphonam communem *Petrus Apostolus* etc.

Et S. R. C. ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad III. Affirmative ad primam quaestionem: Negative ad secundam: Affirmative ad tertiam juxta Decretum in Namurcen. diei 23 Maii 1835; et Affirmative ad quartam.

Ad IV. Detur Decretum in Meliten. diei 24 Martii 1860.

... Atque ita rescripsit et servari mandavit die 20 Aprilis 1888.

—

S. CONGR. EPISCOP. ET REGULARUM.

DECRETUM

Quo approbantur Constitutiones Sororum a SS. Stigmatibus (1).

SSmus D. N. Leo PP. XIII in Audientia habita a me Cardinali Praefecto S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 16 Februarii 1888 attentis Litteris commendatitiis Antistitum Locorum, in quibus Institutum Pauperum Filiarum a Sacris Stigmatibus S. Francisci nuncupatum reperitur, suprascriptas Constitutiones prout in hoc exemplari continentur, cujus autographum in Archivo ejusdem S. Congregationis asservatur benigne approbavit et confirmavit, prout praesentis Decreti tenore Constitutiones ipsae approbantur et confirmantur, salva Ordinariorum jurisdictione ad formam SS. Canonum et Apostolicarum Constitutionum.

Datum Romae, ex Secretaria supramemoratae Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, die 19 Septembris 1888.

F. Cardinal. Masotti, *Praefectus.*

† Fr. Aloisius Epis. Callinicen., *Secret.*

(1) Cfr. *Acta Ordinis* anno II pag. 202, ubi statum hujus Instituti prouti anno 1883 existebat, publicavimus. Nunc autem, ex ultima informatione die 1 Decembris 1888 a Superiorissa Generali excepta, 53 numerabantur domus, Sorores 562, postulantes sive aspirantes 28, alumnae in scholis externis 6996, et orphanae in Collegio viventes 749.

II.

ACTA ORDINIS

—

MONITUM.

Saepissime occurrit, in epistolis ad Curiam generalitiam transmissis ex diversis Ordinis nostri Provinciis, solummodo inveniri mittentis nomen religionis, quin cognomen, nec Familia cui pertinet, sive Observantium sive Reformatorum aut Recollectorum vel Discalceatorum, nec Provincia indicentur. Hinc fastidiosa oritur confusio, quia in Ordine multi eodem vocantur nomine.

Qua de causa hortatur Rmus P. Minister Generalis omnes ad Curiam generalitiam scribentes, ut in proprio signo tum religionis tum patriae nomen (vel cognomen juxta Provinciarum probatam consuetudinem) clare indicent et exprimant, additis etiam statu sacerdotali, aut clericali vel laicali, necnon regulari Provincia, v. g. ita scribatur:

Fr. *Franciscus a Parisiis,*
Observantis Provinciae Galliae Sacerdos;
vel: *Fr. Bonaventura a Florentia,*
Reformatae Provinciae Thusciae Clericus;
aut: *Fr. Paschalis a Bethlehem,*
Custodiae Terrae Sanctae Laicus.

—

AD FRATRES NOSTROS

Incitamenta seraphica.

—

DE DISCIPLINA REGULARI RESTITUENDA

CAPUT IV.

De mortificatione.

§ 4. *De itineratione.*

55. Quicumque vitam religiosam amplectuntur, mundo valedicunt, ut in sacra monasterii solitudine Deo perfectius serviant. Convenit itaque, ut Religiosi, quantum fieri potest, mundi conversationem fugiant; contrarium enim facientes merito a sanctis Doctoribus Israelitis comparantur, qui a servitute aegyptiaca liberati improba voce clamarunt: « Re« vertamur in Aegyptum (1) ». Sancti Patres et Ascetae solitudinem maximis encomiis extulerunt, et vanam cum saecularibus conversationem pro Religiosis summopere perniciosam declararunt. Saepius legant ac ruminent Religiosi egregia illa verba, quae scribit Thomas a Kempis (2): « Trahunt desideria sensualita« tis ad spatiandum: sed cum hora transierit, « quid nisi gravitatem conscientiae, et cordis « dispersionem reportas? Laetus exitus tristem « saepe reditum parit: et laeta vigilia serotina « triste mane facit ».

56. S. Franciscus fugam mundi et solitudinis amorem Fratribus suis maxime commendavit, tum verbis tum vitae suae exemplo. Frequenter in ore habuit veterum Monachorum dictum: « Fuge, tace et quiesce (3) ». Item: « Fuge mundum, si vis esse mundus. « Si tu es mundus, jam non delectet te « mundus (4) ».

57. Ex dictis inferendum est, quantum fieri potest, raro Fratribus exeundum esse e Conventu: nisi enim vel obedientia, vel charitas ad exeundum compellat, vix sine spirituali detrimento redibunt. Errant sane, qui putant, quod per inutiles suas visitationes vanasque conversationes saecularibus placeant, eorumque aestimationem et amorem sibi concilient, cum, experientia teste, plerumque contrarium contingat juxta antiquum adagium: « Esto ra« rus, si vis esse charus ».

58. Valde errant, qui pruriunt ire per mundum ad ostentationem. Tormentum est ipsis latere in tenebris, nec apparere foris, gemuntque se tamquam vivos sepeliri, si diu intra Conventus muros cohibeantur, ac moerore tabescunt.

59. Viles sunt, qui excurrere gestiunt ad venationem lautiorum mensarum apud divites hujus saeculi, nimis onerosa ipsis existente domestica frugalitate atque Superiorum vigilantia. Praemium aestimant aliquantuli operis peracti, licentiam obtinere hospitales invisere benefactores. Persuadent sibi, acceptissimos eis esse, atque desideratos, externasque saecularium curialitates veram credunt amicitiam; a quibus tamen saepenumero contemnuntur. Audiant tales salutare Sapientis monitum (1): « Melior « est victus pauperis sub tegmine asserum, « quam epulae splendidae in peregre sine do« micilio. Minimum pro magno placeat tibi, « et improperium peregrinationis non audies. « Vita nequam hospitandi de domo in domum: « et ubi hospitabitur, non fiducialiter aget, nec « aperiet os ».

60. Quosdam e Conventu avocat parentum et antiquorum familiarium affectus. Reliquisse amicos ad purius divinae vacandum familiaritati, gloriosum fuit; ast qui absque necessitate ad eos revertuntur, hanc gloriam suam maculant, ac paulatim mores religiosos seponunt. Qui nimis frequenter visitant amicos, eis oneri fiunt. Utilius ergo omittuntur arida illa visitationum solatia.

61. Divexat quosdam curiositas videndi exteras regiones, ut oculos novarum pascant aspectu vanitatum; vel, quod speciem habet pietatis, pruriunt aviditate videndi sanctorum locorum monumenta. Praeclarum existimant, posse enarrare, quae non viderint alii. Mira vanitas, et sicca recreatio, transiens cito, relinquens vero diu ex visorum auditorumque recordatione mentis distractiones. In saecularibus hujusmodi curiositas compescitur facile

(1) Numer. XIV, 4.
(2) De imitat. Chr., lib. I. cap. 20. n. 7.
(3) Opusc. S. Franc. part. III. sent. 6.
(4) Ibid. sent. 5.

(1) Eccli. XXIX, 29-32.

timore ingentium expensarum et damnorum in re familiari: et Fratres non timent damna spiritus atque pretiosi temporis? Longe aberat ab ista curiositate Fr. Andreas Locoya, laicus, qui per quinquaginta annos fuit Conventus janitor, et toto hoc tempore januam ipsam egressus non est (1).

62. Omnes isti absque sufficienti ratione e Conventu egredientes ordinarie intolerabili afficiuntur taedio exercitiorum regularium, a quibus ad tempus eximi, ingens aestimant beneficium, quod evidens est extincti studii devotionis argumentum. Pueris solum meditantibus lusum, schola carcer est, et exercitia litteraria tormentum. Ita et viris istis monasterium carcer est, et quaecumque ibi ex obedientia peragenda sunt, eos ad melancholiam movent. Unde egressi foras, sic universa seponunt ac obliviscuntur exercitia regularia, quasi saeculares denuo effecti, multumque fecisse videntur, si cursim horas persolverint canonicas.

63. Vanae et indignae sunt praetensiones istae ad relinquendum solitudinem Deique consortium, ac eum, in quo positi sumus, paradisum. Qui vere gustaverunt donum Dei, nihil optabilius habent, quam longe esse ab hominibus, domi manere quoad fieri potest, foris existentes celerrime domum reverti, ubi melius tranquillum suum conservent statum, clariusque percipiant divinas inspirationes.

64. Cum vero Fratres Minores non mere contemplativam, sed mixtam vitam agant, et tum mendicare, tum praedicare, et alias sacras functiones peragere debeant, certum est, saepe obedientiam vel charitatem, necessitatem aut convenientiam postulare, ut e Conventu exeant. Ideo S. Pater magna sollicitudine Fratres docet, quid vitare, et quomodo se gerere debeant, *quando vadunt per mundum.* Ipsi enim maxime cordi erat, ut nonnisi bonum exemplum praeberent, quoniam optime sciebat, ab hoc Fratrum spirituale et temporale bonum dependere, prouti publice professus est, dicens (2): « Commercium est inter mundum « et Fratres. Debent enim ipsi mundo bonum « exemplum, debet eis mundus provisionem « necessitatum. Quando autem ipsi retraxerint « bonum exemplum fide mentita, retrahet mun« dus manum justa censura ».

65. Ut ergo Fratres ubique bonum praebeant exemplum, S. Pater in sua Regula dicit: (1) « Consulo vero, moneo et exhortor « Fratres meos in Domino Jesu Christo, ut « quando vadunt per mundum, non litigent, « neque contendant verbis, neque alios judi« cent: sed sint mites, pacifici, modesti, man« sueti et humiles, honeste loquentes omni« bus, sicut decet ». Haec monita, de quibus suo tempore, Deo volente, fusius tractaturi sumus in capitulo *de virtutibus exercendis,* Fratres semper et ubique observare studeant, praecipue vero, dum cum saecularibus conversantur. Saepius etiam recogitent illud monitum, quod S. Franciscus filiis suis dedit, dicens: (2) « Incedite per vias bini et bini cum gravitate, « et maxime sine garrulitate, cor vestrum ad « Deum elevatum tenentes. Procul absint nugae « et otiosa verba. Talis sit conversatio vestra « cum saecularibus, ut audientes et videntes « vos, devotionem concipiant ad Deum laudan« dum: nam ad hoc vocati sumus, ut vulne« ratos curemus, alligemus confractos, et erro« neos revocemus ».

66. Modum indicans, quo Fratres Minores itinera sua faciant, S. Pater in Regula dicit: « Non debeant equitare, nisi manifesta ne« cessitate vel infirmitate cogantur », quibus verbis constituitur unum ex praeceptis aequipollentibus, quae sub gravi peccato obligant. Sic expresse declaravit Clemens V (3), et docent omnes Regulae expositores.

67. Juxta Regulae expositores per hoc praeceptum prohibetur primo usus equi, secundario vero usus alterius animalis ad iter faciendum; utrumque autem sub gravi. Nonnulli putant, pro usu equi majorem necessitatem requiri, quam pro usu muli vel asini.

68. Quoad usum vehiculorum non est eadem omnium expositorum sententia. Matthaeucci dicit (4): « Respiciendo ad intentio« nem legislatoris, ambigendum non est, quod « bigans et quadrigans delinquat contra Regu« lam ». Eamdem doctrinam major pars expo-

(1) Annal. Ord. tom. 4. ad ann. 1397, n. 14.
(2) Opusc. part. III. Collat. 5.

(1) Reg. cap. III.
(2) Opusc. part. III. Collat. 22.
(3) Constit. *Exivi,* cap. 1.
(4) Schol. paupert. tit. II. consil. 2. § 4.

sitorum tenet, inter quos P. Gabriel a Vicetia (2) observat, quod, si S. Franciscus non vehiculum, sed solum equitationem prohibere voluisset, non fuisset locutus de infirmis, qui non equitare, sed curru uti solent. Alii vero expositores, v. g. Marchantius, Kerkhove, Kazenberger etc. vehiculorum absque sufficienti ratione usum illicitum quidem judicant, sed prohibitionem hujusmodi potius ex quarto Regulae praecepto provenire putant, in quo recursus ad pecuniam sine necessitate interdicitur. Quidquid sit de hac distinctione: juxta omnes bigatio et quadrigatio Fratribus Minoribus extra casum necessitatis prohibita est. Patet quoque ex verbis S. Bonaventurae, qui dicit: « Non debeant equitare, et per consequens nec bigare, nec quadrigare, quae majoris sunt sumptus ». Patet etiam ex persuasione et praxi totius Ordinis, qui graves poenas illis infligendas statuit, qui vel equitant, vel curru vehuntur absque necessitate.

69. Fratres Minores licite possunt navi vehi, etiam sine necessitate, si vectio in navi non debeat solvi per pecuniam. Si vero pro navigatione recurrendum esset ad pecuniam, non posset, nisi cogente necessitate, navi vehi, quia recursus ad pecuniam sine necessitate fieri non potest.

70. Quamvis S. Regula equitationem prohibeat, in casu tamen manifestae necessitatis aut infirmitatis illam permittit. Juxta opinionem S. Bonaventurae vel ex parte itineris, vel ex parte negotii, vel ex parte personae possunt causae existere, quae Fratres a servando hoc praecepto excusant, ac efficiunt, ut licite equitare, vel curru vehi possint. Ut autem ex parte *itineris* causa excusans habeatur, requiritur, ut ipsum iter suscipiatur ex necessitate vel justa causa, ob quam omitti nequeat. Nam sine itineris necessitate non habetur necessitas equitandi. Ex parte itineris equitatio potest esse licita, si sit prolixum, ita ut sine magna difficultate, vel sine sanitatis aut officiorum detrimento pedibus confici non possit; similiter, etiamsi iter sit breve, si via, per quam incedendum est, sit ita aqua, luto, glacie, aut nive repleta, ut sine difficultate aut periculo per illam transiri nequeat. Ratione *negotii* excusatur, qui illud in alio loco peragere debet, ad quem pedibus incedendo debito tempore pervenire non potest. Idem dicendum est de illo, qui necessarium iter suscipere, et intra breve tempus ad proprium locum reverti debet. Ex parte *personae* equitatio licita redditur, si quis senio confectus, aut aegrotans, aut valde debilis iter suscipere debeat, et pedester sine difficultate aut periculo, illud perficere non possit.

71. Notandum vero est, Superiorum esse, de sufficientia necessitatis aut infirmitatis ad equitandum judicare; dicit enim Innocentius XI (1), Fratres Minores teneri « ad non equitandum, nisi infirmitas, vel necessitas *judicio Superiorum probata* excuset ». In Statutis etiam Generalibus expresse praecipitur, ut nemo sine gravi et manifesta necessitate, et sine expressa licentia sui Superioris, equitare, bigare, quadrigare audeat; et graves poenae contra hoc Statutum violantes statuuntur (2).

72. Saeculo nostro novus modus inventus est itinera celerrime conficiendi in via ferrea per currus vaporiferos. Hinc ab aliquibus quaestio mota est, utrum Fratribus Minoribus usus curruum vaporiferorum a Regula sua sit prohibitus. Quapropter S. Congregationi Episcoporum et Regularium propositum fuit sequens dubium resolvendum: « An et quomodo usus curruum in viis ferratis vaporis impetu adactorum Fratribus Minoribus Observantibus permissus sit in casu? » Et praefata S. Congregatio die 19 Junii 1863 respondit: « Affirmative ex rationabili causa de licentia Superioris prout in usu rhedarum, salvo quoad locum spiritu humilitatis (3) ».

Et ad ulterius dubium propositum, utrum ad praefatam licentiam Superioris obtinendam sufficiat rationabilis causa, vel potius adesse debeat infirmitas aut manifesta necessitas: eadem S. Congregatio die 21 Julii 1876 respondit: « Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». — Ex dictis satis patet, usum curruum vaporiferorum a Regula nostra *per se* prohibitum non esse. Hujusmodi vero usus ex alio titulo potest esse illicitus, nempe ex illicito recursu ad pecuniam. Quare die 20 No-

(2) Cap. III. § 11.

(1) Const. *Sollicitudo pastoralis officii.*
(2) Constit. Gen. cap. III. § XII.
(3) Cfr. *Acta Ord.* ann. I. pag. 165.

vembris 1861 in Congressu generali, sub praesidentia Rmi P. Ministri Generalis, Definitorii Generalis Patres edixerunt « usum currus va-« poriferi *per se* a Regula prohibitum non esse; « nullatenus tamen negatur, illum illicitum et « a Regula interdictum fieri, si absque justa « causa ad pecuniam recurrendum sit. Eodem « modo nullatenus Fratribus permittitur, ut re-« creationi suae nimium indulgentes in curri-« bus vaporiferis inutiles itinerationes susci-« piant: imo, ne hujusmodi abusus fiant, Su-« periores invigilare debent, sine quorum li-« centia ne deambulationes quidem pedestres, « et multo minus itinerationes in viis ferreis « suscipi possunt ».

73. Salvator noster in hunc mundum ingrediens, homines per os angelicum salutavit: « Pax hominibus bonae voluntatis ». Idem post resurrectionem suam discipulis apparens, eos salutavit, dicens: (1) « Pax vobis ». Hanc eamdem salutationem DOMINUS S. Francisco revelavit, ut diceret: « DOMINUS det tibi suam « pacem ». Et hanc salutationem S. Pater commendavit etiam Fratribus suis, dicens in Regula sua: « In quamcumque domum intrave-« rint, primum dicant: Pax huic domui ». — Cum citatis autem Regulae verbis conjungenda est alia admonitio S. Patris, qui ait: (2) « Si-« cut pacem annuntiatis ore, sic in cordibus « vestris pacem, et amplius habeatis. » Fratres ergo, qui aliis pacem precantur, debent et ipsi pacem habere cum DEO per puritatem conscientiae, cum seipsis per passionum mortificationem, et cum proximo per humilem conversationem.

74. Fratres cum saecularibus conversantes duos scopulos sedulo vitare debent; et primo quidem minime se immiscere debent saecularium negotiis, curiose indagantes, quae in eorum familiis contingunt, quia per tales intempestivas interrogationes benefactoribus molesti fieri, ac etiam propriam conscientiam inquinare possent; et deinde multo magis cavere debent, ne inordinationes, quae forsitan in Conventu vel Ordine contigerunt, aliis manifestent; talia enim manifestantes detractionem committunt, scandalum praebent, statutas a Constitutionibus poenas incurrunt, et impio Cham similes fiunt.

(1) Luc. XXIV, 36.
(2) Opusc., part. III. Collat. 22.

(Continuabitur).

—

CAPITULA PROVINCIALIA

Anno 1888 celebrata.

XLIII.

Obs. Prov. S. Bernardini in Aprutiis.

Die 17 Maji 1888 sub praesidentia Adm. R. P. BERNARDINI A FERENTINO, ex-Definitoris Generalis, Obs. Prov. Romanae Ministri et Com. Visit. Generalis, in Conventu Recessus Ursuneae rite celebratum est Capitulum, in quo canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

Adm. R. P. Marcellinus ab Anxano.

CUSTOS

Adm. R. P. Lucianus a Castronovo.

DEFINITORES

R. P. Augustinus a Gipso.
R. P. Aloysius a Pratulis.
R. P. Angelus a Paganica.
R. P. Vincentius a Forcella.

XLIV.

Colleg. Civitatis Pacensis in Bolivia.

In Apostolico Collegio Missionum Sancti Josephi civitatis *La Paz* in Bolivia, die 1 Octobris vertentis anni, praesidente Adm. Revdo Patre Fr. ALEXANDRO MARIA CORRADO, Commissario Generali, celebratum fuit Guardianale Capitulum, in quo rite et canonice electi sunt:

GUARDIANUS COLLEGII

R. P. Victorianus Gonzalez.

PRAEFECTUS MISSIONUM

R. P. Ludovicus Fernandez.

Discreti

Adm. Rev. P. Raphael Sanz.
R. P. Joannes Bernat.
R. P. Nicolaus Armentia.
R. P. Paulus Fernandez.

XLV.

Ref. Provincia S. Didaci in Insubria.

In Congressu diei 22 Novembris a Definitorio Generali nominati sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Bonaventura a Silvano Orbae.

Custos

A. R. P. Clemens a Parona ex-Def. Glis ex-Provincialis imm.

Definitores

R. P. Desiderius a Castronovo Scriviae ex-Custos.
R. P. Lucas a Masino confirm.
R. P. Bartholomaeus a Mairono confirm.
R. P. Caietanus a Burgomanero confirm.

XLVI.

Observ. Prov. S. Hieronymi in Dalmatia.

Die 28 Nov. sub praesidentia Ad. R. P. Petri a Monsano, Secretarii Generalis Ordinis et Com. Visit. Glis, in Conventu S. P. N. Francisci Jaderae celebratum est Capitulum, in quo canonice electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Seraphinus Ivasović a Castris.

Custos

R. P. Bonaventura Sokolić a Nerezine.

Definitores

A. R. P. Honoratus Ozretić a Spalato.
R. P. Joannes Chietul a Vegla.
R. P. Lucas M. Cosimi a Cryptis S. Stephani.
R. P. Aloysius Zarbarini a Catharo.

III.

MISSIONES

—

EX REPUBLICA CHILENA.

I.

COLLEGIUM S. ILDEPHONSI

DE PROPAGANDA FIDE IN CHILLAN.

I. Conventus S. Ildephonsi de Chillan ab ipsius fundatione usque ad an. 1756 unus erat ex Conventibus Provinciae SSmae Trinitatis Sancti Jacobi de Chile; postulante vero Adm. R. P. Josepho Seguin (ex Collegio de Ocopa alumno in Peruviana Regione), de mandato Adm. R. P. Commissarii Generalis Indiarum ac de consilio Definitorii memoratae Provinciae, die 24 Junii ejusdem anni erectus est in Collegium Missionum sub titulo S. Ildephonsi. Decurrente autem anno 1818, Collegium de facto cessavit ob civile Bellum (la Independencia de Chile); restitutum est autem anno 1832: ex eo tempore ad praesens usque sine vicissitudine permanet. Positio Collegii est ad gr. 36° 30' Lat. australis, ac 74° 8' Long. occidentalis juxta Meridianum Parisiensem.

II. Sacerdotes hujus Collegii 39 numerantur; quorum decem in Infidelium Missionibus commorantur, unus Commissarius Terrae Sanctae in Republica Chilensi fuit renuntiatus; duo Itali sunt, ceteri omnes Chilenses. — Clerici professi 14; Fratres Laici 13; Novitii 7; Postulantes ad habitum 8.

III. Alumni istius Collegii studiis hispanici ac latini idiomatis, Historiae, Philosophiae, Theologiae Dogmaticae et Moralis, Juris Canonici ac Historiae Ecclesiasticae *respective* dant operam.

IV. Missiones inter fideles ab anno 1876 usque in praesens 76 numerantur, in quibus confessiones auditae 176,422; communiones 200, 088 ac confirmationes 65,442 ministratae sunt.

V. Quotannis, urgente necessitate, Missionarii quidam in locum Parochi infirmi vel absentis substituuntur *ad tempus* tantum, et ad alia ministeria sacerdotalia in paroeciis exercenda mittuntur.

VI. Quotannis, insuper, per dies novem ante Pascha sermones quadragesimales in nostra Ecclesia praedicantur; orationes autem panegyricae aliquae per annum in festivitatibus; sermones morales vel doctrinales, aut catechesis in Dominicis, ac in duobus mensibus Sanctissimo Cordi JESU et Beatissimae Virgini MARIAE consecratis habentur. Item, quotidie in Ecclesia nostra confessiones fidelium excipiuntur, ac Sanctissima Eucharistia ministratur: anno proxime elapso communiones 33,200 fuerunt distributae: extra Ecclesiam autem frequenter confessiones infirmorum excipiuntur. Dominicis diebus ac festivis per annum in tribus vel quatuor Ecclesiis, vel Capellis hujus populi et aliorum a Religiosis nostris Missae privatae celebrantur.

VII. Ad Collegii necessitates sublevandas sequentia habentur: Emolumenta altari inservientium (vulgo *piè de altar);* pecuniariae eleemosynae pro Missis, aliaeque gratis oblatae; eleemosynae in propria specie per Fratres Laicos inter benefactores collectae (id est, agni anniculi, triticum et vinum); Fundus rusticus (vulgo « Los Guindos »), cujus mensura ad tria milliaria quadrata cum dimidio, vel circiter, sese extendit (vulgo *505 cuadras)* et in ipso quadrupedia aluntur ad servitium Communitatis necessaria, ac etiam alvearia, ex quinus cerei ad Ecclesiae nostrae illuminationem elaborantur: ibidem Capella extat publica cum omnibus ad divinum cultum necessariis; sex insuper cellae, sive cubicula sunt pro Religiosis, qui, valetudinis vel recreationis causa, per aliquos dies inibi commorantur.

VIII. Tertius Ordo Sancti P. N. Francisci extat, sub directione ac visitatione Rectoris istius Collegii, ab anno 1767, usque ad annum 1816, interruptionem aliquam subiens ob civile Bellum. Post restaurationem Collegii, anno scilicet 1833, restauratus est etiam Tertius Ordo non in hac civitate tantum, sed etiam in oppidis Sancti Caroli del Ñuble, ac Parral, parvo licet incremento. Ab anno autem 1866 et deinceps valde propagatus est; siquidem duobus abhinc annis in hac civitate plus quam mille Tertiariorum utriusque sexus numerabantur: eodem tempore fundatus est etiam Tertius Ordo in oppidis Bulnes, Linares, San Javier, Los Angeles, Yungai eo successu ut, in praesenti, quasi duo mille et quingenti Tertiariorum reperiantur. Bis in anno Tertiarii a Rectore visitantur, et ad pietatem, orationem, eleemosynarum largitionem curamque infirmorum Confratrum exercendam stimulantur: semel in mense in Collegio Congregationes Tertiariorum habentur ad pia opera et divinum cultum exercendum. Tribus in locis Praefecturae Missionum Tertius Ordo de Poenitentia etiam propagatus est.

Collegium nostrum spatium latitudine 150, longitudine vero 300 passuum occupat: Ecclesia mensuram habet longitudine 80, latitudine autem 20 passuum: claustra inferiora ac superiora sunt in Collegio, et in eis cellae 51 habentur: parvum oratorium in claustro superiori extat. Novitiatus quoque separatus existit, in quo cella pro Magistro reperitur, ac dormitorium tot pro singulis lectulorum capax, aula ad studium et ad spirituales collationes destinata, atque oratorium pro Clericis professis separatus; insuper locus est, ubi cellulae 16 pro ipsis habentur, aulae litterariae tres ad scholasticas lectiones atque oratorium: alius locus, denique, pro Postulantium educatione et a duobus praecedentibus segregatus existit, in quo etiam cella pro ipsorum Magistro, spatiosum dormitorium ad singulorum lectulos sternendos, magna aula ad studium, aliaque ad lectiones scholasticas excipiendas habentur. Prope Collegii januam in claustro inferiori honestum ac spatiosum cubiculum disponitur, ubi viri saeculares recipiuntur. In locis idoneis bibliotheca, culina, coenaculum, cella vinaria, horreum et hospitium habentur.

Est etiam intra Collegii aream schola externa pro pueris pauperibus instituendis, a claustris vero segregata prorsus, ac portam ad viam publicam tantum habens: in ea centum quinquaginta et amplius alumni educantur, ipsis lectio, scriptio, catechismus, lingua hispanica, arithmetica ac geographia sub Professoris saecularis regimine traduntur.

Haec est relatio, quam Guardianus ac Discreti supradicti Collegii Sancti Ildephonsi de Chillan ad supremum Ordinis Moderatorem cum filiali obsequio transmittunt.

Die 7 Augusti 1888.

Fr. EMMANUEL CERDA, *Guardianus.*

Praefectura Missionum Franciscalium Sancti Michäelis Archang. de Chile.

Origo. Iam ab anno 1756, paulo post fundationem Collegii Sancti Ildephonsi de Chillan, Missiones franciscales Praefecturae Ap. Sancti Michäelis Archangeli exordia habuerunt. Ex Missionariis qui, saeculo hoc ineunte, pro infidelium conversione allaborabant in medio eorum vitam degentes, alii (Bello civili jam irruente) ad Peruvianam Regionem transierunt, alii autem permanserunt in Missionibus infidelium, tam in Provincia Valdiviae, quam in territorio Araucano. Anno vero 1832, pace jam composita, missiones derelictae restauratae sunt; aliae de novo fundatae fuerunt, scilicet: Tucapel, Arauco, Nacimiento, quae ad praesens usque extant in territorio Araucano una cum aliis deinceps fundatae.

Confinia. Praefectura ad Septentrionem habet flumen Bio-Bio; ad Austrum flumen Cautin sive Imperial; ad Orientalem Cordillera de los Andes; ad Occidentem Oceanum Pacificum: extenditur a gr. 37° circiter ad 38° 48' lat. Australis.

Jurisdictiones limitrophae sunt, ad Septentrionem Dioecesis SSmae Conceptionis, intra cujus limites australes Praefectura ipsa continetur; ad Orientem Archiepiscopatus Bonäerensis (Buenos Ayres), ad Austrum Dioecesis Sancti Caroli de Ancud.

Dominium. Praefecturae territorium omne civiliter subjicitur Reipublicae Praesidi.

Lingua. Apud indigenas *araucana,* apud Chilenses vero (vulgo españoles) lingua hispanica adhibetur.

Clima regionis temperatum est ac salubre: identidem vero morbus *viruela* apud Indigenas praevalet.

Catholici numero 120,000 et amplius computantur, inter quos Coloni europei ad ritum latinum pertinentes comprehenduntur; indigenarum vero quinquaginta millia vel circiter numerantur, quorum decem millia baptizati existimantur. Indigenae superstitiosi sunt; existentiam Dei Creatoris admittunt, discrimen malum inter et bonum, poenam ac praemium in vita futura, quod tamen *ultra mare* eventurum esse autumant; Sacerdotio templisque carent.

Paroeciae octo sunt: Nacimiento, Angol, Mulchen, Cañete, Lebu, Arauco, Coronel, santa Iuana: in ipsis Parochi saeculares resident. *Stationes* seu *Domus Missionales* novem sunt: Nacimiento, Angol, Mulchen, Collipulli, Traiguen, Lumaco, Tucapel, Tirua, ac Cholchol: praefatae *Stationes* intra oppida ejusdem nomiminis extant, praeter tres ultimae, quae extra ipsa sita sunt.

Praefectura Missionum. R. P. Antonius a Jesu Marquez, actualis Vice-Praefectus ex Collegio de Castro. — Residentia: Angol.

Ecclesiae in Praefectura Missionum sex, Sacella quatuor habentur.

Sacerdotes Missionarii decem et octo numerantur ex Ordine Minorum Obs., quorum decem ad Collegium Sancti Ildephonsi de Chillan, octo vero ad Collegium de Castro pertinent: duo Hispani sunt, ceteri Chilenses, nullus indigena.

Seminarium vel Collegium ecclesiasticum in Praefectura non habetur.

Institutum Regulare. Sorores ab Immaculata Conceptione, vulgo *de la Caridad Cristiana* nuncupatae, in duobus Paroeciis extant.

Scholae in omnibus fere *Stationibus* extant pro internis Indigenis educandis; in duabus vero ipsarum etiam pro externis alumnis habentur: frequentia media alumnorum ad 150 extenditur. In omnibus Praefecturae populis habentur insuper binae scholae Gubernio civili subiectae, pro pueris instituendis una, ac pro puellis altera.

Instituta charitatis: Nosocomia duo extant.

—

II.

COLLEGIUM CIVITATIS CASTRO

IN REPUBLICA CHILENSI.

DESCRIPTIO

Quae exhibet statum, tum formalem, tum materialem Collegii Missionariorum Franciscalium de Propaganda Fide SSmi Nominis Jesu *Civitatis Castro.*

Haec descriptio continet duas partes: in quarum prima agitur de erectione Collegii et

quatuor Hospitiorum, quae illius jurisdictioni subsunt; in altera autem verbum fit de origine et vicissitudinibus Missionum inter infideles existentium et stationibus Missionum.

1.ª *Pars, de Collegio et illius Hospitiis.*

Collegium erectum fuit in Civitate *Castro,* in Archipelago *Chiloé,* anno 1837 a Patribus Italis Ordinis S. P. N. Francisci ex familia Reformatorum et Observantium, Gubernio civili fovente, et procurante omnia necessaria pro itinere Patrum Missionariorum et erectione Collegii cum Ecclesia.

Objectum formale hujus fundationis non aliud fuit, nisi ut Patres Missionarii laborarent in vinea Domini apud infideles existentes in *Araucania,* et insimul novi cooperatores invenirentur, admittendo juvenes hujus regionis ad habitum et professionem religiosam. Hac de causa Collegium erectum fuit juxta Declarationes SS. Innocentii XI in suo motu proprio: *Sollicitudo Pastoralis* contentas, et Decreta Clementis VIII et Urbani VIII de reformatione Regularium ac Decreta S. Concilii Tridentini.

Cum Collegium, Ecclesia et omnia alia accessoria perfecta fuissent ex lignis et tabulis, ut mos est apud incolas hujus regionis, anno 1857, id est, vix elapsis viginti annis ab illius exstructione, dira vis infensi ignis penitus omnia consumpsit. Sed cito de novo exstructa sunt cum eleemosynis fidelium, et maxime Gubernii civilis protectione. Iterum anno 1882 ignis devoravit tertiam partem Collegii; sed jam illa pars reaedificata fuit semper cum eleemosynis fidelium et adjutorio Gubernii civilis.

A fundatione Collegii, id est, ab anno 1837 usque ad 1888, sexdecim capitula Guardianalia celebrata sunt, praeter primam electionem seu nominationem Guardiani factam a Praefecto Generali Missionum illius temporis. Professionem emiserunt centum triginta et unus Religiosi, ex quibus solemniter voverunt quinque supra centum, et sacerdotio insigniti sunt octoginta quinque. Nunc manent de filiis Collegii quadraginta quinque sacerdotes, undecim Clerici solemniter professi, duo votorum simplicium, et duo Laici votorum solemnium. Ceteri partim obierunt, partim saecularizati sunt, et partim, obtenta dispensatione votorum simplicium, ad saeculum redierunt. Manent insuper incorporati sex Sacerdotes et sex Fratres laici.

Cuncta igitur familia religiosa hujus Collegii nunc componitur ex uno et quinquaginta Sacerdotibus, tredecim Clericis et octo Laicis, qui omnes partim morantur in Collegio, partim in Hospitiis, de quibus mox dicendum, partim in Missionibus infidelium et partim in Paroeciis Dioecesis Arecudiae ob defectum clericorum saecularium.

Singulis triennis novus Guardianus cum suo Discretorio recipit in Collegio viginti circiter juvenes, qui vocationem habent ad statum religiosum, et hi manent interni in habitu saeculari per octo circiter menses, eorum vocationem et aptitudinem explorandi causa. Nunc sunt octodecim ex viginti receptis mense Februarii currentis anni, et hoc ipso anno habitum Ordinis nostri recipient.

Juxta statuta Ordinis pro studiis, juvenes Clerici studio vacant scientiarum liberalium, ut sunt Grammatica Linguarum, sed praesertim Latinae et Hispanicae, Mathematica, Philosophia et quaedam alia. Deinde Scientiis Sacris student, ut sunt, Theologia Dogmatica et Moralis, Ius Canonicum et sacra Eloquentia.

Patres Missionarii quotannis exeunt ad exercitium apostolicum sacrarum Missionum, et per quatuor vel sex menses inter fideles catecheses instruunt, verbum Dei praedicant et sacras audiunt confessiones, ita quidem ut plusquam quinquaginta oppida visitent, et in unaquaque missione (et omnes sunt saltem novendiales) unusquisque Missionarius audiat octingenta vel fere mille confessiones.

In Ecclesiis Collegii et Hospitiorum singulis diebus Dominicis et aliis festis de praecepto catecheses fiunt, ut praescribitur in Brevi SS. Pii Papae IX: « *Apostolica Sedes* ». Deinde per annum solemniter celebrantur festa Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Beatae Mariae Virginis, Dedicatio S. Michaëlis Archangeli, festa S. P. N. Francisci, S. Antonii de Padua, titularis Ecclesiae et SS. Cordis Jesu. Mense Novembri fiunt exhortationes Marianae, ut mos est in Europa mense Maii. Ante omnia festa enuntiata fiunt praedicationes novendiales. Ex die 23 Julii ad diem 1 Augusti fiunt

exercitia sacrarum Missionum, ut fideles excitentur et apprime praeparentur ad lucrandam indulgentiam vulgo dictam de Portiuncula.

Sancta paupertas in cunctis servatur, et Religiosi ex eleemosynis fidelium vivunt. Gubernium civile quotannis praebet Collegio ab ipso anno ejus fundationis eleemosynam mille et octingenta scutatorum.

Structura Collegii providet habitationi triginta Religiosorum. Separatim adest domus Novitiorum, et alia domus pro Clericis studentibus; adest etiam bibliotheca cum libris necessariis pro Religiosis Missionariis.

Post fundationem Collegii erecta sunt quatuor Hospitia, ut facilius Missionarii laborarent inter infideles et fideles. Unum ex Hospitiis existit in civitate *Valparaiso,* et monte, qui vocatur *del Baron,* Archidioecesis S. Jacobi de Chile. Titularis Ecclesiae SS. Crucifixus, et Hospitium ut verus Conventus habetur ab Ordinario, ac ibidem de familia saltem duodecim Religiosi semper resident. Haeret huic Hospitio Domus Exercitiorum pro fidelibus utriusque sexus, et quotannis viri et mulieres, alternatim, sese colligunt ad sacra exercitia facienda per decem dies; quae quidem fiunt per septem vel octo vices, ita ut singulis vicibus exercitantes centum decem, et pluries centum quinquaginta coadunentur. Tres Missionarii hujus Hospitii exeunt quotannis ad sacras Missiones, inter fideles exercendas, instante et favente Ordinario loci. Praedicationes in diebus Dominicis et festivitatibus Ordinis fiunt in hoc Hospitio sicut dictum de Collegio.

Alterum Hospitium situm est in civitate S. Philippi, provinciae *Aconcagua,* in suburbio *Almendral.* Titularis Ecclesiae S. Antonius Patavinus. Hoc Hospitium habetur etiam ab Archiepiscopo S. Jacobi ut verus conventus, et ibi manent semper de familia duodecim Religiosi. Sicut in Hospitio *del Baron,* in hoc etiam Patres Missionarii vacant quotannis sacris Missionibus inter fideles, et in Ecclesia fit exercitium Chori et aliarum festivitatum, ut in Collegio.

Aliud Hospitium erectum est in Civitate Episcopali de *Ancud.* Titularis Ecclesiae S. P. N. Franciscus. In hoc Hospitio manent quinque saltem sacerdotes: unus ex illis audit confessiones infirmorum in Nosocomio, et omnes verbo Dei annuntiando et audiendis fidelium confessionibus incumbunt.

Aliud Hospitium erectum fuit in civitate *Osorno,* dioecesis etiam Ancudiae. Titularis Ecclesiae Immaculata Conceptio B. M. V. In hoc Hospitio manent etiam quinque sacerdotes: fiunt cetecheses et audiuntur confessiones fidelium, praesertim in longinquo cum maxima utilitate Dominici gregis.

In omnibus his Hospitiis observantur vita communis et constitutio « *Apostolica Sedes* ». Religiosi in illis degentes vivunt ex eleemosynis fidelium, et in communi libri necessarii habentur. Hucusque de Collegio.

2.ª *Pars: de Missionibus inter infideles.*

Cum respondendum sit *brevissime* ac *distincte* quindecim quaesitis a S. Congregatione de Propaganda Fide propositis, quae sequuntur subjungere duximus.

1.° Origo Missionum Araucaniae venit ab anno 1562 et anno 1573 P. Fr. Antonius a S. Michaele, hispanus, Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, electus fuit Episcopus de *Imperial.* Irruptione Indorum barbarorum anno 1603 civitate de *Imperial* destructa, Sedes Episcopalis translata fuit in civitatem *de Concepcion;* plures necati sunt, Missionarii et reliqui superstites in alia oppida ejusdem Reipublicae fugerunt. Initio saeculi XVIII Patres Societatis Jesu in hac Missione adlaborarunt usque ad annum 1767, in quo expulsi sunt ab his regionibus. Iterum Indi barbari oppida et stationes missionales penitus destruxerunt, occidendo omnes hispanos et eos qui cum illis vixerant. Initio hujus saeculi Patres franciscani *de Chillan* has Missiones visitarunt, donec anno 1839 Patres Collegii *de Chillan* et novi Collegii *de Castro* insimul laboraverunt, et usque in praesentem diem harum Missionum in communi curam habent.

2.° Confinia territorii hujus Missionis sunt: ad Aquilonem flumen *Bio-Bio,* ad Austrum flumen *Cautin,* ad Orientem montes, qui vocantur *Cordillera de los Andes,* et ad occidentem mare Pacificum. Totum territorium hujus Missionis situm est intra terminos dioecesis *de Concepcion,* ita ut in eodem oppido sit statio Missionarii, et Parochus saecularis ab Episcopo nominatus.

3.° Jurisdictiones limitrophae sunt ad Aquilonem et in toto territorio Missionum jurisdictio Episcopi *de Concepcion*, ad Austrum Missio Patrum Missionariorum Capuccinorum, quae est in territorio dioecesis *de Ancud*, ad orientem dioecesis S. Joannis *de Cuyo* et *Buenos-Aires*.

4.° Gubernio Chilensi subjecti sunt omnes habitatores hujus Missionis.

5.° Indi loquuntur idioma Araucanum, alii omnes linguam hispanicam. Plures indi ex contactu cum aliis habitatoribus intelligunt linguam hispanicam.

6.° Clima hujus regionis est sanum et benignum; nihilominus saepe venit quaedam febris contagiosa, quae vocatur varus vel *viruela*, et multi praesertim ex indis moriuntur.

7.° Numerus incolarum hujus regionis computatur 130,000; ex illis 48,000 sunt indi, partim infideles, et partim baptizati; alii omnes sunt hybridi. Sunt etiam quidam coloni ex Gallia, Helvetia, Germania, Anglia etc. Cultus catholicus praevalet apud eos, etsi sint plures protestantes et rationalistae. Indi ethnici templis carent ac sacerdotio, sed credunt in DEUM Creatorem et Conservatorem omnium.

8.° In hoc territorio existunt octo paroeciae, sunt sequentes: *Nacimiento, Angol, Mulchen, Canete, Lebu, Arauco, Lota* et *Coronel*. Illarum Parochus est sacerdos saecularis nominatus ab Episcopo. Stationes missionales sunt octo: *Nacimiento, Angol, Mulchen, Callipulli, Traiguen, Lumaco, Tucapel* et *Tirúa*.

9.° Quoad Indos Missionarii directe jurisdictionem obtinent a R. P. Praefecto, qui eligitur ad sexennium, juxta Constitutionem Pianam. Quoad reliquos habitatores hujus territorii, qui non sunt Indi infideles, aut neophiti, ut hispani-chilenses, coloni etc. jurisdictio exercetur ab Episcopo *de Concepcion*; ita tamen ut Missionarii et ipse Praefectus Missionum obtineant jurisdictionem ab Ordinario ad sacramenta administranda. Sedes *de Concepcion* est Episcopalis.

10.° Ab anno 1863 in hac Missione extructae sunt sex Ecclesiae et quatuor sacella. Mox autem erigentur quinque in locis denominatis: *Cholchol, Imperial, Temuco, Lautaro* et *Victoria*. Singulis annis Missionarii territorium suum perlustrant, ac neophitis sacramenta ministrant Poenitentiae, Eucharistiae et Matrimonii; Praefectus autem sacramentum Confirmationis: infideles catechizant et ad baptismi sacramentum disponunt.

11.° In hac Missione Araucana sexdecim inveniuntur Missionarii sacerdotes, et fere omnes indigenae, seu Chileni. In unaquaque statione Missionis duo adsunt sacerdotes.

12.° In territorio Missionis non est seminarium pro clericis instituendis, sed in civitate Episcopali Dioecesis *de Concepcion*. In stationibus Missionum sunt scholae pro Indis et Chilensibus; Indorum pueri in eisdem per quatuor vel quinque annos in eisdem excipiuntur, et cum rudimentis litterarum doctrinam christianam addiscunt et artes mechanicas.

13.° In hac Missione quinque sunt Sorores votorum simplicium, ab Immaculata Conceptione nuncupatae, quae habent instituta pro educatione puellarum. Non est aliud institutum regulare.

14.° In omnibus oppidis scholae inveniuntur, quae jurisdictioni subsunt Gubernii civilis. Sed in stationibus Missionum adsunt scholae, ut dictum est supra n. 12.

15.° Non alia existunt instituta charitatis, quam Nosocomia in civitate *Angol*, aliud in *Traiguen*, et aliud in *Collipulli*: tria haec a Gubernio civili sustentata.

In stationibus Missionum eliguntur aliqui Indi, qui a Missionariis collocantur in aliquo ex institutis vel Collegiis civitatum, educationis recipiendi causa: expensae fiunt cum eleemosynis fidelium, eo fine, ut ipsi inservire possint ut catechistae et institutores in scholis stationum Missionis.

Denique notum facimus, postremis hisce annis quamplurimos ex adultis et infantibus baptizatis, et confirmatos fuisse et accipisse Poenitentiae, Eucharistiae et Matrimonii sacramenta.

In quorum fidem manu nostra subscribimus et sigillo Collegii munimus de 15 Septembris 1888.

Fr. JESUS M. BARRIA, *Guardianus*.
De mandato P. S. R.
Fr. UBALDUS DEL C. Muñoz.

Ad Rmum P. MIN. GENERALEM,
Ord. Min. Observantium.
Romam.

IV.

VARIA.

—

SERIES PRAELATORUM

Obs. Prov. Bononiae.

(Continuatio) (1)

MINISTRI PROVINCIALES

A divisione Ordinis per Bullam Leonis X. facta.

1. 1518. Rev. P. Paulus Pirotti de Parma, vir doctus et Concionat. celebris, electus Mutinae die 6 Maii. Postea Definitor et Minister Generalis. Libros evulgavit doctrina et eloquentia refertos. Praeside Rmo D. Christophoro Numalio, de quo supra, S. R. Ecclesiae Cardinali ac totius Ordinis Min. Generali. — *Sbaralea, pag. 578.*
2. 1521. R. P. Apollonius de Placentia, magnus Theologus, electus Carpi S. Nicolai. Postea Definitor Generalis. — *Fernand. pag. 111, 133.*
3. 1523. R. P. Paulus Pirotti pro secunda vice, electus Bononiae, SS. Annunt. die 23 Januarii.
4. 1526. R. P. Antonius Paliettinus de Monilia, omnigena doctrina clarus, electus Plebis Ceuti S. Francisci die 12 Decembris. Dein Procurator, Definitor et Comm. Generalis Ordinis. A S. Pio V in publico Consistorio, omnibus acclamantibus, Pruniatensis Episcopus denuntiatus. Plura scripsit ac evulgavit opera. — *Sbaralea, pag. 84 et seq.* — *Ughellus Tom. 4 p. 1391.*
5. 1527. R. P. Hieronymus de Valle a Burgonovo, doctrina et eruditione celeberrimus, electus Ravennae S. Apollinaris die 4 Septembris, postmodum Definitor, Procurator et Comm. seu Vicarius Generalis; praeside Rmo P. Paulo Pirotti, Commiss. Generali Cismontano. — *Wadd. Tom. 16 pag. 273. 303. 325.*
6. 1529. R. P. Antonius de Gimano, electus Parmae die 23 Maii; Praeside R. P. Hieronymo de Burgonovo, qui sequitur.
7. 1531. R. P. Hieronymus de Burgonovo pro secunda vice, electus Faventiae S. Hieronymi die 5 Maii, dum esset Procurator Generalis; praeside Rmo P. Paulo Pirotti, Min. Generali, de quo supra.
8. 1533. R. P. Hieronymus Moscardini de Bononia, Concionator eximius, electus Bononiae SS. Annunt. die 10 Julii; praeside V. P. Honorio Cayano de Florentia, sed Provinciae nostrae incorporato, Comm. Apostolico.
9. 1536. R. P. Hieronymus de Burgonovo pro tertia vice, electus Ferrariae, sed continuo Ministerium abdicavit.
10. 1536. R. P. Archangelus de Placentia, electus Ferrariae die 8 Maii. Dein Definitor Generalis, praeside Remo P. Lunelli, Min. Generali. — *Fernand. pag. 134.*
11. 1538. R. P. Clemens Dolera de Monilia, doctrina, eruditione et eloquentia clarissimus, electus Bononiae die 11 Maii. Postmodum Definitor, procurator et Min. Generalis. A Paulo V. S. R. E. Cardinalis electus, et multa pro Christi nomine perpessus ludibria, in Ecclesia Aracoeli sepelitur. Varia typis dedit opera. Praeside Rmo P. Ioanne Calvi, Comm. Generali Cismontano. — *Ughellus Tom. 1 pag. 772.*
12. 1541. R. P. Hieronymus Medici de Placentia, electus...; die 11 Januarii erat Minister. — *Flamin. Tom. 2 pag. 164.*
13. 1541. R. P. Evangelista Carlini de Bononia, magnus Theologus et vir consiliorum, ad quem certatim nobiles et plebeji accurrebant, electus Forolivii S. Hieronymi die 27 Maii; praeside R. P. Evangelista Tardini, Comm. Generali. — *Fernand. pag. 163.*
14. 1542. R. P. Ambrosius de Bolano, electus Bononiae SS. Annunt. die 13 Januarii; praeside R. P. Francisco Curticedo.
15. 1545. R. P. Archangelus de Placentia pro secunda vice, electus Bononiae SS. Annunt. die 22 Januarii; praeside R. P. Joanne de Stia prov. Thusciae Comm. Visitat. — *Flamin. Tom. 2 pag. 195.*
16. 1548. R. P. Bernardinus de Panotis a Ferraria, electus Imolae die 24 Aprilis; praeside Rmo P. Clemente Dolera, de quo supra, Comm. Generali.
17. 1551. R. P. Aloysius Pozzi de Burgonovo, doctrina celebris et eloquentia facundus, electus Faventiae die 22 Maii. Deinde Comm. et Minister Generalis. Concilio Tridentino interfuit, ibique ad Patres conciones habuit. — *Wadd. Tom. 21 pag. 272 273.*
18. 1554. R. P. Archangelus Priori de Carpo, doctus et pius, electus Cremonae S. Angeli die 19 Aprilis. Deinde Romae Delegat. seu Vicarius Generalis. Praeside Rmo P. Clemente, de quo supra. — *Monum. MS. lib. P. pag. 190.*
19. 1557. R. P. Aloysius Pozzi de Burgonovo pro secunda vice, electus Forolivii die 11 Junii.
20. 1560. R. P. Ludovicus de Cotiniola, electus Cotiniolae S. Francisci die 27 Aprilis; praeside P. Angelo de Anversa, Min. Generali.
21. 1562. R. P. Thomas de Soleano, magnus Theologus, electus Cesenae die 12 Maii. Concilio Tridentino interfuit; praesid. Rmo P. Fran-

(1) Cfr. ultim. fasc. pag. 174.

cisco Zamorra, Min. Generali. — *Flamin. Tom. 2 pag. 545.*

22. 1563. R. P. Angelus de Placentia, electus Bononiae SS. Annunt. die 14 Octobris, postea Definitor Generalis; praeside R. P. Antonio de Patavio, Secret. Generali. — *Fernand. pag. 134.*

23. 1566. R. P. Angelus Zucchi de Castrolauro, electus Plebis Centi die 3 Julii; praeside R. P. Angelo de Gualdagno Prov. S. Antonii, Comm. Visitat. — *Flamin. Tom. 1 pag. 252.*

24. 1569. R. P. Cornelius Majavacca de Buxeto, Lect. Jub.; Concion. et Theologus celeberrimus; electus Imolae die 19 Augusti. Deinde Definitor Generalis; praeside R. P. Joan. Antonio Majovacca de Buxeto, neo-electi fratre, Comm. Apostolico. — *Wadd. Tom. 20 pag. 274. — Monum. MS. lib. Q. pag. 398.*

25. 1571. A. R. P. Bonaventura Rampinus Provinciae Mediolanensis, electus Romae Aracaeli in Capitulo Generali. Nam S. Pius V. indigne ferens quod plerique fratres veriti non sint, falsis accusationibus, impetere Aloysium Pozzi Min. Generalem, virum integerrimum et probitatis exemplar, mandavit ut in Capitulo Generali, pro singulis Provinciis Cismontanis, eligerentur Ministri extranei. — *Wadd. Tom. 20 pag. 274.*

26. 1573. R. P. Hieronymus ab Imola, electus Plebis Centi die 4 Augusti. Postea Definitor Generalis. Praeside Rmo P. Bonaventura de Clavario, Comm. Generali Ordinis. — *Fernand. pag. 134.*

27. 1577. R. P. Fabius (1) de Mirandula, electus Bononiae SS. Annunt. die 7 Julii; praeside Rmo P. Antonio Ginestreti, Comm. Generali. — *Flamin. Tom. 2 pag. 540.*

28. 1579. R. P. Bonifacius a S. Sepulcro, Comm. Apostolicus, electus per Breve Gregorii XIII et a Cardinale Alciati publicatus; verum paulo post Ministerium abdicavit.

29. 1579. R. P. Angelus Leccacorvi de Placentia, et ipse Indulto Apost. Gregorii XIII electus, et die 6 Decembris Provinciae patefactus.

30. 1581. R. P. Angelus de Ferraria, electus Placentiae S. Mariae de Campania die 22 Novembris; praeside Rmo P. Francisco Gonzaga, Min. Generali.

31. 1585. Admodum (2) R. P. Hieronymus ab Imola pro secunda vice, electus Ferrariae die 25 Octobris; praeside Rmo P. Gonzaga, qui supra.

32. 1587. R. P. Petrus ab Arimino, electus Bononiae SS. Annunt. die 20 Septembris; praeside Rmo P. Thoma de Massa, Comm. Generali Ordinis.

33. 1589. R. P. Archangelus Chiozza de Buxeto, electus Placentiae S. Mariae de Campania die 14 Septembris, sed tertio anno Ministerium abdicavit; praeside Rmo P. Thoma, qui supra.

34. 1591. R. P. Archangelus de Bononia, vir doctus et eloquens, electus Bononiae SS. Annuntiat. die 19 Septembris; praeside Rmo P. Thoma, qui supra. — *Fernand. pag. 161.*

35. 1594. Adm. R. P. Joan. Franciscus Maculini de Brixichella, etiam de Faventia dictus, electus Bononiae SS. Annunt. die 16 Julii. Deinde Definitor et Comm. Generalis Curiae. Praeside Rmo Bonaventura de Calatagirone, Min. Generali. — *Wadd. tom. 24 pag. 75 et seq.*

36. 1597. A. R. P. Theodorus de Bononia, magnus Theologus, Concionator celeberrimus et jam Definitor Generalis, electus Faventiae die 23 Maii; praeside Rmo P. Maculini, qui supra. — *Fernand. pag. 171.*

37. 1598. R. P. Hieronymus Menghi de Vitelliana, vir doctus, pius et exorcista celebris, electus per Breve Clementis VIII ex Ferraria datum die 19 Octobris; et per litteras Ministri Generalis sub die 30 Novembris Provinciae patefactus. Varia scripsit ac evulgavit opera; et sanctitatis opinione in patria decessit. — *Wadd. 24 pag. 275.*

38. 1600. R. P. Raphael de Bononia, Sacrorum Canonum Lector et per quadraginta annos inclitus ac fervidus Concionator, electus Bononiae SS. Annunt. die 22 Septembris; praeside Rmo P. Sosa, Min. Generali. — *Fernand. pag. 170.*

39. 1600. R. P. Hieronymus Menghi, de quo supra, auctoritate Apost. Clementis VIII in officio Ministerii restitutus die 4 Octobris.

40. 1602. R. P. Angelus Bagnara de Fugnano, Theologus celeberrimus, electus ex Indulto Apost. Clementis VIII sub die 1 Februarii, et Bononiae publicatus die 5 ejusdem mensis. Postea Definitor Generalis. — *Fernand. pag. 134.*

41. 1604. A. R. P. Joannes ab Armis de Bononia, Concionator egregius et litteris ac religione ornatus, electus Bononiae SS. Annunt. die 7 Maii. Varias opellas prelo commisit; et Brixiae anno secundo Ministeriatus oculos clausit. Praeside Rmo P. Francisco Belgioioso, Comm. Generali Ordinis. — *Sbaralea pag. 189.*

42. 1606. A. R. P. Stephanus de Mediolano, doctrina et rerum agendarum clarissimus, nec non Concionator eximius, electus Bononiae SS. Annunt. die 3 Februarii; praeside R. P. Belgioioso, qui supra. — *Flam. tom. 1 pag. 209, tom. 2 pag. 151 154, tom. 3 pag. 62.*

43. 1608. A. R. P. Franciscus de Fugnano, Lect. Theol. et Concion. egregius, electus Bononiae SS. Annunt. die 5 Augusti; praeside Rmo P. Archangelo de Messana, Min. Generali.

44. 1611. A. R. P. Irenaeus ex nobili familia Brasavola de Ferraria, Theologus et Concionator prae-

(1) Alii Ludovicus; sed hoc anno Ludovicus jam erat Romae Procurat. Generalis.

(2) Pro prima vice Ministri Provinciales hoc titulo donantur.

clarissimus, nec non iam Definitor Generalis, electus Carpi die 5 Ianuarii. Deinde Comm. Generalis Curiae, et a Paulo V Episcopus Castrensis renuntiatus. Libros sapientia divina refertos evulgavit, praeside Rmo P. da Messara, qui supra. — *Sbaralea pag. 475.*

45. 1614. A. R. P. Raphael de Bononia pro secunda vice, electus Plebis Centi; praeside Rmo P. Paulo a Sulmona, Comm. Generali.

46. 1617. A. R. P. Angelus de Fugnano pro secunda vice, electus Bononiae SS. Annunt. die 5 Maii; praeside Rmo P. Evangelista de Gabbiano, Comm. Generali Ord.

47. 1618. A. R. P. Alexander Fonius Maculini de Brixichella, etiam de Faventia dictus, S. Theologiae Professor, Evangelici sermonis praeco sonorus et in regimine praelationis ad exemplum validus; electus Brixichellae die 24 Octobris; praesid. p. Octaviano Incisa prov. Thusciae, Commissario Apostolico. — *Flamin. tom. pvg. 1 117.*

48. 1621. A. R. P. Leo Zambelli de Placentia, Theologus singulari eruditione exornatus, electus Bononiae SS. Annunt. die 2 Julii. Varia edidit opera theologica physica, politica et astronomica; praeside Rmo P. Bernardino a Montecalvo, Vicario Generali. — *Sbaralea pag. 487.*

49. 1625. A. R. P. Clemens de Placentia, Theologus illustris et verbi Dei Concionator eximius, electus Bononiae SS. Annunt. die 22 Novembris. Nonnullas publicavit opellas; praeside Rmo P. Bernardino de Senis, Min. Generali. — *Sbaralea pag. 198.*

(Continuabitur)

V.

BIBLIOGRAPHIA

—

Angelus Colantoni, Min. Ref. — Breve Corso di Sacre Istruzioni, pel Sac. F. Colantoni. L. E. R. — Siena, Tipografia Edit. S. Bernardino, 1888. In 16 Pag. 139.

Anonymus Tertii Ord. Regularis. — Carnet eucharistique ou souvenir de mes Communions. Albi, chez les RR. PP. du Tiers-Ordre. Imprimerie des apprentis Orphelins, publié au profit de l' Alumnat de Saint Jean-Porte-Latine. 1888 (pret. 0, 35)

Edgardus Tinel. — Saint François, Oratorio pour soli, Choeurs, Orgue et Orchestre. Traduction Française d' Emma Tinel. Partition Piano et Chant, 20 fr. net; Parties de Choeur, chaque 2 fr. net; La partition et les parties d' Orchestre en copie. Propriété de l' Auteur. En vente chez Breitkopf et Härtel, Bruxelles, Montagne de la Cour, 41.

Praeclarum hoc oratorium verum dici potest monumentum aere perennius ab arte musicali in honorem Assisiatis Patriarchae erectum. Tribus linguis carmina exarantur, gallica scilicet, germanica et flandrica; mirum opus musicis nostris commendamus.

Ferdinandus Maria Sanynès, Min. Obs. — *Manual* de la Doctrina Cristiana en *Aymará* Compuesto y arreglado por el P. Fr. Fernando de Maria Sanynès del Colegio de S. José de La Paz. Contiene además: El Catecismo, la administracion de los Sacramentos y la recitacion de Smo. Rosario, etc. Dedicado á los jóvenes ordenandos de esta Diócesis. La Paz. — 1888. Imprenta de « El Siglo Industrial ». Calle de Tunin N°. 11. — En 4° menor de pp. IV y 48.

Julianus Lambrechts, Min. Recollect. — 1. Handboekje voor de Leden van het Genootschap van de H. Wivina opgerecht in de Kapel der Zusters van de Kindsheid van Jesus te Hasselt, door P. Juliaan Lambrechts — Hasselt Boek-en Steendruk. M. Ceysens, Demerstraat, 11 (pag. 16).

2. De Eerste Communie of Verzameling van Sermonen over de Eerste Communie vrij naar het Fransch vertaald, door P. Fr. Julianus Lambrechts Minderbroeder. — Leuven Boekdrukkerij van Karel Peeters 1873 (pag. 231).

3. Het oud Sint-Barbara-dal of beschrijving van het oud klooster de Grauwzusters, Hospitalieren te Hasselt, door Pater Julianus Lambrechts, Minderbroeder-Recollet. — Hasselt Boek-en Steendrukk., M. Ceysens 1881.

4. Het oud Begijnhof of Beknopte Geschiedenis van het Begijnhof van Hasselt, door Pater Juliaan Lambrechts, Minderbroeder-Recollect. — Hasselt M. Ceysens, Drukker-Uitgever 1886 (pag. 248).

5. Stichtend Leven van de waardige jufvrouw Anna Van Schrieck Begijn te Antwerpen op nieuw uitgegeven, door Pater Juliaan Lambrechts, Minderbroeder-Recollet. — Hasselt, drukk. L. Maris Groote Markt 10 (pag. 95).

Marie Antoine, Capucin. — Le culte de la Vierge immaculée et le Tiers-Ordre séraphique dans ses rapports avec l'Immaculée Conception. Sermon prêché dans la basilique de Notre Dame la Daurade à Toulouse, par le R. P. Marie Antoine, Capucin. 1887. pag. 28. — Lourdes, Imprimerie de la Grotte, rue Saint-Pierre 8.

Nicolaus Armentia, Min. Observ. — 1. Navegación del Madre de Dios. Viage del P. Fr. Nicolas Armentia. — La Paz, Imprenta de « La Paz ». Illimani, N.° 61. MDCCCLXXXVII, en 8.° de pp. IV y 230, y splano de los Rios Beni, Madre de Dios, Fahuamanu y Uaycomanu, etc.

2. Descripción de la Provincia de los Mosos en el reino del Perù, sacada de los escritos póstumos del P. Francisco Tavier Eder, de la C. de J., Misionero q. fué durante 15 años entre los misnos Mosos, arreglada é ilustrada con notas por el Abt. y consejero Reaal Mako.

Traducida del Latin por el P. Fr. Nicolas Armentia. — La Paz, Imprenta de « La Paz » — Iúngas, N°. 15. 1888, en 8.° de pp. VIII y 176.

Raphael Sanz, Min. Obs. — Memoria Historica del Colegio de Misiones de S. José de La Paz, por el M. R. P. Rafael Sanz. — La Paz, Imp.

VI.

NECROLOGIA

—

Die 21 Octobris, in Conventu nostro civitatis Lucensis in Thuscia, migravit e vita R. P. Aloysius Vannucci de Nove, Observantis Provinciae Bononiensis filius, et Collegii nostri Sanctae Mariae Angelorum de « Tarija » in Republica Boliviana Missionarius Apostolius, aetatis suae anno 44° et religionis vigesimo sexto.

Hic strenuus Evangelii minister anno 1872 inter apostolicos operarios a R. P. Jacobo Lardani de Monteprandone, tunc Commissario Missionariorum Collectori, cooptatus, e Burdigalensi portu Kalendis Augusti solvens, die 21 subsequentis Octobris, post longum durumque sed feliciter emensum terrae marique iter, illius Collegii limina ingressus est. Ibidem per 17 continuos annos alacri libentique animo Missionibus, inter Infideles, Fidelesque populos operam navando, apostolica ministeria cum zelo summo, magnoque animorum profectu semper explevit. Religiosae professionis munerum observantissimus, licet persaepe aegra valetudine affectus fuerit, voluntati tamen Superiorum semper obsequentissimum se exhibuit.

Fuit Religiosus humilis, devotus, mitis, et charitate plenus, ideoque omnibus tam Fratribus quam saecularibus charissimus semper fuit.

Tandem ob diuturnam et gravem infirmitatem, quam semper patientissime toleravit, medicorum consilio, sed cum Fratrum suorum praesertim sociorum, dolore, dilectus Pater, licet aegerrime, vineam Domini deserere et in patriam redire coactus fuit, spe tamen fretus sanitatem acquirendi et ad illas Missiones iterum cum laetitia redeundi.

Duobus Patribus nostris comitatus in Bono-Aerensi portu navim conscendit et ad Liburni oras die 10 Octobris proxime elapsi feliciter pervenit, viribus destitutus; ad Conventum tamen nostrum Civitatis Lucensis se conferre potuit; et ibi non obstantibus curis a Patribus et medicis ipsi accuratissime praestitis, die 21 ejusdem mensis, uti dictum est, hora 5.ª cum dimidio post meridiem, Ecclesiae Sacramentis munitus, divinae voluntati plene resignatus, et animo ac sensibus praesens, animam placidissime exhalavit.

R. I. P.

Nihil obstat

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

TABULA MATERIARUM

PERIODICI

ACTA ORDINIS MINORUM

Anno 1888.

—

I. — Acta Romano-Seraphica.

II. — Acta Ordinis.

Incitamenta Seraphica.

Cap. III. De studio et labore.

Cap. IV. De mortificatione.

III. — Missiones.

IV. — Varia.

V. — Bibliographia.

VI. — Necrologia.

ERRATA CORRIGE:

Pag. 144, col. 2, lin. 10 *servili* lege: *senili*
» 155, » 1, » 3 *Chan-si* » *Chen-si*

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII.

EPISTOLA

AD PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS UNIVERSOSQUE CHRISTIFIDELES PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

—

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS ET DILECTIS FILIIS CHRISTIFIDELIBUS UNIVERSIS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS

LEO PP. XIII.

Venerabiles Fratres, dilecti filii
Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Exeunte jam anno, cum natalem sacerdotii quinquagesimum, singulari munere beneficioque divino, incolumes egimus, sponte respicit mens Nostra spatium praeteritorum mensium, plurimumque totius hujus intervalli recordatione delectatur. — Nec sane sine caussa: eventus enim, qui ad Nos privatim attinebat, idemque nec per se magnus, nec novitate mirabilis, studia tamen hominum inusitato modo commovit, tam perspicuis laetitiae signis, tot gratulationibus celebratus, ut nihil optari majus potuisset. — Quae res certe pergrata Nobis perque jucunda cecidit: sed quod in ea plurimi aestimamus, significatio voluntatum est, religionisque liberrime testata constantia. Ille enim Nos undique salutantium concentus id aperte loquebatur, ex omnibus locis mentes atque animos in JESU CHRISTI Vicarium esse intentos: tot passim prementibus malis, in Apostolicam Sedem, velut in salutis perennem incorruptumque fontem, fidenter homines intueri: et quibuscumque in oris catholicum viget nomen, Ecclesiam romanam, omnium matrem et magistram, coli observarique, ita ut aequum est, ardenti studio ac summa concordia. — His de caussis per superiores menses non semel in caelum suspeximus, DEO optimo atque immortali gratias acturi, quod et hanc Nobis vivendi usuram, et ea, quae commemorata sunt, curarum solatia benignissime tribuisset: per idemque tempus, cum sese occasio dedit, gratam voluntatem Nostram, in quos oportebat, declaravimus. Nunc vero extrema anni ac celebritatis renovare admonent accepti beneficii memoriam: atque illud peroptato contingit, ut Nobiscum in iterandis DEO gratiis Ecclesia tota consentiat. Simul vero expetit animus per has litteras publice testari, id quod facimus, quemadmodum tot obsequii, humanitatis et amoris testimonia ad leniendas curas molestiasque Nostras consolatione non mediocri valuerunt, ita eorum et memoriam in Nobis et gratiam semper esse victuram. —

Sed majus ac sanctius restat officium. In hac enim affectione animorum, romanum Pontificem alacritate insueta colere atque honorare gestientium, numen videmur nutumque Ejus agnoscere, qui saepe solet atque unus potest magnorum principia bonorum ex minimis momentis elicere. Nimirum providentissimus Deus voluisse videtur, in tanto opinionum errore, excitare fidem, opportunitatemque praebere studiis vitae potioris in populo christiano revocandis. — Quamobrem hoc est reliqui, dare operam ut, bene positis initiis, bene cetera consequantur: enitendumque, ut et intelligantur consilia divina, et re ipsa perficiantur. Tunc denique obsequium in Apostolicam Sedem plene erit cumulateque perfectum, si cum virtutum christianarum laude conjunctum ad salutem conducat animorum: qui fructus est unice expetendus perpetuoque mansurus.

Ex hoc summo apostolici muneris gradu, in quo Nos Dei benignitas locavit, patrocinium veritatis saepenumero, ut oportuit, suscepimus, conatique sumus ea potissimum doctrinae capita exponere, quae maxime opportuna eque re publica viderentur esse, ut quisque, veritate perspecta, pestiferos errorum afflatus, vigilando cavendoque, defugeret. Nunc vero, uti liberos suos amantissimus parens, sic Nos alloqui christianos universos volumus, familiarique sermone hortari singulos ad vitam sancte instituendam. Nam omnino ad christianum nomen, praeter fidei professionem, necessariae sunt christianarum artes exercitationesque virtutum: ex quibus non modo pendet sempiterna salus animorum, sed etiam germana prosperitas et firma tranquillitas convictus humani et societatis. — Jamvero si quaeritur qua passim ratione vita degatur, nemo est quin videat, valde ab evangelicis praeceptis publicos mores privatosque discrepare. Nimis apte cadere in hanc aetatem videtur illa Joannis Apostoli sententia, *omne, quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae* (1). Videlicet plerique, unde orti, quo vocentur, obliti, curas habent cogitationesque omnes in haec imbecilla et fluxa bona defixas: invita natura, perturbatoque ordine, iis rebus sua voluntate serviunt, in quas dominari hominem ratio ipsa clamat oportere. — Appetentiae commodorum et deliciarum comitari proclive est cupiditatem rerum ad illa adipiscenda idonearum. Hinc effrenata pecuniae aviditas, quae efficit caecos quos complexa est, et ad explendum quod exoptat inflammata rapitur, nullo saepe aequi iniqui discrimine, nec raro cum alienae inopiae insolenti fastidio. Ita plurimi, quorum circumfluit vita divitiis, fraternitatis nomen cum multitudine usurpant, quam intimis sensibus superbe contemnunt. Similique modo elatus superbia animus non legi subesse ulli, nec ullam vereri potestatem conatur: merum amorem sui libertatem appellat. *Tamquam pullum onagri se liberum natum putat* (1). Accedunt vitiorum illecebrae ac perniciosa invitamenta peccandi: ludos scenicos intelligimus impie ac licenter apparatos: volumina atque ephemeridas ludificandae virtuti, honestandae turpidini composita; artes ipsas, ad usum vitae honestamque oblectationem animi inventas, lenocinia cupiditatum ministrare jussas. Nec licet sine metu futura prospicere, quia nova malorum semina continenter velut in sinum congeruntur adolescentis aetatis. Nostis morem scholarum publicarum: nihil in eis relinquitur ecclesiasticae auctoritati loci: et quo tempore maxime oporteret tenerrimos animos ad officia christiana sedulo studioseque fingere, tum religionis praecepta plerumque silent. Grandiores natu periculum adeunt etiam majus, scilicet a vitio doctrinae: quae saepe est ejusmodi, ut non ad imbuendam cognitione veri, sed potius ad infatuandam valeat fallacia sententiarum juventutem. In disciplinis enim tradendis permulti philosophari malunt solo rationis magisterio, omnino fide divina posthabita: quo firmamento maximo uberrimoque lumine remoto, in multis labuntur, nec vera cernunt. Eorum illa sunt, omnia, quae in hoc mundo sint, esse corporea: hominum et pecudum easdem esse origines similemque naturam: nec desunt qui de ipso summo dominatore rerum, ac mundi opifice Deo dubitent, sit necne sit, vel in ejus natura errent, ethnicorum more, deterrime. Hinc demutari necesse est ipsam speciem formamque virtutis, juris, officii. Ita quidem, ut

(1) I. Ep. II, 16.

(1) Job XI, 12.

dum rationis principatum gloriose praedicant, ingeniique subtilitatem magnificentius efferunt, quam par est, debitas superbiae poenas rerum maximarum ignoratione luant. — Corrupto opinionibus animo, simul insidet tamquam in venis medullisque corruptela morum: eaque sanari in hoc genere hominum sine summa difficultate non potest, propterea quod ex una parte opiniones vitiosae adulterant judicium honestatis, ex altera lumen abest fidei christianae, quae omnis est principium ac fundamentum justitiae.

Ex ejusmodi caussis quantas hominum societas calamitates contraxerit, quotidie oculis quodammodo contemplamur. Venena doctrinarum proclivi cursu in rationem vitae resque publicas pervasere: *rationalismus, materialismus, atheismus* peperere *socialismum, communismum, nihilismum:* tetras quidem funestasque pestes, sed quas ex iis principiis ingenerari non modo consentaneum erat, sed prope necessarium. — Sane, si religio catholica impune rejicitur, cujus origo divina tam illustribus est perspicua signis, quidni quaelibet religionis forma rejiciatur, quibus tales assentiendi notas abesse liquet? Si animus non est a corpore natura distinctus, proptereaque si, intereunte corpore, spes aevi beati aeternique nulla superest, quid erit caussae quamobrem labores molestiaeque in eo suscipiantur, ut appetitus obedientes fiant rationi? Summum hominis erit positum bonum in fruendis vitae commodis potiundisque voluptatibus. Cumque nemo unus sit, quin ad beate vivendum ipsius naturae admonitu impulsuque feratur, jure quisque detraxerit quod cuique possit, ut aliorum spoliis facultatem quaerat beate vivendi. Nec potestas ulla frenos est habitura tantos, ut satis cohibere incitatas cupiditates queat; consequens enim est, ut vis frangatur legum et omnis debilitetur auctoritas, si summa atque aeterna ratio jubentis vetantis Dei repudietur. Ita perturbari funditus necesse est civilem hominum societatem, inexplebili cupiditate ad perenne certamen impellente singulos, contendentibus aliis quaesita tueri, aliis concupita adipisci.

Huc ferme nostra inclinat aetas. — Est tamen, quo consolari conspectum praesentium malorum, animosque erigere spe meliore possimus. Deus enim *creavit ut essent omnia, et sanabiles fecit nationes orbis terrarum* (1). Sed sicut omnis hic mundus non aliter conservari nisi numine providentiaque ejus potest, cujus est nutu conditus, ita pariter sanari homines sola ejus virtute queunt, cujus beneficio sunt ab interitu ad vitam revocati. Nam humanum genus semel quidem Jesus Christus profuso sanguine redemit, sed perennis ac perpetua est virtus tanti operis tantique muneris: *et non est in alio aliquo salus* (2). Quare qui cupiditatum popularium crescentem flammam nituntur opposito legum extinguere, ii quidem pro justitia contendunt: sed intelligant, nullo se fructu aut certe perexiguo laborem consumpturos, quamdiu obstinaverint animo respuere virtutem Evangelii, Ecclesiaeque nolle advocatam operam. In hoc posita malorum sanatio est, ut, mutatis consiliis, et privatim et publice remigretur ad Jesum Christum, christianamque vivendi viam.

Jamvero totius vitae christianae summa et caput est, non indulgere corruptis saeculi moribus, sed repugnare ac resistere constanter oportere. Id *auctoris fidei et consummatoris* Jesu omnia dicta et facta, leges et instituta, vita et mors declarant. Igitur quantumvis pravitate naturae et morum longe trahamur alio, curramus oportet *ad propositum nobis certamen* armati et parati eodem animo eisdemque armis, quibus Ille, qui *proposito sibi gaudio sustinuit crucem* (3). Proptereaque hoc primum videant homines atque intelligant quam sit a professione christiani nominis alienum persequi, uti mos est, cujusquemodi voluptates, horrere comites virtutis labores, nihilque recusare sibi, quod sensibus suaviter delicateque blandiatur. *Qui sunt* Christi, *carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (4): ita ut consequens sit, Christi non esse, in quibus non exercitatio sit consuetudoque patiendi cum aspernatione mollium et delicatarum voluptatum. Revixit enim homo infinita Dei bonitate in spem bonorum immortalium, unde exciderat, sed ea consequi non potest, nisi ipsis Christi vestigiis ingredi conetur, et cogitatione exemplorum ejus mentem suam mores-

(1) Sap. I, 14.
(2) Act. IV, 12.
(3) Heb. XII, I, 2.
(4) Galat. V, 14.

que conformet. Itaque non consilium, sed officium, neque eorum dumtaxat, qui perfectius vitae optaverint genus, sed plane omnium est, *mortificationem* Jesu *in corpore* quemque suo *circumferre* (1). — Ipsa naturae lex, quae jubet hominem cum virtute vivere, qui secus posset salva consistere? Deletur enim sacro baptismate peccatum, quod est nascendo contractum, sed stirpes distortae ac pravae, quas peccatum insevit, nequaquam tolluntur. Pars hominis ea, quae expers rationis est, etsi resistentibus viriliterque per Jesu Christi gratiam repugnantibus nocere non possit, tamen cum ratione de imperio pugnat, omnem animi statum perturbat, voluntatemque tyrannice a virtute detorquet tanta vi, ut nec vitia fugere nec officia servare sine quotidiana dimicatione possimus. *Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, haec sancta Synodus fatetur ac sentit, quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per* Jesu Christi *gratiam repugnantibus non valet, quinimo qui legitime certaverit coronabitur* (2). — Est in hoc certamine gradus fortitudinis, quo virtus non perveniat nisi excellens, eorum videlicet, qui in profligandis motibus a ratione aversis eo usque profecerunt, ut caelestem in terris vitam agere propemodum videantur. Esto, paucorum sit tanta praestantia: sed, quod ipsa philosophia veterum praecipiebat, domitas habere cupiditates nemo non debet: idque ii majore etiam studio, quibus rerum mortalium quotidianus usus irritamenta majora suppeditat: nisi qui stulte putet, minus esse vigilandum ubi praesentius imminet discrimen, aut, qui gravius aegrotant, eos minus egere medicina. — Is vero, qui in ejusmodi conflictu suscipitur, labor magnis compensatur, praeter caelestia atque immortalia, bonis: in primis quod isto modo, sedata perturbatione partium, plurimum restituitur naturae de dignitate pristina. Hac enim lege est atque hoc ordine generatus homo, ut animus imperaret corpori, appetitus mente consilioque regerentur: eoque fit, ut non dedere se pessimis dominis cupiditatibus, praestantissima sit maximeque optanda libertas. — Praeterea in ipsa humani generis societate non apparet quid expectari ab homine sine hac animi affectione possit. Utrumne futurus est ad bene merendum propensus, qui facienda, fugienda, metiri amore sui consueverit? Non magnanimus quisquam esse potest, non beneficus, non misericors, non abstinens, qui non se ipse vincere didicerit, atque humana omnia prae virtute contemnere. — Nec silebimus, id omnino videri divino provisum consilio, ut nulla afferri salus hominibus, nisi cum contentione et dolore queat. Revera si Deus liberationem culpae et errati veniam hominum generi dedit, hac lege dedit, ut Unigenitus suus poenas sibi debitas justasque persolveret. Justitiaeque divinae cum Jesus Christus satisfacere alia atque alia ratione potuisset, maluit tamen per summos cruciatus profusâ vitâ satisfacere. Atque ita alumnis ac sectatoribus suis hanc legem imposuit suo cruore sancitam, ut eorum esset vita cum morum ac temporum vitiis perpetua certatio. Quid Apostolos ad imbuendum veritate mundum fecit invictos, quid martyres innumerabiles in fidei christianae cruento testimonio roboravit, nisi affectio animi illi legi obtemperans sine timore? Nec aliâ viâ ire perrexerunt, quotquot curae fuit vivere more christiano, sibique virtute consulere: neque igitur alia nobis eundum, si consultum saluti volumus vel nostrae singulorum, vel communi. Itaque, dominante procacitate libidinum, tueri se quemque viriliter necesse est a blandimentis luxuriae: cumque passim sit in fruendis opibus et copiis tam insolens ostentatio, muniendus animus est contra divitiarum sumptuosas illecebras, ne his inhians animus, quae appellantur bona, quae nec satiare eum possunt, ac brevi sunt dilapsura, thesaurum amittat non deficientem in caelis. Denique illud etiam dolendum, quod opiniones atque exempla perniciosa tanto opere ad molliendos animos valuerunt, ut plurimos jam prope pudeat nominis vitaeque christianae: quod quidem aut perditae nequitiae est, aut segnitiae inertissimae. Utrumque detestabile, utrumque tale, ut nullum homini malum majus. Quaenam enim reliqua salus esset, aut qua spe niterentur homines, si gloriari in nomine Jesu Christi desierint, si vitam ex praeceptis evangelicis constanter aperteque agere recusarint? Vulgo queruntur viris fortibus sterile saeculum. Revocentur christiani mores:

(1) II. Cor. IV, 10.
(2) Conc. Trid. Sess. V, can 5.

simul erit gravitas et constantia ingeniis restituta.

Sed tantorum magnitudini varietatique officiorum virtus hominum par esse sola non potest. Quo modo corpori, ut alatur, panem quotidianum, sic animae, ut ad virtutem confirmetur, nervos atque robur impetrare divinitus necesse est. Quare communis illa conditio lexque vitae, quam in perpetua quadam diximus dimicatione consistere, obsecrandi DEUM habet adjunctam necessitatem. Etenim, quod est vere ab Augustino venusteque dictum, transcendit pia precatio intervalla mundi, divinamque devocat e caelo misericordiam. Contra cupiditatum turbidos motus, contra malorum daemonum insidias, ne circumventi in fraudem inducamur, adjumenta petere atque auxilia caelestia jubemur oraculo divino, *orate ut non intretis in tentationem* (1). Quanto id necessarium magis, si utilem dare operam alienae quoque saluti volumus? CHRISTUS Dominus, unigenitus Filius DEI, fons omnis gratiae et virtutis, quod verbis praecepit, ipse prior demonstravit exemplo: *erat pernoctans in oratione* DEI (2): sacrificioque proximus *prolixius orabat* (3). — Profecto longe minus esset naturae extimescenda fragilitas, nec languore mores desidiaque diffluerent, si divinum istud praeceptum minus jaceret incuria ac prope fastidio intermissum. Est enim exorabilis DEUS, gratificari vult hominibus, aperte pollicitus, sua se munera large copioseque petentibus daturum. Quin etiam invitat ipsemet petere, ac fere lacessit amantissimis verbis: *ego dico vobis, petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis* (4). Quod ut confidenter ac familiariter facere ne vereamur, majestatem numinis sui similitudine atque imagine temperat parentis suavissimi cui nihil potius, quam caritas liberorum. *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in caelis est, dabit bona petentibus se?* (5) — Quae qui cogitaverit, non nimium mirabitur si efficientia precum humanarum Joanni quidem Chrysostomo videatur tanta, ut cum ipsa potentia DEI comparari illam putet posse. Propterea quod sicut DEUS universitatem rerum verbo creavit, sic homo impetrat, orando, quae velit. Nihil est rite adhibitis precibus impetrabilius, quia insunt in eis quaedam velut moventia, quibus placari se DEUS atque exorari facile patiatur. Nam inter orandum sevocamus ab rebus mortalibus animum, atque unius DEI cogitatione suspensi, conscientia tenemur infirmitatis humanae: ob eamque rem in bonitate et amplexu parentis nostri acquiescimus, in virtute conditoris perfugium quaerimus. Adire insistimus auctorem omnium bonorum, tamquam spectari ab eo velimus aegrum animum, imbecillas vires, inopiam nostram: plenique spe, tutelam atque opem ejus imploramus, qui aegrotationum medicinam, infirmitatis miseriaeque solatia praebere solus potest. Tali habitu animi modeste de se, ut oportet, submisseque judicantis, mire flectitur DEUS ad clementiam, quia quemadmodum superbis resistit, ita humilibus *dat gratiam* (1). — Sancta igitur sit apud omnes consuetudo precandi: mens, animus, vox precentur: unaque simul ratio vivendi consentiat, ut videlicet per legum divinarum custodiam perennis ad DEUM ascensus vita nostra videatur.

Quemadmodum virtutes ceterae, ita haec etiam, de qua loquimur, gignitur et sustentatur fide divina. DEUS enim auctor est, quae sint homini vera atque unice per se expetenda bona: itemque infinitam DEI bonitatem, et JESU redemptoris merita eodem auctore cognovimus. Sed vicissim pia precandi consuetudine nihil est ad alendam augendamque fidem aptius. Cujus quidem virtutis, in plerisque debilitatae, in multis extinctae, apparet quanta sit hoc tempore necessitas. Illa enim est maxime, unde non modo vitae privatorum petenda correctio est, sed etiam earum rerum judicium expectandum, quarum conflictio quietas et securas esse civitates non sinit. Si aestuat multitudo immodicae libertatis siti, si erumpunt undique proletariorum minaces fremitus, si inhumana beatiorum cupiditas numquam se satis consecutam putat, et si quae sunt alia generis ejusdem incommoda, his profecto, quod alias uberius exposuimus, nihil subvenire melius aut certius, quam fides christiana, potest.

(1) Matth. XXVI, 41.
(2) Luc. VI, 12.
(3) Luc. XXII, 43.
(4) Luc. XI, 9.
(5) Matth. VII, 11.

(1) 1. Petr. V, 5.

Locus admonet, ad vos cogitationem orationemque convertere, quotquot DEUS ad sua dispensanda mysteria, collata divinitus potestate, adjutores adscivit. Si caussae indagantur privatae publicaeque salutis, dubitandum non est, vitam moresque clericorum posse plurimum in utramque partem. — Meminerint, igitur, se *lucem mundi* a JESU CHRISTO appellatos, quod *luminis instar universum orbem illustrantis, sacerdotis animam splendescere oportet* (1). Lumen doctrinae, neque illud vulgare in sacerdote requiritur, quia muneris ejus est implere sapientia ceteros, evellere errores, ducem esse multitudinis per itinera vitae ancipitia et lubrica. In primis autem vitae innocentiam comitem doctrina desiderat, praesertim quod in emendatione hominum longe plus exemplo, quam peroratione proficitur. *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona* (2). Cujus divinae sententiae ea profecto vis est, talem esse in sacerdotibus perfectionem oportere absolutionemque virtutis, ut se tamquam speculum praebere intuentibus queant. *Nihil est, quod alios magis ad pietatem et* DEI *cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt: cum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tamquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex eisque sumunt, quod imitentur* (3). Quare si omnes homines caveant vigilanter oportet, ne ad vitiorum scopulos adhaerescant, neu consectentur res caducas appetitione nimia, apparet quanto id efficere sacerdotes religiosius et constantius debeant. — Nisi quod nec satis est non servire cupiditatibus: illud etiam sanctitudo dignitatis postulat ut sibimetipsis acriter imperare assuescant, itemque omnes animi vires, praesertim intelligentiam ac voluntatem, quae summum in homine obtinent locum, in obsequium CHRISTI cogere. *Qui relinquere universa disponis, te quoque inter relinquenda connumerare memento, imo maxime et principaliter abnega temetipsum* (4). Soluto ac libero ab omni cupidine animo, tum denique alacre et generosum studium concipient salutis alienae, sine quo nec satis consulerent suae.

(1) S. Jo. Chrysost. De Sac. 1. 3. c. I.
(2) Matth. V, 16.
(3) Conc. Trid. Sess. XXII, c. I, de Ref.
(4) S. Bernard. Declam. c. I.

Unus erit de subditis quaestus, una pompa, unaque voluptas, si quomodo possent parare plebem perfectam. Id omnibus satagent etiam multa contritione cordis et corporis, in labore et aerumna, in fame et siti, in frigore et nuditate (1). Cujusmodi virtutem semper experrectam et ad ardua quaelibet, proximorum gratia, impavidam mire fovet et corroborat bonorum caelestium contemplatio frequens. In qua sane quanto plus posuerint operae, tanto liquidius magnitudinem munerum sacerdotalium et excellentiam et sanctitatem intelligent. Judicabunt illud quam sit miserum tot homines per JESUM CHRISTUM redemptos, ruere tamen in interitum sempiternum: divinaeque cogitatione naturae in amorem DEI et intendent sese vehementius et ceteros excitabunt.

Est ejusmodi cursus ad salutem communem certissimus. In quo tamen magnopere cavendum, ne qui magnitudine difficultatum terreatur, aut propter diuturnitatem malorum de sanatione desperet. DEI aequissima immutabilisque justitia et recte factis praemia reservat et supplicia peccatis. Gentes vero et nationes, quoniam ultra mortalis aevi spatium propagari non possunt, debitam factis mercedem ferant in terris necesse est. Utique non est novum, successus prosperos peccanti civitati contingere: idque justo DEI consilio, qui actiones laudabiles, neque enim est ulla gens omni laude vacans, ejusmodi beneficiorum genere interdum remuneratur: quod in populo romano judicat Augustinus contigisse. Rata tamen lex est, ad prosperam fortunam omnino plurimum interesse quemadmodum publice virtus, ac nominatim ea, quae parens est ceterarum, justitia colatur. *Justitia elevat gentem: miseros autem facit populos peccatum* (2). — Nihil attinet considerationem hoc loco intendere in victricia facinora: nec exquirere, ullane imperia, salvis rebus suis et ad voluntatem fluentibus, gerant tamen velut in imis visceribus inclusum semen miseriarum. Unam rem intelligi volumus, cujus rei plena est exemplorum historia, injuste facta aliquando esse luenda, eoque gravius, quo fuerint diuturniora delicta. Nos quidem magnopere illa Pauli Apostoli sententia consolatur, *Omnia enim vestra sunt: vos autem* CHRISTI,

(1) Id. Lib. IV, de Consid. c. 2.
(2) Prov. XIV, 34.

CHRISTUS *autem* DEI (1). Videlicet arcano divinae providentiae nutu sic rerum mortalium regitur gubernaturque cursus, ut, quaecumque hominibus accidunt, omnia DEI ipsius gloriae asserviant, itemque sint eorum saluti, qui JESUM CHRISTUM vere et ex animo sequuntur, conducibilia. Horum vero mater et altrix, dux et custos est Ecclesia: quae idcirco cum CHRISTO sponso suo sicut intima atque incommutabili caritate copulatur, ita conjungitur societate certaminum et communione victoriae. Nihil igitur anxii Ecclesiae caussa sumus, nec esse possumus: sed valde pertimescimus de salute plurimorum, qui Ecclesia superbe posthabita, errore vario in interitum aguntur: angimur earum caussa civitatum, quas spectare cogimur aversas a DEO, et summo rerum omnium discrimini stolida securitate indormientes. *Nihil Ecclesiae par est.... Quot Ecclesiam oppugnarunt, ipsique perierunt? Ecclesia vero caelos transcendit. Talis est Ecclesiae magnitudo: vincit impugnata, insidiis appetita superat... luctatur nec prosternitur, pugilatu certat, nec vincitur* (2). Neque solum non vincitur, sed illam, quam perenni haustu a DEO ipso derivat, emendatricem naturae et efficientem salutis virtutem conservat integram, nec ulla temporum permutatione mutabilem. Quae virtus si senescentem vitiis et perditum superstitione mundum divinitus liberavit, quidni devium revocabit? Conticescant aliquando suspiciones ac simultates: amotisque impedimentis, esto jurium suorum ubique compos Ecclesia, cujus est tueri ac propagare parta per JESUM CHRISTUM beneficia. Tunc enimvero licebit experiendo cognoscere, quo lux Evangelii pertineat, quid virtus CHRISTI redemptoris possit. — Hic annus, qui est in exitu, non pauca, ut initio diximus, reviviscentis fidei indicia praetulit. Utinam istiusmodi velut scintilla crescat in vehementem flammam, quae, absumptis vitiorum radicibus, viam celeriter expediat ad renovandos mores et salutaria capessenda. Nos quidem mystico Ecclesiae navigio tam adversa tempestate praepositi, mentem animumque in divinum gubernatorem defigimus, qui clavum tenens sedet non visus in puppi. Vides, DOMINE, ut undique eruperint venti, ut mare inhorrescat, magna vi excitatis fluctibus. Impera, quaesumus, qui solus potes, et ventis et mari. Redde hominum generi pacem veri nominis, quam mundus dare non potest, tranquillitatem ordinis. Scilicet munere impulsuque tuo referant sese homines ad ordinem debitum, restituta, ut oportet, pietate in DEUM, justitia et caritate in proximos, temperantia in semetipsos, domitis ratione cupiditatibus. Adveniat regnum tuum, tibique subesse ac servire ii quoque intelligant oportere, qui veritatem et salutem, te procul, vano labore exquirunt. Inest in legibus tuis aequitas ac lenitudo paterna: ad easque servandas ultro nobis ipse suppeditas expeditam virtute tua facultatem. Militia est vita hominis super terram, sed ipse *certamen inspectas, et adiuvas hominem ut vincat, et deficientem sublevas, et vincentem coronas* (1).

(1) I. Cor. III, 22-23.

(2) S. Jo. Chrys. Or. post Eutrop. captum habita n. 1.

Atque his sensibus erecto in spem laetam firmamque animo, munerum caelestium auspicem et benevolentiae Nostrae testem, vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque catholico universo apostolicam benedictionem peramanter in DOMINO impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum ipso die natali D. N. JESU, An. MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri Undecimo.

LEO PP. XIII.

II.

ACTA ORDINIS

—

MONITUM

De Epistolis.

Omnes iterum monemus, ut epistolas et involucra postalia ad Curiam generalitiam destinata, non ad *Conventum Aracoeli,* nec ad *SS. Quadraginta Martyres* amplius dirigant, sicuti nonnulli adhuc faciunt, sed in posterum ita scribant: ROMA, COLLEGIO S. ANTONIO, VIA MERULANA, 124.

(1) Cf. S. Aug. in Ps. 32.

Telegrammata vero sic transmittantur: ROMA, VIA MERULANA 124.

Monitum tandem in ultimo fasciculo appositum pag. 178 omnibus iterum commendamus.

—

DE CAUSIS SERVORUM DEI

EX ORDINE NOSTRO.

Inter *Acta Ordinis* procul dubio primum locum tenent actus Servorum DEI, qui cum virtutibus claruerint, et sanctitatis fama ex hac vita migraverint, digni habiti sunt, ut eorum Causae apud Sacram Rituum Congregationem pertractentur, ad eorum Beatificationem et Canonizationem obtinendam. Quapropter ut omnibus Franciscani Instituti asseclis innotescat Seraphicum Ordinem ab ipso sui exordio ad haec usque tempora innumeros pene viros ac mulieres heroica virtute praeclaros continua serie Catholicae Ecclesiae ministrasse, dignum duximus Seriem Causarum famulorum famularumque DEI, quae hodiedum apud praelaudatam Congregationem pertractantur texere, quibus addendos censemus Processus, qui apud locorum Ordinarios conficiuntur: ut sic in posterum eorum progressum enunciare possimus ad nostrorum Confratrum consolationem et exemplum.

Verum ad Causarum processum cognoscendum praemittamus oportet quid in S. Congregatione peragi solet a Causae initio usque ad Servi DEI Beatificationem vel Canonizationem: quod ex *Postulatorum Codice* breviter excerpimus.

Et primo pertractantur Causae vel eorum qui nullum adhuc publicum cultum obtinuerunt, et dicuntur Causae *procedere per viam non cultus;* vel eorum qui publico jam cultu honorantur, et dicuntur *procedere per viam casus excepti;* quia Urbanus VIII, quum Decretis suis latis anno 1625 et confirmatis anno 1634, vetuerit publico cultu honorari Servos DEI non *beatificatos* et non *canonizatos,* eos excepit qui perennem cultum jam antea nonnullis sub conditionibus obtinuissent. Quibus praemissis, dicamus:

DE INTRODUCTIONE CAUSAE.

Sacra Rituum Congregatio edocta per Processus ab Ordinariis locorum confectos, qui *Informativi* dicuntur, de fama sanctitatis, virtutum et miraculorum alicujus Servi DEI, rebus mature perpensis, Summo Pontifici proponit, ut si ei placuerit, committat Sacrae ipsi Congregationi causam Beatificationis illius Servi DEI, ut eadem Congregatio delegare judices possit ad inquirendum de virtutibus et miraculis.

Dubium, in comitiis S. R. C. ordinariis proponendum, sic enunciatur: — *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu, et ad effectum, de quo agitur?* Emi Cardinales, audito Promotore Fidei, ad proposita Dubia respondent vel *Affirmative,* vel *Negative,* vel *Dilata,* vel *Dilata et ad mentem,* ac explicatur quae sit mens S. Congregationis, vel *Expedire,* seu *Non expedire.* Si autem Causam introducendam esse censuerint, respondent — *Affirmative, seu signandam esse Commissionem si* SANCTISSIMO *placuerit.*

Summus Pontifex folio, quod scripta continet argumenta, quae ad Causam committendam suadent, apponit sua manu: *Placet.* Dicitur tunc *signata Commissio Introductionis Causae,* ac Ordinarii nil aliud in ipsa Causa peragere possunt nisi ex mandato Apostolicae Sedis.

DE JUDICIO SUPER NON CULTU.

Causa introducta, si agatur de Causa, quae *procedit per viam Non Cultus,* conficiendus est Processus de *Non Cultu;* et dubium de non cultu proponi et discuti debet in S. R. Congregatione, antequam Causa ad ulteriora progredi possit. Proinde Ordinarius vel Judex delegatus Processum absolvit ferendo sententiam, in qua statuitur Decretis illis Urbani VIII, quae dicuntur de *Non cultu;* obeditum esse. Idcirco Dubium S. Congregationi hisce verbis proponitur: — *An sententia lata ab N. N. (Judice Ordinario,* aut *delegato ab Ordinario,* vel *Judice delegato Apostolico* etc.) *super cultu* DEI *Servo non exhibito, sive super paritione Decretis Urbani Papae VIII sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?* Praestituta die, S. Congregatio in ordinariis comitiis, referente Cardinali Ponente sive Relatore, Dubium discutit; ac siquidem omnia bene cesserint, respondet: — *Affirmative, sive sententiam esse confirmandam:* — secus vero: — *Negative, sive sententiam non esse confirmandam.*

DE FAMA IN GENERE.

Signata a Summo Pontifice Commissione Introductionis, Causa tota, uti jam diximus, devolvitur ad Sedem Apostolicam, quae non modo inquirit, an obtemperatum fuerit Decretis Urbani VIII super *Non Cultu*, sed etiam, an vigeat fama sanctitatis ac miraculorum *in genere*; non enim de singulis singularum virtutum actibus, aut de singulis miraculis judicium tunc instituitur; sed tantummodo an apud majorem ac saniorem populi partem fama exstet, et quanta de vitae sanctitate, qua DEI Servus praefulserit et de miraculis, quibus a DEO in vita et post obitum fuerit illustratus. Exarato itaque Processu auctoritate Apostolica de fama et de miraculis *in genere*, ac peractis quae de jure sunt peragenda, tempore statuto proponitur Dubium de fama *in genere*, quod sic enunciatur: — *An constet de validitate et relevantia Processus in Civitate et Dioecesi N. constructi super fama sanctitatis, virtutum et miraculorum in genere Ven. Servi* DEI, *in casu et ad effectum, de quo agitur?* — Dubium hoc proponi deberet in Congregatione Generali; sed ex antiqua consuetudine impetratur venia a Summo Pontifice, ut proponatur in comitiis S. R. C. ordinariis, quin adsint et quin suffragium ferant Consultores. — S. Congregatio ad propositum Dubium respondet vel *Affirmative*, vel *Negative*, vel *Dilata*: quod postremum responsum significat, Eminentissimis Patribus aliquid occurrisse, quod maturiorem deliberationem requirat; atque idcirco ad alia comitia judicium distulisse.

DE JUDICIO SUPER VALIDITATE PROCESSUUM.

Expleto judicio super *fama in genere*, proceditur ad conficiendum Processum Apostolicum super Virtutibus et Miraculis *in specie* iis in locis, ubi jam Processus informativus conditus fuerat. Quo peracto, cum reliquis ad id necessariis, antequam ad discussionem de virtutibus deveniatur, agendum est de Validitate Processuum tam Apostolica quam Ordinaria auctoritate constructorum. Dubium, in comitiis ordinariis proponendum, est: — *An constet de Validitate Processuum tam Apostolica quam Ordinaria Auctoritate constructorum, Testes sint rite ac recte examinati et jura producta legitime compulsata in casu et ad effectum, de quo agitur?*

DE JUDICIO SUPER VIRTUTIBUS.

Ex Processibus informativo et apostolico fit *Positio super virtutibus.* Ad cujus intelligentiam notandum, Positionem super virtutibus, (idem dic *super Introductione Causae, super non Cultu* etc.) constare ex Informatione, Summario, Animadversionibus et Responsionibus, cum quibus efformatur volumen unicum, quod inscribitur: *Positio super Introductione Causae, Positio super Virtutibus* etc. — Dubium de Virtutibus sic enunciatur: — *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, Charitate tum in* DEUM *tum in Proximum; nec non de Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, Temperantia eorumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum, de quo agitur?*

De Virtutibus ter disputatur: primum in Congregatione dicta *Antepraeparatoria*, quae habetur in aedibus Cardinalis Ponentis: deinde *in Praeparatoria*, in Palatio Apostolico Vaticano habenda; tertio *in Generali* coram Summo Pontifice, qui demum, si id judicaverit, Decretum publicari jubet, quo *Constare*, aut *Ita Constare* etc. pronunciatur. Tres itaque efformantur Positiones, juxta supra dicta, scilicet: *Positio super Virtutibus*; habita Congregatione *Antepraeparatoria*, si omnia bene cesserint, Promotor Fidei ex suffragatorum votis disponit *Novas animadversiones*, quibus Causae Patronus adjicit *Novas responsiones*, et ex utrisque fit *Nova Positio super Virtutibus*, quae proponitur discutienda in Congregatione *Praeparatoria*. Ex Consultorum suffragiis Animadversiones, quae dicuntur *Novissimae*, a Promotore exarantur, ad quas *novissimae* adjiciendae sunt ab Advocato responsiones, et Positio inscribitur: *Positio novissima super Virtutibus.*

DE JUDICIO SUPER MIRACULIS.

Judicium de Miraculis habetur postquam Judicium de Virtutibus expletum est. Dubium proponitur: *An et de quibus Miraculis constet in casu et ad effectum, de quo agitur?* Positio constans ex Informatione, Summario, Animadversionibus et Responsionibus inscribitur: *Po-*

sitio super Miraculis, et disputatur in tribus Congregationibus, sicuti de Virtutibus dictum est.

DE DECRETO VULGO DE TUTO.

Publicato Decreto, quo constare de Miraculis sancitum fuerit, Advocatus supplicem scribit libellum super Dubio: — *An stante Virtutum et (duorum, aut trium* etc.) *Miraculorum adprobatione, Tuto procedi possit ad solemnem V. S. D. Beatificationem?* Summarium adjicit constans ex Decretis, quibus virtutes et miracula adprobata sunt. Fidei Promotor suam scribit super eodem Dubio sententiam, et ex supplici libello, Summario, Promotoris sententia fit Positio, quae inscribitur: *Positio super Dubio, an Tuto procedi possit ad Beatificationem?* Suffragiis in Congregatione latis, sententiam suam non illico manifestat Summus Pontifex. Quando vero proferendam esse judicaverit, Secretarium S. C. Decretum scribere jubet, quo enunciatur *Tuto procedi posse* ad solemnem Beatificationem quandocumque celebrandam.

DE REASSUMPTIONE CAUSAE.

Ut solemnis *Canonizatio* impetrari possit in Causis, quae procedunt per viam *Non Cultus,* introductis post Urbaniana Decreta, duo miracula adprobentur necesse est, patrata post indultam venerationem, idest postquam Breve *Beatificationis* fuerit editum. At inquisitio de miraculis haberi nequit, nisi signata fuerit a Summo Pontifice *Commissio Reassumptionis Causae.* Itaque si noverit Postulator miracula, aut etiam unum, fuisse a Deo patratum ad Beati advocatam intercessionem, petet Commissionem. Petitur autem per supplicem Advocati aut Procuratoris libellum, cui adjiciendae sunt testificationes, etsi extrajudiciales, de continuata et aucta in Beatum populi veneratione. Libellus et testificationes typis imprimuntur, et fit *Positio super Reassumptione Causae.* — Dubium proponitur: — *An sit signanda Commissio Reassumptionis Causae in casu et ad effectum, de quo agitur?* — Et expenditur in comitiis S. Congregationis Ordinariis. Affirmativum si detur a S. Congregatione responsum, Commissio in folio scripta, ad Summum Pontificem signanda defertur. Decretum ad rem editur, typis imprimitur et in consuetis locis affigitur.

DE CAUSIS CONFESSORUM, ETC.
PER VIAM CASUS EXCEPTI.

Ordinarius Processum informativum condit super fama sanctitatis, virtutibus et miraculis, et habetur Judicium de Introductione Causae more solito. Commissione Introductionis a Summo Pontifice signata, proponitur in Ordinariis Sacrae Congregationis comitiis Dubium *de Casu excepto,* probationibus desumptis a Processu vel Ordinario, si Ordinarius illum ante Commissionem signatam confecerit, vel Apostolico, et ea omnia fiunt quae de judicio super *Non Cultu.* Dubium proponitur: *An sententia lata a Judice... super Cultu ab immemorabili tempore praestito V. S. D. N., seu super Casu excepto a Decretis sa. me. Urbani VIII sit confirmanda in casu et ad effectum, de quo agitur?* — Si Judicis sententia confirmetur, idest si adprobetur Casus exceptus, Decretum editur, typis imprimendum et publice affigendum, uti Decretum de *Non Cultu,* et Servus Dei dicitur *aequipollenter beatificatus,* ac venerari eodem modo potest ac ii Servi Dei, qui *formaliter* fuerint *beatificati:* nec miraculis, neque Decreto super *Tuto* opus est, neque Beatificationis solemnia celebrantur.

DE MARTYRIBUS.

Quoniam Martyres non poena facit, sed Causa martyrii, ideo, cum de iis agitur, non de morte tantum, sed et de Causa cur capitis fuerint damnati potissime quaerendum est. Causa Martyris appellatur: *Beatificationis et Canonizationis, seu Declarationis Martyrii Servi* Dei *N.* — Praeter scriptorum examen, a quo neque Causae istae solvuntur, haec habentur judicia: 1.° de *Introductione Causae;* 2.° de *Non Cultu;* 3.° de *Validitate Processuum;* 4.° de *Martyrio et Causa Martyrii;* 5.° de *Miraculis seu Signis;* 6.° de *Tuto.* Quae omnia ex dictis clare patent.

His praemissis, Ordinis nostri causas summatim indicamus, de singulis in posterum, data occasione, fusius dicturi.

PROSPECTUS

CAUSARUM BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVORUM DEI

QUAE AD POSTULATIONEM GENERALEM FRATRUM MINORUM OBSERVANTIUM SPECTANT CURRENTE ANNO 1889.

Earumdem Postulator: Adm. R. P. CANDIDUS MARIOTTI, *Lect. Jubil., qui residet in Collegio S. Antonii, Romae.*

Nomen.	*Positio.*
1. Salvator ab Horta, Laicus Professus I. Ordinis, mortuus 1567.	Reassumpta Causa, proceditur ad Canonizationem.
2. B. Matthia De Nazareis Matelicensis, Professa II. Ord. 1320.	Item.
3. B. Baptista Varani Camerinensis, Virgo professa II. Ord. 1527.	Item.
4. Ven. Theophilus a Curte, in Corsica Insula, Sacerdos Professus I. Ord. 1740.	Super Miraculis.
5. Ven. Soror Maria a JESU Mexicana, Monialis Professa II. Ord.	Item.
6. Ven. Soror Maria Crescentia Hoessin Bavariensis, Monialis III. Ordinis, 1744.	Item.
7. Ven. Philippus a Velitris, Sacerdos Professus I. Ordinis, 1754.	Adprobatis Virtutibus, desiderantur Miracula.
8. Ven. Antonius Margil, Hispanus, Sac. Prof. I. Ord. 1726.	Item.
9. Ven. Benedictus a Podio Bonitio, Sac. Prof. I. Ord. 1658.	Super Virtutibus.
10. Ven. Franciscus a Ghisone, in Corsica Insula, Clericus Professus I. Ord. 1832.	Item.
11. Ven. Soror Lilia Maria a SSmo Crucifixo, Viterbiensis, Monialis III. Ord. 1773.	Alia Nova super Virtutibus.
12. Ven. Antonius Pagani a Venetiis, Sacerdos Professus I. Ordinis 1585.	Super Revisione Scriptorum.
13. Ven. Soror Maria a JESU ab Agreda, Monialis Professa II. Ordinis 1665.	Item, ast suspensa ad tempus.
14. Ven. Petrus Barolesius Chilenus, Laicus Professus I. Ordinis, 1700.	Processus Apostolicus confectus, nunc examinatus.
15. Ven. Simon Philippovicius a Seona, in Bosnia, Sacerdos Professus I. Ord. 1802.	Item.
16. Ven. Generosus a Premosello, Sac. Prof. I. Ord. 1804.	Item.
17. Ven. Soror Maria Margarita Diomira de Verbo Incarnato, Monialis (1) Prof. 1677.	Item.
18. Ven. Joannes a Triora in Liguria, Sac. Prof. I. Ord. Martyr in Sinis. 1816.	Item.

(1) Non pertinet ad Ordinem, huic tamen Postulationi commissa est.

19. Ven. Emmanuel Ruiz, Hispanus, et alii septem Socii, Martyr, I. Ord. Damasci, 1860.	Horum Martyrum Causa introducta est.
20. Ven. Soror Hierònyma ab Assumptione, Manillena, Monialis Professa II. Ord.	Item, et quidem saeculo anteacto.
21. Serva DEI Soror Caecilia Nobili Nucerina, Monialis Professa II. Ord. 1655.	Haec Causa nondum est introducta.
22. Servus DEI Paulus a Recineto, Sacerdos Professus I. Ordinis, 1842.	Processus Ordinarius confectus est.
23. Servus DEI Marianus ab Arce Casali, in Aprutio, Laicus Professus I. Ord. 1866.	Item.
24. Servus DEI Laurentius a Monsano, in Piceno, Sacerdos Professus I. Ord. 1797.	Processus Ordinarius conficitur.
25. Servus DEI Margin Català, Hispanus, Sac. Prof. I. Ord. 1830.	Item.
26. Serva DEI Soror Maria Clara Steiner, Monialis professa II. Ord. 1862.	Item.
27. Servus DEI Michael a Toro in Loreto (Hispania) Sac. prof. I. Ordinis, 1875.	Processus Ordinarius vix inceptus est.
28. Serva DEI Soror Paulina Nicolay, III. Ordinis saecularis, 1868.	Item.
29. B. Thomas a Tolentino, Sacerdos Professus I. Ordinis, Martyr. 1321.	Pro extensione cultus ei praestiti ad universum Ordinem.
30. Servi DEI Jacobus de Padua, Petrus a Senis ac Demetrius a Tiflis, socii ejusdem B. Thomae I. Ord. 1321.	De Martyrio et Causa Martyrii, ast nondum incepta.
31. B. Christophorus a Mediolano, Sacerdos Professus I. Ordinis 1540.	Super casu excepto, id est pro adprobatione cultus ei praestiti perennis.
32. B. Gualterius a Brugis, Episcopus Pictaviensis I. Ordinis, 1307.	Item.
33. B. Agnellus a Pisis, Prof. I. Ord. 1233.	Item.
34. B. Joannes Discalceatus, Sacerdos Prof. I. Ord. 1349.	Item.
35. B. Tomassucius Untio, Prof. I. Ord. 1377.	Item.
36. S. Bernardinus Senensis etc.	Pro obtinendo titulo Doctoris Ecclesiae.
37. S. Joannes a Capistrano.	Pro obtinenda extensione Missae et Officii ad Ecclesiam universalem.

CAUSAE AD POSTULATIONEM GENERALEM MINORUM REFORMATORUM SPECTANTES

Quarum Postulator: Adm. R. P. BENEDICTUS SPILA A SUBIACO.
Residentia: In Collegio S. Antonii, Romae.

Nomen.	*Positio.*
38. B. Carolus a Setia, Laicus I. Ord., beatif. 1882.	Inquiritur de novo miraculo.
39. B. Humilis a Bisignano, Laicus I. Ord., beatif. 1882.	Conficitur Processus super novo miraculo.
40. Ven. Leopoldus a Gaichis, Sac. Prof. I. Ordinis, mortuus 1815.	Habita Cong. Antepraeparatoria Sup. miraculis, desiderantur vota medicorum.

41. V. Benignus a Cuneo, Sac. I. Ord. 1744.	Adprobatis virtutibus, desiderantur miracula.
42. V. Dominicus ab Urbe Veteri, Sac. I. Ordinis, 1738.	Item. Idem.
43. V. Bernardinus a Calentiana, Sac. I. Ordinis, 1653.	Nova super virtutibus.
44. V. Antonia Maria Belloni, II. Ord. 1719.	Item. Idem.
45. V. Isabella Gherzi, II. Ord. 1800.	Item. Idem.
46. V. Angelus a Paz, Sac. I. Ord. 1596.	Super Virtutibus.
47. V. Petrus a Balnearia, Sac. I. Ord. 1742.	Item.
48. V. Joanna Mª. a Cruce, II. Ord. 1675.	Item.
49. V. Laurentius a Revello, Laicus I. Ordinis, 1623.	Suspensa, ex defectu subsidiorum.
50. V. Innocentius a Clusis, Laicus I. Ordinis, 1631.	Suspensa, donec voluntas Dei innotescat.
51. S. D. Anna Lapini, Soror. a SS. Stigm. Fund. 1860.	Super Introductione Causae.
52. S. D. Franciscus a Neapolis, Sac. I. Ordinis, 1841.	Conficiendus Processus additionalis.
53. S. D. Clara Cherubina Saraceni, II. Ordinis, 1871.	Conficitur Processus Informativus.
54. S. D. Ludovicus a Casauria, Sac. I. Ordinis, 1885.	Item.
55. S. D. Bonifacius a Setia, Laicus I. Ordinis, 1799.	Item.
56. S. D. Philumena Joanna Genovese, III. Ordinis, 1865.	Item.
57. Servi Dei PP. Paulus a Mantua et Salvator ab Ophida, Martyres 1644.	Perquiritur Processus.
58. Servi Dei PP. Jacobus a Sarnano et Ferdinandus ab Albissola, Martyres, 1648.	Item.

CAUSAE BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

AD FRATRES MINORES EXCALCEATOS S. PETRI DE ALCANTARA PERTINENTES

Postulator: Adm. R. P. Joannes Josephus a Virgine Perdolente, *Procurator Generalis Excalceatorum et Recollectorum, Residentia: Romae, in Curia generalitia.*

Nomen.	*Positio.*
59. Ven. S. D. Fr. Franciscus a S. Antonio, Tertiarius professus, mortuus 1764.	Adprobatis Virtutibus, desideratur Miraculum.
60. Ven. Fr. Michael Angelus a S. Francisco, Laicus professus I. Ordinis 1800.	Novissima positio super virtutibus.
61. Ven. Pater Aloysius a SSmo Crucifixo, Sacerdos professus I. Ord. 1803.	Apostolico Processu adprobato, agitur nunc de scriptis ejusdem.
62. Ven. Soror M. Crucifixa a quinque Vulneribus, Tertiaria professa 1826.	Nova positio super Virtutibus.
63. Servus Dei P. Modestinus a Jesu et Maria, Sacerdos professus I. Ord. 1834.	Confecto Processu Ordinario, agitur de Introductione Causae.

CAUSAE BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

CUSTODIAE RECESSUUM S. BONAVENTURAE DE URBE.

Postulator : Adm. R. P. JOACHINUS A SCAJ. *Residentia : Romae, apud Conventum S. Bonaventurae.*

Nomen.	Positio.
64. Ven. Fr. Bonaventura a Barchinone, Laicus SS. Recessuum Fundator.	Approbatis Virtutibus desunt Miracula.
65. Ven. P. Joannes Baptista a Burgundia.	De fama Sanctitatis in genere.

Omnium fere Servorum ac Servarum DEI, qui in praecedentibus elenchis laudantur, vita jam scripta vel imagines habentur, et a respectivo Postulatore peti possunt.

CAPITULA PROVINCIALIA

Anno 1888 celebrata.

XLVII.

Obs. Provincia SS. Redemptoris in Dalmatia.

Die 26 Junii anni 1888 in Conventu Praesentationis B. M. V. Spalati in Dalmatia, rite et canonice Capitulum celebratum fuit, Praeside Comm. Visitatore, Adm. Rev. P. GABRIELE PURATIĆ, in eoque electi sunt :

MINISTER PROVINCIALIS

Adm. R. P. Joannes D. Marković.

CUSTOS

R. P. Joannes Glibota.

DEFINITORES

R. P. Petrus Baptista Perković.
R. P. Honoratus Milos.
Adm. R. P. Marcus Ivandić.
Adm. R. P. Seraphinus Vezić.

XLVIII.

REF. PROVINCIA BARENSIS.

Expleto triennio regiminis A. R. P. JOANNIS DOMINICI A S. ERAMO, Definitorium Generale, attentis tristibus adjunctis, in quibus versatur Provincia, in Congressu diei 14 Decembris 1888 Commissarium Generalem pro Ref. Provincia Barensi instituit R. P. LUDOVICUM A BITRITTO, qui paucos Fratres dispersos adhuc superstites regat.

III.
MISSIONES

RELIGIOSI ORDINIS NOSTRI

Anno 1888.

QUI IN MISSIONES PROFECTI SUNT

I. In Terram Sanctam.

1. P. Paulus Boerkamp, Recoll. Prov. Hollandiae.
2. P. Alexius a *Gressy-sur-Aix,* Obs. Prov. Galliae.
3. P. Aloysius Cimarelli a Foligno, Obs. Prov. Seraphicae.
4. Adm. Rev. P. Vincentius a Breno, Obs. Prov. Ragusinae, ex Min. Provincialis.
5. P. Antonius a Contrada, Obs. Prov. Neapolis.
6. P. Victor a Glori, Ref. Prov. S. Bernardini in Gallia.
7. P. Franciscus Figueroa, Obs. Collegii S. Ferdinandi in Mexico.
8. P. Bernardinus a Carrasco, Obs. Prov. Genuae.

9. P. Paulinus Peck, Obs. Prov. Capistranae.

10. Fr. Joannes Joseph Loos, Recoll. Prov. Hollandiae.

11. Fr. Maurus a Ceneta, Ref. Prov. Venetae.

12. Fr. Benedictus Wojtzack, Ref. Prov. Posnaniae.

13. Fr. Alfridus Dollenz, Ref. Prov. S. Mariae in Hungaria.

14. Fr. Carolus a Massino, Ref. Prov. S. Didaci in Insubria.

15. Fr. Antoninus a Melphi, Tertiarius Obs. Prov. Vallismazzariae.

16. Fr. Cornelius Beelen, Recoll. Prov. Hollandiae.

17. Fr. Sebastianus ab Ajello, Obs. Prov. Principatus.

18. Fr. Simon. Maria a Brethon, Cler. Obs. Prov. Galliae.

II. In Albaniam.

19. P. Philemon a Tabula, Ref. Prov. Thusciae.

20. P. Hugolinus a Genua, Ref. Prov. Genuensis.

21. P. Camillus a Levico, Ref. Prov. S. Vigilii Tyrolis meridionalis.

22. P. Leonardus Gojani ab Alexio, Min. Obs. Missionis Albanensis.

23. Fr. Salvator a Spormajore, Ref. Prov. S. Vigilii Tyrolis meridionalis.

III. In Missionem Superioris Aegypti.

24. P. Ludovicus ab Abbatia SSmi Salvatoris, Ref. Prov. Thusciae.

25. P. Quiricus a Chitignano, Ref. Prov. Thusciae.

IV. In Missiones Sinenses.

26. P. Theodorus Leenen, Recoll. Prov. Hollandiae, ad Vicar. Chan-si.

27. P. Norbertus Janssens, Recoll. Prov. Hollandiae, ad Vicar. Chan-si.

28. P. Remigius Goette, Recoll. Prov. Saxoniae S. Crucis, ad Vic. Houpè Occiduo Septentr.

29. P. Joseph. Giraldi, Obs. Prov. Tusciae, ad Vicar. Chen-si Septentr.

30. P. Eusebius Guizzardi, Ref. Prov. Bononiae, ad Vic. Hu-nan merid.

31. P. Xaverius Engbring, Recoll. Prov. Ss. Cordis, ad Vic. Hu-nan merid.

32. Fr. Cajetanus Moggioli a Povo, Ref. Prov. S. Vigilii Tyrolis merid., ad Vicar. Hunan merid.

V. In Missionem Brasiliensem.

33. P. Franciscus Soja, Obs. Prov. Galiciae Austriacae.

VI. In Missiones Boliviae.

34. P. Januarius Seherer, Ref. Prov. Tyrolis Septentr., ad Colleg. Taratae.

35. P. Wolfgangus Priewasser, Prov. Tyrolis sept., ad Colleg. Taratae.

36. P. Peregrinus Paoli, Obs. Prov. Thusciae, ad Colleg. Taratae.

37. P. Joachim Rugani, Obs. Prov. Thusciae, ad Colleg. Taratae.

38. P. Isaias a Genua, Ref. Prov. Genuensis, ad Colleg. Taratae.

39. P. Cyrillus Moreau, Ref. Prov. S. Bernardini in Gallia, ad Coll. Taratae.

40. P. Antonius Gatti a S. Angelo Romano, Obs. Prov. Romanae, ad Coll. Tarijae.

VII. In Missiones Reipublicae Argentinae.

41. P. Ubaldus a Reate, Ref. Prov. Romanae, Vice-Commiss. T. S. in civitate Bonaerensi.

42. Fr. Aloysius Puccinelli, Collector Terrae Sanctae in Civitate Bonaerensi.

VIII. In Missiones Septentr. Americae.

43. P. Cyprianus a Monte, Ref. Prov. Thusciae, missus in Ref. Custodiam Immac. Conceptionis.

44. Fr. Carolus Conti ab Aleppo, Laicus, missus ad Commissariatum Terrae S. Novi Eboraci.

IV.

BIBLIOGRAPHIA

—

Doctoris Seraphici S. Bonaventurae. — Commentaria in quatuor libros Sententiarum

Magistri Petri Lombardi, tomus IV. in quartum librum Sententiarum, jussu et auctoritate Rmi P. Bernardini a Portu Romatino, totius Ordinis Minorum S. P. Francisci Ministri Generalis, edita studio et cura PP. Collegii a S. Bonaventura, ad plurimos codices mss. emendata, anecdotis aucta, prolegomenis, scholiis notisque illustrata. Tomus IV. In 4.° gr. pag. XIII et 1060. Fr. 28.

Novae nostrae editionis omnium Operum Seraphici Doctoris S. Bonaventurae quartum volumen, quod complectitur quartum et ultimum librum Commentarii in Sententias Petri Lombardi, favente divino adjutorio, feliciter absolutum est. Hic praedicti Commentarii liber quartus, amplitudine et mole aliis tribus major, quoad integritatem et emendationem textus in omnibus praecedentibus editionibus longe inferior erat, immo passim ita corrupte impressus exhibebatur, ut sensus auctoris non tantum obscuritate involveretur, sed etiam intolerabilibus erroribus macularetur. — Collatis a nobis 28 codicibus manuscriptis et editione omnium prima, collectae sunt variantes lectiones ultra *quadraginta millia,* quae suo numero et mira in multis locis varietate non parum animum obruebant et confundebant. Hinc labor correctionis et tardius et durius procedebat.

Absoluto igitur toto hoc insigni Commentario, in quo mirabilis et salutaris Doctoris Seraphici doctrina plenius, uberius et in forma scientifica exponitur, etiam pro aliis ejusdem operibus quasi quoddam fundamentum jactum est. — Cum autem hi quatuor libri quoddam doctrinae corpus et inseparabile et integrum forment; consentaneum est, ut etiam separatim acquiri possint ab iis qui integram collectionem nolunt sibi comparare. Desunt tamen adhuc indices, quos copiosos in totum Commentarium paramus, et quos separato volumini minoris magnitudinis reservavimus, tum ne moles tomorum nimis excrescat, tum ut expeditior usus indicum exhibeatur. — Hujusmodi indices in usu hujus Commentarii eo magis desiderantur, quia multa egregiae doctrinae documenta ita per omnes ingentis operis partes sparsa et quasi abscondita sunt, ut vix magno laboris et temporis dispendio inveniri possint. Haec operis indoles ex una parte inde oritur, quod S. Doctor ordinem rerum a Magistro imperfecte dispositum, utpote ejusdem commentator, quasi a latere sequitur, atque in dubiis circa litteram Magistri occurrentibus valde notanda passim quasi abscondit; ex alia vero parte procedit ex ipsa ubertate doctrinae redundante, cum S. Doctor quaestionum solutionibus multa corollaria vel connexa, praesertim in fundamentis et solutionibus oppositorum, adjicere soleat, quae ibi quaerenda esse, non ita facile conjectura colligitur. — Haec observatio imprimis spectat ad doctrinas philosophicas, de quibus, ut videtur, S. Bonaventura speciales tractatus non publicavit; nihilominus in hoc Commentario obiter et passim quaestiones philosophicae tanta ubertate tanguntur et solvuntur, ut ex solo hoc suo opere colligi possit fere integer cursus philosophicus satis amplus; quod reapse fecerunt duo Patres insignes Ord. Fratrum Min. Cap., scil. P. Marc. Antonius Galitius (an. 1635) et P. Barthol. de Barberiis (an. 1677). Opportunum igitur visum est, ut specialis de rebus philosophicis index alphabeticus consuetis indicibus adjungatur; qui quidem studio et diligentia cujusdam idonei Patris nostri Ordinis maxima ex parte jam absolutus est.

Quod igitur anno 1882 in Praefatione Generali (tom. I. pag. XXXVII) promisimus, ut praeclarum hunc Commentarium prae ceteris S. Doctoris operibus illustrare et explicare vellemus notis, scholiis aliisque subsidiis; hoc proposito fine, ut « utilitati consuleretur eorum qui doctrinae Seraphici Doctoris studere incipiunt », hoc, opitulante virtute ex alto, unitis viribus, pro modulo nostro praestavimus. Nec pepercimus labori, ut promissi fidem praestaremus, praesertim, ut ipse textus, ab innumeris vitiis vel defectibus purgatus et ad nativam integritatem, quantum licuit, restitutus, quam emendatissime imprimeretur; ut copiosissimi fontes, saepe valde abditi et remoti, quibus S. Doctor ad suam doctrinam probandam et illustrandam usus est, improbo plerumque labore conquirerentur, cum suo originali conferrentur et accurate indicarentur; ut ipsa doctrina in locis difficilioribus breviter vel in notis ad calcem positis vel in scholiis explicaretur et illustraretur, adductis aliis locis similibus sive S. Doctoris sive aliorum scriptorum; denique ut ubique, collatis coaevis Scholasticis, proferretur, quae sit relatio doctrinae nostri auctoris ad sententias aliorum doctorum, imprimis S. Thomae, Alexandri Hal. et Scoti.

Terminatis igitur his laboribus circa principale opus S. Doctoris, jam est apertus aditus ad alios ejusdem libros explicandos, viaque editionis efficitur planior, cum, occurrentibus difficultatibus, plerumque sufficiat lectorem relegare ad congruentes editi Commentarii locos.

EDITORES.

V.
NECROLOGIA

Infaustum habuimus nuntium mortis duorum ex Ordine nostro Episcoporum in Sinis, Rmi scilicet Alexii Filippi, qui e vivis sublatus est mense Novembri in suo Vicariatu Hou-pe occiduo meridionali, et Rmi Benjamini Geremia, Vicarii ap. Chan-tong septent., qui mense decembri p. e. obiit. Amborum animas omnium precibus commendamus, ac utriusque necrologiam fusiori sermone proxime dabimus.

R. I. P.

Nihil obstat

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII

EPISTOLA

AD ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS AMERICAE

—

VENERABILIBUS FRATRIBUS

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS AMERICAE

LEO PP. XIII

Venerabiles Fratres,
Salutem et apostolicam benedictionem.

Quam aerumnosa et calamitosa sit eorum conditio, qui ex Italia quotannis in Americae regiones ad vitae subsidia quaerenda turmatim commigrant, tam compertum Vobis est, ut nihil attineat id fuse per Nos explicari. Imo vero mala, quibus illi premuntur, Vos quidem ex propinquo intuemini, eaque, datis non semel ad Nos litteris, commemorata dolenter sunt a plerisque vestrum. Deflendum sane, quod tot miseri Italiae cives, solum mutare inopia coacti, in mala plerumque graviora incurrant, quam quae effugere voluerunt. Ac persaepe ad labores varii generis, quibus vita corporis absumitur, longe miserior adjungitur animorum pernicies. Prima ipsa demigrantium transvectio periculis plena ac detrimentis est: incidunt enim plerique in cupidos homines, quorum quasi mancipia fiunt, et gregatim in naves conjecti, atque inhumane habiti, ad depravationem naturae sensim impelluntur. Ubi vero ad destinatas oras appulerunt, linguae et locorum ignari, quotidianis operis addicti, improborum insidiis, et potentiorum, quibus sese manciparint, patent insidiis. Qui autem industria sua satis sibi parere potuerunt unde vitam tueantur; versantes tamen assidue inter eos, qui omnia ad quaestum et utilitatem suam referunt, nobiles humanae naturae sensus paullatim exuentes, eorum vitam vivere discunt, qui omnes spes et cogitationes suas in terra defixerunt. Huc accedunt obvia passim irritamenta cupiditatum, fraudesque sectarum, quae istic late grassantur religioni infensae, et plerosque in viam trahunt, quae ducit ad interitum.

In his autem malis illud longe luctuosius est, quod in tanta multitudine hominum, amplitudine regionum, difficultate locorum, haud facile praesto esse iis potest ea, quae par esset, salutaris cura ministrorum DEI, qui italicae compotes linguae, ipsis verbum vitae tradant, sacramenta administrent, et opportuna subsidia impertiant, quibus eorum erigatur animus in spem bonorum caelestium, et vita spiritus sustentetur ac vigeat. Hinc multis locis rari admodum sunt ii, quibus sacerdos adsit morituris, non rari quibus nascentibus minister deest ad regenerationis lavacrum: plurimi sunt quibus nuptiae, nulla habita Ecclesiae legum ratione, ineuntur, unde similis patribus propagatur proles, atque ita passim apud hoc genus hominum

oblivione delentur christiani mores, pessimi quique inolescunt.

Haec omnia Nos reputantes animo, ac miseram tot hominum vicem dolentes, quos quasi oves pastore destitutas deerrare cognoscimus per avia abrupta et infesta locorum, simulque cogitantes Pastoris aeterni caritatem et monita, Nostri muneris esse duximus, omnem quam possumus eis opem afferre, salubria pascua parare, ac omni qua datur ratione, eorum bono et saluti consulere. Quod eo libentius aggressi sumus, quod caritas hominum, quos eadem ac Nos regio tulit, ad id proniores faciat, ac certa spes teneat, numquam defore Nobis studia vestra operamque adjutricem. Quapropter curavimus, ut in sacro Consilio christiano nomini propagando hac super re consultatio haberetur, eique mandavimus, ut quaesitis et diligenter expensis remediis, quibus tot mala et incommoda possint depelli, sin minus, allevari, quod maxime e re foret proponeret Nobis, utrumque spectans, ut animarum saluti prodesset, atque migrantium molestias, quatenus fieri posset, leniret. Cum vero causa potissima invalescentium malorum in eo sit, quod infelicibus illis desit sacerdotale ministerium, per quod caelestis gratia impertitur et augetur, plures ex Italia presbyteros istuc mittere decrevimus, qui conterraneos suos noto solentur alloquio; doctrinam fidei ac vitae christianae praecepta doceant ignorata aut neglecta, sacramentorum apud eos salutari ministerio fungantur, succrescentem sobolem ad religionem, et humanitatem informent, omnes demum ex quovis ordine, consilio ac ope juvent, cunctisque foveant curae sacerdotalis officiis. Quo id commodius ac plenius effici posset, per litteras Nostras XVII Kalendas Decembres anno superiore datas sub annulo Piscatoris, Apostolicum Sacerdotum Collegium Placentiae Episcopali in Sede, curante Ven. Fratre Joanne Baptista Placentinorum Episcopo constituimus, quo ecclesiastici viri, quos Christi caritas urget, ex Italia conveniant, ut iis excolantur studiis, iis exerceantur muneribus eaque disciplina, per quam strenue et feliciter penes dissitos Italiae cives legatione pro Christo fungantur, et idonei fiant dispensatores mysteriorum Dei.

Inter alumnos autem hujus Collegii, quod quasi Seminarium haberi volumus ministrorum Dei ad salutem Italorum Americam incolentium, juvenes etiam a vestris regionibus, italis parentibus natos, recipi et institui volumus, modo in sortem Domini vocati sacris cupiant initiari, ut deinde sacerdotio aucti et istuc remeantes, sub vestra pastorali potestate, omnes quarum usus fuerit, Apostolici ministerii partes expleant. Neque vero ambigimus, quin et reduces isti paterna cum caritate excipiantur a Vobis, itemque facultates impetrent opportunas sacri ministerii caussa in cives suos, monito Parocho, exercendas: quippe ad Vos venturi sunt quasi auxiliares copiae, ut sub auctoritate cujusque vestrum, cujus in Dioecesi versantur, sacrae militiae operam navent. Profecto in primo operis exordio tanta haec auxilia haudquaquam erunt, quanta res ac tempus flagitant, neque eorum qui mittendi sunt opera, par esse ita poterit numero et necessitatibus fidelium, ut singulis et remotioribus in locis sacerdotes constitui possint, qui curam animarum gerant. Quamobrem optimum factu censemus, si in Dioecesibus, quae advenis ex Italia magis abundant, communia habeantur domicilia sacerdotum, qui exinde digressi circumjacentem regionem peragrent, et sacris expeditionibus excolant. Qua ratione autem, quibusve locis opportunius ea possint constitui, id erit prudentiae vestrae decernere. — Haec omnia quae Apostolicae Nostrae providentiae esse duximus, Vobis hisce litteris significanda curavimus. Si quis autem ex Vobis compererit sive sensu et judicio suo, sive collatis cum Fratribus consiliis, aliquid praeterea praestari a Nobis posse ad eorum utilitatem et solatium, quorum causa haec scribimus, sciat se Nobis gratum facturum, si de hoc ad sacrum Consilium fidei propagandae praepositum studiose retulerit.

Ex hoc autem opere, quod ad curam et praesidium plurimarum animarum, omni catholicae religionis solatio carentium suscepimus, fructus Nobis pollicemur uberes, maxime, si accesserint, uti confidimus, ad illud sustentandum tuendumque fidelium, quorum pietati pares suppetant opes, studia et subsidia. — Ceterum adprecati Deum benignissimum, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, ut hisce coeptis propitius adspiret, ac prospera det incrementa, Apostolicam Benedictionem intimae dilectionis testem

Vobis, Venerabiles Fratres, et universo Clero ac Fidelibus, quibus praeestis, peramanter in DOMINO impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die X Decembris A. MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri Undecimo.

LEO PP. XIII

II.
ACTA ORDINIS

—

CAPITULA PROVINCIALIA
Anno 1888 celebrata.

XLIX.
Obs. Prov. Genuensis.

Die 11 Julii anni 1888 in Conventu S. P. Francisci Rechi, praesidente Adm. R. P. REMIGIO BUSELLI, Commissario Visitatore, rite celebratum est Capitulum provinciale, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

Adm. R. P. Aloysius a Vectiano.

CUSTOS

Adm. R. P. Aloysius a Marassio.

DEFINITORES

R. P. Titus a Cavanella.
R. P. Candidus a Genua.
R. P. Odoricus a Genua.
R. P. Joannes Maria a Vocemula.

—

CAUSAE SANCTORUM ORDINIS NOSTRI

I.

B. SALVATOR AB HORTA, *Laicus Professus Ordinis Minorum de Observantia, canonizandus* (1).

Ortum habuit ex honestis parentibus in oppido S. Columbae Farnesiae, Dioecesis Gerundensis in Hispania anno DOMINI 1520; dictus est autem ab Horta, eo quod, cum jam Franciscanae Familiae esset adscriptus, in Conventu hujus loci diu commoratus est, atque in eo se praeclare gessit. Deinde ex obedientia de Hispania in Sardiniam profectus, Calaris in coenobio S. MARIAE a JESU moram fecit. Ibique ad caelos evolavit anno 1567 cum ingenti sanctitatis fama ob praeclaras ejus virtutes, praesertim vero summam simplicitatem et humilitatem; nec non innumerabiles sanationes, quas ipse signo crucis et aquae lustralis aspersione quotidie a DEO obtinebat. Statim a fidelibus populis ei cultus fuit exhibitus; quem semper constantem, et de die in diem auctum Clemens XI anno 1724 confirmavit. Et etiam nostris diebus fideles non solum Calaris, ubi ejus reliquiae asservantur, sed et in tota Hispania, ac multis Italiae locis, praesertim vero Capuae, Casertae, Aversae, nec non Ortae Atellae magno honore et veneratione eum afficiunt; et ob ejus intercessionem innumeras propemodum gratias a DEO obtinent, ita ut tanquam Thaumaturgus habeatur, ac propterea magno animi ardore cupiunt, ut quamprimum ab Apostolica Sede Sanctorum Albo accenseatur. Cujus Sancti viri cultus, atque beatificationis et canonizationis historiam juvat hic breviter ex percelebri opere: « *De Servorum* DEI *beatificatione et Beatorum canonizatione* » Benedicti XIV transcribere.

(1) Cfr. ultimum fasciculum, pag. 11.

Calaritana Canonizationis B. SALVATORIS AB HORTA.

Proposito ab Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Fabrono in Sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria Dubio « An sententia Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Vicarii de Urbe super casu excepto a Decretis fel. record. Urbani Papae VIII lata, sit confirmanda in casu, et ad effectum, de quo agitur », Sacrorum Rituum Congregatio ad instantiam Patris Dominici a Clesio, Ordinis Minorum Strictioris Observantiae de Recessu, audito tam in voce, quam in scriptis Domino Prospero Lambertino, Sacri Consistorii Advocato et Reverendissimi Archiepiscopi Myren. Fidei Promotoris Coadjutore, censuit, respondendum *affirmative*. Die 13 Septemb. 1710.

Et, facta deinde per Eminen. Dominum Cardinalem Fabronum de praedictis Sanctissimo Domino Nostro relatione in Audientia

habita die 29 Januarii anni 1711, Sanctitas Sua (idest, Clemens Papa XI) praesens Decretum benigne approbavit, et ad R. D. Secretarium pro executione remisit, dicta die 29 Januarii, supradicti anni 1711.

Mortuus est B. Salvator anno 1567. Pater autem Dimas Serpi, Provincialis Sardiniae Minorum Observantium Sancti Francisci, vitam et miracula ipsius latissime conscripsit: quae quidem vita edita etiam fuit inter *Acta Sanctorum* collecta ab Henschenio et Papebrochio *ad diem 18 mensis Martii.* Item Franciscus Gonzaga *in Origine Seraphicae Religionis* par. 1. loquitur de sanctitate Vitae Beati Salvatoris, Laici Catalani; et alia pariter de eodem legi possunt in *Menologio Franciscano* Fortunati, *in Legendarum Franciscanarum Collectaneis* Benedicti Mazzarae, et *in Orbe Seraphico* Dominici de Gubernatis, *in Commentariis Asceticis in Regulas Societatis* Jesu Patris Julii Nigroni, *Regul.* 14 par. 17.

Verum neque Sententiae, neque ejusdem confirmationi pro fundamento fuit Cultus immemorabilis, utpote cum ab obitu Beati ad tempus Decretorum Urbani VIII sive ad illud Bullae Decreta eadem confirmantis, elapsi minime essent centum anni: quamobrem et ipsa Sententia, et ejus confirmatio ad casum exceptum statuendum, innixae tantum fuerunt *Permissioni Sacrae Congregationis.* Postulanti enim Regi Catholico Beati hujus Canonizationem responsum fuit: « Differatur Canonizatio, quia alii priores et antiquiores sunt in Congregatione praesentati, pro quorum Canonizatione facti fuere Processus, informationes, diligentiae, testificationes et alia plura. Verum, quod interim Beatus Salvator ab Horta cum hoc titulo et miraculis imprimatur, publiceque portetur ad majorem fidelium consolationem. Die 5 mensis Februarii 1606 ».

Commemoratur nempe hoc Decretum apud Serpium, Continuatores Bollandianos, Fortunatum, Mazzaram et Nigronum: causae autem Postulatores, dum, approbato casu excepto, jactabantur pro concessione Officii ac Missae, totis viribus praeterea ostendere conati sunt, fuisse in eo approbatas virtutes B. Salvatoris. Sed ipse *ego,* tunc fungens munere fidei Promotoris evici, fuisse quidem Sacrae Congregationi exhibitam informationem ex Processibus Ordinariis comprobatam, in qua plura de illius virtutibus et miraculis asserebantur; attamen eorum examen nequaquam susceptum fuisse, nisi limitata causa dandae facultatis Salvatoris Imaginem typis imprimendi cum nuncupatione *Beati;* ideoque nova formali virtutum discussione opus esse, quoties ad Canonizationem esset procedendum. Quae porro mea argumenta a Sacra Congregatione fuerunt admissa die 21 Aprilis 1714.

Ad haec, ut cetera persequamur, quae ad Cultum pertinent hujus Beati, aliud anno sequenti 1607 prodiit ab eadem Sacra Congregatione *Decretum* de Beati ejusdem Corpore a Capsa, in qua repositum fuerat, non amovendo, *uti prius fieri solebat* (Quod Decretum hic sequitur, ast non est necessarium illud referre).

Expeditae deinde fuerunt Litterae *Remissoriales* pro conficiendis Processibus Apostolicis: quibus quidem confectis, et ad Sacram Congregationem delatis, haec eos juxta morem tunc temporis receptum ad Rotae Auditores remisit; et hi porro mense Augusti anni 1633 eorum validitatem approbarunt, mense Novembris ejusdem anni, constare de virtutibus, responderunt, et mense Martii anni 1635 primum ex propositis miraculis notum fecerunt. Quod scilicet colligitur ex Rescriptis manu propria Covini, unius ex deputatis Rotae Auditoribus notatis, et in Bibliotheca Collegii Romani de Urbe existentibus; quando quidem Relatio nunquam exarata fuit.

Anno autem sequenti, idest 1636, editum est *Indulgentiarum Breve* ab Urbano VIII, quo Christi fidelibus, ejusdem Beati Capellam visitantibus etc., Indulgentia Plenaria concedebatur (quod *Breve* pariter hic sequitur).

Anno deinceps 1654 ut Generalibus Urbani VIII Decretis debita deferretur obedientia, signata est *Commissio;* tum vero 1693 deputatus est Cardinalis Urbis Vicarius pro constructione Processus super eadem Decretis ipsis obedientia, a quo quidem lata consequenter Sententia confirmationis robur demum obtinuit in Sacra Congregatione sicut primum vidimus. — Ita Summus Pontifex (Libro 2.°, Capite XXIV, 116-123).

Quare Solemnis Beatificatio B. Salvatoris per probata a S. R. Congregatione miracula nun-

quam habita fuit; sed Cultus approbatus, et Beati titulus decretus ex permissione S. Congregationis anno 1606, uti vidimus. Cui permissioni innixi Postulatores, anno 1711 propitium retulerunt Decretum de *Casu excepto* a Decretis Urbani VIII pariter ut supra. Tum vero pronum erat ad Canonizationem, approbatis virtutibus, gradum facere. Sed deplorabili casu, Apostolici Processus tunc reperiri non potuerunt. Causam igitur ad nostra usque tempora silere oportuit, quibus ita Dei Providentia disponente, Apostolici Processus in lucem prodiere. Quare, curante bonae memoriae Postulatore Ordinis, P. Bernardino a Cryptis Castri, die 9 Decembris anno 1882 *Causa resumpta fuit in statu et terminis,* ut ad virtutum approbationem posset deveniri (1). Quae si, uti sperandum est, a S. Sede approbantur, duo tantum miracula post Cultus concessionem patrata necessaria erunt ad Canonizationem, quia Processus Apostolici testibus plerumque de visu constent. Apostolicorum vero Processuum validitas, quoniam rata jam habita fuerat a Rotae Auditoribus, ne iterum discuteretur benigne indulsit Summus Pontifex, Decreto edito die 12 Februarii anno 1883.

Hic et nunc vero a Fidei Subpromotore *animadversiones* quoad virtutes conficiuntur, quarum post approbationem deveniendum erit ad examen miraculorum. Ast, cum certum omnino non sit an inter ea, quae in antiquis Processibus Apostolicis relata sunt, duo saltem inveniantur Apostolicae Sedis approbatione digna; ideo obsecramus omnes, ad quas certa notitia gratiarum et prodigiorum, quae nostris diebus B. Salvatoris intercessione saepe obtinentur, ut eamdem fideliter redactam ad hanc Postulationem Gener. remittant. Tandem precamur omnes tanti viri honorem et gloriam zelantes, ut aliquod subsidium juxta uniuscujusque vires mittant pro gravibus expensis necessario faciendis in *Causa Canonizationis* agenda.

Apud Postulationem habetur pretio venali L. 1,50 *Vita, Miracoli e Culto del B. Salvatore da Orta,* pel Cav. D. Francesco Sequi, 1882, *Vita compendiosa* ecc. composta dall'Arcivescovo di Cagliari ecc. 1887. cent. 50; nec non imagines ejusdem Beati.

(1) Cfr. *Acta Ordinis*, anno II, pag. 2.

III.
MISSIONES

—

EPISTOLA
S. C. DE PROPAGANDA FIDE
AD OMNES APOSTOLICOS VICARIOS

de Encyclicis litteris: Exeunte jam anno.

Illme ac Revme Domine,

Heic adclusas (1) ad Amplitud. Tuam mitto SSmi D. N. Leonis PP. XIII encyclicas Litteras nuperrime editas, quibus dum gratiam fidelibus habet de praeclarissimis obsequii ac amoris testimoniis in eum undequaque superiore anno conlatis, saluberrima simul monita ad vitam sancte instituendam tradit. Mens autem ejusdem Sanctitatis Suae est, ut pontificiam hanc epistolam vernaculo istius regionis sermone redditam inter christifideles, quos tuis curis commissos moderaris, vulgandam satagas; eosdemque magnopere horteris, ut amantissimi sui patris ac supremi magistri documenta eo quo par est obsequio excipientes, ad mores christiana disciplina componendos impensiori studio adnitantur.

Deum interea precor, ut Te diutissime sospitet.

Romae, die 14 Januarii 1889.

J. Card. Simeoni, *Praefectus.*
✠ D. Archiep. Tyren. *a Secretis.*

—

EX SACRA TERRAE SANCTAE
Custodia.

Statisticam non parvi esse momenti in historia texenda nemo non videt. Numeri eloquentiores sunt omni descriptione; constituunt etenim talem vim probandi, ut nullum admittant dubium. Hoc fundamento innixus, intendo probare Reverendissimum Nostrum Patrem Ministrum Generalem litteris suis encyclicis diei 4 Novembris 1887 in causa Terrae sanctae merito dixisse; « missionem Terrae sanctae in magna missionariorum penuria versari ».

(1) In ultimo fasciculo Encyclicas has litteras edidimus.

Quod ita se res habeat, vocemus in auxilium prospectum familiae religiosae in Terra sancta degentis, nuperrime Hierosolymis in officina typographica Franciscalium impressum. Ex hoc catalogo edocemur sequentia: Missionem Terrae sanctae complecti: Judaeam, Galilaeam, Syriam, insulam Cyprum et Aegyptum septentrionalem. In Judaea adesse 4 conventus, 3 hospitia, 1 residentiam. In Galilaea 1 conventum, 3 hospitia, 1 residentiam. In Syria 1 conventum, 13 hospitia. In insula Cypro 1 conventum, 2 hospitia. In Aegypto 2 conventus, 12 hospitia, seu in tota s. Custodia inveniri 9 conventus, 33 hospitia, 2 residentias, universim 44 loca praeter alia sanctuaria, in quibus sacra celebrari solent.

Demum Franciscales habent in 12 stationibus scholas, in quibus pueri in diversis instruuntur disciplinis et linguis, uti: arabica, gallica, italica, anglica; cura animarum exercetur in 31 stationibus et quidem pro gente diversarum nationum.

Insuper adest 1 postulantatus, 1 novitiatus, 1 conventus recollectionis, studium philosophicum, theologicum.

Haec omnia et singula omnibus persuadere valent, Missionem Terrae sanctae vastum occupare campum. Nunc quaeritur quot in illa sint operarii? Demptis 17 postulantibus et 25 clericis, restat numerus familiam in Terrae sanctae missione occupatam constituens: Religiosos 365. Numerus hic etiam minor evadet, si respectum habere velimus ad Patres et Fratres, qui senio vel infirmitate confecti ex toto inhabiles sunt ad officia praestanda. Inter 365 religiosos numerantur 172 sacerdotes et 193 laici (cum tertiariis) et nunc cuivis clarum est, exiguum numerum sacerdotum in proportione 44 stationum et amplius exigentiis missionis haud sufficere posse.

Praeterea si observamus, inter 172 sacerdotes solummodo 33 esse vere filios Terrae sanctae seu stabiles operarios, reliquos autem 139 ad interim morari, tunc penuria missionariorum manet evidentissime comprobata. E laicis cum tertiariis 58 sunt ex familia S. Custodiae, reliqui 135 ex aliis Provinciis hic sua servitia ad tempus praestant (1).

His inspectis merito de penuria religiosorum Custodia Terrae sanctae lamentatur. Indigentia Terrae sanctae missionis eo magis in oculos cadit, si recordamur schismaticorum tum armenorum tum graecorum, protestantium tum anglicorum tum germanorum, qui nil intentatum relinquunt, ut quamplurimos sibi asseclas comparent. Haec sunt quae zelum omnium Ordinis nostri sodalium quam citius excitare debent ad succurrendum Terrae sanctae Custodiae! Cognitis indigentiis ejus, quae Provincia Ordinis, quis Religiosorum nostrorum Terram sanctam penuria laborare sinat? Quis se inflammatum non sentiat, ut invitationi Rmi Ministri Generalis favorabilem laetanter auditum praebeat? quis nolit relinquere nationem et gentem suam, quae plus minusve non caret legitimis animarum pastoribus, ut se servitio Terrae sanctae addicat et ita benedictionis Apostolicae particeps fiat? Cur cunctari debemus? Si olim numerosi Franciscales, vestigia S. Patris nostri prementes, ad Terram sanctam gressus suos laeto corde dirigebant, ludibriis, vexationibus, carceribus immo morti se exponebant amore erga sancta religionis monumenta capti, cur hodie, meliorata his in oris conditione, hic fervor tabesceret? De climate nil est metuendum; scimus etenim, quamplurimos Religiosos in Palaestina bona salute gaudere et ad provectam aetatem inoffenso pede pervenisse!

Praeter Apostolicam benedictionem missionariis Terrae sanctae appromissam plura alia emolumenta ac commoda spiritualia abundanter iisdem obveniunt. Hic etenim vita communis perfecte observatur; — ergo hic quivis religiosus semet verum filium S. P. N. Francisci judicare potest; — in Palaestina quivis religiosus et praecipue sacerdotes, qua praedicatores, qua theologi doctrinam sacram, scripturam sanctam clarius intelligere discet; — hic tot indulgentiae omni fere hora acquiri possunt, quibus nedum ipsi religiosi sed etiam animae in purgatorio detentae ditari valent; — hic est

(1) Secundum nationalitatem ita se habent religiosi in Custodia Terrae sanctae degentes: itali 210, hispani 58, arabes 35, galli 27, borussi 15, germani Austriaci 10, poloni 9, melitenses 9, belgae 8, americani 7, graeci 3, dalmatae 2, hollandi 2, hungari 2, badensis 1, bavarus 1, bohemus 1, croatus 1, lusitanus 1, americanus 1, bulgarus 1, seu universim 21 nationes concurrerunt ad efformandum totalem numerum 404.

messis magna tum quoad indigenas Ecclesiae catholicae lucrandos, tum quoad peregrinos ex diversis orbis terrae regionibus huc appellentes. — Haec et similia revocare videntur memoriae nostrae illud praeclarissimum regii Prophetae effatum: « Si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivioni detur dextera mea, adhaereat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero Jerusalem in principio laetitiae meae » (Ps. 137. v. 5-6). Bonum est hic esse, venite et gustate, vos omnes, amantissimi fratres, quibus DEUS dabit gratiam vocationis ad servitia in Terra sancta praestanda.

Scripsi Hierosolymis in die S. Jacobi a Marchia, anno 1888.

Fr. NORBERTUS GOLICHOWSKI
Lector Generalis S. Theologiae ac Terrae sanctae discretus.

IV.

VARIA.

Anno currenti 1889 pro Ordine nostro sequentia Festa centenaria occurrunt.

1. *B. Petri Senensis,* Confessoris III. Ordinis, qui obiit die 4 Decembris 1289, cujus Festum Pius VII anno 1802 celebrandum indulsit, et apud nos quotannis die 16 Martii celebratur.

2. *B. Joannis a Parma,* Confessoris I. Ordinis. Fuit sextus post S. P. N. Franciscum Minister Generalis, et Ordinem per 10 annos rexit. Deinde, abdicato officio, triginta annis in solitudine vixit et obiit die 19 Martii 1289. Ejus cultum die 1 Martii 1777 Pius VI approbavit. Festum ejus apud nos celebratur die 20 Martii.

3. *S. Benedicti a S. Philadelpho,* Confessoris I. Ordinis. Obiit die 3 Aprilis 1589. Ejus cultum Sedes Apostolica anno 1743 approbavit, ejusque Festum die 3 Aprilis celebrari indulsit. Postmodum Pius VII anno 1807 eumdem Sanctorum catalogo adscripsit.

4. *B. Benvenuti a Recineto,* Confessoris I. Ordinis, qui obiit die 5 Maji 1289. Ejus cultum approbavit Pius VII. Festum ejus apud nos celebratur die 15 Maji.

SERIES PRAELATORUM

Obs. Prov. Bononiae.

(Continuatio) (1)

MINISTRI PROVINCIALES

A divisione Ordinis per Bullam Leonis X facta.

50. 1628. A. R. P. Alexander Maculinus pro secunda vice, electus Ferrariae die 20 Novembris; praeside Rmo P. Antonio de Albiano, Comm. Generali Cismontano.

51. 1632. A. R. P. Bonaventura de Parma, doctrina et eloquentia celebris, Concionator aulicus Leopoldi Imperatoris; pro Duce Parmensi Legatus validus ad Principes, Reges et Pontifices; electus Parmae die 9 Julii. Postea Definitor Generalis; praeside R. P. Silvestro de Maciano Strict. Observ. Prov. Marchiae, Comm. Visitat. — *Fernand. pag. 135. 161.*

52. 1635. A. R. P. Angelicus de Vitelliana, Lect. Jubil., electus Bononiae SS. Annunt. die 8 Decembris; praeside R. P. Francisco Quaresmio Prov. Venetae, Comm. Visitat.

53. 1638. A. R. P. Franciscus Maria Bruni ab Arimino, Lect. Jubil., Exam. Synod.; S. Officii Consultor et Concionator eximius; electus Brixichellae die 1 Maji; praeside R. P. Juliano a Lucca, Comm. Visitat. — *Fernand. pag. 164.*

54. 1641. A. R. P. Irenaeus de Burgonovo, doctrina ac pietate illustris, electus ex Indulto Urbani VIII die 30 Martii, et Bononiae publicatus die 27 Aprilis. Praeside R. P. Stephano a Bettona, Comm. Visitat. — *Fernand. pag. 168.*

55. 1644. A. R. P. Thomas Masi de Bononia, Concionator celeberrimus, electus per Breve Urbani VIII, et Forolivii die 7 Februarii publicatus; praeside R. P. Petro a Petra Acuta, Provincialis Marchiae et Comm. Visitat. — *Fernand. pag. 171.*

56. 1646. P. Bonaventura Valeriani de Ravenna, philosophicis et theologicis disciplinis illustris, S. Officii Consultor, ac verbi Dei praedicator fervidus, electus Cremonae S. Angeli; praesid. R. P. Joanne de Neapoli, Min. Generali. — *Docum. MS. libr. P. pag. 65.*

57. 1649. P. Alexander de Cremona, Lect. Jub.; electus Bononiae SS. Annunt. die 18 Octobris; praesid. R. P. Daniele Donghi, Vicario Generali.

58. 1652. P. Fabius Pappazzoni de Mirandula, ingenio et doctrina clarissimus, Lect. Jub., S. C. Indicis Consultor, ad Reges et Principes Legatus validus, electus Bononiae SS. Annunt. die 20 Decembris. Deinde Definitor Generalis. Varias scripsit opellas et unam evulgavit; praesid. R. P. Maculini, de quo supra. — *Sbaralea pag. 234.*

(1) Cfr. ultim. fasc. anni p. e. 1888, pag. 189.

59. 1656. A. R. P. Thomas Bolis ab Arimino, Lect. Jub., electus Bononiae SS. Annunt. die 26 Maii. Deinde Delegatus seu Vicarius Generalis; praesid. Eminent. Cardinali Lomellino Bononiae Legat., Comm. Visitatore R. P. Cornelio de Spoleto. — *Fernandus pag. 171.*

60. 1659. P. Joan. Baptista de Finali, Lect. Theol. et Concionator eximius, electus Forolivii die 9 Julii; praesid. R. P. Sebastiano a Janua, Comm. Visitat. — *Flam. tom. 1. pag. 520.*

61. 1662. P. Fulvius Bassi de Mirandula, doctrina moribusque clarissimus, theologus ac consiliarius Ducis Mirandulae, nec non ejusdem apud principes et Curiam Romanam Legatus validus, electus Ferrariae die 21 Aprilis; praeside Rmo P. Michael-Angelo de Sambuca, Min. Generali. — *Fernand. pag. 166.*

62. 1663. P. Fabius Pappazzoni de Mirandula, de quo supra, in locum Ministri defuncti Vicarius electus Bononiae die 12 Januarii.

63. 1665. P. Angelus de Surrianis a Forolivio, tum doctrina, tum virtute celebris, electus Plebis Centi die 9 Februarii; praeside R. P. Constantino di Tipherno, Prov. Seraphicae jam Ministro, et Comm. Visitat.

64. 1666. P. Jacobus Philippus de Forolivio, Novitiorum Magister, ob mortem Ministri Vicarius electus Bononiae die 25 Novembris; praeside R. P. Fabio Pappazzoni, de quo supra.

65. 1668. P. Franciscus Maria Nicoli de Castro S. Petri, et ex Senatus voto Civis Bononiensis et Cremonensis, Lect. Jubil., Sacrorum Rituum Congreg. Consultor, S. Inquisitionis Qualificator; electus Bononiae SS. Annunt. die 16 Maji. Postmodum Definitor, Commissarius et Minister Generalis, atque a Carolo II. Rege Catholico Pro-Rex Siciliae designatus; praeside Rmo P. Bonaventura Caballo, Comm. Generali Cismontano. — *Monum. MS. lib. Q. pag. 383.*

66. 1670. P. Angelus Maria de Bononia, abdicante Ministro, Vicarius electus Bononiae die 29 Augusti; praesid. R. P. Cherubino de Bibbiena Prov. Thusciae, Lect. Generali et Comm. Visitat.

67. 1671. P. Laurentius de Castro S. Petri, electus Bononiae die 25 Octobris; praeside R. P. Leone Caromio de Tipherno, Prov. Seraph. Lect. Jub. et Comm. Visitat.

68. 1675. P. Joan. Baptista Foni de Fugnano, Lect. Jubil.; et Theologus Archiepisc. Ravennatis, electus Bononiae SS. Annunt. die 22 Maji. Postea Defin. Generalis, et scriptor Operis Theologici in libros Sententiarum; praesid. R. P. Hieronymo Brambilla de Mediolano. — *Fernand. pag. 167.*

69. 1678. P. Joan. Angelicus Ricci de Bononia, Lect. Jub. et S. Officii Consultor, electus Cremonae S. Angeli die 11 Julii; Praeside Rmo P. Francisco Nicoli, de quo supra, Min. Generali.

70. 1681. A. R. P. Joan. Baptista Cattani de Regio, Lect. Jub., doctus, pius et humilis, electus Bononiae SS. Annunt. die 7 Octobris. Postmodum Secretarius et Definitor Generalis; praeside R. P. Michaele Angelo de Florentia, Comm. Visitat. — *Fernand. pag. 167.*

71. 1684. P. Angelus Saccadelli de Brixichella, Lect. Jubil.; prosa et metro scriptor perpulcher, electus ex Indulto Apost. Innocentii XI, sub die 23 Augusti, et die 12 Septembris Forolivii publicatus; praeside R. P. Francisco de Monilia, Comm. Visitat. — *Monum. MS. lib. Q pag. 375.*

72. 1688. P. Franciscus Spilamberti de Mutina, Lect. Theol.; ingenti eruditione tum sacra, tum profana clarus, electus Bononiae SS. Annunt. die 25 Februarii; praeside R. Patre Bonaventura a Salernis. — *Fernand. pag. 165.*

73. 1691. P. Irenaeus de Buxeto, Lect. Jub., electus Bononiae SS. Annunt. die 20 Februarii. Postea Definitor Generalis; praeside R. P. Hieronymo de Massa, Comm. Visitat.

74. 1693. P. Odoricus de Forolivio, Lect. Jub., Exam. Synodalis, electus Bononiae SS. Annunt. die 7 Septembris; praeside R. P. Francisco a Ragusa, Comm. Visitat.

75. 1696. P. Flaminius Dondi de Parma, ingenti doctrina et eloquentia praeditus, Ducis Parmensis et nonnullorum Cardinal. Theologus, electus Forolivii die 30 Maji. Deinde S. C. Indicis Consultor; Supremae Inquisitionis Qualificator; et a Clemente XI Episcopus Abderae postea Pinnensis creatus; praeside R. P. Matthaeo de Messana. — *Flamin. tom. 2. pag. 232.*

76. 1699. P. Lucas Blesi de Carpo, Lect. Jubil.; Ducis Ferrariae et Mutinae Theologus, nec non eorumdem ad Imperatorem Legatus, ac Eminent. Cardinalis Cerri a Consiliis, electus Mutinae S. Margaritae die 28 Aprilis; praeside R. P. Francisco Toscanella Prov. Romanae. — *Monum. MS. lib. Q pag. 373.*

77. 1702. P. Franciscus Petrobelli de Meldula, Lect. Jubil.; Concionator eximius ac nonnullorum Episcoporum et Cardinal. Thelogus, electus Bononiae SS. Annunt. die 29 Maji; praeside Eminent. Cardinale Boncompagni Bonon. Archiepiscopo. — *Fernand. pag. 165.*

78. 1705. P. Joan. Antonius Cavedi de Cremona, Lect. Jub; S. Officii Consultor, ac Magni Hetruriae Ducis a Secretioribus Consiliis, electus Bononiae SS. Annunt. die 8 Junii. Dein Eucarpiensis ac Comaclensis Ecclesiae Episcopus factus; praesid. R. P. Augustino de Lucca Prov. Romanae, Com. Visitat. — *Flamin. tom. 1. pag. 369.*

79. 1708. P. Joan. Antonius Mirandula de Bononia, Lect. Jub.; S. Officii Censor ac Qualificator, electus Bononiae die 28 Octobris. Postea Vice-Commiss. Generalis Ordinis; praesid.

R. P. Benedicto a Colonia, Comm. Visitat. — *Fernand. pag. 167.*

80\. 1711. A. R. P. Franciscus de Meldula, pro secunda vice electus Bononiae die 27 Julii; praesid. Joan. Bernardo a Clavaro, Comm. Visitat.

81\. 1714. P. Angelus Maria de Carpo, Lect. Sexennalis, Examin. Synodalis ac S. Officii Consultor, electus Bononiae die 29 Septembris; praesid. R. P. Bonaventura a Rutiliano, Comm. Visitat. — *Fernand. pag. 161.*

82\. 1717. P. Raynutius Franciscus de Parma, Lect. Jub. ac Principis Parmensis Theologus, electus Parmae die 29 Junii; praesid. R. P. Joan. Antonio a Campo S. Petri, Prov. S. Antonii, Comm. Visitat.

83\. 1720. P. Joan. Baptista Rossi a Forolivio, Lect. Jub. et jam Ordinis secretarius, electus Bononiae die 27 Maji; praesid. Rmo P. Laurentio a S. Laurentio, Comm. Generali Ordinis.

84\. 1723. P. Thomas Barberini de Cento, Lect. Jub. Exam. Synodi; plurium Cardinal. ac Caroli V Imperatoris Theolog. et Consiliarius, S. Officii Consultor; electus Ferrariae de 21 Septembris. Postea Defin. Generalis; et bis a Benedicto XIV Infula Episcopali donatus, bis oneri cessit et honori; praesid. R. P. Antonio Scutari Prov. Candiae, Comm. Visitat. — *Monum. MS. lib. 12. pag. 360.*

85\. 1726. P. Alexander Maria de Bononia, Lect. Theol., electus Ferrariae die 30 Junii; praesid. R. P. Hilario Maria de Ragusio, Defin. Generali et Comm. Visitat. (1).

86\. 1729. P. Candidus Franciscus a Portu Mauritio, Lect. Theol.; Examin. Synodalis et ex Senatus consultu Civis Ariminensis; electus Bononiae die 3 Maii; praesid. R. P. Matthaeo ab Atina, Comm. Visitat.

87\. 1732. P. Joseph Antonius a Monticellis, Lect. Jub., zelo et virtute illustris, electus Bononiae die 14 Maji; praesid. R. P. Antonio de Lucca, Comm. Visitat.

88\. 1734. P. Novatus Novati de Parma, Lect. Jub., electus ex Indulto Apost. Clementis XII et Ferrariae publicatus die 31 Octobris: praesid. R. P. Flaminio de Mediolano, Comm. Apostolico.

89\. 1737. P. Thomas Barberini de Cento, pro secunda vice electus Parmae die 14 Octobris; praesid. R. P. Juliano Francisco de Piscia, Prov. Thusciae, Comm. Visitat.

90\. 1741. P. Odoricus de Forolivio, Lect. Jub., electus Ferrariae die 20 Aprilis; praesid A. R. P. Andrea ab Altavilla, Comm. Generali Ordinis.

91\. 1744. P. Franciscus Antonius a Casale Majori, Lect. Jub., S. Officii Consultor ac Concionator celeberrimus, electus per Breve Benedicti XIV, et die 13 Junii Ferrariae publicatus: praeside R. P. Francisco Maria de Bagnone, Comm. Visitat. *(Continuabitur).*

(1) Quae sequuntur, omnia ex actibus Provinciae.

V.
BIBLIOGRAPHIA

—

ALOYSIUS A PARMA, Min. Obs. — Il Serafico Dottore San Bonaventura, Orazione Panegirica recitata nella solenne festa centenaria del suo Dottorato, da Fr. Luigi da Parma, Ministro Prov. dei Min. Oss. — Parma Tipografia della SS. Nunziata. 1888. (pag. 29).

AGREDA, (Ven. Maria de JESU de). — La sagrada pasión de nuestro Señor JESUCRISTO, sacada de la mistica ciudad de DIOS, escrita per la Ven. Madre Sor Maria de JESÚS de Agreda. Tomo de 528 páginas en 8., y se vende en Santiago de Compostela (precio de 1 peseta 25 céntimos en *rústica*, y 1 peseta y 50 cénts. en el resto de España, franco de porte).

ANGELUS A SUBLACO, Min. Obs. — Doveri, governo e privilegi degli ascritti alla Pia Adunanza di MARIA SSma Immacolata, eretta in Aracoeli, riordinati per il P. Angelo di Subiaco, Min. Oss., Presidente della medesima. Roma, Tipografia Vaticana, 1888. — (Pret. 0,15 c., Lib. 10 pro centum exemplaribus).

ANONYMUS CAP. — Acte héroïque de Charité, ou Vœu héroïque de Charité en faveur des âmes du Purgatoire, ses avantages, explications par un Père des FF. Mineurs Capucins de la Province de Lyon. — Lyon, Delhomme et Briguet, 3, Av. de l'Archevêché; Ed. Ruban, 6, Place Bellecour. 1888. Pages 16.

BASILIUS A GRECIO, Min. Obs. — Panegirico dei Sette Santi Fondatori dei Servi di MARIA, recitato dal P. Basilio da Greccio, dei Minori di S. Francesco d'Assisi, nella Basilica della SS. Annunziata di Firenze, nel giorno 1 di Giugno 1888. Prato, Tipografia Giachetti Figlio e C. 1888, (pag. 20).

EMMANUEL ANTUÑANO, Min. Obs. — La Regla de los Frailes Menores, expuesta prácticamente, por el R. P. Fr. Gabriel-Angel de Vicenza, seguida de los exámenes del mismo autor sobre las obligaciones de los religiosos,

traducida de la tercera edición italiana por el M. R. P. Fr. Manuel Antúñano, y editado por el Colegio de Santiago (Galicia). Volumen de más de 500 páginas en 4. prolongado, y se vende 3 pesetas 50 céntimos, franco de porte.

Franciscus Saens de Urturi, Min. Obs. — Reseña-Histórico-Biográfica de los venerables Mártires de Damasco, Fr. Manuel Ruiz y Compañeros, hijos de la Religión Seráfica, por el Rmo P. Fr. Francisco Saens de Urturi, Vice-Comisario General Apóstolico de la Orden Franciscana en España. — 1888, 352 páginas en 8. menor. Se vende en el Colegio de Misioneros Franciscanos de Santiago (Galicia), (1 peseta y 25 céntimos).

Jacobus a Castromadama, Min. Obs. — In morte di Suor Chiara Harmel, Monaca Clarissa, a conforto del genitore e degli amici, dettava il P. Giacomo da Castelmadama M. O., Custode di T. S. (Poesia). Gerusalemme, 1888.

Josephus Coll, Min. Obs. — 1. El Protestantismo refutado por la Biblia, por el P. Fr. José Coll de los Menores Observantes de San Francisco. La obra consta de 416 páginas en 8. mayor, (2 pesetas en rústica).

2. El Purgatorio y la devoción á las Benditas Almas, por. el mismo autor. Segunda edición. Volumen de 446 páginas en 8. prolongado (1,50 pesetas).

3. El Via Crucis seguido de las Cinco Llgas y las Siete Palabras, por el propio autor. Se han hecho dos tiradas, á 15 y 20 céntimos.

4. Associacion del Via Crucis perpetuo, 5 céntimos.

5. Recopilacion de las indulgencias de las tres Ordenes de nuestro P. S. Francisco, 1 tomo: 75 céntimos.

6. Un desengaño a los vivos y un obsequio a los difuntos, 50 céntimos.

7. Las misas de S. Gregorio (3. edicion), 25 céntimos.

8. La indulgencia de Porciuncula (6. edicion), 10 céntimos.

Marcellinus a Civetia, Min. Obs. — Saggio di pensieri per la Predicazione Quaresimale, serie due del Padre Marcellino da Civezza, Min. Oss. Quaracchi, presso Firenze, Tipografia del Collegio di S. Bonaventura, 1889. In 8°, Pag. 436. L. 3,50.

Prosper a Martiniaco, Min. Cap. — La Scolastique et les traditions franciscaines, par le T. R. P. Prosper de Martigné, définiteur et ex-lecteur de Philosophie, des FF. Mineurs Capucins. Paris. P. Lethielleux, 10 rue Casette, 1888. In 8°. pag. 544.

Praeclarum opus, a Ministro Generali Minorum Capuccinorum jam approbatum, Rmus quoque noster Generalis Minister libentissime laudavit commendavitque.

Remigius Buselli, Min. Obs. — Illustrazione del Santuario d' Emmaus nel sito già dimostrato e difeso secondo il Vangelo distante 60 stadi da Gerusalemme, scritta dal M. R. P. Remigio Buselli, M. O., Lettor Teologo Giubilato, già Mission. Apost. e Segretario di Terra Santa e per la medesima Commissario in Livorno (Toscana). — Livorno, Tipografia di Francesco Vigo, 1888. In 8°. pag. XVI-295.

Remigius Buselli, Min Obs. — Illustrazione del Santuario d' Emmaus, sessanta stadi distante da Gerusalemme, opera del M. R. P. Remigio Buselli. Prima Prefazione separata dal volume. Livorno Tipografia di Francesco Vigo, 1888. In 8°. pag. LXIV.

L' Oriente Serafico periodico del Terz' Ordine Francescano, istruttivo morale, ascetico, letterario ricreativo. Direzione e Amministrazione in S. Maria degli Angioli, Assisi. Prezzo d' abbonamento, per l'Italia (franco di porto) anno L. 3, per l' estero L. 4,50.

Novum hoc periodicum franciscanum a Summo Pontifice et a Ministro Generali jam benedictum, Ordinis nostri Tertiariis, italicam praesertim linguam callentibus, ex corde commendamus.

Collectanea Constitutionum, Decretorum, Indultorum ac Instructionum Sanctae Sedis ad usum operariorum Apostolicorum Societatis Missionum ad exteros selecta et Ordine digesta cura Moderatorum seminarii Parisiensis ejusdem societatis. Parisiis, typis Georges Chamerot, Via des Saints Péres, 19. 1880. In 8. pag. XVI-760.

Missionariis pariter Ordinis nostri praesertim Vicariis apostolicis perutilem judicamus praedictam collectionem, ideoque libenter eamdem commendamus.

VI.

NECROLOGIA

In fasciculo mensis Februarii anni curr. *Analecta Ord. Min. Capp.* legimus Litteras Encyclicas Rmi Patris Generalis Capuccinorum d. d. 20 Januarii, quibus annuntiatur mors Rmi P. Aegidii a Cortona ex-Ministri Generalis, quae accidit die 13 Januarii in Conventu Senarum in Thuscia. — Animam defuncti in Sancto P. Francisco confratris, de Ordine nostro benemerentis, eique addictissimi, nostrorum suffragiis enixe commendamus.

R. I. P.

Adm. Rev. P. Franciscus Rossi, Almae Reformatae Provinciae Romanae Alumnus, ex hac vita migravit die 9 Julii anni nuper elapsi, Praeneste in Conventu S. Francisci.

Natus est Montalti in Liguria die 8 Maji 1814, et ad Religionem vocatus, habitum seraphicum induit die 5 Decembris 1832 in coenobio Natiani, ubi et solemnia vota nuncupavit. Studiorum curriculo laudabiliter emenso, Chinenses Missiones adire exoptabat; sed, Domino aliter disponente, Missionibus Serviae destinatus, hanc regionem petiit anno 1840. Quo perventus, Parochus civitatis Jacovae eligitur, unde post annum ad aliam Paroeciam civitatis Priserendi, Archiepiscopi Scopiæ residentia, transfertur ab Archiepiscopo Dyrachii, qui tunc Apostolici Visitatoris munere, in exorta lite Scopiæ Archiepiscopum inter et Vicarium Apostolicum, fungebatur. Ab eodem Excmo Visitatore-Archiepiscopo in exilium pulso et Vicario Apostolico ab officio destituto, P. Franciscus in Archiepiscopali residentia collocatur qua Parochus civitatis et qua Superior Archidioecesis Scopiæ, usque dum Lissi Episcopus Administrator electus hujus Dioecesis, ab ipso, cognita ejus prudentia, Vicarius Generalis ejusdem Archidioecesis renuntiatur, cum omnibus facultatibus ad eam regendam opportunis. Dum iis officiis sedulo incumberet, S. Congregatio de Propaganda Fide eum Praefectum Apostolicum instituit Missionum Serviae, quod munus etiam cum laude exercuit, et duo hospitia ac templum a fundamentis erexit. Anno 1853 in Italiam reversus, in Collegio S. Petri in Monteaureo de Urbe, a Supremo Ordinis Moderatore et Emo memoratae S. Congregationis Praefecto, Lector instituitur Epiroticae Linguae, quam, magno cum profectu juvenum, qui ad Albaniae Missiones destinabantur, per 26 annos edocuit. Suam autem hujus linguae peritiam tunc maxime ostendit cum *Grammaticam* Epirotico-Italicam et *Vocabularia* Italo-Epiroticum et Epirotico-Italicum ex obedientia composuit typisque mandavit; quibus magnae molis operibus, quae plurimi semper fecit praedicta S. Congregatio, variis annis insudavit. A Viro Principe rogatus, *Evangelium* S. Matthaei, et ex commissione S. Palatii Apostolici Magistri librum *De Imitatione* Christi in ipsum idioma traduxit. Anno 1879 a S. Petro in Monteaureo ad proximum Conventum S. Francisci ad Ripas vocatus, officia Guardiani, Definitoris nec non Custodis Provinciae cum laude obivit. Pluries oblatum sibi Episcopatus in Albania officium constantissime recusavit. Regularis disciplinae observantissimus et orationi apprime intentus, virtutum exempla omnibus praebuit. Demum, gravi et diutino morbo correptus et ad sanitatem facilius recuperandam Praenestem translatus, ibi, uti dictum est, religiose spiritum exhalavit, aetatis suae anno 75, professionis vero 55.

R. I. P.

Taurinensis Observantium Provincia Sancti Thomae Ap., V Kal. Septembris anni praeteriti, irreparabilem passa est jacturam in morte perillustris filii P. Honorati Corrado, Lectoris Jubilati et Concionatoris Generalis, qui eam iterum administraverat, historica Synopsi (1) claram fecerat, semperque consilio, doctrina et exemplo juverat. Sancti Martini ad Padum honesto loco natus, in proxima episcopali urbe Casale latinis litteris ediscendis incubuit, donec vocante Numine, franciscalem habitum induit et regulam professus est. Mox philosophicis et theologicis disciplinis naviter imbutus, tum

(1) Almae Taurinensis Ord. Minor. de Observantia Provinciae divi Thomae Apostoli Historica et Chronologica Synopsis. Taurini, 1856.

presbyter factus, illico e subsellio ad cathedram ascendit easdemque disciplinas docuit magno cum tyronum emolumento, eos sibi doctrina et lenitate devinciens. Magistrale curriculum ex nostri Sodalitii praescripto emensus, totus fuit in exponendis e suggesto christianae sapientiae scitis et legibus, quod ei tam feliciter cessit, et tanto cum auditorum foenore, ut certatim Italiae civitates principes eum audire contenderent, auditum suspicerent, extollerent. Missis variis muniis, quae in claustro obivit, inter quae Visitatoris Generalis in Sardinia, id unum ad singularem ejus laudem sufficiat, persecutionem coenobiorum, quae nostra tulit infelix aetas, ne hilum quidem virtuti et gloriae offecisse, sed providam, ut ita dicam fecisse manum, quae de sub modio hanc lucernam eduxit et super candelabrum posuit, ut plenius splendesceret. Notus enim ut is erat in aula, et Sabaudis Principibus carus, a Rege Humberto Officialis Mauritianus ultro creatus est, postquam a patre Victorio Emmanuele II curio fuerat adlectus ditissimae Paroeciae Centalli, quae regiae est collationis et cui adnectitur dignitas praepositi Vicaria potestate forensis. Est autem Centallum insigne oppidum uberrimi soli inter Subalpinos sub Fossanensi Episcopo. Sic elatus noster, ab usitato instituto nil recessit, sed moderantia et pietate, comitate et mansuetudine redivivam Francisci Patris simplicitatem jugiter exhibuit. Studiosus ut erat, vehementer curialium salutis procurandae et divinae gloriae amplificandae, nunquam remisse pastorale munus gessit, sed Deo semper defixus, docto sermone efficax, exemplo efficacior idiotas et excultos pariter erudivit. Pueros et pauperes amplexatus, dum fortunatorum domos non despexit, egentium casas quaesivit, et nullius infortunium a se alienum putavit; sicque pietate, liberalitate et clementia Deum sibi demeruit et homines. Fessus identidem laborum, et morbo pluries tentatus, in consuetudine sororis piissimae curarum lenimentum et valetudinis solamen invenit. Amplorum curiae redditnum, minori sibi parte adsignata, reliquam in sinu pauperum et in templi gazophylacio fudit. — Episcopo suo, qui ejus consilio et opera saepe utebatur, praesertim in condendis Synodalibus legibus, fuit apprime dilectus; eum Praesul humanissimus ultimo aegrotantem invisit, demortuo parentavit. Finis ejus placidus ut sanctam ducebat vitam, quasi publica calamitas insolabiliter Centalli defleta est; ibi nunc nobile ei paratur sepulchrum cum urna marmorea, quae patris desideratissimi effigies filiis perennet.

Vixit ann. 86, quorum 55 post initam Franciscalem vitam; curia per annos 20 rectissime gesta.

R. I. P.

Adm. R. P. Eugenius a Martina die 26 Maji 1819 hujus vitae luci prodiens, sortitus est animam bonam. S. Francisci ejusque Instituti captus amore, sextodecimo aetatis suae anno in Reformata S. Josephi provincia Lyciensi Seraphicum habitum induit, et singularis vocationis indicia monstravit. Pietati studiisque diligenter incubuit; Deo ejusque Virgini Matri votis solenniter emissis arctius inhaerens, sacerdotio insignitus, per triennium in Neritonensi Episcopali Seminario honorifice docuit.

Neapolim, Superiorum jussu, profectus in Jure Canonico, Historia Ecclesiastica, necnon idiomatibus Graeco et Hebraico adipiscendis totus fuit; et eadem in civitate, indicto concursu in Conventu S. Petri ad Aram plenam, inter alios, Magistrorum approbationem meruit et Lectorum Generalium numero aggregatus est.

Lycium reversus cum plausu et discipulorum peculiari profectu cathedras Philosophiae ac Theologiae duodecim annis tenuit ac Emeritus in legendo salutatus fuit. Vir Dei scientia cum humilitate omnigenaque virtute cumulatus, mirandum non est, quod, cum pacificos Claustri habitatores saeva suppressio dispersisset, ille lugens ac dolens super Fratrum suorum ruinam, domum a benefactoribus oblatam secesserit, ibique sibi aliisque vixerit.

Zelator ac propagator III Ordinis, saluti proximorum addictus, verbo et opere ad mortem usque sedulo adlaboravit, ut animas Christo lucrifaceret.

Sub die 10 Januarii 1884 per Decretum Rmi P. Glis Provinciae suae Minister nominatus, grave munus ex obedientia per sexennium obivit. — Quanta passus et operatus sit, ut ad vitam revocaret Lyciensem Provinciam, solus Deus scit, ut qua remunerator, mercedem animae ejus tribuat.

Vigilia Nativitatis Virginis beatae humili ac sincera cordis confessione, perinde ac si novissime hoc egisset, persoluta; die Nativitatis in peragendo Missae sacrificio, ut Moniales S. Marcellini testantur, cum lacrymis Matre dilectionis rogata, ut sibi properaret ostendere suam pulcherrimam faciem in caelis; sero alterius diei, idest 8 Septembris 1888, circa horam nonam, Fratribus suis his verbis vale dixit: « *Eamus ad dormiendum somnum pacis* ».

Mane inventus est in lectulo, compositis manibus, oculis clausis vultuque sereno, veluti dormiens. Reapse somno justorum in osculo DOMINI dormiebat. — Quiesce, anima felix, in abundantia pacis, et ad DEUM commenda tuos.

R. I. P.

A. R. P. XAVERIUS KAUFMANN, Provinciae Saxoniae S. Crucis, ex-Minister, natus est in Dioecesi Paderbonensi die 7 Octobris an. 1825. Postquam Friderici Gulielmi IV Regis justitia et clementia, Provincia anno 1843 libertatem recepit, celebratione Capituli Provincialis secundum Ordinis Statuta et Novitiorum receptione concessa, inter eos fuit, quos neoelectus A. R. P. Florianus Bierdrager, Minister Provincialis imm. mem. post longum temporis intervallum primos in Conventu Warendorpiensi, die 3 Octobris 1844 sacro religionis habitu induit. Die 30 Novembris 1847, sacerdotio initiatus aliquamdiu in progymnasio Rietbergensi Professoris munus exercuit. Anno 1852 a Ministro Provinciali Romam missus auctor fuit, ut Adm. Rev. et Venerabilis P. Capistranus Soyer, Provinciae S. Leopoldi Tyrolensis filius, Visitator Provincialis mitteretur Provinciaeque pacem redderet. In Capitulo Provinciali die 9 Sept. ejusdem anni Minister Provincialis electus, Provinciae constituendae et amplificandae omni conatu studuit. Rerum agendarum dexteritate pollens etiam absoluto Ministeriatus triennio semper in diversis Conventibus Superioris officium suscipere debuit, donec anno 1874 in Ecclesia S. Apollinaris sacro ministerio vacans apoplexia tactus fuit. In diuturna 14 annorum infirmitate divinae voluntati semper se conformans omnibus invictae patientiae exemplum praebuit. A divini sacrificii celebratione impeditus quotidie sacra communione se reficiendum curavit. Die 26 Sept. 1888, post devotam SS. Sacramenti visitationem ad cellam reversus, apoplexia iterum tactus, S. extremae unctionis sacramento munitus, circa horam tertiam pomerid. placide in DOMINO obiit. Exequiae ejus multa populi frequentia celebratae, fuerunt. Vir erat praeclaris animi dotibus ornatus, praedicando et sacramentales confessiones audiendo operarius in vinea DOMINI indefessus, benignitate, charitate, comitate omnes sibi devinciens et B. M. V. sine labe conceptae cultor devotissimus.

R. I. P.

Minoritica Recollectorum Belgii familia duos filios, una die eodemque saevissimo casu sibi ereptos, luget: V. A. P. BERTINUM HERMANS, S. T. Lectorem Jubilatum ac Provinciae Definitorem, et Fratrem RAYMUNDUM CLAES, Laicum, R. A. P. Commissarii Terrae Sanctae, apud Belgas, familiarem.

Post nuperrima S. P. Francisci solemnia, patria profecti Palaestinamque petentes, loca sacra veneraturi et consuetas pro Terra-Sancta oblationes Hierosolymam delaturi, die 20 superioris mensis Octobris, ambo interierunt in horrenda ad viam ferream catastrophe, Neapolim inter et Tarentum, haud procul a locis, quae *Grassano* et *Metaponte* vulgo nominantur.

Quorum animas piis sodalium suffragiis dum commendatas optamus, eorumdem brevem notitiam duximus non abs re fore subjungendam.

V. A. P. Bertinus primam lucem aspexit Haseleti, vixque sexdecennis post absoluta humaniorum studia Ordinem S. Francisci in patria est ingressus.

Dilecti Confratris vitae curriculum breviter declaravero, si eum dixerim offensae locum dedisse nemini, quodque ab obedientiae et pietatis officiis supererat tempus studio, scriptioni et praedicationi tribuisse.

Philosophicas primum dein theologicas disciplinas tradidit per annos 20, clara succinctaque methodo, quam probarent universi.

Plures subinde libros vulgavit ad catholicam doctrinam pietatemque fovendam; tractatus videlicet: de *Angelis*, de *purgatorio*, de *resurrectione* mortuorum, de *Passione Domini*, de *Puero Jesu*, de *gratia sanctificante*, de *com-*

munione sanctorum; bina quoque commentaria in *Regulam Tertii-Ordinis* S. P. Francisci. Periodico scripto: « *Le Messager de S. François* », inde a coepta publicatione collaboravit.

Kalendarium insuper, ad usum Provinciae, jam a multis annis exarandum suscepit. Neque hisce contentus, breves instructiones catechisticas, sex imo septies singulis diebus dominicis ad populum faciendas, sibi in munus assumpsit. Tempus tandem, quo a praelectionibus vacare licet, fere totum insumpsit in tradendis spiritualibus exercitiis, tum apud moniales, variis in locis, tum etiam clericis in Archiepiscopali Seminario Mechliniensi.

Vir utique studii tenax, a labore invictus adeo, ut mirum videretur in tenello corpusculo tantum inesse vigorem.

Quum autem nactus esset desideratissimam, quam supra diximus, occasionem Loca Sancta invisendi, omni qua par est devotionis et pietatis sensu ad peregrinationem sese disposuit. Socium accepit supra memoratum Fratrem Raymundum, e Flandria oriundum, optimae indolis ac sincerae pietatis virum, Fratribus omnibus acceptissimum itinerisque et locorum jam bis expertem.

Quum autem arreptum iter cupidissimo animo prosequerentur — ne absolverent, repentino letiferoque ictu obstitit DEUS . . . . . . Fuerit ipsis, confidimus et enixe deprecamur, ad caelestem Jerusalem transmigratio, quae ad terrestrem erat suscepta peregrinatio.

Obiere uterque, aetate florente, cum prior vitae annos 45, Professionis 28, Sacerdotii 22, alter vero annos a nativitate 36, ab emissis votis 12, vix explevissent.

R. I. P.

In Collegio S. Laurentii, ex Republica Argentina Americae Meridionalis, die 16. Novembris 1888 phtysi pulmonali consumptus pie obiit P. BERNARDINUS PEREZ, missionarius, 28° annorum optimae spei juvenis.

R. I. P.

P. BONAVENTURA ROBOTTI, SOLER-ALEXANDRINUS, ex-Custos Terrae Sanctae. Inter illustres Patres quos, anno decurrente 1888, funere flevit amaro Seraphica Reg. Observantiae Provincia, postremus obitu non merito, fuit Adm. Reverendus P. *Bonaventura a Solerio*, sacrae theologiae lector jubilatus, emeritusque sacrae Palaestinae Custos. In lucem Solerii editus penes Statiellos die 4 Decembris 1805. Josepho Robotti patre, matre Francisca Maria Bajo, cum nutricis lacte pietatem suxisse multifariam patefecit.

Meliora in dies aemulans charismata, DEO ad claustra vocanti responsurus, annos natus novendecim, dicto vale parentibus, amicis, patriae, Umbriam versus arripuit iter, nomen Ordini Seraphico daturus inter Franciscales Observantes protoconventus S. MARIAE Angelorum prope Assisium. Voti compos factus fuit in sacello Portiunculae die 13 Decembris 1824, atque assumpto *Fratris Bonaventurae* nomine, asceticae vitae tyrocinium posuit. Probationis anno laudabiliter emenso, Fulgineum prius, Tifernum adivit posthac, illic philosophiae, heic theologiae vacaturus; atque utrobique tanta solertie, tantoque jubilo in studium incubuit, ut in utraque facultate naviter disputare quiverit. Tantam peritiam demirantes Provinciae Moderatores, nedum doctorali laurea praehabito concursu decorarunt, sed studiosae juventuti Perusini Collegii Montis Ripidi praefecerunt, laetabundis cunctis, quibus cordi erat verus solidusque profectus.

Triennali magisterio philosophiae elapso, Anconam contendit 1834, quo convenerant totius pene Italiae Alumni peritiores publicum daturi experimentum, ibique inter theologiae Lectores generales adscriptus, Brentiam se contulit, comite R. P. Pio Nizzo conterraneo suo suavissimo, quo cum ab infantia ad obitum intimam iniverat animorum consensionem, ibique fuit peramanter exceptus uterque, pietatem admirantibus cunctis. Dolens autem non omnia illic benevertere quoad vivendi rationem, cathedrae concors nuntium remisit, conscientiam honoribus anteponens, et coenobii Bictoniensis praefecturam suscepit anno 1837. Brevi tamen restituto theologiae studio in coenobio Spoletano, illuc laetus adivit, atque magisterium octennio tenuit, lectore Pio Socio eoque successu, ut nonnulli ex Alumnis suis cathedras docturi ascendere potuerint.

In jubilatorum coetum adscriptus, non minori studio egit erga Consodales suos: sive enim praeesset coenobio Tifernati, in quo co-

piosa alebatur juventa, sive coenobiarchae officio Perusiae ad D. Hieronymi fungeretur, vel Montis Falchi, in quibus studium vigebant recollectionis et sacri recessus leges, nil magis habuit in mente, nil fixius in corde, quam intimo foedere pietatem scientiae sociare.

Haec animo revolventi nova accessere munia, gravioresque curae. In percelebri Capitulo generali anni 1856, ad supremum Ordinis fastigium elato Rmo P. Bernardino Trionfetti, Guardiano s. montis Sion et Terrae Sanctae Custode, eligendus erat successor; atque plures per ora ferebantur tanto gradu afficiendi. Cum econtra de subjecto determinando fuit actum, pleno suffragio suffectus est P. Bonaventura, ne vel minimum id excogitans. Perlato nuncio, doluit, flevit, oravitque ut a tanto eximeretur pondere: intuens autem, se actum agere, cervicem inflexit, obtemperavit, discessit. Asiam versus remeavit, brevi facta mora ad Cyprios et Alexandrinos; quod accidit ineunte Novembri 1857.

Cum illuc appulit, sibi insudandum esse novit. Vix proinde assumpto Terrae Sanctae et coenobii praefectura, loca redemptionis nostrae devotus invisit, et quae muneris sui erant exequi haud distulit. Licet gravibus distentus curis indefessus psalmodiae adfuit et exercitiis communibus, nec quidquam omisit ut, quod promebat ore, firmaret exemplo. Invisit singula Palaestinae et Aegypti coenobia et hospitia, abusus eliminans, observantiam restituens, et sacrorum locorum decori multifariam prospiciens, pro aris et focis propugnans, ne ad extraneorum manus devolverentur eleemosynae ad sanctuariorum decus elargitae et in subsidium sodalium suorum exclusive collectae.

Haec strenue simul et leniter dum agit, Drusii et Musulmani, inito foedere omnem impendunt operam, ut Christicolas penitus extirpent, coenobium Damascenum aggrediuntur atque variis caesis fidelibus, ignem admovent conventui et ecclesiae, sacerdotes octo ob assertam fidem trucidant. Cui dolori fuit ejus cordi triste nuncium! In eo fisus qui mortificat et vivificat, notitias collegit, functis prospexit, coenobium et templum restitui curavit, novis illuc missis operariis, reque Apocrysariis catholicis commendata, qui Terrae Sanctae patrocinium susceperant.

Romam proinde redux anno 1862 in Comitiis Aracaelitanis suffragaturus, in quibus sibi primitus et successoribus, decreta fuerant *titulus et jura ex Definitorum Ordinis,* nil curae omisit ut successor sibi quantocius daretur, fasque ipsi esset Italiam stabiliter repetere. Promulgata econtra Ordinum Regularium expulsione exque claustris Italiae exulare coactis Coenobitis cunctis, iterum remeavit ad Sanctam civitatem, ubi eo absente secretarius Praesidis obibat munia.

Expleto gubernii sexennio exeunte anno 1863 in Aegyptum se contulit, atque in coenobio S. Catharinae capta mora, ad mortem usque commoratus fuit, humilis, concors, benevolus in omnes, in animarum salutem curanda impiger. Hanc agendi rationem ad sex pene lustra tenuit, vitam insumens inter orandum, legendum et fidelium confessiones excipiendas, eo magis in hospites benevolus, quo magis solitudinis avidus. Sacra ministeria ob memoriae defectum omittere compulsus, singula quaque die pane eucharistico pasci curavit. Senecta tandem et poenitentia attritus pie decessit decurrente die 20 Novembris 1888, annos natus 83, menses 11, dies 14.

R. I. P.

Adm. R. P. Faustinus ab Appignano ejus filius, anno aetatis suae 57, et ab ingressu religionis 42 e vita migrabat.

Sexdecim annorum viridi aetate, juvenis ingenio et morum candore commendabilis, *exultans sicut gigas ad currendam viam* Seraphicum Ordinem ingreditur. Emissa solemni professione, Religiosae acquirendae perfectioni ita incubuit, ut studio rerum humanarum cum pietate simul conjungeret. Studiorum curriculo laudabiliter expleto, Panem Angelorum, per Sacerdotium, conficiendi potestate donatus prius Philosophiae, Theologiae postea Magister fuit renuntiatus. In Pisaurensi Seminario, qua Dogmaticae professor, per circiter 25 annos summa cum laude docuit. Deiparam V., P. Franciscum, adeo ex corde, quandiu vixit, coluit, ut eorum ope in teterrimis etiam suppressionis temporibus spiritum orationis et devotionis sedulo conservaverit.

Quare uti vir bonitate et consilio laudabilis cognitus et pro merito ductus, e vita

deficiente Adm. R. P. Daniele ab Aesio, in Vicarium Provincialem, postea vero in Ministrum suae Provinciae electus est.

Apud cives et Episcopum Pisauri fuit in dilectione et singulari aestimatione; quapropter ad ejus obitum omnes permoti fuere.

In osculo DOMINI, sacramentis munitus, supremam clausit horam morte justorum. Oremus, ut in pace fiat locus eius.

R. I. P.

Admodum R. P. BERNARDINUS A NUCERIA, qui spatio quinquaginta septem annorum ibi commoratus fuerat, ab omnibus dilectus et ab omnibus defletus, die 17 mensis Decembris, sanctis Ecclesiae Sacramentis recreatus, placide in osculo DOMINI e vita decessit. Is, quamvis statura pusillus, magnus tamen virtutibus, praesertim sancta simplicitate enituit. Seraphicum institutum ingressus, habitum in Conventu Sancti Francisci Cavae, die 12 mensis Novembris 1824, accepit. Superioribus carus ob suam simplicitatem et humilitatem, die 24 Novembris 1828, ad Sacerdotium provectus fuit. Quo autem animi ardore Sacrum quotidie DEO offerret, nemo est qui apud nos ignoret.

Quia forti harmoniosaque voce dotatus, quando laudes DEO cantu persolvendae erant, mirum in modum animos fidelium in Ecclesia adstantium ad devotionem excitabat.

Per quadraginta quatuor annos sanctum Poenitentiae sacramentum summa prudentia et charitate administrans, fere omnium Religiosorum inibi commorantium et innumerabilium fidelium, quorum non unam generationem vidit, conscientias direxit, maxima omnium consolatione et profectu. Officio quoque Magistri Clericorum, Vicarii, Guardiani et Definitoris laudabiliter functus est. Seraphicum Ordinem singulari studio prosecutus est, ejusque privilegia strenue defendit.

Maximam autem curam habuit in templo condecorando, quod vasis argenteis et sacris indumentis ditavit abunde. Temporum calamitatem et ipse expertus, patria exulare coactus, malevolorum vigilantiam elusit et in domo cujusdam pii benefactoris delituit, e qua, ut ipse dicebat, cellam suam prospicere posset. Sed a concivibus, qui eum amabant et diligebant, detectus, in Conventum sub eorum tutela, summa animi sui laetitia reductus fuit. Pertimescens autem, ne praedictus conventus sortem aliorum incurreret, vigiles oculos tenuit, ut videret an publice venderetur. Et re vera, arrepta occasione venditionis horti ejusdem Conventus, magno pretio redemit.

Fuit praedictus Pater, vir religiosus omni exceptione dignus, devotus, affabilis, comis, uno verbo dilectus DEO et hominibus. A tribus annis et amplius sacrum quotidie non faciebat, quia paralisi correptus, sacram hostiam et calicem manibus contrectare haud valebat. In festo autem Immaculatae Conceptionis Beatissimae Virginis MARIAE, celebrata missa pro ultima vice, in tribunali Poenitentiae sedit. Omnibus poenitentibus, magno animi candore et simplicitate dicebat; « Orate pro me, filii, « quia haec est ultima festivitas, cui adsisto, « et ultima absolutio, quam vobis impertior. « Estote DEO fideles, qui est merces magna « nimis. Jam prope est hora mea, in qua ra- « tionem reddere debeo Creatori meo ».

Sequenti die e cella non exivit. Fratres, qui eum in choro non viderunt, cellam accesserunt inveneruntque super cubile distentum Rosarium Beatae Virginis MARIAE recitantem, et ex illa hora eum non amplius deseruerunt. Interrogatus an vellet sanctis Ecclesiae Sacramentis refici, responso accepto affirmativo, omnia fuerunt ei administrata summa animi sui consolatione.

Fama civitatem pervolavit, et omnes cives cujuscumque gradus et conditionis ad Conventum continuo cucurrerunt, ut certiores fierent de statu venerandi senis. Qui tandem, Crucifixi imaginem manibus adstringens, die 17 Decembris, hora prima cum dimidio post meridiem, Fratribus adstantibus precesque recitantibus, placidisssime in osculo DOMINI obiit.

R. I. P.

Nihil obstat

FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

E S. CONG. INDICIS

DECRETUM

Feria IV, die 14 Decembris 1888.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 14 Decembris 1888, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

Trattato di diritto internazionale di Augusto Pierantoni, professore ordinario della R. Università di Roma. Vol. 1.

Prolegomeni. Storia dell' antichità al 1400. Roma, Forzani e C., tip. del Senato, 1881.

Juan Montalvo. El Espectador. Tomo tercero 15 de Marzo de 1888. Paris, libreria Franco-Hispano-Americana. J. Y. Ferrer, 1888.

La question sociale — Et les partis politiques — Solutions scientifiques — Collectivisme et Progressisme, par Er. Horion, docteur es sciences, mèdecine, chirurgie etc., docteur spécial en sciences chirurgicales *(Decr. S. Off. fer. IV, die 19 Septembris 1888).*

L'Abbé Roca, chanoine honoraire, ancien élève de l'Ecole des hautes études des Carmes. — Le Christ, le Pape et la Démocratie. Paris, Garnier, Frères éditeurs, 1884 *(Decr. S. Off. Fer. IV, die 19 Septembris 1888).*

La crise fatale et le salut de l'Europe. Etude critique sur les missions de St. Yves. Paris, etc. 1885 *(Eod. Decr.).*

La fin de l'ancien monde, les nouveaux cieux et la nouvelle terre. Paris, Jules Lévy, libraire éditeur, 1886 *(Eod. Decr.).*

Itaque nemo cujuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae, die 17 Decembris 1888.

PLACIDUS MARIA Card. SCHIAFFINO, *Praef.*
Fr. HIERONYMUS PIUS SACCHERI, *Ord. Praed.*
S. Ind. Congr. a Secretis.

Loco † Sigilli.

Die 20 Decembris 1888, ego infrascriptus Mag. Cursorum, testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

VINCENTIUS BENAGLIA, *Mag. Curs.*

—

EX S. RITUUM CONGREGATIONE.

DE FESTO SS. SEPTEM FUNDATORUM ORDINIS SERVORUM.

Ordinis Minorum S. Francisci.

Quum ab Apostolica Sede festum Sanctorum Septem Fundatorum Ordinis Servorum Beatae MARIAE Virginis sub ritu duplici minori, die XI Februarii recolendum, ad universam Ecclesiam nuper extensum sit; quumque in Kalendario perpetuo Ordinis Minorum Sancti Francisci ea dies festo ritus duplicis Majoris praepediatur; hinc Rmus Pater Fr. Bernardinus a Portu Romatino, Minister Generalis Ordinis ipsius, nomine quoque sui Definitorii Generalis, Sanctissimum Dominum Nostrum LEONEM Papam XIII enixis precibus rogavit, ut praefatum festum Sanctorum Septem Fundatorum diei XIII Februarii affigi valeat; ad ritum Simplicis redacto Officio Beatae Viridianae Virginis e Tertio Ordine Sancti Francisci, quod eadem die sub ritu duplici minori recolitur: pro ipsius Beatae commemoratione adhibendo nonam Lectionem ex tribus ad unam redactam, quam supremae Apostolicae Sedis approbationi humillime subjecit. Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, benigne in omnibus annuens juxta preces, suprascriptam nonam Lectionem, a R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore revisam atque emendatam, uti huic praejacet Decreto, pro universo Minorum Ordine approbavit et concessit; servatis de cetero Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 8 Februarii 1889.

A. Card. BIANCHI, *S. R. C. Praef.*

L. S.

JOANNES PONZI, *S. R. C. Substit.*

—

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO

MINISTER GENERALIS TOTIUS ORDINIS MINORUM.

DECRETUM

Omnibus Fratribus et Sororibus Nostrae jurisdictioni subjectis, in virtute S. Obedientiae praecipimus, ut Officium SS. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V., necnon nonam lectionem in compendium redactam Beatae Viridianae, prout habetur in Decreto S. R. Congregationis superius relato, ritu ac die ibidem adsignatis, quotannis in posterum celebrare debeant; servatis Rubricis et aliis de jure servandis. Atque ita Directoribus Kalendarii Ordinis Nostri mandamus.

Datum Romae, ex Nostro Collegio S. Antonii, die 18 Februarii 1889.

Fr. BERNARDINUS, *Min. Gen.*

De mandato Pat. Suae Rmae
Fr. PETRUS A MONSANO,
Secretarius Generalis Ordinis.

II.

ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS

Incitamenta seraphica.

DE DISCIPLINA REGULARI RESTITUENDA

CAPUT IV.

DE MORTIFICATIONE.

§ 5. *De quibusdam aliis mortificationibus.*

75. Praeter illas mortificationes et abnegationes, quae a S. Regula nobis praescribuntur, aliae quaedam ab Ordinis Statutis ordinantur, vel ex antiqua et laudabili Ordinis consuetudine in quolibet Conventu, in quo regularis disciplina viget, sedulo observantur. De principalioribus istis observantiis piis nunc breviter agemus.

76. *Disciplina.* S. Apostolus Paulus de se ipso scribit (1) »: « Castigo corpus meum, et « in servitutem redigo, ne forte cum aliis prae« dicaverim, ipse reprobus efficiar ». Cum enim indomita caro nostra internus ac infensissimus sit hostis noster, ideo illius insidiae prae ceteris sunt timendae, ipsaque subigenda et castiganda est, ne ipsius concupiscentiae in perditionem nos abripiant. Unde merito S. Ambrosius graviter invehitur in haereticos voluptates suadentes et carnis mortificationem odientes, dicens (2): « Audio homines, qui dicunt,

(1) I. Corinth. IX, 27.
(2) Epist. ad Eccles. Vercellens.

« nullum esse abstinentiae meritum, delirare « eos, qui castigant carnem suam, ut menti « subditam faciant; quod numquam fecisset, « neque scripsisset Paulus, si deliramentum « putasset ». Et S. Gregorius castigationis utilitatem proponit, dicens (1) »: Cum carnem « restringimus ipsis ictibus non aërem, sed « immundos spiritus verberamus, et cum hoc, « quod est intra nos, subjicimus, extra positis « adversariis pugnos damus ».

77. Superata carnis petulantia, reliqui duo hostes, daemon scilicet et mundus, facile subiguntur. Et ideo discreta corporis castigatio aptissimum est instrumentum ad obtinendam virtutem et perfectionem necnon plenam de vitiis victoriam, atque recta ad salutem via.

78. Has ob causas Statuta Ordinis praescribunt, ut tribus hebdomadae diebus, quibusdam solemnioribus festis ac octavis exceptis, fiat communis disciplinae salutare exercitium.

79. Etiam nostris temporibus non desunt homines saeculares, qui ex amore virtutis ac perfectionis cilicia portant et disciplina carnem suam castigant: quanto magis in nostris conventibus exercitium disciplinae exerceri debet, quod a Statutis est praescriptum!

80. *Capitulum culparum.* Ob utilitates varias haec pia praxis apud Religiosos omnes semper fuit in usu. Per hoc exercitium propriorum fit expurgatio defectuum juxta illud (2): « Justus prior est accusator sui ». Ibi Religiosus manifestando suos defectus, abnegat semetipsum, quod est totius perfectionis summarium; Christus enim ait (3): « Si quis vult « post me venire, abneget semetipsum ».

81. Ut capitulum culparum in Conventibus nostris statis diebus servetur, in Constitutionibus Ordinis praescribitur. Et Paulus V in sua Bulla « Romanus Pontifex » § 15, Fratribus in capitulo culpam suam contrito corde dicentibus concessit Indulgentiam trium annorum totidemque quadragenarum. Haec omnia Fratres omnes certe excitare deberent, ut dum ex fragilitate labuntur, per culpae agnitionem illico resurgant.

82. Quia ob fragilitatem nostrae naturae ad malum pronae facile introducuntur abusus

(1) Lib. 30 Moral. cap. 26.
(2) Prov. XVIII, 17.
(3) Matth. X, 23.

et disciplinae religiosae relaxationes: ideo praescriptum est, ut frequenter capitula celebrentur, in quibus culpae et negligentiae quotidianae agnoscantur, et per Superiores ad Regulae et Statutorum observantiam Fratres admoneantur.

83. Modum dicendi culpam docet S. Bonaventura his verbis (1): « Postremo, ut di« sciplinato et debito modo fiat hujusmodi « confessio, debent circa eam honestatem, cau« telam et humilitatem servare: Honestatem, ut « culpae narrationem nudo capite, et non ri« dendo, non circumspiciendo, aut cum manu « aliquid faciendo, sed junctis manibus potius, « vel aliter honeste dispositis exequantur. Cau« telam in hoc praecipue habeant, ut paucis « verbis se expediant, et in culpa sua nullum « alium quam seipsos involvant: quod et cau« telam et puritatem concernit. Humilitatem « habere debent in gestu corporis et in verbis ».

84. *Silentium.* Praescribitur nobis a Statutis, ut certis temporibus et locis silentium observemus, hoc est, ut ab omni discursu et verbis ceteroquin etiam licitis et bonis abstineamus. Quam utile, immo quam necessarium, nobis sit silentium, nemo est qui non videat. De hac necessitate persuasus, S. Bonaventura scribit (2): « Certe frustra audeo dicere, quod « ille Religiosus gloriatur de possessione vir« tutis in corde, qui dissipat disciplinam si« lentii ». Et S. Apostolus Jacobus nos docet (3): « Si quis putat, se Religiosum esse, « non refraenans linguam suam, hujus vana « est Religio ».

85. Quae mala pariat fractio silentii, S. Bonaventura indicat, dicens (4): « Vis scire, « quanta mala ex lingua prodeunt, si diligen« ter non custodiatur? Audi, et dicam: ex lin« gua prodeunt blasphemiae, murmurationes, « dissensiones, perjurium, mendacium, detra« ctiones, adulatio, maledictio, convicium, con« temptio, bonorum derisio, pravum consilium, « rumor, jactantia, secreti revelatio, indiscreta « promissio, multiloquium, scurrilitas ».

86. Ob has causas, teste Dionysio Carthusiano, nulla est Religio, quae in Regulis

(1) Specul. discipl. part. I. cap. 10.
(2) De perfectione vitae ad Sorores, cap. IV.
(3) Jac. cap. I.
(4) Loc. cit.

suis silentium non praescriberet. Cura enim silentii claustralis, secundum ipsum, anima est disciplinae monasticae et vitae religiosae; sancta communitas, ubi cura haec viget, et sancti Religiosi, qui ab hac cura non recedunt.

87. Devotus Thomas a Kempis de silentii observantia pulcherrime dicit (1): « Silen« tium bene servando, obedientiam etiam ser« vas, humilitatem retines, verecundiam ador« nas, senibus reverentiam exhibes, juvenibus « exemplum praebes, levibus et dissolutis ti« morem inculcas, extraneis bonam famam, « intraneis pacem et concordiam generas ». — Idem observantiam silentii enixe commendat, scribens ad Novitios (2): « In nullo statu et « Ordine stabit pax et disciplina, si non adsit « censura silentii, quietis amica, quae est de« votionis nutrimentum, contentionis obtura« tio, vanitatis fuga. Est multum pro honore « vestro et fama Ordinis, si pro reverentia « hospitum in praesentia eorum verecundi et « taciturni appareatis: plus enim aedificatis bo« nis moribus, quam curialitate sermonis. Ex « uno indisciplinato verbo arguunt vos levita« tis et imprudentiae ».

88. Certe vix clarius collabentis disciplinae ac deformatae Religionis signum dari potest, quam silentii claustralis neglectus, praecipue temporibus ac locis praescriptis. Propterea observantia silentii non solum ab omnium Ordinum Statutis, sed etiam ab ipso jure canonico praescribitur. Ibi enim praescribitur (3): « In oratorio, refectorio et dormitorio conti« nuum semper observetur silentium: in clau« stro quoque certis horis et locis, secundum « consuetudinem laudabiliter observatam ». Quilibet idcirco Religiosus, cui disciplina sui Conventus et honor sui Ordinis cordi est, religiosum silentium adamussim observet oportet, et praesertim Superiores hanc observantiam apud sibi subditos urgere debent, si disciplinam regularem in Conventus suos introducere, vel introductam conservare velint.

89. Ordinant quoque Statuta Ordinis, ut tempore refectionis pia lectio instituatur, et quidem ob rationem, ob quam Concilium Tridentinum praescripsit Episcopis, ut in eorum mensis divinarum Scripturarum lectio admisceatur (1), quia videlicet in eo loco saepe otiosi sermones oriri solent. Hoc enim etiam in Religiosorum mensis locum habere potest. Insuper valde convenit, ut Religiosi, dum corpus pascunt, simul et animum spirituali pabulo nutriant.

90. Salutaris silentii observantia est simul valde utile mortificationis et abnegationis exercitium, quo multas gratias ac magnum praemium obtinere possumus.

(Continuabitur).

CAUSAE SANCTORUM ORDINIS NOSTRI

II.

B. Baptista Varani Camerinensis, *Monialis Professa II Ordinis canonizanda.*

Orta est die 5.ª Aprilis anno 1458 ex Julio Caesare Varani, Camertium Dynaste, et Joanne Malatesta Ariminensi illustrissimae prosapiae, cui in sacro fonte Camillae nomen fuit impositum; quae licet inter domestica oblectamenta educata, tamen pueritiam innocuis moribus, et adolescentiam praeclaris virtutibus ornatam transegit. Aetatis suae annum vigesimum tertium vix ingressa, magnis obstaculis fortiter superatis, saeculi illecebras, copiosas domus suae divitias, conspicuas etiam nuptias sibi oblatas, et pompas omnes respuens, ac religiosae vitae ardenti desiderio flagrans, parentibus et patria relictis, Urbinum ad Sanctimoniales S. Clarae se contulit; ibique regularem induens habitum, Baptistae nomine sibi imposito, Seraphici Instituti solemnia vota summo cum gaudio emisit. Non multo post in patria expetita, et ab ejus Patre avita, ut ibidem suis sumptibus novum ejusdem Ordinis asceterium fundaret, cum nonnullis aliis Virginibus sociis Camerinum ex obedientia remeavit. Novo igitur ibi monasterio constructo, et postea alio pariter in civitate Firmana ab ipsa erecto, ceteris Sanctimonialibus virtutum omnium, praesertim vero ardentissimi amoris erga Christi passionem et Beatae Virginis dolores exemplar fuit; atque multo ingenio pollens, multisque litteris imbuta, quae-

(1) De imitat. Chr. lib. II. cap. 4.

(2) Serm. 4. ad Novit.

(3) Cap. *Cum ad monaster., de statu Monach.*

(1) Conc. Trid. sess. II, in decreto *de modo vivendi et aliis in Concilio servandis.*

dam etiam opuscula ad pietatem summopere fovendam scripsit. Totam vitam Deo maxime acceptam, supernis etiam charismatibus saepe insignitam, tandem cum morte justorum piissime commutavit anno 1526, vel 1527, juxta alios, lue contagiosa correpta, ut historici volunt.

Tanta hujus Monialis feminae apud omnes opinio sanctitatis inerat, ut Camertes cum finitimis populis ab illius obitu Beatam conclamarent, ejusque patrocinium in suis necessitatibus apud Deum implorarent; hinc ejus imagines depictae cum capite radiis ornato, Corpus humi quidem, at seorsim praecipuo loco, in choro Sanctimonialium conditum fuit, quae defunctam Matrem suam labentibus annis obsequio prosequi numquam cessarunt. Quo magis magisque ejus honorandae desiderio succensae de illius exuviis decentius collocandis cogitarunt, ac trigesimo ab illius obitu anno Corpus exhumatum integrum adhuc, atque incorruptum repertum fuit, ac denuo, ceteris resolutis membris, lingua tantum mollis ac rubens apparuit, ut theca argentea fuerit inclusa, ac pretiosius ornata sicut in praesens etiam conspicitur. Publicum hunc et ecclesiasticum Cultum a Baptistae obitu subsequenti tempore illi exhibitum Camertini Antistites numquam impugnarunt, imo eisdem acquiescentibus absque interruptione fuit continuatum, quin Sedes ipsa Apostolica ignoraret. Nepotes siquidem Urbani Papae VIII. reliquias et sepulchrum Servae Dei veneratos esse constat, comitante illos Aemilio Alexio Camertium Episcopo, qui postea creatus fuit Summus Pontifex Clementis X. nomine. Exinde vero omnem cultus speciem obtinuit; ejus reliquiae fidelibus ab Ordinariis distributae, publicae fidelium venerationi expositae fuere; ac luminibus circumdata theca linguam asservans in ejus festo. Ac demum a Scriptoribus, sanctisque viris Philippo Nerio et Alphonso Maria de Ligorio *Beatae* titulo cohonestata fuit.

Haec omnia animo reputans Revmus P. Joseph Maria ab Alexandria, Ordinis nostri Minister Generalis, una cum Causae Postulatore, a Sacrorum Rituum Congregatione humiliter petiit, ut cultus hic publicus et ecclesiasticus Baptistae Varani semper tributus de more firmaretur. Quae in Ordinariis Comitiis apud Vaticanas aedes subscripta die coadunata, ad relationem Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Cardinalis Constantini Patrizi, Urbis Vicarii, Ponentis, omnibus rite examinatis accurateque libratis, visisque responsionibus per defensores ad animadversiones datis, nec non audito Fidei Promotore, etc. rescribendum censuit « *Constare de casu excepto a Decretis Sa. Me. Urbani Papae VIII* » die 18 Februarii 1843. Super quibus omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papae XVI fideli relatione, Sanctitas Sua, quae jam sepulchrum Beatae visitaverat, benigne annuit, rescriptum Sacrae Congregationis adprobavit, et cultum publicum et ecclesiasticum Beatae Baptistae Varani ab immemorabili exhibitum confirmavit, die 7 Aprilis dicti anni.

Cultu confirmato, Missa et Officio in ejus honorem concessis, Postulatorum cura fuit, ut haec causa ad canonizationem usque proveheretur; praesertim quum Summus Pontifex fel. rec. Pius IX anno 1857 Camerinum petens, sacras B. Baptistae exuvias veneratus fuerit, atque Indulgentias plenarias in ejus festo benigne largitus.

Igitur anno 1878 signata est commissio Introductionis Causae, et sequenti anno 1879 Remissoriales et compulsoriales Litterae concessae et expeditae sunt, ut Processus in Camerinensi Curia conficeretur super virtutibus et miraculis in specie, qui inchoatus die 16 Augusti anno 1880, fuit tandem absolutus, cura praecipue et sollicitudine Adm. R. P. Aemygdii a Falconara, Causae Vice-Postulatoris, die 5 Aprilis anno 1885; atque Romam delatus. Hic et nunc adhuc ejus adprobatio expectatur, verum quod proxima sit omnino videtur. Faxit Deus ut quamprimum tantae Virgini etiam honor Sanctorum tribuatur!

Nunc autem, ut ad B. Baptistae opuscula redeamus, praecipua et certa sunt sequentia: 1° *Felice transito del B. Pietro da Mogliano dei Minori,* qui aliquando fuit ejus Pater spiritualis; 2° *La condotta della vita spirituale,* in quo scripto candide aperit conscientiam suam B. Marco de Montegallo Minoritae, qui post dictum B. Petrum fuit ejus moderator; 3° *I dolori mentali di* Cristo, quod opusculum ex divino mandato, ut ipsa testatur, scripsit; 4° *I ricordi di* Gesù, quae nempe a suo dulcissimo Sponso accepit, et postea ipsa B. Marco retu-

lit; 5° *Le istruzioni al discepolo*, quas scilicet ipsa scripsit Ven. Patri Antonio de Hispania, Monacho S. Benedicti, qui ejus directioni se commiserat; 6° *Lettera ad un divoto in tribolazione* etc. Et quaedam alia, sed non est omnino certum, an revera sint B. Baptistae, uti ex. gr.: 1° *Considerazione sopra la passione di* GESÙ CRISTO; 2° *Novena alla Beatissima Vergine*; 3° *Dichiarazione della Regola di S. Chiara* etc. Quae supradicta opuscula, et alia minoris molis, sed non minoris meriti, italice conscripta sunt, licet passim latinis verbis atque sententiis, praesertim e sacris Scripturis depromptis, quas ipsa procul dubio prae manibus habebat, sint interpolata, ut mos erat sui temporis scriptorum. Et omnia stylo et lingua politis et elegantibus, et quod multo magis est, mira spiritus suavitate, atque supernarum cognitione redolentia; ita ut inter perillustres scriptrices rerum asceticarum habeatur et sit. Digna propterea ejusmodi scripta, ut saepe a fidelibus, praesertim vero a Religiosis utriusque sexus Ordinis nostri, attente perlegantur ad spirituale pabulum ex iis capiendum. Plures editiones B. Baptistae opusculorum habentur, quemadmodum inter alias recenset Clar. Canonicus Santoni in periodico *Miscellanea Francescana* etc. *fas. 6° pag. 161. Foligno 1887*. Adhuc autem desideratur editio completa et accurata omnium in uno volumine collectorum.

Pariter plures habentur *Vitae* B. Baptistae, inter quas copiosiores et accuratiores sunt duae, italice conscriptae, illa nempe R. P. Antonii Marini, Ordinis nostri, una cum supradictis opusculis Camerini edita anno 1882; quae acquiri etiam potest apud hanc Curiam Generalitiam, uti in catalogo divulgato recensetur. Altera vero est Ad. R. P. Vincentii a Portu S. Gregorii, pariter Ordinis nostri, Bononiae edita, similiter cum suis opusculis, anno 1874, apud Typographum et Bibliopolam Mareggiani.

—

NOVI EX ORDINE EPISCOPI.

In Consistorio diei 13 Februarii nuper elapsi, inter Praelatos ad episcopalem dignitatem evectos nonnulli inveniuntur Ordinis nostri Confratres egregii jam per Breve apostolicum ad diversas Ecclesias destinati; eorumdem nomina hic celebrare debemus:

Rmus P. GUIDUS CORBELLI a Cortona, Obs. Prov. Seraphicae et olim Terrae Sanctae Custos, Archiepiscopus titularis Pelusii, cujus consecrationem annuntiavimus (1).

Rmus P. JOSEPHUS MARIA PORTUGAL, Obs. Prov. Mexicanae, natus Mexici die 26 Januarii 1838, Vice-Commissarius Generalis et Parochus in dioecesi de Guadalaxara, per Breve electus die 1 Septembris 1888 ad cathedralem ecclesiam de Sinaloa, in Rep. Mexicana.

Rmus P. PETRUS PAULUS DE MARCHI, Obs. Prov. Venetiarum, natus die 30 Decembris 1838, jam Vicarius Generalis Rmi Benjamini Geremia, vita functi, electus episcopus titularis de Sura et Vicarius apostolicus Chantong septentrionalis in Imperio Sinensi.

Rmus P. BENIAMINUS CHRISTIAENS, Recollectae Provinciae Belgii, natus die 24 Februarii 1844, electus episcopus titularis Colophonensis, et Vicarius apostolicus Hou-pè occiduo-meridionalis.

In praecedenti Consistorio die 11 Februarii Rmus P. SERAPHINUS MILANI, Obs. Prov. Thusciae, quum sedi suae Apuanae (Pontremoli) abrenuntiasset, Archiepiscopus Sidae nominatus est.

—

STATUS

Provinciae apostolicae S. Gregorii Magni Minorum Discalceatorum in Insulis Philippinis per annum 1887 (2).

Paroeciae	152
Missiones	17
Religiosi	425
Parochi	128
Missionarii	9
Animae	1,010,753
Baptizati	48,835
Matrimonia benedicta	3,919
Defuncti	23,959
Moniales Clarissae Maniliae.	31

Ex 425 Religiosis, 3 Romae degunt in Conventu SS. Quadraginta Martyrum, et 222 in Hispania, ubi quinque numerantur Collegia, scilicet S. Paschalis in *Pastrana*, Virginis Perdolentis in *Consuegra*, *S. Andreae de Arenas*,

(1) Cfr. *Acta*, anni elapsi 1888, pag. 165.
(2) Cfr. *Acta* anno V. pag. 178.

S. P. Francisci de *Montalban;* S. Catharinae V. M. in *Almagro.*

—

CAPITULA PROVINCIALIA

Anno 1888 celebrata.

L.

In Collegio Apostolico S. Rosae de Ocopa (Republica Peruana) die 29 Octobris anni elapsi rite celebratum fuit Guardianale Capitulum, praesidente Adm. Rev. P. LEONARDO CORTES, Commissario Generali, et canonice electi sunt:

GUARDIANUS

Rev. P. Pius Sarobe.

DISCRETI

P. Franciscus Espoy.
P. Matthaeus Gil.
P. Joannes Josephus Mas.
P. Franciscus Herrero.

III.

MISSIONES

—

PROSPECTUS GENERALIS

FRANCISCALIUM MISSIONUM

in Imperio Sinensi.

Quum ab anno 1884 (1) prospectus nostrarum Missionum in Sinensi imperio non fuerit ex integro publicatus, singulorum septem Vicariatuum Ordini nostro commissorum actualem statum edere opportunum judicamus, ad Confratrum utilitatem, illorum praesertim qui, DEO inspirante, animarum saluti in his vastissimis regionibus, quae jam ad evangelicam messem albescunt, incumbere peroptant.

Elenchum vero Missionariorum anno elapso publicatum (2) denuo subjungere inutile duximus.

I.

STATUS

Vicariatus CHAN-SI *anno 1888.*

Vicarius apostolicus, Rmus D. ALOYSIUS MOCCAGATTA, Obs. Prov. Romanae; sed aetate ac infirma valetudine praepeditus Coadjutorem habet Rmum D. GREGORIUM GRASSI, Obs. Prov. Bononiae, et episcopum titul. Orthosiensem. Residentia : *Tai-juen-fu.*

Patres Missionarii Europaei . .	12
Catholici circa	17,000
Incolae circiter	17,000,000
Districtus	9
Christianitates	353
Ecclesiae	10
Alumni in scholis	1250
Orphani	578

Ex epistola Rmi D. GRASSI, diei 10 Julii 1888, colligimus esse in ejusdem votis erigendi Conventum Ordinis ac Seminarium centrale in pago quodam christiano non multum distante a civitate *Tai-juen-fu.* De hac optata fundatione, quae primum a Rmo Vicario Hou-pè orientali excogitata est, in posterum dicemus.

Pars meridionalis hujus Vicariatus Chansi, Patribus Recollectae Provinciae Germaniae Inferioris (Hollandiae) commissa fuit, et R. P. Martinus Poell pro-Vicarius Generalis a Rmo Coadjutore nominatus est.

—

II.

STATUS

Vicariatus apostolici CHAN-TONG *septentrionalis a tempore Paschatis 1886 ad Pascha 1887.*

Vicarius apostolicus, Rmus D. PETRUS PAULUS DE MARCHI, Obs. Prov. Venetiarum, electus Episcopus titularis de Sura in ultimo Consistorio. Residet : *Tsi-nan-fu.*

Patres Missionarii Europaei . .	11
Sacerdotes Sinenses Tertiarii .	11
Frater Laicus	1
Sorores Franciscales Missionariae Mariae	9
Catechistae indigeni directores Christianitatum.	259
Catechistae pro instructione catechumenorum	58
Virgines Tertiariae indigenae curae orphanorum deputatae .	47
Virgines pro instructione catechumenorum	16
Seminaria	2

(1) Cfr. *Acta,* anno III, pag. 140.
(2) Cfr. *Acta,* anno VII, 1888, pag. 154.

Theologiae et philosophiae alumni	8
Humaniorum alumni	18
Collegium catechistarum . . .	1
Alumni Catechistae	6
Scholae	92
Pueri et puellae earumdem . .	2,983
Orphanotrophia	5
Orphani	591
Residentiae praecipuae	9
Christianitates circiter	300
Ecclesiae et sacella	171
Erecta in hoc anno	6
Restaurata	13
Destructa ex inundatione fluminis *Houang-ho*	5
Habitantes in Vicariatu circiter .	20,000,000
Catholici indigenae	16,246
Mahumetani in tota Provincia circa	5,000,000
Protestantes indigenae et Europaei circiter	2,000

Fructus spirituales.

Catechumeni	4,097
Baptizati filii christianorum . .	1,069
» » infidelium in articulo mortis . .	14,005
» » adultorum . . .	314
Confirmati	319
Confessiones annuae	10,705
» devotionis . . .	27,951
Communiones annuae	7,998
» devotionis . . .	26,390
Matrimonia benedicta	142
Extremae unctiones	194
Defuncti adulti et pueri christiani	1,053

Anno 1887, duo Missionarii Europaei mortem obierunt, scilicet R. P. Joachimus Orsi a Castellatio, Obs. Prov. Bononiensis, et P. Gervasius Maria a Tierbach, Obs. Prov. S. Ludovici (1). Duae pariter Sorores Franciscales, Mater Maria a Sancta Agnete et ipsa Superiorissa, Mater Maria a S. Sebastiano, e vivis sublatae sunt.

Propter inundationem fluminis Houang-ho, ducentae circiter Christianorum familiae hujus Vicariatus ad alias Imperii Provincias migrare coactae sunt.

(1) Cfr. *Acta,* anno 1887, pag. 74 et 128.

Quum messis quidem multa opusque urgeat, sed operarii pauci adsint, instanter et instantissime rogamus Dominum messis, ut novos fervidosque mittat operarios.

Praedicta scribebat e sua residentia civitatis *Tsi-nan-fou,* die 19 Novembris 1887, Rmus Benjaminus Geremia, Vicarius apostolicus, qui et ipse in mense Decembri 1888 immatura morte praereptus est. In lacrymis tot victimae divinum semen sparserunt; ideo sperare licet novos Missionarios in exultatione animarum multarum spirituales manipulos esse collecturos.

—

III
STATUS
Vicariatus Chen-si, *anno 1888.*

Vicarius apostolicus, Rmus. D. Amatus Pagnucci, Obs. Prov. Thusciae, episcopus titul. Agathonicen., cui Coadjutor datus est anno 1887 Rmus P. Pius Vidi a Verona, Obs. Prov. Venetiarum, cum jure successionis (1).

Missionarii Europaei	8
Sacerdotes indigenae	14
Catechistae	24
Catholici	21,300
Incolae	10,300,000
Stationes	13
Ecclesiae	19
Sacella	86
Scholae	8
Orphanotrophia	2

Ex hoc Vicariatu nonnulli juvenes Sinenses in his ultimis annis in Italiam missi sunt et franciscalem vitam in Thusciae Provincia professi optimo fructu sacris studiis indulgent, ac postea, quum sacerdotio decorati fuerint, in patriam regredientur.

—

IV.
STATUS.
Vicariatus Hu-nan *Meridionalis anno Domini 1887-88.*

Vicarius Apostolicus, Rmus D. Eusebius Semprini, Reformatae Provinciae Longobardiae

(1) Rmus Pius Vidi in Italia nunc invenitur ad Missionis tractanda negotia et Missionarios praesertim colligendos.

Episcopus titul. Tiberiopolitan. Residentia: *Hoan-sa-nan*, prope civitatem *Hen-ciou-fu*.

Incolarum numerus	13,000,000
Catholici	5,508
Missionarii Europaei	4
Sacerdotes Indigenae	10
Ex illis tamen duo adhuc in Seminario sunt et theologiae operam dant.	
Alumni in Seminario (incl. dictis 2 Sacerdot. simpl.)	24
Christianitates	75
Stationes Missionariorum	7
Ecclesiae proprie dictae (10 maj. 5 minor.)	15
Plura etiam adsunt Oratoria privata.	
Baptismata adultorum	203
» Infantium fidelium	148
Confirmationes	56
Confessiones annuales	3,255
» devotionis	7,883
Communiones annuales	2,995
» devotionis	10,148
Extremae unctiones	85
Matrimonia benedicta	35
Mortui adulti	56
» infantes	78

S. Infantia.

Baptizantes	28
Baptizati	3,467
Collecti	296
Aliti (totaliter resp. partialiter)	902
Puellae in Orphanotrophio	142
Puellae apud nutrices	605
Vetulae paganae collectae	10
Alumni in scholis: pueri	87
» » » : puellae	44

Instituta regularia.

Religiosi: Fratres Minores Reformati.

Religiosae indigenae: Filiae charitatis, Canossianae vulgo nuncupatae et Tertiariae franciscanae.

Hen-ciou-fu, die 27 Oct. 1888.

Pro Illmo D. Episcopo
Eusebio M. Semprini *absente*,
Fr. Ansgarius Braun (O. S. Fr.),
Vicarius Generalis.

V.

STATUS

Vicariatus Hou-pè *Occiduo Septentrionalis anno 1887-1888.*

Vicarius apostolicus, Rmus D. Ezechias Banci, Reformatae Prov. Thusciae, Episcopus titul. Halicarnassen. Residet: *Lao-ho-kou.*

Christiani in Catalogo descripti		6,818
Christianitates seu Missiones		98
Ecclesiae et Sacella Vicariatus		29
Missionarii	Europaei et 1 frater laicus.	7
	Sinenses	10
Praedicationes	ad fideles	2,305
	ad infideles	1,752
Baptizati	adulti	395
	fidelium infantes	211
Confessiones.	annuales	3,678
	devotionis	13,352
Communiones.	annuales	3,255
	devotionis	16,437
Confirmationes		96
Matrimonia benedicta		42
Extremae Unctiones		102
Vita functi		163
Alumni	Seminarii	10
	Collegii	15
	Scholarum	425

Operis S. Infantiae.

Medici baptizatores		81
Infantes infidelium	Baptizati hoc in anno	5,137
	Collecti, in toto anno, simul	190
	Aliti hoc in anno, totaliter.	214
	Mortui hoc in anno	3,560
Orphanotrophium puellarum	Sorores indigenae III. Ordinis S. Francisci (magistrae)	18
	Puellae in Orphanotroph.	111
	Puellae apud nutrices	71
	Vetulae paganae hoc in anno collectae	5
	Vetulae paganae superstites ex anno praeterito.	9
	Mulieres inservientes	7
Orphanotrophium puerorum	Pueri	31
	Magister	1
	Inservientes	2

Ex Orphanotroph. egressi hoc in anno	Pueri adoptati	7
	Pueri, sibi providentes	14

Kia-cicen-kou, die 10 Augusti 1888

† Fr. EZECHIAS BANCI, *Vic. Ap.* etc.

—

VI.

STATUS

Vicariatus HU-PÈ *Orientalis a die 15 Augusti anni 1887 ad eamdem diem anni 1888.*

Vicarius apostolicus, Rmus D. EPIPHANIUS CARLASSARE, Ref. Prov. Venetae, episcopus titul. Madauren. Residet: *U-tchang-fu.*

Christianitates		344
Sacella publica ad Vicariatum pertinentia		62
Christiani in Catalogo descripti		13,770
Baptizati	adulti	400
	fidelium infantes	397
Confirmationes		223
Confessiones	annuales	8,459
	devotionis	21,559
Communiones	annuales	7,772
	devotionis	34,047
Matrimonia benedicta		85
Extremae Unctiones		203
Vita functi	infantes	200
	adulti	352
Divini verbi praedicationes	ad Fideles	3,219
	ad Paganos	4,615
Missionarii	Europaei	12
	Indigenae	13
Alumni	Seminarii	22
	Collegii	16
	Scholarum (totaliter)	1,004

Sancta Infantia (Vic. Apostolici).

Infantes Infidelium	Baptizantes	169
	Baptizati	5,645
	Collecti	87
	Aliti	307
	Mortui	3,643
In Scholis	pueri	556
	puellae	124

Sancta Infantia (Inst. Filiar. Char. Canossianae).

Sorores Europeae		17
Infidelium puellae	Baptizatae	1,386
	apud nutrices	1,427
	in Orphanotrophio	274
	Mortuae	648
Fidelium puellae educandae		313
Catechumenae ac Neoph. in Fid. instructae		237
Vetulae et aliae miserae, quibus datum est hospitium		223
Nosocomium	Masculi admissi	270
	Feminae admissae	320
	Infirmi externi medicati	17,690

† Fr. EPIPHANIUS CARLASSARE Ord. Min.,
Vicarius Apostolicus

—

VII.

STATUS

Vicariatus HU-PÈ *Occiduo-Meridionalis, a die 15 Augusti 1887 ad eamdem anni 1888.*

Vicarius apostolicus, Rmus D. BENJAMINUS CHRISTIAENS, Recollectae Prov. Belgii, neoelectus Episcopus titul. Colophonen. Residentia: *Ita-chang-fu.*

Christianitates		60
Sacella ad Vicariatum pertinentia		21
Christiani in Catalogo descripti		4,344
Baptizati	Adulti	105
	Fidelium infantes	147
Confirmationes		67
Confessiones	Annuales	2,313
	Devotionis	8,663
Communiones	Annuales	1,996
	Devotionis	8,215
Matrimonia benedicta		23
Extremae Unctiones		49
Vita functi		108
Divini verbi praedicationes	ad fideles	1,159
	ad paganos	1,874
Missionarii	Europaei	7
	Indigenae	4
Alumni	Seminarii	9
	Collegii	10
	Scholarum	196

S. Infantia.

Baptizantes		30
Infantes infidelium	Baptizati	1,344
	Collecti	140
	Aliti	277
	Mortui	1,286
Ad nutrices		140
Orphanotrophia		2
Pharmaciae		2
Scholae		2
Puellae		23
Pueri		4
Virgines Tertiariae S. Francisci		7
Aspirantes		5
Mulieres inservientes		4

IV.

VARIA.

SERIES PRAELATORUM

Obs. Prov. Bonononiae.

(Continuatio) (1).

MINISTRI PROVINCIALES

A divisione Ordinis per Bullam Leonis X facta.

92. 1747. A. R. P. Thomas Barberini de Cento, pro tertia vice electus Regii die 10 Julii. Postea vero Romam contra votum profecturus, Ministerium abdicavit; praeside R. P. Jesualdo de Florentia, Comm. Visitat.

93. 1748. P. Paulus de Ravenna, Vicarius electus Ferrariae die 12 Maji; praesid. A. R. P. Thoma Barberini, qui supra.

94. 1750. P. Franciscus Antonius a Mutina, electus auctoritate Benedicti XIV et Bononiae publicatus die 5 Octobris; praesid. R. P. Joanne Baptista de Monte Gargano, Comm. Visitat.

95. 1753. P. Petrus Jacobus a Loiano, Lect. Jub.; in Romana Sapientia Professor et Censor, plurib. academiis addictus, electus Bononiae die 23 Maji. Deinde Secretarius Generalis effectus; praesid. R. P. Bernardino ab Aversa, Comm. Visitat.

96. 1757. P. Franciscus Antonius ex Comitibus Pappiani de Mutiliana, Lect. Jub., totius Ordinis Secretarius, et ex senatus consultu Civis Ariminensis rite acclamatus, electus ex Indulto Benedicti XIV, et Bononiae publicatus die 6 Februarii. Deinde Definit. Generalis factus.

97. 1759. A. R. P. Claudius de Mirandula, Lect. Jub.; electus Bononiae die 17 Maji; praesid. R. P. Honorio de Summaripa Nemoris, Prov. S. Thomae, Comm. Visitat.

98. 1762. P. Melchior de Buxeto, Lect. Jub.; electus Bononiae die 28 Junii; praesid. R. P. Angelo Maria a Marano, Comm. Visitat.

99. 1765. P. Franciscus Antonius a Mutiliana, de quo supra, pro secunda vice electus Bononiae die 2 Julii; praesid. R. P. Valeriano a Prato, Comm. Visitat.

100. 1768. P. Joannis Thomas Prini de Cento, Lector Jub.; Concionator sui temporis nemini secundus, electus Bononiae die 6 Septembris. Plurimas evulgavit sacras et academicas orationes; praesid. R. P. Nicolao Antonio a S. Elpidio, Comm. Visitat.

101. 1771. P. Franciscus Andreas a Castrolauro, Lect. Theol.; electus Bononiae die 23 Septembris; praesid. R. P. Aurelio a Mediolano, Comm. Visitat.

102. 1774. P. Joseph Antonius ab Arimino, Lect. Jub.; electus Bononiae die 13 Septembris; praesid. R. P. Francisco Antonio de Puteolis, Comm. Visitat.

103. 1777. P. Ludovicus Seraphinus Vecchi de Mirandula, Lect. Jub., et Concion. clarissimus; electus Bononiae die 9 Septembris; praesid. R. P. Antonio a Recineto, Comm. Visitat.

104. 1780. P. Florianus Magni de Bononia, Lect Jub.; electus Bononiae die 12 Septembris; praesid. R. P. Joan. Baptista de Cavaltone, Comm. Visitat.

105. 1783. P. Joannes Paulus de Brixichella, Lect. Jub.; electus Bononiae die 9 Septembris; praesid. R. P. Hilario de Montemagno, Comm. Visitat.

106. 1786. P. Angelus Clemens Tommasi de Lucca, Lect Jub., prosa et poesi edoctus, nec non S. Officii Consultor; electus Bononiae die 12 Junii: praesid. R. P. Josepho Antonio de Moliano, Comm. Visitat.

107. 1789. P. Seraphinus Gilioli de Mirandula, Lect. Jub., in praedicatione eximius operarius, S. Viae Crucis fervidus propagator; electus Bononiae die 22 Septembris. Plurima scripsit, non pauca evulgavit; praeside R. P. Marco Antonio de Carraria, Comm. Visitat.

108. 1792. P. Innocentius de Forolivio, Lect. Jub.; electus Bononiae die 17 Octobris; praesid. R. P. Josepho Maria de Puteolis, Comm. Visitat.

109. 1795. P. Irenaeus Affò de Buxeto, Lect. Jub., Defin. Generalis, celerrimo ingenio et magna eruditione clarissimus, plurimis Academiis sociatus, Regiae Bibliothecae Parmensi Praefectus, ac tota Europa praeclarus; electus Bononiae die 1 Septembris, et anno secundo sui Ministerii defunctus. Pene innumera scri-

(1) Cfr. ultim. fasc. pag. 23 et fasc. Dec. pag. 189, ubi anno 1518 P. Paulus *Pirotti,* lege *Pisotti* et ita alibi.

psit opera et plurima evulgavit; praeside R. P. Josepho Maria de Vico, Comm. Visitat.

110. 1797. A. R. P. Aloysius Negroni de Parma, Lect. Jub., Sacrae Inquisit. Consultor, et Lycei Vastallensis publicus Professor; electus Pontificia auctoritate Pii VI, et Bononiae publicatus die 1 Septembris. Postea Definitor Generalis.

111. 1800. P. Aloysius Negroni; qui supra, impedientibus Capitulum temporum angustiis, a S. Sede die 30 Augusti confirmatus.

112. 1803. P. Aloysius Silvestri de Planorio, Lect. Jub.; doctrina et religione praeclarus; electus Bononiae die 26 Septembris; praesid. R. P. Angelo Clemente de Lucca, de quo supra, Comm. Visitat.

113. 1808. P. Paulus Cianci de Coriano, Lect. Jub. et plurium Episcopor. Theologus, Mediolani die 26 Junii electus Vicarius in quodam Capitulo, per decretum Gubernii celebrato et phantastice generali nuncupato, in quo sancitum est, ut ex variis Provinciis una tantum efformaretur et italica vocaretur; ceterae vero nomine Custodiarum designatae, per Vicarium Provincialem moderandae essent (1).

—

Anno Domini 1810, dissoluta remansit haec nostra Provincia sicut et ceterae per decretum suppressionis Napoleonicae; verum paucos post annos, adjuvante Deo, iterum revixit.

114. 1815. P. Paulus Cianci de Coriano, qui supra, electus Deputatus Generalis die 14 Julii, cum potestate et praerogativis a jure Provincialibus tributis, quo in munere strenue laboravit, ut paterno zelo et charitate fratres disjectos colligeret, et Provinciam ex ruinis surgentem foveret (2).

115. 1818. P. Paulus Cianci, qui supra, electus Minister Provincialis auctoritate Apostol. Pii VII, et per litteras Min. Generalis Provinciae patefacto die 1 Maji.

116. 1821. P. Paulus Augustinus Fornaciari de Lucca, Lect. Jubil., Exam. Synod., Ferrariensis Universitatis publicus Professor, Doctor Collegialis ac vitae integritate conspicuus; electus ex indulto Pii VII, et per litteras Vicarii Generalis publicatus die 19 Maji.

117. 1824. P. Aloysius Ferraresi de Disvetro, Lect. Theol., et Concion. Generalis; electus Bononiae SS. Annunt. die 18 Junii: praeside R. P. Francisco Antonio de Bononia, Comm. Visitat.

(1) Ab hac lege reclusa remansit Custodia Parmensis, utpote quae in finibus Imperii Gallici posita; cujus administrationem tamquam Delegatus Generalis tenebat A. R. P. Joan. Paulus Rossena de Parma.

(2) Custodia vero Parmensis aliquibus mensibus se rexit per Delegatum Generalem R. P. Franciscum Prela de Placentia.

118. 1825. A. R. P. Joan. Carolus Belluzzi de Mirandula, Lect. Jub., ac sanctae paupertatis et regularis observantiae zelator fidelis; Vicarius Provincialis in locum Ministri defuncti, electus Bononiae die 20 Septembris; praeside R. P. Paulo Augustino, de quo supra.

119. 1827. P. Franciscus Antonius Gamberini de Bononia, Lect. Theol. ac Concionator, electus Bononiae die 17 Septembris. Postea Definitor Generalis; praeside R. P. Anastasio de Cotoneo, Comm. Visitat.

120. 1830. P. Joan. Paulus Rossena de Parma, Lect. Jubil. et Concionator Generalis; electus Bononiae die 20 Octobris; praeside R. P. Paulo Augustino de Lucca.

121. 1833. P. Franciscus Paglierani ab Arimino, S. Theol. Lect., Examin. Synodalis et Episcopi Theologus; electus Bononiae die 17 Octobris; praeside R. P. Francisco Ant. Gamberini, de quo supra.

122. 1837. P. Jacobus Martini de Vicetia, Lector. Jub., publicus professor, in Universitate Bonon. Doctor Collegialis, et de Monte Pietatis optime meritus; electus Bononiae die 23 Januarii. Postmodum Definitor Generalis; praeside R. P. Gamberini, qui supra.

123. 1840. P. Jacobus Martini, qui supra, confirmatus per Breve Gregorii XVI et Bononiae publicatus die 2 Februarii.

124. 1843. P. Raphael Lippi de Ponticulo, Lect. Theol., Concion. celebris, religiosae perfectionis magister absolutissimus et cultor fidelis; electus Bononiae die 3 Junii. Deinde Procurator et Minister Generalis. Praeside R. P. Jacobo Martini, qui supra.

125. 1846. P. Michaelangelus Puglia de Regio, Lect. Jubil., Examin. Synodalis; electus Bononiae die 20 Maji. Varias et prosa et versu optime scripsit opellas, nonnullas praelo commisit. Praeside R. P. Raphaele a Ponticulo, qui supra.

126. 1849. P. Raphael a Ponticulo, pro secunda vice electus Ferrariae S. Spiritus die 4 Septembris; praeside ipso electo, cui sub medietatem actionis suffectus est Provinciae dignior, nempe R. P. Jacobus Martini, de quo supra.

127. 1852. P. Antonius Crema de Vastalla, Lect. Jubil., Exam. Synodalis et Concionat. eruditus; electus Bononiae die 25 Octobris; praeside R. P. Raphaele de Ponticulo, qui supra.

128. 1855. P. Angelus Pianori de Brixichella, Lect. Jubil., Examin. Synodalis, doctus Concionator et in Seminario Foroliviensi S. Scripturae Professor; electus Bononiae die 19 Novembris. Deinde Episcopus Faventinus. Varias elaboravit opellas et typis evulgavit; praeside A. R. P. Paschale de Ferraria, qui sequitur.

129. 1858. P. Paschalis Castelvetri de Ferraria, Lect. Jubilatus; electus Bononiae die 14 Julii. Varias edidit pias opellas. Praeside Rmo P. Bernardino a Montefranco, Min. Generali.

130. 1862. A. R. P. Irenaeus Riva de Buxeto, Lect. Jub., Examin. Synodalis et Concionat. doctus; electus Ferrariae S. Spiritus die 25 Aug. Postea Defin. Generalis, S. C. Indicis Consultor et potioribus Urbis Academicis adscitus. Varia et metro et prosa scripsit atque evulgavit; praesid. A. R. P. Antonio de Vastalla, de quo supra.

131. 1865. P. Irenaeus Riva, qui supra, principalioribus Coenobiis a militaribus copiis ex parte invasis, per litteras Ministri Generalis Forolivii die 13 Octobris publicatas, ad sex menses confirmatus. Die vero 3 Februarii 1866 per alias litteras ejusdem Ministri declaratus Comm. Provincialis usque dum etc. Sub ejus Ministerio lata lege suppressionis die 8 Julii 1866, fere omnes Fratres die 1 Januarii compulsi sunt propria deserere Coenobia; quae tamen ex parte, Deo auxiliante, paulatim quodammodo refloruerunt.

132. 1869. P. Paschalis de Ferraria, pro secunda vice electus auctoritate Pii IX, et per litteras Min. Generalis die 28 Novembris publicatus.

133. 1873. P. Aloysius Montanari de Forolivio, Lect. Jub. et Concion. Generalis, electus per Breve Pii IX, et per litteras Min. Generalis die 30 Maji publicatus. Hic coepit Fratres disjectos colligere, et Coenobia depopulata aliquo modo componere.

134. 1876. P. Archangelus Serra de Vado, Lect. Generalis S. Theol., Exam. Synod.; electus auctoritate Apost. Pii IX, et per litteras Min. Generalis die 28 Novembris publicatus.

135. 1879. P. Archangelus Serra, pro secunda vice electus per Breve Leonis XIII, et per litteras Min. Generalis die 8 Octobris publicatus.

136. 1882. P. Aloysius Canali de Parma, S. Theol. Lect. Generalis, Concion. ac Terrae Sanctae Commiss.; electus Parmae SS. Annunt. die 6 Julii; praesid. A. R. P. Andrea de Greccio, Lect. Jub. et Prov. Seraph. jam Ministro, Comm. Visitat.

137. 1885. P. Aloysius de Parma, pro secunda vice, electus Parmae die 9 Julii; praesid. A. R. P. Remigio Buselli, Lect. Jub., Concion. Gener., Comm. Terrae Sanctae, ac Comm. Visitat.

138. 1888. P. Aloysius de Parma, pro tertia vice electus Parmae die 19 Julii; praesid. R. P. Bernardino a Portu Romatino Min. Generali, Comm. vero Visitat. A. R. P. Petro de Monsano, Lect. Jub., jam Provin. SS. Redemptoris in Dalmatia Minis. Prov. ac Generali Ordin. Secretario.

V.
BIBLIOGRAPHIA

—

Anonyma (Soror Seraphina a Corde Jesu, Clarissa). — Histoire de Philippa de Gueldre, Reine de Sicile et de Jérusalem, duchesse de Lorraine et de Bar, Religieuse de l'Ordre de Ste Claire, morte en odeur de sainteté au pauvre Monastère de Sainte Claire de Pont-à-Mousson, par une Pauvre-Clarisse de Sainte-Claire de l'Ave-Maria de Grenoble, 1889. Tous droits réservés. In-16. Tome Ier pag. XLI-437. Tome IIe pag. 450.

Anonymus (P. Candidus Mariotti, Min. Obs.). — 1. Il divoto del Patriarca S. Francesco d'Assisi, per cura d'un Religioso Minore Osservante. Genova, tip. Arciv., 1889. Pag. 74.

2. Il divoto di S. Antonio di Padova, per cura dei RR. PP. Minori Osservanti in Recco. Genova, tip. Arcivescovile, 1887. Pag. 46. Prezzo cent. 10.

3. Breve Cenno sul Perdono d'Assisi e modo pratico di acquistarlo, per cura dei Padri Min. Oss. in Recco. Genova, tip. Arcivescovile, 1886. Pag. 29. Cent. 10.

Costantino Baiocco di Caporciano, Min. Rif. — Cronaca Serafica, ovvero ricerche storiche su la venuta di S. Francesco di Assisi in Penne, fondazione e vicende dei cinque conventi del suo Ordine. Cenni Biografici di alcuni illustri religiosi Minoriti della medesima città, pel P. Costantino Baiocco di Caporciano, Minore Riformato. Seconda edizione riveduta e notabilmente ampliata. Penne, Tipografia Silvio Valerj, 1888. (Pag. 172).

Rmus Salvator M. Bruno Bressi, Min. Cap. — Sull'abolizione della Schiavitú. Articoli riportati dal benemerito Giornale « *Unità Cattolica* » di Torino, per F. Salvatore M. Brunone Bressi da Napoli, dei Minori Cappuccini, già Missionario, Prefetto e Commissario Apostolico delle Missioni del Brasile, dell'Uruguay, di Tunisi e Cartagine, per grazia di Dio e della S. Sede Apostolica Arcivescovo di Otranto, Primate del Salento. Scafati, Stab. Tip. della Campana del Mezzodì, 1889. (Pag. 23).

Periodicum Folium. — Die Mission im heiligen Lande. Pilger-Berichte, Beschreibungen und Almosen-Ausweise. Herausgegeben von dem General-Commissariate des hl. Landes in Wien. Mit Illustrationen. Verlag von Leo Woerl.

[Missio Terrae Sanctae].

Hujus Periodici cura Commissariatus Viennensis, sex fasciculi in 4° publicantur quolibet anno pro pretio 2 flor. (3, 50 M.).

Stephanus Schoutens, Min. Recoll. — Verhandeling over het Gebed en de overweging gevolgd Van de Vrede der ziel door den H. Petrus Van Alcantara, van de Orde der Minderbroeders, vertald door den E. P. Fr. Stephanus Schoutens, derzelfde Orde. — Antwerpen, Drukkerij Van Os-de Wolf, Uitgever, SSt. Pieter-en Paulusstraat, 2. (Pag. 238).

Latine: Tractatus de meditatione S. Petri de Alcantara, linguam in flandricam translatus.

Opera extraneorum Ordinem concernentia.

Clément-Simon (M. G.) — Le Père Martial de Brives: La Muse séraphique au XVIII siècle, par M. G. Clément-Simon. — Paris, Honoré Champion, Libraire, 9 quai Voltaire, in 8°. fol. 81, avec portrait, 1888.

Leopoldo (Mons.) Amoni. — 1. Vita di S. Francesco d'Assisi, scritta da S. Bonaventura, versione raffrontata col testo volgare della biblioteca Angelica, per cura di Mons. Leopoldo Amoni, e dedicata al Rmo P. Bernardino da Portogruaro, Min. Gen. dei Francescani. Roma, tipografia Vaticana, 1888.

2. Fioretti di S. Francesco d'Assisi, raffrontati col testo della biblioteca Angelica e coi Codici della Laurenziana e Vaticana, per cura di Mons. Leopoldo Amoni. Edizione dedicata a S. A. I. E. R. il Serenissimo Alberto Salvatore, Arciduca d'Austria, ecc. Roma, tip. Vaticana, 1889. In 16. Pag. XI-400.

Franciscus Demore. — La vraie politesse, petit traité sous forme de lettres à des Religieuses, par l'Abbé François Demore, Chanoine honoraire de Marseille, ancien Supérieur des Clarisses de cette ville. Paris, Retaux-Bray, libraire-éditeur, rue Bonaparte, 82. Droits de traduction et de reproduction réservés, 1889. — (In 16. Page 238, Prix 2, 50).

Quamvis directe pro Clarissis scriptae fuerint praedictae epistolae, omnibus tamen Monialibus cujuscumque Ordinis, sive intra sive extra claustra degentibus, optime conveniunt.

Olmi. — Quaranta Sermoni offerti ai Fratelli e alle Sorelle del Terz' Ordine di S. Francesco d'Assisi. Genova, 1888. pag. 230. Commendamus Tertii Ordinis Directoribus hanc opellam, quae haberi potest ab A. R. P. *Canuto dalla Pieve M. R., Prefetto dei Missionarii dell' Incontro. Firenze per l' Incontro* (pretium lib. 0,80).

VI.

NECROLOGIA

—

Die 2 Decembris 1888 in hospitio *S. Cruz della Sierra,* in republica Boliviana, omnibus Sacramentis moribundorum rite provisus, pie in Domino obdormivit P. Modestus Ceccarelli a Monteroberto, reformatae Provinciae Marchiae-Anconitanae filius, anno aetatis suae 51°. Is circa 25 annos munere Missionarii fungebatur inter Indianos in sylvis latitantes; aliquot annos etiam Praefectum missionum collegii Taratensis magno cum zelo agebat. Tandem morbo hepatis vexatus, ut valetudinem curaret, Italiam repetere statuit; sed in itinere ad hospitium Sanctae Crucis devertens, ut supra dictum, animam suam Creatori reddidit.

R. I. P.

In pago Mustae, insula Melitensi, natus est A. R. P. Joannes Paulus, Concionator Generalis, ex-Missionarius Apostolicus et ex-Provincialis. Qui indolem nactus bonam et ad pietatem omnino proclivem, facile viam Dei mandatorum sectandam arripuit. Anno 1826 igitur die 2 Junii Seraphicam ingressus Religionem in Coenobio S. M. de Jesu, Civitatis Vallette, Observantis Custodiae Melitensis, assiduitate, diligentia in divinis vacandis officiis maxime enituit, necnon solitudinis amore et studiorum cultu praecelluit. Sacerdotio insignitus, statim deficientibus in Palaestina ob pestem Missionariis, eodem se contulit, ubi veri apostoli indicia exhibuit. Pluribus annis etiam in Conventu SS. Salvatoris Jerusalem Chori Moderator laudabiliter extitit. Ad suam redux, in publicis epidemiae calamitatibus fidelis dispensatoris mysteriorum Dei opera ab eo experti sunt cives. Post haec vicos et castella cursitans ubique auditam fecit Domini vocem, atque spiritualia exercitia Clero tradidit. Hinc laboribus ac aetate fractus, 80 annis major, affectionis carnodiacae morbo patientissime tolerato, inter suorum et exterorum lacrymas obdormivit in Domino die 21 Decembris proxime elapsi. R. I. P.

Prima hujus anni die Provincia S. Leopoldi in Tyroli septentrionali graviter afflicta est morte A. R. P. Michaelis Erhart, ex-

Ministri ter emeriti et Custodis actualis, viri ob virtutes religiosas summe colendi et de Provincia optime meriti.

Natus in *Piller* prope Imst in Tyroli die 17 Septembris 1832 et in Baptismo *Cassiani* nomine vocatus, parentes habuit simplices ruricolas, qui tamen catholicae religionis doctrina optime imbuti, opere conabantur explere, quod ore confitebantur, et filios suos in sancto DEI timore educare satagebant. Transactis studiis in gymnasio Oenipontano, Cassianus die 7 Septembris 1852 in ecclesia conventus nostri Suazensis Seraphici Ordinis habitum induit et nomen *Michael* accepit; 1855 vota solemnia nuncupavit; sequenti anno sacerdotio initiatus est et 1859 studia theologica absolvit. Lector S. Theologiae constitutus in Conventu Suazensi per novendecim annos commoratus est, juniores Confratres accurata sacrae Scripturae veteris Testamenti cognitione imbuens, aliosque labores a Superioribus sibi demandatos, utpote in sacro pulpito et confessionali atque ad lectum aegrotantium, volenter aggrediens. Postea Magistri juvenum, Guardiani ac Definitoris munera ei collata fuere, in quibus semper se ostendit tam religiosum in observantia sacrae Regulae et Statutorum exactum, quam rectorem Fratrum prudentem, juste moderatum erga confratres et exteros benevolum et caritativum, necnon in officiorum sibi demandatorum agendis versatum simul et circumspectum.

Electus in Ministrum Provincialem anno 1878 et elapso triennio bis (1881 et 1884) reelectus, omnem vim omnemque conatum suum bono Provinciae impendere studebat. Quare rejectis omnibus aliis occupationibus totus in eo erat, ut tum totius Provinciae et residentiarum ejus negotia ageret, tum singulorum quoque confratrum indigentiis in quantum fieri poterat, opem ferret. Educationi et instructioni Novitiorum et juvenum, necnon Laicorum Fratrum sollicite invigilabat et sacrae Regulae ac Statutorum observantiam indefessus inculcabat. Ast haud minus promovere studebat vitam Fratrum activam pro bono proximorum. Durante Ministeriatus sui novennio, Provincia tribus novis residentiis aucta est. Restauratus est nempe Conventus Puppingae in Austria superiori, ibique P. Michaelis curis angustum sacellum et aedicula in ecclesiam et monasterium amplificata sunt. Porro erectum est Hospitium in Bruckmühl: item in Austria superiori, ubi ecclesiam et habitaculum pro fratribus funditus extrui curavit. Demum Villaci in Carinthia Hospitium nobis traditum est. Ubique anxie sollicitus erat, ne fratres decenti habitatione et necessaria sustentatione carerent, eoque in suis laboribus pro salute animarum impedirentur.

Inter labores in hac Provincia exercitos merito instructionem et educationem juventutis in duobus Gymnasiis a nostratibus procuratam valde aestimabat, omnique modo juvare studebat. Cum gymnasium privatum, quod Bulsani a Franciscanis sustentabatur, apto aedificio careret, P. Michael unico DEI auxilio fretus amplam domum ad hoc omnimode instructam aedificavit; qua brevi completa et usui tradita, obtinuit a summis rerum scholasticarum moderatoribus, ut testimonia studentibus de eorum in scientiis progressu ab hujus gymnasii professoribus data publice valeant. Transacto tertio Ministeriatus triennio, post successoris electionem de mandato Rmi P. Ministri Generalis debuit canonicam Visitationem peragere in Provincia S. Wenceslai Bohemo-Morava. Exin reversus qua Custos Provinciae patriae et Monialium Confessarius ordinarius in Hospitio Oenipontano mansit.

Jam ex tribus circiter annis saepius querebatur de quadam lassitudine et respirandi difficultate, quae tamen mala nec ipsi, nec aliis periculosa esse videbantur. Ast autumno prope elapso tam ingravescebant, ut in Nativitate D. N. J. C. et diebus festis sequentibus vix missam celebrare valeret ac in festo Ss. Innocentium ex medici consilio omnibus SS. morientium Sacramentis provideri deberet. In divinam voluntatem resignatissimus vitae finem appropinquare sentiebat, spe gaudens, a DEO misericordiarum DOMINO sibi locum in regno lucis et pacis paratum iri. Qua spe et nos residui consolamur, praecipue cum ejus solidam pietatem genuinasque virtutes perspectas habeamus.

R. I. P.

In Venerabili Sanctuario Sancti Damiani prope Assisium Reformatae Provinciae Seraphicae, die decima superioris mensis Januarii, omnibus Ecclesiae Sacramentis rite susceptis,

placidissime in DOMINO quievit vir longaeva aetate ac meritis venerandus Adm. R. P. ERASMUS DE CESIS, insigni oppido Archidioeceseos Spoletanae.

Honestis piisque parentibus natus anno 1800, vel a puero coepit virtutibus delectari tenerrimoque amore in Deiparam ferri, nactus cum esset indolem religioni ac pietati pronam. Duodennis aut circiter, cum jam vocem DOMINI se ad Claustra suaviter vocantem persentiret ipsique parere pro viribus studeret, accidit ut, quodam festo die, matri suae sociatus (ut ad haec usque ultima tempora, facti memor et prae teneritudine illacrymans, ipse enarrabat) Venerabilem Patrem Leopoldum de Gaichis, adhuc in vivis agentem, in templo principe ipsiusmet terrae Caesorum concionantem audiret. Ex hac Servi DEI praesentia, de cujus sanctis moribus vitaque caelesti inter Umbriae populos tunc multa eaque mira referebantur, firmior in jam acto proposito effectus, cum legitimam attigit aetatem a DEO promeruit seraphica tunica indui ac franciscale Institutum amplecti.

Memoriae desideratissimi viri, qui modo longum suae vitae cursum explevit, haec Seraphica Provincia, postquam ipsius animam sacrificiis DEO oblatis ac piacularibus precibus parentata est, heic solvit gratitudinis debitum, enucleatim pandens, quae ab ipso acta sunt, gesta praeclara, praesertim in scientifico Magisterio, in quo exercendo pene totam vitam insumpsit.

Ingenio subtili, quod erat a natura sortitus, voluntatem firmissimam jungens, per totum cursum passivum studiorum tali successu humanioribus litteris et maxime Philosophiae ac Theologiae navavit operam, ut in publice experimentis datis ipsi omnium consensu primi adjudicati fuerint honores. Qua de causa vix unctus Sacerdos Lectoris gradum, periculo prius in concursu facto, honorifice consecutus est. Hujus novi oneris gravitas sibi ex obedientia injuncti jam tum ex initiis haud latuit juvenem Lectorem: quapropter nullis pepercit laboribus et curis, ut sibi tradita erudienda juventus alte saneque scientiis imbueretur. Idque plenius tunc solum consequi posse ratus est, cum, respectu nostrum, scientiae et praesertim philosophicae ea traderentur ratione, ut traditionibus in Ordine receptis usque consonae forent; quod profecto in magnam laudem ipsius cedit multumque honorat istius Patris memoriam.

Sed haec viri probata docendi ratio non potuit tamdiu latere inter angustos Claustri limites, quin brevi et exterius resciretur et plurimi vellent eo uti magistro. Quare Curatores bonorum studiorum regimini praepositi in Civitate Nursina, plenis votis eidem cathedram Philosophiae in illo publico Lyceo adjudicarunt, quam ipse, unico veritatis dilatandae amore ductus, per plures annos retinuit, civium omnium plausu et addiscentium profectu.

Quanam vero ingenii vi polleret quantaque doctrinae copia ornaretur, sat clare se praebuit in exponendis sacris dogmatibus. Per plurimos enim annos, in quibus extitit facultatis Theologiae Doctor, mirum quo cultu speciali eam semper sit prosecutus, et quantum impenderit laboris ac temporis, ut proprio marte absolutum *Theologiae cursum* ipse redigeret, qui, magna ex parte Patrum Doctorumque scriptis confectus ac opportuniori methodo donatus, plenius sufficeret juvenum profectui. Quod opus, ut feliciter absolvit, fini ab ipsomet praestito abunde respondisse splendidiores eventus inde commonstrarunt, non modo in scholis Ordinis reportati, sed et in aliquibus sacris ephebeis, et maxime in Lyceo publico Assisiensi, cum, primus per concursum inter omnes judicatus, per longam annorum seriem Theologiae Dogmaticae cathedram inibi moderatus sit.

Nec solum denique in docendo totus et unice fuit, sed, vir omnimoda religiositate, ad profectum quoque moralem et publicum Provinciae bonum sua vertit talenta, suamque intelligentem operam praebuit: ipsi ideo nec honores nec claustrales praelaturae defuerunt. Fuit enim semel et iterum Guardianus, bis Definitor, Examinator Synodalis pro Dioecesi Nursina, etc. etc.

R. I. P.

Nihil obstat

FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

I.
EX S. CONG. EPISCOPOR. ET REGUL.

Responsum Archiepiscopo Burdigalensi de S. Communione in Familiis religiosis.

Perillustris ac Rme Dne uti Frater,

Ex parte officialis istius curiae ecclesiasticae expositum nuper fuit, quod in omnibus fere Familiis religiosis, praescribuntur in Statutis certi dies, in quibus omnes ad sacram Communionem accedere debent; et quod multi Communionum catalogum ita intelligunt, quasi nulli sit licitum saepius communicare, etiam de consilio Confessarii, nisi accedat quoque formalis consensus Superioris vel Superiorissae. Quibus expositis, quaesitum proponit, quaenam sit mens Ecclesiae, quando approbat haec Statuta circa Communionem in familiis religiosis, an haberi debeant ut prohibitiva ne plures fiant Communiones; vel praeceptiva, ita ut omnes conentur ita vivere, ut mereantur ad sacram Communionem accedere saltem in illis diebus?

Itaque S. haec Congregatio Episcoporum ac Regularium, omnibus perpensis, respondit: Negative ad primam partem, et facultatem frequentius ad S. Synaxim accedendi relinquendam esse privative judicio Confessarii, excluso consensu Superioris vel Superiorissae.

Affirmative ad secundam partem; quoties rationabilis causa non obstet.

Haec erant a me Amplitudini Suae significanda, cui interim fausta ac prospera deprecor a Domino.

Romae, 4 Augusti 1888.

J. Card. Masotti, *Prefect.*
† Fr. Aloisius Episc. Callinicen., *Secret.*

—

II.

De justa causa pro dimissione professi votorum simplicium.

Non nunquam evenit, ut simpliciter professus dimissionem suam petat asserens, se non habere vel amisisse animum vocationemque ad vitam religiosam. Quaeritur nunc, utrum haec ipsius assertio pertinaciter retenta, etiamsi alia causa dimissionis non subversetur, ratio sufficiens justa eaque rationabilis causa censeri possit eum in finem, ut simplici voto obstrictus ex Ordine dimitti queat?

Resp. *Negative,* cum vota simplicia, de quibus agitur, ex parte voventis sint perpetua, eorumque dispensatio sit reservata Summo Pontifici. Die 19 Novembris 1886.

—

EX S. CONGREG. CONCILII.

De Missa pro populo

An animarum rectores teneantur applicare Missam pro populo die 25 Junii, si in hanc diem occurrat transferri tamquam in sedem propriam festum S. Joannis Baptistae in casu? S. Congreg. Concil. resp. *Negative.*

—

EX S. RITUUM CONGREGATIONE.

—

FORMULA

benedicendi et imponendi Scapulare

B. M. V.

DE MONTE CARMELO

ab omnibus adhibenda sacerdotibus facultatem habentibus adscribendi Christifideles Confraternitati ejusdem Scapularis.

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine, exaudi etc.

℣. Dominus vobiscum.

Oremus.

Domine JESU CHRISTE, humani generis Salvator, hunc habitum, quem propter tuum tuaeque Genitricis Virginis MARIAE de Monte Carmelo amorem servus tuus devote est delaturus, dextera tua sanctifica, ut eadem Genitrice tua intercedente, ab hoste maligno defensus in tua gratia usque ad mortem perseveret: Qui vivis.

Deinde aspergat aqua benedicta habitum et postea ipsum imponat dicens:

Accipe hunc habitum benedictum precans Sanctissimam Virginem, ut ejus meritis illum perferas sine macula, et te ab omni adversitate defendat atque ad vitam perducat aeternam. Amen.

Deinde dicat:

Ego, ex potestate mihi concessa, recipio te ad participationem omnium bonorum spiritualium, quae, cooperante misericordia JESU CHRISTI, a Religiosis de Monte Carmelo peraguntur. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Benedicat te Conditor coeli et terrae, DEUS omnipotens, qui te cooptare dignatus est in Confraternitatem B. MARIAE Virginis de Monte Carmelo, quam exoramus, ut in hora obitus tui, conterat caput serpentis antiqui; atque palmam et coronam sempiternam hereditatis tandem consequaris. Per Christum Dominum Nostrum. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

—

DECRETUM

approbans breviorem formulam benedicendi etc. supra relatam.

Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a SSmo Dno nostro LEONE PP. XIII tributis, ad instantiam plurium sacerdotum, praesertim Congregationis SS. Redemptoris, suprascriptam breviorem formulam benedictionis et impositionis Scapularis Beatae MARIAE Virginis de Monte Carmelo a sacerdotibus adhibendam, qui facultate gaudent adscribendi Fideles Confraternitati ejusdem Deiparae sub enunciato titulo, a Rmo Assessore ipsius Sacrae Congregationis revisam, approbavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 24 Julii 1888.

A. Card. BIANCHI, *S. R. C. Praef.*

L. † S.

LAURENTIUS SALVATI, *S. R. C. Secret.*

—

EX SACRA CONG. INDULGENTIARUM.

SANCTI SEVERI

De Gregoriano Missarum Tricenario.

Vicarius generalis Dioecesis sancti Severi (in Italia) huic Sacrae Congregationi Indulgentiarum et SS. Reliquiarum humiliter exponit: in hac civitate Sancti Severi piam praxim a S. Gregorio magno invectam celebrandi Missas per triginta continentes dies ad solamen illico afferendum animabus, quae in Purgatorio detinentur, ita invaluisse, ut nonnulli adhuc viventes praefatas Missas ad suffragiorum veluti anticipationem pro se celebrare postulent. Nec sacerdotes eas celebrare renuunt, rati se suscepto oneri satisfacturos juxta institutionem gregorianam, eo vel magis quod omnes putant huic piae praxi nullam adnexam esse Indulgentiam, nequidem illam altaris privilegiati.

Verum grave obortum est dubium, an gregorianum Missarum tricenarium, quod ab antiquis temporibus animabus e Purgatorii poenis liberandis institutum est, suffragari etiam valeat Christifidelibus adhuc viventibus. Insuper in evulgato opere R. D. Louvet, quod e gallico in italicum idioma translatum est a Josepho Giusti et cui titulus: IL PURGATORIO SECONDO LA RIVELAZIONE DEI SANTI sub finem C. XVIII pag. 291 (edit. Taurin.) haec leguntur: *Si crede poi generalmente che dai Sommi Pontefici sia stata accordata a questa pia pratica, delle Messe di S. Gregorio, una Indulgenza plenaria in forma di Giubileo, in modo che se la giustizia di* DIO *non vi ponga ostacolo, si può nutrire fondata speranza di ottenere la liberazione dell' anima per la quale si offre il divin sacrificio* (1).

Hinc quaeritur sequentium dubiorum solutio:

I. An Missae, quae gregorianae appellantur, atque pro defunctis sunt celebrandae, juxta perantiquam S. Gregorii institutionem ab Ecclesia recognitam et probatam, pro vivis etiam celebrari valeant?

II. An ipsis Missis gregorianis aliqua adnexa sit Indulgentia a Summis Pontificibus, uti legitur in citato opere R. D. Louvet?

Et quatenus affirmative.

III. Pro quibus eadem Indulgentia sit concessa pro defunctis tantum, vel etiam pro vivis?

IV. Si supradictae Missae pro vivis dici nequeunt, ad quod tenebitur sacerdos, qui bona fide pro vivis eas postulantibus celebravit?

Porro Sacra Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita, audito etiam unius ex Consultoribus voto, rescripsit:

Ad I. Negative.

Ad II. Non constat datam fuisse Indulgentiam, sed ex decreto hujus S. Congregationis diei 15 Martii 1884, recognita et approbata fuit pia praxis et specialis fiducia, qua fideles retinent, celebrationem triginta Missarum specialiter efficacem ex beneplacito et acceptatione divinae Misericordiae ad animarum e Purgatorii poenis liberationem (1).

Ad III. Provisum in praecedentibus.

Ad IV. Ad nihil tenetur sacerdos, qui Missas celebravit juxta intentionem offerentis, qui putavit, durante adhuc vita, posse anticipari suffragia.

Datum Romae, ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis, die 24 Augusti 1888.

SERAPHINUS Card. VANNUTELLI, *Praef.*

L. ✝ S.

ALEXANDER Episcopus OENSIS, *Secretarius.*

(1) Quae verba latine sic se habent: «Creditur autem « generaliter, a Summis Pontificibus concessam esse huic « piae praxi Missarum S. Gregorii, Indulgentiam plena« riam in forma Jubilaei; ita ut, nisi justitia DEI obsta« culum ponat, fundatam haberi liceat spem obtinendi « liberationem animae, pro qua offertur divinum sacri« ficium ».

(1) Cfr. *Acta,* anno III, pag. 165, ubi relatum fuit decretum diei 15 Martii 1884.

II.

ACTA ORDINIS

—

PETITIO RMI P. GENERALIS

AD OMNES PROVINCIARUM SUPERIORES AC T. O. COMMISSARIOS.

Die 20 Maji elapsi anni, de hoc Collegio S. Antonii verba facientes ad omnes Ordinis nostri Superiores, singulis gratias egimus Provinciis, quae tanto operi perficiendo activam opem praestiterunt.

Ast si fabrica materialis feliciter est consummata, longe abest ut nostri creditores satisfactionem debitam receperint; imo pro solis fructibus mutuatae pecuniae annuatim exsolvendis, subsidiis ingentibus indigemus.

Singulis igitur tam Provinciarum quam Custodiarum et Collegiorum Americae Praelatis enixe commendamus, ut in praelaudata caritate perseverent, sive eleemosynas, sive Missarum stipendia procurando.

Eisdem pariter Superioribus committimus ut, qua par est prudentia ac zelo, singulis utriusque Cleri Sacerdotibus, qui Tertio Ordini sub obedientia nostra constituto praesunt, et per ipsos, Tertiariis sibi subjectis, petitam eleemosynam iterum commendare non renuant.

Si enim in singulis Fraternitatibus semel saltem in anno renoventur praedictae collectae, omnia quae supersunt debita haud longo tempore ac sine Provinciarum gravamine extinguentur.

Datum Romae ex Collegio S. Antonii, die 12 Aprilis 1889 in festo VII Dolorum B. M. V.

Fr. Bernardinus a Portu Romatino,
Min. Genlis.

—

AD FRATRES NOSTROS

Incitamenta seraphica.

DE DISCIPLINA REGULARI RESTITUENDA

CAPUT IV.

De Mortificatione.

§ 5. *De quibusdam aliis mortificationibus.*

91. *Charitas fraterna.* Nihil in Evangelio magis inculcatur, quam charitas proximi. Christus enim loquens de primo ac maximo mandato, quo Deum ex toto corde diligere jubemur, addit (1): « Secundum autem simile est « huic: diliges proximum tuum sicut te ipsum ». Hanc charitatem ut signum distinctivum suorum discipulorum declaravit, dicens (2): « In « hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei « estis, si dilectionem habueritis ad invicem ». Christi vestigiis inhaerens S. Franciscus Fratribus suis charitatem fraternam maxime inculcat, dicens: « Ubicumque sunt et se inve- « nerint Fratres, ostendant se domesticos in- « vicem inter se, et secure manifestet unus « alteri necessitatem suam: quia si mater nu- « trit et diligit filium suum carnalem, quanto « diligentius debet quis diligere et nutrire Fra- « trem suum spiritualem? »

92. Hisce verbis S. Pater imprimis ostendit, fraternam charitatem universalem esse debere, eamque habendam esse erga omnes, qui se ipsius filios profitentur, sive hujus sive alterius Provinciae, sive hujus sive alterius Nationis, sive hujus sive alterius Familiae vel observantiae fuerint. Genuini S. Patris filii ab omnibus rixis semper abstinuerunt, et cum omnibus Fratribus in pace et concordia vivere studuerunt.

(1) Matth. XXII, 39.
(2) Joann. XIII, 35.

93. Ut autem cognoscamus, quanta charitas mutua inter Fratres habenda sit, considerare debemus juxta S. Patris effatum, maternae dilectionis naturam, in qua praeclarissimum nobis exemplar proponitur. Totum enim, quidquid habet mater, confert in prolis utilitatem; indefessa eam nutrit; ab omni malo imminenti eam protegere quaerit; ejus defectus mirabili suffert patientia; mediatricem agit, ut eam irato patri reconciliet; ubicumque mater potest, proles suas ad honorabilia promovet, iisque congaudet, si ab aliis aestimentur et laudentur; ac demum nihil agit spe alicujus compensationis, nec aliam quaerit satisfactionem, quam ei, quem amat, posse satisfacere. Talem, immo juxta S. Patris nostri monitum majorem adhuc dilectionem, Fratres ad invicem habere debent.

94. Ex dictis clare apparet, quantum a spiritu sancti Fundatoris nostri distent illi, qui Confratres suos vilipendunt, ipsis invident, ipsis detrahunt, et nullum eorum defectum tolerare volunt. Qualiscumque istorum sit devotio, paupertas et in observantia regulari alacritas, a vera tamen perfectione, quae in charitate consistit, longissime sunt remoti; dicit enim S. Paulus (1): « Si linguis hominum « loquar et angelorum, charitatem autem non « habeam, factus sum velut aes sonans aut « cymbalum tinniens ».

95. Diuturnus convictus cum Fratribus diversae indolis, nationalitatis, conditionis, capacitatis intellectualis atque virtutis, haud facilis esse solet. Ideo proprii amoris abnegatione saepe opus est, ut omnes, defectibus singulorum non obstantibus, et sancto charitatis vinculo uniti, invicem fraterne se diligant, et quisque aliorum defectus patienter ferat. Qui hanc abnegationem exercent, quiete in Ordine vivunt, Deo ac hominibus placent, atque magnam pro aeterna vita mercedem sibi comparant.

96. *Clausura.* Statuta Ordinis, quae clausuram vocant « quoddam religiosae vitae prae- « sidium, atque etiam ornamentum », praecipiunt, ut nemo, nisi cum socio et licentia Su-

(1) I. Corinth. XIII, 1.

perioris singulis vicibus impetrata, et benedictione accepta, egrediatur (1).

97. Pariter praescribunt, ut redeuntes ad Superiorem accedant et reditus significandi, et petendae benedictionis causa (2).

98. Insuper mulieres numquam, et quidem sub poenis ab Ecclesia statutis, alii vero saeculares solummodo si necessitas aut rationabilis convenientia, vel justa aliqua causa aliter postulaverit, ad interiores officinas et dormitoria admitti possunt (3).

99. S. Pius V feminis prohibuit sub poena excommunicationis latae sententiae, ne clausuram religiosorum virorum ingrediantur (4). Quam excommunicationem Papae reservatam extendi etiam ad ipsos Religiosos feminas intra eorum clausuras introducentes vel admittentes, declaravit S. Congregatio Episcoporum et Regularium (5). Haec lex ubique terrarum est in vigore, et contra ipsam nulla consuetudo contraria vel excusatio valet.

100. Dispositiones quoque Statutorum de egressu Religiosorum in quolibet Conventu observari debent; secus enim ibi non vigeret vera disciplina regularis.

101. *Religiosa subjectio.* Obedientia nostra, prout dicunt Statuta Generalia (6), « ad per-« fectae abnegationis gradum nos erigit, nul-« lum in mundo sive locum, sive jus proprium, « quo restringatur, habens, ac sola respuens « quae animae et Regulae contraria sunt ».

102. Hinc subjectio haec quasi continuum a nobis requirit propriae voluntatis sacrificium, quod amori proprio quidem difficile, Deo autem valde gratum, ac nobis meritorium est.

103. *Actus communes.* Non secundum nostrum commodum et beneplacitum tempus transigere possumus, sed praescriptum ordinem diurnum observare debemus. Hinc, nisi legitime impediti et excusati, choro diurno et nocturno, meditationibus aliisque pietatis officiis necnon omnibus Communitatis exercitiis et actibus interesse tenemur. Quae quidem omnia, prout patet, non levem mortificationem et abnegationem imponunt, simul vero ad multas et magnas virtutes exercendas necnon ad pretiosam in coelo coronam obtinendam, occasionem opportunam praebent.

104. Saepius igitur recogitemus, quot sancti Fratres nostri Ordinis hanc mortificationis et abnegationis vitam laetanter duxerint, quotque pii Fratres in omnibus mundi partibus nunc quoque eam ducant, eorumque praeclaris exemplis incitati, per eamdem viam indefesse incedere studeamus. Haec facientes veram pacem in hac vita, et aeternam gloriam in futura inveniemus.

(1) Constit. Gen. n. 235. 236 (232. 233).
(2) Constit. Gen. n. 240 (237).
(3) Ibid. n. 242. 245. (239. 242)
(4) Constit. *Regularium*, diei 24. Octobris 1566; et *Decet*, diei 16 Julii 1570.
(5) Die 4 Octobris 1588.
(6) Constit. Gen. n. 1050 (991)

CAPUT V.

De Educatione Juvenum.

§ 1. *De vocatione ad statum religiosum.*

1. Pro quolibet Ordine religioso summi momenti est, ut nonnisi membra digna in illo recipiantur. Attendant ergo illi, ad quos spectat, ut illos dumtaxat ad Ordinem admittant, qui veram ad hunc statum vocationem a Deo acceperunt. In statu enim religioso praeter praecepta divina, etiam varia consilia evangelica sub culpa mortali observari debent, uti est vivere in obedientia, sine proprio et in castitate. Hoc autem non omnium esse, Christus declaravit, dicens (1): « Non omnes capiunt verbum « istud... qui potest capere, capiat ». Et alibi dicit (2): « Quis volens turrim aedificare, non « prius sedens computat sumptus qui necessarii « sunt, si habeat ad perficiendum? » Quibus verbis instruimur, quod non quilibet habeat necessarios sumptus ad perficiendam turrim spiritualis aedificii; et propterea, qui illam aedificare voluerit, prius metiri debeat vires suas.

2. Ad Ordinem admittendi non sunt, qui a Deo non sunt vocati, et qui veniunt non ex intentione serviendi Deo, et salvandi ac sanctificandi animam suam, sed potius commoditates et gloriam suam in Ordine quaerunt. Ad horum numerum pertinent praesertim sequentes.

(1) Matth. XIX. 11.
(2) Luc. XIV. 28.

3. *Primo* illi, quos luget Apostolus (1), quorum deus venter est, qui ventrem colunt super omnia, et ad cultum ventris omnia referunt. Isti sunt, qui quum miseri et pauperes sint in saeculo, et simul pigri ad laborandum, cogitant nullibi commodius et securius invenire necessaria ad vitam corporalem, quam in Religione. Experientia compertum est, talium ingluviei saepe difficilius satisfieri, quam necessitatibus adolescentium quondam opulentorum.

4. *Secundo,* alios digito ostendit S. Antonius Paduanus dicens (2): « In foro communi tam« quam apothecarli sophisticas species falsi Re« ligiosi venditant; super habitu enim Religio« nis et umbra falsi nominis laudari appetunt. « Quoddam enim personale figmentum perfe« ctionis apud homines induunt. Sancti videri « volunt, esse nolunt. » Vere insani et infelices, qui horreum Religionis intrare intendunt, non ut tritico pascantur, sed ut paleas colligant, quibus comburantur. Quum enim magna opera piorum Fratrum, generosus contemptus mundí, sancta conversatio, et ipsius Regulae illustris fama admirationem et reverentiam et amorem erga Religiosos excitent apud catholicum populum, bene sapit mundanis quibusdam gloriola ista: quam quia non satis assequi possunt in statu suo saeculari, habitum sanctitatis ambiunt, ut sub eo, et per eum venerari possint levem istum fumum, quo suam pascant ambitionem. Nihil minus cogitant, quam de deponendo veteri homine; discunt solummodo componere externos gestus, vocem, vultum, vestes et mores ad formam sanctitatis, ut credantur esse, quales non sunt. Hos, si ad Ordinem admittantur, statim post professionem piget domi remanere, et non videri, quia tota eorum felicitas est, posse reverentiis communibus frui, et virtutis aliquod specimen ostentare. Vae infelici Ordini, qui talibus hypocritis scatet; et duplex vae, si talibus regatur?

5. *Tertio,* alii pueriliter alliciuntur ex aliquo carnali affectu suorum fratrum vel cognatorum, quos habent in Ordine, sperantes contubernium eorum, et non attendentes onera, quae sunt subeunda. Hi tandem propriis cognatis fiunt onerosi, dum non possunt eis ad satietatem satisfacere ad consolandum, ad confabulandum, ad protegendum contra correptiones Superiorum, et recreandum pusillanimes istos pueros. Ita luunt stultitiam suam, qui eos allexerunt.

6. *Quarto,* aliqui vehementi quadam impatientia ob res pro voto non succedentes, quasi desperabundi in hujus vitae angustias sese praecipitare cogitant. Si solum a praedominante spiritu indignationis haec suscitatur cogitatio, nec ulterius se porrigit, sicut radix conversionis amara fuit, ita et fructus omnes consequentes et reliquum vitae non nisi amaritudo, impatientia et perturbatio erit. Hi quadam ratione similes sunt illis, qui sibi manus injiciunt, ut finem inveniant gravibus moeroribus suis, quo medio in multo deteriores prolabuntur. Subinde vero simili occasione utitur Deus, ut ablactet electos suos a mundo per experientiam infidelitatis ipsius, qui secus difficulter potuissent avelli, et tunc simul magnas infundit resolutiones, relictis temporalibus se toto animo addicendi aeternis.

7. Bono vero spiritu ducuntur, qui Ordinem ingredi cupiunt, ut serviant Deo perfectius; vel ut evitent continua et gravia pericula, quibus scatet mundus; item illi, qui moventur ad castiganda in Ordine prioris vitae delicta; vel qui trahuntur amore virtutum, quas in Ordine sperant liberius posse exercere, uti devotionis, obedientiae, zeli animarum, paupertatis, austeritatis, castitatis, silentii, charitatis et similium.

8. Sub quibusdam conditionibus licitum est etiam Fratribus, saeculares invitare et incitare ad Religionis ingressum, prout docent S. Bonaventura et S. Thomas. Conditiones vero, quae requiruntur ad hoc, sunt sequentes. *Primo,* ut nonnisi idonei et digni invitentur, quia alias Ordini magna injuria fieret. *Secundo,* ut in Provincia, ad quam illi invitantur, disciplina et observantia regularis vigeat; nam juxta communem Theologorum sententiam tam scienter inducere, quam recipere quempiam ad Religionem deformatam vituperabile et graviter peccaminosum est, quoniam, qui introducit quempiam in Religionem, in qua Regulae promissae observantia non est, et inordinatae relaxationes inveniuntur, ejus manifesto periculo, in easdem transgressiones pro-

(1) Philippens. III, 19.
(2) Serm. Sexages.

labendi, directe cooperatur, eidemque causam imminentis ruinae praebet. *Tertio,* ut ad inducendum ad ingressum nonnisi honesta et licita media adhibeantur.

9. Juxta declarationem Nicolai III (1) admittendi ad Ordinem nostrum sunt « illi tan« tum, qui suffragantibus eis litteratura, ido« neitate, vel aliis circumstantiis, possint uti« les esse Ordini, sibique per vitae meritum « ac aliis proficere per exemplum ». Idipsum confirmat S. Bonaventura, dicens: (2) « Omnes « passim recipere, non expedit nobis, nec Ec« clesiae Dei. Non nobis, quia variae sunt con« ditiones hominum, qualitates et mores. Mul« tos enim saepe reciperemus imbecilles, qui « non possent rigorem Ordinis sustinere; mul« tos pauperes, qui non pro Deo, sed pro « sustentatione vitae vivere desiderant nobis« cum; multos incompositos moribus, quos « vix corrigere ab inolita consuetudine posse« mus, et per tales dissolveretur Ordinis disci« plina et impediretur profectus aliorum... Ec« clesiae similiter non expedit; cum sit Ordo « ad aedificationem Ecclesiae constitutus, mul« torum receptio magis confusionem induce« ret, nec de conversione multorum exemplum « aedificationis acciperet, sed scandalum, ubi « religiositas, excepto solo habitu, nihil inve« niret. Tot et tales solum recipi expedit, qui « sine onere Ecclesiae pasci possint, et qui va« leant Ecclesiae in spiritualibus respondere « his, quae ab ea in carnalibus recipiunt pro « corporum sustentatione ».

10. Potestas ordinaria recipiendi novitios ad Ordinem nostrum competit Ministro Generali et Ministris Provincialibus, prout expresse declaravit Nicolaus III dicens: « Con« cedimus, et praesenti statuto firmamus, licere « non solum Generali, sed etiam Provinciali« bus Ministris personas fugientes a saeculo « in Fratres recipere: quae Ministrorum Pro« vincialium licentia per ipsum Generalem, si« cut expedire viderit, possit arctari ». Eadem potestas inest Custodibus Regiminis necnon Vicariis Provincialibus, qui mortuo Provinciali succedunt.

11. Facultas Ministri Provincialis recipiendi novitios a Ministro Generali arctari non solum potest, sed etiam debet, si in respectiva Provincia non vigeat observantia S. Regulae, et praesertim perfectae vitae communis.

12. Ministri Provinciales propterea semper memores sint gravis obligationis suae, qua tenentur curare, ut regularis observantia in suis respective Provinciis vigeat; secus enim tuta conscientia novitios ad Ordinem admittere non possunt. Serio recogitent verba seraphici Doctoris, qui dicit (1): « Minus est malum, « non esse Religiosos vel nomine vel habitu, « quam ut sint, et per vitam eorum perver« sam alios scandalizent ». Et alibi (2): « Melius « est ibi non esse Religiosos, ubi non possunt « vel non volunt vivere ut Religiosi, quia tunc « nec ipsi pereunt, nec alii de ipsis scandali« zantur ».

13. SS. D. N. Leo PP. XIII per litteras diei 30 Decembris proxime elapsi anni 1888 Abbates Ordinis S. Benedicti in Austria convocavit, ut insimul deliberarent de meliori disciplina et regulari observantia in eorum monasteriis introducenda. In dicta epistola sapiens Pontifex principaliora ac magis necessaria puncta deliberationis et reformationis peragendae indicat, et inter haec puncta primo loco commemorat vitam communem. Dicit enim: « In « primis quum nihil magis obsit paupertati, « quam privati peculii habendi facultas, navi« ter cavere oportet, ne haec mala labes do« micilia Monachorum inficiat ». Si « haec mala labes » a Religiosis Ordinis S. Benedicti fugienda est, quanto magis eam fugere et eliminare debemus nos, qui altissimam paupertatem profitemur et observare tenemur?

§ 2. *De Collegiis seraphicis.*

14. Licet etiam nostris temporibus vocationes ad statum religiosum non desint, tamen permulti juvenes in praesentibus saeculi periculis aut vocationem suam penitus amittunt, aut ante ingressum suum ita educantur, ut spiritum pietatis et innocentiam morum saepe non conservent.

15. Haec serio meditantes variarum Provinciarum Patres, ac tam Ordinis quam juvenum utilitati pro viribus prospicere volentes, in eorum Provinciis *Collegia seraphica* institue-

(1) Constit. *Exiit,* § 10.
(2) Quaestiones circa Regul. qu. X.

(1) *Determinationes quaest. circa Regul.* qu. X.
(2) *De sex alis Seraphim,* cap. VII.

runt, in quibus pueri, qui inclinationem pro statu religioso ostendunt, debito modo educarentur, ac pro novitiatu praepararentur. De hujusmodi Collegiis alias fusius tractavimus eorumque opportunitatem demonstravimus (1).

16. In non paucis Provinciis ista Collegia uberes jam fructus protulerunt, ac propterea non solum supremi Ordinis Moderatoris approbationem, sed etiam Summi Pontificis laudem meruerunt. In Brevi enim diei 14 Januarii 1879 SS. D. N. Leo PP. XIII. dicit (2), « Collegia fuisse piis fidelium elargitionibus « erecta, recipiendis instituendisque adolescen« tibus, qui ad religiosae vitae rationem ineun« dam vocari videantur. Jam vero Nos, ut « opus tam pium, quod fide et charitate sua« dente inchoatum est, feliciter confirmetur et « crescat, et crebros nanciscatur suffragatores, « de Omnipotentis Dei misericordia etc. ». Deinde tam ipsis juvenibus in dictis Collegiis degentibus quam benefactoribus varias Indulgentias perpetuo valituras concedit.

17. Attenta nostrorum temporum conditione, hujusmodi Collegiorum erectionem summopere commendamus etiam aliis Provinciis, si locorum circumstantiae id permittunt.

18. Ad scopum horum Collegiorum obtinendum attendi debet, ut locus Collegii sit omnino separatus a Conventu, saltem per murum vel clausuram; ut pueris minime permittatur conversatio cum Fratribus professis et Novitiis, neque accessus ad interiora Conventus; ut eligantur Rectores et Magistri, qui sint scientia, prudentia, morum gravitate et pietate conspicui; ut Fratres laici ad Collegii servitium destinati, sint bonis moribus, charitate et religiosa gravitate praediti; ut pueri illi dumtaxat ad Collegium admittantur, qui aliqua saltem vocationis signa praebent, et qui ex honestis parentibus nati morum integritate, pietate, docilitate ac ingenio commendantur; ut depravati, negligentes et vocatione carentes minime recipiantur, vel si admissi sint, dimittantur.

19. Hujusmodi pueri instruendi sunt in catechismo, in lingua vernacula, latina, graeca et gallica, in historia, geographia et mathesi, et quidem per plures vel pauciores annos juxta indigentias tum puerorum tum respectivae regionis.

20. Ad debitam disciplinam conservandam pro quolibet Collegio peculiares regulae praescribi debent, quae respectivae regionis circumstantiis ac necessitatibus sunt accommodatae.

(Continuabitur).

(1) *Act. Ord.* ann. IV, pag. 11, 58, 72.
(2) *Act. Ord.*, ann. III, pag. 33.

—

CAUSAE SANCTORUM ORDINIS NOSTRI

III.

B. Matthiae de Nazzareis *Monialis Professae II. Ordinis canonizandae.*

Matelicae in Piceno, quod veluti Sanctorum seminarium Ordinis nostri haberi potest, ipsa orta est ex nobilibus piisque parentibus anno 1253 uti historici asserunt. In ipsa pueritia pietatem ac virtutem maxime coluit; facta autem adolescens splendidas nuptias a patre oblatas constanter recusavit, ac clam domo aufugiens ad monasterium Clarissarum sub nomine S. Mariae Magdalenae in patria convolavit, ut cum coelesti Sponso perpetuo sese conjungeret anno aetatis suae decimo octavo. Emissa professione religiosa, brevi tempore omnibus consororibus suis speculum atque exemplar virtutum evasit; ita ut, mortua Abbatissa, licet prae humilitate reluctans, in ejus locum suffecta est, quod munus per annos quadraginta sanctissime gessit. De die in diem in via perfectionis, et sanctitatis mirifice profecit, praesertim vero prudentiam, paupertatem, castitatem, atque humilitatem coluit; neque Deus desiit supernis charismatibus, dono prophetiae, miraculorumque gloria eam exornare. Unde factum est, ut ab omnibus, etiam extra claustra, tamquam sancta haberetur; et ad eam aut consilii, aut auxilii causa confugerent. Tandem cumulata meritis, et virtutibus, atque consororibus ad religiosam perfectionem excitatis, obdormivit in Domino anno circiter millesimo tercentesimo vigesimo, die vero Sanctorum Innocentium, ut jam praedixerat; vereque digna innocens virgo Martyrum primitiis hac ipsa die in coelo socianda.

Corpus ejus inter lacrymas, et laudes sororum ac civium, in Ecclesia Monasterii ab ipsa

jam aedificata, fuit tumulatum: ast paulo post, ut devotioni populi, qui concivem suam mirifice colebat, fieret satis, in decenti urna repositum, sub altare S. Caeciliae collocatum fuit in omnium conspectu, ut etiam in praesenti videri licet. Hinc coepit ejus publicus cultus, qui per quatuor saecula cum dimidio non solum unquam cessavit, sed potius in dies auxit, et per alia loca fuit propagatus ob multa miracula, et prodigia, quae ejus intercessione saepe operabantur, praecipue vero ob humorem sanguineum, qui continuo ex sacro corpore dimanabat, et dimanat, quemadmodum pluries juridice fuit comprobatum. Unde Clemens XIII anno 1764, die 13 Aprilis, votis annuere volens tum Clarissarum, tum Cleri, et populi Matelicensis, tum Generalis totius Ordinis Minorum, post *Processum Informativum super casu excepto* rite confectum a vigilantissimo Episcopo Ordinario Vivani, cultum hunc suo decreto confirmavit; declaravitque eam in posterum titulo Beatae esse honorandam: quanta autem laetitia et exultatione omnium difficile dictu est. Anno vero sequenti idem Summus Pontifex etiam Officium cum Missa de Communi Virginum Brevique concessit.

Dum vero corpus B. Matthiae in pace quiescebat, et tamquam pretiosissimus thesaurus ab omnibus habebatur, currente mense Octobris anni 1811 ex mandato infausti gubernii Napoleonici, nocturno tempore fuit violenter, et sacrilege de sub altari remotum, in quadam arca lignea inclusum, uti si esset cadaver hominis infimae plebis, et Maceratam exportatum, ut in Cathedrali Ecclesia suo tempore collocaretur, sub specie (quis crederet?) majoris venerationis erga Beatam ipsam; sed revera ut potius fidelis populus Matelicensis ab illius cultu removeretur, qui tamquam superstitiosus ab incredulis tunc temporis dominantibus habebatur. Ast post aliquot menses, cura et maxima sollicitudine *potestatis* tum ecclesiasticae tum civilis Matelicensis, nec non omnium civium, qui tantum scelus indignanter ferebant, obtentum fuit, ut in patriam restitueretur, et in pristinum locum collocaretur; uti revera factum est ingenti omnium laetitia. Quae maxime excrevit quando, arca detecta, fragrantissimus odor ex sacris exuviis emanavit, atque linteum, quo cooperiebatur, totum sanguineo sudore conspersum apparuit; quae omnia veluti Dei prodigia merito habita sunt, quibus ipse magis ac magis sanctitatem ancillae suae manifestabat.

Imo dici potest ut ex eo tempore usque nunc talia prodigia ferme quotidie operentur, maxime vero sanationes a variis infirmitatibus, et languoribus, quae B. Matthiae intercessione obtinentur non solum in patria, sed et in tota picena provincia, atque in aliis Italiae partibus, etiam in hac alma Urbe Roma. Unde factum est, ut in omnibus, praecipue vero in ejus sanctimonialibus Consororibus, magnum desiderium sit exortum, eam ab apostolica Sede albo Sanctorum quamprimum esse adscribendam. Et revera anno 1879, hujusmodi votum ab Adm. R. P. Bernardino e Cryptis Castri, Postulatore Generali Ordinis nostri, modo defuncto, Sacrae Rituum Congregationi expositum fuit, quae post maturam considerationem, et Summi Pontificis consensum, benigne annuit; unde *Causa reassumpta fuit.* Atque, praemissis praemittendis, suo tempore *Litterae Remissoriales, et Compulsoriales* Archiepiscopo Episcopo Fabrianensi et Matelicensi, Fratri Leopoldo Santanchè, Ordinis nostri, fuerunt expeditae; ut juxta eas *Processus Apostolicus super Virtutibus et Miraculis in specie* B. Matthiae conficeretur.

Qui de facto sub eodem Antistite, cura et sollicitudine R. P. Vice-Postulatoris Gabrielis a Pierosara, Ordinis Minorum de Observantia, die 24 Augusti anni 1882 fuit inceptus; atque feliciter ad finem ductus pariter mense Augusti anni 1886, licet sub altero Antistite, nempe Revmo Domino Macario Sorini, alterove Vice-Postulatore, Adm. R. P. Aloysio a Fabriano, nunc Ministro Provinciali, primis jam defunctis. Tandem mense Septembris ejusdem anni Romam delatus, atque praedictae Sacrae Congregationi praesentatus, nunc adhuc in ejus Cancellaria jacet... Verum, cum omnia usque in praesens rite sint peracta, sperare licet, Deo adjuvante, ut quam primum finem assequatur; et sic votum omnium adimpleatur, solemnis Canonizatio nempe hujus sanctimonialis feminae, decoris ac ornamenti Matelicensium Ordinisque Seraphici, nec non potentis Advocatae apud Altissimum.

Duae habentur *Vitae* B. Matthiae in lucem editae, una a quodam Hieronymo Baldassini, Laureti 1852; altera vero ab Adm. R. P. Vincentio a Portu S. Georgii, Ord. nostri, Bononiae apud Mareggiani, 1877. Quae ultima acquiri potest etiam apud nos pretio L. 1,50.

—

S. FRANCISCUS INVOCANTIBUS ADEST.

Ex Custodia Terrae Sanctae sequentem accepimus narrationem:

« In Monte Oliveto, penes sanctuarium Ascensionis Domini a Turcis usurpatum, jam ab anno 1872 consederunt filiae S. Theresiae ibique sumptibus gallicae Principissae De la Tour d'Auvergne amoenissimum construxere conventum et Ecclesiam. Avita fraterna caritate nixae, habent semper pro Confessario unum ex Patribus Franciscalibus. Modo hoc munere fungitur A. R. P. Vicarius Custodialis, Hieronymus a Sigean. Hisce diebus S. Patriarcha noster Seraphicus, mediante praefato Confessario, Sanctimonialium coetum valde consolari dignatus est et novo charismate nexum spiritualem inter utrumque Ordinem firmius consolidare. Res ita se habuit. Die 11 Martii a. c., sanctimonialis Catharina a Jesu inter meridianam refectionem instantanea corripitur constrictione oesophagi ita, ut nil amplius, nec guttulam aquae, deglutire potuerit. Cum hic status etiam per sequentes dies perdurasset, nullumque levamen adscitus medicus, dominus Friess, attulisset, et necessariam operationem in hospitali subeundam consuluisset, in tali evidenti discrimine posita religiosa pie ad mortem se praeparare accinxit. Ast ubi media naturalia defecere, ad media supernaturalia recurrere necesse fuit. Suggerente laudato Confessario, morti destinata sanctimonialis (cum operationem declinasset), invocare coepit S. Patriarchae Seraphici patrocinium. Potionem benedictam a Confessario, implorando S. Francisci interventum, admovet labiis, et ecce res miranda! — absque ulla difficultate illam deglutit, mortisque a faucibus se solutam esse conspicit. Ab hoc etenim momento cessavit infirmitas et in signum gratitudinis erga S. Franciscum pro recuperata salute exaravit documentum (1), quod infra subjungimus ».

Hierosolymis, die 24 Martii 1889.

IV.

MISSIONES

—

IMPERIUM SINENSE.

Eximii Praelati Ordinis nostri, Provinciae Hu-Quang, in Synodo coadunati, mense Majo anno 1887, optimum inierunt consilium regularem Conventum simulque centrale Seminarium erigendi. Illorum deliberationem summa prudentia exaratam unanimi consensu approbavit Generale Ordinis Definitorium, ac meritis laudibus prosecuta est Sacra Congregatio de Propaganda Fide. Ideoque praefatam deliberationem in *Actis* nostris publicamus.

Quum hodiernis temporibus coeleste Imperium, tamdiu advenis clausum, Europaeis nationibus tandem pateat, liberumque viatoribus ac missionariis praebeat ingressum, optime sensit ac egit praefata Synodus. Divinam exoramus Providentiam ut, intercedentibus tot Martyribus, qui Sinense Imperium sudore et sanguine

(1) Je, soussignée, déclare devoir à l'intercession de S. François d'Assise ma guérison subite. Depuis quatre jours, il m'était impossible d'avaler même une goutte d'eau; l'œsophage était complément fermé. La sonde introduite plusieurs fois par le médecin n'avait pu obtenir aucun résultat. Je n'attendais donc plus que la mort, et pour m'y préparer, j'avais renouvelé mes saints vœux entre les mains de notre R. Mère le matin du jour de ma guérison. Vers dix heures, le Très-révérend Père Jérôme, Vicaire Custodial de la Terre-Sainte, me demanda au parloir; il excita ma confiance en S. François d'Assise et me dit d'aller chercher un peu de tisane. Il commença alors des prières, en bénissant le liquide au nom de ce grand Saint et me commanda de le boire, ce que je pus faire au grand étonnemment des Sœurs présentes.

En foi de quoi, avec la plus vive reconnaissance, je signe cette déclaration.

Sr. Catherine de Jesus.
r. c. ind.

Carmel du Pater, Jérusalem 25 Mars 1889.

Sr. Marie Aloysia,
r. c. P. ind.

irrigarunt, propositum opus perficere queant, aliaeque Provinciae tam salutiferum exemplum imitari conentur.

—

DELIBERAZIONE

presa dai quattro Vicarii Apostolici del Hu-quang riuniti nel porto di Han-Kou per il secondo Sinodo Regionale nel mese di Maggio dell' anno 1887.

—

DELLA ISTISTUZIONE DI UN CONVENTO FRANCESCANO E DI UN SEMINARIO CENTRALE

per i Vicariati Apostolici francescani di Hu-quang.

CAPO I.

RAGIONE DEL DUPLICE DISEGNO.

Poichè il disegno comprende due parti in sè distinte, esponiamo dapprima la ragione propria a ciascheduna parte, e poi la ragione del loro congiungimento.

§ 1.

Ragione della istituzione di un Convento francescano.

Come risulta dalla storia delle Missioni francescane, fu già antica pratica dei nostri Padri di erigere Conventi in quei luoghi dove esercitavano l' apostolico ministero: anzi anche oggigiorno questa pratica è in uso quasi dapertutto dove l' Ordine serafico ha Missioni proprie: nell' Africa, nell' Egitto, nella Siria, nella Palestina, nelle due Americhe. E sembra che anticamente siasi così praticato anche in Cina, per quanto le circostanze lo permettevano; come può ben dedursi dalle lettere del da Monte Corvino e dall'Itinerario del B. Odorico. Questa pratica dell' Ordine nostro fu ed è certamente saggissima, come quella che è mezzo molto efficace sia per conservare lo spirito del proprio Istituto nei Missionarii, sia per il progresso spirituale dei popoli da essi evangelizzati. I Missionarii infatti hanno nella vicinanza del Convento un perpertuo richiamo ai doveri della religiosa professione, e ritirandosi colà per qualche tempo, possono più facilmente ritemprarsi alla virtù, senza bisogno di anelare per questo all' Europa. I popoli poi, oltre il vivo esempio di perfezione cristiana, possono avere dal Convento altri vantaggi spirituali, tra i quali non ultimo è l' agio, per chi vi fosse chiamato, di abbracciare la vita claustrale.

Nè la bontà di questa pratica fu certo disconosciuta dai nostri predecessori in queste Missioni di Hu-quang; ma come noi la troviamo ottima ed è nostro fermo proposito di ridurla ad effetto, così per quanto sappiamo ottima fu pure riconosciuta da quei nostri antecessori, e solo alle circostanze sfavorevoli attribuir si deve se dessi si rimasero col desiderio e l' intenzione, senza venire all' atto. Parecchi ancora ben ricordano come un trent' anni fa, la sacra Congregazione di Propaganda avea dato facoltà a Monsignor Spelta, allora Vicario Apostolico dell' Hu-pé, d' erigere Religiosa Provincia e di aprire Noviziato per quei giovani che si sentissero chiamati a seguire la povera ed apostolica vita del Serafino d' Assisi. Or bene, ciò che vollero e non poterono i nostri maggiori, vogliamo pur noi e crediamo, con l' aiuto di Dio e il consenso dei Superiori, di potere anche eseguire. Ora che l' Impero Cinese libero dalle passate gravissime turbolenze, va a poco a poco inoltrandosi sulla via della civilizzazione europea, e non fa ostacolo perchè gli stranieri possano qui pure sotto la guarentigia dei trattati convivere insieme, crediamo giunto il tempo opportuno da Dio concesso alla effettuazione del pio disegno. Se si potè già erigere un Convento ai Religiosi Trappisti nella Missione di Pechino, perchè mai non potremo noi instituire nelle nostre, un Convento di Francescani?

S' aggiunge che al santo proposito sembra eccitarci anche oggidì la Sacra Congregazione di Propaganda. Di fatti nell' istruzione che essa diresse ai Vicarii Apostolici della Cina l' anno 1883 intorno al regime delle Missioni e la conversione dei gentili al N. VI *De Institutis regularibus,* ha queste parole: « Optandum etiam est, ut si quis ex indigenis certam vocationem ad regulares ordines in missionibus jam existentes ostendant, ii, sine detrimento tamen cleri saecularis, in eosdem admittantur ». Ora le vocazioni al nostro

santo Instituto certo non mancano; ma come potremo noi comodamente e con sicurezza raccoglierle ed indirizzarle senza Conventi?

Adunque la pratica dell' Ordine dovunque potè effettuarsi; pratica trovata saggissima per conservare lo spirito religioso nei Missionarii e per la edificazione dei popoli; il desiderio comune fra i medesimi Religiosi Missionarii, e l' obbligo che ci incombe di provvedere per quello che a noi spetta, secondo il desiderio della sopra memorata Sacra Congregazione, che quelli i quali nelle nostre Missioni sono da Dio chiamati a seguire le orme del serafico nostro Padre, abbiano facile e sicuro modo di ciò fare, costituiscono sommariamente la ragione dell' istituzione di un Convento Francescano per le Missioni francescane del Hu-quang.

§ 2.

Ragione dell' istituzione di un Seminario Centrale.

Fu già proposta altra volta la erezione di un Seminario centrale per queste nostre Missioni, nel quale i giovani chiamati allo stato Ecclesiastico ed ormai abbastanza fermi nella loro vocazione, potessero fare gli studi superiori di Filosofia e Teologia. Sembrava che questo fosse, come sembra che sia tuttora, desiderio della Sacra Congregazione di Propaganda, come si può anche dedurre dalla instruzione accennata nel paragrafo precedente.

Quantunque, a dir vero, ciascuno dei nostri Vicariati abbia il suo Seminario sufficientemente bene constituito, è pur vero tuttavia che non sempre e dapertutto possiamo avere persone veramente idonee e sperimentate per dirigere maestrevolmente nella pietà e nella scienza i giovani destinati al Sacerdozio e all' Apostolato, e che quindi restringendo gli studenti in un Seminario Centrale, potremo dar loro più facilmente e più costantemente idonei e pratici instruttori che li formino alla virtù e alla scienza, così appunto come da lungo tempo desidera la Santa Sede e ci viene espresso nella già citata Instruzione della Sacra Congregazione di Propaganda; nella quale all' articolo *De Seminariis* n. 5, dopo riportate le parole del sacro Concilio di Trento: « Quaecumque ad conservandum et augendum « tam pium et sanctum Institutum (Seminarium scilicet) pertinere videbuntur, diligen« ter curent (Episcopi) », viene soggiunto: « Quod quidem ut efficaciter assequantur ne« cesse omnino est, ut commodiori Semina« riorum curae et regimini opportune ita pro« videat, ut quos Sacerdotes iis praeficiant ab « omnimoda aliorum ministeriorum admini« stratione dispensent atque eximant; ne dum « diversis sollicitudinibus distinentur, huic tanti « momenti negotio non diligentissimam dent « operam. Quod si accideret teneram juvenum « naturam ad praecellentem Sacerdotii voca« tionem non ita fingere possent uti, ipso « praeeunte Concilio, Ecclesiae intentionem « firmissimam esse cuique legenti patet ».

Per aderire dunque ai santi desiderii della Sede Apostolica, che mira a formare in Cina un Clero secolare compito, ed altresì perchè riconosciamo essere opera veramente proficua, proponiamo di concorrere all' erezione ed instituzione di un Seminario Centrale per le nostre Missioni del Hu-quang.

§ 3.

Ragione della connessione del Convento col Seminario Centrale.

Avvertiamo anzi tutto che questa connessione non deve essere intesa così che il Convento ed il Seminario facciano un corpo solo indistinto, bensì in quella guisa che praticano in Europa ed altrove Religiosi di diversi Ordini ed anche il nostro in alcuni paesi. Sogliono i Religiosi, ai quali è affidata l' educazione dei giovani vuoi secolari o chierici, avere casa separata o più frequentemente una parte speciale dello stesso edifizio nel quale quelli dimorano, dove possono con tutta pace attendere alle sante pratiche del proprio Instituto e d' onde alle ore stabilite, secondo l' officio a ciascheduno assegnato, passano all' altra parte abitata dagli alunni, a prestare l' opera loro nella Chiesa, nelle scuole, nelle camerate. Così adunque intendiamo di connettere il Convento al Seminario, che mentre l' uno e l' altro resteranno distinti ciascuno nel proprio essere senza fusione, il Convento venga a prestare tutti i soccorsi morali al Seminario e que-

sto presti a quello in compenso qualche aiuto materiale.

Ci pare che per avere nel Seminario stabilmente, come abbiamo esposto al § 2, institutori idonei, pratici, e liberi da ministeri incompetenti, non vi sia, nelle circostanze nelle quali versano i nostri Vicariati, mezzo più atto che affidare il detto Seminario ad una Comunità religiosa del nostro Ordine, nella quale, ben fondata che sia, regnerà perennemente la scienza e la pietà così da potere e l'una e l'altra trasfondere più agevolmente e abbondantemente nei cuori e nelle menti dei giovani chierici.

D'altra parte, posta la congiunzione, il Seminario coprirà coll'ombra del suo nome il Convento dei Religiosi, i quali come direttori e maestri avranno presso il pubblico una ragione d'esistenza molto stimata, poichè in Cina i luoghi di scuola sono in pregio e rispettati. Inoltre, non potendosi qui fare questua, i Religiosi avranno modo e ragione di vivere in parte dei redditi stessi del Seminario sia avventizii sia anche stabili, quando in seguito ne avrà, come giusta mercede dell'opera che a quello essi prestano.

Vengono adunque il Convento ed il Seminario senza fusione in un disegno congiunti, affinchè si prestino per dir così mutuamente la vita ed il benessere.

CAPO II.

Viste le ragioni della fondazione, si propone il modo nel quale instituir si deve tanto il Convento come il Seminario.

§ 1.

Del modo nel quale si deve instituire il Convento.

Il Convento dovrà instituirsi in maniera che in esso siavi, per quanto le circostanze lo permettono, la regolare osservanza della Regola del primo Ordine di S. Francesco e vi si pratichi tuttociò che sogliamo esprimere colle parole: comunità perfetta. Ma poichè le circostanze, nelle quali versiamo, esigono necessariamente qualche modificazione per quello che riguarda alcune cose di meno importanza, come sarebbe per esempio, la materia e la forma dell'abito, l'andare scalzo; si cercherà licenza dal Ministro Generale di potere nelle dette cose ed altre, stabilire quelle modificazioni che con l'esperienza si trovano già, o troveranno in seguito necessarie. Tuttavia per quel che riguarda la forma dell'abito, sembra non esservi difficoltà di uniformarsi alla Regola quando i Religiosi rimangono nel loro recinto, e quando poi escono per recarsi lungi di là, potranno prendere la forma di vestire ai Missionarii consueta.

Per dar principio al Convento, si cercherà nei debiti modi di far venire dall'Europa una piccola colonia di Religiosi, cioè quattro sacerdoti, tre o quattro chierici ed uno o due fratelli laici, ai quali verranno aggiunti altri due sacerdoti già pratici della lingua e dei costumi del paese. Non si cumulerà l'officio di Guardiano con l'officio di Rettore. I Seminaristi avranno per proprio Superiore il Rettore, come i Religiosi il Guardiano o Presidente; si affida tuttavia a questo l'alta vigilanza di tutto lo Stabilimento.

Il Convento dovrà avere una parte destinata al Noviziato e Professorio.

Non si ammetteranno al Noviziato alunni del Seminario Centrale se non con massima discrezione, facilitando piuttosto l'ammissione al III° Ordine, poichè il Convento non deve essere di detrimento alla formazione del Clero secolare. Di più nessun allievo Seminarista sarà ammesso al Noviziato, senza licenza dei rispettivi Vicarii Apostolici.

I chierici religiosi non avranno relazione coi Seminaristi, a meno che non si trovasse opportuno di affidare a quelli l'officio di prefetti: nel qual caso questi soli potranno trattare con essi nella propria Camerata. Potranno tuttavia i chierici religiosi frequentare le scuole del Seminario.

Spetterà al Ministro Generale designare secondo le Costituzioni dell'Ordine ogni tre o più anni un Visitatore del Convento, che egli potrà scegliere tanto tra i Vicarii Apostolici come tra i Missionarii Francescani.

§ 2.

Del modo nel quale si deve instituire il Seminario.

Come abbiamo stabilito, il Rettore ed i Maestri, sia per lo spirito come per l'inse-

gnamento dei diversi rami della scienza ecclesiastica, verranno assunti dal Convento, meno il maestro di letteratura cinese, il quale, finchè non si avrà un Religioso di essa molto perito, sarà un bacelliere cristiano. Il Rettore, come quello che deve avere autorità quasi indipendente per quanto riguarda i Seminaristi, verrà per la prima volta eletto di comune accordo dai Vicarii Apostolici; in seguito, come abbiamo già detto doversi fare per altre cose, si determinerà in particolare la norma da seguirsi per la sua elezione e quant' altro sarà richiesto per assicurare il buon ordine e la pace nello Stabilimento.

Quanto al regolamento disciplinare ed alle cose di spirito, si seguiranno da principio le norme già in uso presso a poco uniformemente negli attuali nostri Seminarii: in seguito, col consenso dei Vicarii Apostolici vi si introdurranno quelle modificazioni e aggiunte che l' esperienza avrà dimostrato essere necessarie od utili. Ma fin d' ora si stabilisce che il Rettore del Seminario, almeno tre volte all' anno, dia relazione degli alunni ai rispettivi Vicarii Apostolici, notandone il profitto nelle scienze e la morale condotta: e che nessuno fuori il caso di necessità, venga rimandato senza previa licenza del Vicario Apostolico al quale appartiene.

(Hic sequitur studiorum ordo quem, brevitatis gratia, omittimus).

CAPO III.

DI CIÒ CHE RIGUARDA LA PARTE MATERIALE ED ECONOMICA DEL DUPLICE ISTITUTO

Quello che stabiliamo in questo capo si riduce: 1° al luogo e al disegno della fabbrica; 2° ai mezzi necessarii alla fondazione; 3° ai mezzi di mantenimento. Ciò tutto esponiamo in distinti paragrafi.

§ 1.

Del luogo e del disegno della fabbrica.

Conveniamo che il luogo debba essere nelle vicinanze della città di U-cham, capitale delle due Provincie Hu-pè e Hu-nan (Hu-quang), come sito più centrale e per le relazioni abbastanza comodo; oppure nelle vicinanze del porto di *Han-Kou* per le stesse ragioni. Il Vicario Apostolico dell'Hu-pè Orientale si dichiara disposto a cedere a questo effetto il terreno che la sua Missione possiede a Zefang, un cinquanta ly (25 chilometri) lungi da U-cham.

Il disegno della fabbrica deve essere tracciato in maniera che, come dicemmo più sopra, il Convento ed il Seminario abbiano la loro parte distinta, senza mutuo detrimento e piuttosto con mutuo vantaggio. Il Vicario Apostolico dell'Hu-pè Orientale consente di provvedere al suddetto disegno, il quale non verrà eseguito se non dopo avuta la comune approvazione.

§ 2.

Dei mezzi necessarii alla fondazione.

Questi mezzi possono ridursi al denaro, col quale provvedere tuttociò che fa d' uopo, e poi alla direzione dei lavori. Per quello che s' appartiene a questa seconda parte, il Vicario Apostolico dell' Hu-pè Orientale consente di assumersene il carico. Per il denaro poi necessario alla fabbrica ed alla mobilia, faremo primieramente ricorso alla Sacra Congregazione di Propaganda ed all' Opera della Propagazione della Fede onde avere da ambedue, se non tutta la somma, almeno una buona parte; e per quello che mancherà, ciascun Vicario Apostolico concorrerà alle spese *pro rata parte.*

§ 3.

Dei mezzi di mantenimento.

I Vicarii Apostolici concorreranno alle spese in proporzione del numero degli alunni, che avranno in educazione nel Seminario Centrale, e dei rispettivi Missionarii che si ritirassero *ad tempus* nel Convento. Ma si cercherà di comune accordo, di formare quanto prima un fondo per il mantenimento del Seminario.

Per quello che riguarda l' amministrazione, il Procuratore dello Stabilimento sarà il Procuratore stesso delle nostre Missioni in Han-kou.

Ad uno o più economi verrà commessa l' amministrazione giornaliera. Al P. Guardiano poi ed al Rettore del Seminario spetteranno

la vigilanza ed i registri che verranno da loro confrontati ogni mese, e che dovranno presentare ai Vicarii Apostolici partecipanti alle spese, qualora ne fossero richiesti.

Ecco pertanto svolta compendiosamente la nostra deliberazione sulla Istituzione di un Convento Francescano e di un Seminario Centrale per queste nostre Missioni di Hu-quang.

Iddio buono che, come speriamo, c' inspirò questa santa idea, faccia si che superando ogni ostacolo possiamo a suo onore e gloria attuarla.

† Fr. ALESSIO Mª FILIPPI, M. R.
Vic. Apostco del Hou-pè Merid.
† Fr. EZECHIA BANCI, M. R.
Vic. Apostco dell' Hu-pè Occid. Sett.
† Fr. EUSEBIO M. SEMPRINI, M. R.
Vic. Apostco d' Hu-nan Merid.
† Fr. VINC. EPIFANIO CARLASSARE,
M. Oss. Rif., *Vic. Apostco dell' Hu-pè Or.*

—

EX REP. ARGENTINA.

Sorores Franciscales in Buenos Ayres.

Adm. R. P. Quiricus Porreca, Guardianus Collegii apostolici Rivi-Quarti, die 31 Januarii vertentis anni, Rmo P. Generali nuntium dedit de conventione peracta die 12 Octobris elapsi a Delegato Gubernii nationalis cum Superiorissa novae Institutionis Sororum Franciscalium, a praelaudato Patre paucis abhinc annis fundatarum (1). Vi hujus Conventionis a Reipublicae Praeside, D. Michaele Zuarez Celman, approbata, praefatae Sorores administrationem susceperunt nosocomii militaris civitatis principis *Buenos Ayres.* Dum Sororem Tertii Ordinis Gubernium vocavit ad regendum militare nosocomium, quod forsan in toto orbe, uti fertur, nulli secundum est, eo ipso religioni catholicae obsequium praestitit, quum aliae Respublicae insanum christianae pietatis institutis bellum indicunt.

(1) Cfr. *Acta Ordinis,* anno III, pag. 13.

IV.

BIBLIOGRAPHIA

—

ANONYMUS, Min. Obs. — L'Archange Raphaël, sa mission, son culte, par un Frère Mineur, avec l'approbation du Rme P. Général. Paris, Retaux-Bray, éditeur, 82 rue Bonaparte. In-18 pag. 140. (Prix: 1 fr.).

Illmus BONAVENTURA PORTILLO, Min. Obs. — Carta Pastoral del Illmo Sr. D. Fr. Buenaventura del Sagrado Corazon de Maria Portillo, Obispo de Chilapa, dirigida al Venerable Clero y à todo los Fieles de su Diócesis, publicando las letras Apostólicas de Nuestro Smo. Padre el Sr. LEON XIII, sobre colecta de lismosnas para las necesidades de Tierra Santa. — Mexico, Tipografia de Aguilar E. Hijos. — 1ª de Sto. Domingo 5, y esquina de Sta. Catalina y la Encarnación, 1888.

ENGELBERTUS GEY, Min. Rec. — Dissertationes quaedam philosophicae elaboratae a P. Engelberto Gey O. S. F.: (Prov. SS. Cordis JESU) Phil. prof. in Colleg. ad S. Franc. Sol. Quincyae Ill. Cum permissu Superiorum. — Neo-Eboraci, Cincinnati, Chicagine: Benziger, Fratres, Summi Pontificis typographi. 1888.

Cardin. GULIELMUS MASSAJA, Min. Cap. — I miei trentacinque anni di missione nell'Alta Etiopia, vol. sesto.

Anche per questo volume rivolgersi: al P. Egidio da Milano, Arch. Gen. Cappuccino, Piazza Barberini, Roma al prezzo di L. 12.

P. THEOPHILUS DOMENICHELLI, Min. Obs. — L'Emmaus della Palestina a sessanta stadii da Gerusalemme, per il P. Teofilo Domenichelli, Minore Osservante. Livorno, tipografia di Francesco Vigo. 1889. — In-8 pag. 425. (L. 5.) Indirizzarsi a Fr. Giuliano da Verona, Collegio di S. Antonio, Via Merulana, Roma.

RÈGLE DU TIERS-ORDRE RÉGULIER DE S. FRANÇOIS approuvée par Léon X, texte la-

tin, italien, français et anglais, avec l'approbation du Rme P. Général de tout l'Ordre des Frères Mineurs à l'usage des divers Instituts qui professent cette Règle. Quaracchi, près Florence, Impr. du Collège de S. Bonaventure 1889, pag. 32.

OPERA EXTRANEORUM ORDINEM CONCERNENTIA.

P. ANTONINO FIORESI. — Santa Margherita da Cortona e la nuova Chiesa, Ricordi del P. Antonino Fioresi delle Scuole Pie — Terza Edizione, emendata e accresciuta. Firenze, Tipografia della Pia Casa di Patronato. 14 Via Oricellari 14 1889.

FRANCESCO MARCHESE. — Vita di S. Margarita da Cortona Terziaria dell' Ordine di S. Francesco, raccolta da processi per la sua canonizzazione da Francesco Marchese, Prete della Congregazione dell' Oratorio di Roma. Seconda Edizione, diligentemente riveduta e corretta. Napoli 1888. In-16. (Pag. 431).

V.

NECROLOGIA

—

R. P. BONAVENTURA A GRAECIO, nostrae Almae Reformatae Provinciae Romanae filius, ex Valetudinario Patrum Capuccinorum de Urbe, sub finem praeteriti anni, coelum, uti speramus, ascendit eadem nocte, qua mundi Salvator de coelo descendit.

In lucem editus die 25 Februarii anni 1815 in pago divo Francisco pergrato, ejus Institutum amplecti deliberavit, et die 7 Maji 1830 religiosum habitum suscepit in Conventu Fontiscolumbae, ubi, expleto tyrocinio, solemnium votorum professionem emisit. In virtutum palaestra adeo profecit, ut semper et ubique confratrum exemplar et saecularium admiratio evaserit. Fuit quippe in eo maximum paupertatis studium, singularis obedientia, insignis castitas. Humilitate vero adeo fulgebat, ut vel ab ipsis Novitiis veniam deprecaretur, quoties ex officio eos admonere cogeretur, atque vilia libenter obiret. Guardianatus munere variis in Coenobiis laudabiliter functus est. Orationi assiduus, publicis communitatis exercitiis aderat die noctuque, et CHRISTUM patientem tali prosequebatur affectu, ut in frequenti Ejus meditatione cor suum exardesceret, et *Viam Crucis* persaepe visitaret. Sacrum tam devote peragebat, ut Angelus adstantibus videretur. Solitudinis amator, temperans verbis et cibis, a saecularium consortio et colloquio prudenter se abstinebat, et vix necessarium in mensa sumebat. Adversae suae valetudinis incommoda, caecitatem praesertim, patientia prorsus admirabili sustinuit.

Tam praeclarae virtutes tum magis in eo emicuerunt, quum in praedictum Valetudinarium, anno 1875, fuit deportatus (uti ex diligenti illorum Religiosorum relatione abunde constat), ubi etiam, non sine speciali auxilio divino, visum recepit. Quod ex brevissimo somno supererat tempus in Oratorio impendebat humilitatis et orationis exercitiis, et Missam inserviendo ceteris Sacerdotibus invalidis. Tamquam Novitius saepe visus est genuflexus coram Fratribus suorum defectuum veniam expetens. Tunc etiam nil novi in vestibus desideravit et petiit, atque nonnisi aegre ac interdum a proprio Provinciali Ministro accepit, solis repetiatis vel usu detritis se contentum dicens. Qua vivendi ratione adeo delectabatur, ut nequidem januam illius Conventus agnoverit, illinc se non exiturum ajens nisi sepulcrum aditurum, sicut factum est anno aetatis suae 74, Religionis 58.

Ave, perdilecte Frater! DEUM pro tua Provincia et Ordine exorare memento.

R. I. P.

Nihil obstat

FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

EX SAC. CONG. INDICIS.

DECRETUM

Sabbato 13 Aprilis 1889.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 13 Aprilis 1889, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnatum atque proscriptum in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quod sequitur Opusculum:

Roma e l'Italia e la realtà delle cose, pensieri di un Prelato Italiano. Opuscolo estratto dalla *Rassegna Nazionale,* an. XI, vol. XLVI, 1.° Marzo 1889. Firenze etc.

Itaque nemo cujuscumque gradus et conditionis praedictum Opusculum damnatum atque proscriptum, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut editum legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus illud tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae, die 13 Aprilis 1889.

CAMILLUS Card. MAZZELLA, *Praef.*
Fr. HIERONYMUS PIUS SACCHERI, *Ord. Praed.*
S. Ind. Congr. a Secretis.

Loco ✝ Sigilli.

Die 16 Aprilis 1889, ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

VINCENTIUS BENAGLIA, *Mag. Curs.*

—

EPISTOLA

Summi Pontificis ad Episcopum Brixiensem circa praefatum damnatum opusculum.

—

VENERABILI FRATRI EPISCOPO BRIXIENSI

LEO PP. XIII.

Venerabilis Frater,
salutem et Apostolicam Benedictionem.

Gratam scito Nobis epistolam tuam fuisse. In ea enim visi sumus novum perspicere testimonium episcopalis vigilantiae tuae, itemque studii singularis, quo perseveras cum colere Nos amantissime, tum jurium Apostolicae Sedis velle atque optare incolumitatem animique tui declarandi si qua detur opportunitas, te videmus eam libenter arripere, nec praeterlabi facile sinere: uti nuper, cum illud in lucem prodiit Opusculum, quod ipse commemoras: quodque sane si displicet tibi, ut scribis, jure displicet.

Imo vero nemo prudens rerumque existimator aequus reperiatur, quin tecum magna voluntate consentiat. Hoc enim quis ferendum putet, res permagni momenti, cum potestate Pontificis Maximi, cum ipsa Apostolici muneris libertate copulatas, audacter ad suum revocari arbitrium publiceque dijudicari ab homine quidem privato, nulla ad id auctoritate praedito? Atqui ab ipso Pontifice judicata causa est: is enim quid et sentiat ipsemet, et sentire ceteros oporteat, non semel neque obscure significavit. Utrumne suadere secus multitudini, salva officii religione, liceat? Illud vero magis arrogans magisque praeposterum, consilia rerum gerendarum dare, Sedique Apostolicae quid optimum factu sit, velle ostendere. Sane ejusmodi disputationum huc fere summa redit, expedire atque utile esse sedate Nos pacateque acquiescere rebus novis ac temporibus. Scilicet quod est per vim injuriamque actum, id cuperent Nostra fieri voluntate ratum; perinde ac minime liqueret, hanc rerum conditionem, in quam diu compellimur, omnino esse et a dignitate Romani Pontificis alienam, et vere ejus libertati repugnantem, ita quidem ut non illam accipere, sed perpeti necessitate coacti debeamus, quoad summo ac providentissimo rerum humanarum moderatori Deo placuerit. Praeterea civilem romanorum Pontificum auctoritatem non populorum voluntas, sed verius pravarum sectarum audacia violavit: illae quippe sacram conjuratae evertere potestatem, initium excidii a civili principatu fecere, ut hoc veluti expugnato dejectoque praesidio, in illam ipsam conatus suos impetusque converterent. Id jam quam aperte obstinateque moliantur, res loquitur ipsa. Opportunum est igitur ac magnopere salutare munire animos diligenter contra hujus generis scripta, eo periculosiora quod, ut plurimum, simulatione modestiae atque ementita religionis specie multitudini imponunt. — Caelestium munerum auspicem ac benevolentiae Nostrae testem tibi, Venerabilis Frater, et Clero populoque tuo Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXXI Martii An. MDCCCLXXXIX, Pontificatus Nostri duodecimo.

LEO PP. XIII

Paucos post dies, Illmus D. Jeremias Bonomelli, Episcopus Cremonensis, praefati opusculi auctorem seipsum declaravit ac in die solemni Paschae, adstantibus clero ac fidelibus, raro humilitatis exemplo, illud reprobavit. Eximio Praelato sequentes litteras Summus Pontifex paterne direxit:

VENERABILI FRATRI

JEREMIAE EPISCOPI CREMONENSI

LEO PP. XIII.

Venerabilis Frater,
salutem et Apostolicam Benedictionem.

Libentes intelleximus, id quod te facere aequum erat nec dubitavimus facturum, summa te voluntate potestatis legitimae decreto paruisse, judicioque Nostro recentem illam lucubrationem tuam teque ipsum submisisse cum obsequii reverentiaeque testificatione debita. Qua in re eminet profecto virtutis exemplum, nominatim in Episcopo laudandum: idque etiam insignius, quia maximâ populi coronâ libere editum. De illa vulgo cognita modestia Fenelonii nondum fama conticuit: quo ipso confirmatur, non tam esse miserum aliqua in re opinione delinquere, quam deliquisse fateri gloriosum. — Habes igitur, venerabilis Frater, in ipsa facti conscientia praecipuum fructum consolationis: quamquam videri tibi jucunda ac perhonorifica debet etiam approbatio hominum sapienter judicantium. Horum erga te voluntas illam quoque animi molestiam facile absterserit, quam debes ex eorum clamore plausuque cepisse, qui tua illa scriptura in suffragium causae suae avidius abutuntur. — Ceterum intelligis quanti sit videre diligenter, ne causa romani pontificatus in angustiorem campum disceptando cogatur. Videlicet oportet in negotio tam gravi non judicium ex eventis rerum mutabilibus facere, sed repetere altius rationes, serioque perpendere quid justitia postulet, quid Sedi Apostolicae ad divinum munus suum desideretur. — Quod enim saepe diximus saepiusque est dicendum, in civili principatu non humana quaedam res, sed libertas vertitur officiorum apostolicorum ac jurium:

quae libertas alienae obnoxia esse potestati arbitrioque non debet. Idcirco decessores Nostri omnes incolumitatem tueri principatus sui omni contentione studioque conati sunt, Nosque ipsi conamur vindicare perseverantia pari, quantarum rerum contineat ille praesidium, aestimantes. Hoc judicio dirigenda opinio est: hoc idem accurate animis inculcandum praesertim cum apud multos, cetera laudabiles, liberiorum sententiarum plus aequo creverit favor. — Te interim paternae caritatis sinu complectimur, constanterque fore ut ipse benevolentiae Nostrae voluntate mutua tuorumque vicissitudine officiorum respondeas, certo scimus. Divinorum vero munerum auspicem, animique in te Nostri testem accipe Apostolicam benedictionem, quam tibi peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIX Aprilis An. MDCCCLXXXIX, Pontificatus Nostri duodecimo.

LEO PP. XIII

—

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

Responsum circa preces a Leone XIII praescriptas immediate post Missam.

Beatissime Pater,

Fridericus Episcopus Basileensis, provolutus ad pedes S. V., humiliter implorat authenticam interpretationem Apostolici Decreti quoad preces recitandas a Sacerdote finita Missa; quaestio nempe ita se habet: Utrum preces praescriptas *(3 Ave, Salve Regina etc.)* in quibusdam casibus, nempe vel alicujus parvae functionis vel Communionis distribuendae, peracta demum adnexa Missae caeremonia recitare liceat; vel an subsequi Missam ipsae semper immediate debeant?

Et Sacra Rituum Congregatio proposito dubio sic rescripsit:

Preces a SSmo D. N. Leone Papa XIII praescriptae recitandae sunt immediate expleto ultimo Evangelio. Atque ita rescripsit. Die 23 Novembris 1887.

—

EX SACRA CONG. INDULGENTIARUM

I.

URBIS ET ORBIS.

Quoad confessionem faciendam per singulas hebdomadas ad acquirendas Indulgentias Plenarias.

Ad dubia, quae proposuit R. D. D. Episcopus Leucensis et Vicarius Capitularis Friburgensis, quod attinet ad sacramentalem Confessionem, quae necessaria est ad acquirendas Indulgentias plenarias intra hebdomadam, aut binas continuas hebdomadas occurrentes, nimirum:

I. Utrum Confessio praescripta per singulas hebdomadas peragi debeat infra septem, vel potius infra octo dies?

II. An verba *infra duas hebdomadas* stricte interpretanda sint, ita ut Confessio peragi debeat infra quatuordecim dies, vel potius sufficiat bina Confessio in mense? Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita respondit die 28 Novembris 1878: Ad 1.^{m} *Affirmative* ad primam partem, idest praescriptam Confessionem peragi debere quolibet decurrente septem dierum spatio: *Negative* ad secundam partem. — Ad 2.^{m} *Affirmative* ad primam partem, idest praescriptam Confessionem peragi debere quolibet decurrente quatuordecim dierum spatio: *Negative* ad secundam partem.

Ad majorem hujus rei declarationem quaeritur modo:

I. Utrum Christifidelis, qui singulis hebdomadis et stato die, ex. gr. Sabbato, Confessionem peragere solet, satisfaciat oneri praescriptae Confessionis?

II. Utrum oneri praescriptae Confessionis satisfaciat Christifidelis, qui iis in locis pro quibus viget Indultum, alternis hebdomadis et stato die, ex. gr. Sabbato, Confessionem peragere solet?

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, die 25 Februarii 1886 ad suprarelata dubia respondit:

Ad 1.^{m} *Affirmative.*

Ad 2.^{m} *Affirmative.*

Datum Romae, ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 25 Februarii 1886.

J. B. Card. Franzelin, *Praefectus.*
F. Della Volpe, *Secretarius.*

II.

Quoad indulgentiam de Portiuncula in Ecclesiis, ubi creatae reperiuntur Congregationes T. O. saecularis.

Beatissime Pater,

Petrus Eugenius Rougerie, Episcopus Apamiensis, sequens Dubium Sacrae Indulgentiarum Congregationi proponit:

An ex Constitutione SSmi Domini nostri Leonis Papae XIII, quae incipit *Misericors Dei Filius,* abrogatum sit privilegium, quo, uti asseritur, in Ecclesiis, ubi erectae reperiebantur Congregationes Tertii Ordinis Saecularis S. Francisci Assisiensis, acquiri poterat Indulgentia de Portiuncula nuncupata?

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita suprarelato dubio respondit: *Affirmative.*

Datum Romae, ex Secretaria ejusdem Sac. Congregationis, die 13 Decembris 1888.

S. Card. Vannutelli, *Praef.*

Alexander Episcopus Oensis, *Secr.*

II.
ACTA ORDINIS

—

LITTERAE ENCYCLICAE

Rmi P. Ministri Generalis ad indicendum Generale Capitulum 1889.

—

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO
STRICTIORIS OBSERVANTIAE
SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI
JAM S. THEOLOGIAE LECTOR, VENETAE PROVINCIAE
EX-MINISTER
EX-PROCURATOR REFORMATORUM
S. R. C. CONSULTOR
TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTER GENERALIS
ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS.

Venerabilibus et dilectissimis in Christo *Patribus, Fratribus, Monialibus, ceterisque ubique terrarum Nostrae obedientiae subjectis, vel etiam, ob reverentiam Seraphici Patris, fide et charitate Nobis conjunctissimis, salutem et consolationem in Spiritu Sancto.*

Ex quo, Deo sic permittente, ab Aracoelitana Nostra Residentia discedere coacti fuimus, ea insedit menti nostrae cogitatio, officium Nostrum esse Generale Ordinis Ministerium in manibus Summi Pontificis resignare. Nam cum, hac potissimum causa, ne scilicet, Nobis cessantibus, Residentia amitteretur, prorogatus fuisset ad beneplacitum S. Sedis Ministeriatus Noster, pronum videbatur, sublata causa prorogationis, prorogationem ipsam cessare debere. Consilio tamen aliquorum Patrum, etiam ut ad finem perduceremus fabricam hujus Collegii S. Antonii, distulimus.

Verum, sub finem mox praeteriti anni 1888, ad pedes Summi Pontificis provoluti animum nostrum filiali cum fiducia aperuimus, Eumque rogavimus ut dignaretur suam et Dei voluntatem humilitati Nostrae manifestam facere. Qui postquam summa paterna benignitate Nos audiisset, interposito ad deliberandum tempore, tandem mense Februario sententiam suam edixit, indulgendo ut Generale Capitulum ad novas electiones faciendas intra currentis anni spatium convocaretur. Sed quia non satis temporis praesto erat, ut in pervigilio Pentecostes celebrari posset, Summus Pontifex, derogando pro hac vice antiquae Ordinis traditioni et consuetudini, consensit ut celebretur die tertia Octobris in vigilia Festi S. P. N. Francisci.

Itaque auctoritate Summi Pontificis et Nostra, habitoque super omnibus quae ad hoc negotium pertinent consilio et consensu Patrum Nostri Generalis Definitorii, praesentium Nostrarum litterarum vigore, indicimus Generale Ordinis Capitulum die tertia Octobris hujus anni 1889 in hoc Collegio S. Antonii, Romae, si Domino Deo placuerit, celebrandum.

Propterea (omissis antiquis, quae omnino sublatae sunt, denominationibus Familiarum Cismontanae et Ultramontanae, et reservatis pro natione hispanica providentiis quae a S. Sede Apostolica dabuntur) citamus ad indictum Generale Capitulum, et in virtute S. Obedientiae praecipimus ut compareant, nisi legitimo et per authentica testimonia comprobando impedimento fuerint detenti,

1.° Rmus Pater Vice-Commissarius Apostolicus pro natione Hispanica:

2.° Adm. Rev. PP. Procurator Generalis Ordinis, Procurator Generalis Reformatorum, Procurator Generalis Recollectorum et Excalceatorum:

3.° Adm. Rev. PP. actuales Definitores Generales Ordinis; quibus, in locum defunctorum, subrogavimus, et subrogatos esse declaramus, pro Adm. Rev. P. Thoma ab Urbe, Adm. Rev. P. Bernardinum a Ferentino, ex-Definitorem Generalem antiquiorem Obs. Provinciae Romanae; pro Adm. Rev. P. Angelo a Caserta, Adm. Rev. P. Romualdum a Casalinovo, ex-Ministrum Obs. Provinciae S. Angeli in Apulia; pro Adm. Rev. P. Victorino a Fusiniano, Adm. Rev. P. Aurelium a Decimo, Reformatae Custodiae Lucensis, ex-Commissarium Generalem Reipublicae Argentinae:

4.° Ex concessione Pii Pp. IX omnibus ex-Procuratoribus Generalibus facta in Capitulo Generali anni 1862, Adm. Rev. P. Cornelius Van Werkhove, ex-Procurator Generalis Recollectorum et Excalceatorum:

5.° Tres RR. PP. Secretarii Nostri Generales, nempe P. Secretarius Generalis Ordinis et Regularis Observantiae, P. Secretarius Generalis Strictioris Observantiae, P. Secretarius Generalis pro Missionibus:

6.° Rev. PP. Ministri Provinciales singularum Provinciarum, vel, loco eorum qui legitime fuerint impediti, respectivi Custodes Vocales:

7.° Rev. PP. Custodes Gubernii Custodiarum independentium.

8.° Ex dispensatione Pontificia, pro hac vice dumtaxat, Rev. PP. Commissarii Generales earum Italiae Provinciarum, quibus, ob peculiares circumstantias, loco Ministri Provincialis, unum Patrem, titulo Commissarii Nostri praefecimus:

9.° Rev. P. Jacobus a Castromadamae, Sacri Montis Sion Guardianus, utpote Custos Terrae Sanctae.

Omnes hic citati Vocales non accedant ad hunc Capitularem Conventum ante festum Sacrorum Stigmatum, neque post diem 21 Septembris. Veniant autem cum uno tantum socio, vel potius, ad minuendum et numerum et sumptus, curent Ministri Provinciales limitrophi unus alteri se comites itineris adjungere. Praeter Electores cum sociis praedictis nemo alius audeat, occasione aut tempore Capituli ad Urbem venire sub poena apostasiae ipso facto incurrenda, aliisve arbitrio nostro infligendis.

Comitiorum tempore, quousque Vocales ad propria redierint, PP. Commissarii juxta Constitutiones eligendi, vel, si agatur de vicinis Provinciis, PP. Delegati a Ministris Provincialibus deputandi, nihil omnino in respectivis Provinciis innovare possint.

Preces porro faciendae hae sunt: Incipiendo a die 16 Augusti usque ad tertiam Octobris, qualibet quinta feria solemni festo non impedita, cantetur in singulis Conventibus, quatenus fieri potest, Missa de Spiritu Sancto: singuli vero Sacerdotes legant Collectam. Quotidie semel in Choro cantetur vel saltem legatur hymnus *Veni Creator* cum versiculis et orationibus de Spiritu Sancto, de Immaculata Virgine Maria, et de Seraphico P. N. Francisco. Diebus autem 18, 20 et 21 Septembris, quae sunt Feriae quatuor Temporum fiat processio per Ecclesiam et claustrum, cantando litanias Sanctorum Ordinis Nostri. Haec processio majori cum solemnitate peragi debet post decantatum summo mane solemne Sacrum de Spiritu Sancto in die electionis 3 Octobris: qua die Sacerdotes omnes Missam votivam de Spiritu Sancto legere possunt, alii vero SS. Communionem Corporis Christi recipere debent, communibus votis divinum lumen electoribus, et abundantiam omnium gratiarum universo Ordini impetraturi.

Interim vero PP. Superiores Provinciarum Italiae, qui nondum ad Nos miserunt *Statum localem et personalem,* a Nobis biennio elapso postulatum, suae Provinciae, eum parare festinent, et ad Capitulum deferre: omnes autem secum ferant sigillum sui officii, et *schematismum,* qui habent, vel saltem *Conspectum,* ex quo appareat quot Conventus, Residentias, Hospitia, quot numero Sacerdotes, quot Clericos studentes, quot Fratres Laicos professos, quot Novitios unaquaeque Provincia habeat, ut sic integra Ordinis *Statistica* componi possit. Si quae praeterea habuerint vel facta vel documenta utiliter ad notitiam vel etiam ad judicium PP. Capitularium deferenda, vel in Archivio Ordinis reponenda, ea PP. Superiores Provinciales exhibere non omittant.

Igitur ecce, Charissimi, munus Ministeriatus brevi dimissurus sum. Sentio hanc dimissionem nec mihi nec plerisque Vestrum,

quibuscum per viginti annos paterno charitatis vinculo conjunctus fui, jucundam esse posse; sed diminutae meae corporis et animi vires mihi persuaserunt, alium, mei loco, Generalem Ministrum, aetate juniorem, spiritu promptiorem, magis universo Ordini fore profuturum. Quid ego, consilio et opere egregiorum Patrum mei Definitorii, et Vobis ipsis coadjuvantibus, in bonum Ordinis praestiterim, non ignoratis; at DEUS scit quot defectus, quot etiam culpas omissionis, non quidem sciens et volens, sed ex humana infirmitate incurri. De quibus humillime a vobis veniam peto, et rogo velit omnipotens DEUS, Vobis quoque pro me in charitate postulantibus, mecum misericorditer indulgere. Nemo autem Vestrum, si qua in re exemplo aut verbo aut nimia concedendi facilitate ego defeci, audeat auctoritatem meam in sui excusationem deinceps proferre, sed omnino promptum se exhibeat mandatis et dispositionibus Rmi Patris Ministri Generalis, Successoris mei, cujus salutari correctioni me meaque acta ego ipse ex nunc plane subjicio.

Ceterum, Patres, Fratres, et Filii dilectissimi, nunquam non memor ero Vestrum, Vestraeque in me benevolentiae et filialis pietatis; nunquam non recordabor consolationum, quas ex vestra sancta conversatione et religiosis exemplis, quoties Vos visitavi, hausit spiritus meus. Et si quos forte conscientia arguit, se aliquando vel personam vel auctoritatem P. Ministri Generalis parvipendisse, DEUM rogo ut illis parcat, et ego ex toto corde illis ignosco, omnes in charitate CHRISTI ambabus ulnis complectens.

Valete, ergo in DOMINO omnes, quos adhuc una vice filios appellare possum et gestio, quacumque in orbis terrae parte versamini, sancta ministeria sive inter fideles sive inter infideles exercentes, DOMINO famulantes, S. P. Francisci imaginem et spiritum in vobismetipsis referentes, et populis ostendentes.

Valete Vos quoque, Venerabiles Filiae ejusdem nostri Seraphici Patris, quae, sive vinculo obedientiae sive intimioris charitatis, in persona P. Ministri Generalis ipsum S. Franciscum revereri et diligere consuevistis, quarum indesinentibus ac fervidis precibus mihi et universo Ordini permulta beneficia a DEO obvenisse certe credo et grato animo confiteor.

Demum, quod nunc maximi momenti est, oremus omnes DEUM ac Dominum nostrum JESUM CHRISTUM ut, intercedente SS. Virgine Immaculata, per SPIRITUM SANCTUM suum, mentem PP. Vocalium illustret ad talem Virum in Ministrum Generalem eligendum, qui, temporum et rerum adjunctis recte perpensis, sit vere dignus, et idoneus tanto muneri suscipiendo et implendo, quique seraphicum spiritum in toto Ordine reviviscere faciat et fovere satagat ad gloriam DEI, in auxilium S. Ecclesiae, ad decorem ipsius Ordinis, in salutem animarum.

Porro rogo ne desinatis preces effundere pro SS. Dno N. LEONE Pp. XIII, quem DEUS diu incolumem servet, pro Emo Cardinali Protectore nostro Joanne Simeoni, et pro me qui toto cordis affectu seraphicam benedictionem omnibus impertio.

Dat. Romae e Nostro Collegio ad S. Antonium, die 26 Aprilis anno 1889, quo die ante viginti annos Ministeriatum Generalem adepti sumus.

Humilis in Domino servus
Fr. BERNARDINUS, *Min. Gen.*

L. ✠ S.

De mandato Pat. Suae Rmae
Fr. PETRUS A MONSANO,
Secretarius Generalis Ordinis.

NOTA. Superiores Provinciarum curabunt sensum harum nostrarum litterarum Sanctimonialibus nostrae jurisdictioni subjectis explicare, iisque et aliis etiam quae, quamvis Ordinario loci subsint, Ordini tamen nostro addictissimae sunt, quinimo et Fratribus et Sororibus Tertii Ordinis sub nostra obedientia constitutis, commendare, ut pro bono exitu Capituli ferventius orent.

AD FRATRES EXPULSOS

Incitamenta seraphica.

DE DISCIPLINA REGULARI RESTITUENDA

CAPUT V.

DE EDUCATIONE JUVENUM.

§ 3. *De receptione Novitiorum.*

21. Licet Ministri Novitios recipiendi potestate gaudeant, tamen ea arbitrario modo uti nullatenus possunt; sed in tanto negotio cum

prudentia, justitia et charitate ita procedere debent, ut nec dignos repellendo nec ineptos recipiendo verum Ordinis bonum promoveant. Probe ergo attendant oportet illas conditiones, quae tum a S. Regula, tum a sacris Canonibus, tum denique ab Ordinis Statutis pro Novitiorum receptione requiruntur.

22. Imprimis, qui ad Ordinem admitti cupiunt, vere catholici esse debent. Ob quas rationes Religiosis fides fortis necessaria sit, S. Bernardinus indicat (1). Nam *primo* ipsa est primum fundamentum perfectionis. Qui nobis esset animus iis gravibus obligationibus nos obstringendi; nisi apprehenderemus bonitatem et majestatem ejus, propter quem hanc arctam viam ingredimur? Quid autem in cordibus nostris generat comprehensionem istam, nisi fides eorum omnium, quae de Deo revelata sunt. Haec fides, licet in saecularibus fidelibus reperiatur, quia tamen non adeo viva et fortis est, idcirco trepidant ad solum auditum illius austeritatis, quae Religiosis delectabilis videtur ob amorem ejus, cujus immensam bonitatem degustarunt.

23. *Secundo,* ex fidei infirmitate languet spes adipiscendi praemium illud singulare, quod Religiosis reservatum est, cujus valorem quia beneficio clarioris fidei intelligimus, ideo prae ceteris propter verba labiorum Dei custodimus vias duras.

24. *Tertio,* fides est, quae nos certificat, hac professione honorari Dominum super omnia alia opera saecularia. Qua fide quia carent haeretici, de hoc vitae genere auspicando non cogitant; quin potius illud contemnunt, blasphemant, persequuntur.

25. *Quarto,* quum Deus ab omnibus hominibus exigat opus fidei velut sacrificium quoddam humani intellectus, qui captivari debet, et quodammodo immolari sub verbo Dei revelato; hoc est praeparatio quaedam et manuductio ad plenius sacrificium propriae libertatis per obedientiam, et mactationem intimarum concupiscentiarum per paupertatem et castitatem.

26. *Quinto,* ea est hominis pusillanimitas, ut trepidet ad aggrediendum aspera et remota multum a sensu et judicio communi, nisi praeeuntem videat magnum aliquem et sapientem virum, quem tuto sequi possit. Ut isti nostrae infirmitati succurreret, aeterna Dei virtus et sapientia, Filius ingeniti Patris, factus homo praecessit et viam aperuit. Sola fides hunc ducem nobis ostendit, et sequendum docet sine ambiguitate.

(1) Tom. I, serm. II. art. 1. 3.

27. *Sexto,* nemo ignorat, quantis obicibus, argumentis, fallaciis, violentiis et blanditiis mundus servos Jesu Christi detinere moliatur, ne integre sequantur illum in suis sanctis consiliis; eadem invidia, qua olim sanctos Martyres a Domino avellere moliebatur. « Sed haec « est victoria, quae vincit mundum, fides no« stra (1) », qua suadente eum fugimus, contemnimus, amicitiam ejus rescindimus, et transferimus ad coelestia.

28. Ob has causas S. Franciscus sapienter praecipit Ministris, ut Ordinem nostrum ingredi cupientes diligenter examinent de fide catholica. Quae inquisitio eo accuratior esse debebit, quo majores male suspicandi occasiones praebent parentes suspectae fidei, regio haeresi infecta, et praesertim nostris temporibus studii locus.

29. Hoc examen de fide non indiscriminatim apud omnes instituendum est; nam in jure dicitur: « Noti non sunt examinandi, sed « tantum ignoti (2) ». Siquidem, cessante fine legis, cessat etiam lex.

30. Vult etiam S. Franciscus, ut candidati examinentur de ecclesiasticis Sacramentis. Quia vero fides de ecclesiasticis Sacramentis jam in fide catholica continetur, putant nonnulli, a S. Patre examen circa usum et frequentationem Sacramentorum praescribi, quia exinde status moralis juvenum facilius dignosci potest.

31. Recipiendus ad Ordinem non sit ligatus matrimonio consummato, vel si sit ligatus, eae conditiones adimplendae sunt, quae in S. Regula pro hoc casu praescribuntur.

32. Item non sit aere alieno, vel debitis gravatus. Theologi tamen conveniunt, quod debitis gravatus ad Ordinem recipi possit, vel si in saeculo remanens gravissimo salutis periculo exponeretur, vel si a creditoribus licentiam ad ingrediendam Religionem obtinuerit.

(1) I Joann. V, 4.

(2) Gloss. in cap. *Nullus examinetur,* dist. 24.

33. Qui habet parentes in gravi necessitate constitutos, suoque auxilio omnino indigentes, non potest licite ingredi Religionem. Nam obligatio filiorum parentibus indigentibus subveniendi ex ipsa lege naturali petitur, eamdemque lex divina inculcat. Nullatenus autem ab ingressu Religionis prohiberetur, si parentes non essent in gravi necessitate, sed dumtaxat vellent, ut in saeculo manens ipsos ad commodiorem et altiorem statum perduceret; vel si ut saecularis non magis ipsos juvare posset, quam ut Religiosus; vel si pro parentum sustentatione aliunde provideatur, v. g. si adsit alius filius, qui ipsis subvenire possit et velit.

34. Recipiendus sit sanus mente et corpore, legitime natus, nulla vulgari infamia notatus, sufficienter instructus, non metu vel violentia coactus.

35. In receptione ad Ordinem ubique locorum observandum est Decretum Pianum *Romani Pontifices* diei 25 Januarii 1848 de litteris testimonialibus Ordinariorum requirendis. In Italia vero et adjacentibus insulis insuper observari debent, quae in Decreto *Regulari disciplinae* praescribuntur.

36. Ad Laicatum, juxta Decreta Apostolica, nemo recipiendus est ante vigesimum aetatis suae annum (1).

37. Ministri Provinciales in receptione ad Ordinem caute procedant oportet, et potius paucos bonos quam multos parum idoneos recipiant, ne id verificetur, quod legitur (2): « Multiplicasti gentem, et non magnificasti lae« titiam ».

§ 4. *De Novitiorum educatione.*

38. A bona Novitiorum educatione magna ex parte dependet futura Ordinis prosperitas, ac ipsorum Novitiorum felicitas. Hinc maximi momenti est, ut cura et educatio Novitiorum viris dumtaxat vere idoneis committatur, et ut isti magno zelo et fervore fungantur officio suo.

39. Clemens VIII qualitates recenset, quas Novitiorum Magister habere debet, dicens (3): « Magister sacerdotali ordine sit initiatus, et « quinto saltem supra trigesimum aetatis suae « anno constitutus, et per decennium a pro« fessione emissa in Religione perstiterit. So« cius vero trigesimum annum excedat, sint« que ambo doctrina, et quantum per Supe« riorum diligentiam et vires fieri poterit, vi« tae etiam anteactae exemplo praestantes, ora« tionis praeterea et mortificationis operibus « addicti, prudentia charitateque referti, non « sine affabilitate graves, zelum Dei cum man« suetudine praeseferentes, ab omni cordis ac « animi perturbatione, ab ira praesertim et in« dignatione, quae in se et in aliis charitatem « impedire consueverunt, quam longissime alie« ni, et tales demum, qui in omnibus seipsos « bonorum operum exemplum praebeant, ut « ii, qui eorum curae subsunt, illos non tam « metuant, quam revereantur, nec illis unquam « detrahere quidquam possint ».

40. Magister Novitiorum jam ab initio menti Novitiorum imprimere studeat veram pietatem, dum ingenium adhuc recens, simplex, docibile, et omnis boni avidum est. Quae primo proponuntur, reverentius suscipiuntur, gustantur melius, firmius haerent, et creduntur simplicius.

41. Quia vero non solum interioris hominis recta dispositione, sed externis etiam actibus colitur Deus, et Fratrum communitati necesse est se conformare: imprimis statim ab initio monstrandae erunt eis caeremoniae, et officia eis competentia: qua honestate, alacritate et diligentia peragant quae communiter fieri solent in choro, refectorio, dormitorio, cella aliisque in locis, ne ubique ex ignorantia attoniti haereant, aliisque fratribus sint offensioni.

42. Deinde moneantur vitam et affectus instituere ad regulas omnium religiosarum virtutum. Nempe: sic dirigere actiones et cogitationes singulas, ut per eas magis magisque placeant Deo in quiete conscientiae et cordis puritate; stare continuo in praesentia Dei eumque alloqui tamquam clarissime intelligentem omnes cordis motiones, simulque omni loco et occasione mentis evagationes evitare; agnoscere se vilem et indignum consortio hominum, et ex eadem cognitione contentum esse vilibus officiis, contemptu et oblivione; obe-

(1) Clemens VIII, *Cum ad regularem,* 19 Martii 1603.

(2) Isaiae IX, 3.

(3) Constit. *Cum ad regularem,* n. 14.

dire superioribus quibuscumque sicut DOMINO, libenter, simpliciter, velociter, viriliter et perseveranter; injurias et correptiones, etiam indiscretas, sine murmuratione tolerare; silentium praescripto tempore et loco prompte observare; sincere amare omnes omnino homines, etiam eos, qui illis male volunt aut voluerunt; religiose et accurate observare omnia, quae in Regula praescripta sunt, necnon Ordinis constitutiones et consuetudines.

43. Porro quia harum aliarumque virtutum occasiones non semper occurrunt Novitiis, quas tamen non solum auditu addiscere debent, verum etiam usu: subministrandae sunt eis nonnumquam occasiones, modo graves, modo leves, ut et ipsi probent, quid possint, et idipsum superioribus magis innotescat. In his si difficultas aliqua et repugnantia animadvertatur, instructione opportuna sublevandi et animandi sunt ad vincendum seipsos, donec virtutis gustare coeperint suavitatem.

44. Sagaciter explorandum est, quo ferantur Novitiorum ingenia, quibus studiis et occupationibus maxime delectentur; nam « ex « studiis suis intelligitur puer, si munda et « recta sunt opera eius (1) ». Si malae sint inclinationes, istis emendandis potissimum adlaborandum est, ac Novitii hujusmodi informandi sunt, quomodo tales inclinationes frangant et flectant versus bonum. Si nec ad bonum nec ad malum ferri videantur, sed tantùm agant, quae ab aliis communiter fieri vident: exstimulandi sunt ad amoris divini et coelestis bravii prosequutionem. Si bonae sint inclinationes, fovendae sunt, et discrete dirigendae atque excolendae. Neque deponenda est cura et solicitudo de illis, qui mollioris et modesti videntur ingenii; saepe enim sub quietis istis et taciturnis amariores latent passiones, quae postea, dum nihil minus cogitatur, erumpere solent et furere terribiliter.

45. Verumtamen non cuilibet data est ars et sapientia Novitios dirigendi et ad vitam religiosam formandi. Propterea eligendus est Magister industrius et discretus, sciens cuique convenientia indicare exercitia et opera, juxta personarum capacitatem, necessitatum exigentiam, virium quantitatem, et morbos infirmorum.

(1) Proverb. XX, 11.

46. Praecipua prudentia et discretione opus est Magistro quoad illos Novitios, qui variis tentationibus agitantur. Dicit enim Spiritus Sanctus (1): « Fili, accedens ad servitu- « tem DEI, sta in justitia et timore, et prae- « para animam tuam ad tentationem ». Misericors et miserator DOMINUS probatione tentationum docet manus servorum suorum ad praelium, in quo necesse habent tota vita sua inevitabiliter exerceri. Inaestimabile istud est divinae bonitatis beneficium. Frater Bernardus a Quintavalle in extremis positus, hoc de se testabatur, dicens: « Non fui verus Frater Mi- « nor, nisi in tentationibus, in quibus semper « tenuit me DOMINUS (2) ».

47. Quia mundus laqueis et inquietudinibus plenus est, putant ignari non pauci, postquam ex eo fugerint, in Religione omnem se inventuros quietem et securitatem; quam dum postea non inveniunt, sed potius acrius praelium instauratum, abjecto animo turbantur, tristantur et quasi desperant. Talis erat quidam Frater tempore S. P. N. Francisci. Ob molestam et vehementem tentationem proximus desperationi videbatur. Simul etiam verebatur tentationem detegere S. Patri, metuens, ne propterea minus deinceps ab eo diligeretur. Afflictum Fratrem S. Pater accersivit, et paterna voce consolatus est: « Ne timeas nec contri- « steris, fili mi. Crede mihi, quod nunc plus « solito te DEI servum judico, et quo magis « tentatum te senseris, magis mihi te noveris « esse dilectum. Nullus, fili, se DEI servum « reputare debet, quousque per tentationem et « tribulationem non transierit. Annulus est « quodammodo victa tentatio, quo DOMINUS « servi sui animam sibi desponsat (3) ».

48. Variis tentationibus varia media indicata sunt, quae tentatis non mediocriter profuerunt. Primum est disceptationes istas interiores alicui viro prudenti, praesertim Magistro, revelare. Sola ista revelatio saepe jam sufficit ad excutiendas e mentibus Novitiorum illas molestias, quae alioquin insuperabiles videbantur.

49. Secundum vincendarum tentationum praesidium est fervens et confidens oratio. Huic

(1) Eccli. II, 1.
(2) Annal. Ord. tom. I. ad ann. 1241. n. 9.
(1) Opusc. S. Franc., tom. III. Colloq. 28.

benignissimus DEUS facile acquiescit, dum agnoscentes imbecillitatem nostram, ad eum confugimus, qui nos in hoc adduxit certamen, cum promissione adjutorii necessarii in tempore opportuno.

50. Tertium remedium est confidentia in Beatissimam Virginem MARIAM. Quot Religiosi per hanc amantissimam Matrem non solum sanctae vocationis, sed etiam perseverantiae gratiam obtinuerunt! Ad eam ergo Novitii afflicti magna fiducia confugiant, juxta S. Bernardi monitum (1): « Si insurgant venti « tentationum, si incurras scopulos tribulatio- « num, respice stellam, voca MARIAM ».

51. Sacramentalem denique confessionem sinceram multum prodesse ad excutiendas tentationes, experimento satis compertum est.

52. Praeter afflictiones spiritus subministrat interdum DEUS Novitiis dolores corporales et morborum afflictiones. In his se prodit cujuslibet generositas et poenitentiae faciendae propositum. Qui enim vilioris sunt animi, seipsos amantes, spiritus vigore destituti, statim lamentabuntur, DEI memoriam seponentes et ad parentes et patriam aspirantes. Unde suspicari licebit, eos post professionem fore de illis delicatis, qui ad minimos morbos volunt ab oneribus communibus dispensari, et semper de remediis reparandae vel conservandae sanitatis cogitant. Qui vero venerunt castigandorum delictorum gratia, vel ad sectandum CHRISTI patientis vestigia, gaudent et congratulantur sibi, luculentas istas materias virtutis exercendae subministrari. Hos verus DEI amor huc adduxit, ideoque nihil terrebit et a sancta vocatione amovere poterit.

53. Novitii instruantur de doctrina christiana, de natura et obligatione votorum tum simplicium tum solemnium, de praeceptis sacrae Regulae nostrae secundum pontificias declarationes Nicolai III et Clementis V. et Innocentii XI, de divino officio rite et pie persolvendo, de modo cum fructu confitendi, communicandi, mentaliter orandi ac Missae ministrandi. In cantu ecclesiastico frequenter exerceantur.

(Continuabitur).

—

(1) Homil. 2. super *Missus*.

CAUSAE SANCTORUM ORDINIS NOSTRI

IV.

VEN. THEOPHILI A CURTE *in Corsicae Insula Sacerd., Prof. beatificandi.*

Ortus est die trigesima Octobris anno 1676, ex piis nobilibusque parentibus, cui in sacro regenerationis fonte nomen Blasii imposuere. Ab ipsis incunabulis gratia DEI praeventus, infantiam atque adolescentiam in morum candore, virtutumque exercitio transegit. Aetatis suae anno decimo septimo, in sortem DOMINI vocatus, inter Fratres Minores de Observantia ipsa in patria humillime adscribi petiit. Voti compos factus, nomen Blasii in illud Theophili commutavit; quod certe non sine superna dispositione accidisse videtur, eo quod ab illo tempore coepit revera intensius DEUM colere et diligere; unde de virtute in virtutem procedens, brevi omnium Confratrum suorum speculum atque exemplar evasit, etiam quoad studium litterarum, in quo maxime profecit.

Emissa solemni professione atque Sacerdotio initiatus, ex Superiorum licentia patriam reliquit, tulitque se ad sacrum Recessum Civitellae prope Sublacum in Provincia Romana; qui tunc temporis a B. Thoma a Cora, adhuc vivente, regebatur. Difficile dictu est quantum noster Theophilus sub tanto duce et praeceptore in via religiosae perfectionis profecerit. Quod satis apparet etiam ex variis officiis, quae in posterum ei commissa fuere, nempe Novitiorum Magistri, Conventus Guardiani, nec non Lectoris; non solum, sed zelo divinae gloriae, animarumque salutis prout erat incensus, omnia, quae sunt ministerii sacerdotalis, tum Civitellae, tum in illis finitimis locis continuo exercebat; ita ut brevi tempore veluti sanctus Sacerdos haberetur et esset.

Certe quod Illustrissimus ac Reverendissimus Eustachius Nicoterae Episcopus, dum Processus Ordinarius super fama sanctitatis dicti B. Thomae ex hac vita jam decessi conficiebatur, posteaquam ipsum Theophilum examinarat, dixit coram Testibus et Judicibus: « Hodie Sanctum per alium Sanctum examinavimus; nunc conficitur Processus B. Thomae, in posterum conficietur et de hoc P. Theophilo »: Factum probavit dictum.

Interim supremus Moderator Ordinis, ad quem jam pervenerat fama pietatis zelique P. Theophili pro regulari observantia, eum in patriam remisit, ut ad normam sacri Recessus, quem nunc relinquebat, alium Zuani in Corsica fundaret, quemadmodum revera fecit. Eumque quinquennio rexit summa prudentia et vigilantia, praecedens omnes subditos suos verbo atque exemplo in via perfectionis. Tandem vero, anno 1736, ad pagum Ficecli in Hetruria missus fuit, eo fine ut Conventum illius loci sub nomine B. Virginis MARIAE, pariter ad modum Recessus reduceret: quod et fecit prospero quidem successu. Quo in loco reliquum vitae suae cursum in exercitio omnium virtutum, sacerdotalique ministerio rite obeundo, transegit. Unde mense Maji anno 1740, aetatis suae vero sexagesimo quarto, plenus meritis, supernisque charismatibus abundans, obdormivit in DOMINO cum magno sanctitatis odore tum apud suos, tum apud exteros.

Quod et manifestius apparuit in ejus exequiis, cui adstitit populus pene innumerabilis, percupidus eum videndi, aliquam reliquiam habendi, nec non obtinendi ejus intercessione gratias et beneficia juxta uniuscujusque necessitatem; ita ut necesse fuerit venerabile corpus per plures dies insepultum relinquere ut tantae multitudini fieret satis. Tandem vero decenti et distinctae sepulturae mandatum est de qua post quatuor annos erutum, adhuc incorruptum suavemque spirans odorem, in elegantiori tumulo fuit collocatum, ibique usque nunc requiescit. Statim fama ejus sanctitatis nec non miraculorum, quae a DEO, ipso intercedente, saepe fiebant, undequaque convolavit; ideoque coepit erga eum devotio populorum, quae in dies adeo excrevit, ut jam multi initiationem Causae Beatificationis Servi DEI instanter peterent.

Et revera, Processus, qui dicuntur *Informativi* vel *Ordinarii,* super fama sanctitatis, virtutibus et Miraculis Servi DEI, nec non super paritione Decretis Urbani VIII etc. in Civitate et Dioecesi S. Miniati, sub cujus ditione est Ficeclum, constructi fuere. Deinde, Romam delati, a S. Rituum Congregatione uti validi recogniti sunt, proindeque adprobati. His peractis, mense decembri anno 1755, a Summo Pontifice Benedicto XIV Decretum super *Introductione Causae* emanatum fuit; atque post aliquot annos, a S. Congregatione *Litterae Remissoriales* Episcopo S. Miniati successive expeditae sunt pro conficiendis Processibus *Apostolicis* super cultu Ven. DEI Famulo numquam exhibito, super fama sanctitatis in genere, nec non super Virtutibus et Miraculis in specie. Qui omnes pariter rite absoluti, et ad Urbem delati, anno 1771, auctoritate apostolica fuerunt adprobati. Postea, ut mos est, ad examen heroicarum Virtutum Servi DEI deventum est in triplici Congregatione, in *Ante praeparatoria* nempe, habita mense Novembri 1815 in aedibus Revmi Cardinalis Galeffi Causae *Relatoris,* in *Praeparatoria,* celebrata mense Januario 1817, in Palatio Apostolico Vaticano; tandem in *Generali* coram Summo Pontifice Pio Papa VII. die 4.ª Septembris ejusdem anni in Palatio Apostolico Quirinali coadunata. Summus Pontifex, omnibus mature perpensis, atque ad DEUM pro tanta rei gravitate fusis precibus, nactus auspicatissimum diem Nativitatis B. M. Virginis, rite decrevit: « Constare de Ven. Servi DEI Theophili a Curte Virtutibus Theologalibus et Cardinalibus earumque adnexis in gradu heroico etc ». Ex quo Decreto, cujus relata verba conclusionem efformant, sequentia excerpimus speciminis gratia. « Viros clariori qualibet virtutum genere praestantes, qui Summum perfectionis gradum assequuti, facem christianae pietatis praebuerint loculentissimam, ex singulari divinae providentiae beneficio effulsisse in vices temporum Sancta gratulatur Ecclesia, quam exinde turrim dicimus aedificatam cum propugnaculis, ex qua pendet omnis armatura fortium. Spectatissimis id genus atque in exemplum proponendi hominibus vel dum in vivis degerat communi omnium judicio accensebatur Ven. Theophilus a Curte Sacerdos Professus ex Minorum Observantium familia, qui praeterito saeculo, et in Corsicae Insula, et in Hetruriae Regno, tum in perditis hominibus per ministerium verbi revocandis in semitas justitiae, tum in suis Ordinis recessibus ad sanctiorem Regulae executionem erigendis, eo semper divinae gloriae studio adlaboravit, ea purioris vitae sollicitudine, eo virtutum apparatu, ut imaginem CHRISTI et opere referens et sermone frugum justitiae suae majora in dies protulerit incrementa ».

Ex quo tempore autem usque ad annum

1878, cum vera miracula, quae legitime probari possent, deessent, nihil amplius in Causa Beatificationis nostri Ven. Theophili actum fuit. Verum, « Deus qui solatur humiles, et ferventia filiorum suorum vota benigno suscipit favore post jam praeterlapsum dimidii saeculi cursum inter quotidianas gratias, quibus fideles in propriis necessitatibus dilecti sui Famuli opem implorantes solabantur, permisit ut duo splendida miracula super Ven. Servi Dei tumulo patrarentur; quae novum huic Causae fulgorem, novumque attulerunt fausti ejus exitus incitamentum. Utrumque contigit in pago, vulgo *Fucecchio,* Dioecesis S. Miniati, in quo Ven. Servi Dei praetiosae reliquiae quiescunt; alterum quidem puellae Josephae Aleati, quae incurabili rachitide affecta prope Venerabilis exuvias insperatam obtinuit sanitatem. Alterum vero mercatori Francisco Tognetti ex oppido Ficecli ejusdem Dioecesis, qui diuturna perfectaque cruris utriusque paralysi affectus, pene impos gradiendi, valetudinem, quam frustra pharmacorum ope speraverat, implorata Venerabilis nostri intercessione, obtinuit: ac nedum libere incedere, verum etiam laboriosa ad longinquas regiones itinera suscipere potuit ». (Ex positione super validitate Processuum etc. pag. 2.). Quae duo miracula, ope praesertim et diligentia R. P. Titi Marconcini Ordinis nostri, ejusdem Causae Vice-Postulatoris, nec non Conventus Ficecli Guardiani, Adm. R. P. Bernardino a Cryptis Castri, Postulatori Generali Causarum etc. modo defuncto, fuerunt accurate exposita. Qui propterea, consideratis considerandis ea digna existimavit, quae aliquando a Sacra Congregatione adprobarentur ad Beatificationem Servi Dei, diu desideratam, obtinendam. Unde humillimis precibus exoravit Dominum nostrum Leonem Papam XIII, ut indulgere dignaretur *Litteras Remissoriales* ad construendum Processus auctoritate Apostolica super his duobus assertis mirabilibus sanationibus dirigendas Reverendissimo Domino Episcopo S. Miniati etc. Quod revera benigne concessum fuit; ideoque duo supradicti Processus magna sollicitudine seorsim in illa Curia Episcopali confecti sunt, alter nempe anno 1881, alter autem 1883. Romam missi, post aliquas difficultates facile superatas, ut validi recogniti et adprobati sunt. Nunc autem, ipsa duo miracula, quae in his probantur, mature examinantur et discutiuntur. Nobis autem sperare licet, quod quam primum in triplici consueta Congregatione plene adprobentur; et sic ad Beatificationem tanti viri deveniri possit; quod proculdubio est in votis plurimorum, praesertim autem Ordinis nostri, nec non fidelium sive Hetruriae sive Corsicae Insulae, ad quos fama sanctitatis Ven. Theophili jam pervenit. Habetur *Vita* Ven. Theophili Italice conscripta a R. P. Luigi Paoletti Ord. Min., Lucae in Thuscia publicata anno 1852, cum relativa imagine.

—

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1889 celebrata.

I.

Ref. Custodia Ss. Recessuum S. Bonaventurae de Urbe.

Praevia Visitatione a R. Adm. P. Irenaeo a Torcenio Secret. Genli Ref., die 2 Maji 1889 in Conventu S. Bonaventurae de Urbe celebratum fuit Custodiale Capitulum, sub praesidentia Rmi P. Ministri Generalis, in quo canonice electi sunt:

Custos Regiminis

A. R. P. Joachim a Scajis, reelectus.

Discreti Custodiae

A. R. P. Ignatius ab Ulmeta, ex Custos.
A. R. P. Antonius a Cantalupo, ex Custos.
R. P. Gabriel a Glori, reelectus.

—

STATUS GENERALIS ORDINIS NOSTRI
IN DITIONE HISPANICA.

Residentiae Matritensis et Romana.

Matritum	9	13.
Roma.	4	

Collegia Terrae Sanctae et Marrochii.

Collegium S. Jacobi	105	288.
» de Chipiona . . .	87	
Missionarii in Marrochio . .	39	
» in Terra Sancta .	57	

Missio Havanae.

Residentia de Guanabacoa . .	11	

Provincia Sancti Gregorii de Philipinis.

Existentes in Philipinis . . .	205	433.
Collegium de Pastrana . . .	81	
» » Consuegra . .	65	
» » S. Petri de Arenas	33	
» » la Puebla de Montalbán . . .	25	
» » Almagro . . .	24	

Provincia S. Jacobi.

Conventus de Villahermosa in Orense.	16	

Custodia Andaluciae.

Conventus de Loreto . . .	21	59.
» » Lucena . . .	19	
» » Moron . . .	19	

Provincia Carthagenae.

Conventus de Orihuela . . .	18	47.
» » Cehegin . . .	19	
» » Belmonte . .	10	

Provincia Cantabriae.

Conventus de Zarauz . . .	46	129.
» » Aranzazu . . .	32	
» » Olite	36	
» » Soto	8	
» » Forua . . .	4	
Domus Exercitiorum de Espejo	3	

Provincia Valentiae.

Conventus de S. Spiritu . .	28	71.
» » Concentaina .	23	
» » Onteniente . .	14	
Collegium de Benisa . . .	6	

Provincia Cathalauniae.

Conventus de Vich	47	76.
» » Balaguer . . .	18	
» » Villarreal . .	11	

Summa totalis 1, 143.

Matriti, 1.ª Januarii 1889.

Fr. Franciscus Saenz,
Commissarius Apostolicus.

III.
MISSIONES

—

EX IMPERIO SINENSI.

Vicariatus Chen-si septentrionalis.

R. P. Josephus Grané, hujus apostolici Vicariatus Missionarius, sequentes ad nos transmisit inscriptiones Franciscalium Praelatorum, qui in Presbyterio cathedralis ecclesiae sepulti sunt. Duae priores in latere epistolae, duae vero posteriores in latere evangelii leguntur.

D. O. M.

Illmus. Domin. Franciscus. Saraceni. a Conca Ord. Min. Strictior. Observ. S. Francisci. Prov. Terrae Laboris. Episc. Lorinensis. et tertius Vic. Apost. Xensi et Xansi. Natus anno MDCLXXIX. ingressus in relig. anno MDCXCVI. Et in hanc Sinicam missionem MDCCXVI. Hic latet in. Tumulo qui in vita ne timori. imperanti. pateret. latuit. Tumulatus. in antris. obiit. anno MDCCXLI. mense Decembris. die I.

Translatio ad istam ecclesiam facta fuit anno
MDCCCLXXXIV.
Mense. Augusti.

☧

ANTONIUS A POMPEIANA,
FRANCISCALIS FAMILIAE FILIUS,
SAEVIENTE PERSECUTIONE
EPISCOPUS ECHINENSIS RENUNCIATUS,
A JOACHIMO SALVETIO
DIE XXII JUNII MDCCCLXXVIII
IN COADJUTOREM CONSECRATUS,
MULTIS ATTRITUS LABORIBUS
LABENTE LUSTRO
IN HAN CHUM VITA DECESSIT
EJUS OSSA
PROPE SACELLUM VAN KIA VAN
LX ANNOS QUIEVERUNT.
DIE XV MARTII MDCCCLXXXVIII
AD HUNC LOCUM TRANSLATA
IN PACE
RESURRECTIONEM EXPECTANT.

—

D. O M.

ILLMUS AC RMUS
FR. ALPHONSUS M. DE DONATO
ORTUS NEAPOLI MDCCCIV,
INGRESSUS IN RELIGIONEM
S. FRANCISCI DE OBS.
PROVINCIAE NEAPOLITANAE MDCCCXX.
AD SINAS ADVENIT MDCCCXXXIII.
CONSECRATUS EPISC. CARDICENSIS

COADJUTOR ILLMI AC RMI
EP. JOACHIM SALVETTI
VIC. AP. XANSI ET XENSI MDCCCXXXV.
IN DIVISIONE
VICARIATUS XANSI ET XENSI
PRIMUS VIC. AP. ELECTUS MDCCCXLIV.
LABORIBUS ATTRITUS
DIUTINOQUE MORBO CORREPTUS
SUPREMUM DIEM EXPLEVIT
XX MAJI MDCCCXLVIII.

ILLMUS AC RMUS FR. EPHISIUS CHIAIS
ORD. MIN. OBS. S. FRANCISCI EPIS. TIENENSIS,
SECUNDUS VICARIUS APOSTOLICUS XENSI ET KANSIU,
HOC EPITAPHIUM DIGESSIT XXII MAJI MDCCCLXV.

A C IvI Ω

HIC JACENT OSSA ET CINERES
ANTISTITIS EPHISII CHIAIS,
QUI EX FRANCISCALI PEDEMONTANA FAMILIA
HIC SECUNDUS VICARIUS APOST. FUIT.
TENUIT EPISCOPALE CLAVUM PER ANNOS XXXIV
ET EXTREMUM DIEM VIDIT XII APRILIS MDCCCLXXXIV.
IN SIGNUM AFFECTIONIS EJUS SUCCESSOR
HANC MEMORIAM POSUIT.

—

EX REPUBLICA PERUANA

Relatio R. P. Praefecti Missionum Collegii de Ocopa ad Rmum Ministrum Generalem.

Rme Pater,

Jam Paternitati Vestrae de statu missionum rationem redditurus, haec, quamvis calamo currenti, scribere operam duxi. Imprimis quatuor sunt missiones actualiter existentes, scilicet: de Cayaria, de Caschiboya, de Quillasu, et de Cerro de la sal, sive Sancti Aloysii Montis salinarum.

Numerus habitantium in his missionibus idem proxime est quem anno proxime elapso Paternitati Vestrae manifestum feci. Nimirum, Caschiboya quadringentas animas habet: Cayaria centum quinquaginta; Quillasu centum, et Sancti Aloysii etiam centum plus minusve reperiuntur. In hac ultima conversione, quam praecipuam vocaveris, in dies crescit, Deo favente, numerus tam fidelium quam infidelium ad eam concurrentium. Nec solum hoc, sed alia tribus *Campa* nuncupata, inter ceteras numerosissima et nobis vicinior ad Dei cognitionem pervenire desiderat; sed propter penuriam Missionariorum illorum votis satisfacere nullatenus possum. Tamen non parcam labori, et quamprimum Discretorio opportunum visum fuerit, gaudens pro illis animam ponam.

In omnibus missionibus praeter catechesim, legere et scribere pueros docemus. Cum vero aliquae puellae a me peterent ut ipsis gymnasio introire liceret, ego, rem istam mature perpendens, melius fore judicavi, ut ipsae in proximiorem civitatem exirent et a personis ejusdem sexus bene edoctae postea in missionem redirent, ut consodales edocerent quod ipsae in civitate didicissent. Quod ita feci earumdem parentibus adprobantibus.

Pater Conversor pro unaquaque missione, vix unus inveniri fas est, scilicet: Pater Joannes Pallas, Pater Thomas Hernandez, Pater Antonius Battle, et ego: quibus omnibus totidem Fratres laici, sive donati assistunt. Confido in Domino quod in praesenti capitulo aliqui fratres a Deo inspirati, gratiam praedicandi infideles petant et consequantur. Faxit Deus.

In regione amazzonica sive ucayalica major pars infidelium adversus dominos *Cauchut* mercatores insurrexit, non sine illorum multorum caede. Et quamvis ad nos hoc proxime non referatur, nihilominus hujusmodi factum non parum missionibus nocivum evadere potest. Putantibus mercatoribus quod nos talia adprobaverimus; sive quod pejus est, quod nos occulte eadem provocaverimus.

Propter hoc, et plurimas alias rationes Discretorium Ocopanum tandem decrevit dimittere duas amazonicas missiones de Cayaria et de Caschiboya; videlicet propter earum incredibilem distantiam a Collegio, absque via communicationis: ita ut religiosi ibi commorantes a nobis alieni omnino reperiantur; et si ad Collegium epistolam mittere cupiunt, non minus quam centum solidis hoc consequi possunt. Secundo propter earumdem statum, relative ad leges quibus missionarii reguntur. Cum enim plusquam viginti annis in religione christiana permaneant, jam necessarium videtur illas Ordinario tradere, ut ad alias proximiores conatus suos missionarii impendant.

In proxima visitatione, quam soluto Capitulo facere cupio, Paternitati Vestrae ampliorem relationem faciam; sive de moribus indorum, sive de vestibus, tam de avibus quam de

piscibus, et aliis plurimis, quibus Omnipotens provida manu has vastissimas regiones locupletavit. Hodie autem brevis nimium esse cogor propter temporis angustiam et multiplices labores ad Capitulum spectantes.

Interim Paternitatis Vestrae pedes humillime osculatur, seraphicam benedictionem totis visceribus implorat obsequens in Domino filius et servus observantissimus.

Ocopae, die 30 Octobris 1888.

Fr. GABRIEL SALA, *Praef.*

—

FRUCTUS SPIRITUALES

Collegii apostolici de JCA *ad S. Antonium, ex epistola 12 Julii 1888.*

A restauratione hujus Collegii anno 1879 peracta, sequentes notati sunt labores.

Missiones praedicatae	40
Infidelium Conversiones	10
Confessiones sacramentales . . .	42, 620
Matrimonia benedicta	1, 763
Tertio Ordini adscripti	3, 200

FR. BONAVENTURA SELUY, *Guardianus.*

IV. BIBLIOGRAPHIA

—

APOLLINAIRE (P.) DE VALENCE, Capucin. — Retraite spirituelle à l'usage de toutes les âmes qui aspirent à la perfection; traduite de l'italien du P. Gaétan-Marie de Bergame, Capucin, par le Père Apollinaire de Valence, du même Ordre. H. et L. Casterman, edit. pontificaux, Impr. de l'évêché. Tournai, 1889. Pages 264.

Rmus FRANCISCUS MARIA IMPARATI, Min. Obs., Episcopus Venusinus. — La Lettera Pastorale per la quaresima del 1889. Melfi, tip. Augusto Ercolani et Comp. 1889. Pag. 37.

GIACINTO (P.) DA BELMONTE, Cappuccino. — Racconti miracolosi per istruire dilettando: del P. Giacinto da Belmonte, Cappuccino, Def. Gen., Cons. dell' Indice. Terza edizione migliorata ed accresciuta. Roma, coi tipi di Mario Armanni, nell'Orfanotrofio Comunale. 1889. Sei volumi. Pag. circa 2000. Prezzo L. 7.

ILDEPHONSUS (P.) A BARD, Cap. — Vida del Bienaventurado Fr. Crispin de Viterbo, clamado el Santo Alegre, de la Orden de Frailes Menores Capuchinos, por el Rdo P. Ildefonso de Bard de la misma Orden, con un Prólogo y Notas del P. J. Calasanz de Llevaneras. Con censura Eclesiastica. — Barcelona, Imprenta y Libreria de la Immaculada Concepcion, 13, Buensuceso. 1888. Pag. 329. Peseta 1.

MAURO (P.) DA SUBIACO, Cap. — Vita del Patriarca S. Giuseppe, sposo di Maria Vergine e protettore della Chiesa cattolica, ricavata dalla Sacra Scrittura e dalla tradizione: del P. Mauro da Subiaco, Lettore Cappuccino. Seconda edizione riveduta e corretta dall' autore. — Torino, Tipografia S. Giuseppe. Collegio degli Artigianelli, Corso Palestro, 14. 1888. Pag. 354. L. 1,50.

MICHAEL ANGELUS (P.), Cap. — A Dialogue betwen a R. C. Priest and an Hindoo on Religion, by the Very Revd. Fr. Michel Angelo, O. C. C. C. Terozepore, jussu Superioris. Hallahabad: Printed at the « Indian Press ». Copy Right. 1889. Pag. 63. *Latine:* Dialogus supra Religionem inter Sacerdotem Romanum et Indianum.

V. NECROLOGIA

—

Rmus Pater Frater BENJAMINUS GEREMIA, Provinciae Chan-tong septentrionalis, missionis Sinensis, Vicarius apostolicus et episcopus titularis de Usola, in residentia Tsi-nan-fu, die 29 Decembris anni 1888 mortem piissime oppetiit.

Is natus fuit in S. Johanne in Galdo, loco provinciae Molise regni Neapolitani die 30 Maji anni 1843. Puer domi ingenue et christiano more educatus, quum provectiore jam aetate divinis servitiis se dicare, sicque propriae et aliorum saluti operam intentius navare statuisset, ordinem S. P. N. Francisci in Observante Provincia S. Ferdinandi ingressus est.

Emenso probationis anno, a superioribus suis in studia missus, philosophiae primum et dein theologiae in eadem provincia vacavit; quum demum summa res illius regni mutaretur, multorum exemplo, maxime qui de religiosis sodalitiis erant, Romam concessit, ubi, in conventu S. Bartholomaei sacra studia continuavit. Tandem ad sacri sacerdotii ordinem promotus, juvenis ingenio promptus, animo ad omnem pietatem compositus, nihil ardentius cupiebat, quam ut in dissitis infidelium regionibus sanctum JESU CHRISTI evangelium annuntiaret; neque tam sancto animi proposito coeleste defuit auxilium, nam P. Eligius Cosi, ejusdem Sinensis Provinciae tunc Vicarius Apostolicus, cum ex Concilio Vaticano, cui (1870) interfuerat, ad suum gregem reverteretur, eumdem secum in Sinensium regionem duxit. Ibi noster Benjaminus candore animi, morum integritate, et sancto fidei zelo inter ceteros adeo emicare coepit, ut quamvis juvenis, tamen omnium opinione dignus haberetur, qui graviora quoque munia ecclesiastica obiret; DEUS, qui sincerae humilitatis est amator, mediantibus Superioribus, per quos ordinarie sanctam suam pandit voluntatem, eumdem 1884 dicti P. Eligii episcopi Coadiutorem, cum titulo de Usola, et dein anno 1885, P. Eligio mortuo, Vicarium apostolicum Chantong nominari voluit.

Quam difficilis sit administratio hujus Vicariatus ex multis liquet, nam catholici, qui vix 16,749 animas censent, inter 20,000,000 paganorum et 500,000 mohamedanorum dispersi habitant; stationes ubi missionarii degunt sunt solummodo 8, et 329 quae a missionariis visitari debent in locis dissitissimis; in hunc finem episcopus 22 sacerdotes missionarios habet, quorum 11 sunt europaei, reliqui vero indigeni, qui omnes in gravi animarum munere episcopo magno cum sui sacrificio assistunt; unde et fructus, quos, DOMINO favente, colligunt, ipsi consolationi, multis vero aliis stimulo sunt ad animarum salutem ardentius zelandam.

Haec cuncta episcopus apostolico perpendens animo, in spiritus humilitate auxilium divinum flagitare numquam cessabat et semet tamquam holocaustum pro suo grege DEO offerebat. Hinc est, quod die 26 Novembris anni praecedentis (1888), non obstantibus difficultatibus, ad antiquam residentiam Xe-olli-tchoang discessit, ut ibidem P. Caesarium egregium dictae missionis operarium, directorem totius illius districtus institueret, et catholicos, qui fame permoti fructiferas ragiones inter s. fidei inimicos petebant, consilio atque opera juvaret; quum autem inter eumdum eidem relatum esset quemdam missionarium in altera regione jam in extremis vitae versari, spretis viae incommodis, ad eumdem devertit; ubi non tantum sua praesentia infirmum consolatus est, sed et per aliquod tempus parochiale munus magno caritatis exemplo obibat.

Inde discedens, peracto trium dierum itinere molestissimo, ad Tsi-nan-fu pervenit, ubi et quinque clericos ex suo seminario sacris initiavit et festa natalitia Domini Nostri JESU CHRISTI celebravit; sed eheu! apostolicus vir durante praedicto itinere in morbum typhicum lapsus, sequentibus diebus eodem sensim violentius exagitari coepit adeo, ut ex omnibus signis rite conjectari potuerit, eum ad aliam patriam a DOMINO vocari; quamobrem, uti fidelem servum et prudentem decuit, praemissa fidei professione, susceptis moribundorum Sacramentis, cunctis offensas, si quae fuerint, condonavit, et sibi condonari humillime postulavit; tandem in osculo DOMINI postquam gregem benedixisset, huic mundo valedixit.

Erat ille vir sanctae regulae, quam professus fuerat, semper observantissimus, sacerdos DEO suo devotissimus, episcopus zelo fidei conspicuus, qui nihil in vita potius habuit, quam divinae gloriae et fidelium saluti promovendae studere.

Animi candore, et seraphica quadam simplicitate cordis, adeo suorum ciebat animos, ut jure ambigeres, an vivum magis amaverint vel vero vita excessum planxerint.

R. I. P.

Nihil obstat

FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

E SUPREMA CONG. S. R. ET UNIV. INQUISITIONIS

Responsum, quo declaratur Ordinarios posse subdelegare Parochis facultatem dispensandi super impedimentis publicis matrimonialibus, in casibus ibidem expressis.

Illme ac Rme Domine,

Supremae huic Congregationi Sancti Officii propositum fuit dubium: « Utrum Ordinarii « in casibus extremae necessitatis facultatem « dispensandi super impedimentis publicis « matrimonialibus in mortis periculo, litteris « Supremae Congregationis die 20 Februa- « rii 1888 concessam (1), parochis et univer- « sim confessariis adprobatis modo generali « subdelegare valeant, an non. » Quo dubio mature perpenso, Eminentissimi Patres una mecum Generales Inquisitores fer. IV, die 9 Januarii 1889 dixerunt: « Supplicandum Sanctis- « simo, ut decernere et declarare dignetur, « Ordinarios, quibus memorata facultas prae- « citatis litteris diei 20 Februarii 1888 data « fuit, posse illam subdelegare habitualiter pa- « rochis tantum, sed pro casibus, in quibus « desit tempus ad ipsos Ordinarios recurrendi « et periculum sit in mora. » Eadem feria ac die Sanctissimus D. N. D. Leo divina providentia PP. XIII, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, benigne annuere dignatus est juxta Eminentissimorum PP. suffragium.

(1) Cfr *Acta Ordinis* anno elapso pag. 65.

Haec tibi dum nota facio, fausta cuncta ac felicia precor a Domino.

Datum Romae, ex S. O., die 1 Martii 1889.

R. Card. Monaco.

—

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM.

I.

RESCRIPTUM

Quo indulgentia 200 dierum conceditur Fidelibus orationem infrascriptam recitantibus.

Beatissime Pater,

Sacerdos Ludovicus Deschamps, S. J. e Provincia Lugdunensi, ad pedes S. V. humiliter provolutus, exorat S. V. ut aliquam Indulgentiam benigne concedere dignetur omnibus utriusque sexus Christifidelibus devote recitantibus sequentem Orationem, excerptam ex Litteris Encyclicis S. V. quae incipiunt: *Exeunte jam anno* d. d. 25 Decembris 1888.

Quam gratiam etc.

ORATIO (1).

« Vides, Domine, ut undique eruperint venti, ut mare inhorrescat, magna vi excitatis fluctibus. Impera, quaesumus, qui solus potes, et

(1) VERSIO AUTHENTICA.

Tu vedi, o Signore, come da ogni banda si disferrino impetuosi i venti, ed il mare si arruffi, levando altissimi flutti. Deh! tu, che solo lo puoi, comanda ai venti e al mare. Rendi all' umana famiglia la vera pace, che il mondo non può dare, la tranquillità dell'ordine. Facciano, cioè, gli uomini, mercè la tua grazia e il tuo impulso, ritorno all' ordine dovuto, restaurando nei loro cuori la pietà verso Dio, la giustizia e la carità verso

ventis et mari. Redde hominum generi pacem veri nominis, quam mundus dare non potest, tranquillitatem ordinis. Scilicet munere impulsuque tuo referant sese homines ad ordinem debitum, restituta, ut oportet, pietate in DEUM, justitia et charitate in proximos, temperantia in semetipsos, domitis ratione cupiditatibus. Adveniat regnum tuum, tibique subesse ac servire ii quoque intelligant oportere, qui veritatem et salutem, te procul, vano labore exquirunt. Inest in legibus tuis aequitas ac lenitudo paterna : ad easque servandas ultro nobis ipse suppeditas expeditam virtute tua facultatem. Militia est vita hominis super terram, sed ipse *certamen inspectas, et adjuvas hominem ut vincat, et deficientem sublevas, et vincentem coronas* ».

Sanctissimus Dominus Noster LEO PAPA XIII, in audientia habita die 19 Januarii 1889 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis et ss. Reliquiis praepositae, benigne concessit Indulgentiam *bis centum dierum,* semel in die lucrandam ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, corde saltem contrito ac devote recitantibus supra relatam precem. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione.

Datum ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis, die 19 Januarii 1889.

SERAPHINUS Card. VANNUTELLI, *Praef.*
ALEXANDER Episcopus OENSIS, *Secretarius.*

II.

DECRETUM

Impertiens indulgentiam plenariam Christifidelibus, recurrente proximo festo SS. CORDIS JESU.

URBIS ET ORBIS

Refrigescente hominum charitate, imo succrescente in dies impiorum audacia, qua jurgiis et offensis amantissimus humani generis REDEMPTOR impetitur, ardens in pluribus efferbuit desiderium recolendi hoc anno Ejusdem Sanctissimi CORDIS festum ferventioribus amoris gratique animi argumentis. Ad id eos magis compellebat, quod hoc etiam anno alterum saeculum absolvitur, ex quo, uti relatum est, B. Margaritae Mariae Alacoque CHRISTUS Dominus patefacere voluit, se ex speciali cultu erga COR suum sacratissimum vitam perditam pluribus redditurum, eorumque in cordibus, Satanae imperio everso, suavissimum amoris sui regnum restituturum. Quamobrem supplices exhibitae sunt preces Sanctissimo Domino Nostro LEONI Papae XIII, ut hoc decurrente anno Christifidelibus, qui enunciato die obsequii simul et expiationis aliquem peculiarem actum eidem Smo CORDI JESU praebere sibi proponunt, ad eorum pietatem alacrius excitandam Indulgentiarum thesaurum reserare dignaretur. Porro idem SSmus summopere exoptans, ut in hac temporum nequitia a Christifidelibus nulla praetermittatur occasio exhibendi testimonium singularis obsequii sacratissimo JESU CORDI, ob innumeras eidem illatas injurias; has preces in Audientia habita ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 18 Maji 1889 peramanter excepit, et Plenariam Indulgentiam, Defunctis quoque applicabilem, clementer elargitus est universis Christifidelibus, qui supramemorato die festo, vel, si lubet, die dominico idem festum immediate subsequente, admissorum confessione expiati et sacra synaxi refecti, sive privatim, pro sua quisque devotione, sive etiam publice in Ecclesiis de respectivorum Ordinariorum consensu, opportunis adhibitis precibus, praefatum expiationis actum devote emiserint, simulque aliquam Ecclesiam vel publicum Oratorium adiverint, ibique aliquamdiu pie oraverint ad mentem Sanctitatis Suae. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis, die 18 Maji 1889.

Loco ✠ Sigilli.

C. Card. CRISTOFORI, *Praef.*
ALEXANDER Episcopus OENSIS, *Secretarius.*

—

il prossimo, e la temperanza verso se stessi con pieno dominio della ragione sull' appetito. Venga il tuo regno; e quelli stessi che lungi da te affaticansi invano nella ricerca della verità e della salute, intendano essere cosa indispensabile che a te si assoggettino e ti servano. È innaturata nelle tue leggi la giustizia e una soavità tutta paterna : e tu stesso spontaneamente ci doni, mercè la tua grazia, la forza di osservarle. Milizia è la vita dell' uomo sulla terra, ma tu stesso « sei spettatore della battaglia, aiuti l' uomo a vincere, scorato lo rinfranchi, e vincitore lo coroni, *certamen inspectas, et adjuvas hominem ut vincat, et deficientem sublevas et vincentem coronas* ».

EPISTOLA

EMINENTISSIMI CARDINALIS VICARII
JUSSU SS. D. N. LEONIS XIII.

De reliquiis sanctissimae Crucis.

Illme et Rme Domine,

Cum reliquiae sanctissimae Crucis in dies rariores fiant ac merito timendum sit, ne paullatim non facile suppetant quae ipsis Episcopis, veluti proprium suae dignitatis gestamen, rite tradantur; ex jussu sanctissimi D. N. LEONIS XIII, Reverendissimis Episcopis enixe commendatum volumus, ut ss. Ligni particulas, quas thecis inclusas pectore prae se suspensas ferunt, Successoribus suis transmittendas curent, adeo ut post ipsorum mortem, (studio et opera Capituli Cathedralis, vel ejus qui, vacante Sede, Episcopi vices gesserit) ad hos perveniant legitimo haereditatis jure. Quo pacto, novis Episcopis nulla erit necessitas alias non sine difficultate aliunde quaerere, sed omnes tanquam sibi et officio suo addictas et destinatas in promptu paratas habebunt, ceteris qui sequentur suo tempore transmittendas.

Quod de Crucis dumtaxat reliquiis intelligendum est. Nam de thecis ex pretioso metallo in Crucis formam affabre factis, statuent quod opportunius videbitur: quae, cum demptae fuerint ss. Ligni particulae, donari, legari quibus placebit ac per privatos haeredes distrahi, vendi, remota quavis indeçorae aut profanae negotiationis specie, libere poterunt. Sunt enim pretio aestimabiles.

Non dubito, Illme Domine, quin huic aequissimo providentissimi Pontificis desiderio ea qua par est cura et diligentia sis obsequuturus.

Interim, omnia Tibi a DEO et a Virgine Matre fausta ex intimo corde adprecans, me tuis precibus praecipue commendo.

Amplitudinis Tuae,

Romae, ex Aedibus Vicariatus, in Solemniis Annuntiationis Deiparae, die XXV Martii MDCCCLXXXIX.

Uti Frater.
L. M. CARD. VICARIUS.

—

II.

ACTA ORDINIS

—

MONITUM

Difficillima temporis adjuncta omnino exigunt ut non multiplicetur, ultra necessitatem, numerus Fratrum occasione proximi Capituli generalis, Urbem advenientium. Idcirco Rmus P. Minister Generalis iterum inculcat quod in litteris convocatoriis jam edixit, scilicet ut Ministri Provinciales, (praesertim Italiae, qui jam assueti sunt sine socio itinera conficere, et qui, ob senectutem vel infirmitatem socio non indigent) sine socio ad Capitulum veniant, vel aliis proximioribus Vocalibus se comites adjungant. Quaelibet petitio, nisi gravissima ex causa, sine responso manebit.

—

AD FRATRES NOSTROS

Incitamenta seraphica.

DE DISCIPLINA REGULARI RESTITUENDA

CAPUT V.

De Educatione Juvenum.

§ 5. *De probatione Novitiorum.*

54. Novitiatus tempore Novitius serio considerare debet, utrum in statu religioso, quem assumpsit, usque ad finem vitae perseverare possit, ac verum scopum suae vocationis valeat obtinere. Religiosi vero professi, et praesertim Superiores, debent judicare, utrum Novitius idoneus et dignus appareat, qui ad sanctam professionem admittatur.

55. Imprimis observet Novitius, utrum verum atque sincerum amorem habeat erga Ordinem, in quo professionem emittere intendit. Sine hoc amore enim vita ejus futura arida, inconstans atque fastidiosa foret. Inuti-

les autem sunt omnes persuasiones humanae ad obtinendum hunc Religionis amorem, nisi Spiritus Sancti gratia illum infundat. Qui ergo hoc amore Ordinis privatus existit, sufficientem habet rationem dubitandi, utrum ingressus ipsius factus sit secundum Dei voluntatem.

56. Insuper videat Novitius, an in Provincia, in qua professionem vult emittere, Regula rite observetur, et non invaluerit ibi irregularis vitae forma, ita ut timeri debeant impedimenta Regulam ad litteram observandi. Nemo prudens navigaturus ingreditur navem vetustam, cariosam, et armamentis necessariis destitutam. Eadem prudentia utendum est in delectu Ordinis religiosi; qui si inordinatus sit, vilis et conturbatus, in quo plus periculi timendum videatur, quam sperandum spiritualis subsidii: ratio ipsa dictat deserendum eum potius, dum adhuc tempus est, quam ei se jugiter alligare cum onere majori conscientiae, minorique Deo serviendi libertate.

57. Ne inexpertus vero juvenis in hac consultatione periclitetur, audiendi sunt viri graves, quorum judicio possit error praecaveri. S. Bonaventura Novitiis quatuor inculcat cautelas, quae toto probationis anno et maxime hujus deliberationis tempore, sunt observandae (1): « 1.° Ut ab ea voluntate, qua ad « Religionem venerunt, et a primo novitiatus « fervore non tepescant. 2.° Ne malis tepido« rum exemplis moveantur ad imitandum ea, « sicut quidam infirmi spiritu, videntes apud « se alios desides, otiosos, verbosos, elatos, « rebelles, ambitiosos, aliisque modis vitiosos, « dicunt apud semetipsos: si aliis hoc licet, « quare non etiam mihi? et proniores sunt « ad malum, sumuntque exemplum de his, « quos viderint deteriores. 3.° Ne judicent te« mere facta aliorum, maxime ubi nesciunt, « qua de causa fiant, qualive intentione. Quid« quid ullo modo excusari potest, semper ad « partem interpretemur meliorem, si habere « velimus tranquillum cor, aliosque non tur« bare, et Deum non offendere. 4.° Cauti esse « debent Novitii, et fortes, ut non frangantur « adversitate vel tentatione ». In quibus tertia cautela principaliter est attendenda, quum Novitiis nulla familiarior magisque importuna tentatio ingruere soleat, quam suspiciones et temeraria judicia de professis Fratribus, ut ea arte fastidium et contemptum hujus Instituti injiciat daemon, retrahatque eos ad saeculum.

58. Haec est specialis benedictio status religiosi, quod, licet Communitas per abusus et libertates gradiatur, uni tamen atque alteri communicat Deus spiritum suum, qui, sepositis omnibus frivolis respectibus, viam veritatis et Regulae servant in silentio, patientia et humilitate. Isti pauci sufficiant Novitiis ad doctrinam, aedificationem, consolationem atque subsidium, eosque imitentur, si veram cordis pacem, et perseverantiam in suo statu obtinere desiderent.

59. Quicumque ergo vocatus es ad verum Dei cultum studiumque virtutis in Ordine, juxta monitum Sapientis (1): « Non te repu« tes in multitudine indisciplinatorum », sed etiam si corpore sis inter eos, mente tamen sis et vivas quasi inter sanctissimos Fratres.

60. Ut cognoscatur, utrum Novitius pro Ordine sit idoneus, sapientissime per Constitutiones ordinatum est, ut novitiatus tempore a Fratribus professis Conventus novitiatus pluries vota ferantur, quatenus innotescat, utrum major Religiosorum pars Novitium idoneum et dignum ad professionem emittendam judicet, necne.

61. Hoc judicium de Novitio ad professionem admittendo majoris est momenti, quam illud de eodem ad novitiatum recipiendi. Hoc enim emendari potest, illud reparari nequit. Magna ergo circumspectione et prudentia procedere debent illi, quibus officium incumbit, ut per vota sua decernant, an Novitius ad professionem admittendus sit, necne. Graviter utique peccant, qui votum suum vel digno denegant, vel indigno tribuunt. Qui digno denegant suffragium suum, magnam committunt injustitiam tum contra Religionem, quam idoneo membro privant, tum contra Novitium, cujus jus, quod habet ad professionem, violant, salutemque aeternam magno discrimini exponunt. Qui vero indigno Novitio suffragium suum tribuunt, magnum damnum inferunt tum sibimetipsis, quia se participes reddunt omnium Regulae transgressionum ab indigno postea patrandarum; tum Religioni, quae per membra

(1) De profectu Relig., lib. I, cap. 1.

(1) Eccli. VII, 17.

inordinata inhonoratur et gravatur; tum ipsi Novitio, quem ad statum promovent, in quo gravius peccat, et horribilius damnatur.

62. Certitudo infallibilis de Novitii vocatione et idoneitate haberi nequit, sed tantum moralis, quae ab exteriori ejusdem conversatione desumi potest et debet. Si enim Novitius sit in officiis suis diligens, in conversatione modestus, in loquendo cautus, in obedientia promptus, in oratione devotus, correctiones humiliter suscipiat, et si talem per longius tempus se ostendat: dignus sane censendus est, qui ad professionem admittatur.

63. Quando defectus morales in Novitio observantur, magna discretione procedi debet. Si isti defectus ex inadvertentia, juvenili levitate vel humana infirmitate proveniant, uti exempli gratia, error in legendo, levis impatientia, modica locutio tempore silentii, omissio cujusdam caeremoniae etc: corrigi quidem debent, sed Novitium nondum sacra professione indignum reddunt. Defectus qui cum deliberatione committuntur, et ex quadam passione proveniunt, quales sunt, si quis oculos curiose huc illuc, praesertim ad feminas convertat, socios suos male tractet, extra refectionem clam manducet ac bibat: si etiam post factas correctiones repetantur, haud parvi pendendi sunt, sed potius fundatum dubium ingerunt, utrum Novitio suffragium pro admissione ad professionem dari possit. Defectus vero illi, qui cordis corruptionem manifestant, quales committuntur ab illis, qui Superioribus obedientiam denegant, aliis atroces injurias inferunt, vel ob injurias acceptas odia nutriunt, qui potum immoderate amant, lasciviam verbis vel gestibus produnt: a professione excludunt Novitium, nisi constet, quod ex improvisa tantum occasione ceciderit, et vera de illis emendatio facta sit.

64. Ad professionem admittendi non sunt, qui sufficienti sanitate non gaudent, qui sunt valde debiles, frequenter aegrotantes aliisque incommodis subjecti, ob quae praevidetur, quod vitam communem observare, et officia sua rite peragere nequeant.

(Continuabitur).

—

CAPITULA PROVINCIALIA

Anno 1888 celebrata.

LI.

Provincia Discalceatorum Lycien.

In Congressu Definitorii Generalis, die 25 Maji anni 1888, electi fuerunt sequentes hujus Provinciae Superiores, qui ex mera oblivione in *Actis* non fuerunt opportuno tempore publicati:

IN MINISTRUM PROVINCIALEM

Adm. R. P. Fridericus a Purificatione, Lect. Theol. et ex Definitor.

IN CUSTODEM

Adm. R. P. Angelus Maria, ex Minister immediatus.

IN DEFINITORES

R. P. Archangelus a Maria Dolorosa, ex Minister (1).

R. P. Prosper a Pietate, ex Minister.

R. P. Joseph Maria a S. Philumena, ex Definitor.

R. P. Isidorus a S. Michaele Archangelo.

—

CAPITULA

hoc anno 1889 celebrata.

II.

Obs. Custodia Hercegovinae.

Die 15 Maji nuper elapsi, in Conventu Sirukibricz celebratum fuit Capitulum, Praeside Adm. R. P. ELIA CAVAROVIĆ, Commiss. Visitatore Generali, ac rite electi sunt:

CUSTOS REGIMINIS

Adm. R. P. Nicolaus Simović.

DISCRETI CUSTODIAE

R. P. Lucas Bezić.

R. P. Raphael Radoc.

R. P. Stephanus Naletilic.

R. P. Georgius Jurić.

(1) Pro cujus decessu, post paucos dies ab electione, suffectus est P. Fridericus a SSma Trinitate, Lect. Theologus.

III.

Obs. Prov. S. Ludovici in Gallia.

Quum R. Adm. P. Andreas ab Hurbache, in ultimo Capitulo Provinciali Minister electus, muneri suo renuntiasset, Adm. R. OTHO A PAVIA, ex-Definitor, qui in praedicto Capitulo majorem votorum numerum post P. Andream obtinuerat, in Ministrum Provincialem electus est, per Rescriptum S. C. Episc. et Reg. diei 18 Martii 1889, Custode ac Definitoribus jam electis in officio manentibus. (Cfr. *Acta* anni elapsi pag. 119).

—

CAUSAE SANCTORUM ORDINIS NOSTRI

V.

VEN. PHILIPPI A VELITRIS, *Sacerd. Prof. Beatificandi.*

In hac celebri ac perantiqua civitate ortum habuit Venerabilis P. PHILIPPUS die 3 Martii anno 1704, ex honestis piisque parentibus Joanne Laurentio Visi, et Catharina Bauco; cui in sacro regenerationis fonte hoc nomen fuit impositum, quod postea semper retinuit. Sortitus animam bonam, ac coelestibus benedictionibus praeventus, peroptime respondit educationi parentum, praesertim patris, licet satis rigidae; ita ut exactissimam in omnibus obedientiam, morum integritatem, vitaeque innocentiam praetulit. Et vix per aetatem ei licuit, publicas scholas adire coepit, in quibus tum ob ingenii acumen, tum ob praeclaram pietatem valde profecit, omnesque condiscipulos facile praecelluit. Pubertate transacta, sacrae militiae ipsa in patria fuit cooptatus, ac Minoribus Ordinibus initiatus. Et statim ad claustra Minorum convolasset, prout ardentissime exoptabat; minime autem fecit ne derelinqueret senescentem patrem, ab cuius nutibus omnino pendebat. Attamen in omnium virtutum genere profecit, honorem domus DEI mirifice zelavit, atque salutem animarum meliori modo quo potuit, curavit, praesertim puerorum, quorum publicus Magister ob spectatam ejus probitatem capacitatemque fuerat electus.

Patre defuncto, ac ideo sui juris plene factus, negotio suae pristinae vocationis iterum incumbere coepit; unde brevi tempore rebus omnibus, quas possederat, rite dispositis ac distributis, habitum Seraphicum humillime petiit, et obtinuit in Corae Coenobio die 3 Junii 1733, ideoque aetatis suae anno vigesimo nono. In ipso tyrocinio, uti facile intelligitur, Fr. PHILIPPUS perfectionis magister visus est omnibus; ita enim religiosae vitae rationem coluit, ita in spiritu orationis, humilitatis, patientiae, ceterarumque virtutum fervens fuit, ut aliis proponeretur exemplar imitandum. Solemni professione emissa, ad conventum Nemensem fuit missus, ut Philosophiae ac Theologiae studiis finem daret, in quibus pariter mirifice profecit, nec non ut sacerdotio initiaretur. Verum, cum majoris perfectionis desiderio flagraret, Superiores suos enixe rogavit ut in sacris Recessibus collocaretur; et voti compos factus, deinceps fere semper aut in Palumbariae, aut in Civitellae, aut in Valentani conventibus vitam degit. In quibus, licet prae humilitate reluctans, saepe tamen Superiorum voluntate officium tum Guardiani, tum Novitiorum Magistri exercuit. Et cum aliter animarum saluti, qua summopere flagrabat, ex habitualibus morbis prospicere prohiberetur, totum se dedit et sacris excipiendis confessionibus, et catechizandis rudibus, et brevibus peragendis sermonibus, dum exercitium Viae Crucis cum populo frequentabat.

Verum, rigor religiosae observantiae in Recessibus receptus, quam ipse quotidie suis privatis macerationibus atque vigiliis rigidiorem etiam reddebat, ejus nativam infirmam valetudinem ita auxit, ut Medici consilio, Superiorumque voluntate ad Coenobium S. Angeli in Monte Patulo, Dioecesis Tyburtinae, commigrare debuerit ad salutem recuperandam; ubi per triennium moratus est. Sed potius ingravescente in dies pectoris morbo, quo jamdiu conflictabatur, Romam tandem adire coactus ad Aracoelitanum Valetudinarium, in quo brevissimo dierum aliquo intervallo, semper in virtutibus proficiens, plenus meritis apud DEUM et apud homines, placidissime migravit ex hac vita die 19 Maji 1754, jam quinquagenarius. Quod autem ejus mors fuerit revera pretiosa in conspectu DOMINI, DOMINUS ipse variis si-

gnis manifestavit; inter quae illud memorabile, quod licet Vener. P. PHILIPPUS in Urbe cunctis esset ignotus, etiam pluribus Correligiosis, tamen statim ac ejus cadaver ad Ecclesiam S. MARIAE de Aracoeli delatum est, ut de more exequiae persolverentur, ecce aliqui parvuli illico ad illud accedunt, ut habitus frustula recidant, indeque Sanctum illum inclamare incipiunt per Urbem. Unde ingens populi multitudo excitata ad Ecclesiam currit, incipitque certatim cadaver osculari, habitum recidere, sanctitatem extollere; tantusque fit concursus, ut ad tumultum praecavendum Custodes adhibere oportuerit. Nec defuere miracula: aliqui enim, invocato ejus nomine et cadavere tacto, illico ab infirmitate sunt sanati. Tandem non sine difficultate corpore sepulturae mandato, concursus ad illam, et populi veneratio erga sanctum virum minime cessarunt; imo potius auxerunt, augescente gratiarum miraculorumque operatione. Unde factum est, ut praesertim tota Familia Minoritica, cui erat addictus, et Veliterni concives omne studium contulerint, ut ei Apostolica Sedes aliquando Beatorum honores indulgeret. Quapropter, vix a pretiosa ejus morte anno delapso, *Processus Informativi* in Curia Veliternensi confici coeperunt; brevi tempore ad finem perducti fuerunt et adprobati; atque ideo anno 1761 Causa Beatificationis Servi DEI *introducta est*. Postea vero pari studio et diligentia, licet non pari celeritate, in eadem Curia *Processus*, qui dicuntur *Apostolici*, conditi fuere; qui pariter anno 1795 sub Pio VI Pontifice Maximo adprobati sunt. Post moras a temporum calamitatibus interjectas consueta disquisitio de vitae ratione Vener. P. PHILIPPI, ejusque gestorum ac virtutum praestantia tribus in Congregationibus, ut est de jure, solertissime habita est. Prima quidem die 7 Junii 1819 in Aedibus Revmi Cardinalis Matthei, Episcopi Ostiensis et Veliterni, Causae tunc Relatoris; secunda in Palatio Apostolico Vaticano die 12 Januarii 1830; tertia tandem in eodem Vaticano Palatio die 8 Januarii 1833, coram Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI, Pontifice Maximo. In qua quidem omnes Patres congregati uno ore Vener. PHILIPPUM a Velitris Theologales et Cardinales Virtutes, eisque adnexas in gradu heroico exercuisse affirmarunt. Quod postea, die scilicet 24 Martii ejusdem anni, Summus Pontifex Decreto suo confirmavit.

Ex quo tempore Causa parum vel nihil progressa est: desunt enim Miracula, quae Sacrae Rituum Congregationi proponi possint cum spe et fundamento felicis exitus. Si DEUS voluerit glorificare Servum suum etiam coram hominibus, uti speramus, non deerit in posterum id palam facere miro ac supernaturali modo.

Habetur Venerabilis PHILIPPI apud Postulationem Vitae Compendium ex Processibus desumptum, Romae vulgatum 1844, nec non ejus pulcherrima Imago.

VI.

VENER. ANTONII MARGIL, *Sacerd. Professi Beatificandi.*

Valentiae in Hispania ortus est die 18 Augusti 1657 ex piis honestisque parentibus, Joanne nempe Margil, et Sperantia Ros. Ab ipsa infantia dedit futurae sanctitatis indicia, praesertim morum candore, assidua et ferventi oratione ad DEUM; ita ut saepe etiam integros dies in Ecclesia, ante SSmum Eucharistiae Sacramentum provolutus, transigebat. Vix annum decimum sextum attigit, ad claustra Ordinis nostri in patria convolavit, habitumque Seraphicum humiliter petiit. Statim voti compos factus ob insignem pietatem modestiamque, quibus praelucebat, viam summae perfectionis magno animi ardore arripuit, sese in omnium genere virtutum exercens. Unde suo tempore emissa solemni professione, studiis philosophicis ac theologicis peroptime absolutis, Sacerdotioque initiatus, totum se animarum saluti procurandae dedit praedicatione praecipue verbi DEI tum in ipsa civitate Valentina tum aliis in locis; et ubique famam sanctitatis statim adeptus est. Verum, non in Hispania, sed apud Americae gentes DEUS servo suo vineam excolendam jam paraverat; nam cum illuc expeditio Missionariorum esset facienda, P. Antonius, divinitus inspiratus, primus omnium sese obtulit. Et Commissarius expeditionis, qui eum tamquam a DOMINO missum exceperat, dixit coram Fratribus, secum ducere ad sacras Missiones alterum S. Antonium Patavinum! Factum mirabiliter respondit dicto.

Ast, quid revera egerit P. Antonius in illis regionibus ad gloriam Dei, animarumque salutem, summatim audiamus ab ipsa Apostolica Sede:

« Quod discipulis suis praecepit divinus Magister, euntes in mundum universum, praedicate Evangelium, docete omnes gentes; id jugiter praestitit Ven. Antonius Margil, qui vix exacto Instituti tyrocinio, verbo Dei disseminando totus incubuit. Mox ad sacras Missiones in Indias (occidentales) adscitur, ministerium apostolicum alacriter suscipiens, a patriis oris oceanum trajecit; nec tantum novi orbis cognitas regiones peragravit, sed ad intimas et inaccessas plagas penetravit, inhospitas nationes adivit, efferasque tribus ignotae linguae, immanitate barbaras, ignorantiae tenebris obrutas, vel praestigiis ac superstitionibus detentas, vel idolis cultum praestantes, Christum verum Deum ubique praedicans, ut eas gentes evangelicis praescriptis erudiret, et mitibus moribus imbueret. Deo fretus Ven. Antonius sine sacculo, pera et calceamentis diuturna carpsit salebrosa itinera; famem, sitim, angustias quascumque patientissime toleravit; contumelias, vincula, sagittas, rogos, capitis discrimen pluries subivit intrepide; martyrium anhelans, ut miseras animas ex daemonis unguibus eriperet, et Christo subjugaret. Et quidem supremo roboratus praesidio multa hominum millia belluarum instar vitam trahentium ad Religionem perduxit, sacro fonte abluit, vitiosos cultus avulsit, abolevit superstitiones, idola confregit, sacella extruxit, Missionum domos, Collegia ad propagandam fidem in remotis regionibus erexit. Pro infidelibus convertendis ardua quaeque aggressus est. Pleuritidis tandem morbo correptus, dum iter faceret indefessus Christi operarius, Mexicum ad suorum Confratrum coenobium perductus est: ubi, ingravescente morbo, sublimium Virtutum exhibens assiduos actus, mortalem cursum explevit die 6ª Augusti 1726, aetatis suae anno sexagesimo nono ». Quoad vero ejus Causam haec sequentur:

« Ven. hujus Viri Apostolici rerum gestarum ad Dei gloriam, et animarum salutem ingens fama ab illius interitu ubique diffusa Ordinarios Mexici, Guadalaxarae et Guatimalae permovit ad colligenda testimonia, et *Processus* conficiendos de illius vitae ratione, de obitu, de his quae obitum circumsteterant, et subsequuta erant; ut transmissis ad hanc Sacrorum Rituum Congregationem hujusmodi *Processibus,* et expenso eorum pondere, de hoc eximio Evangelii praecone Beatorum honoribus decorando, Apostolica Sede approbante, ageretur. — Ast causae hujus Cursum protraxerunt maxima locorum distantia, et vicissitudines temporum adeo, ut post quadraginta et amplius annos a Ven. Servi Dei obitu introducta fuerit, signata videlicet Commissione a sa. me. Clemente Papa XIV. die 13 Julii 1769. Longum intercessit exinde temporis spatium, ut in remotis Americae regionibus *Processus Apostolici* conficerentur solemnitatibus a Sacrorum Rituum Congregatione praescriptis. Omnibus quibuscumque absolutis, quae praemittenda erant, quaestio Theologalium et Cardinalium Virtutum incepta fuit die 1. Decem. 1796, Conventu habito apud Revmum Cardinalem Pignatelli Causae Relatorem. Ut iterum de more disceptaretur, coacta fuit Congregatio *Praeparatoria* in Palatio Apostolico Vaticano ante Revmos Cardinales Sacris Ritibus praepositos die 30 Januarii 1798. Ex tunc Causae progressus rursus interceptus est ob natam Europeam catastrophen. Post annorum plurium intervallum fere nullus supererat ex Patribus Consultoribus, qui in secundo illo Conventu disseruerant; quamobrem renovari, supplicante hodierno Causae Postulatore, benigne annuit SSmus Dominus Noster Gregorius Papa XVI; et indicta est altera Congregatio Praeparatoria die 3 Februarii 1835, in Palatio Apostolico Vaticano, ubi eadem de Virtutibus disquisitio fuit instaurata. Tandem, die 27 Aprilis ejusdem anni Generalia Sacrorum Rituum Comitia habita sunt coram Sanctissimo Domino Nostro in Vaticanis aedibus, ubi tum Revmi Cardinales, tum ceteri Patres suffragia tulerunt. Quibus attente perceptis Sanctitas Sua, quin judicium clauderet, ad aliud tempus supremam distulit sententiam, admonens interim omnes in arduo negotio aeternae Sapientiae lumen fervidis precibus esse postulandum. Et quum Deum exorasset, remque altius secum revolvisset, mentem suam pandere hac die constituit Sancto Ignatio sacra infidelium conversionis zelo adeo flagranti, ut ad praedican-

dum Indis Evangelium Sanctum Franciscum Xaverium miserit, quum utrumque Ven. Antonius Margil aemulari studuerit. Hac mane igitur Sacra Hostia piissime oblata, Sanctissimus DOMINUS Noster accersivit ad Quirinales aedes Revmos Cardinales etc... ac palam affirmavit: « Constare de Vener. Servi DEI Antonii Margil Virtutibus Theologalibus et Cardinalibus, earumque adnexis in gradu heroico ». (Ex Decreto Pontificio etc.).

Etiam de hoc Ven. Antonio dicendum quod superius diximus de Ven. Philippo, scilicet quod etiamsi multa sint miracula, ipso intercedente, a DEO patrata, tum in vita tum post mortem; tamen ob unum vel alterum defectum non videntur satis probata, ut de iis disquisitio fieri possit apud Sacram Congregationem. Ideoque rogamus omnes Confratres nostros, praesertim vero Mexicanos, apud quos exuviae tanti viri requiescunt, ut sollicite accurateque notitias, si quae sint, de gratiis miraculisve sub ejus invocatione patratis, colligant, et ad hanc Generalem Postulationem mittant. Ut sic quam primum, DEO adjuvante, ad Beatificationem hujus alterius S. Francisci Solani deveniri possit; eo vel magis quod adsunt, imo abundant, media ad Causae tractationem.

Habetur apud Postulationem ejus Vita italice conscripta a R. P. Josepho Maria Gusman, olim Causae Postulatore, Romae edita 1836, cum sua imagine.

III.

MISSIONES

EX REPUBLICA BOLIVIANA.

I.

STATUS

Missionum Collegii S. Josephi de Tarata ab anno 1885 ad 1888.

Missiones	*Animae*	IN SCHOLIS		*Baptismi*	*Matrimonia*	*Defuncti*
		Pueri	*Puellae*			
1.° Ascensionis Domini	2059	280	230	252	78	133
2.° S. Crucis de Yaguarù	1445	216	203	209	64	91
3.° Dominae Angelorum de Urubichà	1037	164	141	164	35	118
4.° S. Francisci de Jotaù	520	64	52	113	11	88
Summatim	5,061	724	626	738	188	430

E Collegio de Tarata, die 13 Aug. 1888.

Fr. JOSEPH GIANELI, *Praefectus Mission.*

II.

STATUS

Missionum Collegii S. Josephi, civitatis Pacensis (La Paz)
ab anno 1885 ad 1888.

Missiones	*Tribus*	*Neophiti*	IN SCHOLIS *Pueri*	IN SCHOLIS *Puellae*	*Parvuli baptizati*	*Matrimonia benedicta*	*Patres Conversores*
1.° Immac. Conceptionis de Covendo . . .	Musatena	167	22	27	63	39	1
2.° S. Annae de Suapi	It.	113	17	14	24	11	1
3.° S. Michaelis de Muchanes	It.	95	13	16	30	13	1
4.° S. Josephi de Uchupiamonas	Guichua mixta	225	20	17	34	10	1
5.° SS. Trinitatis de Tumupasa	Tacana	1160	45	39	212	48	1
6.° S. Antonii de Isiamas	It.	1200	37	50	135	29	1
Summatim		2960	154	163	498	150	6

Ex Collegio Pacensi, die 26 Sept. 1888.

Fr. Caesareus Fernandez, *Miss. Praefectus.*

EX REPUBLICA PERUANA

STATUS

Collegii S. Antonii, in civitate Caxamarca, anno 1888.

Sacerdotes	9
Studentes Clerici.	10
Fratres Laici	6
Donatus.	1
Summatim.	26.

Praeter Studentes nostros adsunt sex alii Studentes, *Devoti* nuncupati, qui omnibus Communitatis actibus intersunt ac theologiae studio vacant.

Patres vero Missionibus et exercitiis spiritualibus inter fideles praedicandis cum zelo incumbunt.

E Collegio Caxamarcae, 27 Maji 1888.

Fr. Leonardus a Badiola,
Guardianus.

—

EX REP. ARGENTINA

Synopsis spiritualium laborum Collegii Saltensis a die 21 Sept. 1885 ad 21 Sept. 1888.

—

Communiones in nostra Ecclesia .	140,000
Sermones panegyrici	24
» apologetici et morales .	146
Conciones in ecclesiis ruralibus .	76
Exercitia spiritualia ad Clerum, etc.	14

Insuper doctrina christiana quotidie traditur in ecclesia nostra 40 circiter pueris, singulis Dominicis ad populum et conciones ad Tertiarios singulis mensibus habentur.

Sacerdotes in Collegio viventes .	15
Clerici professi votorum simplicium.	5
Laici	9

Missio inter Infideles.

Ab anno 1880 Collegium Saltense Reductionem S. Michaelis Archangeli inter Indos

Matacos, ad extremam partem dioecesis Saltensis, suscepit administrandam. In hoc ultimo triennio, ex relatione R. P. Praefecti, P. Massaei Massei, sequentes notati sunt fructus spirituales :

In hac Reductione laborant sacerdotes	2
Laicus	1
Infideles catechumeni	80
Familiae christianorum	4
Baptismi parvulorum ex fidelibus	25
» » ex parentibus infidelibus	30
Baptismi adultorum in articulo mortis	20
» » solemnes	2
Confessiones	350
Communiones	320
Extremae unctiones	16
Matrimonia benedicta	11
Mortui	30
Pueri et puellae in scholis	30

E Collegio Saltensi, die 21 Sept. 1888.

Fr. NAZARENUS MOROSINI,
Guardianus.

IV.

VARIA.

—

BREVIS CONSPECTUS.

Kalendarii pro anno 1890.

—

Litt. Dominic. *E;* Litt. Martyrol. *i;* Epact. *IX;* Aur. numer. *10;* Cycl. solar. *XXIII;* Indict. Roman. *3.*

—

Jan. 1. Fer. 4. Circumcisio Domini.
» 5. Dom. (vac.) Vigil. Epiphan. — In Ms. *Credo.*
» 6. Fer. 2. Epiphania Domini.
» 11. Sab. de 6. die inf. oct. 9. l. et com. B. Aegidii. — Vesp. a cap. Dom. com. oct. (℣. *Adorate)* et S. Hygini.
» 12. Dom. inf. oct. et 1. p. Epiph. — Inc. Epist. I. ad Corinth.
» 19. Dom. 2. p. Epiph. — De ea. — Incip. Epist. II. ad Corinth.
» 26. Dom. 3. p. Epiph. S. Polycarpi E. M. — Inc. Epist. ad Galat.
» 31. Fer. 6. . . Inc. Epist. ad Ephes.
Febr. 1. Sab. . . . 9. l. et com. Dom. 4. p. Epiph.
» 2. Dom. Septuagesimae. In Ms. or. 2. *Deus, qui salutis,* 3. ad libit. Ante Miss. solemn. de Dom. fit bened. et distribut. candelar. (S. R. C. 7 Febr. 1874). Post. Completor. *Ave Regina.*
» 3. Fer. 2. Purificatio B. M. V. (fuit heri) 9. l. (ex 3) et com. B. Odorici, et (in L. et Ms. priv.) simp.
» 4. Fer. 3. Orationis Dni.
» 9. Dom. Sexagesimae. Com. B. Aegidii, et S. Apolloniae.
» 11. Fer. 3. Passionis Dni.
» 13. Fer. 5. SS. VII Fundator. Servor. B. M. V. 9. l. et com. B. Viridianae V.
» 16. Dom. Quinquagesimae.
» 18. Fer. 3. . . . Officium Defunctorum.
» 19. Fer. 4. Cinerum.
» 21. Fer. 6. Spineae coronae Dni.
» 22. Sab. . . . in Ms. or. 3. vigil.
» 23. Dom. i. Quadragesimae.
» 26. Fer. 4. Quat. Temp.
» 28. Fer. 6. Quat. Temp. — Lanceae et clavor. Dni.
Mart. 1. Sab. Quat. Temp.
» 7. Fer. 6. SS. Sindonis Dni. 9. l. fer. com. S. Thomae, fer. et simp.
» 9. Dom. 3. Quadragesimae.
» 10. Fer. 2. S. Catharinae de Bonon. (fuit heri).
» 14. Fer. 6. SS. V Vulnerum Dni.
» 16. Dom. 4. Quadragesimae.
» 21. Fer. 6. SS. Sanguinis Dni.
» 23. Dom. Passionis.
» 28. Fer. 6. VII Dolorum B. M. V.
» 30. Dom. Palmarum.
» 31. Fer. 2. maj. hebd.
April. 1. Fer. 3. » »
» 2. Fer. 4. » »
» 3. Fer. 5. in Coena Domini. (Ind. Plen.).
» 4. Fer. 6. in Parasceve Domini.
» 5. Sab. sancto.
» 6. DOM. RESURRECT. DNI.
» 7. Fer. 2. Pasch.
» 8. Fer. 3. Pasch.
» 9. Fer. 4. inf. oct. Pasch.
» 10. Fer. 5. » » »
» 11. Fer. 6. » » »
» 12. Sab. » » »
» 13. Dom. in Albis.
» 14. Fer. 2. S. Benedict. a S. Philad. (fuit 3. huj.).
» 15. Fer. 3. . . . Inc. lib. Act. Apostolor.
» 20. Dom. 2. p. Pascha. — SS. Sepulchri Dni.
» 27. Dom. 3. p. Pasch. — Patrocinium S. Joseph.
» 29. Fer 3. . . . Inc. lib. Apocal. b. Joann. Ap.
Maji. 4. Dom. 4. p. Pasch. — S. Monicae. — Inc. Epist. b. Jacobi Ap.
» 11. Dom. 5. p. Pasch. — Dedic. basil. Assis.
» 12. Fer. 2. . . . Inc. Epist. I. b. Petri Ap. 9. l. com. et ult. Ev. fer.
» 12. 13. 14. dies Rogat., process. et Litan. maj. Ord. nostri.
» 14. Fer. 4. . . . 9. l. com. et ult. Ev. vig. Asc. Dni.

» 15. Fer. 5. Ascensio Domini.
» 16. Fer. 6. . . . Inc. Epist. II. b. Petri Ap.
» 18. Dom. inf. oct. et 6. p. Pasch. — S. Felicis a Cantal.
» 21. Fer. 4. . . . Inc. Epist. I (1. 2.) et II b. Joann. Ap. (3).
» 22. Fer. 5. Octava Ascens. Domini 9. l. et com. b. Humilianae Vid.
» 23. Fer. 6. . . . Inc. Epist. III b. Joann. Ap. — com. fer.
» 24. Sab. Vigil. Pentec. — Inc. Epist. b. Judae Ap.
» 25. Dom. Pentecostes.
» 26. Fer. 2. Pent.
» 27. Fer. 3. Pent.
» 28. Fer. 4. (Quat. Temp.) inf. oct. Pent.
» 29. Fer. 5. » » »
» 30. Fer. 6. (Quat. Temp.) » » »
» 31. Sab. (Quat. Temp.) » » »
Jun. 1. Dom. SS. Trinitatis.
» 2. Fer. 2 . . . Inc. lib. I. Regum (1).
» 5. Fer. 5. SS. Corporis Christi.
» 6. Fer. 6. inf. oct. SS. Corp. Chr.
» 7. Sab. » » » » »
» 8. Dom. » » » » »
» 9. Fer. 2. » » » » »
» 10. Fer. 3. » » » » »
» 11. Fer. 4. » » » » »
» 12. Fer. 5. Octava SS. Corp. Chr.
» 13. Fer. 6. (Ind. Plen.) SS. Cordis Jesu (2).
» 14. Sab. S. Antonii Pad. (fuit heri) cum resid. oct.
» 15. Dom. 3. p. Pent. — S. Joann. a S. Fac.
» 20. Fer. 6. Octava S. Antonii.
» 22. Dom. 4. p. Pent. — S. Julianae V.
» 29. Dom. 5. p. Pent. — SS. App. Petri et Pauli (3).
Jul. 1. Fer. 3 . . . Inc. lib. II. Regum.
» 6. Dom. 6. p. Pent. — SS. Sanguinis Dni. com. diei oct. et Dom.
» 10. Fer. 5. . . . Officium Defunctorum.
» 13. Dom. 7. p. Pent. — De ea. — Inc. lib. III. Regum.
» 20. Dom. 8. p. Pent. — S. Hieronymi Aemil.
» 27. Dom. 9. p. Pent. — B. Cunegundis. — Inc. lib. IV. Regum.
Aug. 3. Dom. (1. Aug.) 10. p. Pent. — De ea. — Inc. Parabol. Salomon.
» 10. Dom. 11. p. Pent. — S. Laurentii Lev. M.
» 11. Fer. 2. . . . Inc. lib. Eccle.
» 17. Dom. 12. p. Pent. — S. Joachim C. dup. 2. cl.
» 18. Fer. 2. . . . Inc. lib. Sapientiae.

(1) *In Prov. Roman.* die 2. Jun. fit de S. Philippo Nerio d. 2. cl. (ex 26. Maj.); et die 3. Jun. incip. lib. I. Reg.

(2) Ubi celebratur festum S. Antonii sub ritu dup. 1. cl., hodie de eodem agitur, et die 14. Jun. de SSmo. Corde Jesu.

(3) *Romae* inf. oct. SS. App. quotidie fit com. ejusd. oct., quocumque festo occurrente. (S. R. C. 5. Jul. 1883).

Aug. 24. Dom. 13. p. Pent. — S. Bartholomaei Ap. (1).
» 25. Fer. 2. S. Ludovici Reg. C.
» 26. Fer. 3. S. Hyacinthi C. — Inc. lib. Eccli.
» 31. Dom. (1. Sept.) 14. p. Pent. — S. Raymundi Nonn. — Inc. lib. Job.
Septemb. 7. Dom. 15. p. Pent. — De ea.
» 14. Dom. 16. p. Pent. — Exaltatio S. Crucis.
» 16. Fer. 3. . . . Inc. lib. Tobiae. — Officium Defunctorum.
» 17. 19. 20. Quat. Temp.
» 21. Dom. 17. p. Pent. — S. Matthaei Ap.
» 22. Fer. 2. . . . Inc. lib. Judith.
» 26. Fer. 6. . . . Inc. lib. Esther.
» 28. Dom. (1. Oct.) 18. p. Pent. VII Dolor. B. M. V.
Octob. 1. Fer. 4. . . . Inc. lib. I. Machabaeor.
» 5. Dom. 19. p. Pent. — SS. Rosarii B. M. V. dup. 2. cl.
» 12. Dom. 20. p. Pent. — Maternitatis B. M. V.
» 19. Dom. 21. p. Pent. — S. Petri de Alcant.
» 20. Fer. 2. . . . Inc. lib. II. Machabaeor.
» 26. Dom. 22. p. Pent. — De ea.
Novemb. 2. Dom. (1 Nov.) 23. p. Pent. — De ea. — Inc. Ezechiel.
» 3. Fer. 2. De 3. die inf. oct. — Commem. omnium fidel. Defunctorum.
» 9. Dom. (3. Nov. — 2. cum sua hebd. omitt.) 24. p. Pent. (i. e. 5. p. Epiph.). — Patrocinium B. M. V. (2).
» 10. Fer. 2. . . . Inc. Daniel.
» 13. Fer. 5. . . . Officium Defunctorum.
» 16. Dom. (4. Nov.) 25. p. Pent. (i. e. 6. p. Epiph.) S. Agnetis Assis. V.
» 17. Fer. 2. . . Inc. Oseas (1. 2.) et Joël (3).
» 20. Fer. 5. . . Inc. Amos, Abdias, Jonas.
» 23. Dom. 26. et ult. (24.) p. Pent. — S. Clementis P. M.
» 24. Fer. 2 . . . . Inc. Michaeas (1.) et Nahum (2. 3).
» 25. Fer. 3. . . . Inc. Habacuc (1. 2) et Sophonias (3).
» 27. Fer. 5. . . Inc. Aggaeus, Zacharias, Malachias.
» 30. Dom. 1. Adventus.
Decemb. 1. Fer. 2. S. Andreae Ap. (fuit heri).
» 2. Fer 3. . . . Officium Defunctorum.
» 6. Sab. . . . In Ms. com. et ult. Ev. vig. Imm. Conc.
» 7. Dom. 2. Adventus.
» 14. Dom. 3. Adventus.
» 17. 19. 20. Quat. Temp.
» 20. Sab. . . . In Ms. com. et ult. Ev. vig.
» 21. Dom. 4. Adventus. Antiph. ad Bened. *Nolite.*

(1) *Romae* fit hodie de puriss. Corde B. M. V. cum com. S. Hyacinthi et Dom., die 25 de S. Bartholomaeo, et die 26 de S. Ludovico Reg. C., die 27... Inc. lib. Eccli.

(2) *In Roman. Prov.* Dedic. basil. SS. Salvatoris, dup. 2. cl.

Decemb. 22. Fer. 2. S. Thomae Ap. (fuit heri).
» 28. Dom. (vac.) inf. oct. Nativ. — SS. Innocentium Mm. col. rub. Dicitur *Te Deum*, in Ms. *Gloria, Alleluja*, et *Ite*.
» 30. Fer. 3. De Dom. inf. oct. Nativ.

—

Festa duplicia majora et sanctorum Ecclesiae Doctorum, quae hoc anno propria die celebrari nequeunt, in sequentes dies sunt transferenda, nisi alicubi isti dies ad hoc vacui non sint:

Ex 4. Febr. S. Joseph a Leonissa C. — ad 27. Febr.
» 11. Febr. B. Joannae Vales. Vid. — ad 13. Mart.
» 19. Febr. S. Conradi C. — ad 26. Mart.
» 23. Febr. Cathedra S. Petri Antioch. — ad 27. Mart.
» 21. Mart. S. Benedicti Abb. — ad 19. April.
» 30. Mart. B. Angelae Fulg. Vid. — ad 6. Nov.
» 22. Maji. B. Joannis Forest M. — ad 9. Dec.
» 24. Maj. B. M. V. tit. Auxil. Christian. — ad 3. Jul.
» 25. Maj. Translat. S. P. N. Franc. — ad 19. Dec.
» 11. Jun. S. Barnabae Ap. — ad 6. Sept.
» 24. Aug. Purissimi Cordis B. M. V. — ad 29. Oct.
» 14. Sept. SS. Nomin. B. M. V. — ad 30. Oct.
» 19. Oct. Puritatis B. M. V. — ad 31. Oct.

[*In Rom. Prov.* d. 29. Oct. SS. Nom. B. M. V., 30. Oct. Puritat. B. M. V., 31. Oct. B. Angelae Fulg., 6. Nov. B. Joann. Forest, 9. Dec. Patrocin. B. M. V.].

—

Ubique hoc anno ad instar simplicis celebrantur sequentia festa duplicia majora et sanctorum Ecclesiae Doctorum:

Die 7. Mart. S. Thomae Aquin. C. D.
» 23. Mart. S. Petri. Dam. E. D.
» 11. April. S. Leonis P. D.
» 29. Maj. B. Joannis de Prado M.
» 30. Maj. S. Ferdinandi C.
» 7. Jun. BB. Stephani et Raymundi etc. Mm.
» 12. Jun. B. Guidi C.
» 14. Jun. S. Basilii E. D.
» 7. Decemb. S. Ambrosii E. D.

—

Ubique hoc anno nihil fit de sequentibus festis:

Die 4. April. de S. Isidoro E. D.
» 5. April. de S. Vincentio Ferr. C.
» 6. April. de B. Bentivolio C.
» 7. April. de B. Antonia de Flor. Vid.
» 8. April. de B. Juliano a S. Aug. C.
» 15. Maj. de B. Benvenuto a Recineto C.
» 26. Maj. de S. Philippo Nerio C.
» 27. Maj. de S. Maria Magdal. de Pazzis V.
» 5. Jun. de B. Pacifico a Ceredano C.

—

CAPITULA GENERALIA.

Capitulorum Generalium Ordinis nostri elenchum daturi, de Capituli Generalis essentia, convocatione et celebratione nonnulla breviter praemittimus.

I.

NOMEN, LOCUS, TEMPUS ET FINIS CAPITULI GENERALIS.

Mos fuit apud priscos monachos, ut mane cujusvis diei post dictam Primam unum capitulum Regulae perlectum explicaretur; deinde vero, dicta a singulis propria culpa et a Superiore imposita poenitentia, absolverentur; haec pia congregatio dicebatur *capitulum,* quae vox decursu temporis omnem Fratrum congregationem significare coepit (1); hinc Capitula culparum, provincialia et generalia. Per Capitulum generale proprie intelligitur conventus vocalium totius Ordinis legitime congregatorum, ad eligendum Superiorem generalem et peragenda alia negotia Ordinem concernentia (2).

Locus servandi Capituli tempore S. P. N. Francisci erat ecclesia S. Mariae Angelorum (Portiuncula) Assisii, qui tamen, cum lege defixus non esset, deinceps ex temporum adjunctis mutabatur, prout videlicet praecedenti Capitulo (3) vel vero Ministro generali (4), et non raro etiam benefactori futuri Capituli videbatur (5).

Quod tempus attinet, S. P. N. Franciscus in Regula praecepit ut, decedente Ministro Generali omnino Comitia cogerentur propter electionem instituendam; secus vero voluit illud ordinarie omni triennio servari, semper tamen in festo Pentecostes (6). Leo X anno 1517 certis permotus rationibus jussit ejusmodi Comitia omni sexennio tantum convocari (7).

(1) Van-Espen Jus Eccles. tit. 23. n. 3. Piccirilli Diritto Canonico per Regolari, p. 305.

(2) Kerckhove Commentarii in Gener. Statuta, p. 373. n. 76.

(3) Chronologia Ordin. I. p. 250.

(4) Ibid., pag. 343.

(5) Congreg. Gener. Burdigalen. anni 1520. apud Gubernatis, Orbis Seraph. III. p. 245.

(6) Cap. 8.

(7) Bulla Unionis: *Ite et vos,* in Chronolog. Ordinis, I. pag. 221.

Finis Comitiorum generalium praecipuus est eligendi Superiorem generalem; praeterea etiam tractandi et determinandi ea, quae pertinent ad sanctiorem Fratrum et fidelium vitam promovendam, excessus corrigendos, puram regulae sanctae observantiam manutenendam nec non et internum Ordinis regimen ordinandum (1).

II.

CONVOCATIO CAPITULI.

Quis convocet Capitulum et qui sint convocandi? Capituli praeses.

Ex vi S. Regulae (2) et Statutorum (3) solummodo Patri Ministro generali competit jus totius Ordinis Comitia indicendi; olim tamen saepe eveniebat, quod ob pecularia Ordinis vel sanctae Ecclesiae adjuncta, ipsi Summi Pontifices (4) vel eorum auctoritate delegatus Cardinalis (5) eadem Comitia convocaverint. Quod si Pater Minister generalis, extra Curiam suam moreretur, tunc jus cogendi Comitia ad eum Ministrum provincialem devolvebatur, in cujus Provincia is mortem oppetiit (6). Nostra tempestate si ejusmodi haud exoptandus casus in ipsa Curia eveniret, jus omne in digniorem Curiae officialem transferri censendum esset.

Per litteras circulares tempestive convocantur omnes qui jure eligendi gaudent. Vi S. Regulae (7) et Bullae *Unionis* (8) dicto jure olim gaudebant solummodo Ministri provinciales et Custodes; sed decursu temporis jus Custodum sensim restrictum et demum in Capitulo Mantuano anno 1762 ob graves rationes abrogatum est (9). Itaque nostris diebus solus Minister provincialis jure interest Comitiis generalibus, et tantummodo dum ille legitime impeditus comparere non potest, ejus loco debet venire Custos Provinciae (10). Custodes regiminis, quales sunt v. g. Custos Terrae Sanctae, Hercegovinensis etc., quia per omnia aequales sunt Ministris provincialibus, aequalibus etiam gaudent juribus. Omnes hi Ministri et Custodes, interesse debent, et si eorum pars aliqua etiam notabilis abesset, Capitulum tamen haberi deberet. In Capitulo anni 1856 instituta fuit, juxta Constitutiones, adhuc et comprobatio de identitate vocalium « unoquoque eorum litteras testimoniales a proprio Provinciae Definitorio expeditas et insigne officii sigillum ostendente (1) ». Praeterea jure suffragii in Capitulis generalibus pollent omnes ii Patres, qui actu ad Definitorium Ordinis pertinent, nec non et tres Patres Secretarii generales, nempe alter totius Ordinis, alter Fratrum Strictioris Observantiae, et tertius Missionum, Pater Vicecommissarius apostolicus Hispaniarum et Ex-procuratores generales, uti ex circularibus Reverendissimi Patris Ministri generalis satis liquet.

Quamvis Comitiis nostris de jure praesideat Pater Minister Generalis, tamen jam pridem invaluit usus, ut, si ea Romae haberentur, in iis praesidium teneat Cardinalis Protector, aut alius de sacro Cardinalium Collegio; si vero in Hispania, Nuncius apostolicus vel alter Praelatus a Summo Pontifice deputatus. Haud raro evenit, ut Summi Pontifices, pro sua in S. Franciscum devotione inque ejus Ordinem charitate, dicta Comitia honore praesidii honestaverint (2). Quodsi ex parte pontificia nemo esset designatus, Minister vero Generalis vel ejus Commissarius praeesse non posset, tunc in defectu Praesidentis legitimi actus capitulares essent dirigendi ab antiquiore et digniore Patre Ordinis (3), vel ab alio quem Congregatio ad hoc elegisset (4).

III.

AGENDA IN CAPITULO GENERALI.

Dignior eligendus. Electio et ejus requisita. Cetera tractanda. Suffragia. Capituli generalis auctoritas, necessitas, utilitas.

Diebus Capitulum praecedentibus praeter cetera in primis Patrum vocalium animos oc-

(1) Confer Kerckhove l. c., p. 391.
(2) Cap. 8.
(3) Apud Kerckhowe l. c. p. 584.
(4) Annal. Minor. tom. I. ad an. 1230, et Vanden Haute Breviarium Histor. p. 221.
(5) Benoffi, Compendio della Storia Minoritica p. 120. Secoli Serafici p. 56.
(6) Statuta Cap. gener. an. 1354 in Chronolog. legal. I. p. 80.
(7) Cap. 8. (8) Chronol. leg. I. p. 221.
(9) Breviar. Histor. p. 221. (10) Ibid.

(1) Capitulum Gener. an. 1856, p. 19.
(2) Ibid. p. 5. et Orbis seraph. tom. I, pag. 336.
(3) Matthaeucci, Officialis Curiae Ecclesiasticae p. 129.
(4) Vide Codicem legum Fratr. Minor. p. 206 n. 7.

cupabit cogitatio de eligendo Superiore generali et ejus Definitorio; nam ante electionem juramento se obstringent: se electuros *quem in conscientia omnibus aequa lance libratis, digniorem judicabunt;* et quidem quia non privatis affectibus et commodis, sed bono publico religionis seraphicae debent consulere, et non personis sed officiis providere.

Sed quis censendus sit dignior? Theologorum sententia est: eos *digniores* reputari, qui *ad regendum aptiores* et *Ordini magis utiles* judicantur, licet non sint adeo docti et sancti sicut ceteri ad gubernandum minus idonei. Unde et S. Thomas scribit: « Ille, qui debet aliquem eligere in episcopum... non tenetur assumere meliorem *simpliciter*... sed *meliorem quoad regimen* ecclesiae, qui scilicet possit ecclesiam instruere et defendere et pacifice gubernare » (1). Et Concilium Tridentinum monet « ut in primis meminerint [electores] nihil se ad Dei gloriam populorum saluti utilius posse facere, quam si bonos pastores, et ecclesiae gubernandae idoneos promoveri studeant; eosque *mortaliter peccare,* nisi eligant quos *digniores et ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint...* (2). Indigni electio scienter facta est ipso jure nulla (3).

Die ipsa electionis, facta Fratrum in loco capitulari inclusione, postquam Minister Generalis se suo officio abdicaverit, actis de jure agendis, praemissoque vocalium juramento, ut supra dictum, ad electionem ipsam procedetur.

Eligere aliquem in Ministrum Generalem Ordinis seraphici, idem est ac *idoneam personam ad talem dignitatem legitime vocare.* Ut vero electio sit legitima seu ad sacrorum canonum prescripta, requiritur:

a) Ut omnes jus eligendi habentes vocentur (4).

b) Ut sit libera et fiat per vota secreta (5) mediantibus schedis (6).

(1) 2ª 2ªᵉ Quaest. 185. art. 3.

(2) Session. 24. cap. I. de Reform. Confer et Matthaeucci, l. c. p. 304. Reiffenstuel, Jus Canon. tom. I. pag. 208. Edit. Maceraten.

(3) Benedetto da Canicatti, Regola de' Frati Minori p. 254.

(4) Cap. *Quia propter* de elect.

(5) P. Benedetto da Canicatti l. c. p. 254. Concil. Trid. sess. 25 de reform.

(6) Vid. Kerckhove l. c. p. 407 num. 54.

c) Ut maior pars etiam minimo excessu consentiat in electum (1).

d) Ut non sint pauciores quam tres disquisitores; (2) hi ordinarie debent esse de corpore capituli, et sub gravi debent etiam esse jurati (3).

e) Ut eligentium nomina non publicentur (4). Quapropter

f) Schedulae post votorum enumerationem jubentur coram Capitulo comburi (5).

Electus Minister Generalis nulla eget confirmatione (6), sed coram toto Capitulo debet jurare de non ambienda vel acceptanda dignitate episcopali, archiepiscopali etc., durante suo officio Generalatus (7). His peractis proceditur juxta caeremoniale Ordinis. Sequentibus vero diebus instituuntur electiones Patrum Procuratorum generalium nec non et Definitorii generalis.

Praeter electiones praedictas in iisdem Comitiis, agendum adhuc est de aliis Sodalitii nostri certe maximi momenti negotiis, ad quae in primis antiqua ordinanda vel nova condenda Ordinis Statuta pertinent; nam quamvis sacra Regula nobis sit praecipua norma vitae instituendae, tamen ex adjunctis temporis in dies novae emergunt quaestiones, insoliti eveniunt casus et peculiares parantur necessitates, quibus omnibus ad puritatem sacrae Regulae tutandam et conscientias rite dirigendas in Domino providendum est.

Demum circa finem fiunt suffragia pro Summo Pontifice, Patre nostro et patrono optimo, pro Eminentissimo Domino Cardinali Protectore et ceteris benefactoribus Ordinis.

Ultimo Patres vocales, accepta a Reverendissimo Patre Ministro generali absolutione et benedictione, suas Provincias repetunt.

Auctoritas Comitiorum generalium in nostro Ordine est maxima, non tantum ideo, quia ex praecipuis totius Ordinis viris, pietate et

(1) Reiffenstuel, Jus Can. Univers. tom. I. p. 197. Ed. Maceraten.

(2) Cap. *Quia propter* de elect.

(3) Kerckhove l. c. p. 395 n. 21. 24. et Statut. Salmantic. capituli an. 1553.

(4) Conc. Trident. sess. 25 de regularib.

(5) Sixti V. Bulla *Et communis* 1587.

(6) Const. *Inter alia* apud Wadd. Annal. Min. Regest. ad an. 1255.

(7) Benedetto da Canicatti, l. c. p. 258.

scientia ornatis componitur, sed et in primis quia in Comitiis summum jus residet eligendi Caput Ordinis et condendi leges universales pro toto Ordine. Ex ipsis actis Comitiorum clara fit eorum moralis necessitas et summa utilitas.

V.

BIBLIOGRAPHIA

—

Corrado Onorato, Min. Oss. — Notizie storiche del Santuario di Nostra Signora di Crea, raccolte dal Sac. Corrado Onorato, dei Minori Osservanti. — Casale Tipografia Editrice Gio. Pane. Via della Rovere, 5 1889. In-16. Pag. XVI-456.

F. C. M. C. — Documenta Regularitatis, seu de Agendis et Fugiendis in Fratrum regimine, a F. C. M. C. (Accedunt Monita Seraphici Doctoris). Cum licentia Superiorum. — Romae: Typographia Vaticana, 1889. Pag. 94.

Rosario Barbera di S. Margarita Belice, Min. Ref. — La Divinità di nostro S. Gesù Cristo, dimostrata al cospetto di tutti gli eretici che l'han rinnegata e rinnegano, opera polemico-apologetica, pel P. Fra Rosario Barbera di S. Margarita Belice, M. O. R., divisa in due parti. — Napoli, Tipografia Editrice degli Accattoncelli, San Raffaele a Mater Dei, 1889. In-8. Pag. 632. Prezzo L. 5.

Thomas (P.) ab Arenys de Mar, Min. Cap. — Flora Oratoria Seráfica Catalana, ó sea Sermones predicados por diversos Oradores de la antigua Provincia Capuchina del Principado de Cataluña: recogidos y colleccionados por el Rdo. P. Fr. Tomás de Arenys de Mar, Capuchino exclaustrado. Tomo primero. Con licencia eclesiástica. — Barcelona: Libreria y Tipografia Católica, Calle del Pino, 5. 1889. Pág. 533.

Opera ad Ordinem spectantia.

E. de Azevedo, S. J. — Vita del taumaturgo portoghese Sant'Antonio di Padova, dal P. Emmanuele de Azevedo, della Compagnia di Gesù, 2.ª ediz. Napoletana, tip. Salvatore Festa, 1887. Pag. 464. L. 2,50.

Gaspare de Luise, dei Pii Operarii. — L'apostolato pratico, conferenze, omelie, sermoni, lezioni della sacra scrittura e discorsi in onore dei Santi, adattati all'intelligenza del popolo. — Napoli, tip. Salv. Festa, 1887-1889. Vol. 18. L. 50.

Carlo Massini. — Raccolta di vite dei Santi, per tutti i giorni dell'anno, dal P. Carlo Massini, dell'Oratorio di Roma. — Napoli, tip. Festa, 1888. Vol. 6. L. 9. (Tria haec opera inveniuntur etiam Romae, apud Curiam generalem nostram).

VI.

NECROLOGIA

—

P. Sanctes a Ferentino, Observantis Provinciae Thusciae filius, missionarius Vicariatus Chen-si septentrionalis in Sinis, et seminarii cleri junioris director, die 26 Januarii morbo apoplectico correptus supremum diem obiit. Is anno 1871 cum Rmo P. Amato Pagnucci, nominati vicariatus Praesule, Sinensem regionem intravit, ubi post diligens studium linguae Sinensis, curae animarum se applicuit tanto cum animi fervore et proximi charitate, ut a fidelibus aeque ac superioribus suis amatus et magni habitus fuerit. Religiosus fuit pius et suae regulae observans, sacerdos devotus, missionarius indefessus, et bono seminarii, cui praefuerat, ex animo studiosissimus.

R. I. P.

Nihil obstat

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

MONITUM.

SSmus D. N. Leo PP. XIII. die 28 Junii a. c. benigne concessit, ut in ecclesiis seu capellis Tertii Ordinis saecularis S. P. N. Francisci Christifideles *hoc anno* Indulgentiam *de Portiuncula* nuncupatam, servatis aliunde servandis, lucrari valeant.

—

EX S. CONGREG. INDICIS.

DECRETUM

—

Feria VI die 14 Junii 1889.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, mandavit et mandat in Indicem librorum prohibitorum referri quae sequuntur Opera damnata atque proscripta a Sacr. Congr. S. Universalis Inquisitionis :

Synopsis Juris Canonici prout olim erant et prout nunc sunt tempora per Hieremiam Fiore Canonicum Ecclesiae Majoris et Matricis sub titulo SS. Apostolorum Petri et Pauli in oppido Cusani Mutri Dioeceseos Telesinae. Neapoli ex Typographeo Perrottiano MDCCCLXXXVI. -- *Decr. S. Off. Fer. IV die 1 maji 1889.*

Il Rosmini — Enciclopedia di Scienze e Lettere redatta da un Consiglio di Direzione composto di Scrittori accreditati nei diversi rami del Sapere. Milano. — *Decr. S. Off. Fer. IV die 29 maji.*

Itaque nemo cujuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus illa tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 14 Junii 1889.

Camillus Card. Mazzella, *Praef.*
Fr. Hyacinthus Frati *Ord. Praed.*
S. Ind. Congr. a Secretis.

L. ✠ S.

Die 17 Junii 1889 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia, *Mag. Curs.*

—

EX S. CONGREGATIONE RITUUM.

—

DECRETUM.

URBIS ET ORBIS.

Altero nunc elabente saeculo, ex quo Redemptoris nostri praecipua caritatis beneficia, sub Ipsius Sacratissimi CORDIS Symbolo, cultu peculiari, mirifice in dies adaucto, a Fidelibus recoli coepta sunt; enixas iteratasque preces Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII quamplurimi sacrorum Antistites, cleri etiam ac populi vota depromentes, undique porrexerunt, ut Festum SSmi Cordis JESU, a fe. re. Pio Papa IX sub ritu Duplici majori universae Ecclesiae praescriptum (Decr. S. R. C. 23 Augusti 1856. *Ex quo.*), deinceps ad ritum Duplicis primae classis, citra obligationem festivi praecepti, elevare dignaretur.

Porro Beatissimus Pater, Cui nihil potius est quam ut Fideles *crescant in gratia et cognitione Domini Nostri* JESU CHRISTI, Ipsiusque *sciant supereminentem scientiae caritatem*, hujusmodi supplicia vota libentissime excepit: eo praecipue animum Suum intendens, ut gliscentibus impietatis conatibus, Fideles in hac saluberrima devotione perfugium et munimen inveniant, et vehementiori erga amantissimum Redemptorem amore inflammati, digna Ei laudis et placationis obsequia persolvant, simulque pro Fidei incremento et Christiani populi pace atque incolumitate divinas miserationes ferventius implorent. Hisce permotus Beatissimus ipse Pater, Sacrorum Rituum Congregationis audito consilio, de speciali gratia et privilegio, decernendum censuit:

Nulla facta immutatione relate ad eos, qui amplioribus ex Apostolicae Sedis Indulto gaudent privilegiis, Festum Sacratissimi Cordis JESU ritu DUPLICIS PRIMAE CLASSIS sine Octava in universa Ecclesia amodo celebretur; absque praecepto audiendi Sacrum, et a servilibus operibus abstinendi.

Idem Festum feria VI post Octavam Corporis CHRISTI, tamquam in sede propria, recolatur; et nonnisi Solemnitatibus ritus Duplicis primae classis universalis Ecclesiae, nempe Nativitatis S. Joannis Baptistae, ac SS. Apostolorum Petri et Pauli, nec non Festis particularibus ejusdem ritus, ceu Dedicationis, ac Titularis Ecclesiae, locique Patroni, quando haec sub duplici praecepto fiant, locum cedat: quibus in casibus, die immediate ea Festa insequenti, veluti in sede propria, reponatur.

In concurrentia Festi SSmi Cordis JESU cum die octava Corporis CHRISTI, Vesperae integrae fiant de eadem Octava, sine ulla Commemoratione, attenta indole peculiari utriusque Festi. Quoad concurrentiam vero cum Duplicibus primae classis, ambae Vesperae ordinentur ad tramitem rubricarum et decretorum Sacrae Rituum Congregationis.

Insuper ad Fidelium pietatem erga Sacratissimum Cor JESU impensius fovendam, Sanctissimus Dominus Noster libens ultro concessit, ut in cunctis Ecclesiis et Oratoriis, in quibus die festo, sive proprio sive translato, ipsius Sacri Cordis JESU, coram Sanctissima Eucharistia persolventur divina Officia; clerus et populus, qui hisce Officiis intererit, easdem lucretur Indulgentias, quas Fidelibus, divinis Officiis per Octiduum Corporis CHRISTI adsistentibus, Summi Pontifices elargiti sunt.

In iis vero Ecclesiis et Oratoriis, ubi feria VI, quae prima unoquoque in mense occurrit, peculiaria exercitia pietatis in honorem Divini Cordis, approbante loci Ordinario, mane peragentur: Beatissimus Pater indulsit, ut hisce exercitiis addi valeat Missa votiva de Sacro Corde JESU; dummodo in illam diem non incidat aliquod Festum Domini, aut Duplex primae classis, vel Feria, Vigilia, Octava ex privilegiatis: de cetero servatis rubricis.

Voluit demum Sanctitas Sua, ut super hoc Decreto expediantur Litterae Apostolicae in forma Brevis. Die XXVIII Junii, festo Sanctissimi Cordis JESU, anno MDCCCLXXXIX.

C. Card. LAURENZI *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S.

VINCENTIUS NUSSI *S. R. C. Secret.*

II.
ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS

Incitamenta seraphica.

DE DISCIPLINA REGULARI RESTITUENDA

CAPUT V.

De Educatione Juvenum.

§ 6. *De professione.*

65. Professio religiosa est perfectissimum sui ipsius sacrificium, quia profitens per votum paupertatis omnibus bonis terrenis, per votum castitatis carnis oblectamentis, et per votum obedientiae propriae voluntatis arbitrio renuntiat, et sic, uti Theologi dicunt, actum tam heroicum ponit, qui martyrio comparari possit, quia licet professus non gladio percussus moriatur, tamen per continuam passionum suarum abnegationem mysticum quoddam mortis genus experitur. Ideo juxta communem Theologorum sententiam professionis religiosae effectus est remissio omnium poenarum peccatis debitarum, non ex opere operato, quia professio non est Sacramentum, sed ex excellentia operis, quod est satisfactio pro tota poena peccatis debita, unde secundum S. Hieronymum et S. Bernardum professio religiosa comparatur baptismo. Requiritur tamen ad hoc, ut professio fiat in statu gratiae, non enim remittitur poena, nisi remissa culpa.

66. Alius professionis effectus est extinctio omnium votorum professionem praecedentium, sive reservata sint, sive non. Hoc docet S. Thomas (1), quem unanimiter sequuntur Theologi.

67. Praeterea professio religiosa, sicut dissolvit praecedens matrimonium ratum, non consummatum, dirimitque subsequens contractum (2): sic et tollit irregularitatem ortam ex defectu natalium in ordine ad sacros Ordines suscipiendos; non tamen in ordine ad praelaturas et dignitates.

68. In professione sacrum initur pactum Ordinem inter et profitentem. Ordo temporalem et spiritualem de professo curam suscipit, illum alit, fovet, defendit, in viam salutis dirigit, et ad coelestem beatitudinem perducit; a professo vero Ordo exigit, ut Regulam et Statuta exacte observet, et absque contradictione fideliter exequatur, quidquid ipsi injunctum fuerit ab iis Superioribus, quos Ordo ipsi praeficere voluerit, et in iis officiis, quae judicaverit melius ipsi convenire.

(1) 2. 2. quaest. 88. art. 12.

(2) Concil. Trident. Sess. XXIV. can. 6. et 9.

69. Numquam e memoria nostra excidat pactum illud, quod fecimus cum Ordine in professione nostra. Patiamur ergo, ut Ordo utatur jure suo ad nobis praecipiendum et prohibendum, atque de vita nostra disponendum, prout ipsi placuerit. Contra hanc auctoritatem nec aetas senilis, nec officia honorabilia administrata, nec infirmitates ipsae corporales praescribunt. Etiam post septuaginta et amplius annos in Religione exactos, post labores pro ea exantlatos, in eodem persistit vigore, ac illo die, quo albo Ordinis sumus adscripti. Hanc indispensabilem et perpetuam subjectionem nobis ita proponamus, ut sit nobis stella, secundum quam omnem vitae nostrae cursum dirigamus.

70. Nemo professionem emittere debet, qui ignorat illas obligationes, quas ipsa professio imponit. Monet enim Sapiens (1): « Ne « temere quid loquaris, neque cor tuum sit « velox ad proferendum sermonem coram « Deo. Displicet ei infidelis et stulta promis- « sio. » *Infidelis* est promissio, cui deest veritas et intentio adimplendi; *stulta* est promissio ejus, qui nescit, ad quid se obliget. Negligitur quandoque aliquorum in novitiatu instructio de suscipiendis obligationibus. Hi post professionem detrectant ipsis satisfacere, impudenter declarantes, quod si scivissent, tantos fuisse compedes Religionis, numquam in eos pedem intulissent. Et hinc illae lacrymae Ordinum religiosorum! Idcirco viderint illi, qui docere tenentur, qualiter satisfacturi sint Patri coelesti, qui suos illis concredidit filios, quos incultos reliquerunt, ac forsitan causa fuerunt, ne in coelum admitterentur, sed expellerentur propter suas transgressiones. Terribilis est comminatio Jesu Christi (2): « Vae vobis « legisperitis, quia tulistis clavem scientiae.

(1) Eccle. V, 1.

(2) Luc. XI, 52.

« Ipsi non introistis, et eos qui introibant « prohibuistis ».

71. Saepius recogitemus, quam proficuus sit nobis iste contractus professionis, quo disposuimus inventam margaritam, venditis omnibus, comparare; quam nobilis sit ista militia, cui sub duce CHRISTO praestavimus irrevocabile juramentum; quam felix sit ista mors, quae nos a mundo et carne separat, et consortio angelorum nos adjungit; quam acceptum istud sacrificium, quo divinae majestati omnia quae possumus offerimus; quam suavis illa animae nostrae cum CHRISTO desponsatio, cui perpetuam promisimus fidelitatem, fruituri vicissim sponsi amplexibus usque in sempiternum.

72. De sancta professione loquens, S. P. N. Franciscus in Regula dicit: « Recipiantur « ad obedientiam, promittentes vitam istam « et Regulam semper observare », ut intelligamus, quod si forsitan in loco, ubi professio emittitur, Fratres vitam communiter ducerent Regulae non conformem, minime sufficiat, ut emittens professionem istam Fratrum vitam imitetur; sed requiratur, ut promittat et observet « vitam istam et Regulam », sive vitam Regulae conformem. Per DEI misericordiam Ordo noster numquam eo usque lapsus est in relaxationem, nec dilabetur umquam, ut ad paucos vera Regulae observantia reducatur; semper invenientur columnae regularis disciplinae, quibus juniores inniti possint, quique eis iter pandant ad perfectiora.

73. Stimulum eximium ad fervidam votorum nostrorum ac Regulae observantiam nobis subministrat consideratio personarum, quibus promissiones fecimus. Vovimus ac promisimus imprimis *omnipotenti* DEO, qui non se patitur irrideri, et qui promissionem nostram serio et amanter acceptavit, ac de foedifragis districtam sumpturus est ultionem. Deinde *Beatae* MARIAE *Virgini*, quae cum gaudio interfuit sancto isti contractui sponsalitio; ob cujus proinde reverentiam, etsi alia non urgeret ratio, omnino et integre servari debet. Si quid deest nobis gratiae, parata est superabundantem a Filio nobis impetrare. Vota nostra nuncupavimus *B. Patri Francisco;* et non sine singulari ipsius gaudio, dum de novis suis filiis sperabat, quod ait Sapiens de bene honorato filio (1): « In vita sua vidit et « laetatus est in illo, et in obitu suo non est « contristatus, nec confusus est coram inimi- « cis: reliquit defensorem domus contra ini- « micos, et amicis reddentem gratiam ». Attamen, quanta charitate nos adoptat in filios, dum professionem pronuntiamus, tanta quoque vigilantia e coelis prospicit, num juxta promissa ambulemus, futurus severus vindex in votorum ac Regulae praevaricatores. Fit professio etiam *omnibus Sanctis,* qui libenter nos admittunt in sanctitatis societatem, ut S. Pauli verbis nobis dici possit (2): « Jam non estis « hospites et advenae, sed estis cives Sancto- « rum et domestici DEI ». Haec cogitatio tantae dignitatis jugiter nos stimulare debet ad generosam aemulationem ceterorum domesticorum DEI. Denique vota emittuntur Praelato, totique Ordini in persona ipsius; Praelatus nomine DEI vota acceptat, in coelo iste contractus confirmatur, et aliquando districta ratio de illius observantia requiretur.

§ 7. *De professionis perpetuitate.*

74. Maximi momenti est, ut vocati ad statum religiosum gratiam non in vacuum recipiant, sed fideliter usque ad mortem in sancta sua vocatione persistant. Quapropter S. P. N. Franciscus non solum voluit, ut filii sui promitterent, hanc vitam ac Regulam *semper* observare, sed addidit etiam absolutam hunc Ordinem deserendi prohibitionem, dicens: « Et « nullo modo licebit eis de ista Religione « exire », et grave hoc praeceptum confirmat tum per mandatum Domini Papae Honorii III, qui Regulam confirmavit, tum per gravissimum dictum CHRISTI (3): « Nemo mittens « manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus « est regno DEI ».

75. Qui post emissam professionem, Ordinem deserunt, hoc vel legitima licentia, vel sine licentia faciunt. In primo casu *saecularizati,* in secundo vero *apostatae* vocantur. Quid de saecularizatione sentiendum sit, alias (4) exposuimus. Quae ibi diximus (licet multa alia possent adjungi), quemlibet tenerae con-

(1) Eccli. XXX, 5.
(2) Ephes. II. 19.
(3) Luc. IX, 52.
(4) *Acta Ordin.,* Ann. IV, pag. 87.

scientiae Religiosum a petendo saecularizationis indulto deterrere debent. Nunc vero de execrando apostasiae crimine breviter agemus.

76. Qui sine licentia Superiorum Conventum deserit cum animo non redeundi, sive habitum dimittat, sive non: est *apostata,* et excommunicationem *ipso facto* incurrit. Qui sine licentia Conventum deserit cum animo vagandi ad tempus extra illum, ac dein redeundi: *fugitivus* vocatur. Isti fugitivi tamen ut apostatae habendi sunt, ac eorum poenis subjacent. Etiam illi non excusantur, qui sub praetextu recurrendi ad Superiores Conventum sine licentia deserunt; nam Concilium Tridentinum dicit (1): « Nec liceat Regularibus a suis Conventibus recedere, etiam « praetextu ad Superiores suos accedendi, nisi « ab eisdem missi vel vocati fuerint: qui vero « sine praedicto mandato, in scripto obtento, « repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tamquam desertor sui Instituti puniatur ».

(Continuabitur).

—

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1889 celebrata.

IV.

Collegium Apostol. S. Caroli in civitate S. Laurentii.

In Collegio Missionum de Propaganda Fide sub invocatione S. Caroli in civitate S. Laurentii in Republica Argentina, praesidente A. R. P. Salvatore Mazza, Commissario Generali, die 14 Maji rite celebratum est Capitulum, in quo canonice electi sunt:

Guardianus Collegii

R. P. Patritius O' Shea.

Discreti Collegii

R. P. Bernardus Trippini.
R. P. Franciscus Tavolini.
R. P. Jeremias Petrelli.
R. P. Petrus Ituvralde.

V.

Obs. Provincia Principatus.

Die 22 Maji in Conventu S. Mariae Angelorum Nuceriae, praesidente A. R. P. Remigio Buselli, Commissario Visitatore Generali, rite celebratum est Capitulum, in quo canonice electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Franciscus a Padula.

Custos Provinciae

A. R. P. Salvator a Casoria.

Definitores Provinciae

R. P. Raphael a S. Valentino.
R. P. Carmelus de Nuceria.
R. P. Anselmus de Nuceria.
R. P. Raphael de Paterno.

VI.

Ref. Provincia Principatus.

In Capitulo Provinciali celebrato die 27 Junii in Conventu S. Francisci Braciliani, sub praesidentia Adm. R. P. Joannis a Calatia Lect. Em. Provinciae Neap. et Comm. Visitatoris, canonice electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Gulielmus a Castromaris, jam Min.

Custos Vocalis

A. R. P. Franciscus ab Ajello, ex-Min.

Definitores

R. P. Franciscus ab Abellino.
R. P. Josephus a Nuceria Paganorum.
R. P. Antonius a Contrada.
R. P. Jacobus a Floreno.

VII.

Ref. Provincia Tusciae.

Die 15 Julii in sacro Conventu Montis Alvernae celebratum fuit Capitulum sub praesidentia Adm. R. P. Thomae a Vallibus Dominorum, Commissarii Visitatoris, in quo rite et canonice electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Damianus a Montecarolo.

Custos Vocalis

R. P. Aloysius a Cesa, Lect. Theol.

(1) Sess. XXV. cap. 4. de Regularib.

DEFINITORES PROVINCIAE

A. R. P. Dorotheus a Bonistallo, Ex-Min.
R. P. Romulus a Querceto, Lect. Theol.
R. P. Antonius a Monticello.
R. P. Norbertus a S. Marcello, Lect. Theol.

—

CAUSAE SANCTORUM ORDINIS NOSTRI

VII.

VEN. SORORIS MARIAE HOESS, BAVARIENSIS, *Monialis III. Ord. beatificandae.*

Kauffburae in Bavaria intra fines Augustanae Dioecesis nata est die 20.ª Octobris anno 1682. Parentes habuit Matthiam Hoess, et Luciam Hörmann ambos Catholicos, et quidem pietate valde conspicuos; in sacro regenerationis fonte Annae nomen accepit. Ab ipsis incunabulis praeclarissima dedit futurae sanctitatis indicia; etenim, infans nondum unius anni in manibus matris gestata mirum pietatis fervorem in ecclesiis praeseferebat, praesertim tempore Missae sacrificii, nomina JESU et MARIAE didicit, saepeque ea repetebat; maxima animi sui laetitia Genitorem de rebus divinis loquentem audiebat; ineptias puerilesque ludos abhorrebat; silentio et solitudine valde delectabatur, licet esset semper laeta sibique constans. Cum primum per aetatem ei licuit, scholam adivit, unde studium cum pietate maxima conjungens, litteras ac musicam didicit, in quibus multum profecit. Sex annos nata, miram erga Deiparam devotionem monstrabat, ejusque virtutes, maxime vero solitudinem, silentium virginalemque candorem imitari summopere studebat; imo in ejus obsequium votum emisit perpetuae castitatis. Quod DEO et Virgini ita placuit, ut meruerit, quamdiu vixit, carere omnis carnis sensu, ut testimonio Confessariorum compertum est. Septennis pro singulari suo desiderio et mirabili pietate primum ad sacram Synaxim admissa fuit; ex quo die ad hanc mensam coelestem saepissime accedebat; et quidem post diligentissimam praeparationem tanta devotione ac reverentia, ut etiam tepidi homines hujusce puellae intuitu ad fervorem excitarentur. Coelesti pabulo refecta, immobilis in oratione manebat et in altissima contemplatione absorpta, nec per totum diem a gratiarum actione inter domesticos labores cessabat. Eo die, quo Angelorum esca refici debebat, antelucano tempore templum petere consueverat; et si aliquando fores erant clausae, pluries ipsae prodigiose patefactae sunt, ut puella introire posset.

Aetate grandior, poenitentiam cum innocentia socians, aspero cilicio lumbos cingebat, flagrisque sese dire caedebat, subtractoque sibi cibo, saepe etiam necessario, pauperes reficiebat. Extra domum vero ita omnes mores suos componebat, ut non modo omnium catholicorum civium amorem sibi facile conciliaverit, sed vel ipsos Protestantes in sui traxerit admirationem. Coepit inde de vita claustrali amplectenda cogitare, propositumque suum patri manifestavit, et a Monialibus suae civitatis, ut ad habitum religiosum admitteretur, instanter petivit. Verum ob rei familiaris inopiam assensum minime obtinuit. Haud tamen spe decidit; imo ferventius DEUM exorabat, ut sibi viam exequendae vocationis aperiret. Et revera, dum quadam die ante Crucifixi imaginem, in ambitu Kauffbureni asceterii positam, ferventissime orabat, ex ipsa imagine hanc coelestem vocem audire meruit: « Hic habitatio tua erit ». In perenne vero prodigii testimonium hujus Crucifixi os hiatu quodam notabile adhuc videtur. Cum res omnino desperata esse videretur, tandem, quis crederet? instante quodam nobili viro Lutherano, ejusdem civitatis consule, quem virginis angelici mores ingenti admiratione imbuerant, Moniales annuerunt. Unde Anna die 16.ª Junii 1703, aetatis suae vigesimo primo, monasterium ingressa est, habitumque religiosum maxima animi laetitia suscepit.

Ast incredibile est qualia et quanta anno probationis ipsa perpessa sit adversa tum ex parte Praepositae et aliquarum Consororum, quae aegre ferentes, Annam nulla dote inter ipsas fuisse cooptatam, modis omnibus eam tentabant, ut vitae claustralis pertaesa, sponte sua saeculum repeteret; tum ex parte daemonis, qui magnam virginis sanctitatem horrens, eam saeve vexabat. Sed his omnibus minime animo fracta, imo magis magisque propositi sui tenax, expleto tyrocinio, vota emisit, nomenque Mariae Crescentiae accepit. Non tamen tunc ces-

sarunt daemonis Sororumque insectationes: ille enim adhuc per quatuor integros annos etiam aperta vi, idest verberibus, colaphis ceterisque tormentis sanctam virginem lacessivit; istae vero injuriis, conviciis, modisque omnibus ejus patientiam diu tentarunt, sed frustra! Etenim, divino auxilio freta, omnia fortiter superavit, atque in via religiosae perfectionis de die in diem maxime profecit. Tandem vero, tanquam aurum in fornace probata, pacem et quietem invenit; nam vel ipsae adversae Consorores, ejus innocentia, patientia, fortitudine, ceterarumque virtutum exercitio commotae, errorem suum agnoverunt, veniam humiliter petiere, imo summis laudibus ipsam affecerunt. Non solum, sed primum Tyronibus praeficitur, ut spectatissimis suis moribus ad virtutem eas informaret; deinde, universis annuentibus, totius Asceterii Praeses renuntiatur. Mirabilis ejus sanctitas, quae tum ex praeclarissimis virtutibus, tum ex supernaturalibus donis patefiebat, brevi totam Germaniam finitimasque regiones pervasit; unde viri virtute, dignitate, doctrinaque clarissimi ad eam consulendam certatim adibant, inter quas plures Principes, Episcopi, Archiepiscopi etc.; multique, qui eam adire nequibant, sese epistolis ejus precibus commendabant.

Cum in continuo omnium virtutum exercitio ad annum sexagesimum secundum vitae suae pervenisset, primis Quadragesimae diebus tot tantisque ardoribus corpus ejus uri coepit, ut acciti periti uno ore judicarent, eosdem oriri ab excessivo divini amoris igne in ejus corde accenso. Per integras sex hebdomadas, quibus aegritudo, ut sic dicam, perduravit, nullum prorsus humanum cibum degustavit, sed solo pane angelico quotidie reficiebatur. Tandem, circa mediam noctem, quae Resurrectionis Dominicam praecedit, uti jam praedixerat, intensissimi divini amoris impetu potius, quam morbi vi, velut altera Theresia a Jesu, placido serenoque vultu ad coelestes Agni nuptias feliciter evolavit, die 5 Aprilis anno 1744. Venerabilis Crescentiae cadaver per triduum, quo magno devotoque populorum concursu frequentabatur, insepultu mremansit, mira flexibilitate, roseoque colore, qui vultum purpurabat, non mortuae, sed viventis referebat imaginem. Plura in ejus funere evenerunt prodigia, quae brevitatis gratia hic nobis referre non licet. Quae fama sanctitatis quin ab obitu virginis decresceret, potius in dies excrevit, atque longe lateque diffusa est, non solum apud catholicos populos totius Germaniae, Hungariae, Transylvaniae, Poloniae, Helvetiae, et Italiae; imo et apud acatholicos, qui Crescentiam summis laudibus saepe extollunt, eam *Bonam* appellant, atque ejus precibus etiam sese commendant. Ejusdem sanctitas illustrata est a felici ipsius morte usque ad hanc aetatem, tum numerosis ac fere quotidianis peregrinationibus ad ejus sepulcrum, quae a saeculo fiunt a fidelibus cujuscumque gradus et dignitatis, etiam eminentis; tum frequentia miraculorum a Deo, invocato Crescentiae nomine, patratorum; tum fere innumerabilibus anathematibus, quae fideles de acceptis beneficiis gratias acturi ad Asceterium deferunt, ibique religiose asservantur.

Et tamen *Processus,* quos dicunt *Ordinarios,* vix post triginta annos ab obitu Ancillae Dei, nempe 1775, construi coeperunt; ita disponente ipso Summo Pontifice Benedicto XIV., ut sic ejus sanctitas magis magisque experiretur. Quibus confectis et approbatis, Causa *Beatificationis* Servae Dei anno 1785 introducta fuit sub Pio VI; unde *Litterae Remissoriales* ad conficiendum *Processum Apostolicum* in Dioecesi Augustana *Ne pereant* etc. expeditae fuerunt mense Junii ejusdem anni. Qui Processus ad finem perductus, Romam delatus fuit et ut validus recognitus die 31.ª Augusti 1793. Postea de praestantia Virtutum Servae Dei in triplici consueta Congregatione fuit discussum; quarum prima habita est in Aedibus Revmi Card. Archinti Causae *Ponentis* die 3.ª Maji 1797; secunda in Palatio Apostolico Quirinali die 3.ª Martii anno 1801; tertia tandem in eodem Palatio coram Summo Pontifice Pio Papa VII.° die 28.ª Julii ejusdem anni. In qua quidem Virtutes Ven. Crescentiae uti revera heroicae recognitae fuere; quapropter paulo post, idest die 5.ª Augusti, Decretum emanatum fuit, quo statuitur: « Constare de Virtutibus Venerabilis Servae Dei Sororis Mariae Crescentiae Hoess tum Theologalibus, tum Cardinalibus earumque adnexis in gradu heroico ».

Ab illo tempore usque in praesens nihil amplius de hac celebri Causa actum est; ve-

rum, cum in principio anni 1884, fama pervulgata sit, quasdam prodigiosas sanationes in civitate Augustana a DEO patratas esse, speciatim Rosae Hiemberger, Crescentiae Fichtel, et Franciscae Frei, ob intercessionem praefatae Servae DEI, Adm. R. P. Bernardinus e Cryptis Castri, tunc Postulator Generalis Ordinis, SSmum Dom. Nost. Leonem Papam XIII. humillime exoravit, ut concedere dignaretur Episcopo Augustano *Litteras Remissoriales* ad inquirendum super iisdem assertis prodigiosis sanationibus. Qui benigne annuens, die 14.ª Februarii anni supradicti relativum Decretum emanavit. Unde, praemissis praemittendis, Processus *Apostolicus* super his tribus sanationibus die ultima Octobris inceptus est, et intra quinque menses ad finem rite perductus. Postea fuit ad Urbem delatus, apertus, translatus etc., adhuc autem ejus approbatio desideratur, licet proxima sit, uti videtur. Utinam proxima esset et glorificatio in terris tantae Sanctimonialis Feminae, prout est in votis omnium, maxime vero Fratrum, Sororumque Ordinis nostri, necnon totius populi catholici nobilissimae Germanicae nationis.

Habetur Vener. Crescentiae Vita, satis copiosa et pulchra lingua germanica conscripta ab Adm. Rev. Patre Ignatio Jeiler Ordinis Nostri, nunc Collegii S. Bonaventurae prope Florentiam Praefecto. Quae Vita jam tertia vice typis fuit impressa.

VIII.

VEN. SORORIS MARIAE A JESU MEXICANAE, *Monialis II Ordinis Beatificandae.*

Angelopolitana civitas in Mexico fuit patria Ven. DEI Famulae, quae anno Domini 1579 mense Februarii, ex honestis piisque Parentibus ortum habuit; ac in sacro Baptismatis fonte nomen Mariae accepit. Ab ipsa infantia non obscura sanctitatis indicia praebuit; neque mirum: ejus enim Genitrix, dum illam in utero gestaret, Beatae Virgini devotissime obtulit, illiusque patrocinio intimo cordis affectu dicavit in Ecclesia S. Dominici. Cujus piam oblationem gratissimam fuisse Deiparae credi debet, etiam ex eo, quod puella primis verbis, quae protulit, Beatissimam Virginem Angelica salutatione laudavit; et adhuc balbutiens singulari devotione in illius honorem sanctum Rosarium recitare consuevit. Cum pii Genitores non sine animi gaudio aspicerent in filiola aptissimam indolem ad omnium virtutum exercitium, minime neglexerunt cunctis fidei rudimentis eam instruere, in illiusque animam instillare semper majorem erga Deiparam devotionem, et in christianarum virtutum tramite eamdem dirigere. Unde Maria in tenella adhuc aetate puerilia fugiens, tamquam si esset adulta et in christiana pietate provecta, plures transigebat horas in remotis paternae domus cubiculis, orationi vacans ante imaginem Virginis, cujus patrocinio totam se mancipaverat; ibique suos pios exhalabat affectus. Tantusque erat amor solitariis in locis orationi vacandi, ut annum agens circiter sextum, audita aliquando historia S. Joannis Baptistae, ac austeritatibus ab eodem in deserto peractis, accensa fervore eumdem in solitudine et in mortificatione imitandi, una cum germano Fratre, paterna relicta domo, ac secum ferens devotissimam B. M. Virginis Imaginem, se contulit extra civitatem, et fere inaccessibilem rupem, quam adire potuisse non sine coelesti auxilio fuit dijudicatum, conscendit; in qua supradicta imagine collocata, biduo jam ferventi orationi vacabat, paucis frustulis panis se alens, cum a Genitore illam quaerente inventa, ad propriam domum fuit revocata.

Verum, a proposito consilio solitariam ducendi vitam minime desistens, imo illud executioni mandare jugiter meditans, totam se in domo paterna addixit christianis excolendis virtutibus, fervidas interim DEO preces offerens, ut aditus ad aliquod Monasterium ei pateret, ubi, sacrando suam virginitatem Altissimo, sanctam ducere valeret vitam. Quo tempore, cum DEI famula aetate ac virtutibus cresceret, pluries a proprio Genitore mundanas inire nuptias fuit tentata; sed sicut ipsa ab infantia nullum alium exoptavit sponsum nisi coelestem, ita Genitori parere recusans, saepissime animi et corporis afflictionibus cruciabatur; adeo ut quoties a Genitore ei mundanae nuptiae proponebantur, toties morborum molestiis vexabatur; eo vero desistente, et haec pristinam illico recuperabat sanitatem. Tandem, semper ferventiores DEO preces offerens, superatis coelesti ope communis hostis insidiis,

Genitorisve voluntate contempta, Monasterium Immaculatae Conceptionis B. M. Virginis ipsa in patria ingressa est; in quo sacro induta habitu, tyrocinio exactissime expleto, ac inexplicabili sui animi gaudio emissa professione, quoad vixit, omnium virtutum perfectissimum praebuit exemplum cunctis Consororibus, humillimasque Deo reddens gratias pro tam singulari beneficio accepto, ac impensiori cura exactissimae votorum observantiae studens, brevi tempore ad perfectionis culmen pervenit, saepe a Deo divinis charismatibus mirabiliter exornata.

Demum, cum hanc angelicam potius quam humanam vitam duceret, fuit hydropis morbo affecta; cujus incommoda laetissimo animo tolerans, extremis jam jam suae vitae diebus imminentibus, sacrosanctis Ecclesiae Sacramentis, prout ardentissime exoptaverat, munita, inter eximios virtutum actus obiit in osculo Domini, prout jam praedixerat, die 11 Junii 1637, solemni recurrente festo Sanctissimi Corporis Christi, cujus fuit singularissime devota, et cujus particularem festivitatem in Monasterio celebrandam introduxerat. Fama sanctitatis, qua mirabiliter resplenduit, dum in vivis erat, post mortem valde excrevit; et re sane vera, statim ac spiritus corporis carcerem dereliquit, vultus hujus Ven. Dei Ancillae mira venustate splenduit, apparuitque rubicundus tamquam si corporis viventis, floridissimaeque aetatis esset; virginale cadaver non solum retinuit naturalem flexibilitatem, sed insuper ex illius vultu copiosissimus sudor, suavissimusque odor e corpore manabat; ad ejus funus ingens fuit concursus fidelium cujuscumque gradus et conditionis, omnesque ardebant desiderio aliquid venerabilis corporis diripiendi pro reliquiis asservandum: quae pietas ita processit, ut nisi fuisset repressa, brevi illud in frustula redegissent. Quae fama sanctitatis, semper constans atque perseverans, nedum in civitate Angelopolitana, sed longe lateque diffusa est etiam ad exteras provincias et nationes; magnum porro se manifestabat desiderium ut ipsius sanctitas quamprimum ab auctoritate Apostolica esset juridice approbanda.

De facto, anno 1661 in ipsa civitate Angelopolitana fuit constructus primus *Processus Informativus*, secundus anno 1671, tertius tandem anno 1691. Processus autem *Apostolicus* nonnisi anno 1735 incoeptus fuit sub Clemente XII. Quibus absolutis, examinatis atque approbatis, Summus Pontifex Pius VI post habitam triplicem Congregationem *super Virtutibus* Servae Dei Mariae a Jesu, ut est de jure, eas uti heroicas Decreto suo, die 3 Julii anni 1785 emanato, declaravit. Discussio tamen Miraculorum ad Beatificationem Servae Dei obtinendam nonnisi anno 1855, uti videtur, incepta est. Dixi, uti videtur, quia haec Causa, licet Franciscana, vix in hisce diebus ad hanc nostram Postulationem Generalem delata est. Tria autem Miracula selecta, atque Sacrae Rituum Congregationi proponenda, haec sunt: Primum sanationis cujusdam Monasterii famulae, Nicolettae nomine, a paralysi ex apoplexia orta; alterum liquoris, qui ex V. S. D. aridis ossibus manare fertur; tertium denique suavis ac fragrantis odoris ex iisdem ossibus effluentis. — Verum, tum jam notae urbis Angelopolitanae, imo totius Mexici, calamitates, tum diversae Peritorum sententiae circa secundi Miraculi valorem, tum aliae non paucae adversae vicissitudines Causae cursum retardarunt; speratur autem, ut in posterum celerior evadat, felicemque exitum habeat; prout ardentissime exoptatur, speciali modo a Monialibus Mariae Consororibus adhuc Angelopoli degentibus.

Usque nunc apud hanc Postulationem non habetur hujus Religiosae Feminae neque Vita, neque Imago, neque aliquid aliud.

—

NOVUS EX ORDINE EPISCOPUS

In audientia diei 19 Maji proxime elapsi concessa Rmo D. Dominico Jacobini, Secretario S. C. de Propaganda Fide, SS. D. Leo XIII Adm. R. P. Mariam a Brest, in saeculo Mariam Stephanum Potron, Min. Obs. Commissarium Generalem Terrae Sanctae, et Francisealium Missionum Procuratorem in civitate Parisiensi, evehere dignatus est ad gradum episcopalem. Per Breve datum mense Junio sequenti, praelaudatus Pater electus est episcopus titularis Hiericuntinus, et die 29 Junii, in festo SS. Apostolorum Petri et Pauli consecratus est in ecclesia nostra Collegii S. An-

tonii, ab Eminentissimo Cardinali Decano, Raphaele Monaco Lavalletta, assistentibus Rmo D. Jacobini Archiepiscopo Tyren., de quo supra, et Rmo Luciano Saracani, episcopo Epiphaniae. Reverendissimus episcopus Hiericuntinus in muneribus suis, quibus cum tanto zelo fungebatur, perseverare non desinet.

III.

MISSIONES

—

LABORES SPIRITUALES

Collegii S. Caroli in civitate S. Laurentii in Republica Argentina in America meridionali ab anno 1880 usque ad annum 1888 inclusive.

Baptismata administrata	9550
Confessiones adultorum	32165
» » puerorum	6236
» » infirmorum	3081
Communiones	41378
Matrimonia benedicta	3620
Sermones	2329
Panegyrici	251
Missiones	81

—

STATUS

Vicariatus Chan-si in Sinis anno 1889.

Incolae provinciae	14,000,000
Catholici	18, 640
Baptizati adulti infra annum . .	578
Catechumeni, circiter	2000
Sacerdotes indigenae	20
Missionarii europaei	12
Diaconi indigenae	1
Minoristae	4
Districtus	20
Christianitates, circa	360
Seminaria	2
Alumni	34
Collegia	2
Scholae	65
Orphanotrophia S. Infantiae et Missionis	5
Orphani	1340
Ecclesiae magnae	20
Sacella ampla	46
Sacella parva, circiter	200
Residentiae	80

IV.

VARIA.

—

MONITUM.

De licentia Rmi P. Generalis, sicut anno elapso, monentur Superiores Provinciarum Ordinis nostri, praesertim ex regionibus Europae septentrionalis, adesse in *Bordighera,* prope Ventimiliam, novum Terrae Sanctae hospitium. Ad Bordighera, ut omnes norunt, multi quotannis ad hiemandum confugiunt exteri, propter aëris temperiem situsque amoenitatem, in ora ligustica Mediterranei maris. In hospitio jam laudato Terrae Sanctae, singulis annis in posterum hiemali tempore admitti poterunt *tres quatuorve* sacerdotes nostri, qui ad reficiendas vires mitiori climate indigent, dummodo brevi concione saltem singulis dominicis habenda in lingua Anglica vel Gallica vel Germanica, et confessionibus audiendis in eisdem idiomatibus impares non sint.

Ministri Provinciales, qui tales haberent in suis Provinciis sacerdotes, ad Ministrum Generalem scribant, opportunas informationes et obedientiales litteras recepturi. Sic enim et bono animarum et saluti quorumdam nostratum, qui debili valetudine laborant, providebitur.

—

SERIES CAPITULORUM GENERALIUM

ORDINIS FRATRUM MINORUM

S. FRANCISCI.

S. P. N. Franciscus postquam anno 1212 obtinuisset ecclesiolam S. Mariae prope Assisium « *Portiuncula* » dictam, decrevit, ut dein-

ceps ibidem omni anno fierent comitia sui ordinis (1); unde merito supponitur plura hujusmodi comitia habita fuisse, quae tamen vel inter se similia vel a scriptoribus non satis distincte sint notata (2).

1. 1216. Primum generale capitulum fuit celebratum Assisii, cujus acta nos latent, nam ea quae in Chronologia-Historico-Legali tom. I p. 10. referuntur, proprie sunt acta capituli sequentis (3).

2. 1217. Capitulum generale Assisii, in quo electi fuerunt nonnulli ministri, qui dein post comitia soluta cum aliquot fratribus in provincias orbis christiani sibi assignatas se conferebant (4). S. P. N. Franciscus sibi Galliam reservavit, licet illam, consilio cardinalis Hugolini obsequens, non petierit (5). Reliqui vero in assignatis sibi provinciis a fidelibus partim recipiebantur, partim vero tanquam de haeresi suspecti, pellebantur (6).

3. 1219. Assisii ad S. Mariam Angelorum comitiis *storearum* interfuerunt 5000 fratrum (7), vigebat enim tunc consuetudo ordinis, ut tam professi quam novitii convenirent (8). In his comitiis statutum est, ut quolibet sabbato solemniter fierent sacra in honorem B. MARIAE Virginis Immaculatae conceptae, et multa alia sunt decreta circa divinum officium, paupertatem etc. (9). Sancta Sedes insuper scriptis litteris ordinem sacrum praelatis totius ecclesiae impense commendavit (10).

4. 1220. Capitulum Assisii ad S. Mariam Angelorum, in quo S. P. N. Franciscus ordinavit multa, quae ad Regulam sincere observandam conferunt, dein datis litteris cunctos sui ordinis sacerdotes ad pietatem instruxit (11).

(1) Legenda trium Sociorum cap. IV.

(2) Analecta Franciscana II XXXVI.

(3) Fr. Panfilo da Magliano Storia compendiosa di S. Francesco, ec. vol. I, p. 113.

(4) Leg. trium socior. ibid. Chronicon XXIV General. fol. 2. Analecta Francisc. II XXXI.

(5) Vita prima p. 57.

(6) Leg. trium socior. in Actis Sanctor. tom. II mens. Octobr. p. 739 n. 62.

(7) Conf. S. Bonavent. Legend. major. cap. IV.

(8) Chronic. B. Jordani in Analect. Francisc. I p. 6. num. 16.

(9) Chronolog. historico legalis I. p. II.

(10) Annales Min. tom. I p. 301. Sbaralea, Bullar. Franciscan. I p. 2.

(11) Chronol. hist. leg. I p. 17.

5. 1221. 30 Maji pariter Assisii. Mortuo hoc anno mense Martio fr. Petro Catani (1), Vicario S. P. N. Francisci, ad hoc munus promotus est. fr. Elias (2). In his comitiis sanctus Pater multa disseruit de officiis praelatorum ordinis (3); eisdem interfuit et S. Antonius Patavinus (4).

6. 1223. Capitulum Assisii, in quo multa pertractata fuere, quae ad consolidandum et extendendum ordinem facerent (5). Post hoc capitulum die 29.ª Novembris tandem ultima Regula, in duodecim capita divisa, ab Honorio pontifice bulla *Solet annuere* approbata est (6).

7. 1227. Sancto P. N. Francisco die 4 Octobris anno 1226 sanctissime defuncto, fr. Elias, ejus Vicarius hoc anno comitia Assisium indixit, in quibus in primum ministrum generalem, post sanctissimum fundatorem, assumtus est fr. Johannes Parens, olim civis romanus et jureperitus (7), qui praefuit ordini usque ad ann. 1233 (8).

8. 1230. 25 Maij habita sunt comitia Assisii, quo tempore corpus S. Francisci ex ecclesia S. Georgii, in sacram basilicam, ejus honori constructam, est translatum (9). Exortis quibusdam dubiis circa Regulae observantiam, Gregorius IX quaedam declaravit (10), haud pauca dein sunt a fratribus decreta, quae cultum divinum, disciplinam et meliorem ordinis administrationem attinent (11).

9. 1233. Mense Julio (12) Reate in Umbria peracta sunt generalia comitia, ubi in generalem ministrum cooptatus fuit fr. Elias (13), domo Assisiensis (14).

(1) Panfilo l. c. p. 327.

(2) Chronologia hist. leg. I. p. 19.

(3) Ibid. Vide et Chronic. b. Jordani p. 6.

(4) Act. Sanct. ad diem 13 Junii.

(5) Chronic. b. Jordani p. 11, et Chronic. Glasberger in Analectis Franc. II p. 28 et 29.

(6) Panfilo l. c. p. 197.

(7) Chronic. B. Jordani p. 16.

(8) Panfilo l. c. p. 21 et 487.

(9) Panfilo l. c. p. 22.

(10) Chronol. hist. leg. l. c. p. 21.

(11) De Gubernatis, Orbis Seraphicus III. p. 5. Chronic. B. Jordani p. 17. Chronic. Glasberger (Analect. Francisc. II) p. 49.

(12) Panfilo l. c. p. 23.

(13) Eccleston in Analect. Francisc. I p. 242.

(14) Benoffi, Compendio di Storia Minoritica p. 58.

10. 1239. 15 Maji (1). In comitiis Romanis, Gregorio IX praesidente, frater Elias depositus (2) successorem obtinuit fr. Albertum de Pisis, virum pium et doctum, qui anno 1240 die 23 Januarii (3) Romae obiit. In hoc capitulo ordinis provinciae terminis sunt distinctae (4), decretumque ne minister generalis provinciales ministros arbitrarie instituere vel deponere possit.

11. 1240. 1 Novembris (5), eodem Pontifice praesidente, facta sunt comitia Anagniae (6) ubi in locum defuncti Ministri Generalis sublegatus est fr. Haymo Anglicus; tempore ejus generalatus celebratum fuit et capitulum « Definitorum » seu congregatio generalis (7) Bononiae anno 1243 seu anno regiminis tertio. Ex mandato horum comitiorum edita est *quatuor magistrorum in Regulam expositio* (8). Hic generalis officium divinum correxit, rubricas supplevit et sic Breviarium in praesentem formam redegit (9), mortuus est altero dimidio anni 1243 Anagniae (10).

12. 1244. 4 Octobris Januae in comitiis generalibus, a pontifice Innocentio IV convocatis, electus est minister generalis fr. Crescentius ab Aesio (11).

13. 1247. Mense Augusto fratres ad generalia comitia convenientes elegerunt sibi B. Joannem a Parma in Ministrum Generalem (12).

14. 1249. In festo Pentecostes, priusquam beatus Joannes ad mandatum summi Pontificis abivisset in Graeciam, generalia celebravit comitia Metis in Gallia (13).

15. 1257. 2 Februarii in comitiis Romanis beatus Joannes a Parma officio se abdicavit designans electoribus S. Bonaventuram tanquam omnium digniorem tanto munere, qui et electus fuit (1). Hic sanctus generalis cuncta ad majorum praescripta acturus omni triennio fratres ad comitia convocabat, ut graviora filiorum suorum negotia communi consilio pertractaret. Ad externum ordinis splendorem et internum conscientiarum nitorem revocandum omnibus laborabat viribus. Ut in ordine sancto meritum virtutis accresceret, via vitiis clauderetur et moribus daretur disciplina, vetera priscorum patrum statuta collegit, in duodecim capita distinxit et nonnulla addidit praemissa praefatione « *Quoniam, ut ait sapiens, ubi non est sepes* ». Complexus horum statutorum exhibet sic dictas *Constitutiones generales ordinis antiquas* in Narbonensi capitulo 1260 approbatas, quae dein sunt, ut animadvertit P. Dominicus de Gubernatis, « a regularis observantiae professoribus stabilita Barchinonae, Vallisoleti atque alibi, additis quibusdam... (2) ». Comitia reliqua sub sancto generali habita sunt:

16. 1260. Narbonae.
17. 1263. Pisis.
18. 1266. Parisiis.
19. 1269. Assisii.
20. 1272. Pisis (3).

21. 1274. 20 Maji Parisiis habita sunt comitia generalia, in quibus in successorem sancto Bonaventurae, qui jam 3 Junii 1273 nominatus erat cardinalis, electus est fr. Hieronymus Asculanus, in legatione Constantinopolitana positus (4).

22. 1277. Patavii, generali ministro legatione Hispanica occupato, facta sunt comitia, in quibus idem fr. Hieronymus Asculanus reelectus est (5).

23. 1279. Assisii in generalibus comitiis adunati fratres ad honorem ministri generalis evehunt fratrem Bonagratiam (6).

(1) Wadding. in Annalib. ad h. annum.
(2) Eccleston l. c. p. 243.
(3) Salimbene Chronic. p. 17. citat. ab Editoribus Chronic. Glasberger p. 62 n. 5.
(4) Orbis Seraph. III p. 7. et Salimbene Chronic. p. 249, 250.
(5) Salimbene et Bern. a Bessa citati a Panfilo l. c. p. 576.
(6) Sbaralea Bullar. Franciscan. I p. 272-3, et Editores Chronici Glasberger p. 62. not. 8.
(7) Eccleston l. c. p. 243.
(8) Chronol. hist. leg. l. c. p. 243.
(9) Benoffi, l. c. p. 65. Panfilo l. c. p. 584.
(10) Eccleston l. c. p. 244.
(11) Eccleston ibid.
(12) Salimbene Chronic. p. 62 et 137.
(13) Wadd. Annal. Min. ad hunc ann.

(1) Salimbene Chronic. p. 137.
(2) Wadding. Annal. ad an. 1260. De Gubernatis Orb. Seraph. III. p. 9. Benoffi l. c. p. 64. Annal. Minor. tom. XXV. p. 430.
(3) Acta horum capitulor. vid in Annalib. Minor. ad hos annos. De Gubernatis l. c. p. 10-15.
(4) Sbaralea Supplement. ad Scriptor. pag. 171.
(5) Annal. Min. ad h. ann. Orbis Seraphic. l. c. p. 15. Panfilo l. c. tomo II, p. 6.
(6) Annales Min. ad hunc. ann. Orbis Seraphic.

24. 1282. Frater Bonagratia comitia generalia convocavit Argentinam in Alsatia, quibus intererant circa 700 fratres, quos Rudolphus Austriae dux sua praesentia consolatus est (1).

25. 1285. Mediolani a fratribus ad generalia comitia convenientibus in ministrum generalem electus est fr. Arlottus a Prato, qui gravi epistola, mandante capitulo edita, praelatos ordinis ad firmiorem regulae observantiam cohortatus est (2).

26. 1287. Ministro generali defuncto, interim ordinem gubernabat fr. Guilelmus *Vicarius Generalis* juxta statuta capituli praecedentis (3); a fratribus vero eodem anno ad comitia convenientibus in generalem ministrum cooptatus est fr. Matthaeus de Aquasparta, vir doctus (4).

27. 1289. Reate, Nicolao IV, olim ministro generali, comitiis praesidente, fr. Raymundus Gaufredi, Gallus, fit minister generalis (5).

28. 1292, 25. Idem minister generalis habuit comitia generalia Parisiis (6).

29. 1296. Assisii in festo Pentecostes capitulum generale, in quo generalis minister fit fr. Johannes de Murro (7); qui anno sequenti videlicet

30. 1299. alia comitia Lugdunum indixit (8).

31. 1302. Idem minister generalis Januae cum fratribus, in comitiis convenientibus, quaedam magni momenti circa paupertatem in regula promissam tractavit, resultatumque gravis consultationis edita docta epistola cum toto ordine communicavit, praecipiens ut *annui proventus* omnino abdicarentur (9).

(1) Chronic. Glasberger p. 96. Orbis Seraphic. l. c. p. 16.

(2) Annal. Min. ad hunc ann. Orbis Seraphic. l. c. p. 16. Panfilo l. c. p. 17.

(3) Chronic. Glasberger p. 102. Panfilo l. c. p. 133.

(4) Annal. Min. ad hunc ann. Orb. Seraph. l. c. p. 17.

(5) Annal. Min. ad hunc ann.

(6) Orb. Seraph. l. c. p. 18. Panfilo l. c. p. 192.

(7) Chronic Glasberger p. 107. Panfilo l. c. p. 135.

(8) Chronic. XXIV General. citat. ab Editoribus Chronici Glasberger p. 109. nota 2. Annales Min. ad hunc an. Panfilo l. c. p. 135-6.

(9) Wadd. Annales a. 1299. Chron. XXIV citat. ab Editoribus ib. p. 109.

32. 1304. In festo Pentecostes Assisii coactis comitiis onus generalis ministri in se suscepit fr. Gondisalvus de Vallebona, vir genere, scientia et pietate insignis. In his comitiis multa utilia sunt decreta, praeceptumque est, *ut vineae demolirentur* vel alienarentur (1). Postmodum vero zelosus hic minister ad generalia comitia coegit:

33. 1307. Tolosae (2) et anno

34. 1310. Patavii, in quibus severa edidit decreta, *contra pecuniarum receptionem* et *curiosam nimis conventuum* structuram etc. Eadem occasione facta est translatio tumuli S. Antonii (3). Insignis hic paupertatis zelator qui, ut scribit coaevus Alvarus, totum ordinem expropriavit (4), tandem meritis plenus obiit Parisiis an. 1313 (5).

35. 1313. In comitiis generalibus Barchinonae in Hispania habitis dignitatem ministri totius ordinis consecutus est fr. Alexander ab Alexandria Lombardiae. Hic a fratribus nonnulla statuta sunt circa ordinanda et promovenda studia litterarum (6). Post annum et aliquot menses Alexandro mortuo, anno

36. 1316. Neapoli in generalibus comitiis munus supremi moderatoris collatum est fr. Michaeli de Caesena, qui dein plura habuit ordinis comitia, in quibus multa quidem bona ordini conciliare tentavit (7), sed Domino ita permittente, tandem a supremo dignitatis gradu dejectus fuit. Comitia alia habuit:

37. 1319. Massiliae.

38. 1322. Perusii.

39. 1325. Lugduni.

40. 1328. Bononiae (8), in quibus quaestio de paupertate Christi et apostolorum animos omnium vehementer occupabat.

(1) Wadd. Annal. a. 1302. Orbis Seraph. III, p. 19. Chronic. XXIV General. cit. in Analect. Franc. II, p. 109, n. 7.

(2) Wadd. Annales a. 1304. Orb. Seraph. ib. p. 20.

(3) Wadd. Ann. 1307. Orb. Seraph. l. c. p. 21. Chronicon Glasberger. p. 117.

(4) Wadd. Annal. a. 1313.

(5) De Planctu Eccles. lib. 2. cap. 67.

(6) Orb. Seraph. l. c. p. 22. Chron. Glasberger p. 120.

(7) Orb. Seraph. l. c. p. 22-23.

(8) De his vid. Wadd. Annal. ad hos annos. Orb. Seraph. l. c. Chron. Glasberger p. 125, 129, 135, 145.

41. 1329. In comitiis Lutetiae Parisiorum congregatis, deposito fr. Michaele a Caesena, in ministrum generalem eligitur fr. Gerardus Odonis, vir doctus, summo pontifici gratissimus, sed paupertati religiosae, in sacra regula ad litteram commendatae contrarius (1), secus vero erat bono ordinis promovendo admodum intentus. Eo ministro comitia sunt adhuc celebrata:

42. 1331. Perpiniani, in quibus dictus fr. Gerardus praeceptum *de non recipienda* pecunia ex sacra Regula expungere tentavit; ast fratres non modo restiterunt, sed etiam edito decreto caverunt: ne minister generalis vel alius superior possit privilegium aliquod impetrare, quod Regulae puritati derogaret (2).

43. 1334. Assisii (3).

44. 1337. Caturci in Gallia. In his comitiis, eodem fr. Gerardo agente, loco constitutionum S. Bonaventurae receptae sunt novae Benedicti XII, constitutiones *Benedictinae* nuncupatae (4).

45. 1339. Assisii. Scriptor Chronici XXIV Generalium (5), Marianus Florentinus, Waddingus (6) et alii hoc capitulum illigant anno 1340. Waddingus tamen dein ex gravibus rationibus de hoc capitulo 1340 habito multum dubitabat, unde Petrus Vanden Hauten (7) illud ut dubium inter capitula generalia non recensuit, similiter et auctor Chronologiae historico-legalis illius non meminit (8). Verum inter comitia Caturcensia (a. 1337) et Marsiliensia (1343) habita fuisse alia Assisii probatur sequenti instrumento inedito, a nobis jam pridem in tabulario Vaticano excripto (9), cujus partem hic addimus: Bertrandus cardinalis Ebredunensis sanctitati vestrae (Clementi VI) supplicat: « quatenus cum fr. Petrus de Gayeta in baccalarium studii Oxoniensis *per generale capitulum ultimo Assisii* celebratum electus, licet domino regi Roberto non placuerit propter guerram regum (1) quod illuc accederet ad legendum, et in generali capitulo *nuperrime* celebrato (2) ad lectionem sententiarum Parisius multas voces habuerit, dignemini sibi honorem magisterii sacrae paginae in universitate Neapolitana... per fratrem Fortanerium... dicti ordinis generalem ministrum... impertiri . . . .
. . Datum Avinione III Idus Decembris anno secundo (3). Quod indubia haec Assisiensia comitia anno 1339, non vero 1340, sint illiganda, docet mss. Chronicon Bosnae et Hungariae, cujus auctor, e saeculo quidem 16°, usus est antiquis notatis fr. Blasii Zalka, vicarii Bosnensis, qui eam vicariam gubernabat anno 1420. Scribit itaque: anno igitur 1339 fuit Assisii capitulum generale celebratum, et post idem capitulum, dum idem generalis ad provinciam Hungariae pergeret per Slavoniam, transivit per Bosnam... et fratrem Peregrinum socium suum vicarium fecit anno Domini 1339 quinto die Octobris et rexit familiam decem annis... ».

(Continuabitur).

(1) Wadd. Annal. a. 1329.
(2) Ibid. an. 1331. Orb. Seraph. III, p. 25.
(3) Orb. Seraph. l. c. p. 26.
(4) Ibid. p. 27.
(5) Citatus ab Editoribus Chronici Glasberger ibid. p. 178. nota. 1.
(6) Annal. an. 1340.
(7) Breviarium Historicum Ordin. Minor. Rom. 1777. p. 226.
(8) I. p. 63.
(9) Clement. VI. Supplic. Ann. II. Part. II. fol. LXXXVIII.

(1) Guerra-bellum inter Philippum Galliae et Eduardum Angliae reges, confer. Spondan. Annales Eccles. ad ann. 1338-40.
(2) Marsiliae 1343 mense Junio, Wadd. Annal. a. 1343.
(3) 1343 XI Decembr.

V.

BIBLIOGRAPHIA

P. Emilio Crivelli, Min. Oss. — Vita di S. Caterina da Siena. — Siena Tip. Arciv. S. Bernardino Edit. 1889. In-16. Pag. 210. Prezzo L. 1,50.

Breve storia del B. Giovanni da Parma VII. Ministro Generale dei Frati Minori pubblicata in memoria del sesto centenario cele-

brato con triduo solenne nella città sua natale dai Francescani Osservanti l'anno 1889. — Parma Tipografia della SS. Nunziata 1889, pag. 30.

Nicolas Armentia, Min. Obs. — Navegacion del Madre de Dios, Viaje del P. Nicolas Armentia. Biblioteca boliviana de Geografia e historia. — La Paz, Imprenta de « La Paz », Illimani, 61. 1887. In-8. Pag. 230.

Ricordi lasciati ai Parmigiani nel Giugno 1889 dai RR. PP. Francescani Osservanti Innocenzo Zoboli e Benedetto Bei chiudendo gli esercizi precedenti le feste centenarie del Beato Giovanni Buralli. — Parma Tipografia Vesc. Fiaccadori 1889, pag. 12.

VI.
NECROLOGIA

P. Placidus Sargenti, filius Provinciae Seraphicae strictioris Observantiae, fundator collegii *Pero* reipublicae Argentinae, in eodem collegio anno 1889 die vero 1.ª Martii mortem obiit piissimam. Per annos plures gravissimis morbis vexatus magna semper religiosae patientiae et luculenta prodebat documenta, adeo ut eadem illi certe merito, fratribus vero salutifero fuerint exemplo.

R. I. P.

P. Irenaeus Cichi, filius provinciae Reformatae Romanae, missionarius collegii S. Laurentii Americae Meridionalis, die 11ª mensis Martii an. 1889 apoplexia correptus piam vitam cum morte commutavit.

Natus Lucae die 25 Martii 1836, Ordini seraphico in Provincia Romana fratrum observantiae strictioris nomen dedit, ex qua die 12 Novembris anni 1869 ad dictum collegium ut missionarius, obtenta superiorum benedictione, transiit. In nova missione virtutibus suis permovit superiores, ut eidem diversa injungerent officia peragenda, et ad varia promoverent munera, quibus ille semper laudabiliter perfunctus est. Virtutum ejus atque zeli divinae gloriae augendae semper testem aget elegans ecclesia penes hospitale S. Rosarii ejus studio erecta.

Secus in illo in primis eminebat amor professae paupertatis, austeritas vitae seraphica, qua studebat in dies sancto Patriarchae Francisco conformari.

R. I. P.

Illustmus ac Reverendmus Alexius Maria Filippi, Hu-pé Meridionalis in Sinarum Imperio Vicarius Apostolicus, die 28 Novembris anni jam elapsi 1888 onustus meritis laboribusque confractus septuagenarius placidissime obdormivit in Domino.

Mutinae die 4 Martii 1818 natus est. Ineunte aetate piis honestisque orbatus parentibus, ac singulari praeditus ingenio, alacri animo vacavit studiis usquedum ad Fratrum Minorum Strictioris Observantiae Coenobium convolaverit, humiliterque sacculo seraphicae paupertatis indui petierit; uti revera decem et octo annos natus in abundantia pacis ac cordis sui laetitia 23 Octobris 1836 obtinuit.

Per solemnem professionem totus Deo et Virgini Matri die 23 Octobris 1837 sacratus, atque anno 1841 Sacerdotio insignitus, ab adolescentia sua infidelium Missiones anhelans, etsi fragili esset constitutione formatus, ad majora Deo vocante, ex Superiorum nutu anno 1845 ad Sinas appulit. Arduo ac difficili illius regionis linguae adipiscendae eloquio sese totum applicuit, ita quod brevi tempore potuit infideles evangelizare.

Quae et quanta perpessus sit juvenis operarius in vinea Domini, soli Deo notum. Ubique enim privationes omnimodas, ac hominum saevitias subiens, tum a rebellibus, qui omnia vastabant, tum ab Imperialibus, qui ut rebelles Christianos ducebant, modo fugiens huc modo illuc, ut ad lucem veritatis in caliginosis tenebris sedentes adduceret, continuo versabatur in periculo vitae. Transiens per nivem et glaciem, pervia et impervia discurrens, omnibus benefaciebat, et cum de animarum salute agebatur, nullum iter videbatur ei arduum; nullus labor gravosus.

Imperturbabili animo, cum saeva orta esset persecutio, vidit destructas ac solo aequatas tres Residentias omni sacrificiorum ac privationum genere per Missonarios aedificatas; hilarique vultu vincula et verbera pertulit, dum captus in Kin-meu et a Satellitibus ductus ad Kin-tachesu-fou in carcerem conjectus fuit. Oh! vere beatus ille, qui pro CHRISTI nomine dignus habitus est contumeliam pati.

Nam saepesaepius duorum mensium spatio ante Mandarinum se sistens effera verba minasque mortis audire cogebatur. Martyrii aestuans desiderio, amaris lacrymis luxit, quando bello gallico confecto et religione catholica libera judicata, martyrii occasionem amisit, ac in DEI resignatione confisus tanti honoris sese accusavit indignum.

Ob ejus virtutes et praeclara merita ad Episcopalem dignitatem evectus, incredibile dictu est, qua ardoris vi adlaboraverit, ut gregem suum a lupis rapacibus servaret illaesum et augeret numerum filiorum DEI. — Quo in tempore nova persecutio in Episcopum oritur, sub praetextu parvae residentiae, quam sibi ipsi aedificarat in Civitate Kin-tachesu-fou. — Unde Gubernator Tartarorum, spirans odium in pusillum Christianorum gregem, eos persequebatur, ac blandis promissionibus ac minis ad apostasiam provocabat. Singulis diebus per integrum mensem inhumani Milites invadebant et lanceis perforando ac frangendo subvertebant domum Episcopi, quem ipsi diabolum occidentalem vocabant; quin ullus vocem tollere, eo vel minus auxilium ferre auderet. Ceterum his de causis minime deterritus aut infirmatus, absque mora Miles CHRISTI ad finem usque in praeliis sanctis strenue decertavit, ac se praebuit in omnibus bonorum operum exemplar sicut fidelem Mysteriorum DEI dispensatorem.

Decem novas fidelium stationes fundavit, Vicariatum duobus Orphanotrophiis pro pueris derelictis donavit. Collegium ac Seminarium e fundamentis extruxit ac quatuor novas erexit Residentias.

In diuturna infirmitate semper hilaris et patiens, duo tantum lamentabatur; parum, nempe, fecisse pro DEI gloria, suisque officiis vacare non posse.

Optabat vitam, ut animas coelo lucrifaceret. Ast jam decretum erat ut vita illa pretiosa Paradiso matura succideretur. Angelus pacis descendit, animam illam benedictam ad requiem aeternam ducturus. Amplexatus venerabilis senex suum, quem semper amavit, JESUM crucifixum, lacrymarum vallem reliquit. Ave, o Pontifex, Pastor bone, DEUM deprecare pro illis apud quos in benedictione eris!

R. I. P.

P. JUNIPERUS A S. JULIANO a Roma, Ordinis Minorum de Observantia sacerdos, missionarius in Serbia antiqua, die 26 Aprilis anni 1889 piissime in DOMINO obiit.

Is anno 1874 intravit missionem Serbiae antiquae, in qua actu major pars catholicorum albanica utitur lingua, adhuc a priscis Thraco-Illyriis derivata; initio eidem addiscendae, dein evangelicis laboribus totus incubuit, quos magno cum fructu spirituali in civitatibus Djakovo, Ipek et loco Krusevo tamquam parochus vel parochi adjutor peragebat. Cum anno 1878 in imperio turcico per adjuncta illarum partium publicus ordo multum turbaretur, et animi in catholicos ferociori quodam aestu abriperentur, noster quoque P. Juniperus, qui Ipeki ab auxiliis fuit P. Gaudentio Barbić tunc parocho, multas angustias et timores perferre debuit; Turcae enim in catholicos irruere destinarunt.

Ceterum labores etiam durissimos libens peragebat, pericula subibat maxima, tantum ut fidelium bono prodesset. Sua prudenti agendi ratione a Turca quodam terrenum obtinuit pro capella aedificanda, quam et exaedificavit. Ab omnibus catholicis fuit multum amatus et a Turcis etiam admodum aestimatus. Plenus meritis tandem die et anno ut supra, celebrata sancta missa et Sacramentis pie munitus, ad DEUM rediit, meritorum recepturus mercedem, nobis relinquens imaginem pii religiosi et missionarii zelosi.

R. I. P.

Nihil obstat

FR. BERNARDINUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO

DIE XXX. JUNII AN. MDCCCLXXXIX.

—

Venerabiles Fratres

Quod nuper, cum Vos hoc ipso in loco alloqueremur, novas easque graviores injurias contra Ecclesiam romanumque Pontificatum comparari in hac alma Urbe diximus, id plane est, summo cum animi Nostri dolore omniumque bonorum offensione, patratum. — De qua re convocari Vos extra ordinem jussimus, ut liceat promere in medium, quo Nos modo affecerit indigne factum, itemque libere, uti par est, in conspectu vestro tantum nefas exsecrari.

Post conversionem rerum italicarum, romanaeque expugnationem urbis, vidimus profecto religionem sanctissimam Sedemque Apostolicam longa injuriarum serie violari. — Sed pravae hominum sectae acriter ad pejora, nondum concessa, tendunt. Obstinavere animis principi catholici nominis urbi omnis profani moris impietatisque imponere principatum: atque huc flammas invidiae undique collectas admovent, ut hanc Ecclesiae catholicae velut arcem adorti, opportunius moliantur ipsum lapidem angularem, quo illa nititur, funditus, si fieri posset, evertere. Revera, quasi non satis ruinarum tot jam annos edidissent, en semetipsos conati audacia vincere, uno ex sanctissimis anni christiani diebus, monumentum statuunt in publico, quo contumax in Ecclesiam spiritus posteritati commendetur; simulque doceatur, capitale cum catholico nomine geri bellum placere. — Id velle, nominatim machinatores facti fautoresque praecipuos, res loquitur ipsa. Augent honoribus hominem dupliciter transfugam, haereticum judicio convictum, cujus usque ad extremum spiritum est provecta adversus Ecclesiam pertinacia. Imo his ipsis de caussis ornandum censuere: neque enim in eo vera decora constat fuisse. Non singularem rerum scientiam: sua quippe ipsum scripta *pantheismi* arguunt turpisque *materialismi* sectatorem, vulgaribus implicatum erroribus, a semetipso non raro dissidentem. Non ornamenta virtutum, cum contra mores ejus documento posteritati sint extremae nequitiae corruptelaeque, quo hominem possunt non domitae cupiditates impellere. Non praeclare facta, non egregia in rem publicam merita: suetae illi artes, simulare, mentiri, sibi esse deditum uni, nec ferre si qui secus sentiret, adulari, abiecto animo pravoque ingenio. Honorum igitur, quos tali viro tantos habuerunt, ea vis, ea prope vox est, seorsum jam a doctrina divinitus tradita, seorsum a fide christiana vitam omnem institui, mentesque hominum a potestate JESU CHRISTI penitus vindicari oportere. — Quod plane idem est sectarum malarum consilium atque opus, quae, quacumque

vi possint, alienare a Deo contendunt totas civitates; et cum Ecclesia romanoque Pontificatu infinito odio atque ultima dimicatione confligunt. — Quo autem et iniuria foret insignior et caussa notior, dedicationem fieri magno apparatu, majore frequentia placuit. Multitudinem non exiguam sua intra moenia undique accitam per eos dies Roma vidit: circumducta impudenter infesta religioni vexilla: quodque maxime horribile est, nec defuere signa cum simulacris *nequissimi*, qui subesse in caelis Altissimo recusavit, princeps seditiosorum, cunctarum instimulator perduellionum. — Scelesto facinori insolentia concionum scriptorumque addita, in quibus rerum maximarum sanctitati sine pudore, sine modo illuditur, vehementerque illa extollitur exlex cogitandi libertas, quae pravarum opinionum fecunda procreatrix est, unaque cum moribus christianis fundamenta quatit disciplinae societatisque civilis.

Tam triste autem opus longa praeparatione curari, instrui, perfici licuit, non modo scientibus qui praesunt, sed favorem atque incitamenta prolixe aperteque praebentibus.

Acerbum dictu, ac simile portenti est, ab hac alma urbe, in qua domicilium Vicarii sui Deus collocavit, rebellantis in Deum rationis humanae manare praeconium: atque unde incorrupta Evangelii praecepta et consilia salutis petere orbis terrarum consuevit, ibi, conversis inique rebus, nefarios errores ipsamque haeresim monumentis impune consecrari. Huc Nos traxere tempora, ut *abominationem desolationis* videremus *in loco sancto*.

In tanta indignitate rerum, quoniam christianae reipublicae regimen cum custodia tutelaque religionis commissum Nobis est, testamur, offensam contumelia Urbem, sanctitatemque fidei christianae ignominiose violatam: universoque orbi catholico sacrilegum facinus, querendo indignandoque, denunciamus.

Verumtamen utilia documenta fas est ex injuria capere. — Hinc enim magis magisque apparet, num quieverint, everso principatu civili, hostiles animi, an aliud expetant ut extremum, scilicet ipsam aequare solo sacram Pontificum auctoritatem, fidemque christianam ex stirpe delere. — Similiter eminet, num Nos in repetendis Apostolicae Sedis juribus humana aliqua re, an potius libertate apostolici muneris, dignitate Pontificis, atque ipsa rerum italicarum germana prosperitate moveamur. — Denique ex hoc ipso rerum eventu nimium nosse licet, quid valeant et quo ceciderint tam multa et ampla, quae initio promittere ac spondere non dubitaverant. Obsequia enimvero omnisque venerationis officia, quibus romanum Pontificem honestari liberaliter se velle ajebant, injuriae contumeliaeque gravissimae sensim consecutae sunt; quarum nunc maxima atque in omnium luce et conspectu mansura, impuri perditique hominis monumentum. — Hanc item Urbem, quam fore semper et gloriosam et tutam romani Pontificis sedem affirmabant, caput esse novae impietatis volunt, ubi rationi humanae, velut in divino fastigio positae, cultus adhibeatur absurdus et procax.

Itaque reputate apud vos, Venerabiles Fratres, quaenam Nobis in summo fungendo munere Apostolico, vel libertas vel dignitas relicta sit. — A metu et periculo ne persona quidem abest Nostra: nemo enim unus ignorat, quorsum conspirent quidve petant homines pessimarum partium; nec quisquam est quin videat, eos ipsos, secundis usos temporibus, et numero in dies et impudentia magis valere, decretumque habere non ante quiescere, quam res ad extremum casum perniciemque compulerint. Quod si in re, de qua conquerimur, una deterrente utilitatis caussa, non tanta illis data licentia, ut prava sua consilia vi etiam manuque infesta persequerentur, nemo facile sibi suadere queat, non aliquando, opportunitatem nactos, ad id quoque sceleris esse venturos; maxime quod in eorum sumus potestate, qui nec verentur sic criminari Nos publice, quasi inimico atque infenso in Italicas res animo essemus. — Nec minus metuendum est, ne projecta ad omne facinus audacia perditorum hominum inflammataeque libidines, non aeque semper coerceri possint et restingui, si forte tempora inciderint magis formidolosa et turbulenta, seu propter civiles turbas rerumque publicarum conversiones, seu propter motus calamitatesque bellorum. — Ita eo testatius apparet, quae demum conditio teneat summum Ecclesiae Caput, Pastorem et Magistrum catholici nominis.

Hac Nos profecto acerbitate aegritudinum et mole curarum, devexa praeterea ut sumus aetate, pene fracti conficeremur, nisi erigeret animum viresque sustentaret quum exploratissima spes, fore nunquam ut Vicarium suum divina ope CHRISTUS destituat, tum conscientia officii, qua sancte monemur, eo nos debere firmius ad gubernacula Ecclesiae incumbere, quo saeviat in eam acrius errorum et cupiditatum ab inferis concitata procella. — Spem igitur et fiduciam omnem habemus in DEO sitam, cujus agitur caussa, confisi maxime deprecatione praesentissima, quam incenso animi studio imploramus, magnae Virginis, christiani populi Adjutricis, itemque beatorum Principum Apostolorum Petri et Pauli, quorum in tutela et praesidio alma haec Urbs feliciter semper conquievit.

Jamvero, quemadmodum vos, Venerabiles Fratres, dolores Nobiscum precesque ad DEUM, conservatorem et vindicem Ecclesiae suae, assidue consociatis ita minime dubitamus, quin Venerabiles Fratres per Italiam Episcopi, sint idem facturi constanter, atque adeo intentiore cura et opera, prout temporum poscunt discrimina, populo quisque suo sint consulturi. — In hoc praecipue contendant hortamur, ut aperiant illis planeque declarent, quantae iniquitatis et perfidiae instituta a religionis iisdemque patriae hostibus sint ad perficiendum suscepta. Rem videlicet esse de summo verissimoque bono, quod fide catholica continetur; nihil hostes conari impensius, quam ut italas gentes ab ea fide divellere possint et abstrahere, cujus munere omnis generis gloria et prosperitate ipsae diutissimae floruerunt; viris autem catholicis nefas omnino tantis periculis indormire vel leviter occurrere; sed esse oportere in sua fide profitenda animosos, in tuenda stabiles, alacres quoque et paratos ad quasvis jacturas, si res postulent, pro ipsa faciendas. — Quae quidem documenta et monita cives romanos proprius attingunt, quippe quod eorum fides, ut palam est, in periculosiores quotidie offensiones callide adducatur. At ipsi vero, quanto amplius a DEO fidei beneficium, ex tanta cum hac Apostolica Sede vicinitate et conjunctione, se habere sciunt, tanto magis in ea perseverare meminerint, patribus illis majoribusque digni, quorum fidem praeclara toto orbe fama celebravit. Ipsi porro atque Itali, omnes, omnesque ubique catholici, tum precibus tum omni piorum operum genere, ne cessent a DEO contendere, si iram suam, tot in Ecclesiam nefariis conviciis insanisque contentionibus provocatam, clementius remittat, et communibus bonorum votis, misericordiam, pacem, salutem efflagitantium, benignissime obsecundet.

—

EX S. CONGR. EPISCOP. ET REGULAR.

NEGOTIIS PRAEPOSITA

PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS CAETERISQUE LOCORUM ORDINARIIS.

(occasione praecedentis allocutionis)

Varium ac multiplex genus moliminum, insidiarum et artium, quo tenebricosa Massonum societas CHRISTI regnum in terris contendit evertere, perspicue explicatum fuit a Ssmo Domino LEONE XIII per Litteras encyclicas die 20 Aprilis anno 1884 datas, quarum initium: « *Humanum genus* ». Ad eam eversionem parandam consilium initum perfectumque est potiendi Urbe Roma, cujus consilii ratio simplices quidem latere potuit callidis declarationibus et promissis deceptos, fallere tamen prudentiores non potuit. Non enim obscura erant incitamenta et auxilia quibus oppugnationem urbis fovebat secta nequam ubique gentium diffusa, obtendens Italiae prosperitatem et decus, licet huic impenderent ob eam rem pericula externa et dissidia intestina. Pravum illud consilium apertius se prodidit ex iis quae subinde acta sunt in gravem Ecclesiae et Romani Pontificatus perniciem. Sane eo loco quo res nunc est nemo nisi volens decipi posset, postquam adversae sectae proceres potentiorum elati patrocinio eorumque favore qui rei summae praesunt, re et verbis declararunt quid expetierint ut extremum in Urbe oppugnanda. Re quidem, dum testem esse voluere civitatem sanctam honorum quibus extulerunt apostatae impurissimi flagitia et contumaciam, verbis autem quum principum suorum voce testati sunt palam, auspicari se per ea solemnia religionem novam in qua, spreto immortalis

Dei dominatu, divinus humanae rationi adhibetur cultus.

Plane haec jam omnibus comperta sunt, quippe quae graviter ac dilucide orbi universo denunciavit, merita inusta ignominiae nota, Summi Pontificis augusta vox per Allocutionem quam habuit in Consistorio extra ordinem coacto, Junio mense exeunte. Quamvis autem Pontificia oratio potissime spectaverit ad tuendam fidem Italorum, quae maxime petitur insidiis vocaturque in discrimen, atque imprimis Romanorum, inter quos nefarium scelus patratum fuit, censenda tamen ea res non est ad Episcopos et fideles ceterarum gentium non pertinere. Siquidem in hac urbe principe Catholici nominis bellum indictum est atrox communi fidei ac religioni, ejusque Capiti supremo, simulque jacta contumelia lacessiti sunt omnes qui hanc profitentur fidem et huic Capiti obtemperant. Propterea Sacra haec Congregatio Episcoporum et Regularium negotiis praeposita, ex mandato Sanctissimi Patris, omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis et ceteris Ordinariis Catholici orbis munus injungit: I.° Ut in omnibus ecclesiis sibi subjectis ea hora qua maxima populi frequentia est recitari curent memoratam Allocutionem Pontificiam in vernaculum sermonem translatam: II.° Ut per Litteras Pastorales, sermones parochorum, aliorumque sacerdotum qui sacras conciones habent doceri curent fideles gravitatem facinoris de quo in eadem Allocutione agitur, quid valeat, quo spectet, nec non discrimen cui obnoxia est cujusque religio et fides propter eam sectam quae incautos petens astu et insidiis, in Romanum Pontificatum vires omnes intendit. Moneantur porro impense fideles de obligatione qua tenentur eas vitare insidias, eam sectam oppugnare, fidem tueri, ac strenue testari voce et operibus omni denique ratione et ope legitima defendere Romani Pontificis jura, cogitantes cum libertate Illius arcte suam cujusque libertatem esse conjunctam. III.° Demum ut creditis sibi fidelibus publicas preces praescribant itemque opera expiatoria et salutaris poenitentiae quibus sarciatur injuria per triste monumentum in Urbe positum divino Numini illata, placetur Ejus ira, quam hominum crimina provocarunt, et abundet misericordia Ejus cum in Ecclesiam suam quam securae pacis denuo compotem faciat, tum ipsos hostes, quos ad bonam frugem conversos in maternum illius complexum reducat.

Datum Romae die 18 Julii 1889.

I. Card. Verga, *Praef.*

† Fr. Aloisius Episc. Callinicen., *Secret.*

II.

ACTA ORDINIS

—

AD FRATRES NOSTROS

Incitamenta seraphica.

DE DISCIPLINA REGULARI RESTITUENDA

CAPUT V.

De Educatione Juvenum.

§ 7. *De professionis perpetuitate.*

(Continuatio).

77. Nunquam spiritus infernalis ex abrupto se offert ad suadendam istam apostasiae impietatem, sed prius ad alia crimina incitat, quae viam ad apostasiam sternant.

78. Primum est *impatientia ob acceptas correctiones*. Non potest Ordo impunita relinquere manifesta delicta; remissior enim severitas in omni congregatione alit vitia, publicas invehit turbationes, et auctoritatem certo exponit malevolorum ludibrio. Porro qui jam superbiae affectibus exulcerati sunt, correptiones excipiunt ut contemptus intolerabiles, ex iisque tamquam immanibus injuriis praetextum fingunt aufugiendi. Non multum eos dissimiles dixeris illis, qui ob casus adversos manus sibi injiciunt, ut temporalibus miseriis finem imponant, aeterna sibi per hoc tormenta conciliantes.

79. Secunda apostasiae praeparatio est *contumacia in Superiores*. Sic assuescunt impudenti contradictione fraena praeceptorum frangere, ut tandem velut equus indomitus in liberam erumpant evagationem. Quandoque Deus eam longam esse non permittit, exequiturque sen-

tentiam in eos latam (1): « Huic extemplo « veniet perditio sua, et subito conteretur, nec « habebit ultra medicinam ». Saluberrimum erat beneficium Superiorum admonentium, corripientium et cohibentium eos a pravitatibus, sed quia illud abominati sunt, nulla eis deinceps infunditur medicina, et saepe neque tempus conceditur poenitendi.

80. Tertium hujus lugendae defectionis praeambulum est *proprietas,* sive occulta, sive manifesta. Sunt enim quibus numquam sufficit, quod in communi ipsis offertur, sed semper aliquid reconditum habere volunt. Quin et eo usque audent, ut res quas concupiscunt, etiam modis injustis, incipiant congregare. Sic Judam proprietarium et furem sequuntur in scelere et quandoque etiam in laqueo atque suspendio.

81. Quarto, praedominatur quibusdam *vitae saecularis aestimatio,* et simul in nauseam vertitur Fratrum convictus, et quidquid monachale est. Undequaque se ingerunt in saecularium familiaritates. Et quia saecularis libertas eis non permittitur, neque permitti potest, nullum superest brevius consilium, quam Conventum relinquere et ad saeculum reverti. Hi vere stulti sunt.

82. Quinto, communissima apostasiae causa est *carnis indulgentia, mulierumque familiaritas;* docet enim S. Scriptura (2): « Vinum « et mulieres apostatare faciunt ». Plurimorum lapsus istius verbi veritatem satis comprobavit. Hae miseriae evidentiores sunt, quam ut egeant commentario. Caveamus igitur occasiones!

83. Sexto, vesania illa quae Angelos fecit apostatare, facit non raro etiam Religiosos apostatas, *ambitio* scilicet, et *superbia,* quae erubescit de statu humili, quaeritque aliis supereminere. Talis superbia DEUM irritat, qui superbis resistit, et eos dejici permittit a statu sublimiori, quem obtinebant, sicut ipse dixit (3): « Non habitabit in medio domus meae « qui facit superbiam ». Professi sunt sequi JESUM humilem corde; et ecce, toto affectu aemulantur eum, qui est rex super omnes filios superbiae. Et quia tumorem istum deprimi sentiunt sub regulari disciplina, impudenter agunt, quod judicavit Sapiens dicens (1): « Initium superbiae hominis apostatare a DEO: « quoniam ab eo qui fecit illum recessit cor « ejus. Quoniam initium omnis peccati est « superbia; qui tenuerit illam implebitur ma« ledictis, et subvertet eum in finem ».

(1) Prov. VI, 15.
(2) Eccli. XIX, 2.
(3) Psalm. C. 7.

84. Sicut aulae coelesti ignominiae non fuit, tertiam cecidisse partem stellarum, et tot tamque praeclaros Angelos apostatasse: sic etiam nobis dedecori non erit, si e millibus unus abeat in perditionem. Diffamabit forsitan sacrum Ordinem suis detractionibus atque calumniis. Nihil mirum. Didicit hoc a spiritibus istis protervis, qui quo excellentiores a DEO acceperant gratias, eo majoribus odiis, blasphemiisque eum insectantur. Non potest Religio, quae pia mater est, non lugere tam diram filii damnationem, sicut lugebat Samuel reprobationem Saulis; meminisse tamen etiam debet pio prophetae a DOMINO dictum (2): « Usquequo tu luges Saul, cum ego projece« rim eum, ne regnet super Israël? » Sufficiat nobis occulta DEI justitia, quae aliquando manifestius apparebit.

85. O vos miseri omnes, quibus horribilis apostatandi illapsa est tentatio, sistite gradum, et videte, quo suasore haec meditamini. Daemon est saluti vestrae invidens, hostis DEI et filiorum ejus, dirusque vobis tortor futurus. Imminet vobis ab eo fraus eadem et infamia, quae Judae apostatae et proditori, si pergatis ejus audire consilia. Omnibus perspecta est indignatio DEI in Israëlitas clementer eductos de Aegyptiaca servitute, ac cogitantes ex deserto illuc reverti, contempto prius accepto beneficio. Audite quid ipse CHRISTUS dicat vobis in persona alicuius fugitivi, quem misericorditer reduxit. Quidam Frater magna perculsus tentatione cum institisset primo apud S. Franciscum, deinde apud Cardinalem Protectorem, et demum apud ipsum Pontificem Honorium, ut habitum religiosum dimittere atque ad saeculum redire ipsi permitteretur, nec quidquam ab ipsis obtinuisset, tentationi consentiens apostatavit. Non tamen longe aberat a Conventu, quando occurrit ei quidam indignanti similis, qui quo miser tenderet, interrogabat. Ille iratus respondit: « Quid mihi et tibi?

(1) Eccli. X, 14.
(2) I. Reg. XVI, 1.

« Quid ad te pertinet iter meum? » His auditis, homo ille detexit pedes, ostendit manus et latus vulnere fossa, et sanguinem fundentia recentem, dixitque: « Quid ad me iter tuum, « ex his poteris inferre cicatricibus, quas pro « te in cruce pertuli. Itane meo ingratus es « amori, et tanti immemor beneficii, ut pro« pter caducum et periturum mundum me « velis deserere? » Territus Frater ad pedes CHRISTI se projecit, errati veniam precatus, statimque rediit ad S. Franciscum, qui misericorditer corde compunctum excepit, monuitque, ut dum viveret prae oculis haberet tam immensam dignationem et singulare beneficium CHRISTI sibi apparentis. Ita fecit, piissime vixit, et cum sanctitatis opinione cursum consummavit (1). Quilibet ad apostasiam tentatus illa CHRISTI verba tamquam sibi dicta accipiat, et daemonis impiis consiliis constanter renuntiet.

86. Sanctae professionis nostrae perpetuitatem serio recogitent etiam illi Confratres nostri, qui tempore dirae suppressionis Religiosorum e Conventibus suis ejecti, in saeculo vivere debuerunt. Promiserant et ipsi « vitam « istam et Regulam *semper* observare ». Propterea non solum in saeculo degentes Regulam, in quantum possibile erat, observare debuerunt, sed etiam pro viribus eo tendere tenentur, ut ad aliquem Conventum denuo se recipiant, ibique secundum professionis suae obligationes vivant. Quod si propria Provincia nullos Conventus recuperare potuerit, de suorum Superiorum licentia, ad aliam Provinciam se conferre studeant, ut saluti suae melius provideant, prout non pauci hujusmodi Confratres fecerunt, qui propterea magna laude digni sunt. Fratres, tempus breve est!

87. Religiosi, qui se omnino incorrigibiles ostendunt, ex Ordine ejici possunt. Illi enim promissiones Ordini factas non adimplent, ac ideo etiam Ordo pactum initum rescindere potest. In Constitutionibus Apostolicis hac de re editis, necnon in Statutis Ordinis, indicatur, quibus in casibus, et quo modo, a Superioribus expulsionis poena infligi possit. Expulsus Episcopo consignandus est, vota et praecepta Regulae, quantum potest, observare tenetur. Si vere contritus et emendatus in Ordinem redire cupiat, receptio non omnino ipsi est deneganda, dummodo de vera emendatione sufficienter constet.

(1) Annal. Ord., tom. I. ad ann. 1220. n. 35.

(Continuabitur).

—

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1889 celebrata.

VIII.

Ref. Provincia S. Crucis Croatiae-Carnioliae.

Die 17 Julii 1889 in Conventu Labacensi ad B. V. MARIAM ab Angelo salutatam, celebratum fuit Capitulum, Praeside Adm. R. P. CALLISTO HERIÇ, Comm. Visit., in quo rite et canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Placidus Fabiani.

CUSTOS VOCALIS

A. R. P. Eustachius Ozimk ex-Min. imm.

DEFINITORES

R. P. Julius Brunner.
R. P. Stanislaus Skrabec.
R. P. Hugolinus Sattner.
R. P. Robertus Dolinar.

IX.

Obs. Provincia Thusciae.

Die 18 Julii anni 1889 in Conventu S. Romani, rite et canonice Capitulum celebratum fuit, Praeside Com. Visitatore, Adm. Rev. P. ALOYSIO A PARMA, et in eo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Cyprianus Verdiani.

CUSTOS

A. R. P. Faustinus Francesconi.

DEFINITORES

A. R. P. Remigius Buselli.
A. R. P. Pacificus Jacopozzi.
R. P. Franciscus Drovandi.
R. P. Bonaventura Guerrini.

X.

Ref. Custodia Imm. Conceptionis in Statibus Foederatis.

In Capitulo Reformatae Custodiae sub titulo Immaculatae Conceptionis B. M. V. in

Statibus Foederatis Septentrionalis Americae celebrato, in Conventu S. Bonaventurae Civitatis Allegany die 24 mensis Julii 1889, praesidente Adm. Reverendo Patre UBALDO VEBERSINKE, rite et canonice electi sunt:

CUSTOS PROVINCIALIS

Rev. P. Anacletus ab Arcegurga.

DISCRETI

Rev. P. Leo a Saracena.
Rev. P. Ludgerus Beck.
Rev. P. Joseph Butler.

XI.

Ref. Prov. Transylvania.

In capitulo Provinciali celebrato die 2 Augusti 1889 in Conventu Mediensi B. V. M. IMMACULATAE sub praesidentia Adm. V. P. THEODORICI ELEK, Comm. Visit., rite et canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Eugenius Simon.

CUSTOS VOCALIS

A. R. P. Polycarpus László, ex-Min.

DEFINITORES

R. P. Cornelius Lakatos.
R. P. Demetrius Kosma.
R. P. Joannes Blága.
R. P. Joannes Cap. Paal.

—

CAUSAE SANCTORUM ORDINIS NOSTRI

XI.

Vener. Fr. FRANCISCI A GHISONE, *Clerici Professi Beatificandi.*

Natus est in oppido-Ghisonis, dioecesis Adjacensis, in Corsica Insula, anno reparatae salutis 1777, die 17ª Decembris, ex parentibus Martio Mucchielli et Anna Gregori, bonis quidem fortunae pauperibus, christiana autem pietate divitibus. Adhuc puerulus patre orbatus, a matre summa cura et diligentia in timore DOMINI fuit educatus. Ipsa enim filiolum suum ad Fratres Minores de Observantia, non longe degentes, saepe imo quotidie mittebat, eo fine ut ab iis litterarum edisceret rudimenta, atque ad pietatem magis magisque in dies informaretur: nec spes eam fefellit.

Fratres etenim optimam pueri indolem perspecti, utique ejus educationem diligenter curarunt; ipse autem eorum sancta conversatione illectus, docilem se praebuit omnibus instructionibus, atque una cum ipsis fere omnia pietatis opera exercebat. Vix duodennis etiam ipsam piam genitricem amisit; ex quo tempore omnem ferme pueri institutionem ac sustentationem Franciscani susceperunt. Unde factum est, ut in proposito, quod jam animo conceperat, eorum Institutum amplectendi, magis magisque se confirmaret.

Ast ob publicae rei eversionem, quae tunc accidit, voti compos fieri nequivit. Post aliquot annos, paucis rebus, quas possidebat, unicae sorori suae relictis, Romam petiit ad patruum suum, Paulum Baptistam Mucchielli, virum utique scientia medicinae virtuteque clarum; a quo benigne exceptus, ibi arti ebeni perpoliendi operam dedit. Totum autem tempus, quod a labore ei supererat, in ecclesiis insumebat; ibique Sacerdotibus Sacrum facientibus inservire, divinas canere laudes, atque fervidas effundere preces summopere delectabatur, uti in patria solebat. Interea, divino consilio factum est, ut quemdam Sacerdotem Ordinis nostri, prudentia ac pietate insignem, moderatorem suae conscientiae seligeret. Qui statim mirabilem juvenis dispositionem inspectus, eum ad capessendum franciscanum Institutum est adhortatus. Nihil jucundius et optatius ei accidere poterat; unde brevi patrui assensu obtento, atque a Ministro Provinciali rite receptus, ad sacrum Recessum prope Civitellam in Dioecesi Sublacensi missus est, ut ibi religiosum indueret habitum.

Revera die 24ª Octobris anni 1800 inter Sodales Franciscales adscriptus, tyrocinium inchoavit, retento Francisci nomine; et quia statura pusillus erat, Francisculus in posterum saepe fuit appellatus. Statim dedit futurae sanctitatis indicia ob praeclara omnium virtutum exempla. Expleto tyrocinio, atque solemni emissa professione, ibi remansit ut litterarum studiis incumberet. Suo tempore Ordines Minores recepit; ast cum a Superioribus ut ad Ordines Majores suscipiendos se disponeret,

adhortaretur, ipse, ad exemplum Seraphici Patriarchae, tantae dignitatis indignum omnino se reputans, enixe petiit a DOMINO, ut si ei placeret, impotens ad id redderetur. Statim fuit exauditus; precatione enim expleta epileptico morbo corripitur; qui cum in dies tum frequentia tum vehementia ingravesceret, revera ad sacerdotium omnino inhabilem eum reddidit.

Ab illo tempore usque ad mortem, idest per spatium triginta duorum annorum, semper ibi vitam duxit in profundissima humilitate incredibili austeritate, aliarumque virtutum exercitio, munere Sacristae exactissime fungens; unde prout vir sanctus ab omnibus habebatur et erat. Tandem plenus meritis, ac a DOMINO variis supernaturalibus donis ditatus, eodem morbo, quem Amicum suum appellabat, consumptus est, die 25ª Januarii anno 1832, aetatis suae vero 54.

Vix hujus pretiosae mortis notitia pervulgata, ingens factus est populorum concursus ad eum inspiciendum; et dum ad templum deferebatur, qui in sacro Recessu jam aderant, ad Venerabilis cellam advolarunt, et pietatis gratia, quaecumque ibi erant, tulerunt etiam pulverem, lateres, ac fenestrae tabulas. Vix autem cadaver in Ecclesia deponitur, ita augetur ex omni parte populorum multitudo cujuscumque gradus, aetatis ac conditionis, licet esset tempus hyemale atque nimbosum, ut neque sacrae caeremoniae possunt celebrari. Cum continuo supervenientium turba discedentibus vicissim succederet, necesse fuit ut venerabile corpus per quinque dies inhumatum remaneret; incredibile autem dictu est quot modis, quot signis haec multitudo propriam devotionem erga defunctum exprimeret! Nec DEUS sanctitatem servi sui supernaturalibus signis ostendere defuit; inter quae plures sanationes a morbis, copiosus sudor ex toto corpore, nec non suavissimus odor ex quadam plaga, qua vivens afflictabatur, manans. Tandem non sine magna difficultate sepultum fuit ad levam arae majoris ejusdem templi eo loco quo corpus B. Thomae a Cora, antequam publicis decoraretur honoribus, jacuerat; et adhuc ibi requiescit.

Quae fama sanctitatis excrevit in dies usque in praesens, et longe lateque diffusa est; uti patet tum ex continua populorum frequentia ad ejus sepulcrum; tum ex mira devotione, qua ejus imagines atque reliquiae exquiruntur, praesertim ut aegrotis admoveantur; tum ex pluribus gratiis ejus intercessione a DEO obtentis; nec non ex communi piorum desiderio ut quam primum publico Ecclesiae judicio Altarium honoribus condecoretur. Unde factum est, ut constructo prius *Processu Ordinario* in Dioecesi Sublacensi, *Causa Beatificationis* Ven. Servi DEI, mense Augusti 1848, introducta sit. Deinde vero anno 1850, *Litterae Remissoriales* a Sacra Rituum Congregatione tum ad ordinaria, tum ad Episcopum Sublacensem fuerunt expeditae pro construendis *Processibus Apostolicis*. Qui post longum tempus absoluti, ad Urbemque delati, die 28ª Novembris anni 1874 auctoritate Apostolica uti validi recogniti, approbati fuere. Anno vero 1883, die 21ª Julii in Aedibus Emin. ac Rev. Cardinalis Aloysii Bilii, Causae *Relatoris,* Congregatio *Antipraeparatoria* super Virtutibus in gradu heroico etc. Vener. Fr. Francisci habita fuit. In proximo autem erit secunda Congregatio, seu *Praeparatoria.*

De hoc Venerabili usque nunc non habetur *Vita* typis vulgata, nequidem brevissima; habebitur autem in posterum, jam enim a quodam Religioso conscribitur. Adsunt tamen Imagines apud hanc Postulationem.

—

NOVA ORDINIS ECCLESIA

IN ANGLIA.

Fratres nostri Obs. Provinciae S. Ludovici in Gallia, violenter expulsi e patriis conventibus anno 1880, nonnulla coenobia in Anglia erexerunt. Nunc tres habent Conventus, Clevedonensem (Clevedon) scilicet, in dioecesi Cliftonensi, *Saltash* in dioecesi Plymuthensi et *Ascotensem* (Ascot) in dioecesi Portusmuthensi (Portsmouth).

Hujus Conventus a biennio fundati Ecclesia solemni ritu dedicata est die 4 Julii vertentis anni a Rmo Episcopo Joanne Virtue, assistentibus utriusque Cleri multis sacerdotibus.

III.

MISSIONES

—

EX PRAEFECTURA SUPERIORIS AEGYPTI.

Dies 10.ª Junii hujus labentis anni nostris Strictioris Observantiae Fratribus, in Missione degentibus Superioris Aegypti, serena omnique plena gaudio illuxit, ab eisque propterea laetissima salutata. In ea namque Adm. R. P. VENANTIUS A S. VENANTIO, Reformatae Provinciae Seraphicae filius, jam illius Missionis ex-Praefectus, nunc autem Vice-Praefectus ac Decanus, *quinquagesimum sui apostolatus inter infideles expleverat annum*. Quamobrem, amoris ac gratitudinis gratia erga tam dignum Patrem ut Missio, meliori quo fieri potuerat modo, illum memorabilem perageret diem, absente docto ac pio Praefecto, Adm. R. P. Zenobio a Florentia, per P. P. Seraphinum a Patrignone et Fortunatum a Seano Ref. Prov. Thusciae, veluti suos delegatos ad Cajrum ubi nunc P. Venantius deget, missos, totis viribus adlaboravit. Isti enim duo Patres digno Missionario Sacrum facienti pie ac devote adsistentiam praestarunt; dum per benemeritos Fratres Scholarum Christianarum in choro Missa dulcisonis modulis canebatur ac pulsantibus comitabatur organis, in perpulchra Ecclesia singulari apparatu solemnique pompa ornata Magni Conventus Cajrensis Terrae Sanctae; in cujus fine hymnus Ambrosianus persolutus est D. O. M. omnium bonorum largitori. Incredibile dictu, qua laetitia et exultatione permotus sit exiguus CHRISTI grex Fidelium qui veluti patrem amat ac veneratur Missionarium, quique ad Ecclesiam numeroso concursu ex omni lingua et natione perrexerat. Missa finita, inter plurimos, qui ad sacram Venerabilis senis dexteram osculandam accesserant, cernebatur Illmus Austro-Hungariae Consul una cum egregia familia sua.

DOMINUS conservet ac vivificet dignum Operarium in vinea sua, et dignetur illius labores, in beata aeternitate, fulgida donare corona; dum ex corde omnes Superioris Aegypti Missionis filii rependunt grates Fratribus Magni Conventus Terrae Sanctae ac meritissimo eorum Guardiano, R. P. Placido Toelle Min. Recollectorum Provinciae Saxoniae filio, qui consueta caritate ac benevolentia angustiis nostri Conventus obviantes voluerunt ut festa apud eos ac cum eis celebrarentur.

IV.

VARIA.

—

SERIES CAPITULORUM GENERALIUM

ORDINIS FRATRUM MINORUM

S. FRANCISCI.

46. 1343. Mense Junio Massiliae in Gallia in comitiis generalibus in ministrum totius Ordinis assumptus est Fr. Fortanerius Vasalli Clementi PP. VI admodum acceptus. In his comitiis ordinatum est, ut serventur constitutiones S. Bonaventurae tanquam Ordinis fundamenta, aliis statutorum compilationibus tam papalibus quam generalibus revocatis (1)! Hic Fr. Fortanerius habuit comitia generalia

47. 1346. Venetiis (2).

48. 1348. Veronae (3), ubi ipso Fortanerio ad dignitatem Cardinalis evecto, in Ministrum generalem assumptus est Fr. Gulielmus Farinerius, qui dein anno

49. 1351. Lugduni celebravit comitia generalia.

50. 1354. Assisii habita sunt comitia generalia, in quibus statutum fuit, ut jam memoratae constitutiones S. Bonaventurae revisae, et secundum temporis exigentias ac pontificum diplomata adaptatae, in toto Ordine observentur; quae, quoniam a Farinerio singulari cura sunt promulgatae et in usum inductae, passim *Constitutiones Farineriae* dictae sunt (4).

(1) Chronol. hist. legal. I p. 63. Orbis Seraph. III p. 47.

(2) Chronic. XXIV Generalium ad hunc ann. Chronic. Glasberger p. 183. Orbis Seraph. III p. 48.

(3) Chronic. XXIV Gener. ad hunc an. Chronic. Glasberger 184.

(4) Orb. Seraph. l. c. p. 48. Chronic. Glasberger 187.

51. 1357. Capitulum generale Barchinonae, ubi in Ministrum generalem assumptus est Johannes de Bucchio (1). In hoc capitulo cautum fuit, ut habitus et mantellum tam quoad *pretium* quam quoad *colorem* et *formam* paupertatem et simplicitatem S. Francisci exhibeant (2). Interim anno 1358 dicto Fr. Johanne defuncto, a Summo Pontifice Vicarius generalis, qui Ordinem gubernaret, constitutus est Fr. Guilelmus Farinerius, exminister generalis et s. romanae ecclesiae Cardinalis, qui dein comitia indixit pro anno

52. 1359. Januam, ubi in primicerium Ordinis electus est fr. Marcus a Viterbo. In his comitiis nonnulla decreta sunt circa studia seraphica (3).

53. 1362. Argentinae in Alsatia celebrata sunt comitia Ordinis ubi, ut Pater de Gubernatis scribit, magistratus urbis et senatus sancta aemulatione pro sustentandis triginta et octingentis Fratribus, qui convenerant, adeo contendebant, ut de iis, quae superfuerunt, conventus ille integro anno vivere potuisset (4).

54. 1365. Florentiae, ubi jubente Urbano V statutum est ut in studio Tolosano instituerentur baccalaurei ad legendum Magistrum sententiarum, qui statuto tempore, more Parisiensium ad magisterium promoverentur (5).

55. 1367. Assisii celebratum est capitulum generale, in quo ad dignitatem Ministri totius Ordinis electus est fr. Thomas Frignani de Bononia, (6), qui dein

56. 1370. Neapoli comitia Fratrum habuit (7) ubi lecta fuit epistola Cardinalis protectoris ad capitulum data, qua enarrabatur quod ipse Frater Thomas « *magna prudentia et patientia... Ordinis famam indefesse ac viriliter nullis minis aut periculis territus nullisque indulgens laboribus animo constanti* » defenderit (8).

57. 1373. Fratres Tolosam ad generalia comitia evocati in Ministrum generalem elegerunt Fr. Leonardum de Rubeis (1); in his comitiis protectorum Ordinis potestas a Summo Pontifice circumscripta est (2).

58. 1376. Aquilae in Vestinis celebrata sunt comitia Ordinis, magna senatus Aquilani liberalitate, in quibus pro Terrae Sanctae meliori gubernio multa sancita sunt (3).

59. 1378. Luctuosum schisma enatum (4) ecclesiam sanctam Dei, et religiones sacras, quae ei pie famulabantur, miserandum in modum scidit. Itaque et in nostro seraphico Ordine schisma grassari coepit, nam pars antipapam Clementem VII, pars vero legitimum successorem S. Petri Urbanum VI secuta est. Ii Fratres, qui Urbano adhaerebant, liberalitate Ludovici Magni Hungariae regis, et Ordinis nostri singularis protectoris, usi, anno

60. 1379 Strigonii in conventu S. Mariae Auxiliatricis comitia celebrarunt et in Ministrum generalem elegerunt Fr. Ludovicum Donati. Parebant huic Generali: Germani, Angli, Hyberni, Belgae, Britanni, Lusitani, Aragones, Catalani, Hungari (5) et Bosnenses.

61. 1383. In comitiis Ferrariam convocatis in generalem ordinis Ministrum electus fuit Fr. Petrus de Cassano (6).

62. 1385. In comitiis Patavinis ad dignitatem Ministri generalis evectus est Fr. Martinus a Rivarolo (7).

63. 1387. Florentiae in conventu S. Crucis a Fratribus capitulum generale componentibus, electus est in Ministrum generalem Fr. Henricus Alfieri (8). Interim ea pars Ordinis, quae antipapae suberat, alium ministrum sibi elegit, certe illegitimum. « *Valde enim,* ut animadvertit auctor Chronologiae Ordinis (9), *illis temporibus difficile censebatur, christiano orbe in parte distracto, canonicam a non canonica generalis mi-*

(1) Chron. XXIV General. ad hunc ann. Chron. Glasberger p. 189.
(2) Orb. Seraph. III p. 74
(3) Chronic. Glasberger 193.
(4) Orb. Seraph. l. c. p. 73. Wadd. Annal. a: 1362.
(5) Wadd. Ann. an. 1365. Orb. Seraph. l. c. p. 74.
(6) Chronic. XXIV General. ad hunc an.
(7) Wadd. Annal. an. 1370.
(8) Benoffi l. c. p. 146 ubi habetur pars epistolae ex membran. exemplari Anconae ad verbum exscripta.

(1) Chron. XXIV Gener. ad hunc an. Wadding. Annal. an. 1373. Chronol. hist. leg. I p. 87.
(2) Orb. Seraph. l. c. p. 74.
(3) Wadd. Annal. an. 1376. Orb. Seraph. III p. 171. Chronicon Glasberger p. 212. reponit hoc capitulum ad ann. 1377.
(4) Raynaldi Annal. Eccles. ad hunc an.
(5) Orb. Seraph. I p. 172.
(6) Orb. Seraph. III p. 76.
(7) Wadd. Annal. an. 1385.
(8) Idem. Annal. an. 1387. Chronolog. hist. leg. I. p. 88. Orb. Seraph. III. p. 77.
(9) I. p. 88.

nistri electione discernere; sicuti nec de evidentia veritatis diversarum inclinationum certum aliquandiu haberi potuit judicium ». Nos haec capitula illegitima non recensebimus.

Tempore hujus Ministri generalis celebrata sunt comitia:

64. 1390. Mantuae (1).

65. 1392. Coloniae Agrippinae (2).

66. 1396. Arimini (3).

67. 1399. Assisii (4). In his comitiis congregati Patres, examinarunt librum *Conformitatum,* a Fratre Bartholomaeo Pisano compositum et decreverunt eidem auctori *habitum sancti Francisci integrum* esse dandum in remunerationem laborum (5). Etiam alia comitia habita sunt anno:

68. 1402. Assisii (6). Fratre Henrico dein mortuo capitulum generale habitum

69. 1405. Monachii (7) elegit Fr. Antonium a Pereto, qui tamen a summo Pontifice Gregorio XII, quia eo inconsulto, anno Domini

70. 1408. Aquilae capitulum servare ausus fuerat, officio suo privatus fuit; in cujus locum ipse pontifex surrogavit Gulielmum Giannetti, vicarium generalem (8). Sicque in Ordine etiam sub obedientia Papae Gregorii XII creatum est schisma, quod tamen brevi duravit, nam vicario paucissimi obediebant, Fratre Antonio, a Patribus in concilio Pisano iterum confirmato, qui

71. 1411. Romae generalia comitia celebravit (9) et anno.

72. 1414, 16. Octobris Lausanae in Helvetia (10). Acta hujus capituli periere, exceptis iis, quae de feliciori gubernio Terrae Sanctae sunt statuta, et in archivio Ordinis in conventu S. Isidori de Urbe custodiuntur.

73. Anno 1415 in generali concilio Constantiensi, Fratribus regularis observantiae trium provinciarum Galliae, datus est Vicarius generalis Fr. Nicolaus Rudolphi, qui Fratres independenter gubernaret (1). Hic prima suorum comitia celebravit Bercorii anno 1416 in quibus nonnulla salubriter statuta sunt ad regularem observantiam stabiliendam et promovendam, quod auctor Orbis Seraphici per extensum refert (2). Ex Gallia regularis Observantia sensim in Germaniam induci cepit tesfante saepe citato P. Glasberger (3).

74. 1418. Mantuae fuit capitulum generale, praesentia Martini PP. V. decoratum (4) cuius acta recenset P. Glasberger (5).

75. 1421. Fratre Antonio defuncto, in comitiis, ad Forum-Livii convocatis, in Ordinis Ministrum electus est Fr. Angelus Salvetti, vir doctus, eloquens et revehendae puritati S. Regulae admodum intentus (6).

76. 1424. Ferrariae in comitiis ad munus generalis Ministri assumptus est Fr. Antonius a Massa vir placidus et in indulgentiam proclivis, qui imo ea propter obfuit observantiae regulari promovendae (7). Hic celebravit anno

77. 1427, Casali generalia comitia (8), in quibus multa circa observantiam regulae praescripta sunt, quod P. Glasberger (9) exhibet. Eidem Generali datus est in socium Fr. Gullielmus Casali, qui vicaria potestate generali assisteret usque ad futurum capitulum (10).

78. 1430. Assisii Capitulum generale, in quo, deposito Fr. Antonio, et Fr. Gullielmo in Ministrum generalem electo (11), auctoritate Summi Pontificis Martini V promulgatae sunt *constitutiones generales Ordinis,* quae dein *Martinianae* dictae sunt; quas composuit sanctus

(1) Wadd. Annal. an. 1390.

(2) Idem. Annal. an. 1392. Glasberger in suo Chronico reponit in an. 1393, quod magis respondet consuetudini capitula omni triennio servandi.

(3) Wadd. Annal. an. 1396. Orbis Seraph. III p. 77.

(4) Idem. Annal. an. 1399. Benoffi, Compendio p. 156. sub * asterisco.

(5) Orb. Seraph. III. p. 77.

(6) Wadd. Annal. an. 1402. Orb. Seraph. III 77.

(7) Idem. Annal. an. 1405. Orb. Seraph. III, p. 77. Chronic. Glasberg. p. 224.

(8) Orb. Seraph. I p. 175. Benoffi l. c. p. 159.

(9) Quorum acta vide in Chronic. Glasberger, p. 242.

(10) Wadd. Annal. an. 1414. Chronic. Glasberger p. 252.

(1) Wadd. Annal. an. 1415.

(2) III. p. 78.

(3) Chronic. p. 282.

(4) Wadd. Annal. an. 1418.

(5) Chronic. p. 271.

(6) Orb. Seraph. I p. 175.

(7) Wadd. Annal. an. 1424. Orb. Seraph. III p. 82. Chronic. Glasberger p. 279.

(8) Wadd. Annal. an. 1427.

(9) Chronic. p. 286.

(10) Wadd. Annal. an. 1427.

(11) Idem. Annal. an. 1430.

Johannes Capistranus (1). *De modo easdem exequendi*, multa sunt tentata attamen sine optato fructu (2), quare Observantes ubique ceperunt urgere separationem a Fratribus de communitate, et anno 1431 Bononiae, permissu pontificio, separatim celebrarunt comitia (3). Ab hoc capitulo usque ad annum 1438 Fratres de Observantia gubernati erant per provinciarum Vicarios; licet super ipsos generatim sanctus Joannes Capistranus, ex ordinatione Summi Pontificis, quamdam haberet commissionem et non parvam auctoritatem (4). Ab anno 1431 incepit series comitiorum, quae Fratres observantes partium meridionalium habebant, quae, licet Observantium generalia fuerint, tamen ea non recensebimus, sed continuamus seriem comitiorum in quibus Ministri generales eligebantur.

79. 1433. Bononiae Capitulum generale, in quo tentata est unio inter Fratres de communitate et de observantia, sed effectu caruit; « quapropter concilium Basileense Observantium a communitate independentiam edito Decreto comprobavit (5). Pro Observantibus Bosnae et Hungariae, instante Sigismundo, rege apostolico, idem concilium decretum immunitatis edidit pridie kal. Maji anno Domini 1434 (6).

80. 1437, 18 Maji, Tolosae (7) in quibus haud pauca statuta sunt circa officium divinum, sacros ritus, scholas etc. (8).

Tandem cum Fr. Gullielmus, jam aetate provectus et infirmus, non posset etiam Observantes gubernare, audito S. Johannis Capistrani consilio, nominavit sanctum Bernardinum suum Vicarium generalem pro Observantibus, eique regimen commisit anno 1438, qui, ut supradictum est, continuabat comitia Observantium separata celebrare (9).

81. 1440. Genuae capitulum generale; S. Bernardinus in socium sibi adscivit S. Johannem Capistranum.

(1) Chronolog. histor. leg. I p. 90.
(2) Vid. Orb. Seraph. III. p. 91. Chronicon Glasberger. p. 290.
(3) Wadd. Annal. an. 1431.
(4) Chronolog. hist. legal. I p. 98.
(5) Wadd. Annal. an. 1433.
(6) Ex Original.
(7) Wadd. Annal. an. 1437.
(8) Orb. Seraph. III. pag. 92.
(9) Chronol. hist. leg. I. p. 100.

82. 1443. Capitulum generale Patavii, in quo in generalem Ministrum electus fuit Fr. Antonius de Rusconibus, qui familiam Observantium in duas partes divisam, duobus Vicariis generalibus commisit, videlicet ultramontanam Fr. Johanni Mauberto et Cismontanam sancto Johanni a Capistrano. Hic mox initio sui regiminis celebres edidit « Constitutiones » (1). Sub hoc generali Ministro data est Observantibus facultas sibi vicarium generalem eligendi (2).

83. 1446. Rusconius Generalis apud Montem Pessulanum in Gallia Capitulum coëgit (3).

84. 1449. Capitulum generale Florentiae; Observantes actis comitialibus non interfuerunt, sed solummodo supplicationi publicae (4).

85. 1450. Romae capitulum generale habitum fuit in conventu Aracaelitano, quo convenerant 3800 Fratres, in quibus providente summo Pontifice in Generalem assumptus est Fr. Angelus de Perusio (5).

86. 1453. Perusii habita sunt comitia, in quibus strenue agebatur, ut Ordo universus uniretur, verum nihil obtentum est; Generalis mortuus successorem habuit Fr. Jacobum de Mozzanica primo *vicarium*, dein anno

87. 1454, In comitiis Bononiensibus, in Ministrum generalem electum; in his comitiis confirmatae sunt antiquae religionis constitutiones (6).

88. 1457. Mediolani comitia generalia (7) in quibus Observantes ab electione fuerunt exclusi. Mortuo Fr. Jacobo Ministro generali, Fratres anno

89. 1458, Romae in comitiis congregati elegerunt in Ministrum generalem Fr. Jacobum Sarzuelanum (8).

90. 1461. Capitulum celebratum Divione in Burgundia (9). Tunc Ministro generali additus est Vicarius generalis Fr. Franciscus de Ruvere (10).

(1) Wadd. p. 101.
(2) Idem. p. 112..
(3) Idem. Annal. an. 1446.
(4) Idem. Annal. an. 1449.
(5) Idem. Annal. an. 1450.
(6) Idem. Annal. an. 1454.
(7) Idem. Annal an. 1457.
(8) Idem. an. 1458.
(9) Idem. an. 1461.
(10) Vanden Hauten Breviarium Historicum Ord. Minor. p. 128.

91. 1464. Perusiae, convocante Ministro generali, qui gravi morbo vexatus scripto officium abdicavit, et dictus Fr. Franciscus de Ruvere electus fuit in generalem Ministrum, qui deinde factus fuit Cardinalis et ultimo summus Pontifex dictus Sixtus IV (1).

92. 1467. Florentiae comitia generalia et deim anno

93. 1469, Venetiis celebrata sunt, in quibus Fr. Francisco Generali, jam ad Cardinalatum assumpto, Fr. Joannes Zanettus Uticensis omnium consensu ad Ordinis praefecturam fuit evectus (2).

94. 1472. Ferrariae Capitulum generale (3).

95. 1475. Urbini in coactis comitiis electus fuit in generalem Ministrum Frater Franciscus Nanius Samson, qui cum solis Fratribus de communitate habuit comitia.

96. 1479. Romae ad sanctos XII Apostolos.

97. 1482. Brixiae.

98. 1485. Casali.

99. 1488. Cremonae.

100. 1491. Assisii.

101. 1495. Bononiae.

102. 1498. Mediolani; in omnibus his comitiis antiqua decreta sunt renovata; Observantes interim sub propriis Vicariis separata habebant comitia (4). Fr. Samson Minister generalis anno 1499 27 Octobris postquam Ordinem placide et absque quaerela per annos 24 rexisset, Florentiae decessit, anno aetatis suae 85. Hic externos honores fugit, sua sorte contentus, et bene quidem vixit, qui bene novit latere (5). Sub longo tamen regimine Fr. Samsonis nonnulla irrepsere correctione digna, quare et summus Pontifex, post quam anno

103. 1500, In comitiis Interamnensibus electus fuisset Fr. Aegidius Delphinus in Ministrum generalem, gravibus litteris capitulares cohortatus est, ut vitam et mores omnino reformarent (6).

Tempore generalatus Fr. Aegidii habita sunt duo comitia videlicet:

(1) Wadd.
(2) Idem. l. c. an. 1467 et 1469.
(3) Idem. Annal. an. 1472.
(4) Idem. ad hos annos.
(5) Idem. Annal. ad an. 1499. Orb. Seraph. I. 194.
(6) Orb. Seraph. I. p. 194.

104. 1503, Trecis in Gallia « ut universum Ordinem generali praevia reformatione, scribit P. de Gubernatis (1), simul sub uno capite uniret » ast nihil est assecutus.

105. 1505, Romae comitia generalissima, quibus intererant: Conventuales, Observantes et ceterae congregationes minores, qui in generalem Ordinis superiorem elegerunt Fr. Raynaldum Gratianum de Cottiniola (2).

Dein adhuc.

106. 1510. Romae ad sanctos XII Apostolos, in quibus Fr. Philippus Porcarius de Bagnacavallo electus est in Ministrum generalem, sed eo brevi defuncto Fr. Gomesius Lusitanus ceu Vicarius anno (3).

107. 1513, Assisium comitia indixit, ubi ad generalatum assumptus fuit Fr. Bernardinus Pratus de Cherio (4).

108. 1516. Cherii in Lombardia, convocante Ministro generali, habitum est capitulum. Incipit tunc Leo X laborare pro vera unione Ordinis et idcirco omnes vocales Conventuales, Observantes et alios ex partialibus congregationibus. Clarenorum, Coletanorum, Amadeitarum, Guadalupensium etc., ad generale Ordinis capitulum in Urbe celebrandum evocavit (5).

109. 1517. In his comitiis ad Aramcoeli in vigilia Pentecostes celebratis, praemissis praemittendis, auctoritate apostolica omnes Vicarii Observantium veri Ministri provinciales, et discreti sunt custodes declarati; tum lecta Bulla Unionis *Ite et vos* omnes congregationes minores Clarenorum etc. Observantibus unitae sunt (6). His peractis, instituta electione, Fr. Christophorus Foroliviensis rite cooptatus est in totius Ordinis Ministrum generalem, cui proinde Pontifex tradi voluit sigillum, quo a sancti Francisci tempore utebantur Ministri generales.

Fratres Conventuales eadem die comitia separatim celebrarunt in conventu XII Apostolorum Romae, ubi in Magistrum Generalem sibi elegerunt Fr. Antonium Marcellum Dalmatam (7).

(1) Orb. Seraph. III. p. 214.
(2) Wadd. Annal. an. 1505.
(3) Idem. ibid. an. 1510.
(4) Id. ibid. an. 1513.
(5) Wadd. l. c. an. 1517.
(6) Orb. Seraph. III. p. 233.
(7) Wadd. l. c.

Vigore praedictae Bullae *Unionis* officium Ministri generalis ad sexennium limitatum, factum est alternativum in duabus familiis, videlicet ultramontana et cismontana, sic ut familia, quae non habet Generalem, haberet triennalem Commissarium generalem (1). Item ordinatum est, ut omni triennio capitulum generale celebretur et multa alia pro prospero Ordinis gubernio statuta sunt (2).

Interim ipse neoelectus Minister generalis paulo post inter sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales cooptatus est.

—

FESTUM SEXCENTENARIUM
BEATI JOHANNIS BURALLI.

Sexcentenariam illius sanctissimi viri, beati Johannis Buralli, Ordinis nostri Italiaeque decoris, recordationem recurrentem, Parmae, ubi primo beatus lucem aspexit, maxima, quam decebat, solemnitate, Franciscales nostri celebrarunt. Jam annus erat, ex quo, nostro Ministro Generali Reverendissimo Patre Bernardino a Portu Romatino amplissimis litteris probante, admodum Reverendus Pater Aloysius Canali, Parmensis, Bononiensis Provinciae Minister, propositum antiquo desiderio conceptum concivis consodalisque sui memoriam refovendi, manui electae sollertissimorum virorum aperuit, eoque supremo moderatore, societas statim in hunc finem inita fuit. Ephemeris bimensilis, a mense Majo superioris anni usque ad praesentem, arte guttembergica, praeclara gesta, merita grandia, excellens ingenium, pietatem Johannis, brevi, vitam ejus omnem criticae artis plane adjumentis conflatam enarravit atque evulgavit.

Hinc dubia, quae circa cognomen familiae, nimia, qua par erat, aliquorum scriptorum incuria oborta, funditus sublata sunt. Parmae honor clarissimi viri patriam fuisse, gravissimis argumentis confirmatus. Quam innocens pueritia, quamque mira pietate, scientiae profectu et eruditione adolescentia ejus enituerit; quomodo, ipse nobili familia ortus, magni habitus dialecticae magister, saeculi honoribus abrenuntians, voci Dei ad majora vocantis libentissime parens, Ordini Minorum nomen dederit, apertissime patuit. Item quomodo inter Franciscales cooptatus, Theologiae studiis absolutis, singulari verborum splendore et copia commendari coeperit, nec non de rebus divinis amplissimus magister praedicari; ita ut Theologiam Bononiae et Neapolis legerit, et in celeberrima Parisiensi Universitate, primus omnium italorum Franciscanorum magister nominaretur (1), flumenque verborum probati oratoris ore manans ad lacrymas provocaret, et ipsos Cardinales Sanctae Romanae Ecclesiae ad audiendum arcesseret: quomodo Capitulo Generali Avenionensi, officio Ministri Generalis, Crescentio, cujus jam vices gererat in Lugdunensi Concilio, omnium suffragio successerit; quomodo disciplinae regularis ardens propugnator atque sectator, concessiones Regulam relassantes, edoctus quanto in Ordinis detrimentum redundarent, revocaverit; quomodo verbis et factis, nulli parcens culpabili, ne quorumdam malum exemplum fieret aliis in laqueum et in scandalum, institerit ut pristinus nitor Instituti restitueretur; quomodo ad Graecos pontificia legatione felici eventu functus sit, schismaticis ad unionem cum Romana Ecclesia redactis: haec omnia late, diffuseque Ephemeris laudata elucidavit.

Postremo, quod majus erat, spontanea ejus et non coarctata a Generalatu abdicatio, ejusque a calumniis perditorum hominum, quibus laxiorum aventibus vitae rationem, durum erat contristare carnem suam, molliuscula dimittere et rigidiora sectari, demonstrata innocentia, quin ulla damnationis nube obfuscaretur, in lucem prodierunt. Dum enim vitae ejus sanctitas, longo experimento probata, ab omni suspicione erroris vel culpae in fide et in moribus eum vindicat; divi Bonaventurae eximia prudentia, charitas ferventissima, et acre judicium, omne dubium de innocentis damnatione de medio sustulerunt. Sanctissimus vir, ut multorum potentium accusationibus fieret satis, magisque ejus virtus claresceret, a sanctissimo viro judicari potuit,

(1) Vanden Hauten. l. c. p. 229.
(2) Chronol. hist. leg. I. p. 225.

(1) Nonnulli, postremis hisce temporibus, asserunt Johannem primum fuisse omnium Italorum Parisiis docentium; quod quidem, nisi intelligatur de Italis Franciscanis, nimis, aberrat a veritate. Plures enim ante Johannem Parisiis ex Italis docuerunt quorum unum Petrum Lombardum meminisse satis est.

damnari non potuit. Hoc sibi vindicat sapientia probata Sancti Bonaventurae; hoc licentia Johanni facta habitaculum eligendi ubi commoraret; hoc denique sibi vindicat officium legationis apud Graecos, ut eos in fide et unione stabiliret a Pontifice denuo demandatum quod profecto homini de fide aut damnato aut suspecto committi, absurdum est.

Tanti viri, quem in sacris peragendis angelus aliquando inservisse fertur, memoriam congruo honore prosequendam esse, nemo ambigere potest: et revera, prout ejus virtutes postulabant, postquam fulsit faustissima dies sexcentenariae festivitatis, Parmae, adstante ipso Reverendissimo Patre Generali Ministro, diebus 21, 22, et 23 Maji, ejus memoria celebrata est. Iam a Patribus Innocentio Zoboli, lectore Theologiae, et Benedicto Bei ex Observantium familia, per decem dies ingenti fructu populique concursu, exercitiorum cursu absoluto, animi ad dignos honores praestandos dispositi erant. Templum mirifice ornamentaria arte decoratum, majestas caeremoniarum, gravitas adstantium devotionis dulcedine animos perfundebant, et arcana Dei cordi hominum loquebantur.

Primo die, post missam solemnem, elogii pronuntiatoris de repente impediti loco successit Reverendissimus Pater Minister Generalis Bernardinus a Portu Romatino: qui dicendi vi ex abundantia cordis fluente, subita dictione, perspicue copioseque, Beati ingenium, mores et facta, suis coloribus depinxit: exinde audientibus praebens fidei, humilitatis, zeli gloriae Dei, salutisque animarum exemplar absolutissimum. Oratio, sermonis lepore suffusa, alte in aures, cordaque audientium descendit.

Altera die, post missam solemnem, Pater Innocentius Zoboli elogium praeclarum recitavit, erudite et ornate demonstrans eo Deum copia gratiarum et donis fidelem famulum ad altiorem gradum perfectionis evexisse, quo Johannes magis atque magis se ipsum occultare humillime satagebat.

Tertia demum die, eodem modo, post missam solemnem, laudes Beati dixit D. Severinus Frati, amplissimam figuram Beati graphice exculpens, insignibus meritis, virtutibus, uberibus fructibus in bonum Ecclesiae, Ordinis et civilis societatis latis, disertissima oratione enumeratis.

Singulis diebus, horis pomeridianis, Vesperae decantatae sunt; et mane et vespere, musicae artis concentibus gloria Dei mirabilis in sanctis suis quam dulcissime resonavit.

V.

BIBLIOGRAPHIA

—

Mons. Evangelista di Milia, Min. Cap., Vescovo di Cassano. — La Missione dell' Episcopato, Lettera Pastorale al Clero ed ai fedeli della Diocesi di Cassano al Jonio, 1889. Roma, Tipografia editrice industriale di M. Lovesio, Piazza S. Ignazio, 127 e 151 A. 1889. In-8.° pag. 32.

Exuperius (P.) a Prats-de-Mollo, Min. Cap. — Pélerinage aux Sanctuaires franciscains de l'Ombrie et de la Toscane, par le R. P. Exupère de Prats-de-Mollo, capucin. Seconde édition revue et augmentée. — Tournai, H. et L. Casterman, Edit. Pontificaux, Imprimeurs de l'Evêché: 1889. — Paris, Librairie Internationale Catholique, Rue Bonaparte, 66. Pag. 277.

P. Jarlathus Prendergast, Min. Rec. — 1. The Franciscan Manual, and seraphic treasury of prayers and devotions, etc. by Fr. Jarlath Prendergast O. S. F. (Rec. Custodiae Angliae). Fifth edition. Dublin, James Duffy and Co.

2. Manual of the Children of Mary, for the boarding-schools and orphanages, by F. Jarlath Prendergast O. S. F. Dublin, James Duffy and Co., 1889.

3. Spirit of S. Francis of Assisi, or Maxims for every day in the year, from the french by the Franciscan Fathers, Upton, London. Dublin, James Duffy and Co. 1888.

Innocenzo Zoboli, Min. Obs. — B. Giovanni dei Buralli di Parma, Minorita, Orazione Panegirica del Padre Innocenzo Zoboli, Min. Oss. recitata il 22 Giugno 1889, pel sesto solenne Centenario del Beato, celebrato dai PP. Francescani dell' Osservanza nella Chiesa Parmense della SS. Annunziata. Parma, Tipografia Vesc. Fiaccadori 1889, pag. 19.

L'abbé Léon Le Monnier. — Histoire de Saint François d'Assise, par l'Abbé Léon Le Monnier, Curé de Saint Ferdinand-des-Ternes. Paris, Victor Lecoffre, 90 rue Bonaparte. Lyon, Vitte et Perrussel 3, place Bellecour 1889. Tous droits réservés. In 16 Tome I. Pag. XLII-465. Tome II, pag. 483.

Rmus Petrus Manero, Min. Genlis. — Expositio Regulae Fratrum Minorum ab ipso Seraphico Patre nostro S. Francisco, ejusdem legislatore, verbis, factis, exemplis tradita, opera, studio, sollicitudine Rmi P. F. Petri Manero, totius Ordinis Minorum Ministri Generalis concinnata, et ad universos totius orbis Fratres pro puriori illius observantia transmissa. Nova editio. Trudonopoli (*St. Trond,* in Belgio), typis Josephi Leenen, 1889.

Pius (P.) a Langogno, Min. Cap. — Le Diurnal de Marie, Eulogies quotidiennes à la Très Sainte Vierge Mère de Dieu et Mère des hommes, par le Père Pie de Langogne, des FF. Min. Capucins, Membre de l' Académie Pontificale de l'Immaculée Conception. Premier volume, Janvier — Juin. — Tournay. Société de S. Jean l' Evangéliste, Desclée Lefebvre et C.ie Editeurs Pontificaux, 1889. Pag. XXVI-592. Pretium: L. 2,50.

P. Silvester Winkes. — Seraphischer Tugendspiegel, oder Leben der Heiligen aus den drei Orden des hl. Franciscus seraphicus, auf alle Tage des Jahres mit entspreehenden Erwägungen und Kirchengebeten, von P. Silvester Winkes, aus der Sächsischen Franciscaner-Provinz vom h. Kreuze. Heiligenstadt. Cordier 1889. (II. tomi in 8.).

Latine: Seraphicum Speculum virtutum, sive Vitae Sanctorum trium Ordinum S. Francisci seraphici pro singulis anni diebus cum aptis considerationibus et Ecclesiae orationibus auctore P. Silvestro Winkes, Provinciae Saxoniae S. Crucis.

VI.
NECROLOGIA

—

Die 1.a Aprilis a. c. in Collegio Missionum Saltae in Republica Argentina Americae meridionalis existente, supremum diem clausit Fr. Cassianus Panchetti a S. Miniato, Laicus professus, Obs. Provinciae Thusciae filius, ac ab anno 1862, eidem Collegio adscriptus.

Anno 1864 vulnus ignei globuli a malis christianis in femore accepit, quod acutissimos dolores illi attulit, et per aliquot menses vitam ipsam in discrimine tenuit. Morbo tandem utcumque superato claudus remansit et ulcus apertum servavit usque ad mortem. Attamen ut erat operositate magna praeditus panem otiose nunquam comedit, sed semper aliquid operabatur consilio manuum suarum.

In Missione infidelium ubi per multos annos permansit, cibos Missionariis parabat, terram exercebat, operibus Indorum praeerat, medicamina conficiebat, infirmos visitabat et curabat.

In Collegio hortum colebat, pharmaca conficiebat, infirmis praesto erat non solum Religiosis Fratribus sed etiam saecularibus praesertim ruri degentibus quo frequenter pergebat, modo hac modo illac ad eleemosynas petendas. Omnes proinde illum aestimabant, illum quaerebant, et frequenter consulebant: ac proinde Fr. Cassianus benemeritus est de humanitate, de Religione et de Collegio cui per vigintisex annos servivit.

Sed ejus vires non tantum propter aetatem sed praecipue ob infirmitatem chronicam coeperunt imminui: et ulcere femoris fere occluso in stomachi languorem incidit, et se moriturum praesensit. Itaque Sacramentis Ecclesiae pluries petitis et devote susceptis, spe in Deum erectus et divinae voluntati se plene conformans animam placidissime efflavit anno aetatis sexagesimo tertio, Religionis quadragesimo secundo.

R. I. P.

Nihil obstat

Fr. Bernardinus, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII.

EPISTOLA ENCYCLICA

AD PATRIARCHAS PRIMATES
ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS
ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS
PACEM ET COMMUNIONEM
CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES

DE PATROCINIO SANCTI JOSEPHI
UNA CUM VIRGINIS DEIPARAE
PRO TEMPORUM DIFFICULTATE
IMPLORANDO

VENERABILIBUS FRATRIBUS
PATRIARCHIS PRIMATIBUS
ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS
ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS
PACEM ET COMMUNIONEM
CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Quamquam pluries jam singulares toto orbe deprecationes fieri, majoremque in modum commendari Deo rem catholicam jussimus; nemini tamen mirum videatur si hoc idem officium rursus inculcandum animis hoc tempore censemus. — In rebus asperis, maxime cum *potestas tenebrarum* audere quaelibet in perniciem christiani nominis posse videtur, Ecclesia quidem suppliciter invocare Deum, auctorem ac vindicem suum, studio perseverantiaque majore semper consuevit, adhibitis quoque sanctis caelitibus, praecipueque augusta Virgine Dei Genitrice, quorum patrocinio columen rebus suis maxime videt adfuturum. Piarum autem precationum positaeque in divina bonitate spei serius ocius fructus apparet. — Jamvero nostis tempora, Venerabiles Fratres: quae sane christianae reipublicae haud multo minus calamitosa sunt, quam quae fuere unquam calamitosissima. Interire apud plurimos videmus principium omnium virtutum christianarum, fidem: frigere caritatem: subolescere moribus opinionibusque depravatam juventutem: Jesu Christi Ecclesiam vi et astu ex omni parte oppugnari: bellum atrox cum Pontificatu geri: ipsa religionis fundamenta, crescente in dies audacia, labefactari. Quo descensum novissimo tempore sit, et quid adhuc agitetur animis, plus est jam cognitum, quam ut verbis declarari oporteat.

Tam difficili miseroque statu, quoniam mala sunt, quam remedia humana, majora, restat ut a divina virtute omnis eorum petenda sanatio sit. — Hac de caussa faciendum duximus, ut pietatem populi christiani ad implorandam studiosius et constantius Dei omnipotentis opem incitaremus. Videlicet, appropinquante jam mense Octobri, quem Virgini Mariae a *Rosario* dicatum esse alias decrevimus, vehementer hortamur, ut maxima qua fieri potest religione, pietate, frequentia mensis ille

totus hoc anno agatur. — Paratum novimus in materna Virginis bonitate perfugium: spesque Nostras non frustra in ea collocatas certo scimus. Si centies illa in magnis christianae reipublicae temporibus praesens adfuit, cur dubitetur exempla potentiae gratiaeque suae renovaturam, si humiles constantesque preces communiter adhibeantur? Immo tanto mirabilius credimus adfuturam, quanto se diutius obsecrari maluerit.

Sed aliud quoque est propositum Nobis: cui proposito diligentem, ut soletis, Venerabiles Fratres, Nobiscum dabitis operam. Scilicet quo se placabiliorem ad preces impertiat Deus, pluribusque deprecatoribus, Ecclesiae suae celerius ac prolixius opituletur, magnopere hoc arbitramur expedire, ut una cum Virgine Deipara castissimum ejus Sponsum beatum Josephum implorare populus christianus praecipua pietate et fidenti animo insuescat: quod optatum gratumque ipsi Virgini futurum, certis de caussis judicamus. — Profecto hac in re, de qua nunc primum publice dicturi aliquid sumus, pietatem popularem cognovimus non modo pronam, sed velut instituto jam cursu progredientem: propterea quod Josephi cultum, quem superioribus quoque aetatibus romani Pontifices sensim provehere in majus et late propagare studuerant, postremo hoc tempore vidimus passim nec dubiis incrementis augescere, praesertim postea quam Pius IX fel. rec. decessor Noster, sanctissimum Patriarcham, plurimorum Episcoporum rogatu, patronum Ecclesiae catholicae declaravit. — Nihilominus cum tanti referat, venerationem ejus in moribus institutisque catholicis penitus inhaerescere, idcirco volumus populum christianum voce imprimis atque auctoritate Nostra moveri.

Cur beatus Josephus nominatim habeatur Ecclesiae patronus, vicissimque plurimum sibi Ecclesia de ejus tutela patrocinioque polliceatur, caussae illae sunt rationesque singulares, quod is vir fuit Mariae, et pater, ut putabatur, Jesu Christi. Hinc omnis ejus dignitas, gratia, sanctitas, gloria profectae. Certe matris Dei tam in excelso dignitas est, ut nihil fieri majus queat. Sed tamen quia intercessit Josepho cum Virgine beatissima maritale vinclum, ad illam praestantissimam dignitatem, qua naturis creatis omnibus longissime Deipara antecellit, non est dubium quin accesserit ipse, ut nemo magis. Est enim conjugium societas necessitudoque omnium maxima, quae natura sua adjunctam habet bonorum unius cum altero communicationem. Quocirca si sponsum Virgini Deus Josephum dedit, dedit profecto non modo vitae socium, virginitatis testem, tutorem honestatis, sed etiam excelsae dignitatis ejus ipso conjugali foedere participem. — Similiter augustissima dignitate unus eminet inter omnes, quod divino consilio custos filii Dei fuit, habitus hominum opinione pater. Qua ex re consequens erat, ut Verbum Dei Josepho modeste subesset, dictoque esset audiens, omnemque adhiberet honorem, quem liberi adhibeant parenti suo necesse est. — Jamvero ex hac duplici dignitate officia sponte sequebantur, quae patribusfamilias natura praescripsit, ita quidem ut domus divinae, cui Josephus praeerat, custos idem et curator et defensor esset legitimus ac naturalis. Cujusmodi officia ac munia ille quidem, quoad suppeditavit vita mortalis, revera exercuit. Tueri conjugem divinamque sobolem amore summo et quotidiana assiduitate studuit: res utrique ad victum cultumque necessarias labore suo parare consuevit: vitae discrimen, regis invidia conflatum, prohibuit, quaesito ad securitatem perfugio: in itinerum incommodis exiliique acerbitatibus perpetuus et Virgini et Jesu comes, adjutor, solator extitit. — Atqui domus divina, quam Josephus velut potestate patria gubernavit, initia exorientis Ecclesiae continebat. Virgo sanctissima quemadmodum Jesu Christi genitrix, ita omnium est christianorum mater, quippe quos ad Calvariae montem inter supremos Redemptoris cruciatus generavit: itemque Jesus Christus tamquam primogenitus est christianorum, qui ei sunt adoptione ac redemptione fratres. — Quibus rebus caussa nascitur, cur beatissimus Patriarcha commendatam sibi peculiari quadam ratione sentiat multitudinem christianorum, ex quibus constat Ecclesia, scilicet innumerabilis isthaec perque omnes terras fusa familia, in quam, quia vir Mariae et pater est Jesu Christi, paterna propemodum auctoritate pollet. Est igitur consentaneum, et beato Josepho apprime dignum, ut sicut ille olim Nazarethanam familiam, quibuscumque rebus usuvenit, sanctissime tueri

consuevit, ita nunc patrocinio caelesti Ecclesiam CHRISTI tegat ac defendat.

Haec quidem, Venerabiles Fratres, facile intelligitis ex eo confirmari, quod non paucis Ecclesiae patribus, ipsa adsentiente sacra liturgia, opinio insederit, veterem illum Josephum, Jacobo patriarcha natum, hujus nostri personam adumbrasse ac munera, itemque claritate sua custodis divinae familiae futuri magnitudinem ostendisse. — Sane praeterquam quod idem utrique contigit nec vacuum significatione nomen, probe cognitae vobis sunt aliae eaedemque perspicuae inter utrumque similitudines: illa in primis, quod gratiam adeptus est a domino suo benevolentiamque singularem: cumque rei familiari esset ab eodem praepositus, prosperitates secundaeque res herili domui JOSEPHI gratia, affatim obvenere. Illud deinde majus, quod regis jussu toti regno summa cum potestate praefuit: quo autem tempore calamitas fructuum inopiam caritatemque rei frumentariae peperisset, aegyptiis ac finitimis tam excellenti providentia consuluit, ut eum rex *salvatorem mundi* appellandum decreverit. — Ita in vetere illo Patriarcha hujus expressam imaginem licet agnoscere. Sicut alter prosperus ac salutaris rationibus heri sui domesticis fuit, ac mox universo regno mirabiliter profuit, sic alter christiani nominis custodiae destinatus, defendere ac tutari putandus est Ecclesiam, quae vere domus DOMINI est DEIQUE in terris regnum.

Est vero cur omnes, qualicumque conditione locoque, fidei sese tutelaeque beati JOSEPHI commendent atque committant. — Habent in JOSEPHO patresfamilias vigilantiae providentiaeque paternae praestantissimam formam: habent conjuges amoris, unanimitatis, fidei conjugalis perfectum specimen: habent virgines integritatis virginalis exemplar eumdem ac tutorem. Nobili genere nati, proposita sibi JOSEPHI imagine, discant retinere etiam in afflicta fortuna dignitatem: locupletes intelligant, quae maxime appetere totisque viribus colligere bona necesse sit. — Sed proletarii, opifices, quotquot sunt inferiore fortuna, debent suo quodam proprio jure ad JOSEPHUM confugere, ab eoque, quod imitentur, capere. Is enim, regius sanguis, maximae sanctissimaeque omnium mulierum matrimonio junctus, pater, ut putabatur, filii DEI, opere tamen faciendo aetatem transigit, et quaecumque ad suorum tuitionem sunt necessaria, manu et arte quaerit. — Non est igitur, si verum exquiritur, tenuiorum abjecta conditio: neque solum vacat dedecore, sed valde potest, adjuncta virtute, omnis opificum nobilitari labos. JOSEPHUS, contentus et suo et parvo, angustias cum illa tenuitate cultus necessario conjunctas aequo animo excelsoque tulit, scilicet ad exemplar filii sui, qui acceptâ formâ servi, cum sit DOMINUS omnium, summam inopiam atque indigentiam voluntate suscepit. — Harum cogitatione rerum debent erigere animos et aequa sentire egeni et quotquot manuum mercede vitam tolerant: quibus si emergere ex egestate et meliorem statum acquirere concessum est non repugnante justitia, ordinem tamen providentia DEI constitutum subvertere, non ratio, non justitia permittit. Immo vero ad vim descendere, et quicquam in hoc genere aggredi per seditionem ac turbas, stultum consilium est, mala illa ipsa efficiens plerumque graviora, quorum leniendorum caussa suscipitur. Non igitur seditiosorum hominum promissis confidant inopes, si sapiunt, sed exemplis patrocinioque beati JOSEPHI, itemque materna Ecclesiae caritate, quae scilicet de illorum statu curam gerit quotidie majorem.

Itaque plurimum Nobis ipsi, Venerabiles Fratres, de vestra auctoritate studioque episcopali polliciti: nec sane diffisi, bonos ac pios plura etiam ac majora, quam quae jubentur, sua sponte ac voluntate facturos, decernimus, ut Octobri toto in recitatione *Rosarii,* de qua alias statuimus, oratio ad sanctum JOSEPHUM adjungatur, cujus formula ad vos una cum his Litteris perferetur: idque singulis annis perpetuo idem servetur. Qui autem orationem supra dictam pie recitaverint, indulgentiam singulis septem annorum totidemque quadragenarum in singulas vices tribuimus. — Illud quidem salutare maximeque laudabile, quod est jam alicubi institutum, mensem Martium honori sancti Patriarchae quotidiana pietatis exercitatione consecrare. Ubi id institui non facile queat, optandum saltem, ut ante diem ejus festum in templo cujusque oppidi principe supplicatio in triduum fiat. — Quibus autem in locis dies decimusnonus Martii,

beato JOSEPHO sacer, numero festorum de praecepto non comprehenditur, hortamur singulos, ut eum diem privata pietate sancte, quoad fieri potest, in honorem Patroni caelestis, perinde ac de praecepto, agere ne recusent.

Interea auspicem caelestium munerum et nostrae benevolentiae testem vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter in DOMINO impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XV. Augusti An. MDCCCLXXXIX., Pontificatus Nostri Duodecimo.

LEO PP. XIII.

—

ORATIO

Ad sanctum Josephum.

Ad Te, beate JOSEPH, in tribulatione nostra confugimus, atque implorato Sponsae tuae sanctissimae auxilio, patrocinium quoque tuum fidenter exposcimus. Per eam, quaesumus, quae Te cum Immaculata Virgine DEI Genitrice conjunxit, caritatem, perque paternum, quo Puerum JESUM amplexus es, amorem, supplices deprecamur, ut ad hereditatem, quam JESUS CHRISTUS acquisivit sanguine suo, benignus respicias, ac necessitatibus nostris tua virtute et ope succurras.

Tuere, o Custos providentissime divinae Familiae, JESU CHRISTI sobolem electam; prohibe a nobis, amantissime Pater, omnem errorum ac corruptelarum luem; propitius nobis sospitator noster fortissime, in hoc cum potestate tenebrarum certamine a caelo adesto; et sicut olim Puerum JESUM e summo eripuisti vitae discrimine, ita nunc Ecclesiam sanctam DEI ab hostilibus insidiis atque ab omni adversitate defende, nosque singulos perpetuo tege patrocinio, ut ad tui exemplar et ope tua suffulti, sancte vivere, pie emori, sempiternamque in caelis beatitudinem assequi possimus. — Amen.

—

EX SECRETARIA S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE.

De erigendis confraternitatibus in locis Missionum.

Romae die 30 Junii anno 1889.

Illme ac Rme Domine,

Sacrae huic Fidei Propagandae Congregationi dudum jam anteactis temporibus auctoritas per Summos Pontifices facta fuerat tribuendi Archiepiscopis, Episcopis, Vicariis et Praefectis Apostolicis aliisque Missionum Moderatoribus ab eadem S. Congregatione dependentibus, facultatem erigendi in locis sibi subjectis quascumque pias Sodalitates a S. Sede adprobatas, iisque adscribendi utriusque sexus christifideles, ac benedicendi coronas et scapularia earumdem sodalitatum propria, cum applicatione omnium Indulgentiarum, quas Summi Pontifices, praedictis Sodalitatibus, coronis et scapularibus impertiti sunt. Verum postquam per Decretum Sacrae Congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum editum die 16 Julii anno 1887, constitutum est quoad Confraternitates SSmae Trinitatis, B. M. V. a Monte Carmelo, et septem Dolorum, ne eaedem erigerentur *nisi requisitis antea et obtentis a respectivorum Ordinum Superioribus pro tempore existentibus, litteris facultativis pro earumdem erectione,* a nonnullis dubitatum est num praedictum decretum loca etiam Missionum respiceret, in quibus plura rerum adjuncta prohibent quominus quae per illud praecipiuntur commode possint executioni mandari.

Quapropter ad omnem ambiguitatem e medio tollendam SSmus D. N. LEO Pp. XIII in audientia diei 15 superioris mensis Decembris a R. P. D. Secretario praedictae S. Congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum habita, declarare benigne dignatus est Sacrum hoc Consilium Propagandae Fidei eisdem facultatibus quoad erectionem Confraternitatum a S. Sede adprobatarum uti prosequi posse, quas ante promulgationem praedicti Decreti diei 16 Julii anno 1887 habebat. In Audientia vero diei 31 superioris mensis Martii habita ab infrascripto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretario eadem Sanctitas Sua

insuper jussit ut per hanc S. Congregationem, non obstante quavis praevia S. Sedis prohibitione, libera facultas tribui possit erigendi etiam Confraternitates SSmi Rosarii, ita tamen ut fideles iis adscripti non lucrentur nisi indulgentias communiter concessas omnibus in genere Confraternitatibus canonice erectis. Moderatores igitur Missionum huic Sacrae Congregationi Fidei Propagandae subjecti facultates ab eadem sibi faciendas quoad omnium Confraternitatum erectionem, fidelium in easdem adgregationem, scapularium benedictionem et indulgentiarum applicationem, valide et licite exercere se posse sciant quin a quopiam cujusvis Regularis Ordinis Moderatore veniam aut assensum expetere aut obtinere antea teneantur. Quoad Confraternitates SSmi Rosarii tamen, si velint eas ita constitutas ut fruantur etiam peculiaribus illis indulgentiis, quae competunt Confraternitatibus erectis auctoritate Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum, tunc ad eum recursum habeant oportet.

Hac vero data opportunitate nonnulla insuper quoad praedicta notantur. Dubitarunt aliqui num ad adgregandos fideles cujusdam loci alicui Confraternitati necessaria foret praevia ibidem ejusdem Confraternitatis canonica erectio. Verum licet id in fidelium commodum profecto cederet, ac plerumque consulendum videatur, necessarium tamen non est cum sacerdotes adsunt, qui fideles in Pias Sodalitates adsciscendi facultatem habeant. Hoc tamen in casu sacerdotes praedicti tenentur fidelium cooptatorum nomina ad proximiorem Confraternitatem, cui eos adlegerint, transmittere, aut ad proximiorem domum religiosam respectivam, si de Confraternitatibus agatur, quae regularis cujusdam Ordinis auctoritate fuerint erectae.

Quod vero pertinet ad recensenda in albo Confraternitatum nomina fidelium iisdem adlectorum, id tamquam necessaria conditio absolute requiritur, ut indulgentias Confraternitatibus adnexas lucrari fideles queant. Quapropter ab ea lege derogari nequit nisi per peculiaria Indulta, quae solum determinatos casus et certa loca respiciant.

Attamen si quando ob ingentem fidelium adgregandorum numerum aliave ratione contingat eorum nominum in albo recensionem difficultatem sacerdoti cooptanti facessere, tunc designare is poterit unam vel plures pro opportunitate sibi visas personas, quae fidelium nomina scripto referant in catalogum, quem ipse postea subsignabit, et ad proximiorem Confraternitatem seu domum religiosam, uti superius dictum est, transmittat.

Ego interim DEUM precor, ut Te diutissime sospitet.

Ad officia paratissimus

J. Card. SIMEONI, *Praefectus.*
† D. ARCHIEP. TYREN. *a Secretis.*

II.
ACTA ORDINIS

—

MONITUM

DE ABSTINENTIA IN PROXIMA REGULARI QUADRAGESIMA.

Etiam hoc anno, per Rescriptum Sup. Cong. S. Officii die 28 Augusti datum, a Summo Pontifice LEONE XIII concessa fuit dispensatio circa abstinentiam in eisdem terminis ac anno elapso. (Cfr. *Acta* anni 1888, pag. 149).

—

ERECTIO

Novae Ref. Provinciae S. Dionysii in Gallia.

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO
STRICTIORIS OBSERVANTIAE
SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI
IAM S. THEOLOGIAE LECTOR, VENETAE PROVINCIAE
EX-MINISTER
EX-PROCURATOR REFORMATORUM
S. R. C. CONSULTOR
TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTER GENERALIS
ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS.

DECRETUM

Niciensis olim Custodia a Reformata Provincia Taurinensi separata et a Praedecessore nostro Rmo P. Bernardino a Montefranco in Provinciam sub titulo S. Bernardini Senensis

anno 1861 legitime erecta, coepit passim novos Conventus in Gallia acquirere, et praesertim in septentrionalem Galliae partem se protendere, ita ut enormis distantia inter unum et alterum Provinciae limitem intercederet. Quo factum est, accedentibus etiam aliis gravioribus causis, maxime post gubernii decreta anni 1880, ut vix possent Religiosi de Conventu in Conventum promiscue transferri, nec meridionales in parte septentrionali, aut vicissim, collocari. Quinimo rerum adjuncta nos impulerunt ut anno 1885, praehabita a S. Sede facultate, separationem quamdam de facto inter utramque partem provisorio modo induceremus, Ministro Provinciali cum duobus Definitoribus in parte septentrionali, Custode et Commissario nostro cum aliis duobus Definitoribus in meridionali constitutis; et ab invicem independentibus.

Verum cum hujusmodi rerum status perdurare non posset, Patres septentrionalis partis potissimum instituerunt ut legalis et stabilis separatio fieret et nova Provincia erigeretur. Antequam vero quidquam in re tanti momenti statueremus, ex consilio Patrum nostri Definitorii Generalis mittendum esse censuimus Commissarium nostrum, qui totam Provinciam visitaret, statum ejus inspiceret, omnium mentem exploraret, suffragia superiorum colligeret. Hoc autem summa diligentia et dexteritate praestitit deputatus Visitator et Commissarius Noster R. P. Aloysius a Pedelama, Reformatae Provinciae Nostrae Seraphicae ex-Minister, qui post visitatos omnes Provinciae Conventus, in extraordinario Congressu die septima Julii prox. el. in Conventu Niciae habito, proposita quaestione an *expediat Provinciam dividere,* majorem secretorum suffragiorum partem pro divisione esse invenit. Post haec, facta de omnibus relatione Patribus nostri Rmi Definitorii Glis in Congressu diei 23 ejusdem mensis Julii, eorumque habito adsensu, supplex libellus Sanctae Sedi porrectus est ad impetrandam facultatem novam Provinciam erigendi sub titulo S. Dionysii pro parte septentrionali actualis Provinciae Galliae S. Bernardini Senensis.

Nos igitur, obtenta a S. Sede Apostolica per rescriptum diei 26 Julii mox el. ad id facultate habitoque consensu Patrum nostri Rmi Definitorii Glis, in nomine Domini, virtute praesentis Decreti, nostram Reformatam (seu strictioris Observantiae, seu vulgo les *Récollets)* Provinciam Galliae S. Bernardini Senensis in duas dividimus, quorum una meridionalis, sub titulo antiquo S. Bernardini Senensis, habet nunc sex Conventus, videlicet Cemellensem prope Niciam, Saurgiensem, Avenionensem, Nemausiensem, Matisconensem et Monoecensem; altera vero, septentrionalis, quam de novo erigimus sub titulo (Recollectae olim Provinciae) S. Dionysii, habet septem Conventus, videlicet Cadomensem, Sancto Nazariensem, Ewellensem in Anglia, Parisiensem, Rothomagensem, Rhedonensem, et Nannetensem, et sic divisas, erectas, et constitutas decernimus, et esse volumus.

Porro quia ad Ministrum Generalem spectat in erectione novarum Provinciarum pro prima vice Superiores eligere, praesentis item Decreti vigore, auctoritate nostra, cum consilio et consensu Patrum nostri Rmi Definitorii Glis eligimus et nominamus:

Pro Provincia S. Bernardini Senensis

in Ministrum Provincialem

R. P. Ferdinandum a S. Romano.

in Custodem Vocalem

R. P. Richardum a Nicia.

in Definitores

P. Raymundum a Turretis (1).
P. Augustinum a Farnatella.
P. Athanasium a Saurgio.
P. Antonium a Juliena.

Pro Provincia S. Dionysii.

in Ministrum Provincialem

R. P. Benignum a Joannisvilla.

in Custodem Vocalem

R. P. Stanislaum a Fraxino Matris.

in Definitores

P. Leonardum ab Argentano.
P. Alexium a S. Peccina.
P. Paulum a Tornaco.
P. Franciscum a Nannete.

(1) Quum R. P. Raymundus, infirmitatis causa, muneri suo renuntiasset, ejusdem loco electus est a Rmo Definitorio Generali R. P. Pius a Monteregali.

Itaque omnibus et singulis tam superioribus quam subditis harum duarum Provinciarum, in virtute S. Obedientiae, et sub poena excommunicationis, praecipimus et mandamus, ut suos respective Ministros Provinciales a Nobis per hujus virtutem Decreti electos, nominatos et institutos, revereantur tamquam legitimos eorum Praelatos, eisque in omnibus quae non sunt contraria animae suae et Regulae Nostrae prompte ac fideliter obediant, ceteros vero Patres Custodes et Definitores uti tales recognoscant, debitumque eis obsequium praestent.

Datum Assisii, ex Sacro Conventu S. MARIAE Angelorum die 2.ª Augusti 1889.

Fr. BERNARDINUS, *Min. Gen.*

De Mandato Revmi in CHRISTO *Patris.*
Fr. IRENAEUS A TORCENIO, *Sec. Gen. Ref.*

—

CAUSAE SANCTORUM ORDINIS NOSTRI

X.

Vener. P. BENEDICTI BACCI *Sacerdotis Professi, Beatificandi.*

Ex Benedicto Bacci et Virginia Bianciardi, conjugibus honestate, pietateque conspicuis, ortus est DEI famulus die 13.ª Septembris anni 1591, in celebri Hetruriae oppido, quod Podium Bonitium appellatur, vulgo *Poggibonzi*. In sacro regenerationis fonte Mathiae nomen ei impositum fuit. Licet puerulus, puerilia tamen solatia, ludosque omnes fugiebat; imo ecclesiam frequentare, ibique magna pietate ac modestia Missae sacrificio interesse, atque continuis precibus se DEO, Deiparaeque commendare, in deliciis habebat. Adhuc in tenera aetate utroque parente orbatus, tamen in viam virtutis quotidie profecit; etenim ejus Confessarius, et plures alii testes coaevi asserunt eum jam ab ipsa pueritia ita se gessisse, ut exemplar pietatis, speculum modestiae, imago exactissimae obedientiae, pudicitiae simulacrum, cunctis amabilis ac carus (etiam ob ejus speciosam formam), simplex ac innocens omnibus videretur et esset. Cum sextum decimum annum jam attigisset, atque humaniores litteras feliciter didicisset, de aliquo religioso Instituto capessendo cogitare coepit; sed ne in tanto negotio inconsulte ageret, divinam voluntatem ferventioribus precibus explorare, atque sapientium virorum consilia adhibere voluit. Nec inaniter; etenim paulo post ad Minoriticum Ordinem amplectendum fortiter suaviterque a DEO vocatum se sensit; unde nulla mora interposita, eidem adscribi humiliter petiit.

Voti compos factus, ad sacrum Alverniae Montem a Ministro Provinciali mittitur, ut ibi novitiatum expleat. Et revera illuc perventus, die 19.ª Novembris anni 1608, Seraphicae Religionis habitum induit, Benedicti nomine assumpto. Difficile dictu est quantum sub optima disciplina in omnium virtutum genere, praesertim vero in humilitate et austeritate vitae anno ipso probationis profecerit. Quo expleto, ac solemni professione emissa ab Alvernia discessit; et primum Florentiae, deinde vero Mantuae studiis philosophicis ac theologicis operam solerter dedit: semper et ubique DEO hominibusque carus et amabilis. Suo tempore sacerdotio initiatus, in Hetruriam Superiorum voluntate se restituit; atque munere concionandi suscepto, totum ad salutem animarum procurandam se dedit; unde huc illuc discurrens, ingentes vitae aeternae fructus ubique retulit. Rapiebantur enim omnes ejus eloquii potentia ac suavitate; atque peccatores, licet obdurati, ad justitiae virtutisque semitam revertebantur, saepe DOMINO coöperante et confirmante sequentibus signis. Verum post plurimos annos, amore solitudinis vitaeque obscurae captus, munus concionandi dimittere decrevit; ut sic ab hominum consuetudine disjunctus, orationi et caelestium rerum contemplationi omnino vacaret; et jejuniis, vigiliis, aliisque austeritatibus seipsum tamquam aurum magis magisque purgaret ac perficeret. Obtenta prius Superiorum venia, ut proposuit, fecit. In suscepto itaque vivendi instituto ad obitum usque Servus DEI perseveravit in Conventu, qui vulgo *del Palco* dicitur prope Pratum; saepe a DOMINO plurium supernorum charismatum splendore illustratus, unde fama ejus sanctitatis brevi apud omnes est pervulgata. Tandem, plenus meritis et virtutibus, placidissime obdormivit in DOMINO die 2.ª Martii anni 1659, aetatis suae sexagesimo octavo nondum expleto.

Statim ac notitia pretiosae mortis Vener. P. BENEDICTI divulgata est, magnus populorum

concursus ad Conventum factus est; omnes cupidissimi eum videndi jam mortuum, quem summe dilexerant in vita; necesse fuit, ut tantae multitudini fieret satis, venerabile corpus Pratum solemniter deferre, et in ecclesia cathedrali per integrum diem illud exponere. Deinde ad pristinum locum restitutum, post aliquot dies fuit religiosissime speciali sepulturae mandatum. (Nunc autem requiescit Prati in nostra Ecclesia, quae S. Dominici nuncupatur). Veneratio populi erga tantum virum crevit post mortem ob mirabilia per ipsum a Deo patrata, uti patet ex eo quod statim *Processus Informativus*, quo aliquo modo *Causa Beatificationis* etc. inchoatur, fuit constructus. Die vero 3.ª Februarii anni 1714 ejusmodi *Causa canonice introducta est*, seu ipsa Sedes Apostolica eam tractandam suscepit; unde non multo post *Processus Apostolici* confecti sunt, Romam delati, et approbati anno 1724, ceteraque omnia rite peracta sunt sub percelebri Lambertinio, qui tunc erat *Fidei Promotor:* unde saepe de hac Causa loquitur in suo immortali opere *De Servorum* Dei *Beatificatione* etc. Ast post haec felicia initia, nullo quidem intrinseco obstante obstaculo, sed vel ob mediorum defectum, vel ob rerum adversas vicissitudines, Causa immota perstitit usque ad nostra tempora. Verum circa annum 1876, cura et sollicitudine Adm. Rev. P. Postulatoris Generalis, jam defuncti, a Patribus Provinciae Thusciae excitati, Causa reassumpta fuit atque alacriter prosequuta; ita ut die 27 Novembris anni 1883 habita fuit Congregatio *Antipraeparatoria* super Virtutibus in gradu heroico etc. Vener. Servi Dei in Aedibus Emin. ac Rev. Cardinalis Thomae Mariae Martinelli, Causae *Relatoris*.

Vener. P. Benedicti habetur *Vita* devote conscripta ab ejus Confessario, nunc autem secundo edita ad Claras Aquas prope Florentiam; et acquiri potest etiam apud Curiam Generalitiam.

—

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1889 celebrata.

XII.

In Apostolico Collegio Sancti Francisci Solani de Rivo Quarto in Republica Argentina, die 31 Januarii anni currentis celebratum est Guardianale Capitulum, praesidente Adm. Revdo Patre Fr. Salvatore Mazza, Commissario Generali, in quo rite et canonice electi sunt:

Guardianus

Rev. P. Fr. Antoninus Cardarelli.

Discreti

R. P. Placidus Sargenti.
R. P. Gregorius Gabosi.
R. P. Constantinus Longo.
R. P. Marcus Donati.

XIII.

Ref. Provincia S. Angeli in Apulia.

Die 18 Julii 1889 in Conventu Padulii rite celebratum fuit Capitulum, Praeside A. R. P. Diomede a Pescocostantio, Comm. Visit. in quo canonice electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Herminius a Vallata.

Custos Vocalis

A. R. P. Dominicus Antonius a Fragneto.

Definitores

R. P. Peregrinus ab Arpaise.
R. P. Anselmus a Fragneto.
R. P. Ezechias a Montefalcione.
R. P. Raphael a Circello.

XIV.

Obs. Prov. Venetiarum.

Die 22 mensis Augusti vertentis anni, rite celebratum est Capitulum hujus Obs. Provinciae, in Conventu S. Francisci Vineae Venetiarum, preside Adm. R. P. Petronio Ugone a Margarita, Commissario Visitatore, et Provinciae Taurinensis Ministro; electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Seraphinus a Bolentina, reelectus.

Custos Vocalis.

R. P. Paschalis a Varisio.

DEFINITORES.

R. P. Bernardinus a Verona.
R. P. Aloysius a Justinopoli.
R. P. Marianus a Palmanova.
R. P. Ephrem a Rotzo.

XV.

Ref. Veneta.

Die 28 Augusti 1889, praeside A. R. P. HERMENEGILDO A CUGNOLIS, celebratum fuit Capitulum in Conventu S. Michaelis Venetiarum, in quo canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Pacificus a Vicetia.

CUSTOS VOCALIS.

A. R. P. Thomas a Vallibus Dominorum, ex-Min. imm.

DEFINITORES.

A. R. P. Franciscus Antonius a Vicetia.
R. P. Mansuetus a Venetiis:
R. P. Amadeus a Verona.
R. P. Stanislaus a Fossa Clodia.

—

FRUCTUS SPIRITUALES

Ref. Prov. S. Stephani in Transilvania a die 15 Julii 1888 ad 15 Julii 1889.

Infantes e christianis parentibus baptizati	491
Sacram. Poenitentiae administratum sanis	29,723
Sacram. Poenitentiae administratum infirmis	248
Sacram. Eucharistiae administratum sanis et infirmis	30,220
Sacram. Eucharistiae administratum infirmis per modum viatici	260
Sacram. Extremae Unctionis administratum	288
Adsistentia matrimonialiter copulatis	112
Conciones	1,367
Catecheses	2,897
Sepulturae mandati	374
Conversi e Calvinismo	10
» e Lutheranismo	1
Conversi e Schismate	2
» ex Arianismo	1
Numerus animarum in parochiis a nobis administratis	11,454
Scholares per nos instituti et catechizati	2,749
Ad III. Ordinem susceptorum numerus	295

Signatum Medgyes die 4 August a. 1889.

FR. EUGENIUS SIMON
p. s. *Minister Provincialis.*

III.

MISSIONES

—

NOVUS COMMISSARIUS GENERALIS

BOLIVIAE.

In Congressu Rmi Definitorii Generalis Ordinis habito in hoc S. Antonii Collegio die 29 Augusti, praesidente Revmo P. Ministro Generali, electus fuit Commissarius Generalis pro Collegiis Missionum Boliviae Rev. Pater JOSEPHUS GIANNELLI, Observantis Provinciae Thusciae, Missionarius Collegii Taratae, ex-Guardianus Collegii, et Praefectus Missionum.

—

STATUS.

Collegii S. Antonii de Caxamarcha in Republica Peruana anno 1889.

Sacerdotes	9
Choristae sive Clerici votor. solemn.	7
Choristae votorum simplicium	2
Laici votorum solemn.	5
Laici votorum simplicium	1
Oblati	4
Juvenes probandi	10
Summatim	38

Ex Collegio de Caxamarcha (vulgo *Cajamarca*), die 4 Julii 1889.

Fr. LEONARDUS DE BADIOLA
Guardianus.

IV.

VARIA.

—

SERIES CAPITULORUM GENERALIUM

ORDINIS FRATRUM MINORUM

S. FRANCISCI.

(Continuatio et finis).

110. 1518. 10 Julii Fr. Christophoro de Forolivio, primo Ministro Generali ex Observantibus, anno praecedenti electo, et mox cardinalitia purpura decorato, Fratres Lugduni hoc anno congregati Fratrem Franciscum Lichetum de Brixia in generalem Ministrum cooptarunt; hic Regularem Observantiam totis viribus promovere adnitens, Germaniam, Bohemiam, Poloniam et Hungariam visitavit; tandem multis variisque laboribus in emolumentum Ordinis functus, anno 1520 Budae, Hungariae metropoli supremum diem piissime obiit (1). Eodem anno ad finem vergente in defuncti locum per vota secreta, quae ipse summus Pontifex Leo X recipiebat, sublectus est Fr. Paulus de Soncino (2), qui

111. 1521. in festo Pentecostes in loco S. Nicolai intra Carpum, a vocalibus ad generalia comitia convocatis in Ministrum generalem cooptatus est (3).

112. 1523. Capitulum generale Burgis in festo Pentecostes celebratum, Patre Ministro generali interim gravi infirmitate Avenione detento, ad munus generalis Ministri evexit Fr. Franciscum Quinonnium, aliàs de Angelis, virum in rebus Ordinis tractandis prudentem, a quo saluberrimae leges latae sunt in primis quoad Fratres arctiorem vitam ducere volentes (4). Anno 1528 dictus Fr. Franciscus resignavit generalatui, et post aliquot menses purpura cardinalitia honoratus exstitit; Vicarius vero generalis electus est Fr. Antonius Calcenas (5).

(1) Annal. Minor. ad hunc ann. De Gubernat. Orb. Seraph. III p. 239.

(2) Annal. ad an. 1520. Orb. Seraph l. c. p. 247.

(3) Orb. Seraph. l. c.

(4) Annal. Min. ad hunc an. Orb. Seraph. l. c. p. 251.

(5) Petri Van den Haute Breviarium historic. Ord. Minor. Romae 1777 p. 230.

113. 1529. Parmae in comitiis generalibus in Ministrum generalem cooptatus est Fr. Paulus Pisottus Parmensis. In hoc Capitulo ordinatum, ut Cismontani statuta generalia Martini V, ultramontani vero (Hispania, Gallia, Anglia, Germania, Belgium etc.) Barchinonensia observent (1); statutumque fuit, ut in electione Ministri generalis fiat compromissio vocum, ita « quod quando eligendus est (Minister generalis) ex Patribus cismontanis ultramontani praesenti determinatione intelligantur compromisisse in eum quem elegerint cismontani et e converso. Item quod in utraque familia cis-et ultramontana capitulum generale celebretur utrobique de triennio in triennium (2) ». Juxta hoc praescriptum habita est generalis congregatio anno 1532 Messanae (3) a cismontanis, et Tolosae ab ultramontanis (4).

114. Niciae, quae tunc sub Sabaudorum ducum potestate erat, in comitiis generalibus « secundum bullam *Unionis* ab ultramontanis Patribus concorditer est electus » in Ministrum generalem Fr. Leonardus Publicius. In his ordinatum, ut Fratribus austeriorem vitam ducere volentibus omne auxilium praestetur, et congregationes generales intermediae abrogentur (5).

115. 1541. Mantuae habita sunt comitia, in quibus Minister generalis factus est Fr. Joannes Calvius (6). His comitiis, ad quae quinque millia Fratrum convenerant, prima vice interfuerunt Fratres *Americani* (7). Quia vero initio anni 1547 generalis Minister vita functus fuit

116. 1547. Assisii in capitulo generali ei successor datus est Fr. Andreas Insulanus. In hoc capitulo multa statuta sunt circa divinum officium et modum regiminis (8).

117. 1553. In festo Pentecostes Salmanticae celebrata sunt comitia generalia, in quibus gubernium Fratrum totius Ordinis commissum est Fr. Clementi Moniliano, qui ut spiritualem

(1) Annal. Min. ad hunc an. Orbis Seraph. III p. 270.

(2) Orb. Seraph. III p. 271.

(3) Ibid. p 274.

(4) Ibid. p. 276.

(5) Ibid. p. 282.

(6) Orb. Seraph. III p. 284.

(7) Breviar. Histor. p. 230.

(8) Orb. Seraph. III p. 288.

profectum et augmentum sanctioris vitae promoveret, statuta variis temporibus condita, in duodecim capitula contracta, edidit, ipsisque eleganter et multo in Ordinem amore, praefatus est (1). Interim anno 1557 Fr. Clemente facto cardinali, Ordinem moderabatur Fr. Angelus de Aversa, Vicarius generalis, quo

118. 1559. capitulum Aquilae convocante, electus est Minister generalis Fr. Franciscus de Zamora « vir admiranda religionis fide et incredibili in rebus agendis dexteritate » qui Oecumenico concilio Tridentino cum Patribus interfuit (2).

119. 1565. Vallisoleti in Hispania a Fratribus in comitiis generalibus in Ministrum generalem eligitur Fr. Aloysius Puteus, vir doctissimus. *His comitiis, nullo antea in ordine exemplo nuncius apostolicus,* Card. Crivellus praefuit (3). In his canones concilii Tridentini stricte observari praeceptum est, et ut unum in toto Ordine Calendarium haberetur secundum ordinem S. romanae Ecclesiae (4).

120. 1571. Capitulum generale Romae celebratum eligit in Ministrum generalem Fr. Christophorum a Capite Fontium, Provinciae Britanniae, qui multa quidem statuta edidit, S. Pio V approbante, quo inprimis pertinet officium Ministri generalis *ad octo* et inferiorum praelatorum ad *quatuor annos* extensum (5).

121. 1579. Parisiis octennio Fr. Christophori absoluto, Fr. Franciscus Gonzaga, Provinciae Venetiarum filius, in Generalem Ministrum cooptatus est. Hic Generalis, vita sanctus, summae prudentiae et in promovendam ubique sinceram disciplinam sancti fervoris multa reliquit documenta; licet ipse per octennium gubernasset, tamen cum ex octennio ipso generalatus non ea, quae promittebantur emolumenta obtineri perspiceret, conscientiae sibi duxit pro revehendo sexennio insistere, quod et auctoritate s. Sedis in sequenti capitulo generali revectum est (6). Fr. Franciscus postquam cardinalatum saepe resignasset, factus est episcopus Mantuanus (1).

122. 1587. Romae ad ministeriatus generalis officium assumptus est Fr. Franciscus a Tolosa, qui per sexennium gubernavit. Per statuta huius capituli « permittuntur Provinciae regi et gubernari iuxta nova atque antiqua provincialia statuta consuetudinesque ex more patriae acceptas, quamdiu huiusmodi consuetudines regulae puritati bonisque moribus minime refragantur (2) ». Hic Minister generalis puritatem Regulae zelans nova statuta, in 50 capitula distincta, et in generali congregatione Neapoli anno 1590 approbata edidit, seminaria clericorum ad praescriptum Concilii Tridentini instituit (3).

123. 1593. Capitulum generale Vallisoleti in Hispania in Ministrum generalem cooptavit Fr. Bonaventuram a Calatajerone, qui multum curae impendit studiis sodalitii franciscani ordinandis (4); ad instantiam sui Definitorii omnia Ordinis statuta denuo compilari jussit, et dein anno 1595 peculiares pro Fratribus Italiae reformatis leges de licentia Clementis PP. VIII compositas edidit (5).

124. 1600. Die 20 Maji Romae in conventu Aracaelitano, praesidente cardinali Borghesio, capitulum generale in Ministrum totius Ordinis elegit Fr. Franciscum a Sosa (6).

125. 1606. Die 3 Maji Toleti in Hispania, fr. Angelus de Messana ad generalem Ministeriatum assumptus est (7).

126. 1612. Romae, sub praesidio Pompeji cardinalis Arigonii, seraphici Ordinis protectoris, in Ministrum generalem assumptus est Fr. Johannes de Hierro, Hispanus, quo brevi dein mortuo (8), electus est in Vicarium generalem coram rege Hispaniae (9) Fr. Antonius de Trejo, qui anno 1615 generalem congregationem Familiae cismontanae habuit Romae (10).

(1) Orb. Seraph. III. p. 298.
(2) Ibid. p. 347.
(3) Breviar. Historic. p. 230.
(4) Orb. Seraph. III. p. 352-3.
(5) Ibid. p. 358.
(6) Chronol. Ord. I. fol. 337. Orb. Seraph. III. p. 366.

(1) Annal. Minor. tom. XXV p. 410. Breviar. Histor. p. 230.
(2) Orb. Seraph. III. p. 369.
(3) Ibid. p. 374-396.
(4) Ibid. p. 397.
(5) Ibid. p. 561.
(6) Ibid. p. 575.
(7) Ibid. p. 595.
(8) Ibid. p. 603.
(9) Breviar. Histor. p. 231.
(10) Orb. Seraph. III. p. 612.

127. 1618. Salmanticae in capitulo generali electus est Minister generalis Fr. Benignus a Genua (1), sub quo in comitiis intermediis Segoviensibus denuo revisa et edita sunt Statuta Barchinonensia, quibus ipse prologum praemisit (2).

128. 1625. 17 Maji, praeside Card. Barberino electus est in Ministrum generalem Fr. Bernardinus a Senis qui nonnullas novitates inducere conatus non paucas in Ordine difficultates excitavit, tandem nominatus episcopus generalatui resignare coactus est (3); in Vicarium vero generalem primum fr. Petrus Jover, et eo mortuo dein Fr. Antonius Eriquez assumptus est.

129. 1633. Toleti in conventu S. Joannis, praesidente Caesare Montio, Nuntio S. Sedis, habita sunt comitia, in quibus in generalem Ministrum cooptatus est Fr. Joannes B. a Campanea, Definitor generalis et ordinis secretarius (4).

130. 1639. Romae in Conventu Aracaelitano in Ministrum generalem electus est Fr. Joannes Merinero. In his comitiis a sanctissimo domino Urbano VIII omnes (i. e. 25) Custodiae fratrum reformatorum cismontanae familiae in Provincias erectae sunt, quibus et praecedentiae locus assignatus est (5).

131. 1645. 3 Junii Toleti in Hispania in comitiis generalibus, sub praesidio Julii Rospiglioso, Nuntii apostolici, electus est in Ministrum generalem Fr. Joannes a Neapoli (6), quo an. 1647 mortuo, in Vicarium generalem electus est Fr. Daniel a Dongo (7).

132. 1651. 1 Junii Romae, praeside card. Francisco Barberino, protectore ordinis, Minister generalis factus est Fr. Petrus Manerus, quo anno 1655 nominato episcopo, qua Vicarius generalis ordinem moderabatur primum Fr. Julianus Perezet, eo mortuo Fr. Joannes de Robles (8).

133. 1658. 8 Junii Toleti, praesidente Camillo de Maximis, Nuntio S. Sedis, ad generalatus officium assumptus fuit Fr. Michael Angelus a Sambuca (1).

134. 1664. 1. Junii Romae, praeside Cardinali Franc. Barberino, protectore, factus est Minister generalis Fr. Ildephonsus Salizanes (2).

135. 1670. Vallisoleti in comitiis, quibus praesidebat Frider. Boromaeus, Nuntius, ad Generalatus officium promotus est Fr. Franciscus Maria Rhini, qui anno 1675 factus est Archiepiscopus syracusanus; et quia distulerat resignationem, summus Pontifex Fr. Franciscum Mariam de Castro S. Petri Ministrum generalem declaravit (3).

136. 1676. 23 Maji Romae, praeside Card. Barberino, supremum Ordinis officium commissum est Fr. Josepho Ximenes Samaniego, qui ad capitulum noluit venire, nisi a Protectore citatus sub obedientia. Hic *votum emisit non acceptandi, nisi forsan adactus, officium extra Ordinem tempore sui gubernii,* quod decursu temporis in legem abiit (4).

137. 1682. 16 Maji Toleti a vocalibus totius Ordinis in Ministrum generalem assumptus est Fr. Petrus Marinus, custos Terrae Sanctae (5).

138. 1688. Romae in Ministrum generalem electus fuit Fr. Marcus Zarzosa, post cujus mortem anno 1690 Vicarius factus est Fr. Joannes Alvin, die 29 Aug. ejusdem anni ab Alexandro VIII. Minister generalis declaratus (6).

139. 1594. Victoriae in comitiis generalis Minister totius Ordinis renuntiatus est Fr. Bonaventura Poerius postea archipraesul Salernitanus factus; Vicarius vero generalis electus fuit Fr. Matthaeus a S. Stephano per Breve pontificium Minister generalis declaratus (7).

140. 1700. Romae, a Fratribus in generali capitulo congregatis, munere Ministri totius Ordinis decoratus est Fr. Ludovicus a Turre, qui anno 1701 obiit. Ob bella, quae capitula celebrari impediebant, successive duo

(1) Orb. Seraph. III. p. 616.
(2) Ibid. p. 621.
(3) Breviar. Historic. p. 231.
(4) Orb. Seraph. tom. IV. p. 27.
(5) Ibid. p. 40-48.
(6) Ibid. p. 114.
(7) Breviar. Histor. p. 231.
(8) Ibid.

(1) Breviar. Historic. p. 231.
(2) Ibid.
(3) Ibid.
(4) Ibid.
(5) Ibid.
(6) Ibid.
(7) Ibid.

Vicarii generales electi sunt a S. Sede Ministri generales declarati, nempe:

Fr. Ildephonsus de Biezma ab an. 1702-1716, et Fr. Josephus Garzia ab 1716-1723, postea episcopus Seguntinus.

141. 1723. Romae in Ministrum generalem electus est Fr. Laurentius Cozza, custos Terrae sanctae, qui dein ob egregia merita 1727 S. Romanae Ecclesiae Cardinalis renuntiatus, in Vicarium vero generalem electus est Fr. Matthaeus Basile a Poreta, a Sancta Sede Minister generalis declaratus; demum nominatus archiepiscopus Panormitanus coronavit Carolum de Bourbon regem utriusque Siciliae (1).

142. 1729. Mediolani in Ministrum generalem electus est Fr. Joannes Soto, cui die 14 Febr. 1736 morte sublato, in Vicarium substitutus Fr. Joannes Bormeja, per summum Pontificem generalis Minister proclamatus est (2).

143. 1740. Vallisoleti electus est Minister generalis Fr. Cajetanus Politi de Laurino; anno demum 1744 Fr. Raphael de Lugagnano factus est Vicarius generalis, a summo Pontifice declaratus Minister generalis (3).

144. 1750. Romae praeside Benedicto XIV P. M. electus est Minister generalis Fr. Petrus Joannetius de Molina (4).

145. 1756. Murciae electus est Fr. Clemens de Panormo, qui obiit Romae in conventu S. Bartholomaei an. 1772 (5).

146. 1762. Mantuae in Ministrum generalem iterum electus est dictus Fr. Petrus Joannetius de Molina (6).

147. 1768. Valentiae Minister generalis electus est Fr. Paschalis a Varisio (7).

Ab hoc tempore cessarunt comitia generalia Ordinis celebrari propter armorum strepitum per plerasque Europae regiones gliscentem atque bella cruenta. Ordini tamen, auctoritate S. Sedis, Ministri generales praeficebantur, quorum seriem hic adponimus.

1792 anno, P. Joachimus a Campanis Minister generalis a Pio PP. VI. nominatus.

(1) Breviar. Histor. p. 232.
(2) Ibid.
(3) Ibid.
(4) Ibid.
(5) Ibid.
(6) Ibid.
(7) Ibid.

1806 anno, P. Hilarius a Montemagno Minister generalis a Pio PP. VII. nominatus.

1814 anno, P. Gaudentius a Lepriniano Minister generalis a Pio PP. VII. nominatus.

1817 anno, P. Cyrillus Alameda et Brea Minister generalis a Pio PP. VII. nominatus.

1824 anno, P. Joannes a Capistrano Minister generalis a Leone PP. XII. nominatus.

1830 anno, P. Ludovicus Iglesias Minister generalis a Pio PP. VIII. nominatus.

1835 anno, P. Bartholomaeus Altemir Minister generalis a Gregorio PP. XVI. nominatus.

1838 anno, P. Josephus Maria ab Alexandria Minister generalis a Gregorio PP. XVI. nominatus.

1844 anno, P. Aloysius a Laureto Minister generalis a Gregorio PP. XVI. nominatus.

1850 anno, P. Venantius a Coelano Minister generalis a Pio PP. IX. nominatus (1).

148. 1856. 26 Maji post octoginta et octo annos, postquam, bellis sedatis, Europa et America partim respirantes novas regiminis induissent formas, Ordini seraphico concessum est Romae sub praesidio piae memoriae Pii IX P. M. comitia, magna cum gaudii manifestatione, celebrare, in quibus in supremum totius sodalitii franciscani moderatorem assumptus est Fr. Bernardinus a Montefranco, Observ. Provinciae seraphicae filius, Terrae Sanctae custos; hic generalatu expleto nominatus est anno 1862 episcopus Terracinae.

149. 1862. 7 Junii Romae in comitiis generalibus, praeside Antonio Maria cardinali de Azevedo, Ordinis Protectore, Fr. Raphael a Ponticulo, Procurator generalis Ordinis, accedente benigno Summi Pontificis peculiari annutu, (habebant enim duo aequalia vota numero 35) in Ministrum generalem cooptatus est; qui usque ad annum 1869 Ordinem cum summa teneritudine conscientiae et amore recti gubernavit; dein laboribus plurimis perfunctus et supervenientibus morbis vexatus, officio se abdicavit, et vitam meditationi atque orationi deinceps solum dicatam piissime terminavit in conventu Aracaelitano die 20 Augusti anno 1870 (2).

(1) P. Alexander a Crecchio, opuscolo Capitulum generale an. 1856. p. 4.
(2) Vid. Circulares epistol. mortem ejus annunciantes.

Posthaec cum furor bellicus rerum publicarum Europae aliarumque partium pacem atque tranquillitatem interciperet, comitiaque Ordinis cogi non possent, paterna sollicitudo Pontificis Maximi anno 1869 19 Martii, modo uti potuit magis adcommodo, reverendissimum patrem Bernardinum a Portu Romatino, Reformatae Provinciae Venetiarum filium, jam Procuratorem generalem Reformatorum, Ordini praefecit; qui cum ut Minister generalis totius Ordinis concilio Vaticano interfuisset et Fratres sibi commissos zelose gubernasset anno

1881 a sanctissimo Patre LEONE XIII, praemissis alias praemittendis, et sublecto novo Definitorio generali iterum confirmatus est. Tandem precibus ejusdem reverendissimi Patris Ministri generalis, summus Pontifex LEO XIII consentiens, indulsit, ut die 3ª Octobris anni 1889 sub praesidio Eminentissimi Domini Cardinalis Simeoni, Protectoris Ordinis nostri benevolentissimi,

150mum *Capitulum Generale Ordinis* (1),
in collegio divi Antonii Patavini prope Lateranum,
solemni ritu celebretur;
quod Domino auspice
felix faustumque sit.

V.

BIBLIOGRAPHIA

ANONYMUS CAP. — Cenni biografici dell' Emo Cardinale Massaja, cappuccino morto il 6 Agosto. — Milano, Tip. Boniardi-Pogliani, via Unione, 20, Pag. 32. (Estratto dagli *Annali Francescani* di Milano, fascicolo 15 agosto 1889.

APOLLINARIS (P.) A VALENTIA, Min. Cap. — Mémoires pour servir à l'histoire de la Mission des Capucins dans la Régence de Tunis (1624-1865), par le R. P. Anselme des Arcs, Religieux de cet Ordre, Missionnaire apostolique: revus et publiés par le R. P. Apollinaire de Valence, du même Ordre. — Rome, Archives Générales de l'Ordre des Capucins, Place Barberini. 1889. Pag. 188.

(1) Conf. Litteras Encyclic. Rmi Ordinis Ministri Generalis 26 April, 1889.

JACOBUS (P.) A CASTELMADAMA, Observ. Provinciae Romanae, actualis Terrae Sanctae Custos. — Orazione funebre del Rmo Vincenzo Bracco, Patriarca di Gerusalemme, defunto il 19 Giugno 1889. — Stamperia dei Padri Francescani, Gerusalemme.

JULIUS (P.) A SACRO CORDE, Min. Obs. — Le Tiers-Ordre de St. François d'Assise: Rapport présenté à la 18e Assemblée Générale des Catholiques de France à Paris (14-18 Maji 1889) par le R. P. Jules du Sacré-Cœur, Franciscain de l'Observance. Bordeaux, Bureaux de la Revue Franciscaine, 38, Rue de la Teste, (pag. 23).

PAULUS MARIA, Min. Obs. — Enchiridion seraphicum, continens Regulam et Testamentum S. P. N. Francisci, cum precibus et pietatis exercitiis, ex variis auctoribus praesertim Ordinis Minorum compilatum, adjectis quibusdam formulis Benedictionum usitatiorum, ad usum Missionariorum Ordinis Minorum. Bordeaux, Imprimerie du Midi, 91 Rue Porte Dijeaux, 91, 1888. In-32, pag. 582. (Pretium 1 fr. 50 et franco 1,75). Peti potest a Patribus Franciscanis, *rue de Pessac 202, Bordeaux (Gironde)* France.

P. MARIANUS SIRCA Ref. Prov. Croatiae-Carnioliae S. Crucis. — Brevi Notizie intorno all' antico Santuario della Madonna delle grazie in Tersatto. Fiume, 1889.

P. NICOLAUS LEPSÉNYI, reformatae Provinciae S. Mariae in Hungaria, edidit lingua hungarica (Magyar): 1. Szent beszédek az év minden Vasár-s ünnepnapjára. *Latine:* Sacri sermones pro omnibus diebus dominicis et festivis. Pozsony-Posonium, 1888.

2. Válasz Masznyik Endre ürnak Luther Élete czimü munkajára. *Latine:* Responsio domino Andreae Masznik ad librum de vita Lutheri inscriptum. Editio secunda. Pozsony-Posonii. 1889.

PIUS A NEPTUNO, Min. Obs. — De Interpunctione, opusculum ad usum seminarii Xan-Tum Septentr., (in Imperio Sinensi) auctore Fr. Pio a Neptuno, M. O. Superiorum permissu. Zinanfu, ex Typografia Missionis Catholicae, 1889.

Sac. DARIO MOROSI. — Vita di S. Lodovico IX, Re di Francia, Patrono dei Terziarii Francescani per il Prof. Sac. Dario Morosi.

Firenze, Tipografia di Raffaello Ricci, Via de' Ginori 15, 1889, pag. 150. (L. 0, 50, e alle Congregazioni del Terz' Ordine si rilasciano per L. 10 ogni 25 copie, franche di porto in tutta l' Italia).

VI.

NECROLOGIA

R. P. Aemidius Farinelli a Falconara Observ. Provinciae Marchiae, primam lucem aspexit anno 1834 in oppido Falconara ad littus maris Adriatici prope civitatem Anconensem. A tenero Deum timere et ob illum, proximum quemque praeprimis vero infirmos, magno semper amoris et pietatis sensibus prosecutus est; qui amoris sensus in juvene jam adultiore, imprimis ab anno 1850 ex quo Ordini seraphico in praefata Provincia nomen dedit, tam mire explicabantur, ut sacerdotio auctus toto pectore, ubi per injuncta officia licuit, exercitio caritatis se consecraverit. Haud raro, uti sanctorum exemplis docemur, vult Deus, ut sibi a certis hominibus etiam certo quodam et peculiariter determinato serviatur modo, quod et in P. Aemidio observamus. Fuit is per annos 20 Prior *Congregationis,* quae nomen a « caritate » habens, caritatem opere in dies monstrabat, eodem magistro et duce; multa cura complexus est et hospitale dictae civitatis Camerinensis, Brefotrophium et Orphanotrophium, omnibus propter Jesum omnia factus, se cunctis patrem, magistrum, ducem, tutorem et consolatorem exhibuit. In sua Provincia ob virtutes religiosas, quas omni nisu in dies augere contendebat, admodum aestimatus, Guardiani et Definitoris functus est munere. Theologica et philosophica scientia adeo pollebat, ut emeruerit nominari examinator prosynodalis ejus archidioecesis, socius Academiae s. Thomae Camerinensis, et vice postulator in causa canonizationis B. Baptistae Varani.

Demum, qui totus caritati vixit, caritatis quoque victima fieri debuit; nam morbo, quem in hospitali inserviendo contraxerat, per mensem fere vexabatur; quo tandem sublatus piissimam animam Creatori suo placidissime reddidit die 18 Maji anni curr. in Conventu Camerinensi. R. I. P.

Die 22 Junii a. curr. in suppressa Provincia Immac. Concep. B. M. Virginis in Borussia, omnibus Sacramentis moribundorum rite provisus, pie obdormivit in Domino Adm. R. P. Onuphrius Laskowski, bis ex-Minister Provincialis et custos actualis, vir ob virtutes religiosas summe colendus et de Provincia bene meritus.

Natus in villa Karmiere, Dioecesis Culmensis in Borussia occidentali die 1 Septembris 1805 et in Baptismo Jacobi nomine vocatus, parentes habuit simplices ruricolas, qui tamen catholicae religionis doctrina optime imbuti, opere conabantur explere, quod ore confitebantur et filios suos in sancto Dei timore educare satagebant.

Jacobus die 10 Junii 1823 Ordinem nostrum in Reformata Provincia Mariano-Borussica B. M. Virginis Assumptae amplexus est, ubi, anno 1824, emisit vota solemnia et anno 1829 sacerdotio initiatus est.

Officio Concionatoris, Guardiani, Definitoris, bis Ministri Provincialis, et Custodis successive functus, in quibus officiis, semper professionis suae memor, Dei gloriam, Fratrum et fidelium salutem unice promovere satagebat.

Exilii poenam, ob suppressionem Provinciae sibi impositam, patienter ferebat. Ultimo aetate provectus et apostolicis laboribus attritus, die ut supra, placidissime obdormivit in Domino. R. I. P.

Provincia nostra Recollectorum Belgii gravem subiit jacturam in obitu praematuro R. A. P. Victorini Cartuyvels. Vir ille, aeterna memoria dignus, ex perhonesta et religiosissima familia in civitate Trudonopolitana progenitus, primam lucem respexit die 13 Julii 1839, et eodem die sub nomine *Joannis-Alphonsi* regenerationis sacramentum suscepit.

Pie a piissimis parentibus educatus, a primis annis virtutes excolere coepit; narratur enim de ipso quod denarios, quos a patre aut matre accipiebat, ex compassiva charitate illos pauperibus distribueret, quodque singulis sabbatis tertiam tantum partem sui jentaculi in honorem B. Mariae Virginis sumeret et in variis civitatis ecclesiis, ubi preces XL horarum celebrarentur, tam ante quam post scho-

lam Sanctissimum Sacramentum mira pietate adoraret.

Litterarum studia summa cum laude in patrio Collegio absolvit anno 1857, et mox, illecebras saeculi fugere seque totum Deo mancipare volens, ad Minores Recollectos convolavit; ubi ipsa die festi S. P. N. Francisci ejusdem anni habitum Seraphicae Religionis induit sub nomine *Fratris Victorini*, et, laudabiliter exacto tyrocinio, in gaudio spiritus Professionem emisit die 5 Octobris 1858.

Deo sic per sacra vota adstrictus, virtuti et religioni ita assuevit ut ex tunc eam indueret morum gravitatem, quam postea in tota vita sua retinuit. Studiis Philosophicis primo, dein Theologicis pari diligentia et ingenio incumbebat, idque tali successu, ut constanter inter meliores alumnos computaretur, et superiores non modicam spem nutrirent fore ut juvenis modestus, et in oratione et studio assiduus, aliquando Provinciam opere et sermone illustraret; quod quidem ita evenisse cernimus.

Vix enim anno 1862 sacerdotio initiatus, Vicarius Conventus Antuerpiensis instituitur, quod munus ita exercuit, ut in sequenti Capitulo Provinciali, quamvis vigesimum octavum aetatis annum nondum attigisset, omnium vocalium votis Guardianus Conventus Lokerensis fuerit electus. Post triennium anno 1869 Provinciae Definitor et Secretarius eligitur; quibus officiis expletis ad Guardianatum Gandavensem assumitur et in sequenti Capitulo ad Provinciae Custodiatum evehitur. Tandem in Capitulo anni 1878 Minister Provincialis renunciatur; quo officio per sex annos continuos (quippe qui reelectus fuerat anno 1889) functus est summo zelo, auctoritate atque prudentia.

Ab anno 1884 stabiliter in Conventu Antuerpiensi commoratus est, nisi quod anno 1886 Provinciam Germaniae Inferioris visitaverit et ejusdem praefuerit Capitulo. Ad suos a sacra Visitatione reversus, omnibus charus, sacrum ministerium in praedicto Conventu exercuit, et tum per ferventes conciones, tum per assiduam Sacramenti Poenitentiae administrationem omnium sibi devicit animos. Sed, eheu! Vir optimus, vix quinquagesimum aetatis annum praetergressus, ibi lethali morbo corripitur et sensim ad extrema devenit. Quanta autem aedificationis argumenta tempore infirmitatis suae praebuerit, difficile est enarrare: Cum confessarius in Vigilia festi Portiunculae, jussu medici, dilecto Patri nunciaret, quod ultimis Sacramentis deberet muniri, exhilarato animo respondit: « Deo Gratias! Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus »! et ab illo momento in eadem mentis laetitia usque ad mortem perseveravit. Vespere ante obitum rogavit a Medico, utrum posset vivere usque mane? Cui ille: « Pater Reverende, non puto »; aegrotus, ipsi gratias agens, ejus manum ad se attraxit, eamque deosculavit. Deinde dixit Confessario: « Velis vocare P. Guardianum »! Cui tum gratias egit pro paterna sollicitudine et adjunxit: « Pater Guardiane, rogo pro ultima gratia, ut mihi per obedientiam mori praecipias »! Superior turbatus ob talem petitionem, cum lacrymis respondit, se hoc facere non posse, cum pro ejus vita, non pro morte, omnes Deum deprecarentur; verum aegrotus institit, donec P. Guardianus ejus petitioni morem gereret. Paulo post hora 2 matutina festi B. Mariae V. ad Nives, Deo et hominibus amabilis, ad caelos, uti confidimus, evolavit. R. I. P.

A. V. P. Augustinus Moeller. Natus Frideslariae in Hassia inferiori die 10 Januarii 1827, Ordinem nostrum ingressus est in Conventu Fuldensi, Custodiae S. Elisabeth Thuringiae, die 29 Maji 1847. Ab anno 1850, quo sacerdotio initiatus est, usque ad mortem strenue laboravit in cura animarum, indefessus semper in praedicando verbo divino atque in confessionibus fidelium excipiendis. Anno 1867 parochus praesidii militaris, necnon concionator ecclesiae cathedralis Fuldensis nominatus fuit, quibus officiis usque ad mortem magno zelo functus est, et laudem auctoritatis tum ecclesiasticae tum civilis meruit. Suppressionem Religiosorum in Borussia summopere semper deploravit; ac ideo maxima consolatione repletus, quando pluribus abhinc annis redire potuit ad Conventum, pro cujus restauratione tantum laboraverat. Anno elapso electus fuit Custodiae Discretus. Denique, non gravi aetate, sed multis laboribus fractus, die 10 Augusti a. c. pie in Domino obdormivit. R. I. P.

Nihil obstat
Fr. Bernardinus, Min. Gen.
Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

ACTA ORDINIS

—

ELECTIONES CAPITULI GENERALIS.

Acta Capituli Generalis mox daturi, in hoc fasciculo publicandas censuimus electiones Definitorii Generalis Ordinis, quae, auspice B. P. N. Francisco, summa pace et animorum concordia, factae sunt, et quidem die 3 Octobris Reverendissimi Patris Ministri Generalis totius Ordinis Minorum, die 7 trium Procuratorum Generalium, 11 vero Definitorum Generalium. — Novum porro Definitorium Generale constituunt:

Reverendissimus Pater Minister Generalis: **ALOYSIUS DE PARMA**, Obs. Provinciae Bononiensis, ex-Minister Provincialis, Lect. Jub.

Procurator Generalis Ordinis: A. R. P. *Raphael ab Aurilaco*, ex-Minister obs. Provinciae S. Ludovici in Gallia, et ex-Definitor Generalis.

Procurator Generalis Reformatorum: A. R. P. *Diomedes a Pesculo-Constantio*, Ref. Provinciae S. Bernardini Aprutiorum, ex-Minister.

Procurator Generalis Recollectorum et Discalceatorum: A. R. P. *Aloysius Lauer*, Custodiae Recoll. S. Elisabeth Thuringiae ex-Custos, et ex-Definitor Generalis.

DEFINITORES GENERALES.

a) pro Observantibus.

1. A. R. P. *Bernardinus a Ferentino*, Obs. Provinciae Romanae, Lect. Jub., ex-Secretarius Generalis Ordinis, ex-Definitor Generalis et ex-Minister Provincialis.
2. A. R. P. *Petrus a Monsano*, Obs. Provinciae Marchiae, ex-Minister Provinciae S. Hieronymi in Dalmatia et ex-Secretarius Generalis Ordinis, Lect. Jub.
3. A. R. P. *Bernardinus Orellana*, Obs. Provinciae Fluvii Platensis in America merid., ex-Minister.
4. A. R. P. *Aloysius Rados*, Obs. Custodiae Hercegovinae, ex-Custos.
5. A. R. P. *Remigius Buselli*, Obs. Provinciae Tusciae, Lect. Jub. et Commissarius Terrae Sanctae Liburni.
6. A. R. P. *Raphael a Paterno*, Obs. Provinciae Principatus, Lect. Jub.

b) pro Reformatis.

1. A. R. P. *Irenaeus a Torcenio*, Ref. Provinciae Tridentinae, Lect. Em. et ex-Secretarius Generalis Strictioris Observantiae.
2. A. R. P. *Ladislaus a Canepina*, Ref. Provinciae Romanae, Lect. Em.
3. A. R. P. *Rosarius a S. Margarita Belicis*, Ref. Provinciae Vallis Mazariae, ex-Def. et Lect. Theol.

4. A. R. P. *Petrus Budziak*, Ref. Provinciae Galiciae in Austria, ex-Def.

c) PRO RECOLLECTIS ET DISCALCEATIS.

1. A. R. P. *Julius a Jesu et Maria*, ex-Minister Discalceatae Prov. Neapolis.

d) PRO MISSIONIBUS.

1. A. R. P. *Leonardus Cortes*, ex-Commissarius Generalis Reipublicae Peruanae.

—

SERMONES

IN CAPITULO GENERALI PRONUNTIATI.

—

I.

DE SANCTO P. N. FRANCISCO SERMO

IN CAPITULO GENERALI ROMAE 25 SEPT. 1889 RECITATUS

A P. FR. IGNATIO JEILER

RECOLL. PROVINCIAE SAXONIAE S. CRUCIS

PRAEF. COLLEGII S. BONAVENTURAE AD CLARAS AQUAS

Reverendissime Pater; admodum Reverendi et summa observantia colendi Patres!

Praeter hominum exspectationem fauste nunc evenisse cernimus, ut inter procellas aetatis nostrae turbulentas atque atrocia quaeque comminitantes post longum temporis intervallum congregari in unum potuerint spectatissimi ex toto Ordine et orbe Patres, ad gravissima Ordinis negotia communi consilio expedienda. Prosperum hunc eventum adorandae illi providentiae, quae *attingit a fine usque ad finem et omnia disponit suaviter* (1) cum gratiarum actione attribuendum esse, una et mente et voce vos pronuntiare, minime est dubitandum.

Alia etiam res est, quae non sine arcana quadam ejusdem Sapientiae dispensatione facta esse mihi videtur. Cum enim Capitulum Generale secundum ipsius Regulae dispositionem et consuetudinem antiquam, rarissime in decursu saeculorum interruptam Pentecostes tempori sit affixum; hodie, appropinquante festo S. P. N. Francisci die, congregati estis, ut ita dicam, *sub umbra alarum* (1) seraphici fundatoris ac protectoris. Nec puto, me temeritatis cujusdam notam incursurum, si ipsa hac re, quasi fausto quodam omine, pignus vobis securum datum esse asseram, quod ipse S. P. N. Franciscus virtutem et sapientiam desuper descendentem vobisque assistentem exoraturus sit, ut in omnibus secundum DEUM Ordinis utilitati providere possitis, imprimis ut ex tanto vestrum numero Patrem communem et Ministrum Generalem designare queatis inter omnes aptissimum, qui navem pauperculae nostrae Religionis, in puppi sedens clavumque tenens, inter intumescentes tempestatum fluctus fortiter gubernare et ad salutis portum feliciter dirigere valeat. Quinimmo, beatum Patrem nostrum non tantum orationis et benedictionis suae efficacia vobis esse succursurum, sed etiam praesentem inter vos fore spiritu paternoque amore, minime dubitandum esse videtur. Teste enim Sancto Bonaventura (2), Seraphicus Pater, dum adhuc in vivis erat, non tantum oratione Fratribus loco distantibus et in Capitulis Provincialibus congregatis succurrere solebat, sed etiam spiritu praesens assistere. Immo idem narrat, ipsum aliquando mira DEI virtute se exhibuisse visibiliter praesentem et extensis velut in Cruce manibus fratres benedicentem. Hoc in quodam Capitulo Arelatensi evenisse, triplici testimonio ab eodem comprobatur, dum, ut ait, « egregius praedicator, qui et nunc Christi praeclarus confessor, Antonius de titulo Crucis Christi fratribus praedicaret ». Nunc autem, postquam ad coelos anima beatissimi Patris evolavit, minime ipsius paternus erga filios amor defecit vel diminutus est. Non igitur hodie in domo S. Antonii deerit exoptata ejusdem praesentia, non quidem visibilis et corporalis — quia non expedit mirabilia desiderare — sed ipsius praesentia in spiritu, quae est vobis quam maxime desiderabilis et opportuna.

Multum tamen expediret, ut in locum hujus suggesti, quem ego insufficiens per omnem modum ob auctoritatem Superiorum

(1) Sap. 8, 1.

(1) Psalm. 16, 8.

(2) Legenda major c. 4.

occupare ausus sum, alius successisset veritatis evangelicae interpres, S. Antonio non tanto dissimilis, qui Crucis verbum eaque omnia panderet, quae ipse seraphicus Pater, Christi Crucifer et praeco Summi Regis, si visibilis hic assisteret, vobis pro salute communi dicturus esset. Tali enim DEI servo et a Spiritu sancto illuminato praeconi competeret, ut non tantum ad bona et meliora facienda instrueret, admoneret, accenderet, sed etiam ea mala, quae DEO in nobis displicent, omnia in lucem proderet, corrigeret et corriperet. Quid enim? Num praesumere possumus, S. Patrem nostrum, qui divina claritate absorptus bona malaque aequa lance pensat, non nisi commendanda et laudanda in Ordine toto et in singulis membris observare et approbare? Absit a nobis talis obcaecatio. Timendum est nobis potius, ne, cum plura invenerit objurgatione quam laude digna, saepius audienda nobis sint verba apostolica: *Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc,* in his, *non laudo* (1)!

Ego vero, ipse correctione indigens et rerum in Ordine tractandarum satis imperitus, coram sapientioribus volo potius de multis tacere, quam attentare quod vires meas excedit. Attamen *unam* coram vobis proferam sententiam nulli controversiae expositam nec a re alienam nec inopportunam, sed, fatentibus, puto, vobis omnibus, rerum et temporum conditioni quam maxime accommodatam. Vulgaris ipsa quidem et obsoleta fortasse videri posset; nec diffiteor, nullo non tempore eam omnibus Fratribus Minoribus propositam fuisse et nullo futuro non proponendam esse. Nihilominus — et hoc est, quod pro viribus ostendam — nihilominus ipsa *ratio hodierni temporis* ac rerum publicarum Ordinisque conditio vehementer expostulare videntur, ut haec sententia tanquam vitae morumque lex ac regula nunc omnibus Fratribus instanter, instantius et instantissime proponatur ac imprimatur, tanquam prolata non ore meo, sed ore veridico sanctissimi Patris nostri ac legislatoris.

Videor igitur mihi in hoc momento aspicere seraphicum Patriarcham oculos suos paterno affectu ad vos conjicientem et summa vi et gravitate verba Apostoli vobis inculcantem: *Rogo vos, fratres, imitatores mei estote, sicut et ego* CHRISTI (1). — In his verbis vitae pro modulo meo meditandis sinite me paulisper commorari, licet nudo utar ac simplici orationis genere, quale veritatis proprium esse ab antiquo quodam sapiente (2) dictum est. *Vera* enim, non verborum folia, vos velle, mihi persuasum est; immo verenda mihi esset et vestra et S. P. N. Francisci reprobatio, si flosculos orationis colligens, phrasium lenociniis vellem aures demulcere.

Ad te autem, Pater benedicte, levo oculos meos: « O Patriarcha pauperum, tuis precibus succurre filiis miseris, quos cancellatis manibus caecutiens, ut moriens Jacob, benedixisti. Nam increscunt gemitus ovium tuarum (3) »!

1. Supervacaneum prorsus et coram vobis, viris sapientia praestantibus, erubescendum mihi esset, verba profundere ad probandum, quod tanti Patris vita filiis suis debeat esse norma vivendi, quemadmodum ducem sequi debet exercitus, et boni magistri vestigiis insistendum est disciplo. Si nos secus faceremus, quod absit, si verbis tantum, refragante vita, gloriari placeret: Patrem habemus Franciscum; in eandem incideremus maledictionem, quam incurrebant illi Judaei, quos, cum dixerint: *Pater noster Abraham est,* objurgavit CHRISTUS: *Si filii Abraham estis, opera Abrahae facite* (4). Ita etiam quoad nos DEUS, judex justus, proclamat: Si filii Francisci estis, opera Francisci facite; quaerite, despicite, amate, operamini, quae ipse quaesivit, despexit, amavit, operatus est: quaerite cum ipso « *quae sursum sunt* », despicite *quae sunt super terram* (5); amate DEUM puro corde, confitemini: DEUS meus et omnia; operamini *fructus lucis in omni bonitate et justitia et veritate* (6). Unde in omnibus *ambulate, non secundum carnem et mundum* neque *secundum hominem,* sed in *novitate vitae,* CHRISTO *commortui* et *consepulti; quorum conversatio est in coelis* (7).

(1) I. Cor. 11, 22.

(1) I. Cor. 4, 16.
(2) Ab Euripide.
(3) In Missa festi S. P. Francisci.
(4) Joan. 8, 39.
(5) Coloss. 3, 1. 2.
(6) Ephes. 5, 9.
(7) I. Cor. 3, 3; Gal. 5, 25; Rom. 8, 4; 6, 4; Phil. 3, 20.

2. Haec igitur infallibilis regula pro nullo tempore, pro nullo Fratre Minore derogata unquam vel fuit vel erit. Attamen, ut jam innui, ipsa temporis rerumque in quibus versamur ratio et non obscura divinae voluntatis dispositio expostulare videntur, ut altiore voce proclamanda sit et a toto Ordine obsequentius audienda illa Patris nostri exhortatio: *imitatores mei estote,* quasi dicat: *Nunc est tempus acceptabile* (1); totis viribus contendite, ut, si non *assequi* potestis exempli mei perfectionem, saltem et *sequi* constanter vestigia mea conemini et praecepta mea fidelissime observare. Facite primo quae feci, et tunc, tanquam summi Regis praecones, docete populos et factis et verbis quae ego prius docui « tam factis quam frequentia melliflui sermonis (2) ».

3. Quod autem reapse ipsa nostrae aetatis conditio stimulos nobis acres admoveat, ut tandem, deposita socordia atque desidia, genuinum et primitivum S. Patris spiritum induamus; perspectum quisque habebit, qui vel leviter secum considerare voluerit tria haec: tum quod *respublica christiana* ipsaque *societas humana* novis et perniciosissimis malis nunc opprimatur et ruinae fere proxima sit; tum quod ad hanc perniciem depellendam Ordines religiosi et speciatim filii S. Francisci magnum subsidium animo generoso praestare teneantur; tum quod arduae hujusmodi vocationi idonei aptique nullatenus esse poterimus, nisi *renovati spiritu mentis nostrae* (3), paupertatem altissimam, humilitatem profundissimam et seraphicam caritatem Ssmi Patris nostri magis aemulari satagamus.

4. Quoad describenda inaudita mala saeculi nostri, mala religiosa, moralia, civilia, socialia, parcere possum verbis, cum unusquisque vestrum plura mala ipse viderit oculis, audiverit auribus suis, quam ego verbis potuerim exprimere! *Videtis* enim inter eos quoque, qui nomen christianum adhuc profitentur, infinitos homines ita in foedissimo eodemque tenacissimo mundanarum et carnalium cupiditatum coeno haerentes terraeque ita affixos, ut, submersi *in limo profundi* (4), ad divina vix aspirare possint. — Videtis etiam — et hoc est periculum nostrae aetati proprium — videtis novam paganorum doctrinam et vitam, antiqua illa incomparabiliter pejorem, ubique se jactantem, immo dominantem in guberniis, in consiliis, in tribunalibus, in scholis, in libris et infinitis foliis periodicis, quae, similia locustarum catervis, nihil relinquunt intactum, nihil non praerosum. — Videtis indomitam quandam et effrenatam opinandi et agendi licentiam, quae certissima vera quaecumque in dubium vocat, ipsa ad fabulas conversa; quae ordinata quaecumque bona perturbat atque ipsa societatis humanae fundamenta subfodit. — Videtis atras legiones inimicorum Crucis CHRISTI, sacrilego foedere congregatas, per omnes orbis partes diffusas et adjutrices sibi ex longinquo manus extendentes.

Auditis clamores proelii acerrimi contra nomen CHRISTI undique circumsonantes; auditis voces evomentes maledicta ac blasphemias contra Ordines religiosos, contra Clerum, contra Sedem Apostolicam, contra Ecclesiam DEI et CHRISTUM ejus! — Auditis undique a baptizatis apostatis conclamatum idem illud *Crucifige; eradamus eum de terra viventium* (1), quod olim ex ore Judaico circumsonavit DOMINUM Salvatorem et DEUM nostrum.

5. Observate etiam, quo *successu* inimici Crucis jam profecerint in consiliis et inceptis suis! Oculis vestris obversantur mala sanctam DEI civitatem longe lateque inundantia: videtis Summum Ecclesiae caput et Patrem oppressum et quasi captivum in Vaticano; videtis urbem sacerdotalem profanatam; videtis episcopatum clerumque multis in locis jugo et oneri iniquarum legum suppositos; videtis Religiosos sacrasque Virgines passim exturbatos e sacris recessibus; videtis templa, conventus, monasteria plurima destructa, vel profanis usibus destinata. Profecto, exclamandum est nobis cum Psalmista: *Quanta malignatus est inimicus in Sancto... Quasi in silva lignorum securibus exciderunt januas ejus in idipsum; in securi et ascia dejecerunt eam* (2). Et iterum: « DEUS, *venerunt gentes in hereditatem tuam; polluerunt templum sanctum tuum; posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam... Facti sumus*

(1) II. Cor. 6, 2.
(2) Officium S. Francisci.
(3) Eph. 4, 23.
(4) Psalm. 68, 2.

(1) Jer. 11, 19.
(2) Psalm. 73, 3. 5. 6; Psalm. 78, 1. 4.

opprobrium vicinis nostris, subsannatio et illusio his qui in circuitu nostro sunt ».

6. Haec de malis deplorandis et depellendis! Quod autem ad religiosos Ordines speciali quadam ratione spectet, succurrere militanti Ecclesiae; hoc, omissis aliis multis rationibus, jam ex agendi ratione ab ipsis adversariis inita concludi potest. Ab hostibus disce! Quam igitur viam tenuerunt a saeculo adversarii CHRISTI, ut subruerent, si fieri posset, Ecclesiae fundamenta? Primam proelii aciem direxerunt contra *Ordines religiosos;* hos catenis alligare, spiritu mundano depravare, saecularizare, destruere quoquo modo attentarunt et magna ex parte haec perfecerunt! Quid ulterius fecerunt? Falsificantes verborum sensum, novum quendam *ordinem,* ut dicunt, sibi fabricaverunt, et eundem deplorando successu substituerunt eo loco, quem in societate christiana ab antiquo in bonum commune occupaverant Ecclesiae Ordines instinctu Spiritus S. instituti, ordinem scilicet propagaverunt non religiosum, sed profanum, spiritu mundano, immo diabolico animatum, antichristianum, non sacris votis, sed tenebroso falsi juramenti ligamine constrictum et per totum orbem diffusum; quandam scilicet catervam funestam, multitudine copiosa, impigra industria, horrenda potentia et audacia catholicis Ordinibus in mundanis valde praevalentem.

7. Et quod culmen est nefariae impietatis, princeps iste tenebrarum hanc suam synagogam substituere conatur loco ipsius sacrosanctae Ecclesiae, quae est sponsa et corpus Verbi incarnati; nec veretur prava quadam et petulantissima imitatione exprimere vel potius deridere quidquid sanctius colitur in Ecclesia DEI: unde satellitibus suis pro sacro altari substituit sedem profanam, pro pane vitae proponit mortua capitis ossa, pro gratia SPIRITUS SANCTI vitiorum squalores, pro luce supremae veritatis fabulas tenebris et secretis obvolutas; pro Cruce miseri isti tenent districtum ensem; *extollentes se super omne, quod dicitur* DEUS *et colitur* (1), gloriantes in mysterio suae iniquitatis seque jactantes, quod nihil habeant divinum, sed pure humana omnia; nihil sacrum, sed omnia profana, sine fide, sine spe, sine Salvatore, sine paradiso quaerendo, sine inferno timendo; atque indefesso labore omnia moliuntur, ut, prostrata CHRISTI cruce, totum orbem commutent in synagogam Satanae!

8. Urgentibus his reipublicae christianae periculis, prae ceteris officium est Ordinum religiosorum, diabolico illi falsi nominis ordini ejusque impetuosae aggressioni obviam se objicere. Ad nos igitur imprimis spectat summo obsequio audire vocem sanctissimi Domini nostri LEONIS XIII., orbem catholicum sic alloquentem: « Viris, inquit, catholicis *nefas* omnino est, in tantis periculis *indormire,* vel *leviter occurrere,* sed esse oportet in sua fide profitenda animosos, in tuenda stabiles; alacres quoque et paratos ad quasvis jacturas, si res postulent, pro ipsa faciendas »!

Viris igitur catholicis *nefas* est omnino vel *indormire,* vel *leviter occurrere* »! *Viri catholici?* Hoc titulo cum quadam eminentia gloriamur *nos,* nos, quos *filiorum* nomine honorat « Franciscus, *vir catholicus* et totus apostolicus », Franciscus, illa columna Ecclesiae validissima, quam, teste Thoma a Celano (1), Innocentius papa III in somnis vidit Lateranensem ecclesiam jam ruinae proximam humeris suis sustentantem. — Quis dubitet, quin haec sanctissima columna Ecclesiae, si vivens assisteret in hoc Capitulo, certo certius vocem elevaturus esset, vobis magna vi inclamans: Filii mei, *viri catholici, rogo vos, imitatores mei estote.* Nullum pro Ecclesia sacrificium sit vobis nimis grave. Quanto magis mundus apostaticus infremit et insurgit contra CHRISTI Ecclesiam, tanto devotius subjecti sitis pedibus s. Romanae Ecclesiae; quanto insanius desciscit a CHRISTO, tanto pressius sequimini Crucifixum et me concrucifixum, ut *sitis sine querela et simplices filii* DEI, *sine reprehensione, in medio nationis pravae et perversae, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo* (2); et quanto furiosius inimici Crucis insectantur nomen et verbum CHRISTI, tanto animosiores pugnate ut strenui CHRISTI milites, et tanto efficacius praedicate mundo Crucem, primo quidem vita vestra Crucifixo conformata, deinde frequentia vivifici sermonis!

9. Auditis igitur his nostri antesignani et Patris verbis, degeneres spuriosque filios ipsi

(1) II. Thess. 2, 4.

(1) Memoriale p. I. c. 11.

(2) Phil. 2, 15.

deberemus nos judicare, si in animis nostris eadem profunde insculpta non retineremus! Ast *non auditores legis justi sunt apud* DEUM, *sed factores legis justificabuntur* (1); et S. Pater noster Franciscus *opera* requirit, non proposita verbaque inania.

Nec etiam sufficit, ut, ipsi quidem a malo abstinentes, complicatis manibus, non vacemus nisi lamentationibus querimoniisque de aetatis nostrae perversitate.

Denique non sufficit nec proficit — hoc constat — *inertes* nos *gloriari* tantum de memoria et antiqua Ordinis nostri gloria et sanctorum fratrum nostrorum virtutibus laboribusque. Nam inertium gloriatio de meritis majorum non est *gloria,* sed *verecundia,* ut ipse Beatus P. N. Franciscus in suis Admonitionibus testatur: « Magna, inquit, *verecundia* est servis DEI, quod Sancti fecerunt opera, et nos, recitando et praedicando ea, volumus inde recipere gloriam et honorem ».

10. Quid igitur, quaero, nobis faciendum erit? Non defuerunt qui clamaverint: Reformemus *Ordinem!* Quomodo igitur? Novam, inquiunt, teneamus vitae rationem, qualem temporum progressus auctaque miro modo scientiarum morumque cultura et elegantia expostulat. Majori cum praesenti saeculo conformitate necesse est renovemus Ordinem, qui hucusque in senili quadam ineptitudine obtorpuit. Eliminemus igitur quae displicent oculis mundi, et suscipiamus quidquid requiritur, ut pacem honoremque habeamus apud principes sapientesque saeculi.

Ad explodendam autem hanc viam quam maxime deviam sufficit opponere notum effatum de reformatione Ecclesiae, ore celeberrimi Aegidii Viterbiensis, Ordinis S. Augustini, prolatum in Concilio Lateranensi quinto: « *Homines,* inquit, *homines per sacra* immutari fas est, non *sacra per homines* »; quod ad rem nostram applicatum sonat: *Homines* in Ordine nostro viventes per Ordinem immutari et reformari fas est; sed ipsum Ordinem caelitus institutum per homines mundana sapientia excaecatos immutari et deformari, non est fas, sed nefas! — Porro, quae est ista sapientia hujus mundi totis viribus bonis terrenis ac fugacibus inhaerentis? *Nonne,* teste Apostolo (1), *stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi;* de qua Summus Pontifex Joannes XXII. gravissima haec verba pronuntiat: « Quidquid mundus laudat, vituperio dignum est; quidquid cogitat, vanum est; quidquid loquitur, falsum; quidquid improbat, bonum; quidquid extollit, infame est (2).

11. Quid igitur, repeto, faciendum? Numquid sufficere poterit novas leges bonas multiplicare? Longe abest a me, ut aliquo modo improbare velim revisionem Constitutionum nostrarum, immo multum hoc expedire posse puto, si obsoleta resecentur et pro temporis ratione sapienter aliqua innoventur. Attamen nemo opinetur, quod novis legibus typo expressis, jam nova facta sint omnia in nostra Religione et in Religiosis. Habemus jam a saeculis plurimas leges, et fortasse superabundantes, si verum est, quod antiquus ille Tacitus, homo acutus, scribit: « Plurimae leges, pessima respublica ». Saltem nemini dubium esse videtur, quin *lex scripta,* nisi fiat *lex vitae,* non *prosit,* sed potius *noceat.* Porro, ut ingenue loquar, nobis non tam deficiunt *libri scripti* quam potius *libri vivi,* Fratres scilicet vere minores, qui litteris mortuis tribuant vocem vivam, qui, cum prius ipsi Patris nostri Francisci, CHRISTO concrucifixi, facti sint *imitatores perfecti,* cum eodem ceteris Fratribus intimare possunt: Rogo vos, fratres, imitatores nostri estote, sicut et nos Francisci et CHRISTI!

12. Quae autem deplorandi hujus defectus sint causae, scilicet quod non *tantus* numerus vivarum illarum regularum inter nos inveniatur, quantus requiritur ad reddendum Ordini antiquum splendorem; hoc sine disquisitione longiore determinari non poterit, cum sint plurimae rationes et secundum varias regiones diversae, quarum quaedam a culpa religiosorum, quaedam a conditione regionum et temporum sunt repetendae. Commemoro tantum rem nemini vestrum absconditam, quod scilicet non raro Superiores inobservantiae culpam attribuunt subditis fratribus, et e converso saepissime audiuntur querelae subditorum, quod in portandis observantiae ponderibus segniores et minores sint qui maiores sunt in

(1) Rom. 2, 13.

(1) I. Cor, 1, 20.
(2) Bzovius, an. 1334. n. 2.

gradibus Ordinis, et quod qui condunt leges passim sint primi, qui in eisdem observandis non exemplum, sed exemtionem vel dispensationem exhibeant.

Quidquid sit de justitia et veritate mutuarum accusationum; hoc profecto, quod dicunt ipsae nostrae Constitutiones (1), exploratum est, ad obtinendam observantiam « expeditissimam viam esse majorum exemplum »; exploratum est etiam, ipsius DEI judicio tanquam justum constitutum esse, ut cum gradus et honoris amplificatione etiam virtus semper debeat accrescere; exploratum porro est, non esse viam ad reformandum, sed potius ad destruendum Ordinem, quod frater rodat atque accuset fratrem; denique exploratum est, quod, sicut optimus quisque nostrum non audet ascendere altare DEI, quin prius corde contrito et humiliato coram DEO et hominibus dicat *Confiteor;* sic nemini nostrum liceat lavare in innocentia ficta manus suas cum Pilato, sed potius pectus coram B. P. N. Francisco tundendum ac dicendum: *Confiteor,* mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa!

Quodsi omnes ingenue hoc facerent, jam fundamentum aliquod Ordinis reformandi bonumque initium haberemus. Nam teste S. Augustino (2), « initium operum bonorum confessio est operum malorum »; et teste Sancto Bonaventura (3), exercitium humilitatis interius et exterius « via est ad omnes virtutes acquirendas », cum ipsa, ut dicit, sit « ostium sapientiae, fundamentum justitiae et habitaculum gratiae ».

12. Quid igitur, iterum quaero, nobis faciendum? « *Humiliemus nos sub potenti manu* DEI, *ut nos exaltet in* (hoc) *tempore visitationis* (4) »; corde contrito *deploremus* propriam miseriam, *imploremus* divinam misericordiam et exhibeamus nos promtos, quo *renovemur spiritu mentis nostrae.* Tunc ipse DEUS dabit nobis illuminatos oculos cordis nostri, ut efficacius respicere possimus ad exemplar a DEO nobis ad imitandum propositum, ad Patrem scilicet nostrum vere seraphicum! — Utinam quotquot in mundo filii S. Francisci nominantur, revelata facie sursum aspiciant et ante oculos habeant ad imitandum Patrem suum, mundum pedibus calcantem, caelestia mente sectantem, CHRISTUM in corde et corpore portantem, *spiritu viventem: DEO per omnia placentem* (1), in eandem cum CHRISTO imaginem transformatum (2), ut vere cum Apostolo ipse potuerit dicere: *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me* CHRISTUS (3)!

13. Hic igitur signifer et dux sit nobis, hic vitae doctor, qui, cum *fecerit et docuerit, magnus est in regno caelorum* (4). Fecit ille prius mira perfectione Evangelii praecepta et consilia, deinde filiis ut doctor vitae scripsit regulam; fecit prius miranda virtutum opera, deinde populos docuit *non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis* (5). Nam « linguae manus praeambula, verbo paravit semitam, et amplectuntur saecula doctrinam facto proditam (6) »!

14. Quid igitur aliud pro salute populi christiani nunc nobis faciendum, nisi ut, ducis et magistri vestigiis inhaerentes, eadem via procedamus. *Dictis nostris facta praecedant;* dictis bonis praecedant facta meliora! Bona et necessaria est praedicatio, bona est doctrinae abundantia; sed, ut legitur in aureo libro Imitationis CHRISTI (7), « praeferenda est semper bona conscientia et virtuosa vita ». Aemulemur haec charismata meliora, ne perdamus, vel saltem evacuemus ipsa minora! Hoc gravissimis verbis inculcat S. P. N. Franciscus in quadam sua Collatione: « Nolo, inquit, fratres meos *cupidos* esse scientiae et librorum; sed volo eos fundari super sanctam humilitatem et imitari puram simplicitatem, sanctam orationem et dominam paupertatem. Haec via sola est secura ad salutem *propriam* et *aliorum aedificationem,* quoniam CHRISTUS, ad cujus imitationem vocati sunt Fratres, hanc solam nobis ostendit verbo pariter et exemplo ». Haec ille. — Notum etiam est, vobis Colendissimi PP., quanto fervore idem alibi increpet fratres,

(1) Circa finem.
(2) In Ioan. tract. 12. n. 13.
(3) Quaest. disput. de Humilitate.
(4) I. Petr. 5, 6.

(1) Col. 1, 10.
(2) II. Cor. 3, 18.
(3) Gal. 2, 10.
(4) Matth. 5, 19.
(5) I. Cor. 2, 4.
(6) Offic. S. Franc.
(7) Libr. I c. 3,

qui occasione alios aedificandi dimittunt, ut dicit, propriam vocationem, videlicet sanctam humilitatem, puram simplicitatem, orationem, devotionem et paupertatem; item, quam graviter reprobet tumidos praedicatores et profana scientia inflatos fratres; et e converso, quantis praeconiis exaltet fratres humiles, mundo abjectos, quorum *vita abscondita est cum* CHRISTO *in* DEO (1) ».

15. Absit quidem a nobis, ut scientiae studium, vitae apostolicae opera et exteriora regularis disciplinae exercitia parvi faciamus, cum potius in his semper magis debeamus discrete proficere; sed simul aemulemur *charismata meliora*, ut « virtute corroboremur per Spiritum DEI in interiorem hominem (2) »: *Haec* enim, teste Domino, *oportet facere, sed illa non omittere* (3), ne incurramus in illum fere insanabilem morbum multorum, quem deplorat seraphicus Pater: « Vae, inquit, vae, qui de sola specie et apparentia conversationis religiosae sibi plaudentes et in sua sapientia et scientia confidentes, inventi fuerint otiosi, i. e. non se exercitantes in operibus virtuosis et in via crucis et poenitentiae et in *pura observantia* Evangelii, quod ex professione tenentur pure et simpliciter observare ». Sed *pura et simplex observantia* Regulae et Evangelii *duo* comprehendit simul in unum conjungenda, ad instar unionis, quae est inter corpus et animam. Haec duo, praeeunte S. P. Dominico, non inepte vocari possunt *ordo exterior, ordo interior.* Primo *ordo exterior,* qui est quasi *corpus* Religionis ac consistit in multis disciplinae claustralis exercitiis, scilicet in observatione praeceptorum Regulae, in vitae communitate, in jejuniis, in frequentatione chori, in silentio, in usu rerum paupere, in fugiendo otio animae inimico, in caeremoniis, vestimentis religiosis aliisque multis. Quam disciplinam regularem, ubi inter nos collapsa est — quod proh dolor! non raro videmus et lugemus — omnino reformandam esse, ut et ipsi Religiosi in pace DOMINI ac cum virtutum profectu vivant, et ut conventus sicut luminaria luceant in mundo, id sane nemo prudens negabit. In *corpore* enim morbo graviter affecto anima naturaliter nec potest bene operari nec vivificando diu permanere; sic e conventibus indisciplinatis transmigrant *virtutes* religiosae, christianae, immo ipsae humanae.

Ut igitur *ordo exterior* atque regularis observantia, ubi *est,* sarta tecta conservetur, augeatur, muniatur; ubi vero *deest,* pro viribus paulatim reparetur et restituatur; hoc ex officio stricte incumbit vobis, quibus Deus suam pauperculam familiam commisit gubernandam, pascendam, educandam, corrigendam. Et in hoc foro multum, DEO benedicente, valet humana industria et patientia. Ad vos igitur, Adm. Rev. PP., instantius clamat Patriarcha pauperum: Imitatores mei estote; facite et docete! Bonam observantiam docete, meliorem ipsi facite; tunc reformatio fiet in *Ordine exteriori,* et simul via paratur ad reformandum et perficiendum etiam illum *Ordinem interiorem,* omnium legum et exercitiorum finem et complementum.

16. *Ordo* igitur *interior* omnisque perfectio *essentialiter* consistit *in caritate de corde puro et conscientia bona et fide non ficta* (1), quae, ut docet S. Bonaventura (2), est « radix, forma, finis, complementum et vinculum perfectionis »; qua deficiente, omnis perfectio *status,* inquit, « non est perfectio, sed perversio, non vera sublimatio, sed dejectio, non perfectionis sublimitas, sed simulatio sanctitatis ». Hinc S. P. Dominicus moriens suis fratribus hoc reliquit documentum, quod anima sui Ordinis, sive *internus ordo,* sit « amare DEUM puro corde et nihil aliud praeter ipsum ». Hinc clamat S. P. Franciscus (3), ut Fratres attendant, quod *super omnia! super omnia!* « desiderare debent habere *Spiritum Domini et sanctam ejus operationem:* orare semper ad DEUM puro corde et habere patientiam in persecutione et infirmitate, et diligere eos, qui nos persequuntur, reprehendunt et arguunt ». Immo huic ultimo *fini* vult ut tanquam *media* serviant omnia Religionis exercitia, quia « spiritui orationis et devotionis debent cetera temporalia *servire* »!

17. Ut ad ultimam tandem veniamus conclusionem, *imitatores mei estote, sicut ego Christi,* id est: *reformamini,* non tantum in exte-

(1) Col. 3, 3.
(2) Eph. 3, 16.
(3) Matth. 23, 23.

(1) I. Tim. 1, 5.
(2) Apologia paup. p. I. c. 3.
(3) Regula, c. 5.

rioris ordinis disciplina redintegranda et excolenda, sed etiam, ut Apostoli verbis (1) utar, *renovamini spiritu mentis vestrae, tanquam a* Domini *spiritu* (2). Tunc ipse Christus *illucescet in cordibus nostris* tanquam sol, qui, oriens ex alto, tum *mentem* nostram illuminabit et a tenebris temporalium rerum purgabit, tum *cor* inflammabit aeterno amore summi boni, tum *vitam* et interiorem et exteriorem fecundabit bonis operibus, sive fructibus lucis, « *in omni bonitate et justitia et veritate* » (3).

18. Haec est intentio, haec exhortatio S. P. nostri, haec ejusdem fidelis imitatio; haec est illa margarita evangelica, omnibus venditis comparanda (4); hoc illud *datum optimum et omne donum perfectum, descendens a Patre luminum* (5); haec illa qua omnes indigemus *sapientia a* Deo *postulanda, qui dat omnibus affluenter* (6); hic ille *thesaurus in vasis nostris fictilibus* recipiendus et portandus! Praeparemus igitur corda nostra spiritu humiliato et contrito, ut ipsa Deus confirmet illo divino *spiritu principali;* atque omni animo operaque connitamur, ut Ordinis novitii et juvenes educentur secundum hunc spiritum vere evangelicum et seraphicum.

19. Tandem veniam mihi detis, ut uno adhuc verbo tangam rem non alienam a proposito et tractatione dignissimam. Habemus igitur *Patrem seraphicum,* ast insuper immensa Dei largitate etiam *Doctorem seraphicum,* quem infantem ipse S. Patriarcha, quasi praesagiens et admirans munus divinitus Ordini dandum, salutasse fertur verbis: O bona ventura! Exploratum omnino et facile ad probandum est, quod seraphicus Doctor infuderit scholasticae doctrinae seraphicum S. P. N. Francisci spiritum. Totum enim, teste Gersone, refert « ad pietatem et religiositatem affectus ». Utinam tandem saltem scholae Ordinis nostri nemini

(1) Eph. 4, 23.
(2) II. Cor. 3, 18; deinde 4, 6.
(3) Eph. 5, 9.
(4) Matth. 13, 44.
(5) Jac. 1, 17.
(6) Ib. v. 5.

ansam praebant, repetendi ejusdem Gersonis exprobrationem non injustam: « *Unde,* (quia scilicet doctrina ejus est devotissima) *unde,* inquit, ab indevotis scholasticis, quorum, pro dolor! major est numerus, minus exstitit frequentatus; cum tamen nulla sublimior, nulla divinior, nulla salubrior atque suavior pro Theologis sit doctrina ». Utinam igitur duo ista conjungantur, ut simus simul Seraphici Patris strenui imitatores et Seraphici Doctoris studiosi discipuli!

20. Faxit igitur Spiritus S., qui tot praestantissimos Patres ex omnibus orbis partibus hic caritate congregavit in unum, ut communi consilio unitisque viribus vestris ubique *reflorescat, crescat, fructificet* S. Francisci plantatio, *tanquam luminare in medio nationis pravae et perversae;* ita ut inter populos verbis *suadeamus* viam salutis, factis et exemplo *persuadeamus.* Nam haec est, teste S. P. N., vocatio nostra, ut « verbo et opere demus testimonium voci Filii Dei » (1), omnes « exhortando plus exemplo quam verbis ad agendam poenitentiam de peccatis suis et habendam memoriam mandatorum Dei (2).

Adaperiat igitur Deus *cor nostrum in lege sua, ut faciamus ejus voluntatem corde magno et animo volenti* (3), et ut *dociles* audiamus verba S. P. N., imprimis ad imitandam suam *humilitatem* et *caritatem* invitantia. Nam in priori sua Regula ait: « Deprecor in caritate, quae Deus est, omnes fratres meos praedicatores, oratores, et laboratores, tam clericos quam laicos, ut studeant se *humiliare* in omnibus, non gloriari nec in se gaudere nec intrinsecus se exaltare de bonis verbis vel operibus, immo de nullo bono, quod dicit et operatur Deus in eis et per ipsos ». Et iterum alibi (4) seraphica caritate inflammatus: « Nihil de nobis, Fratres mei, retineamus nobis, ut totus nos recipiat Christus, qui se nobis exhibet totum ». Amen!

(1) Epist. S. Franc. 10.
(2) S. Franc. Coll. 2.
(3) II. Machab. 1, 4, 3.
(4) Epist. ad Sacerdotes Ordinis.

II.

In Nomine Dom. Nostri Jesu Christi. Amen.

DE IMMACULATO B. M. V. CONCEPTU

SUB HOC MYSTERIO
SINGULARIS UNIVERSI ORDINIS MINORUM
PATRONAE

SERMO

IN GENERALIBUS IPSIUS ORDINIS COMITIIS
ROMAE HABITIS DIE 28 SEPTEMBRIS 1889.
PERLECTUS

A P. FR. ALOYSIO DE PARMA

MIN. OBSERVANTIUM
PROVINCIAE BONONIAE MINISTRO.

Revme Praesul, et quotquot adestis
Praestantissimi Patres!

« Gaudens gaudebo in DOMINO, et exultabit anima mea in DEO meo, quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiae circumdedit me, quasi sponsam ornatam monilibus suis (1) ». Perpulchra sane verba haec sunt, quae Sancta Mater Ecclesia ponit in ore MARIAE cujuscumque labis nesciae, Seraphici Ordinis Nostri singularis Patronae. Vere etenim Ipsa gaudet gaudio magno in DOMINO, quem meruit concipere, perficere et parere, Virgo manens ante partum, in partu et post partum. Merito ejus anima exultat sancta exultatione in DEO suo, qui fecit ei magna in potentia sua, Eam liberans a communi naufragio, praeservansque a peccato, quo filii Adam peccaverunt. Ipsa quidem vestimentis salutis induta et indumento justitiae circumdata, quia, ut primus homo, creata est in justitia et sanctitate veritatis (2): nam propter ejus puritatem, nullo umquam momento amissam, Sponsa DEI est pulcherrima in Canticis depicta, ornata monilibus, idest virtutibus, donis, divinisque charismatibus ditissima, et ideo omnipotentiae ac Sapientiae divinae miraculum, ad cujus conspectum exultant Angeli, laetatur misera Adae soboles, coeli et terra ejus enarrant mirabilia, ejusque pulchritudinem sol ac luna mirantur, et diabolus, contrito capite, contremiscit. Oh! Mater pulchrae dilectionis! Oh! in rebus magni momenti recti consilii inspiratrix, respice nos hic in nomine DOMINI congregatos, ut cogitemus quae recta sunt, et quae redundant in DEI honorem et sacri Nostri Ordinis incrementum, te adjuvante, statuamus et faciamus. Me autem de Immaculato tuo Conceptu disserentem, obedientia adactum, benigne sustine, ut de praepollenti tua excellentia loquar in non ingratum levamen hujus Venerandi Consessus. Onus sane, o Praestantissimi, humeris meis penitus impar; at Beatissimae Virginis auxilio, vestraque benevolentia suffultus, brevi et facili oratione dicam — *gloriam franciscanae nostrae Scholae in auspicanda et defendenda doctrina de immunitate Deiparae ab originali culpa in primo istanti suae Conceptionis.* — In quo argumento enucleando, historice procedam, ita ut historica potius quam doctrinalis erit haec mea dissertatio.

Incipio . . . . .

Patres omnium saeculorum, summis semper extulisse laudibus MARIAM, Redemptoris Matrem longe mirabilem, res est evidentissima. Ipsam namque unanimi ore beatam depraedicant, solemnius manuum DEI opus, Angelis excelsiorem, omnium creaturarum primogenitam ob dona naturae, gratiae et gloriae, Ei a DEO collata, nec ulli umquam concessa vel concedenda. Quibus praeconiis eorum sensa et mentem exprimunt, non *denegandi* Ei quidquid munificentiae, quidquid gratiae, quidquid supernaturalium charismatum conferri potest a Divina benignitate singulari creaturae, imo omnibus privilegiatis creaturis simul sumptis. Unde volunt theologi atque Scriptores, e laudatis elogiis deduci posse, eos voluisse quoque attribuere MARIAE immunitatem a peccato originis. At quidquid sit non invenimus eos, vel quemquam eorum, hujusmodi opinionem tenuisse ac pertractasse explicite, quia nulla circa ipsam controversia adhuc erat exorta. Habemus utique illud solemne Augustini testimonium; qui excipit Sanctam Virginem Mariam de qua « propter honorem DOMINI, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, vult ha-

(1) Introit. Miss. B. M. Virginis in die Imm. ejus Concept.

(2) Ad Ephes. 4.

bere quaestionem » (1): at cum S. Doctor agat ibi de peccatis actualibus contra Pelagium, dubitant nonnulli, an voluerit excipere Mariam, etiam quoad culpam originalem.

Verum temporibus S. Bernardi Clarevallensis, controversiam coepisse, vobis, sapientissimi, notum est. Cum enim Lugdunenses Canonici festum Conceptionis Virginis instituissent, totis viribus ac inflammato zelo in eos insurrexit mellifluus Doctor, fortiter eos arguens de noviter ab eis adinvento. « Miramur satis (en ejus verba) quid visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum voluisse mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, *quam ritus Ecclesiae nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio.* Numquid Patribus doctiores, aut devotiores sumus ? (2) » E quibus verbis, et magis a contextu totius epistolae, volunt Scriptores quamplurimi deducere, Sanctum Doctorem sese opposuisse novitati introductae, nedum quia *novitas,* verum etiam quia novitas *nulla nixa fundamento;* cum tunc teneretur quidem sanctus, imo *sanctior, Virginis ortus,* minime vero *ejus conceptus.*

Sed dicet quis: ergo si juxta Bernardum, doctrina de Immaculata Deiparae Conceptione, *nullo est nixa fundamento,* quomodo Ecclesia eam nostris temporibus de fide credendam definivit? Cui reponendum est cum Theologis; omnibus Ecclesiae definitionibus semper occasionem dedisse, vel *negationem* alicujus veritatis *explicite* in verbo Dei scripto vel tradito contentae, vel *studium* Sacrae Scripturae et traditionis circa aliquod punctum, acriter hinc et inde discussum a Doctoribus et Scholis Catholicis. Cum itaque agitari coepit quaestio nostra, tunc etiam profunda Dei circa ipsam in scripturis et traditione contenta scrutari agressi sunt Catholici Doctores, et paulatim nebula, qua tegebatur Virginis privilegium evanuit, et tunc « sol refulsit in clypeos aureos, et resplenduerunt montes ab eis (3) », idest lux magna illuminavit abscondita Scripturarum. Quae illuminatio Doctorum mentes aperuit ad videndum Mariae mysterium, eorumque corda inflammavit ad illud totis affectibus prosequendum; atque Ecclesiam tandem duxit ad obsignandum auctoritate sua infallibili quod pie utique tenebatur, sed adhuc non credebatur de fide. Sed ultro procedamus.

Post Bernardi aetatem plus minusve lis agitabatur. At saeculo XIII praesertim, ex professo quaerebatur in scholis « an Beata Virgo fuerit concepta in originali peccato? » Cui ab suis exedris affirmativum dabant responsum celebriores illius temporis scholastici Magistri, vestigia sectantes Petri Lombardi. Ita Alexander Halensis, qui in Summ. lib. 3. quaest. 9. membr. 2. art. 1. et seqq. aperte docet, Virginem sanctificatam fuisse post animationem. Ita Albertus Magnus, qui in 3. Sent. dist. 3. art. 4. haec habet « contrarium tenere, haereticum esset, atque damnare S. Bernardum, et omnes Magistros Universitatis Parisiensis ». Ita Seraphicus Noster Bonaventura, qui in III. Sent. dist. 3. part. 1. quaest. 2. hanc ponit conclusionem « probabilius Beatae Virginis sanctificatio fuit post originalis peccati contractionem », quam probat communiorem, rationabiliorem, et securiorem: *communiorem* quidem, quia fere omnes illud tenent, quod Beata Virgo *habuit* originale; rationabiliorem, quia prius est animam uniri carni, quam gratiam Dei sibi infundi; *securiorem,* quia magis consonat fidei pietati, et Sanctorum auctoritati. Ita quoque, ut de aliis sileam, Doctor Angelicus, Scholasticorum saeculi XIII. facile Princeps. Id nos edocent contemporanei Scriptores, quos inter Petrus de Tarantasia et Alvarus Pelagius (1); id nos edocent interpretes utriusque Summae, Theologicae et Philosophicae, maxime Cajetanus et Ferrariensis; id nos edocent eximii Theologi celeberrimae scholae Dominicanae, et etiam alii, ut Aegidius Romanus et Henricus Gandavensis. Enim vero ecquis contrarium dicet, ni vim facere velit apertis expressionibus Sancti Doctoris? In ejus compendio Theologiae ad Fratrem Reginaldum (2), pluries repetit, Beatam Virginem speciali modo purgatam fuisse. In III. Parte Summ. Theol. quaest. 27. demonstrat, *quod sanctificatio Beatae Virginis fuit post animationem.* Super quam conclusio-

(1) De Nat. et gratia cap. 36.

(2) S. Bern. op. omnia, Vol. 1. pag. 169. et seqq. Edition. Venet. 1750.

(3) I. Machab. 6.

(1) De Planctu Ecclesiae lib. 2. fol. 169. Edit. saeculi XV.

(2) Tom. 17. ejus oper. Venet. edit. 1593, pag. 39.

nem Angelici Doctoris notat citatus Cajetanus « inter illas duas positiones extremas, scilicet quod fuerit sanctificata, vel ante infusionem animae, vel post infusionem animae, est positio media, quod fuit sanctificata in instanti infusionis animae, cujus opinionis auctor (scilicet S. Thomas) non meminit, quia *tempore suo non erat adinventa, omnibus communiter tenentibus,* B. V. CONCEPTAM in peccato originali... Opinio ista media, *quamvis nova, quamvis aliena a doctrina antiquorum Doctorum et a doctrina sanctorum communiter...* tamen nihil contra fidem sustinet, et Apostolica Sedes decrevit... Teneri posse... quia specialis modus redimendi ac salvandi a peccato originali, CHRISTO attribuitur respectu suae Matris (1) ». E quibus Cajetani verbis liquido patet mens divi Thomae hac super re.

Non me latet exstitisse et exstare Theologos, qui voluerunt et vellent praefatos Doctores, Alexandrum Halensem, Divum Bonaventuram et Sanctum Thomam, fautores et patrocinatores piae sententiae. At quo fundamento innixi, nescio! De Alexandro Halensi dicitur, quod ab ipso dictata retractaverit in quodam opusculo *mellifluae conceptionis* inscripto; sed quomodo S. Bonaventura, fidelis sectator Patris ac Magistri sui Alexandri, scribere potuisset « Nullus invenitur dixisse de his quos audivimus auribus nostris, Virginem MARIAM a peccato originali fuisse immunem (2) »? Defenditur a nonnullis etiam S. Bonaventura, quem faventem asserunt MARIAE privilegio. Vellem utique et ego; at historica veritas me detinet. Nam *speculum B. M. Virg., et sermo 2 de Assumptione,* e quibus testimonia excerpunt ad id demonstrandum, sunt apocrypha, ut me contutantur Editores operum omnium S. Doctoris ad Claras-Aquas. Nunc ad Divum Thomam, quem propugnatorem Immunitatis Virginis a peccato originali, hodiedum totis viribus et mordicus sustinent non pauci! Contra quos stat irrefragabile testimonium jam citatum Cajetani « cujus opinionis (scilicet quod B. V. fuit sanctificata in instanti infusionis animae) cujus opinionis *auctor* (scilicet S. Thomas) hic non meminit, *quod tempore suo non erat adinventa,* omnibus communiter tenentibus B. V. conceptam in peccato originali »: stat quoque factum solemne Theologorum scholae Dominicanae, paucis exceptis, qui ab initio exortae controversiae ad diem usque dogmaticae definitionis Immaculati Conceptus MARIAE, tenuere contrarium, Doctoris Angelici auctoritate suffulti. Submisse ergo concludam: quidquid sentiant plurimi e nuperis scriptoribus, sententiam de sanctificatione Virginis post originale peccatum contractum, fuisse communem in Scholis saeculi XIII, atque a celebrioribus Doctoribus illius temporis amplexatam, secutam, atque defensam (1). Idque, quia sententia de immunitate Virg. a peccato originis, putabatur aliena (ait Cajetanus) *a doctrina antiquorum Doctorum, et a doctrina sanctorum communiter.*

Quomodo igitur pia sententia de Immunitate Virginis a peccato originis, processit ita a saeculi XIV exordio, ut pedetentim ad se traxerit Theologos, Universitates, Academias, Ordines Religiosos, Principes, populos, auctoritatem etiam Ecclesiae? Oh! praeclaram Beati Francisci sobolem! Te numquam dignis praeconiis satis laudatam, ambabus ulnis amplector, tibi omnia fausta praenuntio! Ex te siquidem prodiere viri illi doctissimi, qui MARIAM beatissimam praedicaverunt, ejusque privilegium constanter patrocinati sunt! Gloria haec, prae omnibus excelsior!

Hujus autem generosae cohortis dux fuit Joannes Duns Scotus Ordinis Minorum, ob acre suum ingenium dictus *Doctor Subtilis.* Hic, ut bene nostis, de adversariis Mariani privilegii triumphum egit prius Oxonii, dein Parisiis, ac denique Coloniae Agrippinae (2).

(1) Comment. in Summ. Theol. S. Thomae, III. Part. quaest. 27.

(2) In III. Sent. dist. 3. part. 1. quaest. 2.

(1) Veteres Scholasticos non bene distinxisse conceptionem *activam a passiva,* judicat P. Jo. Cornoldi S. J. in opusculo *Sententia S. Thomae Aquinatis* etc. Parmae edito 1873, quodque voluit *unitum* operibus S. Doctoris, ut concludat, eos ac praecipue D. Thomam, dum asserunt MARIAM Conceptam in peccato originali, locutos fuisse de conceptione activa non autem de passiva. At quam vehementer erret, evidentissime constat e Summa Theologica Alexandri Halensis, qua valde delectabatur ipsemet Angelicus. Consulatur ipsa, part. 3, quaest. 9. memb. 2. art. 1. et seqq. edit. Ven. 1575.

(2) Vid. Disquisit. Theol. de Imm. B. V. Concept. A. P. Jo. Perrone S. I. Romae ed. 1847. — La Scholastique etc. P. Prosperi Cap. Paris. ed. 1888. — Dissert. etc. P. Venantii a Celano Min. Gen. Romae ed. 1855. — Et alii multi Script.

Quaestionis sensu optime comprehenso, momentis hinc et inde ad trutinam revocatis, Scripturis et Patribus profunde scrutatis, omnibus peracuto ingenio perpensis, sententiae tunc in scholis communi, modeste, ut ipsi moris erat, sese opposuit, sequentia ponens pro fundamento: « Deus potuit facere, quod ipsa (Beata Virgo) numquam fuisset in peccato originali; potuit etiam facere, ut per tempus aliquod esset in peccato, et in ultimo instanti illius temporis purgaretur (1) ». Post haec suam mentem non assertive, sed dubitative aperit his verbis, quae miram ejus humilitatem patefaciunt: « Quid autem horum trium quae ostensa sunt esse possibilia, factum sit, DEUS novit: si auctoritati Ecclesiae, vel auctoritati Scripturae non repugnet, videtur probabile quod excellentius est attribuere MARIAE (2) ». Valde cautus, ut quisque videt, ipse incedit, quia in communem sententiam ac in omnes Scholae Parisiensis Magistros insurgebat! At, quaero, pari ne modo sese gessisset, si revera Alexander Halensis, Divus Thomas, Seraphicus Bonaventura, ceterique celeberrimi illius saeculi Doctores, ut vellent neoterici, praeservationem Virginis a labe originis asseverassent? Minime hercle! Caute itaque ac timide Subtilis Doctor processit prius ob adductam rationem, sed postea abruptis moris, in eodem loco loquens de merito CHRISTI in primo instanti suae Conceptionis, ait:.. « Beata Virgo Mater DEI, quae numquam fuit inimica actualiter ratione peccati actualis, nec ratione originalis; fuisset tamen, nisi fuisset praeservata (3) ». Cumque, fervente controversia, catholicorum animus abhorreret vel a suspicando in Virgine originale peccatum, acuit ingenium suum, profundius studuit quaestioni, et ad hanc devenit conclusionem: « Maria Mater DEI in primo instanti suae Conceptionis, idest in illo instanti, in quo ejus anima unita fuit corpori, contraxit originalem maculam, vel quia DEUS *non potuit* eam praeservare, vel quia *non decuit,* vel quia *noluit:* at nullum horum trium admitti recte potest: ergo fecit, idest eam reapse immunem reddidit ab omni culpa, ita ut nec per momentum obnoxia fuerit peccato, et ita exempta a lege omnibus Adae filiis communi (1) ».

(1) In III. Sent. Dist. 3. quaest. 1.
(2) Id. ib.
(3) Id. ib. dist. 18.

Quam conclusionem, cum e suggestu Parisiensis Universitatis primus asserendo proclamaverit et defensaverit, contra (ut dictum est) opinionem communem, propugnare eamdem debuit, ac de eadem publicam reddere rationem. Quod et viriliter fecit in solemni disputatione, quam ibi tenuit. Et primo quidem probando, ut videre est in III. Sent. dist. 3. quaest. 1., non obstare auctoritati Scripturae sententiam suam. In medium ipse profert textus pro adversa parte, eosque ad nihilum redigit. Nam si hi legem generalem innuunt, quod omnes ab Adamo procreati peccatum contrahunt originale, non excludunt tamen aliquam exceptionem pro singulari creatura, quemadmodum quamplurimis ejusdem Scripturae exemplis constat quoad facta analoga. Nonne DEUS auctor naturae simul et gratiae? Nonne ipse hujus gratiae dispensator, sicut post infusionem animae, ita et in primo instanti infusionis? « Ita exponendae sunt auctoritates (ait ipse), quod omnes naturaliter propagati ab Adam sunt peccatores, hoc est ex modo, quo habent naturam ab Adam, habent unde careant justitia debita, nisi eis aliunde conferatur, sed sicut posset post primum instans conferre ei gratiam, ita posset et in primo instanti (2) ». — Secundo, nec ratione Redemptionis, qua omnes filii Adae indiguerunt et indigent, obstare piam sententiam auctoritati Scripturae, demonstrat Scotus Noster. « Nam MARIA (sunt ejus verba) maxime indiguisset CHRISTO ut Redemptore:, ipsa enim contraxisset peccatum originale ex ratione propagationis communis, nisi fuisset praeventa per gratiam Mediatoris, et sicut alii indiguere CHRISTO, ut per ejus meritum remitteretur eis peccatum jam contractum, ita illa magis indiguit mediatore praeveniente peccatum, ne esset ab ipsa aliquando contrahendum, et ne ipsa contraheret (3) ». Quare, juxta Doctorem Subtilem, MARIA, gratiae plenitudine praeventa a CHRISTO Redemptore, ne peccatum contraheret, large abundantius et excellentissime participavit infinitis meritis ineffabilis Redemptionis.

(1) Id. ib. dist. 3.
(2) Id. ib.
(3) Id. ib.

Quod si Virginis immunitas a labe primaeva non obstat auctoritati Scripturae, nec auctoritati Ecclesiae obstare potest, ac ideo maximopere *decuit*. Ita impavide progreditur Doctor Noster, et amplissime assumptum suum roborat argumentis a dignitate CHRISTI depromptis, cujus MARIA est Mater inclyta. Valde sane decebat, quod *essentialiter Sanctus, Innocens, Impollutus, Segregatus* a tabernaculis peccatorum, Matrem, in tempore secundum carnem, haberet nedum sanctificatam, sed sanctam vel a primo suae Conceptionis instanti: Matrem nunquam peccato subjectam; talem Matrem de cujus dominatu nec per momentum gloriari potuisset diabolus! Valde decebat, immunem iri ab omni labe illam, quae a diebus aeternitatis fuit a DEO creata primogenita creaturarum, exaltata quasi cedrus in Libano, quasi cypressus in Monte Sion, quasi palma in Cades, quasi plantatio rosae in Jericho, et quae sicut cinnamomum et balsamum aromatizans, et quasi myrrha electa dedit suavitatem odoris: valde decebat, quod MARIA, *gratia plena, inter mulieres benedicta, beata, ab omnibus generationibus* acclamata, exempta foret a communi lege peccati, et infinitis meritis filii sui, ex singulari privilegio esset redempta excellentiori redemptionis modo, idest praeservatione a culpa. Valde demum decebat, quod *Filia, Mater et Sponsa Dei,* nullo unquam instanti diaboli foret captiva. At ecquis dubitat, vel dubitare potest, (en conclusio ultima Doctoris Mariani) id quod valde decebat, DEUM voluisse ac fecisse? Nonne principium est inconcussum ab Augustino praestitutum, quod « quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, scias fecisse DEUM, tanquam bonorum omnium Conditorem » (1)? Quinam autem Scoticae disputationis exitus? en! quod pia sententia communior ita evasit, ut, teste Aureolo (2) post 30 annos ab ipsa, in Universitate Parisiensi festum celebraretur Immaculatae Conceptionis B. Virg. MARIAE.

Et hic laudem, quam in hac controversia adeptus est Scotus, et per ipsum franciscana Schola, considerationi vestrae submitto. Laus utique maxima ac singularis! Aperuit namque viam *subjectivo illi progressui* scholasticae Theologiae, qui ope scientiae obtinetur, quemque summopere commendat et optat ipsa Vaticana Synodus (1). Dari namque hujusmodi progressum, acuto mentis suae oculo vidit Doctor Noster, quia fidei veritates revelatae, quo altiores, eo fecundiores et conclusionum feraciores sunt. Cum autem ex una parte ab eo suffulta pia sententia nova esset, et (teste Cajetano) aliena a doctrina antiquorum doctorum et Sanctorum, et ob hanc rationem rejecta a celebrioribus Scholasticis; ex alia vero parte, nihil (fatente Cajetano ipso) sustineret contra fidem, ipse ope scientiae e veritatibus explicitis fidei, privilegium infert MARIAE, argumentis e ratione theologiae depromptis viriliter sustinuit, ab objectisque defendit, tanquam consequens omnipotentiae et sapientiae DEI, dignitatis CHRISTI et excellentiae ipsius MARIAE. Progressus sane legitimus, qui meruit benedici a DEO, approbari a Sede Apostolica, ac demum coronari solemni dogmatica definitione! Progressus, quem franciscales sedulo foverunt semper omni studio, vestigia fideliter sectantes inclyti eorum ducis.

Ita autem sedulo foverunt, quod pia sententia dicebatur communiter — Opinio Minorum — et Religio Seraphica *vexillifera* in hac controversia (2). *Vexillifera* sane *Seraphica Religio* in controversia de Immaculata Virginis Conceptione; unde vix reperies vel in rudi populo, qui id ignoret, et in historicis, qui de franciscalibus non loquatur. Attamen quod non ignorat vulgus, quod historici non silent, ignoravit et siluit clariss. P. Io. Cornoldi! In quodam opusculo, operibus S. Thomae, typis Fiaccadorianis Parmae editis unito, de Immunitate Virginis a peccato originali disserit, ne verbum quidem faciens de Schola franciscana, ejusque innumeris Doctoribus, quasi nullam *habuerint* partem in longo et acri certamine, cum in confesso sit apud omnes, primas semper habuisse! At non mirandum! Hodie enim historiae falsificationes tentantur, nedum scripto, sed et monumentis, sculptis vel pictis, quae sub oculos cadunt; atque adversarii, propugnatorum loco haberi volunt! Id vero mendacii redarguit *ingenua sex saeculorum historia!*

(1) De lib. arb. lib. 3. cap. 5. num. 13.
(2) In Tract. de Concept. Mar. Virg.

(1) Const. fid. cath. cap. 4. in fine.
(2) Vid. Frassen, *Scotus Academ.* tom. 8. pag. 189.

Re quidem vera: quis unquam non dicit *vexilliferam seraphicam Religionem* in tuenda doctrina de Immaculato Deiparae Conceptu, cum ejus innumeri et celeberrimi Doctores semper et ubique parati sunt inventi ad tela repropulsanda adversariorum in Virginem Immaculatam? Paratos etenim eos invenit Joannes de Montesono, quando anno 1387, instauravit judicium Alberti Magni, qui dixerat haereticam sententiam faventem privilegio MARIAE: hic vi argumentorum pressus silentio fuit damnatus, variaeque ejus theses censura notatae. Paratos eos invenit Vincentius de Bandellis (1), quando anno 1477 in solemni disputatione Romae habita coram Summo Pontifice Sixto IV, ubi Franciscus Nani de Brixia Generalis Minister Ordinis Minorum, cognonem *Samsonis* sortitus est ob suum in arguendo acumen, in respondendo facilitatem, et in dissolvendis adversariorum objectis miram dexteritatem; cum etiam Ferrariae anno 1482, ubi praesentibus innumeris Doctoribus Minoritis et aliorum Ordinum, praefulsit Bartholomaeus Feltrensis (2), qui Bandellum asserentem « praeservationem MARIAE ab originali culpa esse contra fidem, erroneam, haereticam, impiam, item peccare et haereticos esse qui eam defendunt vel affirmant (3), rationum pondere fregit plaudentibus omnibus. Utique, utique! quovis loco, quavis aetate, adversarii privilegii Mariani, Franciscales Doctores paratos invenerunt ad tuendam piam eorum sententiam, ad sollicite custodiendam pretiosam eorum haereditatem.

Quid autem dicam de tot tantisque aliis documentis, quae *Seraphicam Religionem vere vexilliferam* in re nostra luce clarius demonstrant? Ecquis omnia effari digne poterit? Ordines, Congregationes, Confraternitates ab Immaculata MARIA appellatae, a Minoritis vel erectae, vel promotae, vel propagatae..., ingentia opera typis edita a Scriptoribus franciscalibus, vel in defensionem, vel in laudem privilegii MARIAE, vel in aedificationem fidelium, vel in devotionis et amoris stimulum erga Virginem benedictam..., monumenta ubique erecta in ejus honorem, aliaque hujus generis, stant in signum perenne affectus Minoritarum erga MARIAM Immaculatam, et fidelitatis in sectando vestigia eorum ducis, Joannis Scoti. Post enim Scoti triumphum pia doctrina, nova in dies luce effulsit: et ab ipso Scoto Doctores insequentes arma praecipue mutuati sunt ad certandum hoc bonum certamen; at Seraphicus Ordo prae aliis enituit. Audiatur Cl. P. Io. Perrone S. I. « Minoritae Scholae Scotisticae addicti, eam (piam sententiam) sibi peculiari ratione vindicandam sumpserunt. Contra vero qui parti affirmanti Beatam Virginem in conceptu fuisse originali noxa maculatam pugnaciter adhaeserunt, quorum plerique ad Praedicatorum Ordinem spectabant, haud minori studio pro suscepta causa decertabant. Atque hinc duplex veluti acies in campum prodivit, quae ad haec ferme tempora inter se dimicare non distitit (1) ».

Facta autem communiori pia sententia, nobiscum dimicarunt viriliter in exasperato certamine Doctores innumeri ex clero saeculari, Magistri Academiarum, Theologi ac Scriptores regularium Ordinum, Scholae omnes, quae pluries a Sancta Sede invocarunt solemnem definitionem. Benedictini, Augustiniani, Carmelitae, Servitae, Trinitarii, Mercedarii, Jesuitae et alii, MARIAM immunem a labe originis profitebantur, tuebantur, celebrabant, ejusque propagabant cultum. Hinc si clamor in piam sententiam interdum exoriebatur, incunctanter sedatus erat, et sapientum multitudine, et fidelium indignatione, et Ecclesiae auctoritate, quae licet nondum proclamasset eam doctrinam de fide, tamen eam tenebat tum theoretice, cum practice: ut liquido patet *e Constitutionibus* Summorum Pontificum Sixti IV, Alexandri VI, Pii et Pauli V, Gregorii XV, et Alexandri VII; *ex approbatione* Officii Conceptionis MARIAE sine macula, a B. Bernardino de Bustis Minorita compositi; *e concessione* indulgentiarum facta devote celebrantibus ejusdem festum; *e poenis inflictis* privatim vel publice impugnantibus privilegium MARIAE.

At pervenit tandem illud a DEO praefinitum tempus, in quo « Opinio Minorum » tot tantisque tentaminibus probata, certis fidei fundamentis innixa, Doctorum auctoritate suffulta, a Sanctis admissa, a fidelibus culta, a Ro-

(1) Magister Generalis Ord. Praedicatorum.
(2) Wadd. tom. 14. pag. 310.
(3) Vid. Perrone loc. cit. pag. 23. in nota 2.

(1) Loc. cit. pag. 18.

manis Pontificibus et a sensu universalis Ecclesiae approbata, solemniter definita est de fide credenda; et ita Schola franciscana fulgida corona redimita, gloriam maximam, quam alteri numquam dabit, adepta, sub umbra Immaculatae Patronae confidere tandem potuit post tot tantosque exantlatos labores. Die siquidem 8ª Decembris 1854 Pius PP. IX fel. record. in plenario Ecclesiae consessu, solemni ac infallibili suo decreto proclamavit, doctrinam de immunitate Virginis a peccato originali, qualem per sena saecula docuerat et defenderat Schola franciscana, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter, constanterque credendam (1). Quo fidei articulo solemniter pronuntiato, totus in orbe terrarum mundus exultavit, et ubique cantatum est Domino canticum novum, ejusque Immaculatae Matris resonuerunt praeconia. Ordo autem Minorum, gratias agens Deo pro parta victoria ad honorem et laudem Mariae, illa ipsa die per suum Supremum Moderatorem, lilium argenteum Pontifici obtulit festive ajens: « Quod diu, a saeculis, Beatissime Pater, speciali devotione tota exoptabat Franciscalium Familia, illud ipsum hodie infallibile Apostolici oris tui complevit oraculum. Haec propterea Seraphica soboles laetabunda divinam semper exorabit Majestatem, ut jugiter Sanctitatem tuam in bonum Ecclesiae universae incolumem servet, et ego una cum meis hisce collegis (2), cliens obsequentissimus Sanctitatis tuae, nomine trium Ordinum Seraphici Patriarchae Francisci, qua ejus, licet indignus, successor offero lilium, symbolum, quod est puritatis omnimodae in primo instanti conceptus Immaculati Beatissimae Virginis Mariae (3) ».

Et haec sunt, o Praestantissimi Patres, quae mens mea concipere, quae lingua dicere in tanta sua inopia potuit, ad honorem Virginis Immaculatae, ad gloriam franciscanae Scholae. Laudari viros gloriosos in generatione sua, idest parentes nostros, quos sapientia et pietate refertos, paratos invenit semper et ubique Maria ad propellanda tela adversariorum sui singularis privilegii. Nos utique merito gloriari oportet, quia filii eorum sumus! quia vel a teneris annis nomen dedimus, Deo inspirante, Sacro Minorum Ordini, qui praeter alia munia, divinitus habuit et illud perhonorificum sedulo tuendi maximum privilegium *Filiae, Matris et Sponsae* Dei! At una simul patrum nostrorum praeclara exempla aemulari debemus! Quid umquam nobis proficeret, memorari gloriae quam isti sunt adepti in astruenda et tuenda Immunitate Mariae a labe originis, in propagando ejus cultu, si eorum non sectaremur vestigia? O Immaculata Maria!... O inclita nostra Patrona!... O Domina, o Mater, o Regina nostra! illos tuos misericordes oculos ad nos converte; nos hic adunatos benigne respice, sicut benigne semper respexisti majores nostros. Fac propitia, ut Ordinis regimen a nobis demandetur talibus, qui non curis parcent, non laboribus, non vigiliis, ut disciplina floreat, regularis observantia vigeat, studium scientiarum et pietatis fervor foveantur ad majorem Dei gloriam, ad bonum Ecclesiae et societatis; et amor, devotio, cultus Tui Immaculati Conceptus promoveatur semper, et ubique gentium. Respice nos benigne, respice nos et universos Confratres nostros, et fac propitia, ut Te duce, Te auspice, Te patrocinante nil timeamus, etsi hac illac tempestate jactati, numquam desperemus! Fac propitia, ut incolumes transeamus per medium eorum qui nobis sunt ex adverso, et securi incedamus per hanc mundi silvam tribulis consitam. Oh! simus, simus, Virginis benedictae vere pii ac devoti, et Ipsa refugium erit nobis a generatione in generationem; multiplicabimur, florebimus, prosperabimus! Oh! Sancta et Immaculata Maria, iterum iterumque invoco auxilium tuum super universam Franciscalium Familiam tibi diu sacram; salva eam, quam Sanguine suo pretioso Filius tuus redemit, et quam B. Franciscus, majoresque nostri voluere sub tua potentissima tutela! *Gloria, laetitia, et honorificentia populi nostri,* nos, resque nostras benigne protege! Sub umbra tua sedentes salvi utique erimus, in pace et aequitate ambulabimus viam vocationis nostrae, per infinita merita Filii tui, Jesu Christi Domini Nostri, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

(1) Litt. Apost. *Ineffabilis Deus* 8. Decemb. 1854.

(2) Aderant Ministri Generales Minorum Conventualium, Capulatorum et Tertii Ordinis.

(3) Vid. dissert. cit. P. Venantii a Celano pag. 84.

III.

DE SPIRITU SANCTO

ORATIO

HABITA IN AULA CAPITULARI
CORAM PATRIBUS CONGREGATIS
PRIDIE KAL. OCTOBRIS

A P. RAPHAELE ANGELO

DOMO FAVENTIA
EX-MIN. REFORM. FAMILIA.

Reverendissime Praeses, Patres quotquot estis amplissimi.

Qui ab infantilibus fere annis Patriarcham Seraphicum suosque altissima paupertate praedivites filios intima prosequi veneratione didiceram, atque adolescentulus, undequaque immeritus, inter eosdem cooptatus summa animi mei laetitia, de quavis in posterum illorum prosperitate et gloria, tamquam mea jucundiora essent bona, non congaudere et superbire nequivi, novo hodie et insperato gaudio gestirem in conspectu vestrum, si possem auscultaturus ultimo stare scamno potius quam cathedram tenere dicturus. In vobis namque totius Minoritici Ordinis gubernacula multifarie tenentibus sacer augustusque residet Senatus jure praeditus eligendi qui Moderatori Supremo, sub viginti annorum apprime laudandae gubernationis sarcina defatigato, illiusque Supremis Consiliariis in rebus definiendis succedant. Inter vos sunt divini verbi praecones disertissimi, qui summis laudibus per dissitas mundi plagas et non immerito celebratur. Inter vos disciplinarum theologicarum doctores omnigena sapientia prout aetas haec nostra postulat, referti. Inter vos humanarum literarum bonarumque artium atque scientiarum quotquot sunt cultores studiosissimi, qui non injuria dici et venerari possunt magistri. Inter vos denique perfectionis evangelicae strenui adsertores, qui fluxarum rerum contemptu, supernarum amore, atque non fucata in Deum pietate, in proximos dilectione Christi bonus odor habentur et sunt in omni loco.

Dum ergo in amplitudine hujus consessus fari jubeor, et quidem fari non patrio Alighieri sermone, in quo aliquantulam impendisse operam non diffiteor, sed nobilissima Aeneidos lingua, in cujus cultu me neque leviter exercendi in ministerio verbi se praebuit occasio, animi gaudio quod dixi timor obest, meamque consuetam in dicendo adimit audaciam.

Dicam tamen, quod si de caetero auctoritatem respiciam, a qua vocatus huc veni ad sermonem instituendum, meum in eandem obsequium me confirmat; si vestram humanitatem conscia mente revolvo, pertimescenti animo robur accedit.

Immo si propius naturam introspiciam officii mihi facile ultimo ex consodalibus commissi, nonne ipsum thema ut vos alloquar datum in hac temporum tristitia et ingruentium in dies malorum mole, qua maximi ponderis atque momenti haec fiunt generalia comitia, nonne, inquam, suppetit ad quamlibet animi dejectionem erigendam? Est namque omnipotens ille Spiritus Sanctus atque Paraclitus qui linguas rudium piscatorum fecit disertas, eorum corda pavore percita apostolico zelo succendit, et quo per eosdem ubicumque gentium flante, veluti quando in principio temporis et rerum ferebatur super aquas (1), terrarum orbis erroribus criminibusque scatens atque in ima prolapsus ad omnigenae veritatis virtutisque immortalem vitam revocatus est.

Adsit ergo, ne in plura verba exordium abeat, adsit ipse pius et propitius, ut de divino suo Numine, quod vobis super omnia necessarium in praesentiarum est, convenienter disseram, et brevi disserendo confido fore ut persuasum sit cuique vestrum, si tamen quis indigeat meis persuaderi verbis, spe ista et ista sola optime vos posse consulere bono Ordinis nostri, cujus personam et partes tantam ob causam hic sustinetis, quin et in totius christianae rempublicae, in cujus subsidium ejusden Ordinis fundatio fuit Patriarchae nostro Seraphico caelitus demandata.

Atque ut inde proficiscatur oratio unde tractatio tota petenda est, neminem vestrum proculdubio latet auctoritatem supremam eamque viventem in unaquaque humana societate,

(1) Gen. I. 2.

ut ipsa consistat et floreat, tantum esse necessariam quantum ut quisquis eam tenet numeris omnibus sit absolutus quibus velit sciatque ea recte uti in maius bonum societatis eiusdem. Hinc sanctus legifer noster capite VIII sibi nobisque divinitus datae Regulae mandavit, quod *universi fratres unum de Fratribus istius religionis teneantur semper habere Generalem Ministrum et servum totius fraternitatis* cui firmiter obedirent, *quo decedente electio successoris fiat in Capitulo Pentecostes* Ministris Provincialibus et Custodibus constante. Quibus verbis ut noster exponit Seraphicus Doctor (1), non solum regiminis unitas et perpetuitas pro Minorum Familia statuuntur eo prope modo, quo eas pro Ecclesia sancta sua statuerat CHRISTUS Dominus unum Apostolum praeficiendo ceteris (2), antea promiserat per Ezechielem fore statuendas in uno illo Pastore quem suscitabit super oves suas servum suum David (3), et quantum intererat statuisse, coram synagoga dissidentium Judaeorum demonstravit effando: omne regnum in seipsum divisum desolabitur (4). Sed quod minus non refert, sub nomine Generalis Ministri, qui una simul naturam servi totius fraternitatis induat, tum auctoritas suprema et consequens regiminis summa ei tribuenda indicatur, tum pro regimine provida manu tractando humilitatis asseritur necessitas, qua fiat, ore loquar laudati Doctoris nostri, ut qui *dum subditus erat obediebat uni aut duobus, sciat se electum in Generalem Ministrum debere omnium necessitatibus obedire* (5). Porro obedientia isthaec ab radice humilitatis germinans, ac necessitatibus omnium quotquot sunt subditorum praebenda, si potius quam in contemptum auctoritatis supremae, in aedificationem atque profectum corporis singulorumque membrorum cedat oportet, nonne supponit in humillimo rectore legum scientiam omnigenarum, quibus sibimet suisque est obtemperandum? Nonne zelum secundum scientiam, quo desidiosos excutiat, errantes ab incepto revocet, debilibus opem ferat, nutantes confirmet, omnes verbi pabulo reficiat, praecedat exemplis? Nonne justitiam, fortitudinem, prudentiam, praecipueque charitatem, quae patiens, benigna, misericors in subditos omnia sufferat, omnia credat, omnia speret, omnia sustineat? Uno verbo ad exhibendam servitutem illam, quam Sanctus Legislator noster praecipiendo sociat auctoritati supremae successorum suorum, virtutes omnimodae praesto esse debent, quae a gentium doctore Paulo instantius commendantur Ecclesiarum Pastoribus prout pastoralis et apostolici muneris partes praecipuae, praesidium et decus (1).

(1) Expos. in Reg. Fr. Min. cap. cit.
(2) Joann. XXI. 17.
(3) Ezech. XXXIV. 23.
(4) Lucae XI. 17.
(5) Loco cit.

Esto igitur, quod superius me arbitrari confessus sum, in horto seraphico haudquaquam hodie desiderari hujusmodi flores et fructus honoris et honestatis, sicuti numquam defuisse, DEI gratia favente, historia testatur (2), summique praedicant Pontifices (3). Verum tamen si splendor iste intellectualium atque moralium virtutum sese ultro et invita modestia aliquando prodit, quis inficiabitur ipsum ut plurimum aspicientium oculos eo magis fugere quo virtutes, unde oritur, funditus in animo radices egerunt? Aut quis autumabit ex hisce animi dotibus, quae vario nitore collucent, hinc praevalens meritum hujus vel alterius consodalis tuto posse deduci, inde a merito praevalenti, quod oculos ferit, humani cordis intima ita revelari ut ceteris omnibus praeficiendus hic videatur vel ille? Namque prudentia nostra aciesque ingenii, quin dicam si nos saepe saepius fallunt, nil certe veritatis detrahent unquam infallibili oraculo: *homo videt ea quae parent,* DEUS *autem intuetur cor* (4). Hac sane de causa undecim Apostoli post CHRISTI ascensionem in caelum, licet probe scirent merita virorum qui secum fuerant congregati omni tempore quo intravit et exivit inter eos Dominus JESUS, ideoque ad implendum juxta prophetiam duodenarium nu-

(1) I. ad Tim. III. Ad Tit. I. II.
(2) Ut de ceteris minoris ponderis dotibus sileamus heroes quibus S. M. Ecclesia sacrum cultum attribuit, ex solis Familiis primi Ordinis unico Generali Ministro nostro obedientibus numerantur supra centum triginta duos, eademque causa pro aliis quinquaginta uno vel promovenda vel jam sub judice est.
(3) Nicolaus III. et Clemens V. in Decl. Decret. Regulae Fr. Min. Benedictus XIII. in Constit. 16 nov. 1724 aliique bene multi.
(4) I. Reg. XVI. 7.

merum, duos ex iis Joseph et Mathiam statuissent veluti ceteris digniores, demum orantes ab eo petierunt humiliter qui corda novit hominum ut ostenderet quem deberent eligere ad locum ministerii et apostolatum accipiendum (1).

In Deum igitur, *cui omne cor patet et omnis voluntas loquitur et quem nullum latet secretum* (2) est maxime jactanda cura ut post humanae sapientiae ac prudentiae tentamina, et eo magis terrenis affectionibus quibuscumque imperatum silentium, exitus electionum contingat quem cordati electores optabant, atque communitas, cujus prospiciendum erat saluti, opus habebat. Et quoniam a Patre luminum ejusque simul Verbo procedens Flamen divinum ad hoc praecipue missum est, ut regeneratos unda Baptismatis doceat omnem veritatem (3), illorum mentes visitando collustret, inflammando soletur corda, impleatque superna gratia quae ipse creavit pectora (4), ab eodem ipso unum istud peti debet ut opem propitius ferat, caelitus emittendo lucis suae radium super vos congregatos ad eligendum qui gubernaculum Ordinis teneat, ejusque in gubernando adjutores; et expers erit humanae infirmitatis erroribus tum electio tum quidquid aliud in bonum Ordinis ejusdem vobis videbitur decernendum.

Re quidem vera si dictum indigeat confirmatione, Pater noster Seraphicus hujusmodi comitia, quae universis fratribus filiisque suis datura essent primum jurisdictionis et honoris Antistitem, legesque cum Regula pro temporum varietate congruentiores statuendas, indixit celebranda sacro et solemni die in quo Spiritus Sanctus *ignis vibrante lumine illapsus est Apostolis* (5). Ecquonam, quaeso, ecquonam istud proposito, si Pater noster noluit solemni memoria statae diei pectoribus nostris inserere fiduciam jaciendam in Paraclitum Sanctum qua die totam domum implevit ubi Apostoli et Discipuli congregati in unum erant sedentes? Ecquonam proposito, praeter hoc ipsum, Ordinis nostri Constitutiones deinceps mandarunt quod instantibus hisce comitiis preces funderentur ab omnibus peculiares, sacrificia ritualia deberent offerri, et per singula orbis terrarum coenobia nostra, supplicationibus ductis invocaretur adventus Paracliti hujus sancti, *sine* cujus *numine* prout *nihil est in homine, nihil est innoxium* (1), ita eo spirante omnia veritate et amore, virtute et gaudio complentur? Aut juxta hoc legis propositum num jam quadraginta et amplius diebus Minorum qui sumus familia a solis ortu ad occasum sparsa humiliter et confidenter non institimus exorando prodigium ignei Numinis ita in vos advenientis ut de electo per vos gratulemur vobis omnes eo ipsissimo jure quo Minorum caetus gratulatus est Beato Joanni Parmensi de Seraphico Bonaventura proposito ut sibi in Generalatu succederet, et Ecclesia Catholica est gratulata Seraphico Bonaventurae de Gregorio hujus nominis X in oculis Patrum Purpuratorum posito ut in Romanum Pontificem eligeretur?

Non est ergo quid immorer aut in humanae sagacitatis exaggeranda debilitate aut in extollenda virtute Spiritus, quo canit Regius Psaltes omnem etiam coelorum virtutem firmari (2). Neutrum namque si sole clarius non lucet, solummodo restat, reverenter quidem sed libero ore dicam, ut non principaliter ab humanae rationis argumentis, et eo minus a propensione cordis, qualiscumque ea sit, in hanc vel illam partem, sed ab impetu Spiritus tanta prece exorati vos impelli sinatis et duci eo prope modo quo mystica Ezechielis animalia tam facie dissimilia gradiendo pariter ducebantur (3), et en Ordinis nostri orbitati ut par est optime provisum.

Accedit nihilominus, nec mihi videtur praetereunda silentio, infelix conditio temporum, in quae nos incidimus, longe dissimilium ab aevo Sanctorum, quae memoravi, Consodalium, de Ordine nostro pro illius administratione quam quae maxime provida optime meritorum. Tunc enim si schismata civiumque factiones ferae per urbes et oppida grassabantur, si irarum et necis omnia erant plena, moresque sursum deorsum corruptissimi, fides sancta non deerat;

(1) Act. I. 23. 24.
(2) Ad post. grat. Sp. San. Or.
(3) Joann. XIV. 16. 17. 26. XV. 13.
(4) In hymn. Pent. ad Vesp.
(5) In hym. Pent. ad Laud.

(1) Seq. Pent.
(2) Ps. XXXII. 6.
(3) Ezech. I. 10. 12.

haerebat immo cordibus quotquot essent baptizatorum, eaque magistra vel scelestissimi homines fraterno fortasse cruore manantes Religiosas Sodalitates venerabantur; earum claustra veluti refugii loca ad mundi culpas expiandas et divinae iustitiae obsecrandam ultionem communiter haberi usuveniebant; ipsique dynastae et reges in hoc monasticarum institutionum cultu praeeuntes earum personas et jura in fidem suam atque tutelam recipere gloriati sunt. Nunc autem, proh dolor! libertatis nomine pellimur e claustris; nunc pro reverentia prosequimur odio; nunc pro mercede factorum a quibus aetatis nostrae tam celebrati progressus vel exordium sumpserunt vel adjumentum, tamquam hostes insimulamur; nunc in nos leges feruntur dignae vaferrimi apostatae Juliani, ut vota quae volentes vovimus Deo, veluti par est, ei solvere non possimus; nostrique, licet non raro magnae spei juvenes, abrupto studiorum curriculo et sacro altaris ministerio, militarem gladium cingere adstringantur. Talia non solum quotidie videmus oculis nostris, auribus nostris audimus, sed pars tantorum infortuniorum sumus, quae per cultiores Europae regiones ingemiscit Ecclesia.

Unde ergo consilia, unde vires electoribus et eligendis ut prospera hinc inde sibi et Ordini polliceantur, si non proveniant a Numine quo Ecclesia ipsa in die Pentecostes enata est gigas, et jam per saecula undevicena omnes adversariorum ictus elusit, conatus triumphando protrivit? Dicam verius; hoc Numine calentibus animis quae potest esse audacia persecutoris, quae persecutionis diuturnitas vel acerbitas, quae immanitas periculi vel detrimenti a quibus terreamini?

Si catholicam doctrinam cogito, unanimiter Doctores mihi tradunt Spiritui Sancto, in quantum a Patre Filioque procedit ut amor, competere esse donum sanctificationis, cujus Verbum est auctor, ideoque donum Sapientiae et Intellectus, Consilii et Fortitudinis, Scientiae et Pietatis, ac demum illius Timoris dominici a quo Sapientia princeps, seu alia omnia dona complectens, initium sumit. Si vero Patrum sententias quaeram, quibus doctrina illa fusius exponitur et perbelle illustratur, scribit Chrysostomus: « Multa quidem saepenumero de caelo in terram generi humano delapsa esse bona, qualia vero hodierno die *(Pentecostes)* nunquam antea. Quid enim, quaeso, eorum quibus salus nostra continetur, non per Spiritum Sanctum donatum est nobis? Per ipsum a servitute liberamur, in adoptionem adducimur, ac denuo, ut ita dicam, fingimur.... Per Spiritum Sanctum Sacerdotum cernimus choros, Doctorum ordines habemus; ab hoc fonte manant et revelationum donationes, et gratiae sanitatum; et reliqua omnia quibus Ecclesia Dei condecorari solet inde promuntur (1) ». Hipponensis: « Quod est anima corpori hominis, hoc Spiritus Sanctus corpori Christi quod est Ecclesia: hoc agit Spiritus Sanctus in tota Ecclesia quod anima in omnibus membris unius corporis... Quando namque missus est visibiliter adfuit fidelibus suis non jam visitator subitus sed perpetuus consolator, habitator aeternus... non jam per gratiam visitationis et operationis, sed per ipsam praesentiam majestatis; atque in vasa non jam odor balsami, sed ipsa substantia sacri defluxit unguenti (2) ». Et Gregorius Magnus haud secus ratiocinatur conceptis hisce verbis: « Sicut est una anima quae diversa corporis membra vivificat, ita totam simul Ecclesiam unus Spiritus Sanctus vegetat et illustrat. Sicut namque Christus, qui est caput Ecclesiae, de Spiritu Sancto conceptus est, sic Sancta Ecclesia, quae corpus ejus est, eodem Spiritu repletur ut vivat; ejus virtute firmatur, ut in unius fidei et charitatis compage subsistat. Unde dicit Apostolus: Ex quo totum corpus per nexus et conjunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei (3) ». Nihil igitur mirum hac praesentia Spiritus omnipotentis, in quo *omne datum optimum et omne donum perfectum descendens a Patre luminum* (4) adesse credimus et profitemur, eo Ecclesiam nostram splendidiores de hostibus suis obtinuisse victorias quo ipsi magis infensi, callidiores eorum artes, arma pejori obducta veneno, certamina ferociora. Quasi rupes, quae irati atque spumantis pelagi fluctibus iterum iterumque petita, quin vel minimum commoveatur, postremo micante sole nitidior apparet;

(1) Serm. XXXVI. XXXVII.
(2) Serm. I. in die Pent.
(3) Expos. in Psal. v. Poenit.
(4) Ep. cath. Iac. I, 17.

vel prout ferrum, quod supra incudem tundente malleo obdurescit, ita fidelium societas, quam sanctum hoc Flamen illuminat et fovet, tuetur et recreat, enutrit et ditat. Ita operatur in aedificationem corporis CHRISTI haec indeficiens virtus Paracliti Spiritus, quem ille ad hoc se missurum pollicitus est caelos conscendens. Hinc noster Bernardinus Senensis de eadem virtute canit (1): « Haec contra mundi pericula mentes, contra judices et tyrannos credentium linguas armavit unde, quod erat videre miraculum, infirmi fortia facerent, et pauci ac pusilli regum imperia non timerent. Per hanc barbaries domita, colla gentium subjugata, principatus et potestates humiliatae dexteras dederunt atque honorem DEO vivo et unico Filio ejus Domino JESU CHRISTO. Per hanc aedificatio fidei christianae super fundamentum aeternum extructa brevi temporis spatio in magnum DEI templum excrevit dum juxta prophetiae verbum *ignis a facie ejus exarsit, carbones,* id est Apostoli atque Discipuli, *succensi sunt ab eo* (2) ».

Videte namque et admiramini exordia, videte et celebrate saeculorum subsequentium vicissitudines gloriosas.

Sapientia et Intellectu praevalentes Apostoli inanis philosophiae fabulas conculcant, daemonum cultus e medio tollunt, sacrilegiorum destruunt impietates, unde Leo Magnus hanc urbem Romani arcem Imperii totiusque mundi caput dicebat: « sylvam frementium bestiarum et turbulentissimae profunditatis oceanum (3) ». Sapientia et Fortitudine armati Martyres rident tormenta supra modum saeva, invincibili constantia in iis perferendis tortores vincunt, et praeclarum humanae rationi testimonium suppeditant divinitatis fidei, cujus amore vitam despiciunt, morti se tradunt. Inferneae potestates sophismatibus assequi pertentant, quod plagarum saevitia et sanguinis effusione non potuerunt. Sed armis Intellectus et Scientiae freti ita Doctores obviant, ut ex illa errorum caligine, melius quam scintilla silicis excussa, lux veritatis splendidior erumpat. Consilium et Fortitudo, quibus Ecclesiarum Pastores, et in primis eorum Princeps

(1) Serm. IV in die Pentec. sub init.
(2) Ps. XVII, 9.
(3) Serm. I. de SS. Apost. Petro et Paulo.

Successor Petri sunt mentes et corda referti obviant saeculi Principibus, qui centies milliesque sacra jura ut vineam Naboth invadere adnisi sunt. Et Pietas et Timor DOMINI, de quibus delectatur multitudo justorum et delectari tenetur quisquis, ut nos, qui divino est mancipatus servitio, obviant corruptelae morum et spirituum elatorum licentiae, unde pessimi hominum velamen habentes malitiae libertatem (1), animas divini Sanguinis pretio redemptas in tartara impellunt, humanaeque societatis moliuntur excidium.

Quonam igitur pacto Spiritus iste, qui septenaria virtute sua, ut Isaias longe antea praedixerat futurum (2), vita fuit et robur Ecclesiae, quemque nos propterea in Symbolo jam jam litaturi confitemur quotidie vivificantem, non erit satis superque Minoriticae Familiae nostrae in hoc discrimine rerum licet terrifico? Non ipse invocatus suggeret vobis inter aptiores aptissimos, quibus concredatis gubernandi onus quamquam Angelis, ut Chrysostomus opinabatur de Episcopatu, formidandum? Non ipse formidando onere gravatis vim addet animumque prout necessitas postulabit?

Longe abest ut, quod vobis injuriam inureret, velim credere aliquem vestrum non esse admiratum prodigia miserrimae tempestatis hujus, quibus spes nostrae in dies deficientes in dies eriguntur. Ast cuinam haec divinae virtutis monstra deberemus si ipsi Paraclito, cujus missio vel officium est talia operari, non debeamus? Collegia sive Seminaria Seraphica per omnes fere Italiae Provincias erecta novitiatibus nostris tyrones mundanarum nescios corruptelarum suppeditant et numero uberiores et circa pietatem, studia, vocationem diuturniori experientia tentatos. Sed quis inspiravit utriusque familiae Moderatoribus, quis dedit ut invitis Christiani Nominis hostibus illa possent erigere? Quis dat ut consistant nisi inspirantis Paracliti virtus? Quis nisi Paraclitus inspiravit deditque fundari posse monumentum aere perennius, Collegium, dico, Bonaventurianum ad *Claras Aquas* in Tuscia, quo Seraphici Doctoris nostri, (nimis et a nostratibus non paucis neglecti et fortasse suo Sancto admiratori injuria postpositi) libri vere anecdoti,

(1) I. Petri II, 16.
(2) X. 2. 3.

et prout numquam antea castigati typis ederentur; hoc est ut ab inchoato exorsu felici gressu procederet opus tanti ausus, cui vix sufficere Principum divitiae anteactis temporibus dijudicatum esset, hodie paupertatis altissimae professores satis fuerunt? Quis nisi Paraclitus inspiravit ac dedit quod cunctis Minorum Familiis, unico Generali Ministro totius Ordinis obtemperantibus, jam a saeculis erat in votis, ut pro Sede generalitia et una simul pro studiorum Collegio, quarumcumque nationum juvenibus ingenio praestantioribus dando Conventus hujus moles ingens in hac alma Urbe a fundamentis excitaretur, dum centum alii sacri recessus intra et extra fines hujus Italiae evertuntur, vel legis interdicto damnati usibus prophanis addicti deplorantur?

Mitto supernae hujusmodi protectionis absimilia indicia non esse ipsos adolescentes turmatim adventantes, ut se nobis tam male habitis concredant; nova hic et illic coenobia inter veterum ruinas exorta; zelum paucorum confratrum a turbine quassante reservatorum, qui totis viribus incumbunt, ut in suis Provinciis regularis disciplina vel sarta tecta remaneat vel collapsa instauretur; constantiam consodalium, qui in Missionibus exteris diutius adlaborantes perseverant quam olim quamvis multo plures sibi succedentes adlaborare consueverunt; et Custodias in Galliam et in Angliam noviter invectas; et Custodiae Terrae Sanctae totique Ordini novum decus, quod nuper consodalem nostrum ad Patriarchalem Sedem Hierosolimitanam evehendo Pontifex Maximus addere sibi complacuit.

Facta namque si quaerantur, ut lucidius veritas pateat, quam ratiocinando monstrandam suscepi, non est opus antiquos consulere codices; oculis ea intueri nobis datum est. Intuemur oculis quod in Evangelio asseritur hunc Spiritum et aquam vivam, et digitum Dei, et ignem, et unctionem esse propter quatuor effectus praecipuos hisce quatuor figuris respondentes, in quibus bonitas et suavitas ipsius, qui omnipotens natura est, manifestantur. Quia, ut exponit Seraphicus Doctor noster (1), si ipse aqua viva, quae sordes peccatorum emundat lavacro poenitentiae, si digitus Dei, quo inimici salutis nostrae conjiciuntur in fugam, si ignis accendens, qui donorum omnium per charitatem largitur gratiam, ac denique unguentum quo, ut reges ad regnandum inungi solent, fideles unguntur et consecrantur ad coronam, haec omnia quisquis Provinciarum nostrarum et Custodiarum statum ad trutinam vocat varia luce micare conspicit, non spei tantummodo argumentum, sed esse prodigium patens illi persimile, quod a sigillo totius Ordinis repraesentatur, hoc sanctum Flamen in similitudinem ignearum linguarum descendens super pusillum apostolicum gregem, qui firma fide, humili corde et flagranti desiderio ejus adventum praestolabatur.

(1) Serm. X in die sancto Pent.

Quapropter, ut inde mihi eloquendum videtur, me eloqui conceditis? Si vel catulus leonis saevus et rugiens occurret, electi vestri, dummodo nullo habito respectu ad humanorum commentorum species per Spiritum Sanctum eligantur, erunt Samsones, in quos ipse praepotens irruet, et leo quasi hedus in frusta discerpetur (1). Et si novus Ammonites crudelis et arrogans non erubuerit in opprobrium generis nostri proponere foedus nobiscum feriendum, idem Spiritus, qui jam in Saul, insiliet in novum Moderatorem supremum, ejusque a consiliis et adiutores intimos, et Ammonitidem crudelem et arrogantem audaciae suae poenitebit (2).

Eja igitur, Patres prolixa veneratione digni, eja agite, ut spes ista plena solatii atque salutis virescat jugiter in cordibus vestris. Eja clamemus omnes simul veluti orantes pariter in eodem loco cum Maria Matre Jesu clamaverunt ejus discipuli ne diutius orphani super terram relinquerentur. Clamemus, ut eo prope modo, quo superbia aedificantium babelicam turrim dejecta est a descendente Numine et linguae eorum confusae (3), humilitas precum nostrarum nobis donet, quod unius labii et cordis unius, humanaeque calliditatis posthabitis rationibus, ut plurimum fallacibus, inhaereatis docenti vos Spiritui Sancto, ut ad meliora in electiones et cetera tractanda conducat. Si namque inniti posse solius humanae solertiae argumentis numquam crediderunt Patres

(1) Jud. XIV. 6.
(2) I Reg. XI. 6.
(3) Gen. XI. 7.

nostri, quibus licuit vel aequore placido enavigare, vel haud diuturnis quae nos fatigant, exagitati sunt procellis, quomodo, precor, possetis vos ita malorum atque minarum angustiis fere saecularibus funestati, ut sublata in eum fide, quo cuncta creantur et renovantur (1), esset de salute penitus desperandum? Vel quales Francisci essetis filii si non memineritis illius solemne monitum, nos super omnia quae terrena sunt, licet honesta et laudabilia, ne dempto quidem literarum cultu, desiderare debere inhabitantem in nobis SPIRITUM DOMINI et sanctam ejus operationem; seque ipsum, ut exemplo ad CHRISTI normam anteiret, jejunio quadragesimali consuevisse praeparare ad sacrae Pentecostes diei memoriam quotannis celebrandam? Finem ergo verbis ut, quod maxime interest, potiori jure vobis parto ab angustiis nostris vos praeparetis ad SPIRITUM hunc SANCTUM accipiendum ea cordis humilitate (2) quae acceptiores illi virtutes complectitur, et postea ex visceribus animae liturgicam fundite Ecclesiae precem:

Veni, Pater pauperum, veni, dator munerum, veni, lumen cordium. Veni, *o lux beatissima, dulcis hospes animae, dulce refrigerium,* et *in labore requies,* et *in aestu temperies,* et *in fletu solatium.* Veni et da propitius *in te confidentibus sacrum septenarium* (1).

(1) Ps. CIII. 30. Judit XVI. 17.
(2) S. Bonav. Serm. II. In die sanc. Pent. in fine.

(1) Sequent. Pent.

Nihil obstat

FR. ALOYSIUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

EX S. CONGREG. S. RITUUM

Sanatio consecrationis altarium

ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI.

Rmus P. Alexander Corrado, Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, hodiernus Commissarius Generalis Missionum Franciscalium de Propaganda Fide in Bolivia, humillime exposuit huic Sanctae Apostolicae Sedi, quod haeret animo dubitans num valide consecrata fuerint altaria sive fixa sive portatilia a Patribus Franciscalibus alicui Missioni Praefectis, vigore specialis Apostolicae facultatis ipsis tributae pro locis, ubi desit Episcopus, vel distet duas dietas, vel sedes vacet. Quum vero ejusmodi consecratio ab iis Patribus peracta sit vel praesente eodem in loco Episcopo, vel saltem non vacante sede; bona tamen fide, eo vel magis quod ipsi Episcopi ad Patres mitterent aras consecrandas; ac praeterea non semper constet, plures Sanctorum Reliquias, easque in Sepulcro rite efformato repositas fuisse; hinc ad anxietatem omnem tollendam praefatus P. Commissarius Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII enixe rogavit, ut, attenta summa difficultate ejusmodi aras haud rite consecratas inquirendi et recognoscendi; de Apostolica Benignitate, in iisdem altaribus Sacrosanctum Missae sacrificium, uti hactenus factum est, celebrari permitteret. Sanctitas porro Sua, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, attento commendationis officio Rmi P. Ministri Generalis totius Ordinis Minorum, admissos in consecrationibus defectus sanando, expetitam veniam benigne indulgere dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 25 Septembris 1889.

—

EX S. CONGREG. INDULG.

Novae indulgentiae recitantibus orationem S. Josephi, de qua in fasc. IX, pag. 132.

I.

DECRETUM

URBIS ET ORBIS.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII summopere exoptans, ut erga Sanctissimum Patriarcham Joseph, B. Mariae Virginis sponsum, cultus impensius foveatur, Ejusque praesentissimum patrocinium efflagitetur, his praesertim rerum publicarum adjunctis, quibus ob succrescentem in dies inimicorum audaciam Jesu Christi Ecclesia acrius oppugnatur, per Litteras Encyclicas datas sub die 15 Augusti 1889 Marialibus precibus Sanctissimi Rosarii, quas mense integro Octobri Ipsemet Sanctissimus recitandas alias decrevit, superaddendam indixit Orationem ad Sanctum Josephum quam praefatis Litteris adnexuit. Eadem porro Sanctitas Sua quae singulis Christifidelibus eamdem Orationem publicae Rosarii recitationi per mensem Octobrem addentibus Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum singulis vicibus acquirendam jam attribuit, in Audientia habita die 21 Septembris 1889 ab infrascripto Secretario S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae *motu proprio* eidem Orationi aliam Indulgentiam, defunctis quoque applicabilem, adjicere dignata est *dierum tercentorum* semel in

die quovis anni tempore lucrandam ab universis Christifidelibus, qui corde saltem contriti ac devote supramemoratam Orationem etiam privatim recitaverint. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die 21 Septembris 1889.

Pro Emo ac Rmo Dno C. Cardinali
CRISTOFORI, *Praefecto,*
ALOYSIUS Card. Episcopus SABINENSIS.

L. ✠ S.

ALEXANDER Episcopus OENSIS, *Secret.*

—

II.

Indulgentia Clericis adnexam orationem recitantibus concessa.

Beatissime Pater,

Gaussens, sacerdos Dioeceseos Burdigalensis, ad pedes S. V. humiliter provolutus expostulat, ut omnibus Ecclesiasticae militiae addictis et in sacris Ordinibus jam constitutis corde saltem contrito ac devote recitantibus subnexam Orationem aliquam Indulgentiam benigne concedere dignetur.

ORATIO.

« DOMINE JESU CHRISTE, sponse animae meae, deliciae cordis mei, imo cor meum et anima mea, ante conspectum tuum genibus me provolvo, ac maximo animi ardore te oro atque obtestor, ut mihi des servare fidem a me Tibi solemniter datam in receptione Subdiaconatus. Ideo, o dulcissime JESU, abnegem omnem impietatem, sim semper alienus a carnalibus desideriis et terrenis concupiscentiis, quae militant adversus animam, et castitatem, Te adjuvante, intemerate servem.

O Sanctissima et Immaculata MARIA, Virgo virginum et Mater nostra amantissima, munda in dies cor meum et animam meam, impetra mihi timorem DOMINI et singularem mei diffidentiam. Sancte JOSEPH, custos virginitatis MARIAE, custodi animam meam ab omni peccato.

Omnes sanctae virgines, divinum Agnum quocumque sequentes, estote mei peccatoris semper sollicitae, ne cogitatione, verbo, aut opere delinquam et a castissimo corde JESU unquam discedam. Amen ».

SS. D. N. Leo Papa XIII in audientia habita die 16 Martii 1889 ab infrascripto Secretario S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, omnibus, de quibus in precibus, corde saltem contrito ac devote recitantibus propositam orationem, Indulgentiam *centum dierum,* defunctis quoque applicabilem, semel in die lucrandam, benigne concessit. Praesenti in *perpetuum* valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria ejusd. S. C. die 16 Martii 1889.

C. Card. CRISTOFORI, *Praef.*
† ALEXANDER Episc. OENSIS, *Secret.*

—

NOVUS PATRIARCHA

EX ORDINE NOSTRO.

SSmus Dnus Noster LEO PP. XIII mense Augusto Patriarcham Hierosolymitanum creavit Illmum ac Rmum D. LUDOVICUM PIAVI, Obs. Provinciae Bononiensis filium, Archiepiscopum titularem Siuniensem, Delegatum Apostolicum Syriae pro Orientalibus, necnon Vicarium Apostolicum Aleppi pro Latinis. Natus est die 17 Martii 1833, Archiepiscopus Siuniensis nominatus die 18 Novembris 1876.

II.
ACTA ORDINIS

—

BREVIS RELATIO
DE
CAPITULO GENERALI
anno 1889 celebrato.

1. Die 15 Decembris anni 1888 Rmus P. Minister Generalis Summum Pontificem accessit, et cum eo egit de celebratione Capituli Generalis. S. Pater sententiam suam distulit, dicens, se cum Emo D. Cardinali Praefecto S. Congregationis Episcoporum et Regularium hac super re locuturum esse.

2. In sessione Definitoriali diei 21 Februarii 1889 Rmus P. Minister Generalis Patribus sui Definitorii annuntiavit, Summum

Pontificem benigne concessisse, ut Capitulum Generale hoc anno celebretur, eumque pariter, si expedire videretur, pro hac vice derogaturum esse praescripto Constitutionum Ordinis quoad tempus, quo huiusmodi Capitulum celebrandum est. Facta matura deliberatione, decisum fuit, quod praefatum Capitulum ob tempus nimis circumscriptum in Vigilia Pentecostes, prout praescribunt Ordinis Constitutiones, celebrari non possit, sed potius ad Vigiliam S. P. N. Francisci protrahendum sit, si ita placuerit Beatissimo Patri.

3. In sessionibus Definitorii die 26 et 28 Februarii, 7 Martii, 4 et 11 Aprilis tractatum fuit de convocatione Capituli Generalis, de Patribus ad illud vocandis, de rebus praeparandis deque negotiis in ipso Capitulo tractandis. Inter alia decisum fuit, ut pro hac dumtaxat vice, — obtento prius ad hoc speciali Indulto S. Sedis, — Capitulo interesse, et in eo suffragium suum dare possent illi Commissarii Generales, qui a Ministro et Definitorio Generali instituti sunt pro illis Provinciis, quae post infaustam Religiosorum suppressionem vel nullum, vel fere nullum Conventum recuperare potuerunt. Pariter constitutum fuit, ut praeparetur nova compilatio Constitutionum Ordinis, postea in ipso Capitulo examinanda et approbanda. In hunc finem Commissio instituta est, quae, praeviis consultationibus opportunis, et adhibitis observationibus ad Constitutiones Generales a variis Provinciis factis, et ad Curiam Generalem transmissis, praefatam compilationem conficeret. Membra vero istius Commissionis nominati sunt tres Definitores Generales:

Adm. R. P. *Raphael ab Aureliaco,*
A. R. P. *Eusebius Fermendzin,* et
A. R. P. *Aloysius Lauer.*

4. Die 26 Aprilis Rmus P. Minister Generalis publicavit litteras encyclicas, quibus Capitulum Generale indixit die 3 Octobris 1889 in Collegio Generali S. Antonii Paduani Urbis celebrandum, omnibusque Vocalibus praescripsit, ut saltem die 21 Septembris ad locum Capituli accederent.

5. In sessione Definitoriali diei 5 Septembris Rmus P. Minister Generalis, praesentibus omnibus Patribus Definitorium Generale constituentibus, scilicet tribus Procuratoribus, duodecim Definitoribus et tribus Secretariis Generalibus, exposuit, se, una simul cum Illmo et Rmo Dno *Ludovico Piavi,* Obs. Provinciae Bononiensis filio, Archiepiscopo titulari Siuniensi, Delegato apostolico Syriae pro orientalibus, et Vicario apostolico Alepi pro latinis, comite etiam A. R. P. *Andrea Lupori,* Procuratore Generali Ordinis, ad Summum Pontificem Leonem XIII accessisse, ut Ei gratias ageret de promotione ad Patriarchatum Hierosolymitanum laudati Archiepiscopi *Ludovici Piavi.* Hac occasione usus, Rmus Pater Summo Pontifici supplicavit, ut dignaretur Praesidem nostri Capituli Generalis nominare, subjungens, morem viguisse in Ordine nostro ut, impedito Summo Pontifice, ad quem proprio jure praesidere spectat, Cardinali Protectori Ordinis praesidentiam Capitulorum Generalium committeretur. Cui cum Pontifex assentiretur, Eminentissimum Cardinalem *Joannem Simeoni,* Praefectum S. Congregationis de Propaganda Fide, ac Ordinis nostri amplissimum Protectorem, Praesidem proximi nostri Capituli Generalis designavit. Deinde idem Rmus Pater cum A. R. P. Procuratore Generali Ordinis ipsum Eminentissimum Cardinalem Protectorem adiit, eique superius dicta exposuit, atque eum precatus est, ut Summo Pontifici referre vellet, se praesidentiam Capituli Generalis acceptare; quod promisit, quamprimum se facturum.

5. In Congressu Definitorii die 5 Septembris instituti sunt Provisores Capituli R. P. *Rogerius a Camerata,* Collegii Vicarius, et R. P. *Bernardinus a Neapoli,* Missionarius emeritus. Pariter statuitur ordo Missarum durante Capitulo Generali, secundum quem Missarum celebratio incipit hora quarta, et hora octava absolvitur. Quindecim altaria habentur; hinc qualibet media hora quindecim Sacerdotes celebrare possunt. Confectum est horarium, in quo cuilibet Patri hora pro Missae celebratione assignata fuit.

6. A die 17 Septembris Vocales ad Conventum capitularem advenire coeperunt. Singulis tradita est nova compilatio Constitutionum Generalium Ordinis, prelo impressa insimul cum sequenti Monito, pariter typis impresso:

AD PATRES VOCALES CAPITULI GENERALIS.

« 1. Quamvis omnes Fratres Seraphici Ordinis nostri per totum orbem diffusi, atque ex

variis Familiis consistentis, unam eamdemque Regulam profiteantur, necnon sub uno eodemque Capite, legitimo Successore S. P. N. Francisci, militent; tamen non ubique locorum eadem observantia et vivendi forma quoad omnia in Regula non expressa unquam viguit, nec unquam vigere poterit ob variarum regionum diversas consuetudines et indigentias.

« 2. Quo vero in rebus magis essentialibus necessaria in Ordine habeatur conformitas, vel ab ejus initio in Capitulis Generalibus factae sunt Constitutiones Generales pro toto Ordine, quae in subsequentibus Capitulis subinde fuerunt revisae, ac juxta temporum exigentiam mutatae, salvis, prout etiam nunc ex parte Capituli Generalis salva esse intendimus, particularibus Reformatorum, Recollectorum et Excalceatorum statutis, Apostolica auctoritate confirmatis.

« 3. Jam saeculo elapso Ordinis Praelati agnoscebant necessitatem condendi novas Constitutiones Generales, quae temporum adjunctis magis essent adaptatae. Attamen, licet nova compilatio Constitutionum confecta, et in Capitulo Generali Valentiae in Hispania anno 1768 celebrato approbata esset, illae Constitutiones ob temporum perturbationes et alias difficultates, S. Sedis examini et sanctioni non fuerunt submissae, neque tunc publicatae.

« 4. Et quia per longum temporis spatium Capitula Generalia non potuerunt celebrari, Rmus Minister Generalis P. Joannes a Capistrano anno 1827 praefatam compilationem publici juris fecit, eamque ad interim observandam praescripsit, donec nova et melior revisio Constitutionum fieri posset.

« 5. De hujusmodi novae revisionis faciendae necessitate omnes persuasi erant, qui exactam Statutorum observantiam desiderabant. Quamobrem Rmus Minister Generalis P. Venantius a Coelano, haec omnia probe noscens, anno 1853, die 26 Julii, misit litteras encyclicas ad omnes Ordinis Provincias, quibus praecepit, ut singulae Provinciae observationes ad Constitutiones Ordinis conficerent, et emendationes, quas, attentis temporum circumstantiis, necessarias vel opportunas judicarent, proponerent, eum in finem, ut tandem conficeretur « certum, temporibusque aptum (salva « semper et intangibili remanente sanctae Re« gulae puritate) seraphici juris Corpus ». — Secundum mentem ejusdem Rmi Patris hujusmodi novae collectionis Statutorum « finis prae« cipuus, immo unicus, debet omnino majorem « nostrae sanctae Regulae respicere et fovere « observantiam; studere in omnibus Conven« tibus conversationi vere seraphicae insti« tuendae, et vitae communi omnino et per« fecte restaurandae; totius Ordinis tueri uni« tatem, quantum sinant ejusdem Ordinis va« riae jam constitutae Reformationes, quarum « respective essentialia et formae serventur ». — Ad hoc consequendum praescripsit: « Ex « omnibus existentibus Ordinis legibus eae « expungendae erunt, quae ex necessitate abro« gatae jam sunt, vel quae, ratione temporum « fas est abrogari, aut quacumque alia causa « gravi possunt abrogari; servare, et notare, « quae sunt verae et efficaces; adjicere, quae « sint pure necessariae, quaeque sint paucae, « et observabiles, finem optimae legislationis « attingentes ».

« 6. Acceptis Provinciarum observationibus non paucis, a Patribus ad hoc designatis nova compilatio Constitutionum confecta, et judicio Capituli Generalis anni 1856 submissa fuit. S. Congregatio Episcoporum et Regularium instituit, ut Constitutionum revisio in Capitulo fieret, et Constitutiones acceptatae judicio ejusdem S. Congregationis pro examine et approbatione submitterentur, quatenus sic tandem aliquando Ordo Ecclesiae magis diffusus certa et approbata Statuta obtineret.

« 7. Patres Capituli, examinatis Constitutionibus, decreverunt ulteriorem earumdem revisionem et emendationem faciendam, quia nostris temporibus multa in ipsis praescripta observari non possent.

« 8. Quare, factis non paucis mutationibus in praedicta compilatione, Constitutiones in Capitulo Generali anni 1862 denuo judicio Patrum fuerunt propositae. Et, licet ista nova compilatio, quia multa inobservabilia continere videretur, multis Patribus minime placuerit: tamen ob nimiam hujus negotii dilationem taedio affecti, tandem consensum dederunt, ut dictae Constitutiones prelo ederentur, et ad Ordinis Provincias mitterentur.

« 9. Verum ob supervenientem Ordinum religiosorum suppressionem fere universalem,

et politicas perturbationes, haud opportunum visum est, ut Constitutiones, prout jacebant, publicarentur, quia permulta in ipsis contenta ubique jam ab initio non potuissent observari.

« 10. Interim Rmus P. Minister Generalis hodiernus, cui semper summopere cordi fuit, ut hoc gravis momenti ac magnae necessitatis negotium ad felicem finem tandem perduceretur, de consilio sui Definitorii, et plaudentibus omnibus, qui verum Ordinis bonum peroptant, mense Decembri anni 1882 novam revisionem Constitutionum faciendam decrevit. In hunc finem Constitutionum textum, tum a Rmo P. Joanne a Capistrano anno 1827 publicatum, tum in Capitulo Generali anni 1862 propositum et examinatum, imprimendum curavit, et ad singulas Ordinis Provincias misit, ut harum Ministri denuo significarent, quas emendationes necessarias judicarent.

« 11. Deinde idem Rmus Pater novum Codicem disponendum curavit, qui praesentis Capituli Generalis Patrum examini et judicio submittitur, ut factis, quae necessariae vel opportunae videbuntur emendationibus, in hoc ipso Capitulo approbetur, ac dein S. Sedis confirmatio obtineatur.

« 12. In hoc novo Codice concinnando scrupolose cautum est, ne quid puritati S. Regulae nostrae ullo modo detrahatur.

« 13. Leges nostrae, antiquitate venerabiles, quantum fieri potuit, conservatae sunt.

« 14. Leges vero illae, quae vel pro casibus tantum peculiaribus olim praescriptae fuerunt, et nullum amplius scopum habent; vel quae ob praesentiam temporum circumstantias inutiles, aut observatu impossibiles videbantur, vel prorsus eliminatae, vel opportune mutatae fuerunt.

« 15. Poenae in antiquis Statutis praescriptae, quae forsitan numquam in suo rigore infligi potuerunt, ad mitiorem et simpliciorem normam reductae fuerunt; et forsitan, si Capituli Patribus id videbitur expedire, adhuc magis mitigari possent, ita ut transgressoribus reapse semper infligi possint ac debeant.

« 16. Paucae leges etiam adjunctae sunt, quas temporum nostrorum conditio postulare videtur, vel quae Ordinis et Provinciarum gubernium facilius et magis utile reddere possunt.

« 17. Hujusmodi mutationes et additiones factae sunt non juxta privatum arbitrium, sed juxta normam a Rmo P. Venantio a Coelano jam indicatam, in duobus Capitulis praecedentibus desideratam, et a gravioribus Ordinis Patribus in suis ad Constitutiones factis observationibus propositam.

« 18. Hae Constitutiones nulli Ordinis Familiae ullo modo praejudicare intendunt, prout ex jam supra dictis (1), et ex ipso Constitutionum textu (2) satis superque patet et constat.

« 19. Examinent ergo Patres Capitulares debita sollicitudine hunc Codicem, et observationes, quas faciendas judicabunt, latino sermone conscriptas, Commissioni ad hoc a Rmo P. Ministro Generali ejusque Definitorio institutae intra septem dierum spatium exhibere studeant. Mutationibus, quas faciendas desiderant, paucis verbis motiva adjungant, scriptum suum proprio nomine signent, ut, necessitate occurrente, plenior informatio et explicatio peti valeat.

« 20. Commissionis Patres, debita deliberatione praehabita, in pleno Capituli Congressu illas emendationes Patribus proponent, quas, attentis observationibus sibi factis, necessarias et opportunas judicabunt.

« 21. Ut in isto Capitulo Generali hoc negotium tandem absolvatur, vult Sedes Apostolica, desiderat Rmus P. Minister Generalis cum suo Definitorio, desiderat sanior pars Ordinis. Propterea ante definitivam Constitutionum approbationem hoc Capitulum dissolvi non posse videtur.

—

7. In Congressu Definitorii diei 18 Septembris peculiaris Commissio instituta est pro examinandis observationibus, quas Patres Vocales super novas Constitutiones faciendas judicaverint. Delecti vero sunt sequentes Patres:

A. R. P. *Aloysius Lauer*, Definitor Generalis, Praeses,

A. R. P. *Raphael ab Aureliaco*, Definitor Generalis,

A. R. P. *Eusebius Fermendzin*, Definitor Generalis,

(1) Cfr. supra n. 2 et 5.
(2) Cfr. Constit. n. 4 et 698 ac 700.

A. R. P. *Gaudentius Guggenbichler,* Definitor Generalis,

A. R. P. *Stephanus a Castroplano,* Minister Obs. Prov. Seraphicae,

A. R. P. *Aloysius a Parma,* Minister Obs. Provinciae Bononiensis,

A. R. P. *Damianus a Montecarolo,* Minister Ref. Provinciae Tusciae.

A. R. P. *Benignus a Joannisvilla,* Minister Ref. Provinciae S. Dionysii in Gallia,

A. R. P. *Gregorius Janknecht,* Minister Recoll. Provinciae Saxoniae.

8. Die 19 Septembris primo habebatur Congressus Definitorii Generalis pro diversis Ordinis negotiis expediendis. Deinde circa horam 9 omnes Vocales ad aulam capitularem convocati sunt. Omnibus congregatis, Rmus P. Minister Generalis paternis verbis Vocales allocutus est, quibus illis congratulatus est de felici eorum in Urbe adventu, eosque exhortatus est, ut in omnibus negotiis in hoc Capitulo tractandis, semotis quibusvis partium studiis, solummodo DEI gloriam et Ordinis bonum prae oculis habere, ac in omnibus pacem atque concordiam fraternam semper conservare vellent. Finito sermone, idem Rmus Pater omnes Vocales appellavit juxta Catalogum jam antea praeparatum ac typis impressum, quem hic transcribimus (1):

CATALOGUS

JUXTA ORDINEM PRAECEDENTIAE

Patrum Vocalium jure suffragii gaudentium in Capitulo Generali, quod, favente DEO, *celebrabitur die 3.ª Octobris 1889.*

Rmus P. Minister Generalis totius Ordinis Minorum, FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO.

» » Vice-Commissarius Apostolicus pro Natione Hispanica, *fr. Franciscus Saenz.*

A. R. P. Procurator Generalis Ordinis, *fr. Andreas Lupori.*

» Procurator Generalis Reformatorum, *fr. Accursius a Monte S. Sabini.*

(1) Asteriscus ante aliqua nomina positus significat respectivum Vocalem ob legitimum impedimentum ad Capitulum non venisse.

A. R. P. Procurator Generalis Recollectorum et Discalceatorum, *fr. Joannes Joseph a Maria Perdolente.*

A. R. P. Definitor Generalis, *fr. Franciscus De Blasi ab Alcamo.*

» Definitor Generalis, *fr. Marcellinus a Civetia.*

» Definitor Generalis, *fr. Raphael ab Aureliaco.*

» Definitor Generalis, *fr. Eusebius Fermendzin a Vinga.*

» Definitor Generalis, *fr. Jacobus Lardani a Monteprandonum.*

» Definitor Generalis subrogatus, *fr. Bernardinus a Ferentino.*

» Definitor Generalis subrogatus, *fr. Romualdus a Casalinovo.*

» Definitor Generalis, *fr. Daniel a Bassano.*

» Definitor Generalis, *fr. Gaudentius Guggenbichler.*

» Definitor Generalis, *fr. Aloysius Lauer a Fulda.*

» Definitor Generalis, *fr. Carmelus a Neapoli.*

» Definitor Generalis subrogatus, *fr. Aurelius a Decimo.*

* A. R. P. Ex Procurator Generalis Recoll. et Discalceat., *fr. Cornelius Van Verkhove.*

A. R. P. Secretarius Generalis Ordinis, *fr. Petrus a Monsano.*

» Secretarius Generalis Reformatorum, *fr. Irenaeus a Torcenio.*

» Secretarius Generalis pro Missionibus, *fr. Mauritius a Venetiis.*

PROVINCIALES OBSERVANTES

R. P. Minister Obs. Prov. Seraphicae, *fr. Stephanus a Castroplano.*

» Minister Obs. Prov. Romanae, *fr. Alexander a Cryptis Castri,* Custos.

» Minister Obs. Prov. Picenae, *fr. Aloysius a Fabriano.*

» Minister Obs. Prov. Tusciae, *fr. Cyprianus Verdiani.*

» Minister Obs. Prov. Bononiensis, *fr. Aloysius de Parma.*

R. P. Minister Obs. Prov. S. Antonii Venetiarum, *fr. Seraphinus a Bollentina.*
» Minister Obs. Prov. Genuensis, *fr. Aloysius a Vectiano.*
» Minister Obs. Prov. Principatus, *fr. Franciscus Maria a Padula.*
» Minister Obs. Prov. Siciliae, *fr. Ludovicus de Ficarra,* Custos.
» Minister Obs. Prov. S. Nicolai Barensis, *fr. Raphael ab Andria.*
» Minister Obs. Prov. S. Bernardini in Aprutiis, *fr. Marcellinus ab Anxano.*
» Minister Obs. Prov. S. Angeli in Apulia, *fr. Alphonsus de Vita.*
» Minister Obs. Prov. S. Hieronymi in Dalmatia, *fr. Seraphinus Jvasović.*
» Minister Obs. Prov. Basilicatae, *fr. Alphonsus a Tricarico.*
» Minister Obs. Prov. S. Francisci Ragusii, *fr. Jacobus Jović.*
» Minister Obs. Prov. S. Mariae Gratiarum in Sardinia, *fr. Salvator Angelus Sechi.*
» Minister Obs. Prov. Bosnae Argentinae, *fr. Bonaventura Milisić.*
» * Minister Obs. Prov. S. Evangelii Mexici,
» * Minister Obs. Prov. SS. Apostolorum Petri et Pauli de Mechoacan,
» Minister Obs. Prov. S. Joann. Bapt. Sanctae Fidei de Bogotà in Nova Granata, *fr. Gregorius Pinilla,* Custos.
» Minister Obs. Prov. SS. Trinitatis de Chile, *fr. Antonius de Jesu Rodriguez.*
» Minister Obs. Prov. Neapolis et Terrae Laboris, *fr. Cherubinus a Forigio.*
» Minister Obs. Prov. Calabriae Citerioris, *fr. Augustinus ab Amygdalara.*
» * Minister Obs. Prov. S. Francisci de Zacathecas,
» Minister Obs. Prov. S. Jacobi de Xalisco, *fr. Petrus Espinosa.*
» Minister Obs. Prov. B. M. V. Assumptae Fluvii Platensis, *fr. Josephus Rosa Quiroga.*
» Minister Obs. Prov. S. Thomae Apostoli in Pedemontio, *fr. Petronius a Margarita.*
» Minister Obs. Prov. Vallis Mazariae, *fr. Ignatius a Villafranca.*
» Minister Obs. Prov. Vallis Neti, *fr. Alexander a Syracusis.*

R. P. Minister Obs. Prov. S. Saturnini in Sardinia, *fr. Pacificus Moj.*
» Minister Obs. Prov. S. Ladislai Regis, *fr. Sigismundus Eger,* Custos.
» * Minister Obs. Prov. S. Antonii Lyciensis,
» Minister Obs. Prov. SS. Redemptoris in Dalmatia, *fr. Johannes Marković.*
» Minister Obs. Prov. S. Joannis a Capistrano, *fr. Stephanus Sikirćević.*
» Minister Obs. Prov. S. Ferdinandi Regis in Molisio, *fr. Anselmus a Saxinorio.*
» Minister Obs. Prov. Imm. Concept. in Galicia Austriaca, *fr. Lucas Dankiewicz.*
» Minister Prov. S. Ludovici Ep. in Gallia, *fr. Otho a Pavia.*
» Minister Obs. Provinciae Corsicae, *fr. Antonius de Lumio.*

* R. P. Custos Custodiae Terrae Sanctae,
» Custos Obs. Custodiae Melitensis, *fr. Franciscus a Melita.*
» Custos Obs. Custodiae Hercegovinensis, *fr. Nicolaus Simović.*

PROVINCIALES REFORMATI

R. P. Minister Ref. Prov. Seraphicae, *fr. Nicolaus a Civitella.*
» Minister Ref. Prov. Romanae, *fr. Maximus a Scurcula.*
» Minister Ref. Prov. Picenae, *fr. Alexius ab Arquata.*
» Minister Ref. Prov. Tusciae, *fr. Damianus a S. Joanne Montis Caroli.*
» Minister Ref. Prov. Bononiensis, *fr. Ferdinandus a Bronio.*
» Minister Ref. Prov. S. Antonii Venetiarum, *fr. Pacificus a Vicetia.*
» Minister Ref. Prov. Genuensis, *fr. Basilius a Neirone.*
» Minister Ref. Prov. Principatus, *fr. Gulielmus a Castromaris.*
» Minister Ref. Prov. Septem Martyrum, *fr. Bonaventura a Soriano.*
» Minister Ref. Prov. Siciliae, *fr. Salvator ab Acicatena.*
» Minister Ref. Prov. Barensis, *fr. Ludovicus a Bitricto.*

R. P. Minister Ref. Prov. S. Bernardini in Aprutiis, *fr. Diomedes a Pescoconstantio.*
» Minister Ref. Prov. S. Angeli in Apulia, *fr. Herminius a Vallata.*
» Minister Ref. Prov. Basilicatae, *fr. Bernardinus a Cancellaria.*
» Minister Ref. Prov. Croatiae Carnioliae, *fr. Placidus Fabiani.*
» Minister Ref. Prov. Bohemiae et Moraviae, *fr. Hippolytus Philipp,* Custos.
» Minister Ref. Prov. SS. Salvatoris in Hungaria, *fr. Rudolphus Zsembery.*
» Minister Ref. Prov. S. Mariae in Hungaria, *fr. Gaudentius Dosztal.*
» Minister Ref. Prov. Neapolis et Terrae Laboris, *fr. Aloysius a Casanova.*
» Minister Ref. Prov. Tyrolensis S. Leopoldi, *fr. Generosus Heubacher.*
» Minister Ref. Prov. Calabriae Citerioris, *fr. Daniel a Sersali.*
» Minister Ref. Prov. S. Didaci in Insubria, *fr. Bonaventura a Silvano Orbae.*
» Minister Ref. Prov. Vallis Mazariae, *fr. Seraphinus a Mussomellis.*
» Minister Ref. Prov. Vallis Neti, *fr. Ludovicus a Mazareno,* Custos.
» Minister Ref. Prov. Bavariae, *fr. Leo Seidl.*
» Minister Ref. Prov. Tridentinae S. Vigilii, *fr. Constantinus a Cimbria.*
» Minister Ref. Prov. Transylvaniae, *fr. Polycarpus László,* Custos.
» Minister Ref. Prov. S. M. Dolorosae in Galicia Austriaca, *fr. Joachimus Maciejiczyk.*
» Minister Ref. Prov. S. Josephi Lyciensis, *fr. Raphael a Faggiano.*
» Minister Ref. Prov. Imm. Concept. Longobardiae, *fr. Joannes Petrus a Bergomo.*
» Minister Ref. Prov. Immacul. Concept. in Borussia, *fr. Rogerius Binkowski.*
» Minister Ref. Prov. S. Bernardini in Gallia, *fr. Ferdinandus a S. Romano.*
» Minister Ref. Prov. Cincinnatensis S. Joan. Baptistae, *fr. Hieronymus Kilgenstein.*
» Minister Ref. Prov. S. Dionysii in Gallia, *fr. Benignus a Joannisvilla.*

R. P. Custos Ref. Custodiae Lucensis, *fr. Joseph a Burgo Mozzani.*
R. P. Custos Ref. Custodiae Recessuum S. Bonaventurae, *fr. Ioachim a Scajis.*
» Custos Ref. Custodiae S. Thomae in Pedemontio, *fr. Fridericus ab Insulabella.*
» Custos Ref. Custodiae Buffalensis in America Septentr., *fr. Anacletus ab Arcegurga.*

PROVINCIALES RECOLLECTI

R. P. Minister Recoll. Prov. S. Crucis in Saxonia, *fr. Gregorius Iankncht.*
» Minister Recoll. Prov. Hiberniae, *fr. Ioseph Cleary.*
» Minister Recoll. Prov. Germaniae Inferioris, *fr. Anselmus Ebben.*
» Minister Recoll. Prov. S. Josephi in Belgio, *fr. Theodorus Vander Linden.*
» Minister Recoll. Prov. SS. Cordis in America Septentr., *fr. Ferdinandus Bergmeyer.*

R. P. Custos Recoll. Custodiae Thuringiae S. Elisabeth, *fr. Damasus Ruesing.*
» Custos Recoll. Custodiae Angliae, *fr. David Fleming.*

PROVINCIALES DISCALCEATI

* R. P. Minister Discalc. Prov. S. Didaci in Mexico.
» Minister Discalc. Prov. Neapolis S. Petri de Alcantara, *fr. Iulius a Iesu et Maria.*
» Minister Discalc. Prov. Lyciensis S. Paschalis, *fr. Fridericus a Purificatione.*

9. Catalogo recitato, publicati sunt officiales Capituli jam antea a Definitorio Generali nominati, scilicet:

SECRETARII CAPITULI

R. P. *Cherubinus a Forigio,* Minister Obs. Provinciae Neapolis, et

R. P. *Rudolphus Zsembery,* Minister Ref. Provinciae SS. Salvatoris in Hungaria.

AUDITORES CAUSARUM

R. P. *Cyprianus Verdiani,* Minister Obs. Provinciae Tusciae,

R. P. *Seraphinus a Bollentina,* Minister Obs. Provinciae S. Antonii Venetiarum,

R. P. *Nicolaus a Civitella,* Minister Ref. Provinciae Seraphicae,

R. P. *Constantinus a Cimbria,* Minister Ref. Provinciae Tridentinae S. Vigilii, et

R. P. *Anselmus Ebben,* Minister Recoll. Provinciae Germaniae Inferioris.

REVISORES SCRIPTURARUM

R. P. *Aloysius Tassi a Fabriano,* Minister Obs. Provinciae Picenae,

R. P. *Alphonsus Aragiusto a Tricarico,* Minister Obs. Provinciae Basilicatae,

R. P. *Joannes Marković,* Minister Obs. Provinciae SS. Redemptoris in Dalmatia,

R. P. *Pacificus a Vicetia,* Minister Ref. Provinciae Venetae,

R. P. *Basilius a Neirone,* Minister Ref. Provinciae Genuensis,

R. P. *Diomedes a Pescoconstantio,* Minister Ref. Provinciae S. Bernardini in Aprutiis,

R. P. *Julius a Jesu et Maria,* Minister Discalceat. Provinciae Neapolis S. Petri de Alcantara.

10. Die 25 Septembris, hora 9 matutina, in aula capitulari coram solis Vocalibus R. P. *Ignatius Jeiler,* Recoll. Provinciae Saxoniae S. Crucis, Praefectus nostri Collegii S. Bonaventurae ad Claras Aquas prope Florentiam, sermonem habuit de S. P. N. Francisco (1).

11. Sermone absoluto atque laudato, tractatum fuit de Constitutionibus Generalibus Ordinis. R. P. *Aloysius a Parma,* Minister Obs. Provinciae Bononiensis, Commissionis pro revisione Statutorum institutae Secretarius et Relator, proponebat mutationes, quas Commissionis Patres proponendas judicaverant, et instituta est deliberatio atque discussio de singulis punctis propositis quousque ad placitum majoris partis Patrum reducerentur.

12. Eodem die, sicuti etiam diebus 26 et 27 Septembris, hora 3 pomeridiana, Illmus ac Rmus Dnus *Ignatius Persico,* Ordinis Minorum Capuccinorum, Archiepiscopus Damiaten, Secretarius apud S. Congregationem de Propaganda Fide pro negotiis ritus orientalis, ad Collegium nostrum accessit, ut, a Summo Pontifice ad hoc specialiter deputatus, primum praescrutinium institueret super electione novi Ministri Generalis. Idem Rmus Dnus diebus 30 Septembris et 1 Octobris secundum scrutinium instituit.

13. Die 26 Septembris in Congressu Generali omnium Vocalium, Causarum auditores varias causas decidendas proposuerunt.

14. Die 27 Septembris in Congressu Generali continuatum est examen Constitutionum.

15. Die 28 Septembris, hora 9 matutina, in aula capitulari cunctis Vocalibus adunatis, oratio habita est de laudibus Immaculatae Conceptionis B. M. V. a R. P. *Aloysio a Parma,* Obs. Provinciae Bononiensis Ministro (1). Completa oratione, continuata est revisio Statutorum Ordinis.

16. Die 30 Septembris R. P. *Raphael Angelus a Faventia,* Ex-Minister Ref. Provinciae Bononiensis, coram Vocalibus sermonem habuit de Spiritu Sancto (2).

17. Finito sermone de Spiritu Sancto, soli Patres Definitorii Generalis in aula capitulari remanserunt, et varia Ordinis negotia pertractarunt.

18. Die 1 Octobris in Congressu Generali a causarum auditoribus relatae fuerunt aliquae causae, quibus discussis atque decisis, continuatum est examen Statutorum.

19. Eodem die post Congressum Generalem habitus est Congressus Definitorii Generalis.

20. Ut misericors DEUS adsistentiam suam in electione novi Ordinis nostri Capitis concedere dignaretur, die 2 Octobris mane hora septima facta est expositio SS. Sacramenti, quae usque ad horam quintam vespertinam perduravit. Patres Capitulares bini et bini in adoratione Sanctissimi per mediam horam persstiterunt.

21. Eodem die Rmus P. Minister Generalis in Refectorio, expleta coena, Vocales omnes pro ultima vice qua supremus Ordinis Rector paternis piisque verbis allocutus est, veniam petendo de erroribus, quos prae humana fragilitate, non per malitiam, Generalatus sui tempore, committere potuerit.

22. Die 3 Octobris, in vigilia S. P. N. Francisci, cantata Missa solemni de Spiritu Sancto, peracta per Ecclesiam et Claustrum

(1) Vid. *Acta Ord.,* fascic. X, pag. 146.

(1) Vid. *Acta Ord.,* fasc. X, pag. 154.
(2) Vid. *Acta Ord.,* fasc. X, pag. 161.

processione cum cantu Litaniarum omnium Sanctorum Ordinis nostri (prout factum erat etiam diebus 18, 20 et 21 Septembris), et omnibus in Ecclesia completis functionibus, Emus et Rmus Dnus *Joannes* Cardinalis *Simeoni,* Ordinis nostri Protector et Capituli Praeses, ad Collegium accessit. A Rmo P. Ministro Generali cum suo Definitorio omnibusque Patribus Capitularibus ad Ecclesiae valvas exceptus, ad altare SS. Sacramenti deductus est. Facta adoratione, Emus Praeses omnesque Capitulares ad Aulam Capitularem in majori Refectorio paratam se contulerunt. Ibi Emo Praeside in paratum sibi thronum conscenso, Secretarius Generalis Ordinis recitavit catalogum omnium Vocalium, quorum quilibet ad sui nominis appellationem respondit *Adsum.* Deinde idem P. Secretarius annuntiavit, Vocales praesentes esse numero 103, ac ideo ad canonicam electionem habendam requiri et sufficere suffragia 52. His dictis Rmus P. Minister Generalis ad solium Emi Praesidis accessit, genuflexus veniam petiit de erroribus, si quos forte in Ordine administrando commiserit, sigilla Ordinis ei tradidit, et a Generalatus munere se abdicavit. Cui Emus Purpuratus verba benevolentia plena respondere dignatus est, cum laudibus pro bono, quod ejus zelo, cura et prudentia Generalatus sui diuturno spatio Ordini universo provenit, et levi imposita poenitentia, eum benedixit, et ab officio eum rite absolvit. Post haec Secretarius Generalis Ordinis cantavit *Confiteor,* quo finito Emus Praeses cunctis Patribus Capitularibus in genua provolutis generalem de more absolutionem impertitus est, ac deinde et Ipse genuflexus intonavit hymnum *Veni, Creator,* quem alternis choris Patres Electores absolverunt, persolutisque consuetis precibus, Emus solio suo denuo sedit. Inde praefatus Secretarius Generalis Ordinis Emo Purpurato praesentavit sex Disquisitores ad recognoscenda et adnotanda suffragia, jam antea a Rmo Definitorio Generali electos, scilicet:

R. P. *Cyprianum Verdiani,* Ministrum Obs. Provinciae Tusciae,

R. P. *Aloysium a Fabriano,* Ministrum Obs. Provinciae Picenae,

R. P. *Cherubinum a Forigio,* Ministrum Obs. Provinciae Neapolis et Terrae laboris,

R. P. *Nicolaum a Civitella,* Ministrum Ref. Provinciae Seraphicae,

R. P. *Constantinum a Cimbria,* Ministrum Ref. Provinciae Tridentinae S. Vigilii,

R. P. *Anselmum Ebben,* Ministrum Recoll. Provinciae Germaniae Inferioris.

Quos Emus Praeses approbavit, et ad servandum secretum sub consueta formula adstrinxit, quique statim juramentum de secreto servando praestiterunt. Quo facto, Secretarius Generalis Ordinis denuo omnes singillatim appellavit, qui ad mensam Disquisitorum accedentes, in manu sinistra schedulam suffragii sui tenentes, et dextera Crucifixum tangentes jurarunt, se electuros in Ministrum Generalem, quem secundum Deum meliorem judicarent, et deinde schedulam suam in urnam intulerunt. Votatione peracta, et a Disquisitoribus inspecta atque notata, compertum est A. R. P. Aloysium a Parma, Ministrum Obs. Provinciae Bononiensis retulisse longe majorem partem suffragiorum, ac propterea rite et canonice electum esse in Ministrum Generalem totius Ordinis Minorum. Publicata electione coram solis Vocalibus, Conventus campanula omnes Conventus Religiosi convocati sunt, et deinde Secretarius Disquisitorum e suggestu electionis documentum publicavit. Electione sic publicata, Cantores ad id designati in medio aulae stantes acclamationes cantarunt, ceteris respondentibus. Decantatis acclamationibus, Minister Generalis neo-electus per duos Disquisitores deductus est ad Emum Praesidem, ad cujus pedes consuetum emisit juramentum. Praestito juramento, Cantores intonarunt hymnum *Te Deum,* quem dum omnes praesentes alternatim decantarent, processionaliter se contulerunt ad Ecclesiam hoc ordine. Praecedit cruciferarius superpelliceo indutus inter duos ceroferarios similiter indutos, deinde bini et bini Laici, Clerici et Patres Conventus; postea Vocales, et post Procuratores duo Patres superpelliceis induti, quorum unus portavit sigilla Ordinis, alter palmarium. Ultimo loco incessit Emus Praeses, medius inter Ministrum Generalem neo-electum ejusque immediatum Praedecessorem. Et interim campanae Ecclesiae festive pulsatae sunt. Processione peracta, et hymno expleto, Emus Praeses rituales preces ante altare majus decantavit, quibus finitis altare ascendit, ibique sedit. Mox

Ministro Generali neo-electo coram se genuflexo Ordinis sigilla tradidit, ac dein Consodales Franciscanos adstantes pie amanterque allocutus est. Inprimis gratulatus est omnibus Vocalibus de felici exitu electionis, exhortatusque est neo-electum Ministrum Generalem ad sectanda S. P. N. Francisci vestigia, ita, ut quemadmodum dum ille viveret, humeris suis CHRISTI Ecclesiam malis undique agitatam sustentavit, ita ipsi pro viribus esse conandum, ut eidem Ecclesiae sit solamen, oves sibi concreditas ad salutaria pascua, ad Regulae scilicet observantiam dirigendo. Deinde Rmo P. Ministro Generali mox officio functo, nomine Summi Pontificis, gratias egit et plenam Beatissimi Patris satisfactionem expressit pro tot ab eo benefactis, Ministeriatus sui tempore, in bonum Ordinis et Ecclesiae, ejus laudans zelum et prudentiam in exequendo munere sibi commisso, addens, Sanctitatem Suam mandasse, ut haec sua erga Rmum P. *Bernardinum a Portu Romatino* sensa in Acta Capitularia referrentur. Tandem Ministris Provincialibus valde commendavit, ut, memores quod exterae Missiones Ordini Seraphico commissae operariis indigent, mittant, quot possunt Fratres ad hoc tam magnum salutis opus perficiendum. Quo vero juvenes Religiosi ad hoc vocati debite praeparentur, Ministri solliciti sint, ut eos ad hoc S. Antonii Collegium Generale mittant. — Allocutione finita, Emus Dnus omnibus Pontificalem benedictionem impertivit, ac dein, comitatus a Rmo P. Ministro Generali ejusque immediato Praedecessore, recessit. Postea novus Minister Generalis ad ecclesiam rediens, altare ascendit, ibique sedens, singulos Vocales Fratresque omnes adstantes ad obedientiam et reverentiam recepit, ac tandem omnibus Seraphicam benedictionem impertivit.

23. Eodem die Rmus P. Minister Generalis neo-electus primas Vesperas festi S. P. N. Francisci solemniter celebravit.

24. Die 4 Octobris Rmus P. Procurator Generalis inclyti Ordinis Praedicatorum, impedito Rmo Magistro Generali, summum Sacrum decantavit, ac dein etiam cum suis Ministris prandio nostro interfuit.

25. Die 5 Octobris Rmus P. Minister Generalis praescrutinia instituit pro eligendis tribus Procuratoribus Generalibus.

26. Die 7 Octobris facta est electio trium Procuratorum Generalium. Haec electio ad praescriptum Constitutionum peracta est per ballotationem, Ministro Generali proponente. Suffragium dederunt Rmus P. Minister Generalis ejusque immediatus Antecessor, necnon soli respectivae familiae Vocales. Electi vero sunt: Procurator Generalis Ordinis, A. R. P. *Raphael ab Aureliaco,* Obs. Prov. S. Ludovici in Gallia filius et Ex-Minister, necnon Ex-Def. Gen.;

Procurator Generalis Reformatorum, A. R. P. *Diomedes a Pescoconstantio,* Ref. Provinciae S. Bernardini in Aprutiis Minister;

Procurator Generalis Recollectorum ac Discalceatorum, A. R. P. *Aloysius Lauer*, Recoll. Custodiae S. Elisabeth Thuringiae filius et Ex-Custos, necnon Ex-Definitor Generalis.

27. Praefatis tribus electionibus absolutis, Patres Capitulares aliique non pauci Ordinis nostri Confratres ad aedes Vaticanas perrexerunt, ubi a Summo Pontifice ad audientiam admissi fuerunt. Summus Pontifex prius ad suam praesentiam admisit Rmum P. Ministrum Generalem ejusque immediatum Decessorem necnon Procuratores Generales neo-electos. Rmus P. Minister Generalis coram CHRISTI Vicario votum renovavit, quod immediate post suam electionem in manus Emi Dni Protectoris emiserat. Cui S. Pater inter alia respondere dignatus est, tesseram S. Francisci ejusque Ordinis eam esse, ut Ordo sit omnimode S. Sedi subiectus, ac luceat duabus praecipuis virtutibus, scilicet virtute humilitatis et paupertatis. — Deinde S. Pater se contulit ad locum, ubi ceteri Fratres erant coadunati, cuilibet ex Fratribus aliqua verba direxit, ac manum deosculandam porrexit. Postea omnibus gratulatus est de felici Capituli exitu, et exhortatus est omnes ad sectanda majorum nostrorum vestigia. Denique Apostolicam Benedictionem impertivit omnibus Fratribus praesentibus, necnon omnibus Ordinis nostri Conventibus, Religiosis, parentibus, amicis atque benefactoribus.

28. Die 8 Octobris in Congressu Definitorii Generalis discussio instituta est de Provinciis, e quibus novi Definitores Generales assumendi sint, deque qualitatibus eligendorum.

29. Die 9 Octobris continuatum est examen observationum ad novas Constitutiones Generales Ordinis in pleno Congressu.

30. Postea eodem die in Congressu Definitorii Generalis denuo tractatum fuit de eligendis Definitoribus Generalibus.

31. Die 10 Octobris in Congressu Generali ad finem deductum est examen illarum emendationum Statutorum, quas peculiaris Commissio ad hoc instituta in septemdecim sessionibus specialibus deliberaverat et Capitulo judicaverat proponendas. Totum Capitulum novas Constitutiones approbavit, et, proponente Rmo P. Ministro Generali, compromissum dedit Patribus novi Definitorii Generalis, ut dictas Constitutiones denuo accurate examinarent, priusquam typis ederentur, et illas emendationes facerent, quae quoad formam et claritatem praesertim, opportunae ipsis viderentur. Post hanc felicem Statutorum approbationem variae quaestiones a causarum Auditoribus prolatae, fuerunt discussae atque decisae. Deinde Rmus P. *Franciscus Saenz*, Vice-Commissarius Apostolicus pro natione Hispanica, dilucide exposuit statum et conditionem localem atque personalem Confratrum nostrorum in Hispania, et simul declaravit, Fratres ibi degentes recognoscere et revereri Rmum P. Ministrum Generalem tamquam verum S. P. N. Francisci successorem et legitimum totius Ordinis caput. — Denique Revisores Scripturarum referunt Statum Ordinis; scilicet R. P. *Aloysius a Fabriano* exponit Statum pro Observantibus, R. P. *Pacificus a Vicetia* pro Reformatis, et R. P. *Julius a Iesu et Maria* pro Discalceatis et Recollectis (1).

32. Die 11 Octobris in majori Refectorio habita est sessio omnium Vocalium pro electione duodecim Definitorum Generalium. Praemissis praemittendis, et observatis observandis, in unico scrutinio electi sunt sequentes:

1. A. R. P. *Bernardinus a Ferentino*, Obs. Provinciae Romanae, Lect. Jub., ex-Secretarius Generalis Ordinis, ex-Definitor Generalis et ex-Minister Provincialis.

2. A. R. P. *Petrus a Monsano*, Obs. Provinciae Marchiae, ex-Minister Provinciae S. Hieronymi in Dalmatia et ex-Secretarius Generalis Ordinis, Lect. Jub.

3. A. R. P. *Bernardinus Orellana*, Obs. Provinciae Fluvii Platensis in America merid., ex-Minister.

(1) Status Ordinis suo tempore publicabitur.

4. A. R. P. *Aloysius Rados*, Obs. Custodiae Hercegovinae, ex-Custos.

5. A. R. P. *Remigius Buselli*, Obs. Provinciae Tusciae, Lect. Jub. et Commissarius Terrae Sanctae Liburni.

6. A. R. P. *Raphael a Paterno*, Obs. Provinciae Principatus, Lect. Jub.

7. A. R. P. *Irenaeus a Torcenio*, Ref. Provinciae Tridentinae, Lect. Em. et ex-Secretarius Generalis Strictioris Observantiae.

8. A. R. P. *Ladislaus a Canepina*, Ref. Provinciae Romanae, Lect. Em.

9. A. R. P. *Rosarius a S. Margarita Belicis*, Ref. Provinciae Vallis Mazariae, ex-Def. et Lect. Theol.

10. A. R. P. *Petrus Dutziak*, Ref. Provinciae Galiciae in Austria, ex-Def.

11. A. R. P. *Julius a Jesu et Maria*, ex-Minister Discalceatae Prov. Neapolis.

12. A. R. P. *Leonardus Cortes*, ex-Commissarius Generalis Reipublicae Peruanae.

Et haec quidem sessio duravit ab hora octava cum dimidio matutina usque ad horam secundam pomeridianam.

33. In hoc Capitulo a Patribus Vocalibus Reformatis in peculiari sessione ab ipsis habita mane diei 12 Octobris, approbatae sunt modificationes propositae ad eorum peculiaria Statuta a Commissione novem Patrum ad hoc instituta die 30 Septembris a Rmo P. Ministro Generali, et compromissum datum fuit Procuratori Generali, ac Definitoribus Reformatis, prouti de Constitutionibus Ordinis supra (n. 31) dictum fuit.

34. Die 12 Octobris, celebratum est officium funebre pro Confratribus nostris ab ultimo Capitulo Generali defunctis. Cantatum fuit Nocturnum cum Laudibus Defunctorum, et inde Missa solemnis de Requie ab A. R. P. *Andrea Lupori* fuit celebrata, qua finita A. R. P. *Basilius a Graecio*, Obs. Provinciae Seraphicae, ex-Minister Provincialis, praelegit orationem funebrem italico idiomate conscriptam. Finita oratione, cantatum est Responsorium *Libera*, et data est absolutio pro Defunctis.

35. Post hanc Missam Capitulum terminatum est, et Rmus P. Minister Generalis Vocalibus discedendi licentiam concessit.

—

CAPITULA PROVINCIALIA

anno 1889 celebrata.

XVI.

Colleg. Sucre in Bolivia.

In Capitulo Guardianali habito die 19 Augusti a. c. in nostro Apostolico Collegio Sanctae Annae de Sucre in Bolivia, praesidente Adm. Revdo Patre Fr. ALEXANDRO MARIA CORRADO, Commissario Generali pro Collegiis Missionum Boliviae, rite et canonice electi fuerunt:

GUARDIANUS

R. P. Augustinus Muniosguren.

DISCRETI

R. P. Salvius Costa.
R. P. Melchior Azcuñaga.
R. P. Aloysius Maria Pascual.
R. P. Marianus Echevarria.

XVII.

Collegium de Potosi in Bolivia.

In Capitulo Guardianali Collegii Missionum Sancti Antonii de Potosi in Bolivia rite et canonice celebrato die 19 mensis Augusti hujus anni electi fuerunt:

GUARDIANUS

R. P. Joannes Carbini.

DISCRETI

R. P. Theodorus Massa.
R. P. Angelicus Martarelli.
R. P. Bonaventura Capomaggi.
R. P. Dominicus Pacinucci.

XVIII.

Conventus Missionariorum Aquileriae.

In Guardianali Capitulo rite et canonice celebrato die 23 mensis Septembris vertentis anni in Conventu Missionariorum Ordinis nostri sub invocatione Sancti Petri Regalati Aquileriae, in Hispania, praesidente Commissario Generali Visitatore Revdo P. STEPHANO PEREZ, instituti sunt:

GUARDIANUS

R. P. Petrus de Alcantara Mas, reelectus.

DISCRETI

R. P. Lucas Martorell.
R. P. Joseph Daniel Ibarra.
R. P. Stepanus Perez.
R. P. Antonius Baroja.

—

COMMISSARIUS TERRAE SANCTAE

Die 22 Octobris, in Congressu Definitorii Generalis R. P. Hyacinthus a Cantalupo, Observantis Provinciae Bononiensis, Lector Theologus, institutus fuit Commissarius Terrae Sanctae pro Dioecesibus Parmensi, Placentina, Guastallensi, Burgi Sancti Domnini Mutinensi, Regensi in Aemilia, et Carpensi, loco Revmi P. Aloysii de Parma, in Ministrum Generalem Ordinis nuper electi.

III.

MISSIONES

—

STATUS

Missionis Albaniae (Epiroticae) Fr. Min. Obs. Anno 1889.

Olim totam per Albaniam fere extendebatur Provincia Observantium Albanensis, quae demum sub duro turcico jugo sensim deficere coepit, adeo ut majores nostri anno 1832 pro eo ut resuscitaretur, eam suppressam voluerint. Ab hoc tempore Fratres ibidem, ut Missionarii, operantur in archidioecesi Dyrrachensi, et dioecesibus Alexinensi et Nansiatensi (Sappatens.).

Praecipuae ecclesiae in archidioecesi Dyrrachensi sunt eae, quibus annexa est cura animarum: 1°. *Lacci,* ecclesia S. Michaelis Archangeli; cui adnexum est hospitium, attamen actu missionarius deest, et venia zelantissimi archipraesulis reverendissimi in CHRISTO Patris Raphaelis de Ambrosio, per ejus vicarium generalem interim administratur; prope Laccum in vicino monte Sebaste dicto,

olim erat conventus Franciscanorum nunc dirutus, ecclesia tamen beatae Virgini Annuntiatae et S. Antonio dicata integra manente; in ea in primis in festo S. Antonii magno cum devoti populi concursu divina celebrantur. Animae catholicae sunt 190.

2. *Bisae,* ecclesia s. Nicolai cum parochia adnexa hospitio, missionarius est P. Flaminius ab Arce-Papae, una et missionis epiroticae Vicepraefectus; in ambitu huius parochiae extant sex villae cum tribus capellis, in quibus missionarius pluries per annum ordine solet sacra celebrare, aliaque pro devotione populi augenda peragere; animae fidelium sunt 624.

In dioecesi Alexinensi, 1°. Hospitium apud *Rubigum* cum ecclesia S. Antonii Patavini, cui quidem parochialis cura annexa non est, verumtamen missionarius P. Anastasius ab Interamna, annuente Rmo Episcopo dioecesano, administrat parochiam Crue-Zesii hospitio vicinam, qui et ecclesiam illius loci multa cura restauravit, novumque altare in honorem S. Antonii Patavini lapideum erigi curavit.

2. Hospitium *Alexii,* olim conventus Provinciae praecipuus, in quo bibliotheca atque protocolla Provinciae custodiuntur; missionarius est P. Leonardus Gojani, juvenis sacerdos curam illarum animarum zelose gerens; benefactorum caritate et benigno superiorum Ordinis, in primis vero Rmi P. Mariae de Brest, nunc Episcopi Hierichuntini favore, ipsum hospitium fere collapsum sensim restaurari coepit, et ni caritas defecerit, ut speramus, brevi restaurabitur. Animas catholicorum censet 2200; omnes vero sunt conditione pauperrimi, Domino vero et catholicae religioni fidelissimi.

In dioecesi Nansiati (Sappaten.) est hospitium *Trosciani;* adnexam parochiam, quae censet 620 animas, administrat P. Laurentius Mihacević missionarius. In hoc hospitio adest seminarium puerorum, qui in necessariis scientiis rite imbuuntur, ita ut auditis institutionibus rhetoricis, ad novitiatum recipiantur. Seminarium ipsum opera superiorum Ordinis, favore Rmi Dni Episcopi Hierichuntini, cura P. Mariani a Palma Nova, superatis multis difficultatibus erectum, sed sollicitudine et diligentia P. Laurentii Mihacević, et sociorum ejus fratrum Joannis et Raphaelis, quos omnes alma Bosnensis provincia educavit, ad paedagogiae praescripta formatum effloruit; P. Laurentius, qui via et ratione, viris rerum peritis probata, educationem et studia moderatur, ecclesiae Albanicae et Ordini seraphico magna emolumenta praestare impigre pergit. Juvenes actu sunt numero tredecim, qui vero praecedentibus annis ad Ordinem recepti erant, peracto in regno Bosnae novitiatu, in Collegio Quinqueecclesiensi sacratioribus litteris favore caesareo-regii gubernii Austro-Ungarici diligenter student. Spes proinde firma est fore, ut aucto Fratrum numero sacra ea missio, Domino benedicente, pariter quam primum refloreat. Addi debet existere adhuc et hospitium in civitate Scutari, nuper erectum, cui praeest P. Thomas ab Arpiniano, obs. prov. seraphicae filius, qui in ea civitate spiritualia fidelibus praestat servitia.

IV.

BIBLIOGRAPHIA

Rituale Romano-Seraphicum jussu et auctoritate Rmi P. Bernardini a Portu Romatino, totius Ordinis Minorum Ministri Generalis, in commodum Religiosorum sui Ordinis editum. Ad Claras Aquas (Quaracchi) prope Florentiam ex Typographia Collegii S. Bonaventurae, 1889. In 8° pag. 207. (L. 3,50).

Albertus (Rmus P.) a Bulsano, Min. Cap. — Expositio Regulae FF. Minorum S. P. Francisci Assis.: ex Declarationibus Romanorum Pontificum, S. Bonaventurae, aliisque probatis Auctoribus congesta: a Rmo P. Alberto a Bulsano, Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum Definitore Generali etc. Editio novissima, quampluribus Decretis et Adnotationibus aucta: jussu Rmi P. Bernardi ab Andermatt, totius Ord. FF. Min. Cap. Ministri Generalis. — Mediolani, ex typis Seraphini Ghezzi, Via Manzoni, Vic. Facchini n. 6. 1889. (Pretium: Libellae 4).

Angelo (P.) Colantoni, Min. Rif. — Elogio funebre di Sua Eccellenza Monsignor D. Ruggiero Blundo Cassinese Vescovo di Cefalci, recitato il 23 Marzo 1889 dal P. Angelo Colantoni, L. G. dei Minori Riformati di S. Francesco. Palermo, tipog. diretta da Oliveri, Porta Garibaldi 17, 1888. (In 4° pag. 28).

Anonymus, Min. Obs. — Cento Visite al Dio dell'amore coll' aggiunta di un piccolo manuale cristiano. Operetta di un Francescano M. O. Seconda edizione riveduta e corretta dall' autore. Quaracchi, Tip. Del Collegio di S. Bonaventura, 1890. pag. VI-683. (L. 2).

Anonymus, Min. Obs. — Petit Manuel du Tiers-Ordre de Saint-François, publié par les Franciscains ou Frères Mineurs de l' Observance. Se trouve chez les Sœurs Franciscaines 34, rue de la Teste, à Bordeaux 1889. In-32. Pag. 221.

Anonymus, Min. Obs. — Trattato della Modestia, Civiltà e Disciplina Religiosa, ad uso dei Novizi, Chierici e giovani Sacerdoti dell' Ordine di S. Francesco. Assisi, Stab. Tip. Metastasio 1889.

Arsenius (P.) Karcsu, Reformatae Provinciae SS. Salv. in Hungaria scripsit et edidit sequentia opera lingua hungarica:

1. A Kolostorok a történelemben. Claustra in Historia. Vacii (Vácz) 1866. — Holping legény-egyletének erkölcsi és társaldalmi jelentősége. Associationis Sodalium Kolpingianae morale et sociale momentum. Vacii, 1867. — A Kolostorok és elleneik a jelen korban. Claustra et eorum hostes moderna in aetate. Vacii, 1867. Ista opuscula ex germanico Idiomate sunt in hungaricum versa.

2. A pápaság érdemei a társadalmi viligrend, tudomány, irodalom és hazánk körül. Papatus merita circa socialem mundi ordinem, scientiam, litteraturam et patriam nostram. Vacii, 1867.

3. Isten mindenünk. Deus omnia nostra. Liber precatorius cum s. cantilenis. Pro fidelibus et studiosis Catholicis. Budapestini, 1867.

4. A szerzetes-rendek egyetemes történelme. Historia Universalis omnium Ordinum Religiosorum, cum speciali eorum reflexione in Hungaria existentium. Budapestini, 1867. Tomi 5.

5. A római pápák története sz. Pétertöl Korunkig. Historia Romanorum Pontificum a S. Petro usque modernam aetatem. Prodiit I. Tomus Sregedini, II-VIII. Budapestini, 1871.

6. A lélek napi tápja. Cibus quotidianus animae. Vacii, 1873.

7. A fémjürés veszélyei. Pericula luxus. Vacii, 1873.

8. A váczi Könyvnyomdászat története. Historia Typographiae Vaciensis, post annos centum ejus existentiae. Vacii, 1875.

9. A szerzetesek, mint a középkori miveltség munkásai. Religiosi, qua mediae aetatis culturae operarii. Ex germanico Idiomate traductum in hungaricum. Budapestini, 1875. Comparuit in Ephemeridibus « Magyar Allam » intitulatis.

10. Harmincz év után. Post triginta annos. Poëmata sacra et patristica. I. Tomus, Vacii, 1879. Scripsit A. R. D. Parochus Michael Sántha; cuius ex oblatione pro bono Conventus nostri Szegediensis exundatione fluvii Tibisci damnificati edidi ego.

11. Sz. Ferenez atyánk III. rendjének Kézikönyve. Liber manualis III. Ordinis S. P. N. Francisci. Vacii, 1883. — Ad futurae II. editionis manuscriptum actum et cum interpretatione novae regulae, sive Constitutionis Leonis XIII. Pontificis nunc subiicitur censurae Ordinis.

Vácz város története. Historia Civitatis Vaciensis, in qua etiam fata ac vicissitudines Dioecesis Vaciensis abunde occurrunt. Vacii, 1880-1888, cum Imaginibus. Tomi 9. etc.

Petrus P. Gual, Min. Obs. — Curso de ejercicios espirituales para las personas de los estados Eclestástico y Regular, compuesto por El. M. R. P. Fr. Pedro Gual, Lector de Teologia, Missionero Apostolico, Ex-Definidor General de la Orden de Menores Observantes, Ex-Comisario General de dicha Orden en las Republicas del Perù, Chile, Ecuador, etc. actual Guardian del Colegio Apostolico de Nuestra Señora de los Angeles de Lyma y Examinador y Censor del Arzobispado. — Lima, Carlos Prince, Impresor y Librero-Editor, Calle de la Veracruz 71 — 1889. (In-16. Pag. 602).

OPERA

extraneorum, Ordinem concernentia.

M. SODAR DE VAULX. — Les splendeurs de la Terre Sainte, ses sanctuaires et leurs Gardiens, par M. Sodar de Vaulx. Paris, Bloud et Barral, libraires-éditeurs. 4 Rue Madame et Rue de Rennes, 59. In-8. Pag. XX-547.

—

MONITUM

Jam sub prelo sunt duo alia volumina Historiae Missionum Franciscanarum, quae Historiae Ecclesiasticae magnam et gloriosam partem constituunt.

At istud opus conficiendo, quod longe ante animadvertimus, magis atque magis in lucem emersit, non posse, scilicet, in generali historia omnia particularia facta comprehendi, quorum documenta innumerabilia comperimus. Quamobrem, ne tot documenta magno labore collecta misere pereant, utque ephemeridem utilem, non inamoenam, et piam omnibus praebeamus, consilium inimus antiquam sub nova forma Missionum Franciscanarum Chronicam a multis annis interruptam continuare; qua, tum Terrae Sanctae, cum antiquarum recentiorumque Missionum memorias magni momenti edere nobis animo est; et universalis historiae nostrae addere naturale complementum.

Ad propositum executioni mandandum et ad expensas preli suppeditandas Provinciales rogamus ut associationes (uti dicunt) huic ephemeridi procurent, et in eorum prompta atque secunda voluntate, quibus quidquid ad Ordinis nostri incrementum et gloriam pertinet, maxime cordi est, valde confidimus.

Pretium associationis annualis huic ephemeridi semel in mense proditurae, pro nunc est decem francorum.

Fr. MARCELLINUS A CIVETIA.
Fr. THEOPHILUS DOMENICHELLI

V.
NECROLOGIA

—

Die 27 Junii 1889 in civitate *Hong-tong (Xan-si)* in Domino obiit R. P. AUGUSTINUS FAAY, Miss. Apost., alumnus Provinciae Germaniae Inferioris Recollectorum. Goudae natus die 18 Martii 1849, studiis praeparatoriis in gymnasio Venradiensi absolutis, Ordinem ingressus est anno 1869. Sacerdos factus missiones adeundi licentiam petiit, eaque obtenta, anno 1879 laetus in Sinas profectus est. Mense Maji pervenit in *Tai-yüen-fu,* ibique per annum studuit linguae Sinicae. Initium vitae apostolicae dedit sub perito magistro et duce R. P. Francisco Fogolla, eique anno 1884 successit in regimine duorum districtuum. Paupertatis amans, paucis contentus, indefessus laboravit: duas ecclesias aedificavit, unam in honorem B. MARIAE Virginis, alteram in honorem S. Antonii Pat., et domum ampliorem extruxit in *Ma-tchang,* quam praeparatam invenerunt 6 Confratres ejus conterranei, qui anno superiori in partem meridionalem provinciae *Xan-si* missi sunt. Mense Februario anni currentis praeficiebatur Missioni in *Pin-yang-fu:* magni ibi eum expectabant labores, magnae difficultates et pericula, sed in DOMINO confidens, nil timens, et imperturbabilem semper retinens aequanimitatem, novum agrum excolere coepit, ex quo uberes fructus eum collecturum esse jam sperabant superiores et socii, cum inopinatum mortis ejus nuntium acceperunt. Fervida correptus febri, invitatum misit proximiorem Missionarium, P. Odoricum, qui duorum dierum itinere distabat. Hic, nulla interposita mora, iter aggressus est, sed sero venit: Patrem Augustinum mortuum invenit, eumque post aliquot dies magno cum concursu christianorum sepelivit indutum habitu Franciscano, quem hunc in finem diligenter servaverat. — Intret servus fidelis in gaudium DOMINI, et precibus obtineat a Patre caelesti, ut novi operarii cito mittantur in messem suam.

R. I. P.

Nihil obstat

FR. ALOYSIUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

DECRETUM S. C. INDICIS

Feria VI die 6 Decembris 1889.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, mandavit et mandat in Indicem librorum prohibitorum referri quod sequitur Opus a Sacra Romanae et Universalis Inquisitionis Congregatione damnatum atque proscriptum:

Jean de Bonnefon. — Le Pape de demain. — Paris, E. Dentu, éditeur Libraire de la Société des Gens de lettres, 1889. *Decr. fer. IV, 4 Decembris 1889.*

Itaque nemo cujuscumque gradus et conditionis praedictum Opus damnatum atque proscriptum, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut editum legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus illa tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae, 6 Decembris 1889.

CAMILLUS Card. MAZZELLA, *Praef.*
Fr. HYACINTHUS FRATI, *Ord. Praed.*
S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

Die 7 Decembris 1889 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

VINCENTIUS BENAGLIA, *Mag. Curs.*

—

EX S. RIT. CONGREGATIONE.

I.

Imolen. — 27 Jun. 1888.

Rmus Dnus Aloysius Tesorieri hodiernus Episcopus Imolen. cupiens ut in sua Dioecesi omnes caeremoniae peragantur juxta rubricas et S. Sedis Apostolicae Decreta, insequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subjecit, nimirum:

Dubium I. Quum ex Decreto diei 14 Maji 1887 altare, in quo feria V in Coena Domini publice fidelium adorationi exponitur augustissimum Sacramentum in capsa reconditum, sit repraesentativum non sepulturae Domini, sed institutionis ejusdem augustissimi Sacramenti; quaeritur, quamnam formam habere debeat illa capsa, arcae vel sepulchri, uti docet Bauldres (Manual. Caerem. p. 15) et fert praxis fere universalis; an aliam?

Et quatenus affirmative ad secundam partem, quaeritur quaenam debeat esse ejusmodi forma ad servandam uniformitatem?

Dubium II. Occurrente officio Dominicae non privilegiatae, in Ecclesia ubi festum solemne agitur de Beata MARIA Virgine vel ejusdem Sancti, vel Mysterii, potest ne de hoc festo cantari Missa solemnis?

Dubium III. Parochi accedentes ad coemeterium die 2 Novembris ad absolutiones agendas pro defunctis, possunt ne uti ritu in Pontificali Romano praescripto pro Episcopis in Visitatione Parochiarum, exceptis quae sunt propria Episcopi?

Dubium IV. Oratoria quae intra ambitum cujuscumque Monasterii aedificantur in commodum Religiosorum, cum oratoria strictim privata haberi nequeant, quaeritur; quonam ritu sint benedicenda, scilicet, an ritu quo benedicenda est nova Ecclesia vel oratorium publicum; an simplici benedictione, quae benedictio loci nuncupatur?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I Nihil innovetur;

Ad II Negative absque privilegio;

Ad III Servetur consuetudo;

Ad IV Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Atque ita rescripsit et servari mandavit die 27 Julii 1888.

A. Card. BIANCHI, *Praef.*
LAURENTIUS SALVATI, *Secret.*

—

II.

Granaten. 14 Dec. 1888.

Hodiernus Archidiaconus Metropolitanae Ecclesiae Granaten. de consensu sui Rmi Archiepiscopi insequentium dubiorum declarationem a Sacra Rituum Congregatione humillime expetivit, nimirum:

Dubium I. Archidiaconus praefatae Ecclesiae obligatur ne inservire Archiepiscopo in officio Diaconatus in omnibus functionibus pontificalibus, sed tantum in Missa solemni?

Dubium II. In ordinatione clericorum in Missa lecta licetne Archidiacono ipsi adsistentiam praebere Archiepiscopo in habitu chorali?

Dubium III. Pluviale super cappam vel mozzettam est ne paramentum congruum ad inserviendum Archiepiscopo in eadem Missa lecta?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caerimoniarum Magistris, sic hisce Dubiis rescribendum censuit:

Ad I. Quoties praebendae non sint distinctae, Archidiaconus teneri in omnibus functionibus Pontificalibus, excepta sacra ordinatione, in qua aliud speciale munus ab ipso Archidiacono est obeundum.

Ad II Negative: officium enim ab Archidiacono induto cotta super rochettum, prouti duo Canonici Archiepiscopo assistentes exercendum est ad tramitem Pontificalis Romani.

Ad III Provisum in praecedenti.

Atque ita declaravit ac rescripsit die 14 Decembris 1888.

A. Card. BIANCHI, *Praef.*
LAURENTIUS SALVATI, *Secr.*

II.
ACTA ORDINIS

—

CONSPECTUS RELIGIOSORUM
ORDINIS NOSTRI

Ex relationibus Capitulo Generali 1889 exhibitis (1).

		Religiosi
Obs. Prov.	Seraphica	279
»	Romana	278
»	Picena	354
»	Tusciae	528
»	Bononiensis	174
»	S. Antonii Venetiarum	146
»	Genuensis	67
»	Principatus	131

(1) In numeris summatim indicatis comprehenduntur tam sacerdotes quam Clerici, Laici et Novitii, necnon Missionarii ad singulas Provincias pertinentes, ac saecularizati ad tempus.

Obs. Prov. Siciliae	77
» S. Nicolai Barensis	64
» S. Bernardini in Aprutiis	160
» S. Angeli in Apulia	81
» S. Hieronymi in Dalmatia	83
» Basilicatae	59
» S. Francisci Ragusii	61
» S. MARIAE Gratiarum in Sardinia	28
» Bosnae Argentinae	287
» S. Evangelii Mexici	43
» SS. Apostolorum Petri et Pauli de Mechoacan	105
» S. Joann. Bapt. Sanctae Fidei de Bogotà in Nova Granata	35
» SS. Trinitatis de Chile	92
» Neapolis et Terrae Laboris	198
» Calabriae Citerioris	23
» S. Francisci de Zacathecas	30
» S. Jacobi de Xalisco	18
» B. M. V. Assump. Fluvii Platensis	98
» S. Thomae Apostoli in Pedemontio	126
» Vallis Mazariae	151
» Vallis Neti	83
» S. Saturnini in Sardinia	19
» S. Ladislai Regis	126
» S. Antonii Lyciensis	50
» SS. Redemptoris in Dalmatia	176
» S. Joannis a Capistrano	212
» S. Ferdinandi Regis in Molisio	59
» Imm. Concept. in Galicia Austriaca	144
» S. Ludovici Ep. in Gallia	286
» Provincia Corsicae	80
Sacra Custodia Terrae Sanctae	133
Obs. Custodia Melitensis	63
» Hercegovinensis	89
» Lomgobardiae	28
Collegia Chilenae Reipublicae	206
Regni Hispaniae Provinciae	710
Lusitaniae Conventus	28

—

Ref. Prov. Seraphica	181
» Romana	245
» Picena	228
» Tusciae	459
» Bononiensis	161
Ref. Prov. S. Antonii Venetiarum	157
» Genuensis	103
» Principatus	158
» Septem Martyrum	48
» Siciliae	114
» Barensis	59
» S. Bernardini in Aprutiis	155
» S. Angeli in Apulia	150
» Basilicatae	84
» Croatiae Carnioliae	161
» Bohemiae et Moraviae	125
» SS. Salvatoris in Hungaria	339
» S. Mariae in Hungaria	294
» Neapolis et Terrae Laboris	234
» Tyrolensis S. Leopoldi	410
» Calabriae Citerioris	60
» S. Didaci in Insubria	43
» Vallis Mazariae	145
» Vallis Neti	81
» Bavariae	351
» Tridentinae S. Vigilii	174
» Transylvaniae	97
» S. M. Dolorosae in Galicia Austriaca	125
» S. Josephi Lyciensis	66
» Immacul. Concept. Longobardiae	106
» Immacul. Concept. in Borussia	68
» S. Bernardini in Gallia	65
» Cincinnatensis S. Joan. Baptistae	160
» S. Dionysii in Gallia	103
Ref. Custodia Lucensis	84
» Recessuum S. Bonaventurae	64
» S. Thomae in Pedemontio	37
» Bufalensis in America Septentr.	39

—

Recoll. Prov. S. Crucis in Saxonia	382
» Hiberniae	81
» Germaniae Inferioris	328
» S. Josephi in Belgio	335
» SS. Cordis in America Septentr.	324
Recoll. Custodia Thuringiae S. Elisabeth	90
» Angliae	81

—

Discalc. Prov. S. Didaci in Mexico	34
» Neapolis S. Petri de Alcantara	204

Discalc. Prov. Lyciensis S. Paschalis	167
» S. Gregorii Magni in Hispania et Philippinis insulis	433
In Brasilia	20

Summa

Observantes	6, 228
Reformati	5, 733
Recollecti	1,621
Discalceati sive Alcantarini	858
Universim	14, 440.

—

CAUSAE SANCTORUM ORDINIS NOSTRI

XI.

Venerabilis Liliae a SSmo Crucifixo *Monialis Professae III. Ordinis Beatificandae.*

Viterbii, ubi jam apparuerant duo pulcherrimi Seraphicae sanctitatis flores, dederantque odorem suum, Rosa nempe atque Hyacintha, et tertius ortus est, scilicet Lilia, die 25 Julii anno reparatae salutis 1690. Parentes habuit Benedictum et Magdalenam Bertarelli, pauperes quidem bonis fortunae, divites autem christianis virtutibus; ita ut domus eorum *domus Angelorum* appellaretur. In sacro regenerationis fonte nomen Annae Mariae Felicis ei impositum est. Ab ipsis incunabulis coepit a Deo supernis charismatibus abunde exornari; pluries enim ejus pia Mater invenit eam in lectulo flexis genibus junctisque manibus instar orantis; singulis sextis feriis semel tantum, et quidem in modica quantitate, lactem sugebat. Paulo grandior facta, mira pietate et devotione maxime erga Deiparam Virginem, fervebat; unde non semel ejus apparitione familiarique conversatione fuit recreata; et etiam nonnulla vel futura vel valde distantia praescivit. Novennis, de die in diem in viam virtutis magis proficiens, Sororibus, quas *Magistras Pias* vocant, instituenda in patria ipsa committitur; quae adolescentulae egregiam indolem atque devotionem supra aetatem aspicientes, eam summopere diligebant, aliis puellis tanquam exemplar in omnibus imitandum proponebant; imo cursu temporis inter ipsas Annam Mariam Felicem cooptarunt. Religioso habitu induta, aliis in locis extra Viterbium educandis puellis praeponitur; quod munus religiosissime exercuit usque ad annum aetatis suae vigesimum quintum.

Tunc temporis, Deo sic disponente, qui ab ea multo majora expetebat, consilio et suasione Moderatoris suae conscientiae de familia Carmelitarum, Tertium Ordinem S. P. N. Francisci in ecclesia S. Mariae de Paradiso cum magna devotione animique humilitate est amplexata. Nomen Annae Mariae Felicis in illud Liliae Mariae a Sanctissimo Crucifixo commutavit, totamque directioni et obedientiae Patrum Minorum de Observantia se commisit. Plures Viterbienses mulieres, praesertim puellae, Liliae sanctitatem atque prudentiam admirantes, ad eam convolabant, libenterque veluti Magistram in schola christianae perfectionis habebant. Imo Superiores ipsi ecclesiastici, qui ejus spiritum plene agnoscebant, eam non semel, raro quidem exemplo, ad varia monasteria sacrarum Virginum miserunt, ut sacris S. Ignatii Exercitiis, in quibus proponendis mirifice valebat, Sanctimoniales ad regularem disciplinam observandam, perfectionemque sectandam excitaret. Et revera hujusmodi Sanctimoniales postea laetatae sunt multum profecisse sub hac optima Magistra, quae verbo atque exemplo certo omnes praeibat. Cursu temporis, etiam clarius Dei voluntate perspecta, et optimis virorum sapientum consiliis adjuta, novam Sacrarum Virginum Institutionem cogitare coepit. Unde, licet omni humana ope fere destituta, imo variis conatibus adversante humani generis hoste, unum post aliud, quinque Monasteria aedificavit; nempe primum s. Annae nuncupatum Roncilione, secundum Assumptionis B. M. Virginis in caelum Viterbii, tertium Immaculatae Conceptionis in Monte Sancti Viti intra fines Senogalliensis Dioecesis, quartum sanctorum Philippi et Jacobi Ischiae in Statu Castrensi, quintum tandem S. Josephi Corae. Ad teneras autem plantas in his sacris hortis peroptime educandas, Constitutiones ex Superiorum consilio et auctoritate composuit, in quibus mira Dei sapientia simulque humana experientia elucet, uti videri potest etiam in praesenti. Valde hic difficile esset hanc sanctimonialem feminam, Matrem ac Magistram, sequi in omnibus, quae usque ad ultimam senectutem, Deo admirabili modo eam adjuvante,

verbo atque exemplo fecit et docuit tum pro gloria divina amplianda, tum pro sanctificatione sui ipsius, tum denique pro bono et spirituali salute omnium suae curae quocumque modo commissorum. Et quod magis est, fere semper aegram valetudinem, egestatem rerum, saepe etiam necessariarum, multasque molestias, et contrarietates perferens. Ast ex altera parte magnae sanctitatis fama apud omnes, praecipue vero apud plures Antistites, Cardinales ipsosque sui temporis Romanos Pontifices, gaudebat; ita ut Clemens XIV inter alios eam sanctam palam appellaverit, ejusque precibus non semel se commendaverit. Neque Deus ipse defuit hanc sanctitatem Ancillae suae variis supernaturalibusque signis confirmare, praesertim vero dono prophetiae et miraculorum, nec non impressione sacrorum Stigmatum Unigeniti Filii sui in ejus virgineo corpore ad exemplum Seraphici sui Patris S. Francisci, prout omnibus compertum est.

Plena meritis ac virtutibus, ad proximum vitae suae exitum, quem divinitus jam praenoscebat, impavida hilarisque properabat; unde fundatis Asceteriis circularem epistolam misit, in qua praeter monita salutaria unicuique Virginum accommodata, multa de suo imminenti obitu disserebat; praesentes vero gravi et efficaci sermone ad omnium virtutum exercitium excitavit, maternamque benedictionem eisdem amare flentibus impertivit. Tandem, extremis Ecclesiae Sacramentis munita in Christi Crucifixi imaginem intuens, in ejusque formam toto corpore composito, Jesu et Mariae nomina clamans, placidissime obdormivit in Domino, die 12 Februarii, anno 1773 aetatis suae vero octogesimo quarto nondum expleto. Statim ac Liliae obitus innotuit, ingens populi concursus, cujuscumque gradus et dignitatis ad templum Coenobii, ubi jam ejus venerabile corpus delatum erat, factus est; omnesque magnas Liliae virtutes ac sanctitatem unanimi voce extollebant. Imo, quidquid ei viventi usui fuerat, avide petebant, diripiebant, si poterant. Quapropter, ad tantae multitudinis devotionem explendam, triduo insepulta remansit. Quo tempore etiam varia, ejus gratia et intercessione Deus patravit prodigia, quibus ipse magis ac magis sanctitatem Ancillae suae patefacere voluit.

Quae fama sanctitatis brevi undequaque diffusa est, eo vel magis quod praeclarae Liliae virtutes ac merita jam nota erant; unde publice ejus patrocinium apud Deum invocabatur, magnus ad ejus sepulchrum quotidie erat concursus, et ut ei quamprimum a Sede Apostolica honor Altarium tribueretur, ab omnibus desiderabatur. Cujus rei gratia *Processus Informativi* super virtutibus miraculisque Servae Dei tum Viterbii, tum Roncilione constructi sunt; postea *Causa Beatificationis* etc. *introducta est; Processus Apostolici* pariter suo tempore ordinati, confecti et recogniti fuere. Ast, nescio ob quam difficultatem, an scilicet ob reipublicae adversas vicissitudines, vel potius ob mediorum deficientiam, certo haec *Causa,* quae optime procedebat, diu immota remansit. Tandem vero nostris temporibus, cura praecipua et sollicitudine defuncti Postul. Gener. Adm. R. P. Bernardini a Cryptis Castri, ad hanc Postulationem delata est. Quapropter, obtenta prius a Sacra Rituum Congregatione declaratione de validitate Processuum, prosequuta est, et quidem prosequitur. Jam enim tres Congregationes circa Vener. Liliae virtutes usque nunc habitae sunt; nempe *Antepraeparatoria* anno 1876 *Praeparatoria* 1879. Et cum in hac secunda non paucae difficultates exortae fuerint maxime circa Sacra Stigmata, quibus fuit insignita, ipsa repeti debuit mense Januarii anni currentis 1889. De hujus celebris *Causae* exitu bene sperare licet; ast desunt ad id media necessaria, Sanctimoniales enim Monasterii Assumptionis B. Mariae Virginis Viterbii, quae merito gloriantur de tanta Matre atque Magistra, nec non de possessione sacri Corporis, unde ipsae necessarias expensas facere deberent, in maxima egestate ob temporum calamitates, versantur. Ideoque haec *Causa* commendatur etiam charitati et generositati fidelium, qui hujus Venerabilis Feminae sunt devoti.

Habetur compendium ejus Vitae, Bononiae editum anno 1875, cujus pretium est L. 1,00 et apud Postulatorem invenitur.

—

CAPITULA PROVINCIALIA
anno 1889 celebrata.

XIX.

Recoll. Provincia Germaniae Inferioris.

Die 11 Augusti in Conventu Mosae-Trajectensi ad S. Bonaventuram, Praeside A. R. P. OTHMARO MAASMANN, Recoll. Provinciae Saxoniae S. Crucis Ex-Ministro, Visitatore Commissario Generali, rite celebratum est Capitulum, in quo canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Anselmus Ebben.

CUSTOS PROVINCIAE

A. R. P. Jacobus Hamer.

DEFINITORES PROVINCIAE

A. V. P. Wilhelmus Lauman.
A. V. P. Benvenutus Fransscns.
A. V. P. Benedictus Schoonbeek.
A. V. P. Eugenius Cornelisse.

XX.

Obs. Prov. Taurinensis, S. Thomae Ap.

Die 29 Novembris nuperrime elapsi, Praeside Adm. R. P. ANDREA LUPORI ex-Procuratore Gli Ordinis et Visitatore Generali, celebratum est Capitulum Provinciale in Conventu Taurinensi ad S. Antonium, et rite electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

Adm. R. P. Petronius Ugone.

CUSTOS VOCALIS

R. P. Aemilius Bollini.

DEFINITORES PROVINCIAE

R. P. Clemens Burdizzo.
R. P. Aurelius Peitti.
R. P. Franciscus Geno.
R. P. Accursius Battistino.

XXI.

VICARIUS PROVINCIALIS
Obs. Prov. Bononiae.

Electo in Ministrum Generalem Rmo P. ALOYSIO A PARMA, jam Obs. Prov. Bononiae pro tertia vice Ministro, ipso jure Constitutionum Ordinis remansit ejusdem Provinciae Vicarius Provincialis Adm. R. P. IRENAEUS A BUXETO, ex-Definitor Generalis, S. C. Indicis Consultor et, durante Capitulo Generali, Commissarius Provincialis.

XXII.

ELECTIO VICARII PROVINCIALIS

Ref. Prov. S. Bernardini
in Aprutiis.

Cum A. R. P. DIOMEDES A PESCOCONSTANTIO, Minister Provlis, in Capitulo Generali, electus fuerit Procurator Generalis, Patres Definitorii legitime congregati sub praesidentia ejusdem A. R. P. Diomedis in Conventu S. Iuliani ad Aquilam, die 25 Octobris, elegerunt in Vicarium Provincialem:

Adm. R. P. Christophorum a Gallinorio.

XXIII.

ELECTIO VICARII PROVINCIALIS

Discalc. Prov. S. Petri de Alcantara
Neapolis.

Electo in Definitorem Generalem actuali Ministro Provinciae A. R. P. JULIO A JESU ET MARIA, die 22 octobris a Patribus Definitorii legitime congregatis in Conventu S. Luciae Montis Neapolis in Vicarium Provincialem electus est

A. R. P. Petrus Baptista a Maria.

—

COMMISSARIUS TERRAE SANCTAE
pro Germanico Imperio.

In Congressu Definitorii Generalis diei 28 mensis Novembris a. c. Adm. Revdus P. GREGORIUS JANKNECHT, Recollectae Provinc. S. Crucis in Saxonia, ex-Definitor Generalis, actu praefatae Provinciae S. Crucis Minister, electus fuit Commissarius Terrae Sanctae pro Germanico Imperio, excepta Bavaria.

III.

MISSIONES

—

VICARIATUS

CHAN-TONG SEPTENTRIONALIS.

Ex epistola Illmi et Rmi P. De Marchi, *Vicarii apostolici neo electi Vicariatus Chan-tong Septentrionalis, directa ad Illmum et Rmum* P. Mariam Stephanum Potron, *episcopum titularem Hiericuntin. et Procuratorem Missionum Ordinis in civitate Parisiensi, sequentia desumpsimus.*

Reverendissime Pater,

Magna, qua premebamur, necessitate, non parum adjumenti nobis fuit eleemosyna, quam ad Nos misisti per piam societatem Propagationis Fidei. Nam ea potuimus infelicibus parvulis derelictis subvenire eosque a certa morte servare. Ast, ad quid valuit? Praevisiones quas, anno jam elapso, ejusdem societatis Praesidi patefecimus, plenum effectum consecutae sunt. Ob pluvias torrentiales et exundationes fluminis *Giallo* nonnullis in locis et siccitatem in aliis, Christiani numero fere sex millium, quin enumeramus catechumenos, fame pereunt! et vix eos sustentamus. Si divina Providentia in nostrum adjutorium non venisset, omnes fame periissemus. Ipsi enim Protestantes Hong-Kong et aliorum portuum Chinae, in comitatu adjutorii constituti, in portu *Shang-haï* pro famelicis Chan-tong et Manduciriae ad nos miserunt francorum quindecim millia circiter. — Mille et quingentos francos accepimus etiam a Consule generali Galliae, a ministro Plenipotentiario Portugalliae et a R. P. Meugniot, Procuratore Missionis in Shang-haï. — Publicas grates eis rependimus. Hisce namque eleemosynis potuimus, juxta intentionem praedictorum, tam Christianis quam paganis succurrere.

Ast, heu dolendum! Quotidie coacti sumus doloroso spectaculo adsistere! Multitudo gentium immensa ad vitandum certam mortem sibi ex fame obventuram, ad Chan-si aliasque provincias meliorem fortunam quaerentes, turmatim emigrant. Ex his plus sexcentorum Christianorum et circiter quater centena catechumenorum, enumeramus: multi ex paganis emigrantibus, iter facientes, fame aliisque exantlatis laboribus pereunt, quin ad praefinitum locum perveniant, relinquentes parvulos filios in viis, quorum nonnullos locavimus apud familias Christianorum, qui eos nutriunt et educant, aliosque in nostris Orphanotrophiis excepimus. Spatio trium mensium ducentos octoginta ex his infelicibus collegimus, quorum nonnulli mortem obiere. His adjunge, non paucos Christianorum filios recipere necesse nobis fuit, praesertim puellas, quae jam aetate excreverant ea de causa, ne in manus paganorum inciderent.

Heu! Reverendissime Pater. Quotidie residentiae nostrae obsidentur a tot infelicibus, viris, feminis, pueris, qui fame consumpti, parum panis a nobis petunt. Tot miseriarum causa sunt latrones, qui, fame grassante, vias infestant, et ex hoc nullum commercium reddunt. Ad hoc, alimentationis genera magni veneunt, et utinam invenirentur! Multi enim coguntur, belluarum more, millii ac hordei corticibus vesci, vel frumenti paleam aut spicae maiis medullam terere, in farinam redigere et ad ignem apponere cum aqua mixtam, et qui in pecuniae penuria versantur, necesse habent famem explere vel arborum foliis, vel herbarum silvaticarum radicibus aliisque. Hicque rerum status perdurat a septem mensibus perdurabitque. Et tamen nobis opus est Missionis necessitatibus providere!

Ad hoc, persecutio, Juliani more, in nos excitata a Chinensi imperio, absque respectu ad Tractatus cum Gallia conclusos, statum nostrum infeliciorem de die in diem reddit, uti elapso anno scripsimus — et hoc in odium religionis Christianae. Alia praetermittimus ne amplius cor tam beneficum Paternitatis Tuae exacerbemus.

Sed benignissimus Deus, inter tot miserias, et persecutiones haud destitit nos solari. In quodam Vicariatus districtu viginti millia paganorum circiter fame adstricti catechumenos se professi sunt. Sacerdos indigena merito timet, ne hoc fecerint aliquo fine secundario vel humano.

A Deo tamen speramus plurimorum sanctam perseverantiam. Statim ac hujusmodi nun-

tius ad nos pervenit, sategimus mittere illuc multos religionis libros et Catecheseos, et juxta vires nostras pecuniae summam. Pater Zeno etiam et P. Jenacchius mihi referunt multas conversiones, et Pater quidam Sinensis recenter scripsit se triginta familias ad Catechumenatum recepisse.

Mirabilis Deus! Sit semper benedictus! exclamamus continuo. Ad hos uberes conversionis fructus servandos, confidimus divina Providentia et caritate tua enixeque deprecamur ne nos derelinquas in necessitatibus nostris.

Orationibus tuis nos commendantes maneo

Paternitatis Tuae Revmae
Tsi-nan-Fu, die 25 Julii 1889.

Addictissimus Servus
Fr. PP. De Marchi, O. S. F.
Pro-Vicarius Chang-tong Septentr.

—

VICARIATUS HU-PE ORIENTALIS.

RELATIO

Rmi Vic. Apost. ad Rmum Ministrum Generalem.

Reverendissime Pater,

Ut mos est, mitto P. T. Rmae annuale speculum spiritualis Administrationis hujus mei Vicariatus, eidemque pauca ad communem aedificationem adjicio.

Inter conversiones Infidelium, quae hoc anno acciderunt, duae peculiarem mentionem merentur. — Prima est conversio cujusdam viri sectae jejunantium addicti. Erat is frater duorum christianorum et habitabat eumdem pagum, qui fere ex integro ex christianis constat. Non erat ipse Religioni infestus, quinimo in rebus ad vitam necessariis Missionario pagum quotannis visitanti suam operam libenter praestabat, sectae tamen suae ita obstinate deditus et devotus, ut per viginti quinque annorum spatium singuli Missionarii, qui illic Missionem fecerunt, inter quos et ego, ut bene recordor, quindecim ante annis, frustra eum ad conversionem fuerint hortati. Hoc anno ibi pastoralem Visitationem peragere debebam, accidit autem ut antequam haec locum haberet, ipse graviter aegrotaverit; tum vero fideles vicini eum iterum exhortati sunt ut animae suae consuleret, Missionarius quoque hoc idem ferventer praestitit, sed adhuc recalcitrabat; instantibus autem illis demum respondit: quando Episcopus advenerit, videbo quid faciam. Paucis verbis narrationem concludam: tempore pastoralis Visitationis noster homo revera conversus est: eum jacentem in lecto visitavi et statim ac me aspexit, coepit flere et dicere me diu desiderasse. Post familiare colloqium, quod antiqui temporis et nova adjuncta rerum suggerebant utrique, ut suum jejunium, sumpto carnis jure, frangeret, ab eo sine difficultate obtinui. Volebat vero baptizari statim, sed hoc in aliud tempus distuli. Intra mensem, ingravescente morbo, baptismi gratiam recepit et pie in Domino defunctus est.

Altera conversio, quam commemorare debeo, accidit in districtu subpraefecturae *Zum-ciam*. Quidam cognomine *Xe*, vir naturaliter bonus et quaerens veritatem, quadam hujus anni die iverat de more ad proximum mercatum *Tum-ciao;* accidit autem ut ibi quemdam nostrum neophytum illuc de longinquo appulsum, de veritate christianae Religionis loquentem audiverit. Porro quae audivit ei optima visa sunt et desiderio incitatus novam hanc doctrinam clarius cognoscendi, aliquem Religionis nostrae librum a laudato neophyto petere ausus est et obtinuit. Domum reversus, librum attente legit, eoque lecto, veritatem jamdiu quaesitam se invenisse laetatus est et statim eam domesticis et vicinis persuadere coepit. Sed oportebat quaerere Missionarium, quem invitare volebat; cum igitur audivisset in distantia octoginta ly seu viginti sex milliarium esse Ecclesiam christianorum, illuc cum aliquibus sociis, suis expensis, libenti animo perrexit; cum vero ibi Missionarium non invenisset, post aliquod tempus idem iter peragere non dubitavit, et rursus sua spe frustratus, paulo post illud idem tertio perfecit. Invenit tandem quem desiderabat in festo Paschatis. Missionarius, cui nota jam erat hujus hominis conversio, eum bene excepit et quantum potuit abundantius edocuit; rogatus autem a catechumeno instanter, ut ad suum pagum ire dignaretur, hoc ei promisit; promissione accepta ille laetus ad suos reversus est. Porro idem Missionarius, promissa visita-

tione peracta, de hoc catechumeno mihi nuper haec scribebat: « jam didicit preces matutinas et vespertinas, fere totum catechismum aliaque, et quotidie recitat sicut antiqui christiani; saepe etiam gentilibus praedicat eosque confutat melius quam multi antiqui christiani. Quando eram ibi invitavit primores locorum, nempe syndicos et literatos, ut eis declararet se esse christianum et non posse amplius solvere pecuniam pro rebus superstitiosis, neque curam gerere de rebus pagodae (antea nempe erat praeses et etiam donaverat pagodae agros). Videtur propterea ibi spes conversionum, nisi diabolus statim immittat zizaniam ».

Hujusmodi conversiones, Rme Pater, veram afferunt laetitiam, utpote quae desursum omnino veniunt et sursum unice tendunt. Rogo Rmam P.em T.am et omnes Fratres, ut DEUM orent, ut has conversiones ad suam gloriam efficacibus gratiis multiplicare dignetur.

Interea seraphicam benedictionem implorando me declaro

Rmae Paternitatis Tuae

Han-Kou, die 24 Septembris 1889.

Obbmus Filius

† Fr. VINC. EPIPHANIUS Ord. Min.
Vic. Apost. Hu-pé Orientalis.

—

VICARIATUS HU-PE ORIENTALIS

RELATIO

Status Animarum et Spiritualis Administratio a die 15 Aug. 1888 ad eamdem diem 1889.

Christianitates		345
Ecclesiae et Oratoria publica		63
Christiani in Catalogo descripti		14,027
Baptizati	adulti	367
	fidelium infantes	419
Confirmationes		314
Confessiones	annuales	7,599
	devotionis	24,239
Communiones	annuales	7,276
	devotionis	34,736
Matrimonia benedicta		108
Extremae Unctiones		188
Vita functi	infantes	155
	adulti	321
Praedicationes	ad Fideles	3,871
	ad Paganos	4,411
Missionarii	Europaei	12
	Indigenae	13
Alumni	Seminarii	22
	Collegii	10
	Scholarum (totaliter)	906

Sancta Infantia (Vic. Apostolici).

Baptizantes		172
Infantes Infidelium	Baptizati	6,131
	Collecti	95
	Aliti	306
	Mortui	4,148
In Scholis	pueri	470
	puellae	104

Sancta Infantia apud Sorores (Canossiane).

Sorores Europeae		17
Infidelium puellae	Baptizatae	1,617
	apud nutrices	1,432
	in Orphanotrophio	286
	Mortuae	840
In Scholis		300
Catechumenae et Neoph. instructae		143
Vetulae et aliae invalidae		170
Nosocomium	Masculi admissi	200
	Feminae admissae	289
	Infirmi externi medicati	14,500

† Fr. VINC. EPIPHANIUS *Vic. Apost.*

—

CATALOGUS

PATRUM ET FRATRUM ORDINIS S. FRANCISCI

In Collegiis Missionum Reipublicae Bolivianae existentium.

—

COLLEGIUM SUCRENSE.

Sacerdotes.

P. Salvius Costa,	Hispanus	ex Obs.
» Melchior Azcuñaga,	»	»
» Aloysius M.ª Pascual,	»	»
» Marianus Echevarria,	»	»
» Augustinus Muniosguren,	»	»
» Antoninus Suarez,	Bolivianus	»
» Emmanuel Bajo,	Hispanus	»
» Joseph Cassianus Uriburu,	Argentin.	ex Obs.

P. Philippus M.ª Albi, Hispanus ex Obs.
» Jacobus Raurich, » »
» Iulianus Berrosteguieta, » »
» Emmanuel Amenábar, » »
» Simon Maidagàn, » »
» Petrus Texidò, » »
» Valentinus Lopez de Vicuna, » »
» Raimundus Calvo, » »

Laici.

Fr. Martinus Barrena, Hispanus, ex Obs.
» Petrus Ribera, Bolivianus, »
» Joseph M.ª Sudupe, Hispanus, »
» Martinus Naval, » »
» Joseph M.ª Salazar, » »
» Bonaventura Yufra, Bolivianus, ex Obs.

COLLEGIUM PACENSE.

Sacerdotes.

P. Raphael Sans, Hispanus, ex Obs.
» Blasius Borrás, » »
» Joannes Bernát, » »
» Victorianus Gonzalez, Hispanus, ex Obs.
» Nicolaus Armentia, » »
» Paulus Fernandez, » »
» Ludovicus Sarrá, » »
» Orestes Calistri, Italus, ex Ref.
» Joseph Bonaventura Cárdenas, Boliv., ex Obs.
» Franciscus Aberásturi, Hispanus, ex Obs.
» Victor Torres, Bolivianus, »
» Ferdinandus Sanginés, Bolivianus, »
» Felix Foronda, Hispanus, »

Clerici.

Fr. Joseph M.ª Valle, Bolivianus, ex Obs.
» Bonifacius Llanos, Hispanus, »
» Pontianus Moreno, » »
» Antonius Usatorre, » »

Laici.

Fr. Joannes Perez, Hispanus, ex Obs.
» Cosmas Terrazas, Bolivianus, ex Obs.
» Marianus Vallon. Peruanus, »
» Lucas Barreda, » »
» Joseph Carciller, Hispanus, »
» Antonius Serruto, Bolivianus, »
» Ambrosius Armentia, Hispanus, »

Oblati.

Fr. Adulphus Lacerna, Bolivianus, ex Obs.
» Joseph M.ª Rada, » »
» Joannes M.ª Montilla, » »

IN MISSIONIBUS EJUSDEM COLLEGII.

P. Ludovicus Fernandez, Hispanus, ex Obs.
» Bernardus Clerici, Italus, »
» Caesareus Fernandez, Hispanus, »
» Thomas Hermoso, » »
» Joannes Antonius Cardeña, Hispan. ex Obs.
» Emmanuel a Laas, Gallus, ex Obs.

COLLEGIUM POTOXINUM.

Sacerdotes.

P. Theodorus Massa, Italus, ex Ref.
» Joannes Carbini, » ex Obs.
» Angelicus Martarelli, » »
» Bonaventura Capomaggi, Italus, ex Obs.
» Thomas Turchetti, » »
» Casimirus Mancini, » »
» Julius M.ª Bregoli, » »
» Angelus Grosso, Melitensis, »
» Jacobus Ricciotti, Italus, ex Obs.
» Dominicus Pacciucci, » »
» Leonardus Federici, » »
» Joseph M.ª Gentili, » »
» Octavius Maraccini, » »
» Angelicus Marconi, » »
» Pacificus Clementi, » »

Laici.

Fr. Antonius Giantommaso, Italus, ex Obs.
» Aloysius M.ª de Paulis, » »
» Alexander Niccolini, » »
» Paschalis Di Cesare, » »
» Angelus Santos, Hispanus, ex Obs.
» Natalius Palmucci, Italus, »
» Franciscus Scaccia, » »

IN MISSIONIBUS EJUSDEM COLLEGII.

P. Ferdinandus Cosci, Italus, ex Ref.
» Angelus Ricchieri, » ex Obs.
» Romualdus D'Ambrogi, Italus, ex Obs.
» Apollinaris Simoni, Corsus, »
» Marianus Maccini, Italus, »
» Daniel Grulli, » »
Fr. Cecidius Cipolla, *(laicus)* Italus, »

COLLEGIUM TARIJAE.

Sacerdotes.

P. Jacobus Lardani, Italus, ex Obs.
» Zephyrinus Muzzani, » »

P. Alexander M.ª Corrado, Italus, ex Obs.
» Vincentius Piccinini, » »
» Dionysius Guerrini, » »
» Joseph Eliseus Molina, Argentinus, ex Obs.
» Vincentius Marcelletti, Italus, ex Obs.
» Nicolaus M.ª Sesti, » »
» Maximus Pierazzoli, » »
» Antonius Gatti, » »
» Bonaventura Lolli, » »
» Bernardinus Turbessi, » »
» Gervasius Costa, » »
» Guidus Cremona, » »
» Petrus Angelisanti, » »
» Joannes Joseph Bárgar, Bolivianus, ex Obs.
» Nicolaus Ruiz, Hispanus, ex Obs.
» Silvester Lardani, Italus, »
» Michaël Geronimi, Corsus, »
» Raphaël Paoli, Italus, »
» Joannes Argentini, Italus, »
» Maximinus Colina, Hispanus, ex Obs.

Clerici.

Fr. Columbanus Puccetti, Italus, ex Obs.
» Paulinus Pardini, » »
» Alphonsus M.ª Puccetti, » »

Laici.

Fr. Andreas Cantoni, Italus, ex Obs.
» Joseph Eusebius Velasquez, Boliv. ex Obs.
» Cherubinus Puccetti, Italus, ex Obs.
» Eugenius Marconi, » ex Ref.
» Emmanuel Medrano, Bolivianus, ex Obs.
» Paschalis Ruiz, Hispanus, ex Obs.
» Benedictus Guerrero, Bolivianus, ex Obs.

Oblati.

Fr. Petrus Gallardo, Bolivianus, ex Obs.
» Agapytus Bayon, » »

In Missionibus ejusdem collegii.

P. Sebastianus Pifferi, Italus, ex Obs.
» Dorotheus Giannecchini » »
» Nazarenus Dimeco, » »
» Hieronymus Basili, » »
» Vincentius Manuali, » »
» Leo Orsetti, » »
» Berardus Cisco, Italus ex Ref.
» Jacobus Romano » ex Obs.
» Leonardus Stazi, » »
» Franciscus Cayola » »

P. Innocentius Massei, Italus ex Ref.
» Aegidius Agostini, Corsus, ex Obs.
» Zaccharias Ducci, Italus ex Ref.
» Terentius Marcucci, » »

Collegium Taratae.

Sacerdotes.

P. Hugolinus Gorleri, Italus, ex Reform.
» Paschalis Bianchi, » »
» Paulus M.ª Marsulli, » »
» Cyrillus Paone, » »
» Hugolinus Russo, » »
» Epiphanius Doberti, » ex Obs.
» Cyrillus Moreau, Gallus, ex Ref.
» Isaias Forno, Italus, ex Ref.
» Bonaventura Salazar, Bolivianus, ex Obs.

Clerici.

Fr. Antonius Rodriguez, Bolivianus, ex Obs.
» Bernardinus Joseph Pesciotti, Italus »
» Dominicus M.ª Jannacci, » »
» Franciscus Pierini, » »
» Joannes Capistranus Bernabei, » »

Laici.

Fr. Bartholomaeus, Fasan, Italus, ex Ref.
» Joseph Paoli, » »
» Salvator Martinez, Bolivianus, ex Obs.
» Seraphinus Pinto, » »

Novitii Clerici.

Fr. Carolus Nascentes, Hispanus, ex Obs.
» Joannes Antonius Laredo, Bolivianus »
» Petrus Torres, » »

Probandi.

Orestes Torri, Italus.
Nicolaus Serralli, »
Fridericus Giannini, »
Daniel Caravallo, »

In Missionibus ejusdem Collegii.

P. Joseph Giannelli, Italus, ex Obs.
» Hermenegildus Giannotti » »
» Ambrosius Prati, » »
» Berardus Lujan, Bolivianus, »
» Joachin Rugani, » »
» Januarius Schaeler, Austriacus, ex Ref.
» Wolphgangus Priwanzer, » »

HOSPITIUM S. CRUCIS DE SIERRA.

P. Cherubinus Francescangeli, Italus, ex Obs.
» Casimirus Schiavi, » ex Ref.
» Thomas Roscioni, » »
» Bernardinus Martinez, Argentinus ex Obs.
Fr. Franciscus Paredes (oblatus) Bolivianus, »

HOSPITIUM COCHABAMBAE.

P. Ludovicus Panizzi, Italus, ex Ref.
» Franciscus Solanus Melchor, Hisp. ex Obs.
» Bonaventura Callistus Montesinos, Boliv., »
Fr. Antonius Pierola (laicus) » »

Igitur in Republica Boliviana degunt *centum decem et sex Patres Missionarii,* ex quibus 67 Itali, 30 Hispani, 5 Galli, 2 Austriaci, 1 Melitensis et 11 indigenae. 116

Fratres clerici *duodecim,* ex quibus 7 Itali, 3 Hispani, et 2 indigenae. 12

Fratres laici *triginta tres* ex quibus 12 Itali, 9 Hispani et 12 indigenae. 33

Novitii clerici 3, hispanus unus et 2 indigenae; oblati seu tertiarii *sex*, omnes indigenae; et 4 probandi, omnes Itali. 13

Totales 174

Reformati 19; ceteri omnes ex Observantibus.

IV.

VARIA

—

IN NATIVITATE DOMINI AN. 1889

ODES

Omnia elementa venisse auctorem suum testata sunt.
S. GREG.
Israel autem me non cognovit.
Is. I.

1

Nunc plena sunt de Virgine,
Vatumque aperta oracula :
Justum dederunt nubila,
Virgo Virum circumdedit

2

Jessea Virgo floruit,
Et germinavit lilium,
Radice ab ejus regia
Flos Nazarenus prodiit.

3

Tu terra digna duceris,
Ut ejus esses aptior
Thalamus torusque regius,
Quo sponsus almus accubat.

4

Oris sui nunc osculo
Te exosculatur dulciter;
Verbo prius te condidit,
Nunc dextera complectitur.

5

Tonante voce Patribus
Mandata dura tradidit;
Nunc mitis ore parvuli
Leges amoris praecipit.

6

Tunc servitutis debitum
Hic exigebat legifer,
Nunc signa flagrantissimae
Dilectionis postulat.

7

Sinu e paterno prodiens
Intravit alvum Virginis;
Caelis ab altis exiens
Descendit in praesepium

8

Agunt cohortes caelitum
Effusiora gaudia;
Solemne in altis concinunt
Hosanna David Filio.

9

Deum infideles praedicant
Natumque Regem gentium
Ducens et astrum praevium
Magos ferentes munera.

10

Sol trinus uno tempore (1)
In occidente apparuit;

(1) Traditur in nocte Nativitatis DOMINI tres soles apparuisse in Occidente; item in colle Capitolino imperatori Augusto Virginem Deiparam filium suum ulnis amplexantem fuisse monstratam.

Monstrata Virgo Caesari,
Concessa pacis gaudia.

11

Bethlemi aquarum gurgite (1)
Oleumque Romae defluum:
Prostrata Idola Memphcos,
Desserta Nili et Delphidis.

12

Elementa cuncta praedicant
Adesse natum Principem
Pacis, ducumque gentium,
Patrem futuri saeculi.

13

Sed quem fatentur omnia,
Credunt abyssi daemones,
Quem caeli adorant Spiritus
Solus refutat Isräel!

14

Cur Synagoga incredula
Ad signa tanta permanes?
Mentem revelas pessimam
In sanguine Innocentium.

15

Ehu! spargere incunabula
Tu caede JESU consulis!
Vides pavesque Caesares
Gentem locumque tollere

16

Tanti execrandi criminis
Hujusque signum permanes:
In Te tuïsque cernitur
Ira imprecata caelitus!

17

Nascuntur in Te infantuli
Capiti afferentes dexteram
Quae tota manat sanguine
Iuxta ultionem Numinis (2).

(1) Bethlchemitae, fontem aquae emanantem, dum Romani ad clivum Jani, in loco ubi nunc exsurgit celeberrima ecclesia S. Mariae trans Tyberim, fontem olei salientem mirati sunt. Apollinis oraculum Delphicae siluit, et nota sunt Isaiae. vaticinia: Ecce Dominus ingredietur Aegyptum, et commovebuntur simulacra Aegypti a facie ejus (Is. 19).

(2) S. Vincentius Ferrerius in sermone de Parasceve haec ait: « In signum illius imprecationis, quando masculi Hebraeorum nascuntur, habent manum dexteram plenam sanguine innixam capiti ».

18

Grates puello Bethleem,
Matri MARIAE gloria,
Casto Josepho gaudium,
Nobis salutis gratia.

V.

BIBLIOGRAPHIA

BERNARDINUS ORELLANA, Min. Obs. — 1°. Ramillete Histórico de Los Milagros de la Vírgen del Valle Estractados de la Informacion Jurídica de 1764 y dispuestos en órden de lectura piadosa para espiritual solaz y espansion de los devotos de esta Santa Imágen Por el P. Fr. Bernardino Orellana Religioso Franciscano publicado con licencia de la Autoridad Ecclesiástica del Obispado de Salta y la del Prelado Superior del Autor. Buenos Aires Imprenta de Pablo E. Coni È Hisos, Especial para Obras 60 — Calle Alsica — 1887.

2. Coronilla maternal de los Milagros de la Vírgen del Valle, realizados despues de la fecha de la Informacion Jurídica de 1764 y referidos por Cartas autógrafas de los mismos Agraciados, que para comprobar la Admirable, yamás interrumpida continuacion de tales Maravillas hasta nuestros dias, Publica como un nuevo Apéndice del *« Ramillete »* El Padre Fray Bernardino Orellana, Religioso franciscano publicada con Licencia de la Autoridad Ecclesiastica del Obispado de Salta y la del Prelado Superior del Autor. Buenos-Aires, Imprenta de Pablo E. Coni e Hyos, Especial Para Obras 680 — Calle Perú — 680 1889.

3. La Virgen del Valle es jurada Patrona en 1688 por el Cabildo; renovacion del juramento en 1888; Crónica de los trabajos de la Comision, documentos principales y discursos pronunciados en el triduo del bi-Centenario; Noticias sobre el encuentro de la gruta donde Manuel Salazar halló la Sagrada Imágen. Catamarca, Tipografia y Papeleria del Comercio, Calle 6, núm. 38 — 1889. (In-12 pag. 150).

P. FLORIAN. BREZINA, Reform. Provinc. S. Venceslai in Bohemia, Venecek. ku pocte

Nebes Kralovny. V. Brne 1889. LATINE « Corona » etc. altera editio, Brunae.

P. HILARIUS A SEXTEN, Min. Cap. — Compendium theologiae moralis Pars II. Apud omnes bibliopolas pretio 6 mark, vel 3 floren. vel 7, 50 franc.

MAXENTIUS (P.) DEFORCE, Min. Rec. — Volledig Handboek voor Wereldlijke Derde-Ordelingen van Den H. Franciscus van Assisie door P. F. Maxentius Deforce van de Orde der Minderbroeders-Recollecten. Sint-Truiden Boekd. H. Vanwest-Dubois, in den H. Geest, Thiensche straat 14, 1889.

VI.

NECROLOGIA

P. BONAGRATIA MAROEVIĆ, observantis Prov. s. Hieronymi in Dalmatia, ex-minister die 16 Octobris an. current. in civitate Lesina in DOMINO pie obdormivit.

Is natus in Cittavecchia insulae Lesinensis in Dalmatia die 13 Aug. an. 1808; 4 Septembr. 1836 ad sacr. sacerdotium promotus, continuo tum in provincia cum in publico gymnasio Spalatensi professoris munere fungebatur usque ad obitum. Ob suam eruditionem, diversarumque linguarum peritiam eruditis viris notus et charus fuit. Musices quoque peritus aliquot « Missas » composuit. Ob religiosas virtutes, quas impense colere conabatur minister provincialis electus disciplinam regularem sartam tectam ubique conservare nitebatur. Provincia religiosa et Ordo eum amisisse lugent.

R. I. P.

Admodum R. P. Fr. FRANCISCUS TAVOLINI, natus Mathelicae in Piceno die 10 Novembris 1825 religiosum sumpsit habitum in Conventu SSmae Annuntiatae Auximi, ubi solemnem emisit professionem, anno 1843 aetatis suae 18. Jam Philosophiae Lector Generalis illius almae Provinciae, sese adjunxit Missionibus Americae, et in hoc Collegio Sti Caroli ejusque Missionibus huc usque moram traxit ab anno 1854, ubi diversa Collegii munera perbelle adimplevit animi alacritate, obedientia et humilitate pari; tum laboriosi Missionarii, tum Novitiorum Magistri, artiumque et Sacrae Theologiae Lectoris; denique, dum Guardiani officio fungeretur, ad quod munus bis fuit electus, vigil extitit legum custos, omnibus ita praeire satagens, ut magis communitatem regeret exemplo quam auctoritate. Fuit etiam electus in Commissarium Generalem, cui officio humiliter renuntiavit.

Zelus ejus praesertim eluxit, dum Missionibus fungeretur inter infideles variarum Stationum Missionis territorii septentrionalis, (del Chaco) prima vice statim post ejus adventum ad Collegium, et iterum ab anno 1874 ad 77 fuit omnium abnegatissimus et zelantissimus. Nullo enim periculo territus, ut bonus pastor quaerens oves errantes reducere ad ovile Christi, discurrebat hac illac. Saepe transegit hebdomadas integras lustrando insulas ingentis fluminis (Paranà), in lentriculis fragilibus, sub dio pernoctans, et die sub solis spiculo, ita ut vere dici possit eum sustinuisse pondus diei et aestus. Apostolici ejus labores, DEO benedicente, copiosum retulerunt fructum. Plures enim familiae, quae in turpi vivebant concubinatu sanctum Matrimonii Sacramentum inierunt, ductae salutaribus ejus monitis et consiliis: pluresque animas in viam salutis ipse reduxit.

Sibi captandi suorum animos neophytorum percupidus ut eos DEO lucrifaceret, studio eorum idiomatis difficillimi ita incubuit, ut hoc didicerit tali perfectione, ut efformare valuerit manuscripta varia in modum grammaticae, explicationum catecheticarum, exhortationumque. Ad eos instruendos in iis quae sunt religionis indefessus, ita eorum sibi devicit affectum, ut ejus *(bodjak Payolec Francisco,* seu *Boni Patris Francisci)* recordentur cum veneratione. Missionibus etiam fidelium per duorum annorum spatium intentus, Provincias Sanctae Fidei, Entre-Rios, et partem Bonoäerensis perlustravit eodem exitu faustissimo.

Sed heu! quae nulli rei parcit mors rapuit eum e numero vivorum die prima nuper

elapsi mensis Julii, dum ad Collegium reverteretur ab oppidulo Roldan, quo perrexerat ad implenda sacra ministeria in festo sancti Petri et sequenti die dominico.

Creditur mortis causam fuisse congestionem cerebralem; quia his ultimis annis quaedam experiebatur symptomata, quae, medicorum judicio, erant praedispositiones ad luctuosum exitum qui nuper evenit, et communitatem immersit in jacturam tanti Patris, qui vere dici poterat manus ejus et oculus.

Ex dictis videre licet eum fuisse carum Deo et hominibus. Illius enim gloriam, horumque bonum quoad vixerit in omnibus semper quaesivit; tum assiduitate in sacro tribunali Poenitentiae, tum cura infirmorum, quibus ministeriis semper promptus erat, nullis parcens laboribus, aut incommodis temporum aut locorum, non minus quam actibus communibus quibus semper praesto aderat. Quibus omnibus juvat sperare communitatem, quae eum in terris cooperatorem habuit, eum protectorem habere in caelis. Quiesce, Pater Francisce, in amplexu Christi Domini et Salvatoris tui.

R. I. P.

Barcinonae in Hispania die 17 Octobris anni currentis pie in Domino obiit P. Fr. Raymundus Buldii, s. Theologiae lector jubilatus, minister Provinciae Cataloniae.

Primam lucem aspexit in civitate Cervera die 9 Julii 1815, quem ingenui Deoque devoti genitores in pietate rite et scientiis liberaliter educari curabant. Anno dein 1831 ordinem s. Patris nostri Francisci ingressus inferiorem hominem virili animo calcando ea solum quaerere coepit, quae sursum in caelo sunt et die 8 Maji anni 1832 per vota solemnia totum uni Deo se dedicavit. Barcinonae Philosophiae diligentissime studuit. Rerum publicarum eversio in Hispania anno 1835 inducta, Deus, qui innocentes nunquam derelinquit eum in Italiam incolumem deduxit; ubi sacrae Theologiae operam navans non minus diligentia quam et ingenii promptitudine inter condiscipulos excelluit; dein lector primum Philosophiae postea s. Theologiae Bononiae profunda scientia, acri judicio et clara facilique rerum divinarum expositione eminuit adeo, ut ejus nomen in omnium ore versaretur.

Lectura s. Theologiae terminata in patriam rediens florentis olim franciscanae religionis tristem invenit ruinam, inimicus enim Dei non modo ordinem sacrum suppressit, sed et ejus resuscitandi spem omnino sublatam voluit; verum misericors Deus et angelus priscae Hispaniae tutelaris aliud disponebant, nam P. Raymundus divino quodam monitu interne actus, ut inflictis vulneribus Religionis patriae suae mederetur, promptum aptissimumque reperiit remedium nempe, spiritum sancti Francisci denuo in publicam vitam revocandi hispaniam: in hoc omne tanti viri conamen dirigebatur, nec sine effectu, nam congregationem sororum Tertii Ordinis seraphici instituendo, afflictis tot fidei catholicae nuntias et christianae consolationis suppeditavit angelas, quot membra eadem congregatio censet.

Ordo quoque primus qui strictiori vinculo cum inclita natione hispanica semper colligabatur, ut profecto nescias, an is ab illa plus viros sanctitatis, an vero haec ab illo plura acceperit incrementa pietatis, ordo inquam primus ejusdem P. Raymundi sollicitudine nova coepit incrementa, adeo ut, benedicente Domino, optima quaeque deinceps merito sperari possint. Anno 1876 obtinuit facultatem recipiendi novitios, anno 1882 a gubernio concessi sunt illi duo conventus: B. Mariae del Remedio et s. Dominici de Balagner. Anno demum 1887 provincia Catalauniae, in novam revocata vitam, P. Raymundum peroptavit sibi in ministrum praefici, quem tot annos dulci *Patris* et *Sospitatoris* vocabulo compellabat.

Ultimo denique anno 1888, cum 50 annum sacri sacerdotii celebraturus animum ad ea, quae praetercurrerunt serio attenderet, cunctos suae provinciae filios, quos in Christo ipse per s. Franciscum genuit, ad gratias Deo agendas publicis invitavit litteris, quo facto vires eum sensim deficere inceperunt, adeo ut die 17 Junii appoplexia tactus dein 17 Octobris an. curr. piissimam animamcreatori suo reddiderit.

Erat ipse vir ingenio et doctrina clarus, charitate in Deum et amore in proximum insignis, sacrae regulae seraphicae zelator inde-

fessus, suis conreligiosis pater et ductor, Praesulibus Barcinonensis ecclesiae et sodalitatibus catholicis consiliarius et fulcrum. Scripsit multa opera pia et erudita, quae alias referre intendimus.

R. I. P.

Adm. R. P. Remigius Busellius, ex provincia Versiliae, *Ruosinae,* qui vicus est pisanae dioecesis, ad Petramsanctam, duodevigesimo aetatis anno, divinae auscultans vocationi, Institutum nostrum amplexus est. Ad pietatem propensus, doctrinae addiscendae cupidus, talem se futurum ostendit qualem cognitum judicavimus. Tyrocinio ad S. Romani, extrema die 1846, cum laude absoluto, Florentiam disciplinis philosophicis juxta ac theologicis vacaturus missus, ubi per aetatem licuit, vitae quam ingressus erat se perpetuo sacramento obligavit, ac anno insequenti 1852 sacerdotium assumpsit. Ingenium scientiis comparandis idoneum, miram in disserendo facilitatem atque in obiectis diluendis perspicuitatem cum profunditate conjunctam ii suspexerant, in quorum disciplinam conveniret sodalis noster. Quare in re philosophica primum, dein in re theologica ingenio periclitari jussus, utriusque magisterio, judicibus suffragantibus, auctus est. Juniores bene multos, sive Ordinis nostri alumnos, sive clericos Seminarii Massae maritimae per tres et decem annos ad praedictas scientias instituit, susceptoque muneri pari laude satisfecit.

Magisterio dimisso, in Palaestinam, a secretis Rmi Custodis, Rmi Seraphini Milanii, se contulit, ubi tanta in sancta illa Loca devotione exarsit, quam cuique sit credibile. Anno 1866, quo, post biennium, ad nos redierat, partes Rmi Custodis, ex delegatione, egit ut quae Terram Sanctam respicerent negotia, in Italia curaret; et pro voto omnia cessissent, si id rerum nostrarum eversores passi fuissent. Per id tempus Commissarius Terrae Sanctae pro Tuscia hac Provincia electus fuit: et paucis post annis paroeciam conventui nostro Labronensi adnexam regendam suscepit; quo in munere obeundo patuit quanta in sodali nostro esset pietas et sapientia, dum aediculam Deiparae, in quam praecipuo ferebatur amore, dicatam instauravit, ac S. Scripturas opportuna facilique ratione frequenti populo explanavit.

At quem abreptum lugemus sodalem Sacrorum Librorum apprime scitum fuisse multiplex extat testimonium, quod Franciscalem virum summopere commendat. Revera, anno 1868, Labrone, publicas nexuit controversias cum Waldensibus, quos ad absurda, sive spuria fictave S. Scripturae loca provocantes, victor ad silentium cum rubore compulit, profligavitque.

Opus vero super Assumptionem corpoream B. Mariae Virginis, quod arte guttembergia edidit, ob innumera loca Scripturalia, sanctorum Patrum ac Doctorum testimonia rei suae suffragandae adligata, peritissimorum hominum judicio probatur atque praeconia commendatur. Immo auctor cogitaverat, si vita suppeditasset, hoc opus, quo longius latiusque innotesceret, latine reddere.

Cum tanta S. Scripturarum scientia polleret, atque ad disserendum factus a natura videretur, uti supra memoravimus, facile conjicitur cur munus concionandi arriperet, summaque laude exercuerit. Paucos, fortasse, nostra memoria, reperies qui ex ambone divina nuntiantes, amorem, attentionem cum magna sui aestimatione sibi pepererint, et quocumque vellent animum egerint auditorum, sicut Nostro contigit. Quod si a negotiis gerundis aliquanto minus praepeditus, commodius, sacrum illud munus exercere potuisset, primas in re oratoria, nostra quidem sententia, tulisset. Neque eum externae illae dotes defecerunt, quibus numeris omnibus absolutus evasisset praeco: corpore procerus, ore verendus, voce validus, dicendi, agendique habitu fuit decorus. Quibus omnibus dotibus nemini mirum esse videatur, si Lucenses, Romani, Florentini, Bononienses, Neapolitani, Mediolanenses, atque, per nuperas exuriales ferias, Panormitani eum concionantem audire certaverint.

Ad haec, Remigius noster eam artem probe novit, quam κριτικὴν vocant, quae maxime patuit in editis voluminibus Emmaunti evangelicae vindicandae. Vix credibili memoratu est quanta animi contentione huic operi manus admoveret et, quamdiu vixit, idem fuerit prosequutus. Hoc vel unum satis superque ar-

gumento sit quod jam jam moriturus Emmauntem saepe ingeminaret atque controversias circa id loci habitas interruptis verbis revolveret. Quo in opere sicut in ceteris, quae in vulgus ediderat, si minus elegans forma exprimit sententias, harum tamen gravitate istiusmodi defectus compensatur. Adde etiam quod in scriptis defuncti sodalis laudatur plana quaedam dicendi ratio, quae si quando verborum copia infuscatur, logico tamen atque, pene dixeris, severiori idearum contextu ad exitum festinat.

Poeticos quoque lusus tentavit, non sane injucundos.

Virum hunc tot meritis auctum non pauci faciebant, qui a summo sive Provinciae sive Ordinis essent. Pluries in consiliis Remigium nostrum adhibuere, quod rerum nostrarum zelosum scirent. In Provinciali comitio, anno 1880 habito, Custos Provinciae renuntiatus fuit, quod munus post sexennium secundo exercuit. Visitator generalis a Praeposito Ordinis in plures Provincias missus est, quas prudenti consilio juvit. Praesenti anno electus fuit Definitor Provinciae, et, elapso Octobri, inter PP. Definitores generales fuerat cooptatus.

At praedicatio Panormitana virum apostolici pectoris fregerat. Vires exhaustas, ardorem agendi remissum, ciborum fastidium et quamdam animi lassitudinem lamentabatur, ex quibus se brevi moriturum persentisceret. Romam adscitus ut cum reliquis Definitorii Generalis Patribus consilia conferret, Labronem revertere cogitur. Ingravescente morbo, lecto decubuit. Multae adhibitae curae si forte convalesceret, quae frustra omnes. Ubi rumor de infirmitate P. Remigii in urbem sese diffudit, frequens ad eum invisendum concursus. Antistes Labronensis, Archiepiscopus tit. Sydensis, Rmus Seraphinus Milanius, admodum Rev. P. Cyprianus Verdianius, Thusciae Minister, qui tam carum caput magnopere amabant, inviserunt aegrotum, spem aliquam retinentes quod vota precesque tot amicorum piorumque jacturam ab insigni viro atque ab Instituto deprecarentur. At Deo aliter visum. Sic cum vis morbi fluidum nerveum penitus consumpsisset, paucis post diebus, quibus egregia pietatis documenta dedit, admissa expiatus, pane ad caelum viatico pastus, sacraque unctione inunctus, tranquille quasi non morti sed somno suavissimo cederet, decimo calendas decembres, hora post meridiem 6, ad perpetuam caeli lucem evolavit.

Vir in Institutum nostrum summo amore devinctus, utinam secundum et sexagesimum annum longissime excessisset! Contra, luctum quam ab interitu P. Alexandri Baronii, ante duos annos, magnum Tuscia nostra Sodalitas acceperat, hic nondum maturus exitus cumulavit.

Vivas in Deo, o sodalium dulcissime! animi tui, sensuum erga nos tuorum, vivum in omnibus manet, ac perenne, dum vita suppeditat, manebit desiderium.

R. I. P.

Nihil obstat

Fr. Aloysius, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

TABULA MATERIARUM
PERIODICI
ACTA ORDINIS MINORUM
ANNO 1889.

—

I. — ACTA ROMANO-SERAPHICA.

II. — ACTA ORDINIS.

Incitamenta Seraphica.

Cap. IV. De mortificatione.

Cap. V. De educatione juvenum.

Capitula Provincialia anno 1888.

Capitula Provincialia anno 1889.

III. — Missiones.

IV. — Varia.

V. — Bibliographia.

VI. — Necrologia.

					ERRATA	CORRIGE.
Pag.	44	col.	1	nota	1 seclusa	reclusa.
»	»	»	2	lin.	2 Lect. et Conc.	Lect. Jub.
»	45	»	1	»	5 Academiis	Academicis
»	»	»	1	»	15 7 Julii	8 Julii.
»	»	»	1	»	22 21 Junii	28 Novembris.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO

DIE XXX DECEMBRIS AN. MDCCCLXXXIX.

—

Venerabiles Fratres,

Tempestivum quoddam solatium ex remotis Americae oris, pariterque ex Helvetiis nuper accepimus. Quod enim magnopere catholici expetebant, ut propria aliquot sibi esse Gymnasia magna in eruditionem juventutis liceret, id sua ipsorum contentione novissimo tempore assecuti sunt, constitutis Washingtoni, Ottawae, itemque Friburgi majorum disciplinarum domiciliis: in quibus hoc quidem sanctissimae legis instar habebitur, conjungere incolumitatem fidei cum elegantia doctrinae, neque minus ad religionem, quam ad artes optimas informare adolescentes. Qua de re probe intelligimus quantam haberi gratiam imprimis Episcoporum providentiae et constantiae, tum collatae privatorum operae oporteat. Utrisque sua tribuenda laus quod, conjunctis consiliis studiisque, memorabile beneficium pepererint, quo non Ecclesia solum, sed civitas magna cum salute sua perfruatur. Nam ejusmodi coeptorum cernimus animo, Venerabiles Fratres, fructus futuros: intereaque Nos ea cogitatio non parum recreat, in civitatibus, quae memoratae sunt, libere properare ad incrementa posse catholicum nomen, tutela legum et hominum aequitate defensum.

Ista quidem satis jucunda foris acerbiorem sensum earum rerum efficiunt, quae geruntur domi. Hic enim impugnare Ecclesiam adversarii non desistunt: quin etiam profitentur hostiles animos quotidie audacius, gloriamque facinoris ultro petere non verentur. Satis eloquuntur hominis non privati nuper dicta, cum in concione frequenti, eaque consulto vocata, quid rectores rerum italicarum de Ecclesia Romanoque Pontificatu cogitent, quid velint, aperte indicavit. — Neque absimiles in Urbe, mense Junio, auditae voces, quibus diebus per inusitatas easque clamorosas significationes non tam transfugae honos, quam Ecclesiae ignominia quaerebatur. Ita facile apparet, eodem inclinare utrobique sententias, et hoc esse prorsus commune propositum, exercere cum avita religione inimicitias, pravarumque sectarum auspiciis et ductu totum italorum genus, si fieri posset, ab Ecclesiae complexu divellere. Compertas illas habetis, Venerabiles Fratres, plenas importunitate atque audacia sententias. Romanorum Pontificum in Urbem Romam oppugnare jura placuit, eademque usque adeo opinione minuere, ut non plus habere momenti dicta sint, quam quod regiarum domorum rationes habere universe solent. Quod autem est Nobis ereptum, id esse novis possessoribus firmo perpetuoque jure quaesitum, quasi nasci jus ex vi injuriaque possit. — Supervacaneum profecto est hoc loco meminisse titulos omnino singulares, quorum caussa Sedes Apostolica jus sibi suum in Urbe vindicat, vindicabit. Pariter nihil est opus naturam com-

memorare civilis Romanorum Pontificum principatus, qui, cum illuc pertineat ut apostolici ministerii libertatem dignitatemque debitam efficaci custodia tueatur, caussam habet sibi unice propriam, idemque a communi ratione principatuum non parum differt. At vero silere omnino neque possumus, neque debemus, cum in Apostolicam Sedem istos velut renovatos impetus vis inimica convertat. Eo vel maxime, quod in propugnatione juris Nostri non tutelam rei alicujus mortalis Nobis proponimus ipsi tanquam finem, sed majora quaedam atque altiora spectamus. Videlicet fidem christianam conservari integram, ut oportet, volumus: ejus enim vocatur in discrimen incolumitas, quando qui populo praesunt has partes assignant reipublicae, vindicare humanae rationi sine modo, sine lege, principatum: quod, missis ambagibus, nihil est aliud, quam respuere funditus quaecumque a Deo tradita sunt, planeque ab Ecclesia desciscere. Itaque non id agitur tantum ut religionem civitas nullam habeat potiorem, aequabilitatemque juris largiatur nullo discrimine singulis, in quo iniqua et summe perniciosa ipsa aequabilitas est: sed lacessere placet catholicum nomen publica denunciatione belli, et cum pessimis Jesu Christi inimicis consilia viresque conjungere. Vix credibile videatur, huc denique esse perventum, idque in Italorum gente, quae christianae veritatis lumen maturrime, Dei munere, aspexit bonitatisque divinae maxima ac plane singularia beneficia undeviginti saeculorum spatio et sensit et religiose custodivit. Sed res est ante oculos posita. Nec sane minacius dicunt, quam faciant: quin omni ratione conantur destinata perficere, propterea que non desinunt institutorum et legum in Ecclesiae perniciem torquere cursum.

Proximae calendae Januariae initium novi juris poenalis sunt, ut nostis, allaturae. De quo cum deliberationes anno superiore in legumlatorum coetu haberentur, Nos quidem hoc ipso loco haud praetermisimus capita illa, ut oportebat, redarguere, quae per speciem castigandae licentiae illuc revera pertinent, ut justam Cleri libertatem minuant, operamque praepediant. In quo detractum iri plurimum Ecclesiae diximus, quippe quae in societatis perfectae formam divinitus constituta sui juris est, nec debet in muneribus officiorum suorum ulli hominum imperio subesse. Simul conquerebamur, injuriam fieri universo ordini Clericorum quod in eos, nulla caussa probabili, sacri juris auctoritate contempta, singulares leges singulari severitate constituerentur. Quae tamen perlevi sententiarum mutatione probatae lataeque sunt. Nos itaque apostolici officii Nostri memores quas tunc expostulationes, coepta injuria, fecimus, easdem nunc, patrata, renovamus.

Sed aliud ex alio vulnus impendere Ecclesiae videtis: rogatam legem intelligimus de Operibus Piis, quam nuperrime festinatis suffragiis probavere: quamque ipsam fatentur esse tanquam gradum ad cetera jactum; scilicet ad omnia religionis delenda vestigia ex institutis civitatum. Congruit sane cum ejusmodi proposito ratio legis; cujus ea vis est imprimis, quaecumque pietatis caussâ instituta esse constiterit, ea partim extinguere, partim in aliam formam naturamque convertere, ita plane ut in tanta mutatione eversio rerum institutarum verissime consecutura videatur. — Sed illud prae ceteris nec pietati consentaneum nec justitiae, omnia fere, quae instituta sint aut testamento relicta, divini cultus caussâ, aut defunctis expiandis, dotandisve puellis ad collegia Monialium aspirantibus, hoc ipso haberi caduca et vacua, aliosque in usus converti oportere. In quo perspicuum est, auctorum violari voluntatem, propterea quod suam illi pecuniam utique in eas caussas, quae memoratae sunt, nec ullo pacto in alias, addixere: quae caussae cum ad religionem, ad piorum manium solatia, ad perfectionem virtutis pertineant, tam sunt natura immutabiles ac perpetuae, quam jura et officia, quae hominem jungunt Deo. — At vero ne illud quidem praeterire taciti possumus, in Decurias praepositorum rei subsidiariae administrandae plerosque omnes cooptari, ne feminis quidem exceptis, licere, Parochos non licere. Quod quidem ita placuisse memoravere ob cognitam illorum in Episcopos suos Romanumque Pontificem voluntatem: ita ut dubitari non possit, qua mente, cujus rei gratiâ, hanc, de qua loquimur, legem invenerint. — Utique *laicam* inquiunt esse beneficentiam oportere, ut queat esse gratior: nam accipere verecundius, animumque despondere calamitosos consuevisse, ubi caritatem christianam sibi sentiant adesse.

Sed miserum est in christianis reperiri, qui tam vehementer errent in ejus aestimatione virtutis, quae princeps est et regina ceterarum. Quandoquidem sincera voluntas hominum juvandorum non potest nisi ex intima benevolentia nasci: hanc vero aut unice aut maxime insidere in eorum animo necesse est, qui singulos homines paene se alteros putent, fratrumque diligant loco: qui ceteros aeque ac se ex Deo tamquam patre genitos, pariterque Jesu Christi sanguine redemptos, et ad eamdem in caelis felicitatem vocatos sciant. Quin inopes atque aerumnosos tam amanter Jesus Christus complectitur, ut collatam in eos beneficentiam plane collocatam apud se, seque ipse obligatum beneficio deputet. His sensibus comitata caritas tantum abest ut animos frangat miserorum, ut potius extollat ad tantam personae dignitatem, quantam homo sine caelestis doctrinae lumine ne fingere quidem cogitatione posset. Nunc vero hujusce indolis caritas frustra requiratur extra Ecclesiam Dei, quam videlicet unam Jesus Christus sapientiae, disciplinae, charismatum suorum reliquit heredem: quaeque divini auctoris sui quam bene et obtemperare consiliis et exempla imitari consueverit, dedit omni tempore documenta maxima. Ullumne aerumnarum est genus, cui non Ecclesia succurrere nedum pietate materna, sed excellenti prudentia vigilantiaque studuerit? Ita ejus potissimum operâ atque auctoritate, aut saltem consilio, gratiâ, tutelâ, opportuna variis calamitatibus solatia ubique gentium inventa sunt, sed iis in locis plura, in quibus florentior Ecclesia, virtutumque christianarum studia majora. Insignis hac laude Italia, quae fidem catholicam, per prospera, per adversa, intemeratam retinendo, fuit omni aetate beneficiorum hujus generis uberrime ferax. Eo magis inhumanum atque italica gente indignum, praeripere Ecclesiae voluisse beneficentiae publicae facultatem. — Obtenderant quidem interversos reditus maleve locatos: sed lux veritatis, unde minime voluissent, erupit. Instituta de administratione quaestio criminationem falso confictam splendide refutavit.

Inter quae velut ad cumulandas injurias aliud accessit commissum audax, quo, qui rerum civilium potiuntur, in ipsam rei sacrae administrationem invasere. Facile, Venerabiles Fratres, intelligitis quo spectet oratio: ad ea nimirum, quae contra venerabilem fratrem Aloysium Episcopum titularem Troadensem, Ordinarium Aquaevivae et Altamurae, his ipsis postremis mensibus aggressi sunt statuere. Actas res universi cognoscitis: primum Episcopo Troadensi interdictum utriusque Ecclesiae bonis: tum ipsum gradu motum: aedibus ejectum: simulque earum Ecclesiarum delatum alteri regimen, perinde ac res agatur mere civilis, omnino in ditione arbitrioque posita politicae potestatis. Quo facto non perruptae solum Ecclesiae leges sunt, sed ipsa pontificii Nostri primatus nativa jura violata. Itaque non sine magno angore animi conquerimur talem injuriam: simul, quae hac super re per vim decreta gestave sunt, improbamus atque apostolica auctoritate rejicimus. Ad Clerum populumque earum Ecclesiarum quod attinet, utrosque in Domino monemus, quid a se postulet officium serio perpendere. Sicut aequum est, politicae potestati dicto audientes esse in rerum genere civilium, ita in iis quae regimen animarum attingunt non alii possunt auctoritati, quam Nostrae legitimoque jure praepositorum subesse, nisi velint, quod Deus prohibeat, se ipsi ab hoc centro sejungere catholicae unitatis.

Nunc vero, prius quam Episcopi designentur vacuis Ecclesiarum sedibus praeficiendi, ad majorem Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem duos praestantes viros S. R. E. Cardinales creamus, quos tamen justis de caussis in pectore reservamus, arbitrio Nostro quandocumque publicandos. Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

—

E S. CONG. EPISCOP. ET REGULARIUM.

I.

Sanatio erectionum Conventuum non canonice peractarum.

Beatissime Pater,

Fr. Aloysius a Parma, Minister Generalis totius Ordinis Minorum, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus, eosque devote exosculans, sequentia humiliter exponit:

Multi Canonistae, qui scripserunt post Concilium Tridentinum, praesertim in Germania, censuerunt, ad canonicam alicujus Conventus erectionem sufficere consensum Episcopi dioecesani. Ad hanc suam opinionem probandam dicti Canonistae adduxerunt verba Concilii Tridentini, sessione XXV, de Regularibus et Monialibus, cap. III, ubi Tridentini Patres statuerunt: « ne de cetero similia loca (scilicet monasteria) erigantur sine Episcopi, in cujus dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta ». Quare post Concilium Tridentinum non pauci Regulares, praefatae opinioni innixi, et bona fide, Conventus erexerunt sola Ordinarii licentia, et absque S. Sedis Beneplacito. Certo tamen sciri nequit, pro quibus praecise Conventibus Beneplacitum Apostolicum impetratum non sit, quia occasione bellorum ac suppressionum in multis locis archiva perierunt. Jam vero ex Constitutione Sanctitatis Tuae *« Romani Pontifices »* die 8 Maji 1881 clare apparet, praefatam Canonistarum opinionem esse falsam, atque ad canonicam erectionem alicujus Conventus necessarium esse tum Beneplacitum Apostolicum, tum consensum Episcopi dioecesani. Quae quum ita se habeant, humilis Orator, tum ut propriae tum Religiosorum sibi subditorum tranquillitati consulat, ad Sanctitatem Tuam recurrit ac enixe rogat, quatenus praefatos defectus benigne supplere, atque erectiones Conventuum sui Ordinis omnes hucusque sola Episcopi licentia factas clementer sanare et ratas habere dignetur, perinde ac si de Apostolicae Sedis licentia factae fuissent.

Quam gratiam etc.

Vigore specialium facultatum a SSmo Dño Nostro concessarum Sacra Congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis expositis a P. Ministro Generali totius Ordinis, erectiones Conventuum omnes hucusque sola Ordinarii licentia ut in precibus peractas benigne sanavit et ratas habuit, perinde ac si de S. Sedis auctoritate factae fuissent.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, 21 Decembris 1889.

I. Card. VERGA, *Praefectus.*

† Fr. ALOYSIUS, Episc. Calliniceu., *Secret.*

—

II.

Electio duorum Definitorum Generalium.

BEATISSIME PATER,

Frater RAPHAËL AB AURELIACO, Procurator Generalis totius Ordinis Minorum S. Francisci, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus, sequentia exponit:

Celebrato hoc anno Capitulo Generali Ordinis, inter alios Definitores generales electi fuerunt Pater *Remigius Buselli*, Observantis Provinciae Tusciae filius, et Pater *Aloysius Rados,* Observantis Custodiae Hercegovinae. Ast prior mense Novembris e vivis sublatus est, posterior vero, infirmitate praepeditus Romam venire nequit, ac munere suo se abdicavit. Quapropter, assentiente Definitorio Generali Ordinis, infrascripti Patres, videlicet *Andreas a Grecio,* Observantis Provinciae Seraphicae ex-Minister et *Augustinus Zubac,* Discretus praefatae Custodiae Hercegovinensis, Sanctitati Tuae proponuntur, ut Definitores Generales eligi atque confirmari valeant.

Pro qua gratia etc.

» » » » »

Vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis expositis, facultates necessarias et opportunas benigne concedit P. Ministro Generali Ordinis cum suis Definitoribus Generalibus providendi in omnibus juxta preces. Contrariis quibuscumque non obstantibus (1).

Romae, 21 Decembris 1889.

J. Card. VERGA, *Praefectus.*

† Fr. ALOYSIUS, Episc. Calliniceu. *Secret.*

—

(1) Praeter laudatos Definitores Generales, tres quoque Secretarii Generales a supremo Ordinis Moderatore, assentiente Generali Definitorio, electi sunt, videlicet:

A. R. P. *Petrus ab Arce Papae,* Obs. Prov. Romanae, Lector Jubil., Secret. Generalis Ordinis.

A. R. P. *Josephus Maria a Tridento,* Ref. Prov. S. Vigilii Tridenti, Lector Philologiae, Secret. Generalis Reformatorum.

A. R. P. *Anselmus Knapen,* Recol. Prov. Belgii, Consultor S. C. de Propaganda Fide, Secret. Generalis pro Missionibus.

EX SACRA CONGREGATIONE RITUUM.

NORMAE

Pro causis beatificationis et canonizationis Servorum Dei.

Plerumque accidit ut in constructione Processuum, qui in Causis Beatificationis et Canonizationis Servorum DEI tam Ordinaria, quam Apostolica Auctoritate, extra Urbem conduntur, haud leves irregularitates reperiantur. Hinc Sanctissimus Dominus Noster LEO Papa XIII volens, ut in re tanti momenti praescriptiones decretorum s. m. Urbani Papae VIII religiosissime serventur, audito R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore, Rmis locorum Ordinariis quae sequuntur in mentem revocari jussit: quibus ipsi in posterum plane inhaerere curent.

I. Juxta decreta a s. m. Urbano Papa VIII edita, Traductores ac Revisores Processuum, qui in lingua vernacula fuerunt exarati, eligendi ac deputandi sunt ab Emo Cardinali respectivae Causae Ponente; minime a Judicibus Processus ipsius.

II. Praeter Autographum Processus, quod clausum ac sigillis munitum in Archivo episcopali custodiendum est, unum tantummodo illius exemplum, seu *transumptum* fieri licebit et hoc ipsum manuscriptum, non vero impressum *polygraphatum,* uti audit. Idem porro transumptum pari modo obsignatum Romam mittendum est, neque aperiendum absque Summi Pontificis venia.

III. Ne ob diuturnum temporis decursum folia Processuum detrimentum patiantur, prohibetur pro eorum Actis inscribendis adhiberi charta, quae vulgo vocatur *a machina;* sed singula Acta scribantur in foliis ex charta *a lino* (1) nuncupata.

Romae, ex Secretaria S. Rituum Congregationis, die 8 Aprilis 1889.

(1) Id est ex filo confecta. (N. R.)

II.
ACTA ORDINIS

—

CAUSAE SANCTORUM ORDINIS NOSTRI

XII.

VEN. MARIAE A JESU AB AGREDA, *Monialis Professae II. Ordinis.*

Inter Causas Beatif. et Canoniz., quae apud Sacram Rituum Congregationem aguntur, forsitan celeberrima est haec Vener. MARIAE a JESU, tum ob dona omnino extraordinaria atque inusitata, quibus a DEO ejus ancilla fuit ditata, tum praesertim ob ejus famosum opus, quod inscribitur *Mystica Civitas* DEI, seu Vita Beatae MARIAE Virginis. Post enim bis centum et viginti annos, ex quibus haec Causa agitari coepit, adhuc sub judice est! Ideoque de ea fusius dicemus.

Nata est in antiquissimo Agredae oppido in Hispaniarum regione, quae *Vetus Castella* dicitur, die 2.ª Aprilis anno 1602. Patrem habuit Franciscum Coronel, matrem vero Catharinam de Arana, ejusdem oppidi cives, generis nobilitate et pietate valde praeclaros. In sacro Regenerationis lavacro MARIAE nomen ei impositum fuit, quod non sine peculiari DEI dispositione factum esse creditur. Etenim, ipsa toto tempore vitae suae impenso studio niti debebat ad MARIAE Virginis virtutes imitandas, laudes conscribendas, atque excellentiam et dignitatem vindicandam.

Vix expleto anno quarto aetatis suae, Sacramentum Confirmationis accepit a Didaco de Yepes, Episcopo Tirasonensi, jam S. Theresiae Confessario; qui extraordinariam pietatem, divinorumque notitiam in puella admiratus, eam plurimum genitoribus commendavit, eosque rogavit, ut in illa instituenda magnam curam haberent. Et revera, circa hanc ipsam aetatem gratia superni luminis atque ingentis ardoris fuit a DEO praeventa; ita ut statim de rebus divinis altissimam cognitionem habuerit, ac erga DEUM maximo amore exarserit: quemadmodum, grandior facta, ex Superiorum obedientia fassa est. Ab illo tempore, quae mundi sunt continuo fastidiens, et a puerilibus quibusque abhorrens, coram JESU CHRI-

sto delicias suas in domestico Oratorio quaerere consuevit; die noctuque per plures horas orationi vacans, ut a voce Domini in se loquente eo magis erudiretur. Caelestibus semper intenta, maxima audientium admiratione loquebatur de Dei bonitate, omnipotentia, aeternitate, aliisque attributis; unde saepe etiam in facie visa fuit rubicunda et inflammata. Frequens erat in ecclesia, ut, sacrosancto Missae Sacrificio adstans, tantum mysterium meditaretur; tantoque animi ardore in illud ferebatur, ut etiam noctis tempore diem impatiens exoptaret, ut se ecclesiae restitueret; et id praecipue postquam ad sacrosanctam Synaxim suscipiendam fuerit admissa.

Incredibile pariter dictu est, quae et quanta fuerit in hac tenera aetate Servae Dei charitas erga proximum tam in iis, quae animarum salutem concernunt, quam in iis, quae corporale respiciebant sublevamen. Alias enim puellas et domesticos famulos edocebat rudimenta fidei miro charitatis ardore; et infantes pauperes, quos matri obediens e sacro fonte levare consuevit, in via Domini erudivit. Proprio cibo seipsam privabat, ut pauperes aleret; piique parentes, ut hanc virtutem in filiola foverent, omnem illi facultatem impertiebantur ad pauperes reficiendos. Infirmos pariter in publicis nosocomiis una cum matre alacriter invisebat, eosque solabatur, eleemosynisque adjuvabat. Exemplo cujusdam aviae suae, cum qua cubare solebat, proprium corpusculum disciplinis ac ciliciis castigabat; tanta fuit praedita mansuetudine, ut nunquam vel leviter irasceretur; gravissimis afflictata morbis patientem, mansuetam et hilarem semper se exhibuit. Unde qui tanta sanctitatis specimina in illa puerili aetate admirabantur, affirmare uno ore non dubitarunt in Serva Dei adimpletam et verificatam fuisse S. Theresiae praedictionem, quae transiens per Agredam, ad ipsam conversa et congratulans exclamavit: « Oh qualem florem pro Ecclesia Dei haec terra producet! »

Ad octavum aetatis annum cum pervenisset, in nocte Nativitatis Domini votum castitatis emisit; quod deinde reiteravit, et ratum habuit coram proprio Confessario. In decimo tertio aetatis anno constituta, constanter respuit terrenas nuptias a genitoribus oblatas. Postmodum autem divina Sapientia, peculiarem curam gerens de hac familia unanimi consensione in Deum semper intenta, voluit, mediante quadam revelatione Catharinae matri facta, ut tam parentes, quam filii et filiae in Religione Seraphica Deo ipso sanctius famularentur. Et de facto, quibusdam superatis difficultatibus, hujus familiae domus conversa est in Monasterium, dicatum Immaculatae Conceptioni B. M. Virginis, et in illud ingressae sunt die 13ª Januarii 1619, mater Servae Dei, sumpto nomine Catharinae a SSmo Sacramento, nostra Maria, filia natu major, sub nomine Mariae a Jesu, altera Filia sub nomine Hieronymae a SSma Trinitate. Religiosa professione ab iis emissa, tam mater quam filia Hieronyma cum sanctitatis fama in ipso Monasterio obierunt. Pater etiam, Franciscus Coronel, ingressus Ordinem S. Francisci Minorum Observantium, supremum diem obiit haud minori fama sanctitatis in Conventu S. Antonii de Nalda, Provinciae Burgensis. Filii itidem Franciscus et Josephus eidem Ordini nomen dederunt, ac uterque, pluribus muneribus in Religione obitis, non sine sanctimoniae laude pariter e vita migrarunt.

Difficile omnino dictu est, quae et qualia fuerint heroicarum virtutum specimina, et christianae perfectionis argumenta, quae dedit Serva Dei in primo hoc religiosae vitae tyrocinio, in quo incredibili spiritus ardore se Deo consecravit. Adeo asperum vitae genus aggressa fuit, ut admirabile certe, sed non imitabile, ceteris esset. Jejunia, cilicia, disciplinae mens divinis semper intenta, praesertim meditationi mysteriorum Passionis Jesu Christi, extraordinaria in proximum charitas, mansuetudo et summa animi demissio illam constituerunt perfectionis magistram et virtutum omnium exemplar. Quae perfectio, post emissam solemnem Professionem anno 1620, mirabiliter excrevit, uti facile intelligitur. Unde in Magistram Novitiarum electa, ea prudentia, ea pietate, eo regularis observantiae zelo cum urbanitate et lenitate conjuncto Novitias gubernavit, ut ipsae, absoluto tyrocinio, ne a directione tantae Magistrae in via spiritus divellerentur, enixe petierunt pro facultate in eodem novitiatu perseverandi. Quum vix annum vigesimum quintum attigerit, electa fuit

in Abbatissam anno 1627; in quo munere, quoad vixit, uno tantum triennio excepto, concordibus semper suffragiis fuit confirmata, licet semper prae eximia animi humilitate reluctaretur.

Quid vero haec sanctimonialis foemina ab hoc tempore usque ad mortem pro gloria Dei et proximorum salute fecerit ac pertulerit, quot charismatum dona a Deo copiosissime acceperit, praesertim bilocationis, revelationum, extasum, miraculorum cujuscumque generis, non audemus hic nequidem paucis verbis perstringere: videtur enim omnino impossibile! Tot igitur cumulata meritis ac virtutibus, nec non ingenti Sanctitatis fama adepta, ita ut fuerit acceptissima vel ipsis Hispaniarum Regibus ac Principibus, imo vel ipsis Summis Pontificibus, uti Clementi IX et Alexandro VII, ad finem vitae suae celeriter properabat.

Hinc in ultimo agone constituta, Apostolica ac Seraphica benedictione munita (aderat enim tum Minister Provincialis, tum Minister Generalis totius Ordinis Minorum), Ecclesiaeque Sacramentis refecta, in aetate sexaginta trium annorum, quorum quadraginta sex sanctissime transegerat in Religione, et triginta sex in munere Abbatissae, ex acuta febri et apostemate in pectore, per undecim dierum spatium patientissime toleratis, die 24 Maji anni 1665, Dominica Pentecostes, ipsa hora tertia, qua super Apostolos Spiritus Sanctus descendit et Consorores de more canebant in choro Hymnum *Veni, Creator Spiritus,* divinique Spiritus adventum et ipsa devota, ac languenti voce invocans verbis illis ter repetitis *veni, veni, veni,* tranquillissime ac suavissime animam exhalavit; quae statim magnis splendoribus circumfusa in caelum assumpta est, ut quidam Joannes Carillo, summa familiaritate Servae Dei conjunctus, eodem momento vidit.

Statim ac pretiosa mors Mariae a Jesu divulgata est populi commotio, quae jam ob ejus infirmitatem magna erat, major, imo maxima effecta est; cum ubique signa luctus et moeroris apparerent, ubique afflictorum clamores et lamentationes resonarent. Pauperes enim liberalissimam benefactricem sibi ereptam clamabant; nobiles et ignobiles tenerrimam matrem et consolatricem amisisse repetebant; omnes vero obiisse *Sanctam,* cujus patrocinium apud Deum propitium experti fuerant in necessitatibus, flebili voce ac lacrymis dicebant. Pariter ad ejus funus, ab ipso Ministro Generali magna cum pompa celebratum, ita ut videretur non funus sed potius triumphus, ingens populi concursus ex omni parte factus est; neque defuere gratiae et prodigia ob eius intercessionem a Deo obtenta. Quod funus successive peregerunt Capitulum Agredense, Collegium S. Augustini et nostrorum Patrum Familia; atque non multo post sponte celebratum fuit fere in omnibus praecipuis totius Regni Cathedralibus et Collegiatis.

Neque sepulchrum ejus ingloriosum remansit. Cives enim Agredani et populi non longe dissitorum locorum, cujuscumque sexus et ordinis, ad illud accurrunt, flexis genibus procumbunt, lacrymis ac singultibus opem Servae Dei implorant; atque saepe quidquid a Deo ejus intercessione petunt, obtinent. Cujus sepulchri claritas, et fama sanctitatis hujus Venerabilis foeminae sese diffudit etiam ad omnia Regna Hispaniae, et ad exteras remotiores regiones; e quibus plurimi illuc pergunt, etiam Magnates, aliaeque personae genere ac dignitate illustres. Et hi, quibus datum non est Agredam se conferre, et sepulchrum Servae Dei visitare, Moniales orant per litteras, ut suas suppleant vices; quemadmodum signanter fecerunt Philippus IV, Cardinalis Rospigliosi, qui postmodum fuit Clemens IX, Joannes ab Austria, aliique Principes et Magnates occasione qua in obitu ipsius Servae Dei ad Moniales litteras scripserunt doloris plenas. Qui concursus ad sepulchrum Vener. Mariae a Jesu in dies auctus est; prout in dies aucta est, et semper magis augetur et dilatatur fama ejus sanctitatis, ob quam ab omnibus uti *Sancta* praedicatur et invocatur. *(Continuabitur).*

—

NOVUS COMMISSARIUS T. SANCTAE

Die 26 Novembris a. d. Adm. Revdus Pater Fr. Innocentius Francesconi, Observantis Provinciae Tusciae Lector Jubilatus et ex-Minister Provincialis, electus atque institutus fuit Commissarius Terrae Sanctae in Tuscia, loco nuper defuncti Adm. Rev. P. Remigii Buselli.

III.

MISSIONES

—

RELIGIOSI ORDINIS NOSTRI

QUI IN MISSIONES PROFECTI SUNT

Anno 1889.

I. In Terram Sanctam.

1. *P. Antonius a Marino,* Obs. Prov. Romanae.
2. *P. Aloysius ab Auletta,* Ref. Prov. Principatus.
3. *P. Petrus Baptista Pieroni,* Obs. Prov. Tusciae.
4. *P. Ludovicus Lynch,* Recoll. Prov. Hiberniae.
5. *P. Justus Gastelu,* Obs. Collegii. S. Jacobi Compostellae.
6. *P. Antonius Carballo,* Obs. Coll. S. Jacobi Compostellae.
7. *P. Eugenius Campo,* Obs. Collegii Chipionae.
8. *P. Felix Martinez,* Obs. Prov. Cantabriae.
9. *P. Angelus Calabia,* Obs. Prov. Cantabriae.
10. *P. Urbanus Maria,* Obs. Provinciae Galliae.
11. *P. Joseph a Nimes,* Ref. Prov. S. Dionysii in Gallia.
12. *P. Bonaventura a Bisacquino,* Obs. Prov. Vallis Mazzariae.
13. *P. Bernardinus a Neapoli,* Ref. Prov. Neapolis et Terrae Laboris.
14. *Fr. Fourier Maria a Valle D' Ajol,* Obs. Prov. Galliae.
15. *Fr. Salvator a Licata,* Obs. Prov. Vallis Mazzariae.
16. *Fr. Elias a Melita,* Obs. Custodiae Melitensis.
17. *Fr. Antonius Perricone,* Obs. Prov. Vallis Mazzariae.
18. *Fr. Raymundus Argote,* Obs. Collegii S. Jacobi Compostellae.
19. *Fr. Salvator Gomar,* Obs. Coll. S. Jacobi Compostellae.
20. *Fr. Lucianus Margoitio,* Obs. Coll. S. Jacobi Compostellae.
21. *Fr. Donatus Zubia,* Obs. Collegii Chipionae.
22. *Fr. Innocentius Vila,* Obs. Prov. Valentiae.
23. *Fr. Prosperus Trinekens,* Recoll. Prov. Belgii.
24. *Fr. Cajetanus Moggioli a Povo,* Ref. Prov. S. Vigilii Tyrolis Merid.
25. *Fr. Salvator a Borgetto,* Clericus Obs. Prov. Vallis Mazzariae.
26. *Fr. Jacobus a Mezzojuso,* Clericus Obs. Prov. Vallis Mazzariae.
27. *Fr. Salvator a Carini,* Obs. Prov. Vallis Mazzariae.
28. *Fr. Julius Caesar Levire,* Custodiae Terrae Sanctae.

II. In Albaniam.

29. *P. Benvenutus a Colle Barucci,* Ref. Prov. Tusciae.
30. *P. Petrus Baptista a Verulaveteri,* Ref. Prov. Longobardiae.
31. *P. Aloysius a Neapoli,* Ref. Prov. Romanae.
32. *P. Pacificus Kastelan,* Obs. Prov. Ragusii.
33. *P. Franciscus a Bleno,* Ref. Prov. Venetiarum.

III. In Missionem Superioris Aegypti.

34. *P. Raphael a Bibbiano,* Ref. Prov. Tusciae.

IV. In Missionem Tripolitanam.

35. *P. Carolus a Badia,* Ref. Prov. Longobardiae.
36. *P. Andreas a Casinis,* Ref. Prov. Vallis Mazzariae.
37. *Fr. Didacus a Mediolano,* Ref. Prov. Longobardiae.
38. *Fr. Julius a S. Cassiano,* Ref. Cust. Lucensis.
39. *Fr. Rochus a Botticino,* Ref. Prov. Longobardiae.

V. In Missiones Sinenses.

40. *P. Odoricus ab Utino,* Obs. Prov. Venetiarum, ad Vic. Chen-si Sept.

41. *P. Clemens Coltelli,* Obs. Prov. Tusciae, ad Vic. Chen-si Sept.

42. *P. Antonius Lieu,* Regularis Obs., ad Vic. Chen-si Sept.

43. *P. Ivo de Boer,* Recoll. Prov. Hollandiae, ad Vic. Chan-si.

44. *P. Cassianus Pompe,* Recoll. Prov. Hollandiae, ad Vic. Chan-si.

VI. In Missiones Boliviae.

45. *P. Philippus de Dax,* Obs. Prov. Galliae, ad Colleg. Tarijae.

46. *Fr. Cherubinus Puccetti,* Obs. Prov. Romanae ad Coll. Tarijae.

47. *P. Antonius Zuazo,* Obs. Collegii S. Mariae de Regula, Vice-Comm. Terrae Sanctae in Bolivia.

48. *Fr. Emmanuel Martinez,* Obs. Collegii Campostellae, Collector Terrae Sanctae in Bolivia.

49. *Fr. Marianus a Velitris,* Clericus Obs. Prov. Romanae, ad Coll. Potosi.

50. *Fr. Antonius Mariotti,* Laicus Obs. Prov. Seraphicae, ad Coll. Potosi.

VII. In Missiones Reipublicae Argentinae.

51. *P. Aloysius Reverti,* Obs. Prov. Marchiae, ad Coll. S. Caroli.

52. *P. Eusebius ab Argentaco,* Obs. Prov. Galliae, ad Coll. S. Caroli.

53. *P. Thomas Turbesi,* Obs. Prov. Marchiae, ad Coll. S. Caroli.

54. *P. Celsus a Saurgio,* Ref. Prov. S. Bernardini in Gallia, ad Coll. S. Caroli.

55. *P. Leonardus a Castronovo,* Obs. Prov. Principatus, ad Coll. Corrientes.

56. *P. Firminus a Rivelba,* Obs. Prov. S. Thomae in Pedemontio, ad Coll. S. Caroli.

57. *P. Guidus a Sardagna,* Ref. Prov. Tyrolis merid., ad Coll. Rivi Quarti.

VIII. In Canadam.

58. *P. Fulcranus Maria a Lacoste,* Obs. Prov. Galliae, missus ad Commissariatum Terrae Sanctae Canadensem.

59. *Fr. Florianus a Braine Lalleud,* Laicus Obs. Prov. Galliae.

—

RELATIO

CIRCA VITAM NICOLAI JEN-TIN-FU, QUI IN CARCERE OU-TCHANG PRO FIDEI CONFESSIONE ANNO 1839 OCCUBUIT.

(E novo codice manuscripto Sinensi excerpta, in ordinem digesta, ac in latinum versa a Fr. Didaco Lera, Missionario Hu-pé Orientalis, anno 1889).

NICOLAUS, cognomine *Jen,* et nomine *Tin-fu* (hae duae litterae certam felicitatem significant) natus est in Christianitate *Jen-cia-van (Mien-iang-tcheou)* ad Vicariatum Apostolicum *Hu-pé* Orientalis spectante, anno ab Incarnatione 1786.

Fuit vir ita bonus et fidelis ut, qui eum cognoverunt, sanctum illum appellent. In actionibus prudens et constans semper visus est. Tribulationes aliasque mundi hujus vicissitudines aequo animo jugiter tulit; nec unquam speravit in incerto divitiarum, sed in DEO vivo: ideo quamvis peritus esset artis medicae, a nemine tamen ullam mercedem artis suae exegit; sed proximorum languoribus medendo ac pharmaca eis suppeditando sumptu suo potius utebatur; ob quam charitatem, in Nicolao spem omnem conterranei reponebant, eumque faciebant maximi.

Verbi DEI praedicationi, hominumque saluti aeternae, animum praecipue intendebat. Juvenis adhuc, in ministerio apostolico Missionario opitulabatur, e familia sua discedentem comitabatur, venienti obviam ibat et obvium tecto recipiebat. Quem Nicolai zelum Missionarius admirans, fidelibus dicebat: « Nicolaus *Tin-fu* magnum praesefert indicium fore ut Ecclesiae decus christianorumque ornamentum evadat ».

Cum annum aetatis trigesimum vix expleret, nihili labores faciens viasque perdifficiles, Missionario se adjunxit, et eum ad Provinciam *Ho-nan* usque sequutus est. Quo cum insimul pervenissent quidam christianus, proditoris Judae imitator, Nicolao et Missionario ipsi insidias struens, centum latronibus suasit, ut sub quodam ponte, per quem ambo transire debebant, utrumque spoliarent et occiderent. Verum, uti legitur in Proverbiis: « Cor hominis disponit viam suam, sed DOMINI est dirigere

gressus ejus ». Dum enim de nocte sublustri Missionarius et *Tin-fu* iter agerent, caelum ita nubibus et caligine fuit obtectum ut quo irent non viderent. Per viam tamen suam, meliori qua poterant ratione, incedentes, ubi dies illuxit, a ponte quam longe distare, ac loco, ad quem commeabant, propinquos se esse conspexerunt. E latronum itaque insidiis illos eripuit Dominus Noster JESUS CHRISTUS.

Deinde Nicolaus in morbum letalem incidit; et cum jam signa vitae haud praebere videretur, tamquam mortuus a familia sua per triduum plangebatur. Mirum! post dies ferme tres, e lecto, in quo jacebat, ipse se erigens, adstantibus dixit: « Nolite amplius flere; ego enim meis hisce oculis B. V. MARIAM (erga quam *Tin-fu* erat devotissimus) vidi, DEUM pro me exorantem: ipsa quoque me admonuit, tempus mortis meae nondum advenisse; vivo ergo ob B. Virginis intercessionem ». Et reipsa *Tin-fu* de morbo illo perfecte convaluit.

B. Virginis MARIAE praesentissimum patrocinium Nicolaus noster etiam expertus est, cum aliquando suus filiolus *I-iuen* (ita sinice vocabatur) graviter decumberet. Cum enim *Tin-fu* tenerrime *I-iuen* diligeret, eumque vita periclitari videret, Deiparae ex corde illum commendavit, ut ejus intercessione filius sanitati pristinae restitueretur. Et B. Virgo, veste caerulei coloris induta Nicolao apparens, eum de valetudine filii certiorem fecit; quod adamussim confirmatum est.

Ast, eo quod *Tin-fu* acceptus erat DEO, necesse fuit ut et tentatio persecutionis probaret eum. In exordio itaque anni 1839, in praefectura *Sciang-iang-fu,* pagani in Christifideles persecutionem concitaverant praetendentes fideles nostros esse Gubernio rebelles. Quid? Duo ex vaferrimis et nequioribus gentilibus *(Pen-zao-tou,* atque *Lan-hoan-jen),* qui jam Beatum Gabrielem Perboyre et Annam *Kao* apud Praefectum civilem incusaverant, *Tin-fu* quoque accusant. Praefectus scribit ad Mandarinum *Mien-iang-tcheou,* ad quem Nicolaus civiliter pertinebat. Mandarinus autem, epistola recepta, mox cum suo comitatu ad oppidulum *Scien-tao-zen* proficiscitur, ibi *Tin-fu* per satellitum manus capit, durisque catenis vincit.

Sed haec non satis. Mandarinus jubet Nicolao abnegare fidem, alioquin morti se datum esse sciat. *Tin-fu* tranquille respondit: « Millies malo mori quam christianam fidem abnegare ».

Ob hoc responsum ira Praefectus civilis excandescens praecipit satellitibus, ut Nicolaum alapis caederent et in carcerem inde conjicerent; quod sine mora factum est.

Post unum carceris mensem, Mandarinus edixit, ut *Tin-fu* una cum alio christiano *Vang-zao-quei* vocato (qui pariter in vinculis ob fidei confessionem erat inclusus) catenis constrictus, ad Praefectum *Sciang-iang-fu* duceretur. DEUS porro scit, quae et quanta in hoc itinere ipse sit perpessus. Cum namque una eademque catena uterque vinciretur, primo in terram cadente, alter ut caderet necesse erat. Sinense commentarium testatur, Nicolaum *Sciang-iang-fu* sanguine fluentem pervenisse.

Mandarinus militaris *Sciang-iang-fu, Loti-tou,* tunc sedit pro tribunali, atque *Tin-fu* de multis interrogavit; at cognoscens ipsum esse bonum virum, quin nova tormenta ei adderet, illum interim in carcere reservari mandavit. Post dies aliquot ad Praefectum *Mien-iang-tcheou* eum remisit, qui iterum facta circa Nicolaum inquisitione jussit ut *Tin-fu* ad Mandarinum *Han-iang* deduceretur. Iste autem pro tribunali sedens, praecepit Nicolao fidem abnegare. *Tin-fu* statim clara voce respondit: « Religio mea est sancta et divina; quomodo ergo audebo ego fidem negare, atque a pietate erga DEUM meum deficere? ». Praefectus, cum haec audivisset, jussit ut Nicolaus ad tribunal Vice Regis civitatis principis *Ou-tchang* traheretur. Vice Rex vero, *Zou-tien-cio,* praeviis interrogationibus, prout alii Mandarini fecerunt, sententiam mortis in Nicolaum tulit, eumque misit ad Praefectum *Ciang-scia-scien,* ut in carcere eumdem servaret, et tempore stato occideret.

Jam vero, in vinculis detentus, Nicolaus noster sequentem habuit consolationem, quae certe a me non est silentio praetereunda. Accidit enim ut christianus *Vang-zao-quei,* quem supra commemoravi, ad carcerem in quo *Tin-fu* inclusus erat et ipse fuisset adductus. Qui tormenta ac mortem nimium pertimescens, Nicolaum sic alloquutus est: « Ego revera non experior virtutem et fortitudinem, quam tu praefers; quare bonum duco fidem in praesentia ficte negare, ut domum possim tranquille

reverti; cum autem domi fuero, DEUM, ut prius, colam, precesque, uti antea, recitabo: quid tamen tibi videtur? » Cui mox Nicolaus: « Nos debemus pro DEO tormenta atque mortem ipsam libenter sufferre; post enim passiones hujus temporis futura gloria nos sequetur: quid etiam pro nobis sit passus DOMINUS noster, et quomodo mortem oppetierit, non ignoras; noli itaque animum despondere ». Haec diligenter mente recolens *Vang-zao-quei*, ad moriendum pro CHRISTO ex animo se excitavit. Ast dives in misericordia DEUS aliud de eo disposuerat. *Vang-zao-quei* angina correptus, paucos post dies extremum halitum in vinculis efflavit. Difficile propterea dictu est quanta laetitia fuerit ob id cor Nicolai perfusum, quantasque DEO gratias pro fausto hoc successu egerit.

Mortuo *Vang-zao-quei*, bis *Tin-fu* fuit a propinquis visitatus, imprimisque a fratris sui nepote, qui visis in corpore patrui vulneribus variis, lacrymas cohibere haud potuit. Verum *Tin-fu*, nepotem solando, ait: « Noli super doloribus meis flere, sed super JESU CHRISTI, qui graviora pro nobis pati dignatus est; domum revertere et christianorum precibus me commenda, ut divina gratia adjutus possim in verae fidei confessione ad mortem usque perseverare ».

Alius item ex sua sorore nepos ad carcerem ivit, cui quidem dixit: « Ito ad meam familiam, meisque duabus filiabus, Theclae et Clarae, inculcabis ut B. Virginis puritatem imitentur, et DEUM orent pro me, ut per veram patientiam, animique fortitudinem, possim tandem obtinere regna caelestia ». At Nicolaus regno caelesti profecto erat maturus. Ob vulnerum namque dolorem, cum nullum jam cibum sumere posset, ad extremum vitae est redactus, et mense Decembri 1839 in DOMINO obdormivit.

Post ejus obitum, satellites cadaver *Tin-fu* de carceris antro extrahentes, in cloacam quamdam illud projecerunt. Sed uxor ac nepos simul flentes, illud, ut ad *Jen-cia-van* patriam suam deferretur, curarunt. Quo cum pervenisset, affines et propinqui una cum conterraneis obviam euntes, planctu magno, feretrum ad domum deduxerunt. Domi vero feretrum reservantes, vulnera capitis adhuc sanguine manantia conspexerunt; et quamvis hiems esset, utramque Nicolai manum adhuc calidam esse, sunt experti. Post haec, caput demortui raserunt, corpus laverunt, atque rursus cadaver in feretro reverenter reposuerunt. Denique stato tempore illud humo mandarunt.

Vixit Nicolaus *Jen-tin-fu* 53 annos, et post ejus corporis humationem, ex jusculo herbarum supra sepulcrum suum captarum, decoctarumque, sanationes multas esse factas plerique perhibent.

Pro coronide relationis hujus, dicam duas Nicolai filias, Theclam et Claram, virginitatem semper servasse et B. Virginis MARIAE puritatem, ad earum genitoris mentem, imitatas fuisse. Quinimo in exemplum aliorum fidelium proponi possunt ambae Virgines hae, cum ab illarum juventute usque in praesentiarum, gloriae DEI et saluti animarum, omnem curam impenderint atque impendere prosequantur.

IV.

VARIA

SERIES PRAELATORUM

Qui Provincialatus vel Vicariatus Ministerio in alma Observanti Provincia Vallis Mazzariae functi sunt.

Reverendissimus P. *Benignus de Genua*, Ordinis Minorum S. P. N. Francisci Minister Generalis, in saeculo Augustinus Rosso, adhuc adolescens Panormum venit. Praeventus a gratia habitum nostrum postulavit, eumque induit in Conventu Nicosiae die 16 Aprilis 1603. Litterarum, philosophiae ac theologiae curriculo expleto, Sacerdotio insignitus a Rmo P. Archangelo a Messana Ministro Generali ad Aracaelitanam Curiam vocatur. Primum Prosecretarii, deinde totius Ordinis Secretarii munus laudabiliter explevit. — Convocato Salamanticae in Hispania Generali Capitulo, die 2 Junii 1618 in Ministrum Generalem eligitur. — Scientia, zelo, charitate ac sanctitate in toto Ordine effulsit; et cum nosceret Siciliae Ministrum totam insulam ob magnam extensionem pediter visitare non posse, Gregorium XV

Summum Pontificem fel. record. per Fr. Innocentium de Clusis, bonae existimationis laicum, supplicavit, ut Provinciam totius Siciliae in tres Provincias dividere dignaretur, videlicet Vallis Mazzariae, Vallis Daemonis et Vallis Nethi.

Accepto divisionis Decreto, dato in forma Brevis sub die 8 mensis Junii 1623, Patribus et Fratribus Provinciae Siciliae litteras misit tenoris sequentis:

Fr. Benignus a Genua, *totius Ordinis Minorum S. P. N. Francisci Minister Generalis etc., universis et singulis Patribus et Fratribus ejusdem Ordinis, Regularis Observantiae, praesentes litteras visuris et audituris salutem in Domino.*

Cum ex motu proprio SS. Domini Nostri Gregorii Papae XV dat. sub die 8 praesentis mensis concessum sit quatenus Provincia nostra Siciliae, ob causam, sive causas in eodem motu proprio contentas, in tres Provincias dividatur, atque ad Nos pertineat ex Generalibus Constitutionibus pro prima vice instituere, ac nominare uniuscujusque Provinciae Ministrum, Custodem atque Definitores, auctoritate qua fungimur tenore praesentium pro nostra Provincia Vallis de Mazzaria nominamus in Ministrum Provincialem P. Fr. *Joannem M. a Genua,* Lectorem sacrae theologiae generalem, Custodem P. Fr. *Aegidium de Nicosia,* olim Ministrum, Diffinitores P. Fr. *Christophorum a Panormo* praedicatorem generalem, P. Fr. *Franciscum de Flumine Nisi* confessorem, et P. Fr. *Josephum de Camerata* Lectorem theologiae. Praecipientes per Sanctam obedientiam sub excommunicationis poena universis praefatae Provinciae Patribus et Fratribus, ut praedictis Ministro, Custodi et Definitoribus juxta statutorum et legum praescriptum obediant, ac illos tanquam institutos venerentur. — In quorum fidem etc.

Datum Romae, die 10 mensis Junii 1623.

Locus ✠ Sigilli.

Fr. Benignus a Genua,
Minister Generalis.

Hisce praemissis, en Series Ministrorum Provincialium Observantis Provinciae Vallis Mazzariae.

SERIES
MINISTRORUM PROVINCIALIUM
OBSERVANTIS PROVINCIAE VALLIS MAZZARIAE
in Sicilia.

1. 1623. A. R. P. Joannes M.ª a Genua, electus die 10 Junii 1623 a Rmo P. Benigno a Genua, Min. Generali totius Ordinis. Obiit anno 1630.
2. 1626. P. Aegidius a Nicosia, electus an. 1626. Obiit anno 1634.
3. 1629. P. Dominicus de Cruce, electus an. 1629. Obiit anno 1644.
4. 1632. P. Michael Angelus a Panormo, electus an. 1632. Obiit die 23 Septembris 1666.
5. 1635. P. Angelus a Palitio, electus an. 1635. Obiit die 15 Januarii 1678.
6. 1638. P. Dominicus de Cruce, electus pro secunda vice an. 1638. Obiit ut supra 1644.
7. 1641. P. Bonaventura a Camerata, electus an. 1641. Eodem anno obiit.
8. 1641. P. Innocentius a Panormo, electus an. 1641. Obiit die 17 Septembris 1654.
9. 1644. P. Cosmas a Panormo, electus an. 1644. Obiit die 22 Novembris 1659.
10. 1647. P. Michael-Angelus a Panormo, electus pro secunda vice an. 1647. Obiit ut supra anno 1666.
11. 1650. P. Andreas a Camerata, electus, an. 1650. Obiit die 5 Augusti 1651.
12. 1652. P. Cosmas a Panormo, electus pro secunda vice an. 1652. Obiit ut supra anno 1659.
13. 1656. P. Melchior a Panormo, electus an. 1656. Obiit die 30 Octobris 1666.
14. 1659. P. Bonaventura de Clusis, electus an. 1659. Ordinis Pater, et Supremae Inquisitionis Qualificator. Obiit die 30 Junii 1687.
15. 1663. P. Michael-Angelus a Cortona, electus an. 1663. Praedicator Regius. Obiit die 3 Decembris 1682.
16. 1666. P. Cosmas a Xacca, electus an. 1666. Obiit die 5 Aprilis 1670.
17. 1668. Gabriel a Palitio, electus mense Decembris 1668. Ordinis Pater. Obiit die 27 Martii 1685.
18. 1670. P. Angelicus a Palitio electus an. 1670. Obiit die 9 Aprilis 1679.
19. 1672. P. Joseph a Drepano, electus an. 1672. Obiit die 29 Januarii 1679.
20. 1675. P. Ferdinandus a Panormo, electus an. 1675. Obiit die 24 Octobris 1677.
21. 1677. P. Bonaventura de Clusis, electus Vicarius Provincialis an. 1677. Obiit ut supra anno 1687.
22. 1677. P. Seraphinus a Drepano, electus 1677. Supremae Inquisitionis Qualificator et Consultor. Obiit die 13 Aprilis 1699.
23. 1680. P. Benedictus a Panormo, electus an. 1680. Obiit in secundo anno sui Provincialatus die 4 Novembris 1682.
24. 1682. P. Paulus a Panormo, electus Vicarius Provincialis an. 1682. Praedicator clarissimus. Obiit die 6 Junii 1693.

25. 1684. P. Bonaventura a Thennis, electus an. 1684. Supremae Inquisitionis Consultor. Obiit die 2 Martii 1695.

26. 1687. P. Felix a Panormo, electus an. 1687. Obiit die 23 Augusti 1702.

27. 1690. P. Franciscus de Clusis, electus an. 1690. Praedicator clarissimus, Ex-Definitor Generalis. Obiit Romae in Conv. Aracaelitano die 5 Julii 1715.

28. 1693. P. Marinus a Careno, electus an. 1693. Obiit eodem anno die 27 Septembris.

29. 1693. P. Antonius a Drepano, electus Vicarius Provincialis an. 1693. Praedicator clarissimus, Provinciarum Vallis daemonis, Nethi, ac Melitae, nec non Terrae Laboris in Regno Neapolitano Commissarius Visitator Generalis. Dioecesis Panormitanae ac Mazzariensis Examinator Synodalis, Supremae Inquisitionis Qualificator et Consultor. Ab Excellmo Domino Marchione de Baluasio hujus Regni Prorege ad Episcopatum Rochensem Hispaniarum Regi propositus. Exercitii Viae Crucis fervidus dilatator, cujus in multis hujus Civitatis Monialium monasteriis institutor fuit; in quibus etiam Confessarii extraordinarii munus pluribus annis exercuit animarum director. Tandem cumulatus meritis decessit e vita die 6 Octobris 1727 aetatis suae anno 73 Religionis an. 58.

30. 1696. P. Guillelmus a Panormo, electus an. 1696. Regiae Monarchiae theologus. Obiit die 6 Maji 1703. Hoc ipso anno 1696, die 4 Augusti in osculo Domini efflavit animam Illmus ac Rmus Dominus P. Fr. Franciscus M.ª Rhini a Palitio, nostrae hujus Provinciae filius et ex Minister Generalis, Syracusanus ac postea Agrigentinus Episcopus.

31. 1699. P. Fulgentius a Panormo, electus an. 1699. Obiit die 12 Aprilis 1715.

32. 1702. P. Felix a Panormo, electus pro secunda vice an. 1702. Obiit eodem anno.

33. 1702. P. Bartholomaeus Cortes a Panormo, electus Vicarius Provincialis an. 1702. Obiit die 16 Februarii 1709.

34. 1705. P. Michael-Angelus a Canicatteno, electus an. 1705. Obiit die 18 Augusti 1713.

35. 1708. P. Blasius a Camerata, electus an. 1708. Obiit die 10 Augusti 1725.

36. 1711. P. Antonius a Drepano, electus an. 1711 pro secunda vice. Obiit, ut supra, anno 1727.

37. 1714. P. Ignatius a Xacca, electus die 13 Junii 1714. Praedicator generalis, Supremae Inquisitionis Qualificator et Consultor, actualis Minister Provincialis. Obiit cum magno populorum fletu Panormi in Conventu S. M. Angelorum, die 5 Julii 1717.

38. 1717. P. Felix Antonius a Leacata, electus Vicarius Provincialis die 6 Julii 1717. Eodem vero anno, sed die 1.ª mensis Augusti, Decreto Apostolico Sacrae Congregationis Immunitatis Ecclesiasticae, electus fuit in Ministrum Provincialem A. R. P. Cajetanus Potestà a Panormo dum Neapoli moraretur. Ast ex tunc usque ad diem 15 Octobris 1719 ad Provinciam non rediens, ejus gubernium exercuit supradictus A. R. P. Felix Antonius, Vicarius Provincialis. Obiit di 13 Februarii 1748.

39. 1717. P. Cajetanus Potestà a Panormo, electus, ut supra, die prima Augusti 1717, Decreto Sacrae Congregationis Immunitatis Ecclesiasticae. In sacra theologia laureatus, in praedicatione clarissimus, in partibus Orientis Commissarius Apostolicus, Sacrae Congregationis de Propaganda Fide responsor, Missionum Aegypti et Cypri Praefectus, et Hierusalem jam Guardianus (1).

(1) Romam rediens Episcopatum a Clemente XI Pontifice Maximo oblatum recusavit. Typis dedit librum de Mystica Theologia; duos super quatuor Evangelia in unum redacta, cum suis Commentariis, super Commentarium in Divi Joannis Apocalypsim, nec non tomum alium vitae Servae Dei Sororis Febroniae Monialis Monasterii S. Clarae Panormi, cujus fuerat ipse a confessionibus. Vir fuit spectatae exemplaritatis, Minorum siquidem Regulae observantia, paupertatis praesertim zelantissimus; silentii ac solitudinis cellae amantissimus. In oratione et contemplatione quamplures quotidie horas impendens, super nudam tabulam triginta circiter annis, in ultimis vero super paleas dormiens. In itineribus sive in propria Provincia, sive in alia Vallis Daemonis, in qua Commissarius Visitator aliquando fuit, aut etiam in Sanctuariis Italiae perlustrandis pedester semper, quandoque pedibus discalceatis ambulabat. Ciliciis, flagellis, jejuniis, praesertim sexta feria, aliisque cujuslibet anni diebus plurimis cum solo pane et aqua, corpus suum macerabat. Erga Eucharistiae Sacramentum, ac Jesu Christi Passionem et Dei Genitricem Mariam fervido aestuabat devotionis affectu. Per quatuor circiter annos, licet variis languoribus afflictus, Missae tamen sacrificii oblationem usque ad ultimos vitae dies magna sui defatigatione ob pedum, tibiarumque tumorem nunquam praetermisit. Postremo viribus corporis prorsus destitutus, Ecclesiae Sacramentis refectus, mentis vero facultatibus integris orans ac psallens in Crucifixi Jesu amplexu placide spiritum exhalavit anno Domini 1738 decimo kalendas Aprilis, dominica Passionis recurrente, aetatis suae quarto completo supra octogesimum anno, Religionis 69. Ejus cadaver quatriduo in nostra Ecclesia S. M. Angelorum Panormi expositum flexibile et incorruptum, facieque venusta cunctis aspicientibus quasi dormiens semper visum fuit; labia insuper viva rubedine quadam aspersa, oculique splendescentes conspiciebantur. Mirabilius autem fuit ut corpus post triduum in arca reclusum, postridie aperta coram Revmo Domino Vicario Generali, auctoritate Archipraesulis fisco, et Notario Curiae ipsius ac Doctoribus octo in physica et chirurgia in nihilo demutatum, immo potius odore fragrans apparuerit. Quod totum praefatorum chirographo attestatum, arca vero quatuor Archiepiscopi sigillis

40. 1719. P. Bonaventura a Drepano, electus die 15 Octobris 1719. Obiit die 13 Maji 1731.

41. 1722. P. Felix a Drepano, electus die 28 Decembris 1722. Obiit die prima Julii 1748.

42. 1725. P. Antonius M.ª a Panormo, electus die 26 Maji 1725. Obiit die 9 Februarii 1756.

43. 1728. P. Guillelmus a Sospitello, electus die 14 Julii 1728. Lector Jubilatus, hujus Metropolitanae Panormitanae Ecclesiae Examinator Synodalis. Obiit die 15 Februarii 1754.

44. 1731. P. Ambrosius a Panormo, electus die 14 Maji 1731. Obiit die 10 mensis Aprilis 1754.

45. 1733. P. Ferdinandus a Camerata, electus die 20 Decembris 1733. Obiit die 3 Martii 1747.

46. 1736. P. Franciscus M.ª a Panormo, electus die 22 Decembris 1736. Obiit die 25 Septembris 1759.

47. 1739. P. Matthaeus a Panormo, electus die 11 Novembris 1739. Obiit die 3 Junii 1752.

48. 1742. P. Ignatius M.ª a Panormo, electus 11 Novembris 1742. Obiit die 7 Decembris 1760.

49. 1745. P. Fulgentius a Drepano, electus die 29 Junii 1745. Obiit die 30 Augusti 1763.

50. 1748. P. Clemens a Panormo, electus die 18 Martii 1748. Dein Minister Generalis. Obiit Romae in Conventu S. Bartholomaei die 18 Januarii 1772.

51. 1751. P. Jacobus Antonius a Panormo, electus die 3 Maji 1751. Commissarius Generalis Terrae Sanctae. Obiit die 10 Maji 1763.

52. 1754. P. Dominicus a Xacca, electus die 12 Maji 1754. Obiit die 31 Januarii 1775.

53. 1757. P. Hyacinthus a Canicatteno, electus die 19 Octobris 1757. Obiit die 31 Januarii 1793.

54. 1760. P. Joannes Clemens a Panormo, electus die 22 Septembris 1760. Obiit 24 Maji 1778.

55. 1763. P. Prosper Antonius a Panormo, electus die 6 Julii 1763. Obiit die 11 Januarii 1787.

56. 1766. P. Fulgentius a Marsalia, electus die 12 Maji 1766. Obiit die 30 Novembris 1799.

57. 1769. P. Gregorius a Marsalia, electus die 13 Junii 1769. Dein Commissarius Generalis Curiae. Obiit die 28 Aprilis 1797.

58. 1772. P. Joseph a Montemellis, electus an. 1772. Postea Definitor Generalis. Obiit 17 Januarii 1806.

munita, et duobus clausa clavibus fuit, quarum una penes M. C. Archiepiscopum, altera apud P. Guardianum Conventus servatur. Nec silentio transeundum, in relata Corporis quatriduana expositione in Ecclesia quam innumerabilis fuerit totius urbis concursus tam laicorum etiam nobilium, quam Ecclesiasticorum etiam primariarum dignitatum ipsum corpus deosculantium, et ejus habitum primum, postea alterum et tertium abscindentium, immo ut fidelium satisfieret devotioni, aliae panni petiae corpori admotae ac tactae, insuper et paleae supra quas dormierat, ipsis distributae fuere. Porro ad invocationem sui servi, variis aegris sanitatem largiri, et ab obsessis corporibus daemones expellere dignatus est Deus.

59. 1775. P. Salvator a Camerata, electus die 25 Junii 1775. Obiit die 19 Januarii 1804.

60. 1778. P. Gregorius a Marsalia, electus pro secunda vice die 13 Decembris 1778. Obiit, ut supra, 1797.

61. 1781. P. Hyacinthus a Canicatteno, electus pro secunda vice die 23 Aprilis 1781. Obiit, ut supra, 1793.

62. 1784. P. Clemens a Panormo, electus die 20 Aprilis 1784. Prudentia, zelo, S. Regulae observantia excellens; praeclare bis moderata Provincia, in solitudine S. Joannis Baptistae Baidae piissime in osculo Domini animam efflavit die 25 Martii 1831.

63. 1787. P. Philippus Antonius a Leocata, electus die 17 Aprilis 1787. Vir vere doctissimus, hujus Provinciae decus et gloria. Obiit die 10 Octobris 1806.

64. 1790. P. Paschalis a Canicatteno, electus die 22 Martii 1790. Obiit die 9 Februarii 1814.

65. 1793. P. Jacobus Clemens a Panormo, electus die 8 Maji 1793. Obiit die 18 Septembris 1800.

66. 1796. P. Damianus a Panormo, electus die 31 Maji 1796. Obiit die 15 Decembris 1812.

67. 1799. P. Placidus Joseph Maria a Panormo, electus die 3 Junii 1799. Obiit die 26 Augusti 1809.

68. 1802. P. Seraphinus Cajetanus a Panormo, electus an. 1802. Obiit die 5 Junii 1805, in 2. cursu S. Visitationis Drepani.

69. 1805. P. Damianus a Panormo, electus pro secunda vice die 8 Augusti 1805. Obiit ut supra anno 1812.

70. 1808. P. Clemens a Panormo, electus pro secunda vice die 1 Septembris 1808. Obiit ut supra 1831.

71. 1811. P. Seraphinus a Calataphimo, electus anno 1811. Obiit die 30 Junii 1837.

72. 1814. P. Aloysius a Panormo, electus anno 1814. Commissarius Terrae Sanctae. Obiit die 25 Februarii 1839.

73. 1817. P. Joannes Franciscus ab Alcamo, electus die 21 Maji 1817. Fervidus Missionarius Apostolicus, dono lacrymarum excelluit. Obiit die 25 Martii 1835.

74. 1820. P. Joseph Maria ab Alexandria Sicula, electus die 16 Maji 1820. Rerum agendarum peritissimus in Definitorem et Vicarium Generalem, et a Gregorio XVI anno 1838, in Ministrum Generalem totius Ordinis Minorum eligitur. De ejusdem Ordinis studiis optime meritus, coram Supremo Hierarcha Episcoporum Examinator et plurium Sacrarum Congregationum Consiliarius fuit. In Regali Mantuae Carpetanorum Congressu pro Immaculata Deiparae Virginis Conceptione Theologus. Ab eodem Summo Pontifice Gregorio XVI Abellinensis, ac postea Calatayeronensis Episcopus creatus. Prior S. Mariae a Gratiis, et Ordinis Ss. Sepulchri et Francisci primi Eques meritissimus. Justorum morte peremptus ad caelos evolavit die 10 Aprilis 1855.

75. 1823. P. Carolus a Xacca, Minister Provincialis, capitulariter, electus a dignitatibus abhorrens, intra triduum Ministerium abdicavit. Vir Seraphicae Regulae observantissimus, praesertim paupertatis amans, et S. P. N. Francisci studiosissimus imitator, tres Observantium Provincias Siciliae, mandante Ministro Generali, pedester visitavit. Jus Canonicum, Sacram Scripturam, et Summorum Pontificum Constitutiones peroptime callens, de proximorum salute sollicitus in Missionibus praedicatione et exemplo per plures annos adlaboravit. Virtutibus tandem et meritis clarus extremum clausit diem in Conventu nostro solitudinis Baidae die 5 Decembris 1847.

76. 1823. P. Joseph a Portanua, electus Vicarius Provincialis die 29 Septembris 1823. Obiit die 15 mensis Augusti 1861.

77. 1827. P. Petrus a Canicatteno, electus mense Maji 1827. Obiit die 15 Augusti 1837.

78. 1832. P. Benedictus ab Alexandria Sicula, electus die 10 Maji 1832. Ex-Commissarius Generalis Terrae Sanctae. Obiit die 15 Novembris 1855.

79. 1835. P. Joseph a Portanua, electus pro secunda vice die 28 Maji 1835. Obiit ut supra anno 1861.

80. 1841. P. Joseph a Ruphudoli, electus die 21 Julii 1841. Lector Jubilatus et Concionator clarissimus. Obiit anno 1879.

81. 1844. P. Joseph ab Alexandria Sicula, electus die 23 mensis Maji 1844.

82. 1847. P. Benedictus a Canicatteno, electus an. 1847. Regulam S. P. N. Francisci exposuit. Institutiones Theologiae P. Schram additionibus et notis auxit. Elementa Philosophiae ac Physicae rationalis, variasque alias opellas edidit. Pro prima, secunda et tertia vice Provinciam praeclare moderatus est. Visitator ac Definitor Generalis Ordinis. In Panormitana Archidioecesi Examinator Prosynodalis, in ejus Seminario theologiam moralem docuit. Doctus ac fervidus Concionator a Pio IX. P. M. Nithensis Episcopus anno 1872 denuntiatus, ad Syracusanum Archiepiscopatum die 5 Julii 1875 translatus fuit.

83. 1852. P. Aloysius ab Alcamo, electus an. 1852. Obiit Drepani in decursu sanctae Visitationis die 12 Decembris 1853.

84. 1853. P. Angelus ab Alexandria Sicula, electus Vicarius Provincialis an. 1853, et Minister an. 1855. Obiit die 11 Novembris 1862.

85. 1858. P. Vincentius a Cipressa, electus an. 1858. Romanae Provinciae filius dogmatica theologia clarus ad eam docendam Panormum venit. Nostrae Provinciae omnibus plaudentibus aggregatus eam optime administravit. Obiit mense Octobris 1866.

86. 1861. P. Benedictus a Canicatteno de quo supra electus pro secunda vice anno 1861.

87. 1864. P. Seraphinus a Canicatteno, electus an. 1864. Post civilem suppressionem patriam oppetiit, ubi fures confessionis praetextu domum matris suae invadentes in festo vulnere eum occiderunt die 7 Decembris 1869.

88. 1869. P. Benedictus a Canicatteno titulo Commissarii Provincialis tertio Provinciam rexit.

89. 1872. P. Antonius a Leocata, electus an. 1872. Obiit die 7 Martii 1876.

90. 1875. P. Franciscus de Blasi ab Alcamo, electus die 2 Decembris 1875, et confirmatus a Congressu Definitorii Generalis mense Maji 1881, iterum eligitur a Revmo Definitorio Generali die 5 Decembris 1883. Definitor Generalis, et Terrae Sanctae Commissarius Generalis. Provinciam ob civilem suppressionem pene extinctam ad novam vocavit vitam; et praescripta vita communi, novitiatum aperuit in Conventu Cameratae, per R. P. Franciscum Mangiapani a Camerata acquisito. A Regio Demanio Coenobium S. Joannis Baptistae Baidae emit; et A. R. P. Joanni Francisco a Raphadali facultatem dedit aedificandi Conventum Ravanusii. Eamdem facultatem fecit R. P. Ignatio Fleres a Villafranca Sicula pro Conventu Favariae, cujus primum publicum Oratorium, plaudente populo, die 8 mensis Maji 1887 benedixit.

91. 1887. P. Ignatius Fleres a Villafranca Sicula, electus die 2 Julii 1887. De aedificatione Conventus civitatis Favariae, qui ejus cura et opera e fundamentis surgit, valde sollicitus, Provinciam regit; Deus incolumem eum servet.

V.

NECROLOGIA

P. Franciscus Ristorto, Reformatae Provinciae Taurinensis filius, in republica Argentina Americae meridionalis missionarius in statione missionaria « Formosa » alias « Gran Chaco » dicta, die 5 Octobris anni 1889 sanctam oppetiit mortem.

Is, ab anno 1857 apostolico muneri sedulo intentus, Indianos diligenter et patientissime doctrinam Jesu Christi docendo sensim ad mansuetiorem vitam degendam inducebat, et vitae sanctae exemplo alliciebat; quod in primis praestabat in communitate dicta « Monte Alto » (Gran Chaco), ubi in sanctis suis laboribus, nullis difficultatibus, injuriis ab ipsis Indianis sibi illatis vel verberibus, quae saepius

perferre debuit, impediri aut plane detineri se potuit, sed omnia potius tanquam salutaria medicamina, medendis humanae corruptionis miseriis aptissima reputans ea amore CHRISTI libenter acceptabat; neque pius hic religiosus unquam desuper auditus est conqueri, quae tamen, testante solummodo fratre socio, ad notitiam superiorum pervenere.

Morbo pleuritide correptus, postquam sanctissimis Sacramentis moribundorum rite esset munitus, petiit e lectulo erigi et in proxima sede collocari, ubi sacro habitu indutus in osculo DOMINI placidissime obdormivit.

R. I. P.

Reverendus Pater MANSUETUS A VENETIIS, Reformatae Provinciae Venetae actualis Definitor die prima Decembris anni proxime elapsi, cursum vitae suae, in Coenobio ad S. Michaëlis in insula, religiosissime explevit, suique magnum desiderium reliquit, utpote viri meritis et virtutibus praeclari. Piis honestisque parentibus, Benvenuto Ghedina et Luisa Jacomini, 25 Martii 1821, Venetiis ortus est; ibique litteris ac bonis artibus excultus, supernae vocationi obtemperans, 25 Novembris 1839, religiosum Seraphici Ordinis habitum suscepit in patrio Coenobio, et 27 Novembris 1842, vota solemnia nuncupavit. Sacerdos factus, etsi plerumque male firma valetudine, munia tamen sacri ministerii prompto semper ac ferventi animo obivit. Vir erat cum sincerae pietatis, tum maxime religiosae observantiae cultor zelatorque adeo sollicitus, ut ne minimam quidem ex Provinciae constitutionibus vel negligi, vel sine rationabili causa immutari pateretur, vivens proinde et absolutum veteris disciplinae sodalibus cunctis, praesertim vero junioribus, speculum et exemplar. Clericorum Magistri, Vicarii, Guardiani ac Definitoris officiis pluries functus est, eo successu, ut non modo apud suos, sed et apud exteros magnam assecutus sit existimationem et reverentiam; quod tum patuit praecipue, cum vir optime meritus annum ab suo in Religionem ingressu quinquagesimum in gaudio spiritus celebravit, nempe mense Novembri nuper transacto. Sed quo majori laetitia dies illa animos omnium affecerat, eo graviori luctu, decem dumtaxat post diebus, ex inopinato, licet pientissimo et placidissimo illius transitu, omnes affecti sunt. Prae ceteris vero ejus ex fratre nepos, atque Instituti ejusdem alumnus, patrem ac consodalem dilectissimum sibi heu! absenti luget abreptum, animamque desideratissimam fraternae caritati enixe commendat.

R. I. P.

R. P. PETRUS ODORICUS, strictioris Observantiae Provinciae S. Bernardini in Gallia filius die 7 Decembris 1889 pie in DOMINO obiit in Conventu Cemellensi, prope Nicaeam. Loco « Berre » die 1ª Aug. 1824, parentibus christianae religionis amantissimis ortus, atque domi pie educatus, in scholis autem praescriptis scientiis rite excultus, ordinem S. Francisci in dicta Provincia 20 Octobris anni 1840 est ingressus. Anno 1847, postquam philosophiae et S. theologiae studia absolvisset, sacro sacerdotio auctus, muneri apostolico deinceps exercendo totus incubuit. Superiores vero considerantes in eo spiritum seraphicum aliasque celsas animi dotes, difficilioribus Provinciae negotiis tractandis praeficiebant; plures domus franciscales hujus Provinciae, in Gallia erectae, ei debent originem vel promotionem. Cum autem esset vir frequentissimae orationis et sedulae meditationis, arcana evangelicae doctrinae non modo profunde introspiciebat, sed et, quod plurimi est, adeo clare et ad captum ea fidelibus interpretabatur, ut exinde animarum saluti plurimum fuerit prospectum; hinc ejus magna apud fideles auctoritas, et vicissim fidelium in illum amor summus et reverentia. Confratres vero exemplo observantiae regularis et aliis virtutibus, filium S. Francisci ornantibus, novo spiritu in meliora sese concitari interne sentiebant; hinc facile explicatu est, quanto dolore ejus mortem lugeant. In eo in primis eminebat dulcis quaedam animi affabilitas, constans patientia et ardens in omnes charitas.

R. I. P.

Nihil obstat

FR. ALOYSIUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII

LITTERAE ENCYCLICAE

AD OMNES PATRIARCHAS PRIMATES
ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS
ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM
ET COMMUNIONEM
CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES

DE PRAECIPUIS CIVIUM CHRISTIANORUM OFFICIIS

VENERABILIBUS FRATRIBUS
PATRIARCHIS PRIMATIBUS
ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS
ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS
PACEM ET COMMUNIONEM
CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Sapientiae christianae revocari praecepta, eisque vitam, mores, instituta populorum penitus conformari, quotidie magis apparet oportere. Illis enim posthabitis, tanta vis est malorum consecuta, ut nemo sapiens nec ferre sine ancipiti cura praesentia queat, nec in posterum sine metu prospicere. — Facta quidem non mediocris est ad ea bona, quae sunt corporis et externa, progressio: sed omnis natura, quae hominis percellit sensus, opumque et virium et copiarum possessio, si commoditates gignere suavitatesque augere vivendi potest, natum ad majora ac magnificentiora animum explere non potest. Deum spectare, atque ad ipsum contendere, suprema lex est vitae hominum: qui ad imaginem conditi similitudinemque divinam natura ipsa ad auctorem suum potiundum vehementer incitantur. Atqui non motu aliquo cursuque corporis tenditur ad Deum, sed iis quae sunt animi, cognitione atque affectu. Est enim Deus prima ac suprema veritas, nec nisi mens veritate alitur: est idem perfecta sanctitas summumque bonorum, quo sola voluntas aspirare et accedere, duce virtute, potest.

Quod autem de singulis hominibus, idem de societate tum domestica tum etiam civili intelligendum. Non enim ob hanc caussam genuit natura societatem ut ipsam homo sequeretur tamquam finem, sed ut in ea et per eam adjumenta ad perfectionem sui apta reperiret. Si qua igitur civitas nihil praeter commoditates externas vitaeque cultum cum elegantia et copia persequatur, si Deum in administranda republica negligere, nec leges curare morales consueverit, deterrime aberrat ab instituto suo et praescriptione naturae, neque tam est ea societas hominum et communitas putanda, quam fallax imitatio simulatioque societatis. — Jamvero ea, quae diximus, animi bona, quae in verae religionis cultu constantique praeceptorum christianorum custodia maxime reperiuntur, quotidie obscurari hominum oblivione aut fastidio cernimus, ita fere ut, quanto sunt earum rerum incrementa majora, quae corpus

attingunt, tanto earum, quae animum, major videatur occasus. Imminutae plurimumque debilitatae fidei christianae magna significatio est in iis ipsis injuriis, quae catholico nomini in luce atque in oculis hominum nimis saepe inferuntur: quas quidem cultrix religionis aetas nullo pacto tulisset. — His de caussis incredibile dictu est, quanta hominum multitudo in aeternae salutis discrimine versetur: sed civitates ipsae atque imperia diu incolumia esse non possunt, quia labentibus institutis moribusque christianis, maxima societatis humanae fundamenta ruere necesse est. Tranquillitati publicae atque ordini tuendo sola vis relinquitur: vis autem valde est infirma, praesidio religionis detracto: eademque servituti pariendae quam obedientiae aptior, gerit in se ipsa magnarum perturbationum inclusa semina. Graves memoratu casus saeculum tulit: nec satis liquet num non sint pertimescendi pares. — Itaque tempus ipsum monet remedia, unde oportet, quaerere: videlicet christianam sentiendi agendique rationem in vita privata, in omnibus reipublicae partibus, restituere: quod est unum ad pellenda mala, quae premunt, ad prohibenda pericula, quae impendent, aptissimum. In id nos, Venerabiles Fratres, incumbere opus est, id maxima qua possumus contentione industriaque conari: ejusque rei caussâ, quamquam aliis locis, ut sese dedit opportunitas, similia tradidimus, utile tamen arbitramur esse in his Litteris magis enucleate officia describere catholicorum: quae officia, si accurate serventur, mirabiliter ad rerum communium salutem valent. Incidimus in vehementem eamque prope quotidianam de rebus maximis dimicationem: in qua difficillimum est non decipi aliquando, non errare, non animo multos succumbere. Nostrum est, Venerabiles Fratres, admonere quemque, docere, adhortari convenienter tempori, ut *viam veritatis nemo deserat.*

Esse in usu vitae plura ac majora catholicorum officia, quam eorum qui sint fidei catholicae aut perperam compotes, aut omnino expertes, dubitari non potest. Cum, parta jam hominum generi salute, JESUS CHRISTUS praedicare Evangelium Apostolos jussit omni creaturae, hoc pariter officium hominibus universis imposuit, ut perdiscerent et crederent, quae docerentur: cui quidem officio sempiternae salutis omnino est adeptio conjuncta. *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur* (1). Sed christianam fidem homo, ut debet, complexus, hoc ipso Ecclesiae ut ex ea natus subiicitur, ejusque fit societatis maximae sanctissimaeque particeps, quam summa cum potestate regere, sub invisibili capite CHRISTO JESU, Romani Pontificis proprium est munus. — Nunc vero si civitatem, in qua editi susceptique in hanc lucem sumus, praecipue diligere tuerique jubemur lege naturae usque eo, ut civis bonus vel mortem pro patria oppetere non dubitet, officium est christianorum longe majus simili modo esse in Ecclesiam semper affectos. Est enim Ecclesia civitas sancta DEI viventis, DEO ipso nata, eodemque auctore constituta: quae peregrinatur quidem in terris, sed vocans homines et erudiens atque deducens ad sempiternam in caelis felicitatem. Adamanda igitur patria est, unde vitae mortalis usuram accepimus: sed necesse est caritate Ecclesiam praestare, cui vitam animae debemus perpetuo mansuram: quia bona animi corporis bonis rectum est anteponere, multoque, quam erga homines, sunt erga DEUM officia sanctiora. — Ceterum, vere si judicare volumus, supernaturalis amor Ecclesiae patriaeque caritas naturalis, geminae sunt ab eodem sempiterno principio profectae caritates, cum ipse sit utriusque auctor et caussa DEUS: ex quo consequitur, non posse alterum officium pugnare cum altero. Utique utrumque possumus et debemus, diligere nosmetipsos, benevolentes esse cum proximis, amare rempublicam potestatemque quae reipublicae praesit: eodemque tempore Ecclesiam colere uti parentem, et maxima, qua fieri potest, caritate complecti DEUM. — Nihilominus horum officiorum ordo, vel calamitate temporum vel iniquiore hominum voluntate, aliquando pervertitur. Nimirum incidunt caussae, cum aliud videtur a civibus respublica, aliud a christianis religio postulare: idque non alia sane de caussa, quam quod rectores reipublicae sacram Ecclesiae potestatem aut nihil pensi habent, aut sibi volunt esse subjectam. Hinc et certamen existit, et periclitandae virtuti in

(1) Marc. XVI, 16.

certamine locus. Urget enim potestas duplex: quibus contraria jubentibus obtemperari simul utrisque non potest: *Nemo potest duobus dominis servire* (1), ita ut omnino, si mos geritur alteri, alterum posthaberi necesse sit. Uter vero sit anteponendus, dubitare nemo debet. — Videlicet scelus est ab obsequio Dei, satisfaciendi hominibus caussa, discedere: nefas Jesu Christi leges, ut pareatur magistratibus, perrumpere, aut, per speciem civilis conservandi juris, jura Ecclesiae migrare. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus* (2). Quodque olim magistratibus non honesta imperantibus Petrus ceterique Apostoli respondere consueverunt, idem semper est in caussa simili sine haesitatione respondendum. Nemo civis pace bellove melior, quam christianus sui memor officii: sed perpeti omnia potius, et ipsam malle mortem debet, quam Dei Ecclesiaeve caussam deserere. — Quapropter non habent vim naturamque legum probe perspectam, qui istam in delectu officii constantiam reprehendunt, et ad seditionem ajunt pertinere. Vulgo cognita et a Nobis ipsis aliquoties explicata loquimur. Non est lex, nisi jussio rectae rationis a potestate legitima in bonum commune perlata. Sed vera ac legitima potestas nulla est, nisi a Deo summo principe dominoque omnium proficiscatur, qui mandare homini in homines imperium solus ipse potest: neque est recta ratio putanda, quae cum veritate dissentiat et ratione divina: neque verum bonum, quod summo atque incommutabili bono repugnet, vel a caritate Dei torqueat hominum atque abducat voluntates. — Sanctum igitur christianis est publicae potestatis nomen, in qua divinae majestatis speciem et imaginem quamdam tum etiam agnoscunt, cum geritur ab indigno: justa et debita legum verecundia, non propter vim et minas, sed propter conscientiam officii: *non enim dedit nobis* Deus *spiritum timoris* (3). Verum si reipublicae leges aperte discrepent cum jure divino, si quam Ecclesiae imponant injuriam, aut iis, quae sunt de religione, officiis contradicant, vel auctoritatem Jesu Christi in pontifice maximo violent, tum vero resistere officium est, parere scelus: idque cum ipsius reipublicae injuria conjunctum, quia peccatur in rempublicam quidquid in religione delinquitur. — Rursus autem apparet quam sit illa seditionis injusta criminatio: non enim abjicitur principi legumque latoribus obedientia debita: sed ab eorum voluntate in iis dumtaxat praeceptis disceditur, quorum ferendorum nulla potestas est, quia cum Dei injuria feruntur, ideoque vacant justitia, et quidvis potius sunt quam leges. — Nostis, Venerabiles Fratres, hanc esse ipsissimam beati Pauli Apostoli doctrinam: qui cum scripsisset ad Titum, monendos christianos *principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire,* illud statim adjungit, *ad omne opus bonum paratos esse* (1): quo palam fieret, si leges hominum contra sempiternam legem Dei quicquam statuant, rectum esse non parere. Similique ratione princeps Apostolorum iis, qui libertatem praedicandi Evangelii sibi vellent eripere, forti atque excelso animo respondebat, *si justum est in conspectu* Dei, *vos potius audire, quam* Deum, *judicate: non enim possumus quae vidimus et audivimus non loqui* (2).

(1) Matt. VI, 24.
(2) Act. V, 29.
(3) II. Timoth. I, 7.

Ambas itaque patrias unumquemque diligere, alteram naturae, alteram civitatis caelestis, ita tamen ut hujus, quam illius habeatur caritas antiquior, nec unquam Dei juribus jura humana anteponantur, maximum est christianorum officium, itemque velut fons quidam, unde alia officia nascuntur. Sane liberator generis humani de se ipse *Ego,* inquit, *in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati* (3). Similiter, *ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?* (4) In hujus cognitione veritatis, quae mentis est summa perfectio, in caritate divina, quae perficit pari modo voluntatem, omnis christianorum est vita ac libertas posita. Quarum rerum, veritatis scilicet et caritatis, nobilissimum patrimonium, sibi a Jesu Christo commendatum, perpetuo studio vigilantiaque conservat ac tuetur Ecclesia.

Sed quam acre adversus Ecclesiam bellum deflagraverit quamque multiplex, vix attinet hoc loco dicere. Quod enim rationi con-

(1) Tit. III, 1.
(2) Act. IV. 19, 20.
(3) Joan. XVIII, 37.
(4) Luc. XII. 49.

tigit complures res occultas et a natura involutas scientiae pervestigatione reperire, easque in vitae usus apte convertere, tantos sibi spiritus sumpsere homines, ut jam se putent numen posse imperiumque divinum a communi vita depellere. — Quo errore decepti, transferunt in naturam humanam ereptum Deo principatum: a natura petendum omnis veri principium et normam praedicant: ab ea manare, ad eamque esse cuncta religionis officia referenda. Quocirca nihil esse divinitus traditum: non disciplinae morum christianae, non Ecclesiae parendum: nullam huic esse legum ferendarum potestatem, nulla jura; imo nec ullum Ecclesiae dari in reipublicae institutis locum oportere. Expetunt vero atque omni ope contendunt capessere res publicas et ad gubernacula sedere civitatum, quo sibi facilius liceat ad has doctrinas dirigere leges moresque fingere populorum. Ita passim catholicum nomen vel aperte petitur, vel occulte oppugnatur: magnaque cuilibet errorum perversitati permissa licentia, multis saepe vinculis publica veritatis christianae professio constringitur.

His igitur tam iniquis rebus, primum omnium respicere se quisque debet, vehementerque curare, ut alte comprehensam animo fidem intenta custodia tueatur, cavendo pericula, nominatimque contra varias sophismatum fallacias semper armatus. Ad cujus incolumitatem virtutis illud etiam perutile, et magnopere consentaneum temporibus judicamus, studium diligens, ut est facultas et captus singulorum, in christiana doctrina ponere, earumque rerum, quae religionem continent, quasque assequi ratione licet, majore qua potest notitia mentem imbuere. Cumque fidem non modo vigere in animis incorruptam, sed assiduis etiam incrementis oporteat augescere, iteranda persaepe ad Deum est supplex atque humilis Apostolorum flagitatio, *adauge nobis fidem* (1).

Verum in hoc eodem genere, quod fidem christianam attingit, alia sunt officia, quae observari accurate religioseque si salutis semper interfuit, hac tempestate nostra interest maxime. — Nimirum in hac, quam diximus, tanta ac tam late fusa opinionum insania, profecto patrocinium suscipere veritatis, erroresque ex animis evellere, Ecclesiae munus est, idque omni tempore sancteque servandum, quia honor Dei, ac salus hominum in ejus sunt tutela. At vero, cum necessitas cogit, incolumitatem fidei tueri non ii solum debent qui praesunt, sed *quilibet tenetur fidem suam aliis propalare, vel ad instructionem aliorum fidelium sive confirmationem, vel ad reprimendum infidelium insultationem* (1). Cedere hosti, vel vocem premere, cum tantus undique opprimendae veritati tollitur clamor, aut inertis hominis est, aut de iis, quae profitetur, utrum vera sint, dubitantis. Utrumque turpe, atque injuriosum Deo: utrumque cum singulorum tum communi saluti repugnans: solis fidei inimicis fructuosum, quia valde auget remissior proborum opera audaciam improborum. — Eoque magis christianorum vituperanda segnities, quia falsa crimina dilui, opinionesque pravae confutari levi negotio, ut plurimum, possunt: majore aliquo cum labore semper possunt. Ad extremum, nemo unus prohibetur eam adhibere ac prae se ferre fortitudinem, quae propria est christianorum: qua ipsa non raro animi adversariorum et consilia franguntur. Sunt praeterea christiani ad dimicationem nati: cujus quo major est vis, eo certior, Deo opitulante, victoria. *Confidite: ego vici mundum* (2). Neque est quod opponat quisquam, Ecclesiae conservatorem ac vindicem Jesum Christum nequaquam opera hominum indigere. Non enim inopia virium, sed magnitudine bonitatis vult ille ut aliquid a nobis conferatur operae ad salutis, quam ipse peperit, obtinendos adipiscendosque fructus.

Hujusce partes officii primae sunt, catholicam doctrinam profiteri aperte et constanter, eamque, quoad quisque potest, propagare. Nam, quod saepius est verissimeque dictum, christianae quidem sapientiae nihil tam obest, quam non esse cognitam. Valet enim per se ipsa ad depellendos errores probe percepta: quam si mens arripuerit simplex praejudicatisque non adstricta opinionibus, assentiendum esse ratio pronuntiat. Nunc vero fidei virtus grande munus est gratiae bonitatisque divinae: res tamen ipsae, quibus adhibenda fides, non

(1) Luc. XVIII, 5.

(1) S. Thom. II-II Quaest. III, art. II, ad 2.
(2) Jo. XVI, 33.

alio fere modo quam audiendo noscuntur. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante?.... Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum* CHRISTI (1). Quoniam igitur fides est ad salutem necessaria, omnino praedicari verbum CHRISTI consequitur oportere. Profecto praedicandi, hoc est docendi, munus jure divino penes magistros est, quos SPIRITUS SANCTUS *posuit Episcopos regere Eecclesiam* DEI (2), maximeque penes Pontificem Romanum, JESU CHRISTI vicarium, Ecclesiae universae summa cum potestate praepositum, credendorum, agendorum magistrum. Nihilominus nemo putet, industriam nonnullam eadem in re ponere privatos prohiberi, eos nominatim, quibus ingenii facultatem DEUS cum studio bene merendi dedit: qui, quoties res exigat, commode possunt non sane doctoris sibi partes assumere, sed ea, quae ipsi acceperint, impertire ceteris, magistrorum voci resonantes tamquam imago. Quin imo privatorum opera visa est Patribus Concilii Vaticani usque adeo opportuna ac frugifera, ut prorsus deposcendam judicarint. *Omnes christifideles, maxime vero eos, qui praesunt, vel docendi munere funguntur, per viscera* JESU CHRISTI *obtestamur, nec non ejusdem* DEI *et Salvatoris nostri auctoritate jubemus, ut ad hos errores a sancta Ecclesia arcendos et eliminandos, atque purissimae fidei lucem pandendam studium et operam conferant* (3). — Ceterum serere fidem catholicam auctoritate exempli, professionisque constantia praedicare, quisque se posse ac debere meminerit. — In officiis igitur quae nos jungunt DEO atque Ecclesiae, hoc est numerandum maxime, ut in veritate christiana propaganda propulsandisque erroribus elaboret singulorum, quoad potest, industria.

Quibus tamen officiis non ita, ut oportet, cumulate et utiliter satisfacturi sunt, si alii seorsum ab aliis in certamen descenderint. — Futurum sane JESUS CHRISTUS significavit, ut quam ipse offensionem hominum invidiamque prior excepit, in eamdem pari modo opus a se institutum incurreret; ita plane ut ad salutem pervenire, ipsius beneficio partam, multi reapse prohiberentur. Quare voluit non alumnos dumtaxat instituere disciplinae suae, sed hos ipsos societate conjungere, et in unum corpus, *quod est Ecclesia* (1), cujus esset ipse caput, apte coagmentare. Permeat itaque vita CHRISTI JESU per totam compagem corporis, alit ac sustentat singula membra, eaque copulata tenet inter se et ad eumdem composita finem, quamvis non eadem sit actio singulorum (2). His de caussis non modo perfecta societas Ecclesia est, et alia qualibet societate longe praestantior, sed hoc ei est inditum ab Auctore suo ut debeat pro salute generis humani contendere *ut castrorum acies ordinata* (3). Ista rei christianae compositio conformatioque mutari nullo modo potest: nec magis vivere arbitratu suo cuiquam licet, aut eam, quae sibi libeat, decertandi rationem consectari: propterea quod dissipat, non colligit, qui cum Ecclesia et JESU CHRISTO non colligit, verissimeque contra DEUM contendunt, quicumque non cum ipso Ecclesiaque contendunt (4).

Ad hanc vero conjunctionem animorum similitudinemque agendi, inimicis catholici nominis non sine caussa formidolosam, primum omnium concordia est necessaria sententiarum: ad quam ipsam videmus Paulum Apostolum Corinthios cohortantem vehementi studio et singulari gravitate verborum: *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia* (5). — Cujus praecepti facile sapientia perspicitur. Est enim principium agendi mens: ideoque nec congruere voluntates, nec similes esse actiones queunt, si mentes diversa opinentur. Qui solam rationem sequuntur ducem, vix in eis aut ne vix quidem una esse doctrina potest: est enim ars rerum cognoscendarum perdifficilis: mens vero et infirma est natura, et varietate distrahitur opinionum, et impulsione rerum oblata extrinsecus non raro fallitur; accedunt cupiditates,

(1) Rom. X, 14, 17.
(2) Act. XX, 28.
(3) Const. *Dei Filius,* sub fin.

(1) Coloss. I, 24.
(2) *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi unum corpus sumus in* CHRISTO, *singuli autem alter alterius membra.* Rom. XII, 4, 5.
(3) Cantic. VI, 9.
(4) *Qui non est mecum, contra me est: et qui non colligit mecum, dispergit.* Luc. XI, 23.
(5) I. Corinth. I, 10.

quae veri videndi nimium saepe tollunt aut certe minuunt facultatem. Hac de caussa in moderandis civitatibus saepe datur opera ut conjuncti teneantur vi, quorum animi discordant. — Longe aliter christiani: quid credere oporteat, ab Ecclesia accipiunt, cujus auctoritate ductuque se certo sciunt verum attingere. Propterea sicut una est Ecclesia, quia unus Jesus Christus, ita cunctorum toto orbe christianorum una est atque esse debet doctrina. *Unus Dominus, una fides* (1). *Habentes autem eumdem spiritum fidei* (2), salutare principium obtinent, unde eadem in omnibus voluntas eademque in agendo ratio sponte gignuntur.

Sed, quod Paulus Apostolus jubet, unanimitatem oportet esse perfectam. — Cum christiana fides non humanae, sed divinae rationis auctoritate nitatur, quae enim a Deo accepimus, *vera esse credimus non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius* Dei *revelantis, qui nec falli nec fallere potest* (3), consequens est ut, quascumque res constet esse a Deo traditas, omnino excipere singulas pari similique assensu necesse sit: quarum rerum abnuere fidem uni huc ferme recidit, repudiare universas. Evertunt enim ipsum fundamentum fidei, qui aut elocutum hominibus Deum negent, aut de infinita ejus veritate sapientiave dubitent. — Statuere vero quae sint doctrinae divinitus traditae, Ecclesiae docentis est, cui custodiam interpretationemque Deus eloquiorum suorum commisit. Summus autem est magister in Ecclesia Pontifex Romanus. Concordia igitur animorum sicut perfectum in una fides consensum requirit, ita voluntates postulat Ecclesiae Romanoque Pontifici perfecte subjectas atque obtemperantes, ut Deo. — Perfecta autem esse obedientia debet, quia ab ipsa fide praecipitur, et habet hoc commune cum fide ut dividua esse non possit: imo vero si absoluta non fuerit et numeros omnes habens, obedientiae quidem simulacrum relinquitur, natura tollitur. Cujusmodi perfectioni tantum christiana consuetudo tribuit, ut illa tamquam nota internoscendi catholicos et habita semper sit et habeatur. Mire explicatur hic locus a Thoma Aquinate iis verbis: *Formale... objectum fidei est veritas prima secundum quod manifestatur in Scripturis sacris, et doctrinae Ecclesiae, quae procedit ex veritate prima. Unde quicumque non inhaeret, sicut infallibili et divinae regulae, doctrinae Ecclesiae, quae procedit ex veritate prima in Scripturis sacris manifestata, ille non habet habitum fidei: sed ea, quae sunt fidei, alio modo tenet quam per fidem... Manifestum est autem, quod ille, qui inhaeret doctrinis Ecclesiae tamquam infallibili regulae, omnibus assentit, quae Ecclesia docet: alioquin si de his, quae Ecclesia docet, quae vult, tenet, et quae non vult, non tenet, non jam inhaeret Ecclesiae doctrinae sicut infallibili regulae, sed propriae voluntati* (1). *Una fide debet esse totius Ecclesiae, secundum illud* (I. Corinth. I): *Idipsum dicatis omnes et non sint in vobis schismata: quod servari non posset nisi quaestio fidei exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiae praeest, ut sic ejus sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur. Et ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut et omnia alia quae pertinent ad totam Ecclesiam* (2).

In constituendis obedientiae finibus, nemo arbitretur, sacrorum Pastorum maximeque romani Pontificis auctoritati parendum in eo dumtaxat esse, quod ad dogmata pertinet, quorum repudiatio pertinax dijungi ab haereseos flagitio non potest. Quin etiam neque satis est sincere et firmiter assentiri doctrinis quae ab Ecclesia, etsi solemni non definitae judicio, ordinario tamen et universali magisterio tamquam divinitus revelatae credendae proponuntur: quas *fide catholica et divina* credendas concilium Vaticanum decrevit. Sed hoc est praeterea in officiis christianorum ponendum, ut potestate ductuque Episcoporum imprimisque Sedis Apostolicae regi se gubernarique patiantur. Quod quidem quam sit consentaneum, perfacile apparet. Nam quae divinis oraculis continentur, ea Deum partim attingunt, partim ipsum hominem itemque res ad sempiternam hominis salutem necessarias. Jamvero de utroque genere, nimirum et quid credere oporteat et quid agere, ab Ecclesia jure divino praecipitur, uti diximus, atque in Ecclesia a Pontifice maximo. Quamobrem judicare posse Pontifex

(1) Ephes. IV, 5.
(2) II. Corinth. IV, 13.
(3) Conc. Vat. Const. *Dei Filius*, cap. 3.

(1) II-II Quaest. V. art. III.
(2) Ib. Quaest. I, art. X.

pro auctoritate debet quid eloquia divina contineant, quae cum eis doctrinae concordent, quae discrepent: eademque ratione ostendere quae honesta sint, quae turpia: quid agere, quid fugere, salutis adipiscendae caussa, necesse sit: aliter enim nec eloquiorum Dei certus interpres, nec dux ad vivendum tutus ille esse homini posset.

Altius praeterea intrandum in Ecclesiae naturam: quippe quae non est christianorum, ut fors tulit, nexa communio, sed excellenti temperatione divinitus constituta societas, quae illuc recta proximeque spectat, ut pacem animis ac sanctitatem afferat: cumque res ad id necessarias divino munere sola possideat, certas habet leges, certa officia, atque in populis christianis moderandis rationem viamque sequitur naturae suae consentaneam. — Sed istiusmodi regiminis difficilis est et cum frequenti offensione cursus. Gentes enim Ecclesia regit per cunctos terrarum tractus disseminatas, genere differentes moribusque, quas, cum in sua quaeque republica suis legibus vivant, civili simul ac sacrae potestati officium est subesse. Quae officia in eisdem personis conjuncta reperiuntur, non vero pugnantia, uti diximus, neque confusa, quia alterum genus ad prosperitatem pertinet civitatis, alterum ad commune Ecclesiae bonum, utrumque pariendae hominum perfectioni natum.

Qua posita jurium et officiorum terminatione, omnino liquet esse liberos ad res suas gerendas rectores civitatum: idque non modo non invita, sed plane adjuvante Ecclesia: quae quoniam maxime praecipit ut colatur pietas, quae est justitia adversus Deum, hoc ipso ad justitiam vocat erga principes. Verum longe nobiliore instituto potestas sacra eo spectat, ut regat hominum animos tuendo *regnum* Dei *et justitiam ejus* (1), atque in hoc tota versatur. Dubitari vero salva fide non potest, istiusmodi regimen animorum Ecclesiae esse assignatum uni, nihil ut in eo sit politicae potestati loci: non enim Caesari sed Petro claves regni caelorum Jesus Christus commendavit. — Cum hac de rebus politicis deque religiosis doctrina quaedam alia conjunguntur non exigui momenti, de quibus silere hoc loco nolumus.

(1) Matth. VI, 33.

Ab omni politico genere imperii distat christiana respublica plurimum. Quod si similitudinem habet conformationemque regni, profecto originem, caussam, naturam mortalibus regnis habet longe disparem. — Jus est igitur, vivere Ecclesiam tuerique se consentaneis naturae suae institutis ac legibus. Eademque cum non modo societas perfecta sit, sed etiam humana quavis societate superior, sectari partium studia et mutabilibus rerum civilium flexibus servire jure officioque suo valde recusat. Similique ratione custos juris sui, observantissima alieni, non ad se putat Ecclesia pertinere, quae maxime forma civitatis placeat, quibus institutis res christianarum gentium civilis geratur: ex variisque reipublicae generibus nullum non probat, dum religio morumque disciplina salva sit. — Ad hoc exemplum cogitationes actionesque dirigi singulorum christianorum oportet. Non dubium est, quin quaedam sit in genere politico honesta contentio, cum scilicet incolumi veritate justitiaque certatur, ut opiniones re usuque valeant, quae ad commune bonum prae ceteris conducibiles videantur. Sed Ecclesiam trahere ad partes, aut omnino adjutricem velle ad eos quibuscum contenditur, superandos, hominum est religione intemperanter abutentium. Ex adverso sancta atque inviolata apud omnes debet esse religio: imo in ipsa disciplina civitatum, quae a legibus morum officiisque religionis separari non potest, hoc est potissimum perpetuoque spectandum, quid maxime expediat christiano nomini: quod ipsum sicubi in periculo esse adversariorum opera videatur, cessandum ab omni dissidio, et concordibus animis et consiliis propugnatio ac defensio suscipienda religionis, quod est commune bonum maximum, quo sunt omnia referenda. — Idque opus esse ducimus aliquanto exponere accuratius.

Profecto et Ecclesia et civitas suum habet utraque principatum: propterea que in gerendis rebus suis neutra paret alteri, utique intra terminos a proxima cujusque caussa constitutos. Ex quo tamen nulla ratione disjunctas esse sequitur, multoque minus pugnantes. — Sane non tantum nobis ut essemus natura dedit, sed ut morati essemus. Quare a tranquillitate ordinis publici, quam proxime habet civilis conjunctio propositam, hoc petit homo,

ut bene sibi esse liceat, ac multo magis ut satis praesidii ad perficiendos mores suppeditet: quae perfectio nusquam nisi in cognitione consistit atque exercitatione virtutis. Simul vero vult, id quod debet, adjumenta in Ecclesia reperire, quorum ope pietatis perfectae perfecto fungatur munere: quod in cognitione usuque positum est verae religionis, quae princeps est virtutum, propterea quod, revocando ad Deum, explet et cumulat universas. — In institutis igitur legibusque sanciendis spectanda hominis indoles est moralis eadem ac religiosa, ejusdemque curanda perfectio, sed recte atque ordine: nec imperandum vetandumve quidquam nisi ratione habita quid civili hominum societati sit, quid religiosae propositum. Hac ipsa de caussa non potest Ecclesiae non interesse quales in civitatibus valeant leges, non quatenus ad rempublicam pertinent, sed quia fines debitos aliquando praetergressae in jus Ecclesiae invadunt. Quin imo resistere, si quando officiat religioni disciplina reipublicae, studioseque conari, ut in leges et instituta populorum virtus pervadat Evangelii, munus est Ecclesiae assignatum a Deo. Quoniamque fortuna reipublicae potissimum ex eorum pendet ingenio qui populo praesunt, idcirco Ecclesia patrocinium iis hominibus gratiamve praebere non potest, a quibus oppugnari sese intelligat, qui jura ipsius vereri aperte recusent, qui rem sacram remque civilem natura consociatas divellere contendant. Contra fautrix, uti debet, eorum est qui, cum de civili deque christiana republica quod sentire rectum est, ipsi sentiant, ambas in communi bono concordes elaborare volunt. — His praeceptis norma continetur, quam in publica actione vitae catholicum quemque necesse est sequi. Nimirum, ubicumque in negotiis publicis versari per Ecclesiam licet, favendum viris est spectatae probitatis, eisdemque de christiano nomine merituris: neque caussa esse ulla potest cur male erga religionem animatos liceat anteponere.

Ex quo apparet quam sit magnum officium tueri consensum animorum, praesertim cum per hoc tempus tanta consiliorum calliditate christianum oppugnetur nomen. Quotquot diligenter studuerint Ecclesiae adhaerescere, quae est *columna et firmamentum veritatis* (1)

(1) I. Timoth. III, 15.

facile cavebunt magistros *mendaces... libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis* (1): quin imo ipsius Ecclesiae virtutis participes futuri, insidias sapientia vincent, vim fortitudine. — Non est hujus loci exquirere, nunquid, et quantum ad novas res contulerit opera segnior atque intestina discordia catholicorum: sed certe erant homines nequam minus habituri audaciae, nec tantas edituri ruinas, si robustior in plurimorum animis viguisset fides, quae *per caritatem operatur* (2), neque tam late morum christianorum tradita nobis divinitus disciplina concidisset. Utinam praeteritae res hoc pariant, recordando, commodi, rectius sapere in posterum.

Verum ad negotia publica accessuris duo sunt magnopere vitia fugienda, quorum alterum prudentiae nomen usurpat, alterum in temeritate versatur. — Quidam enim potenti pollentique improbitati aperte resistere negant oportere, ne forte hostiles animos certamen exasperet. Isti quidem pro Ecclesia stent, an contra, incertum: quandoquidem profiteri se doctrinam catholicam affirmant, sed tamen vellent, certas ab eâ discrepantes opiniones impune propagari posse Ecclesia sineret. Ferunt dolenter interitum fidei demutationemque morum: nihil tamen de remedio laborant, vel etiam nimiâ indulgentia aut perniciosa quadam simulatione non raro malum augent. Iidem de sua in apostolicam Sedem voluntate nemini volunt esse dubium: sed habent semper aliquid, quod pontifici succenseant. Istiusmodi hominum prudentia ex eo est genere, quod a Paulo Apostolo *sapientia carnis* et *mors* animi appellatur, quia nec subest legi divinae, nec potest subesse (3). Nihil autem minus est ad mala minuenda providum. Inimicis enim, quod praedicare et in quo gloriari multi eorum non dubitant, hoc est omnino propositum, religionem catholicam, quae vera sola est, funditus, si fieri posset, extinguere. Tali autem consilio nihil non audent: sentiunt enim, quo magis fuerit aliorum tremefacta virtus, eo sibi expeditiorem fore malarum rerum facultatem. Itaque qui adamant *prudentiam carnis*, ac ne-

(1) II. Petr. II, 1, 19.
(2) Galat. v, 6.
(3) *Sapientia carnis inimica est* Deo: *legi enim* Dei *non est subjecta; nec enim potest.* Rom. VIII, 6, 7.

scire se simulant, christianum quemque debere bonum militem CHRISTI esse: qui debita victoribus praemia consequi mollissimâ viâ atque intacti a certamine volunt, ii tantum abest ut iter malorum intercipiant, ut potius expediant.

Contra non pauci fallaci studio permoti, aut, quod magis esset vitio, aliud agentes, aliud simulantes, non suas sibi partes assumunt. Res in Ecclesia geri suo ipsorum judicio atque arbitratu vellent usque eo, ut omne quod secus agitur, moleste ferant, aut repugnanter accipiant. Hi quidem inani contentione laborant, nihilo minus, quam alteri, reprehendendi. Hoc enim est non sequi potestatem legitimam, sed praevertere, simulque magistratuum munia ad privatos rapere, magna cum perturbatione ordinis, quem DEUS in Ecclesia sua perpetuo servandum constituit, nec sinit a quoquam impune violari. — Illi optime, qui descendere in certamen, quotiescumque est opus, non recusant, hoc rato persuasoque, interituram vim injustam, sanctitatique juris et religionis aliquando cessuram. Qui videntur sane dignum aliquid antiqua virtute suscipere, cum tueri religionem connituntur maxime adversus factionem audacissimam, christiano nomini exagitando natam, quae Pontificem maximum in suam redactum potestatem consectari hostiliter non desistit: sed obedientiae studium diligenter retinent, nihil aggredi injussu soliti. Jamvero quoniam similis obtemperandi voluntas, robusto animo constantiaeque conjuncta, christianis universis est necessaria, ut quoscumque casus tempus invexerit, *in nullo* sint *deficientes* (1), magnopere velimus in singulorum animis alte insidere eam, quam Paulus (2) *prudentiam spiritus* nominat. Haec enim in moderandis actionibus humanis sequitur optimam mediocritatis regulam, illud in homine efficiens, ne aut timide desperet propter ignaviam, aut nimis confidat propter temeritatem. — Est autem quod differat inter prudentiam politicam, quae ad bonum commune, et eam quae ad bonum cujusque privatim pertinet. Haec enim cernitur in hominibus privatis, qui consilio rectaeque rationi obediunt in gubernatione sui: illa vero in praepositis, maximeque in principibus, quorum muneris est cum

(1) Jac. I, 4.
(2) Rom. VIII, 6.

potestate praeesse: ita quidem ut politica privatorum prudentia in hoc videatur tota consistere, legitimae potestatis jussa fideliter exequi (1). Haec dispositio atque hic ordo tanto magis valere in christiana republica debet, quanto Pontificis politica prudentia plura complectitur: ejus enim est non solum regere Ecclesiam, sed generatim civium christianorum actiones ita ordinare, ut cum spe adipiscendae salutis aeternae apte congruant. Ex quo apparet, praeter summam sententiarum concordiam et factorum, necesse esse politicam potestatis ecclesiasticae observare in agendo sapientiam. Jamvero christianae rei administratio proxime et secundum Pontificem Romanum ad Episcopos pertinet: qui scilicet, quamquam pontificalis fastigium potestatis non attingunt, sunt tamen in ecclesiastica hierarchia veri principes; cumque singulas Ecclesias singuli administrent, sunt *quasi principales artifices.... in aedificio spirituali* (2), atque habent munerum adjutores, ac ministros consiliorum Clericos. Ad hanc Ecclesiae constitutionem, quam nemo mortalium mutare potest, actio est accommodanda vitae. Propterea quemadmodum Episcopis necessaria est cum Apostolica Sede in gerendo episcopatu conjunctio, ita clericosque oportet cum Episcopis suis conjunctissime vivere, agere. — Ipsorum quidem Antistitum utique potest esse aliquid aut minus laudabile in moribus, aut in sententiis non probabile: sed nemo privatus arroget sibi personam judicis, quam CHRISTUS Dominus illi imposuit uni, quem agnis atque ovibus praefecit. Memoria quisque teneat sapientissimam Gregorii magni sententiam: *Admonendi sunt subditi, ne*

(1) *Prudentia in ratione est; regere autem et gubernare proprie rationis est; et ideo unusquisque inquantum participat de regimine et gubernatione, intantum convenit sibi habere rationem et prudentiam. Manifestum est autem quod subditi, inquantum est subditus, et servi, inquantum est servus, non est regere et gubernare, sed magis regi et gubernari. Et ideo prudentia non est virtus servi, inquantum est servus, nec subditi, inquantum est subditus. Sed quia quilibet homo inquantum est rationalis, participat aliquid de regimine secundum arbitrium rationis, intantum convenit ei prudentiam habere. Unde manifestum est quod prudentia quidem in principe est ad modum artis architectonicae, ut dicitur in* VI Ethicorum: *in subditis autem ad modum artis manu operantis.* S. Thom. II II, q. XLVII, art. XII.

(2) S. Thom. *Quodlib.* I, art. XIV.

praepositorum suorum vitam temere judicent, si quid eos fortasse agere reprehensibiliter vident, ne unde mala recte redarguunt, inde per elationis impulsum in profundiora mergantur. Admonendi sunt, ne cum culpas praepositorum considerant, contra eos audaciores fiant, sed sic, si qua valde sunt eorum prava, apud semetipsos dijudicent, ut tamen divino timore constricti ferre sub eis jugum reverentiae non recusent... Facta quippe praepositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam cum recte reprehendenda judicantur (1).

Verumtamen parum sunt conata profutura, nisi ad virtutum christianarum disciplinam vita instituatur. — Illa est sacrarum litterarum de Judaeorum genere sententia: *Usque dum non peccarent in conspectu* Dei *sui, erant cum illis bona:* Deus *enim illorum odit iniquitatem... Cum recessissent a via, quam dederat illis* Deus, *ut ambularent in ea, exterminati sunt praeliis a multis nationibus* (2). Atqui inchoatam formam populi christiani gerebat Judaeorum natio: atque in veteribus eorum casibus saepe imago inerat veritatis futurae: nisi quod longe majoribus beneficiis auxit nos atque ornavit divina benignitas, ob eamque rem ingrati animi crimen multo efficit christianorum graviora delicta.

Ecclesia quidem nullo tempore nulloque modo deseritur a Deo: quare nihil est, quod sibi ab hominum scelere metuat: at vero degenerantibus a christiana virtute nationibus non eadem potest esse securitas. *Miseros* enim *facit populos peccatum* (3). — Cujus vim veritatemque sententiae si omnis retro experta est aetas, quid est caussae quamobrem nostra non experiatur? Imo debitas jam instare poenas, permulta declarant, idemque status ipse confirmat civitatum; quarum plures videlicet intestinis malis attritas, nullam ab omni parte tutam videmus. Quod si improborum factiones institutum iter audacter perrexerint: si evenerit iis ut, quemadmodum grassantur malis artibus et pejore proposito, sic opibus potentiaque invalescant, metuendum sane ne totas civitates a fundamentis, quae posuit natura, convellant. — Neque vero prohiberi tantae formidines sola hominum ope possunt, praesertim quia multitudo ingens, fide christiana rejecta, justas superbiae poenas in hoc luit, quod veritatem obcaecata cupiditatibus frustra conquirit, falsa pro veris amplexatur, sibique videtur sapere cum vocat *malum bonum, et bonum malum,* ponens *tenebras lucem, et lucem tenebras* (1). Igitur Deus intersit, ac benignitatis suae memor civilem hominum societatem respiciat necesse est. Quamobrem, quod vehementer alias hortati sumus, singulari studio constantiaque enitendum, ut clementia divina obsecratione humili exoretur, virtutesque, quibus efficitur vita christiana, revocentur, — Imprimis autem excitanda ac tuenda caritas est, quae praecipuum vitae christianae firmamentum continet, et sine qua aut nullae omnino sunt, aut fructu vacuae virtutes. Idcirco beatus Paulus Colossenses adhortatus, ut vitium omne defugerent, variamque virtutum laudem consectarentur, illud subjicit, *super omnia autem haec caritatem habete, quod est vinculum perfectionis* (2). Vere vinculum est perfectionis caritas, quia quos complexa est, cum Deo ipso intime conjungit, perficitque ut vitam animae hauriant a Deo, cum Deo agant, ad Deum referant. Debet vero caritas Dei cum caritate proximorum consociari, quia infinitam Dei bonitatem homines participant, ejusque gerunt in se expressam imaginem atque formam. *Hoc mandatum habemus a* Deo, *ut qui diligit* Deum, *diligat et fratrem suum* (3). *Si quis dixerit, quoniam diligo* Deum, *et fratrem suum oderit, mendax est* (4). Atque hoc de caritate mandatum divinus ejus lator *novum* nominavit, non quod diligere homines inter se non aliqua jam lex, aut ipsa natura jussisset, sed quia christianum hoc diligendi plane novum erat atque in omni memoria inauditum genus. Qua enim caritate Jesus Christus et diligitur a Patre suo et homines ipse diligit, eamdem impetravit alumnis ac sectatoribus suis, ut cor unum et anima una esse in ipso possent, sicut ipse et Pater unum natura sunt. Hujus vis praecepti nemo ignorat quam alte in christianorum pectus a principio descenderit, et quales quantosque concordiae, benevolentiae mutuae, pietatis, pa-

(1) Reg. Pastor P. III, Cap. IV.
(2) Judith. V, 21, 22.
(3) Proverb. XIV, 34.

(1) Isai. V, 20.
(2) Coloss. III, 14.
(3) 1. Ioan. IV, 21.
(4) ib. 20.

tientiae, fortitudinis fructus attulerit. Quidni opera detur exemplis majorum imitandis? Tempora ipsa non exiguos admovent ad caritatem stimulos. Renovantibus impiis adversus Jesum Christum odia, instauranda christianis pietas est, magnarumque rerum effectrix renovanda caritas. Quiescant igitur, si qua sunt, dissidia: sileant certationes illae quidem, quae vires dimicantium dissipant, nec ullo modo religioni prosunt: colligatisque fide mentibus, caritate voluntatibus, in Dei atque hominum amore, ut aequum est, vita degatur.

Locus admonet hortari nominatim patresfamilias, ut his praeceptis et domos gubernare studeant, et liberos mature instituere. Initia reipublicae familia complectitur, magnamque partem alitur intra domesticos parietes fortuna civitatum. Idcirco qui has divellere ab institutis christianis volunt, consilia a stirpe exorsi, corrumpere societatem domesticam maturant. A quo eos scelere nec cogitatio deterret, id quidem nequaquam fieri sine summa parentum injuria posse: natura enim parentes habent jus suum instituendi, quos procrearint, hoc adjuncto officio, ut cum fine, cujus gratia sobolem Dei beneficio susceperunt, ipsa educatio conveniat et doctrina puerilis. Igitur parentibus est necessarium eniti et contendere, ut omnem in hoc genere propulsent injuriam, omninoque pervincant ut sua in potestate sit educere liberos, uti par est, more christiano, maximeque prohibere scholis iis, a quibus periculum est ne malum venenum imbibant impietatis. Cum de fingenda probe adolescentia agitur, nulla opera potest nec labor suscipi tantus, quin etiam sint suscipienda majora. In quo sane digni omnium admiratione sunt catholici ex variis gentibus complures, qui suas erudiendis pueris scholas magno sumptu, majore constantia paravere. Aemulari salutare exemplum, ubicumque postulare videantur tempora, decet: sed positum sit imprimis, omnino in puerorum animis plurimum institutionem domesticam posse. Si adolescens aetas disciplinam vitae probam, virtutumque christianarum tamquam palaestram domi repererit, magnum praesidium habitura salus est civitatum.

Attigisse jam videmur, quas maxime res hoc tempore sequi, quas fugere catholici homines debeant. — Reliquum est, idque vestrarum est partium, Venerabiles Fratres, curare ut vox Nostra quacumque pervadat, omnesque intelligant quanti referat ea, quae his litteris persecuti sumus, reipsa efficere. Horum officiorum non potest molesta et gravis esse custodia, quia jugum Jesu Christi suave est, et onus ejus leve. — Si quid tamen difficilius factu videatur, dabitis auctoritate exemploque operam, ut acrius quisque intendat invictumque praestet a difficultatibus animum. Ostendite, quod saepius ipsi monuimus, in periculo esse praestantissima, ac summe expetenda bona: pro quorum conservatione omnes esse patibiles labores putandos; ipsisque laboribus tantam remunerationem fore, quantam christiane acta vita maximam parit. Alioqui propugnare pro Christo nolle, oppugnare est; ipse autem testatur (1), negaturum se coram Patre suo in caelis, quotquot ipsum coram hominibus profiteri in terris recusarint. — Ad Nos quod attinet, vosque universos, numquam profecto, dum vita suppetat, commissuri sumus, ut auctoritas, consilium, opera Nostra quoquo modo in certamine desideretur. Neque est dubium, cum gregi, tum pastoribus singularem Dei opem, quoad debellatum erit, adfuturam.

Qua erecti fiducia, caelestium munerum auspicem, benevolentiaeque Nostrae tamquam pignus Vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque universo, quibus singulis praeestis, apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die X Januarii Anno MDCCCLXXXX, Pontificatus Nostri duodecimo.

LEO PP. XIII.

—

S. R. UNIVERSALIS INQUISITIO

Ad omnes archiepiscopos, episcopos et locorum ordinarios catholici orbis.

Apostolicae potestatis et benignitatis curas ad se vocavit, conditio et genus morbi, qui hoc tempore non Europam modo, sed alias Orbis regiones late pervasit. Hoc enim grassante malo permotus Sanctissimus Dominus

(1) Luc. IX, 26.

Leo XIII, pro summo studio quod gerit, ut non solum in iis quae animi sunt, sed in iis etiam quae sunt corporis bono Fidelium consulat, Suae sollicitudinis esse putavit, ea praesidia quae in sua potestate sunt conferre Fidelibus, quae corporis vitaeque incolumitati adversus morbi vim dominantis prodesse posse visa sunt. Quamobrem ministerio Sacri Consilii Supremae Romanae Universalis Inquisitionis utens, omnibus Archiepiscopis, Episcopis et locorum Ordinariis Catholici Orbis, cunctis in regionibus qua morbus de quo supra dictum est, incubuit, Apostolica auctoritate facultatem impertit, ut Fideles queis praesunt a lege solvant qua abstinentiam et jejunium servare tenentur, donec iisdem in locis ipsorum judicio, hanc Apostolicam indulgentiam publicae valetudinis ratio et conditio requirat. Optat autem Sanctitas Sua, ut dum Fideles Apostolica hac benignitate utuntur, studeant impensius piis vacare operibus, quae ad divinam clementiam demerendam valent. Quapropter eos hortatur, ut sublevandis caritate egenis, celebrandis ad preces et sacra officia templis, frequentique sacramentorum usui ad Deum exorandum placandumque studiose dent operam, cum aperte pateat crebra quibus affligimur mala, ad divinam iustitiam esse referenda, quae ob corruptos mores et late exundantem flagitiorum colluviem justas poenas ab hominibus expetit.

Romae, die 30 Januarii Anno 1890.

R. Card. Monaco.

—

EX S. R. CONGREG.

De festo S. Coletae ad ritum I cl. evecto pro Monasterio Paray-le-Monial Sanctimonialium Ordinis Sanctae Clarae.

Sanctimoniales Ordinis Sanctae Clarae, in Monasterio loci *Paray-le-Monial* commorantes, intra fines Augustodunen. Dioeceseos, Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII enixis precibus rogarunt, ut quemadmodum nonnullis ejusdem Ordinis Asceteriis indultum est, Festum Sanctae Coletae Virginis ad ritum Duplicis primae Classis etiam pro suo Monasterio elevare dignaretur. Sanctitas porro Sua, has preces ab infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario relatas peramanter excipiens, petitam ritus elevationem benigne indulgere dignata est: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 22 Januarii 1890.

† Caj. Card. Aloisi, *Praef.*
Vinc. Nussi, *Secret.*

II.

ACTA ORDINIS

—

CAPITULA PROVINCIALIA

hoc anno celebrata.

I.

Obs. Provincia S. Angeli in Apulia.

In Congressu Rmi Definitorii Glis Ordinis, habito Romae die 16 mensis Januarii nuper elapsi, electi sunt Superiores Obs. Provinciae S. Angeli in Apulia, ut sequitur:

Minister Provincialis

Adm. R. P. Alphonsus a Casalinovo, confirmatus.

Custos

Adm. R. P. Romualdus a Casalinovo.

Definitores

R. P. Josephus Andreas a Vulturino.
R. P. Michael Maria a S. Marco in Lamis.
R. P. Antonius a Foggia.
R. P. Vincentius a S. Marco in Lamis.

—

II.

COMMISSARIUS GENERALIS
REIP. ARGENTINAE.

In Congressu Revmi Definitorii Generalis Ordinis, habito Romae die 16 mensis Januarii anni currentis, Rev. Pater Fr. Quiricus Porreca a Pescoconstantio, Sacerdos professus Nostrae Reformatae Provinciae S. Bernardini in Aprutiis, ex-Guardianus Apostolici Collegii Missionum de *Rio Cuarto,* rite electus

fuit Commissarius Generalis in Republica Argentina, loco Rev. Patris Fr. Salvatoris Mazza, qui in hoc officio sexennium laudabiliter explevit.

III.

MISSIONES

—

MONITUM

Quum in lucem prodierit nova ephemeris: « *La Palestina e le rimanenti Missioni Francescane in tutta la terra, Cronaca compilata dai PP. Marcellino da Civezza e Teofilo Domenichelli, in varie lingue* » in qua de diversis Ordinis nostri Missionibus speciali modo disseritur, *Acta Ordinis* nonnisi summatim in posterum referent documenta ad easdem Missiones spectantia.

Nostratibus igitur praelaudatam Ephemeridem iterum commendamus. Pro associatione scribi potest Curiae Generalitiae, vel A. R. P. Marcellino a Civetia, *Collegio S. Antonio, via Merulana 124*, ROMA.

—

IMPERIUM SINENSE

Vicariatus Apostolici HU-PÈ *Occiduo-Septentrionalis, anno Domini 1888-89, Status Animarum et Administratio spiritualis.*

Christiani in Catalogo descripti		7,061
Christianitates seu Missiones		99
Ecclesiae et Sacella Vicariatus		29
Missionarii	Europaei (et 1 frater laicus)	7
	Sinenses	11
Praedicationes	ad fideles	2,192
	ad infideles	2,072
Baptizati	adulti	309
	fidelium infantes	241
Confessiones	annuales	4,066
	devotionis	12,467
Communiones	annuales	3,601
	devotionis	16,544
Confirmationes		92
Matrimonia benedicta		61
Extremae Unctiones		144
Vita functi		285
Alumni	Seminarii	11
	Collegii	14
	Scholarum	506
Operis S. Infantiae.		
Medici baptizatores		92
Infidelium infantes	Baptizati hoc in anno	5,970
	Collecti, in toto anno, Simul	161
	Aliti, hoc in anno, totaliter	270
	Mortui hoc in anno	4,122
Orphanotrophia puellarum	Sorores indigenae III. Ord. S. Franc. (magistrae)	20
	Puellae in Orphanotrophiis	118
	Vetulae paganae hoc in anno collectae	6
	Vetulae paganae superstites ex anno praeterito	8
	Mulieres inservientes	7
	Puellae apud nutrices	88
Orphanotrophium puerorum	Pueri	28
	Magister	1
	Inservientes	2
Ex Orphan. egressi hoc in anno	Pueri adoptati	8
	Pueri sibi providentes	12

Kia-uien-kou, die 16 Augusti 1889.

† Fr. EZECHIAS BANCI, *Vic: Ap.*

IV.

BIBLIOGRAPHIA

—

CAPITULUM GENERALE totius Ordinis Fratrum Minorum S. P. N. Francisci, Romae in Ven. Collegio S. Antonii Patavini die 3 Octobris 1889 celebratum, Eminentissimo Domino S. R. E. Cardinali, titulo S. Petri in Vinculis, S. Congregationis de Propaganda Fide Praefecto, Joanne Simeoni, Seraphici

Ordinis Protectore amplissimo Praesidente. Ad Claras Aquas (Quaracchi) prope Florentiam, ex typographia Collegii S. Bonaventurae 1890. In 16. pag. 93.

Anselmus P. Zchetbauer, Obs. Prov. S. Joannis Capistrani. — Kurzgefasste Geschichte des Klosters und der Wallfahrtskirche zu Maria Heil der Kranken in Maria Enzersdorf Wien 1889. Brevis historia conventus et ecclesiae sanctae Mariae « Salus infirmorum » dictae Enzersdorfensis et Viennae.

Basilio (P.) da Greccio M. O. — 1.° Orazione funebre, letta nella Chiesa del Collegio di S. Antonio in via Merulana, il 12 ottobre 1889, celebrandosi il Generale Capitolo. — Quaracchi, presso Firenze, tip. del Collegio di S. Bonaventura, 1890. In 16. pag. 32.

2.° Memorie di alcuni Religiosi Francescani, che si distinsero per dottrina, virtù ecc. morti dal Capitolo Generale 1862 al Capitolo Generale 3 Ottobre 1889. Quaracchi, 1890. In-16, pag. 33.

Franciscus (P.) de Blasi, M. O. — Series Praelatorum, qui Provincialatus vel Vicariatus ministerio in alma Provincia Vallis Mazzariae functi sunt. — Ad Claras Aquas, ex typ. Collegii S. Bonaventurae, 1890. In 16, pag. 15.

Ex fasc. I. *Acta Ordinis,* an. IX, 1890.

Henricus (P.) a Grèzes, Min. Cap. — Saint Vernier d'Oberwésel (Verny, Werner, Garnier), Martyr, Patron des Vignerons en Auvergne, en Bourgogne et en Franche-Comté. Sa vie, son martyre et son culte: par le R. P. Henri de Grèzes, des FF. MM. Capucins. Avec approbation de Mgr. l'Evêque de Clermont. — Clermont Ferrand: Léon Brustel, rue Pascal 19; Bellet, Avenue centrale 4. 1889. Pag. LIV-204.

P. Joannes Roche, Rec. Prov. Hiberniae. — A short explanation of the Rosary of the B. V. Mary, translated from the Italian by Father John. I. Roche O. S. F. Dublin, James Duffy and. Co. (pag. 62).

Josephus Savor, parochus Veliko-Bukovacensis in Croatia edidit: Zivot sv. Franje Serafinskoga et Zagrebu 1889. (Vita s. Francisci Seraphici. Zagrabiae).

La Palestina e le rimanenti Missioni francescane in tutta la terra: Cronaca compilata dai Padri Marcellino da Civezza e Teofilo Domenichelli in varie lingue. Anno I, dall' interruzione del 1866. Roma, tip. Artigianelli di S. Giuseppe, 1890; pag. 63

Hujus ephemeridis quam annuntiavimus associationis pretium est L. 10 pro anno.

Massaja (E.mus Card. Gulielmus). Min. Cap. — I miei trentacinque anni di Missione nell' Alta Etiopia, Memorie storiche di Fra Guglielmo Massaja, Cappuccino, già Vicario Apostolico dei Galla, Cardinale del titolo di S. Vitale: illustrate da incisioni e carte geografiche. Volume settimo. — Roma: Tipografia Poliglotta di Propaganda Fide. Milano: Tip. Pontif. S. Giuseppe, via S. Calocero, n. 9. 1889. Pag. 227. — Prezzo: Lire 12.

P. Simplicianus a Nativitate, Min. Alc. — Vita dell' apostolo San Giuda Taddeo, speciale patrono nelle umane sventure, scritta a sollievo degli afflitti, dal P. F. Simpliciano della Natività, dei Minori Alcantarini della Provincia di Napoli. Terza edizione, corretta e migliorata. Napoli, Alfonso Cristarelli editore. 1889. In-16. Pag. 227. (Prezzo L. 2).

V.

NECROLOGIA

—

Die 1 Januarii anni currentis in Collegio S. Caroli, civitatis S. Laurentii, reipublicae Argentinae Americae ~~australis~~ meridionalis, pie in Domino obiit, omnibus moribundorum sacramentis confortatus: P. Aloysius Reverti, Observantis Provinciae Marchiae filius.

Defunctus, primum 23 Februarii anni mox praeteriti memorato collegio Missionis nostrae adscriptus, per breve apostolatus sui tempus piissimi sacerdotis, optimi religiosi, et missio-

narii Dei gloriam et animarum salutem admodum zelantis specimen dedit studiose laborando tum in hospitali civitatis S. Rosarii, cum in oppidis et coloniis, quo per obedientiam mittebatur.

R. I. P.

Adm. R. P. Andreas, in saeculo Joannes Karačić, Lector Jubilatus, Provicarius Bosnae Argentinae, ex Custos Provincialis Hercegovinae, Sacerdos Jubilaris, in pago Cruač districtu Mostariensi, catholicis piisque parentibus ortus die 17 Martii 1807 pueritiam domi transegit ad annum usque 1819 sub optima cura suorum parentum, quo anno relictis paternis laribus ad Franciscales Kresévium se contulit, ibique sub paterna disciplina Patrum Franciscanorum edoctus litteras humaniores et linguam latinam ingenti gaudio seraphicum induit habitum die 9 Martii 1823 ac sequenti anno inenarrabili laetitia eodem die, menseve solemni peracta professione, Almae Bosnensis Provinciae filius evasit. Eodem anno missus fuit in Italiam studiorum causa et in Provincia Observantium Principatus Regni Neapolis; egregie studiis philosophicis theologicisque operam navavit. Emenso studiorum curriculo die 19 Septembris 1829 ordinatus sacerdos fuit.

Dein praevio cum honore philosophiae ac theologiae cursu Lector factus; tredecim annis apprime unam alteramve docuit facultatem felici successu et cum magno auditorum profectu. Declaratus Jubilatus, in eadem Provincia Guardiani aliquo tempore et triennio Definitoris munere laudabiliter functus est: eodem tempore sustinuit onus Examinatoris synodalis in Dioecesi Tricarensi, maximo cum decore.

Anno 1847 facta divisione Vicariatus Apostolici Hercegovinae ab illo Bosnae et immortalis memoriae Illmo Dno Fr. Raphaele Barisić recedente in Hercegovinam: Sacra Congregatio de Propaganda Fide, inito consilio cum Rmo P. Ministro Generali, P. Andream misit in Bosnam qua Provicarium Apostolicum. Quod munus laudabiliter septem annis gessit. Singulis enim annis canonicam faciebat Visitationem, Confirmationis Sacramentum administrabat, verbum Dei fideli populo in omni patientia et doctrina praedicabat et forma gregis factus Parochis, populoque bono exemplo semper praeibat. Electo vero Vicario Apostolico Bosnae alio Patre, noster P. Andreas rediit in Patriam, suam Custodiam, et quamvis haberet facultatem a S. Congregatione et Rmo Ministro Generali sibi eligendi locum commorationis, propria electione, jam in gravi aetate et optime meritus, suscepit onerosum officium Magistri Novitiorum.

Ita humiliter associabat Novitios in chorum et refectorium cum illis recitans psalmum, « Miserere », quasi unus ex illis; ejus instructiones, paternae adhortationes, humanae admonitiones factae novitiis ita sunt illorum cordibus insitae ut nunquam obliviscerentur. Hoc tempore fuit Commissarius Visitator Generalis Hercegovinae, cui muneri perbelle satisfecit.

Obsequens voluntati suorum Superiorum, praesertim praefati felici recordatione digni Episcopi Barisić, factus fuit Parochus in Gradnići, quod officium exacte sustinuit continuis novem annis.

Demum electus fuit in Custodem Provincialem Hercegovinae. Terminato triennio, elegit habitare in Conventu de Sirokibrieg, quasi Novitii vitam semper ducens, donec anno 1887 die 8 Decembris cadens in medio cubiculi fregit crura et integro biennio excubavit in lecto, continuo praeseferens patientiam S. Job, solebat enim dicere: melius est aliquid pati in hoc mundo, quam poenas Purgatorii sustinere; et repetebat verba S. Pauli « Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam »: erat hilari facie et sperabat se moriturum in festo Dei Genitricis. Quod revera accidit: etenim devote sumptis omnibus Sacramentis morientium in festo Immaculatae Conceptionis B. V. M. die 8 Decembris pie in Domino quievit. Et hoc magna admiratione dignum est, duobus horis ante mortem ipse jussit accendi candelas et sibi afferri Crucifixum cui suavia oscula figens obdormivit in Domino in corona Fratrum. Defuncti Patris bonae memoriae mors totam Custodiam Hercegovinae moerore affecit. Universa nostra consolatio est, quod cum ipse religiosam exemplaremque vitam duxerit et religiose obierit, speramus illum jam bona Paradisi possidere. Ipse enim omnibus dedit exemplum religiosae vitae. Exem-

plum fuit juvenibus, quos trahebat suo exemplo, ut essent diligentes et obedientes: dedit exemplum Praeceptoribus, quos instruebat, qua diligentia debeant edocere juventutem: dedit normam Superioribus, ut paterne cum suis subditis procederent: fuit verum exemplar aegrotantium, siquidem in venerabili senectute, ita laeto animo infirmitatem sustinebat, ut semper hilari animo apparuerit, et tali reverentia erga Superiores ferebatur, ut summo decori duceret deosculari manus sui discipuli electi in Custodem Provincialem. Exemplum bonorum operum nobis reliquit.

R. I. P.

Die 12 Septembris anni 1889 in Conventu SS. Crucifixi, loci Baron, Valparaiso, reipublicae Chilenae, Americae australis, mortali vita pie defunctus est: P. Joannes Baptista Diaz, Ordinis nostri Sacerdos et Missionarius.

Die 5 Aprilis anni 1830, in paroecia de Achao, nobilibus ortus parentibus, qui emenso necessario scientiarum curriculo, 22 Aprilis anni 1845 seraphicum Ordinem in Collegio SS. Nominis Jesu ingressus est, et 14 Septembris 1846 vota solemnia Domino nuncupavit.

Quum esset vir perfectionis religiosae semper studiosissimus eam adeptus est mentis intelligentiam animique candorem, ut ab omnibus admodum aestimaretur. Hinc haud mirum quod domibus nostris per vices non modo praefuit, sed quod in Praelatis summi habendum est, etiam profuit. Partem Collegii Baron, incendio deletam, sollicita cura et ad praescripta majorum, reaedificavit; ecclesiam hospitio de Aneud contiguam erigi curavit.

Electus Commissarius Generalis Collegiorum de Propaganda Fide in Republica Chilena existentium, munus suum eo animo exercuit, qui aptus fuit Dei gloriam, regularem observantiam et fidelium salutem promovere, cujus rei luculenta testimonia sunt: sapientes in eum finem factae ab illo dispositiones. Provinciae SS. Trinitatis in eadem Republica fuit etiam Visitator. Ut verus S. P. N. Francisci filius humilitatis amantissimus, cum ob notas animi virtutes ei dignitas episcopalis offerretur, eam acceptare modeste recusavit.

Tandem apostolicis laboribus confectus, gravibusque morbis quasi absumptus, religiosus hic piissimus in osculo Domini in meliorem vitam discessit, uti supra narratum est.

R. I. P.

P. Josephus Rossi, observantis provinciae S. Hieronymi in Dalmatia exdefinitor, Jadrae in Conventu S. Francisci, die 5 Januarii anni currentis, animam suam pie Creatori reddidit.

Is Tergeste die 23 Aug. 1843 natus et adhuc puer in Conventum Jadrensem receptus, ejusdem civitatis publicum gymnasium frequentans, in litteris aeque ac moribus multum profecit. Anno 1857 Ordinem S. Francisci in praefata Provincia ingressus cetera studia terminavit; anno 1866 ad sacros ordines promotus, lector quoque in Conventu loci *Capo d' Istria* dicti nominatus fuit. Eminente vero in illo in primis artis pingendi amore, Superiores eum in Italiam miserunt, ut Romae, Venetiis, Mediolani in eadem arte se se exerceret; qui transcursis 15 annis, eam concipiendi et pingendi dexteritatem est assecutus, ut Senatus academiae Venetiarum relativum diploma emeruerit. Haud paucae imagines ab illo depictae habentur in Dalmatia, sed inter omnes eminet Mors S. Josephi in nostra ecclesia collegii S. Antonii Romae decursu annorum 1887-89 picta. Erat P. Josephus felicis ingenii vir, qui scientias artesque quasdam non modo facile, sed et rite sibi proprias reddere valuerat; hinc haud mirum, quod chimiae, photographiae, musices cantusque fuerit peritissimus; quae tamen omnia vel ad ornanda sacra loca vel ad augendas sacri ritus solemnitates apte applicari sciebat. Ob affabilitatem festivumque animum omnibus erat charus, Provinciae vero suae, cujusque bono fuit studiosissimus, mansit charissimus, cui pleuro-pulmonis, ut dictum, vitam ademit et cum patribus nostris in aeternitate conjunxit.

R. I. P.

Nihil obstat

Fr. Aloysius, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

PRIMA EPISTOLA ENCYCLICA

RMI P. MINISTRI GENERALIS

FR. ALOYSII DE PARMA

FR. ALOYSIUS DE PARMA
ORD. MIN. REGUL. OBSERVANTIAE
SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI
LECTOR JUBILATUS IN S. THEOLOGIA
PROVINCIAE BONONIAE JAM MINISTER
TOTIUS ORDINIS MINORUM
MINISTER GENERALIS
AC HUMILIS IN DOMINO SERVUS

Venerabilibus in Christo Patribus, Fratribus, Sororibusque dilectissimis, nostrae jurisdictioni subjectis, salutem, gratiam et consolationem a Deo Patre per Jesum Christum in Spiritu Sancto.

DEUS Optimus Maximus, cujus ineffabilis Providentia attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter (1), Nos, licet reluctantes, ad supremum universi Ordinis regimen adduxit. Vobis enim notum est in Generalibus Comitiis, hoc in Collegio die III. Octobris mox elapsi anni habitis, convenientibus undique ad suffragium jus habentibus, Nos mira eorumdem consensione et concordia in Generalem Ministrum esse electos. Quem inopinatum eventum, jam satis manifestum tum ephemeridibus, cum innumeris aliis mediis, vobis hisce Nostris encyclicis litteris annuntiamus. Nec siccis oculis annuntiamus! DEUS siquidem testis est, Nos ad tantum ministerium evectos, nimio timore ac tremore exterrefactos, considerata ex una parte gravitate oneris quod humeris Nostris imponebatur, ex alia vero Nostra insufficientia, totis viribus adlaborasse ut amaritudinis calix transiret a Nobis. At, num DEI possumus resistere voluntati (1)? Ea siquidem tum per admirabilem Capitularium consensum, cum per Summi Pontificis beneplacitum Nobis evidentissime patefacta, suprema totius Minoriticae familiae gubernacula Nobis commissa suscipere in nomine DOMINI debuimus, ac super Ipsum curam Nostram jactare; Ipse quidem Nos enutriet (2), idest cum Ipse infirma mundi eligat ut confundat fortia (3), Nobis utique dabit virtutem et gratiam digne exequendi partes officii ad quod Nos vocavit. Qua spe freti, voluntatem nostram Divinae subjicimus Voluntati, et alacres facti, vos charitate et prudentia regendos suscipimus, dilectissimi filii ac filiae Seraphici P. N. Francisci, qui in omnem terram diffusi, ubique adlaboratis sanctificationi vestrae et proximi.

En itaque ad vos Pater, Pastor ac Moderator! Utique, utique! Patris, Pastoris ac Moderatoris verbis vos alloqui pro prima vice, Nobis pergratum maximopere est! *Patris* equidem, qui portans filios suos, omnes aequali prosequitur amore, de omnibus et singulis curam habet sollicitam, omnium efficaciter ardenterque vult bonum et profectum, ac cuique intactum jus suum. *Pastoris,* qui oves sibi concreditas dirigit ad salutis pascua verbo et exemplo, devias si adsint ad ovile paternis vocibus reducit, omnesque a rapacitate luporum tuetur, etiam vitae suae sacrificio. *Moderatoris* demum, qui quaecumque utilia, quaecumque bona, quaecumque vera, quaecumque

(1) Sap. VIII. 1.

(1) Genes. L. 19.
(2) Ps. LIV. 23.
(3) I. Cor. I. 27.

pudica, quaecumque justa, quaecumque sancta, quaecumque amabilia... si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitat, haec sequitur, haec exequitur pro subditorum utilitate et emolumento (1). Pater, Pastor ac Moderator, per voluntatem DEI, grandis Franciscanae Familiae, totius Ordinis Minorum, qui per septem saecula refulsit in templo DEI, et maximo fuit adjumento Ecclesiae CHRISTI, luce doctrinae ac splendore virtutum! Et quomodo tam ingenti mandato digne satisfacere poterimus, Patris, Pastoris et Moderatoris qualitatum expertes? Quomodo aemulari tot viros gloriosos in generatione sua, qui in Generali Ministerio Nos praecesserunt, quique tanta nobis reliquerunt monimenta eorum sapientissimi et prudentissimi regiminis? Quomodo justis celebrare praeconiis eorum egregias virtutes, quibus venerandi fuere Pontificibus, Regibus, omnibusque? Ecquis congrue laudare poterit eorum in agendis dexteritatem, fortitudinem, sapientiam? ardorem in tuendis Franciscani Nostri Instituti juribus, in promovendis studiis, in zelanda regulari observantia et disciplina, in instituenda juventute, in enixe provehendis exteris Missionibus? Quis aeque dicet eorum in omnibus rectitudinem et justitiam? Tot tantisque Viris sanctitudine et omnigena doctrina praestantissimis nullum sane par elogium! Unde ne effusa haec oratio nostra evadat, atque ne immediati nostri praedecessoris, Rmi P. Bernardini a Porturomatino (cujus opera omnibus manifesta per se loquuntur, quemque Nos in diuturno suo Ministeriatu veluti Patrem reverentia et amore semper sumus prosecuti) modestiam offendamus, tum hujus, cum illorum gesta peculiaria silentio praeterire debemus. Ceterum Ordinis historia in acta retulit eorumdem benefacta et ausus, ideoque eorum memoria erit in aeterna benedictione.

Quid ergo? considerantes ex una parte parvitatem Nostram, ex alia vero, in iis qui Nos praecesserunt, tot heroica virtutum et operum exempla, cademus animis? minime hercle! Etenim cum Regio Psalte fidentes clamamus: « In DOMINO sperans, non infirmabor (2)..... sperantem autem in DOMINO misericordia circumdabit » (1). Cumque bonus sit DOMINUS sperantibus in Eum (2), ab Ipso Nos ea recepturos speramus, et lucis caelestis, et virilis fortitudinis, et supernae gratiae, quae necessaria sunt recto Ordinis regimini Nobis commisso. Hic autem nostra Patris, Pastoris ac Moderatoris sensa ad vos pro prima vice patefacientes, dignum et justum est, quod locum tenentes, licet immeriti, B. Francisci, nomine suo clamemus ad unumquemque vestrum Apostoli verba: « Imitatores mei estote, sicut et ego CHRISTI (3) ». Vos enim bene nostis, Fratres ac Filii in CHRISTO dilectissimi, Seraphicum Patriarchám a DEO fuisse electum, ut mortificationem JESU semper in corpore suo circumferens (4), vitam et apostolicos mores renovaret, beataque exordientis Ecclesiae tempora per ipsum reviviscerent, in quibus CHRISTI sectatores erant cor unum et anima una (5), omniaque in communi habentes, illud frigidum verbum « meum ac tuum » non agnoscebant. A DEO confortatus, benedictione Innocentii Papae III. suffultus, quot quantosque ubique retulerit sanctitatis fructus, historia nobis compertum est. Quos inter supereminet quidem perennitas vitae evangelicae ab Ipso restitutae, solideque firmatae in grandi pauperum familia, quae a XIII. saeculi initio ad haec usque tempora floruit hominibus sanctitate et sapientia venerandis, spectaculum enpropter factis mundo, angelis et hominibus (6)! Ingens utique familia, quae caelum civibus innumeris frequentavit, militanti Ecclesiae in terris Pastores dedit insignes, Doctores, Apostolos, societatique etiam magnos benefactores! Quorum vestigia sectari sane tenemur nos qui filiorum tanti Patris spe gloriamur! nos qui Ejusdem vitam vel a primis juventutis nostrae annis amavimus et cum gaudio cordis professi sumus! nos qui terrena spernentes, stulti facti sumus propter CHRISTUM (7)! Ipse enim auribus nostris continuo insonare facit citata verba apostolica « Imitatores mei estote, sicut et ego

(1) Philipp. IV. 8.
(1) Ps. 21. 1.

(1) Ps. 31. 10.
(2) Thren. 3.
(3) I. Corinth. IV. 16.
(4) II. Corinth. IV. 10.
(5) Act. IV. 32.
(6) I. Corinth. IV. 9.
(7) I. Corinth. IV. 10.

CHRISTI »: quemadmodum ego CHRISTUM pauperem, humilem, patientem perfecte sum secutus, ita et vos fideliter sectamini, qui estis filii mei charissimi. Vos quoque, quae mundi sunt abjicientes, optimamque partem idest caelestia amplexantes, ad haec aspirare tenemini, ad haec tendere, ad haec pervenire, ut Ego, in humilitate, in paupertate, in patientia, in mortificatione, unaque cum CHRISTO, proposito vobis gaudio, sustinentes crucem, confusione contempta (1). Quae ergo vovistis, DEO reddite: per semitas justitiae incedite, puram regulae observantiam prae. oculis habetote, claustralem disciplinam diligite, saeculum fugite, cara sit vobis solitudo. Mementote operum patrum, quae fecerunt iu generationibus suis, et accipietis gloriam magnam et nomen aeternum (2). Mementote, quod innumeri, e pusillo grege nostro Seraphico, fulgent quasi splendor firmamenti, et quasi stellae in perpetuas aeternitates (3), ob eorum egregia virtutum exempla ac miram sanctitatem; ideoque magni sunt, quia vitae apostolicae a Seraphico Patre Francisco restitutae fidi observatores. Vi igitur nostrae professionis, quanto magis erit in nobis zelus observantiae, tanto magis conversatio nostra, nostraque actio proficua erit Ecclesiae et societati, tantoque facilius sanctificationem nostram operabimur. Scimus utique, hodiedum nos odio esse mundo, qui nos ubique et omnimodis persequitur! scimus, tempora et mores esse mutata! At scimus quoque, mutata non esse jura et obligationes! juxta jura vivamus, obligationes nostras servemus, et tunc experiemur, tempora pro nobis non esse mutata! Etenim non tempora nos efformant, sed nos tempora efformamus: nonne aetas corrupta, illa in qua B. P. N. Franciscus, a DEO afflatus, restauravit vitam apostolicam, Ordinem instituens pauperum et humilium? et tamen omnium oculos ad se convertit, neglectas virtutes evangelicas pristinae restituit pulchritudini, faciem terrae immutavit, aetatemque illam fecit gloriosam hominum multitudine, qui tum doctrinae praestantia, cum sanctitatis splendore floruerunt. Redeamus ergo vita et moribus ad illa beata tempora, et DEUS erit nobiscum, quique sunt nobis ex adverso, nihil dicere de nobis habebunt. Opera nostra in medio populorum, ministerium verbi et magis bonum vitae nostrae exemplum, efficacia proculdubio erunt et salutaria. Si nos sancti erimus virtutum exercitio, et zelo regularis observantiae, sanctos quoque actione nostra populos efficiemus. Ad nos praesertim isti habent oculos et prout vident, faciunt: a natura enim sic sumus informati, quod (ait Salvianus) vivimus ab exemplo. Filius vitam conformat suam moribus patris, subditus principis, populus vero sacerdotis et maxime religiosi!

Vos itaque, Venerabiles Ministri, qui singulis Provinciis per orbem diffusis singuli praeestis, et quotquot estis Superiores, vos omni studio, omnique sollicitudine regularem observantiam, ubi viget, fovete, magis ac magis custodite: ubi autem vel neglecta, vel remissa est, eam omni nisu instaurate; adhuc dispersos religiosos, civilium perturbationum causa, ad claustra revocate, attendentes tamen quod vita instituatur vere Franciscana, ne dici possit de nobis et vobis « multiplicasti gentem, et non magnificasti laetitiam (1) ». Regularis observantia est fundamentum et conditio sine qua nulla et vana, ac (dicam etiam si mihi liceat) perniciosa evadit religiosorum societas. Nec ullus vos detineat praetextus a vita communi stabilienda: experientia siquidem nos edocet, ibi necessaria ad vitam religiosam non deesse, ubi magis florescit vita communis; imo, juxta verbum CHRISTI, ibi abundare et terrena, ubi horum minor est sollicitudo, et major cura adipiscendi caelestia, mediante agendi ratione, professioni nostrae plane conformi. Si judicium durissimum iis, qui praesunt, fiet (2), Nobis utique et vobis incumbit alacriter adlaborare, et invigilare attente, instare opportune et importune, obsecrare, increpare, arguere in omni patientia et doctrina, ut servato hoc puncto, salvo hoc vitae religiosae fundamento, solide restauretur ubique Seraphicus Noster Ordo, gens nostra non tantum littera sed spiritu multiplicetur, et ita glorificetur DOMINUS, magnificetur laetitia, exultet Ecclesia, gaudeatque societas.

(1) Hebr. XII. 2.
(2) I. Machab. II. 51.
(3) Dan. XII. 3.

(1) Is. IX. 3.
(2) Sap. VI. 6.

Haecque vobis maximo ardore commendantes, ut Nostrum exigit officium, corroborare Nobis liceat auctoritate Summi Pontificis, Leonis XIII. Ipse enim pro sua dignatione et benignitate, die VII proxime praeteriti Octobris, Nobis, omnibusque Capitularibus audientiam concedens, verbis dulcissimis et paterno affectu plenis Nostram confortavit exiguitatem, Nostramque sublevavit dejectionem. Ad suscipiendum autem et laeto animo portandum onus Ministeriatus pro amore Dei et Beati Francisci exhortans efficaci sermone, exclamavit: « In Deo fide, carissime, spiritum habe Seraphici Patris, adlabora viriliter, ut quotquot sunt tibi filii ac subjecti ambulent viam propriae vocationis, sequantur adamussim regulam quam sunt professi, sint pauperes et humiles, et tunc pax erit super vos, et misericordia Dei: Franciscus in vobis et per vos gignet iterum in medio populorum innumerabiles ac pretiosos sanctificationis et salutis fructus, quos ipse tulit saeculo XIII., ejusque perfecti sectatores sequentibus temporibus: iterum habebimus et Crispinum, et Paschalem Baylon, et Petrum de Alcantara, ceterosque Sanctos, magno animarum lucro Urbis et Orbis ». Audistis, Fratres ac Filii in Christo dilectissimi, verba Sanctissimi Jesu in terris Vicarii? Ea corde retinete, factis autem executioni mandate, et tunc laus erit unicuique vestrum a Deo et hominibus.

Cum autem Beatus Franciscus, non sibi soli vivere, sed aliis proficere voluerit Dei zelo ductus, hinc se et suos dicavit animarum saluti: unde Ordo noster natura sua et origine *Missionarius* est. Missiones apud exteras gentes praesertim, apud infideles, barbaros, schismaticos, haereticos, gloria maxima et decus fuerunt nostri Franciscani Instituti, quas inter sane eminet illa Terrae Sanctae, vel ab ipso Sancto Institutore fundata, quaeque sanguine purpurata, inclytos Martyres fidei dedit triumphanti ac militanti Ecclesiae. Quot quantasque palmas collegerint, quot quantosque fructus protulerint in Missionibus per sena saecula Patres nostri, quot quantosque Christo filios genuerint, historia enarrat; Nosque nequimus in hac brevi oratione vel leviter attingere: voluminum moles ad id requireretur! Centies, milliesque e Franciscalibus prodierunt Apostoli, qui zelo fidei ducti reliquerunt omnia, et in longinqua abierunt, ac barbaras oras petierunt, ad pacem annuntiandam juxta illud Seraphici Patris: « Eja, filii mei carissimi, diffundimini per orbem, et pacem annuntiate ».

Hodie quoque vel in dissitis regionibus, inter gentes immansuetas, ac in medio populorum acatholicorum adlaborant alacri animo Franciscales innumeri. At messis multa, operarii vero pauci! unde Religiosorum defectu, qui fere ubique deploratur ob temporum injuriam, jam variae Missiones a nostris fundatae et olim florentes derelictae sunt, aliisque Ordinibus vel Congregationibus concessae; et adest periculum, quod aliae etiam derelinqui debeant, quoties a nobis non provideatur. Undique preces supplicationesque ad Nos perveniunt, quibus instantissime petuntur operarii in vinea Domini, quae floresceret et fructificaret, si adessent qui plantarent. Sed quid Nos valemus in tanta Fratrum penuria? Quos illuc mittere?.... Audite vos, Provinciarum Praesides, audite vocem Patris vestri, clamantis et exorantis! Mementote Missionum quae languent! senio et labore decedunt antiqui apostoli, et nemo vel pauci substituuntur! quid erit? Ergo si qui sunt juvenes in Provinciis vestris, qui virtute et doctrina praediti, vocantur ad Missiones, nolite prohibere eos; imo eos ad tantum opus cohortantes, animos addite, et laetanter sinite eos abire. Quemadmodum enim cordi est Nobis gloriosas Ordinis traditiones continuare, ita et vobis debet esse.

Et nunc ad aliud transire debemus argumentum: scientiarum scilicet et litterarum studiis quantum possumus providere debemus. Ardenter cupimus quod florescant, et juvenes nostri imbuantur sana et solida doctrina, qua falsos sapientes valeant redarguere, erroresque hujus aetatis multiformes confringere: insuper quod litterarum cultu ornati sint, ut veritas debita forma vestita, pulchritudine sua fulgeat mentibus adversariorum. Nostrum erit et Rmi Definitorii Generalis statuere quae ad hunc finem adipiscendum necessaria sunt, ut hoc Collegium tandem aliquando scientiarum et litterarum palaestrae aperiatur pro alumnis omnium Provinciarum Ordinis. Interim cum Nostrum officium exigat, ut Lectoribus non pauca studia provideamus, hinc Concursum

Generalem tum Theologiae et Philosophiae, cum Sacrae Eloquentiae, Mathesis ac litterarum indicimus, post Festum S. P. N. Francisci currentis anni habendum, seorsim pro Observantibus, et pro Reformatis, in Coenobiis a Nobis tempore suo designandis. Quo in Concursu regulae servabuntur quae habentur *in Statutis Generalibus totius Ordinis Minorum Studiis regendis* a Pio PP. IX. I. Octobris 1858 approbatis, § IV. num. 322. et seqq. Quae testimonia scripto exarata, inibi requisita, ut quis admitti queat ad praefatum Concursum, per Ministros Provinciales mittantur ad hanc Curiam Generalitiam infra mensem Augusti. Meminerint autem Provinciarum Ministri, Lectorum institutionem maximi esse momenti, et ideo maxima opus esse attentione et circumspectione, ne ad magisterium perveniant vel indocti, vel indevoti. Illi juvenum mentes imbuere solida doctrina nequeunt, nec scientias eos edocere; isti autem quomodo corda educare, eisque devotionis spiritum, et virtutum amorem infundere valebunt? Illorum culpa haberet Ordo ignorantes, istorum vero effraenes, maximo ejus dedecori et detrimento. Sint ergo ad Lectoratum promovendi scientia praediti et virtute, spirituque vere seraphico pleni. Nosque, plurimi habentes rectam juventutis institutionem, e qua Ordinis universi bonum et prosperitas pendet, haec prae oculis habebimus in admittendis ad concursum: Ministri autem Provinciales faciles non sint in relaxandis testimonialibus concurrere volentibus, sed iis tantummodo ea concedant qui vere digni sunt. Idque respective commendamus et Studiorum Praefectis, et Guardianis atque Discretis.

Cumque in longum protrahere hanc Nostram encyclicam epistolam nequeamus, ne patientia vestra abutamur, rem magni momenti vobis omnibus totis viribus commendare debemus — *bonum exemplum in medio populorum in quibus vivimus.* — Videant isti opera vestra bona, et glorificent Patrem qui in caelis est (1). Magis movent exempla quam verba, unde legitur de D. N. JESU CHRISTO, quod *coepit facere et docere* (2). Et B. P. N. Franciscus, ejusdem CHRISTI fidelis sectator, voluit Ordinem suum in lucem gentium, et Fratres suos vitae sanctitate praeclaros, ut facto conculcantes quae in mundo est, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, et superbiam vitae (1), animas DEO lucrifacerent. Ipse revera, mandato accepto a Summo Pontifice, verbum veritatis annuntiavit populis, qui eum turmatim sequebantur compuncti corde, admirantes ejus caeleste eloquium, sed magis ejus vitae exemplum. In Francisco humili, paupere, patiente, semetipsum abnegante, CHRISTUM videbant, et ad CHRISTUM convertebantur, reformantes mores suos, et vitam evangelicis praeceptis conformantes. Unde per mira exempla Beati Francisci, ejusque sectatorum, aetas refloruit apostolica, et ubique diffusus bonus odor CHRISTI. Quae tunc mirabilia in Ecclesia et in Societate operatum est Sancti Patriarchae exemplum, quare sancta vita nostra non operabitur hodie in medio populorum in quo vivimus? nonne eosdem effectus producit semper eadem causa? arbor, si permanet bona, nonne bonos aeque fructus gignit? Sectemur ergo fideliter vestigia Patris nostri, servemus quae promisimus, fugiamus saeculum, amemus solitudinem, in omnibus nosmetipsos praebeamus exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum irreprehensibile, et tunc ii qui ex adverso sunt, verebuntur, nihil habentes malum dicere de nobis (2). Studeamus, uno verbo, esse omnibus in exemplum dictis et factis, doctrina et virtute. Idque sane perficietur a nobis, ut graviter tenemur, si ob oculos habebimus semper illud documentum quod in lib. I. cap. XIX. de Imitatione CHRISTI, praebetur omnibus religiosis: « Numquam sis ex toto otiosus, sed aut legens, aut scribens, aut orans, aut meditans, aut aliquid utilitatis pro communi laborans ». Intellexistis, Fratres ac Filii in CHRISTO carissimi? Haec agite, et DEUS erit vobiscum.

Et nunc ad vos etiam, o Sanctimoniales quotquot estis, quae nomen habentes vel a Sancta Matre Clara, vel a Sancta Elisabeth, sub vexillo seraphico militatis. Vos equidem, quae optimam partem elegistis sequentes Agnum Immaculatum quocumque ierit, Eique dicantes viridissimo flore puellae omnia vestra, vosque

(1) Matth. V. 16.
(2) Act. I. 1.

(1) I. Io. II. 16.
(2) Ad Tit. II. 7. 8.

ipsas, quaeque nullum, praeter Jesum et hunc Crucifixum, amatorem admisistis, vos, inquam, decus estis et ornamentum gratiae spiritualis, vos illustrior portio gregis Christi, vos quoque Seraphici Ordinis gloria. Miramur vestram abnegationem, vestras veneramur virtutes, plurimi habemus vestram dignitatem, qua vinculo indissolubili charitatis, Christo sponso conjunctae, dulcedinem et suavitatem ejus amoris gustatis. In dubiis, in angustiis, in afflictionibus, in anxietatibus, in necessitatibus vestris, Nos paterna charitate erga vos affectos habebitis semper solatorem, amantissimumque patrem; semper vobis animum dabimus ut sequamini vestigia Ejus qui pascitur inter lilia, ut digne ambuletis vocatione qua vocatae estis. Pergite igitur, Venerabiles Sorores ac Filiae, vitae immaculatae professione circumquaque diffundere bonum Christi odorem, memores semper quod « Dilectus (idest Jesus) uniuscujusque vestrum, talis est naturae, ut alienum non vult admittere; sed solus vult cor vestrum habere, et tamquam rex in proprio throno sedere (1) ». Pergite, Dei gloriam habentes prae oculis, ac vestram proximique sanctificationem, adimplere fideliter quae vovistis, quaeque sunt vestri status et professionis: pergite placere Deo in humilitate, in paupertate, in modestia, in patientia, in mortificatione carnis et spiritus, in mansuetudine, in charitate quae est vinculum perfectionis: pergite extollere in altum corda vestra spiritu orationis sancto, ut vobis et Nobis, omnibusque det Deus adimplere Suam divinam voluntatem, et sancti simus quia sanctus est Dominus Deus Noster. Pergite demum habere semper abundantiam olei in vasis vestris cum lampadibus, ut veniente Sponso exire valeatis obviam Ei, et paratae ornatis lampadibus intrare cum Eo ad nuptias.

De Tertio Ordine saeculari, quem S. P. N. Franciscus instituit, hic verba facturi, multa haberemus dicenda tum ejusdem laudi cum Nostrae consolationi, quod cum nequeamus in hac brevi oratione diffusius, pauca delibabimus. Et quidem in laudem celebrandos habemus et *egregios viros,* qui omni tempore nomen dederunt ei, Pontifices maximos, Reges, Principes, dynastas, qui, ut ait Leo PP. XIII, insignia franciscalia non aliena esse a dignitate sua duxerunt (1): et *pietatem, zelum, fortitudinem* in ejusdem sodalibus, tuendi quae sunt Religionis, ita ut merito *Militum* Christi, et *neo-Machabaeorum* appellatione fuerint insigniti: et *innumeros Sanctos,* quos caelo inseruit: et *fructus admirabiles ac omnigenos,* quos ubique protulit, nedum bono et incremento fidei et pietatis, verum etiam rei scientificae et litterariae, ingenuarumque artium (2). In consolationem vero Nostram dicemus cum Paulo Apostolo « Multa mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis... superabundo gaudio (3) ». Scimus enim desiderium vestrum, fervorem, aemulationem, adhortationibus supra laudati Pontificis satisfaciendi, qui verbis amoris et benevolentiae plenis hortatur « christianos homines, ut nomen dare sanctae huic Jesu Christi militiae ne recusent », ita tamen, « ut qui insignia Poenitentiae induerint, imaginem spectent sanctissimi auctoris sui, ad eamque contendant; sine qua, quod inde expectaretur boni, nihil esset (4) ». Ubique sane gentium in tanta spirituum perturbatione ingruentiumque malorum colluvie fervor devotionis et bonorum operum excitatus est, ope Tertii Ordinis Sancti Francisci diffusi ac propagati. Ubique, nedum in Ecclesiis nostris, verum etiam in aliis mirabiliter florescunt Congregationes, idest Fraternitates alumnorum utriusque sexus, qui sub directione piorum Sacerdotum fructus dignos edunt poenitentiae, opera exercent misericordiae, innumerisque mediis, amorem societati domesticae et publicae inspirant vitae christianae. Ubique, centeni ac milleni sunt *Fratres de Poenitentia ac Sorores,* quae dum in saeculo viventes industrie adimplent ea quae sunt proprii cujusque status et conditionis, non negligunt quae Dei sunt, imo operantes propriam sanctificationem, et illam proximi sedulo promovent. Hujusmodi *Fratrum et Sororum de Poenitentia* merito debetur, si christiano more vivitur innumeris

(1) De Imit. Ch. lib. 2. cap. 7.

(1) Epist. encyclica — Auspicato 17 Sept. 1882.

(2) Consulatur historia, ad remque nostram praecipue, opusculum cui titulus — Francesco e il suo secolo, — auctore Francisco Prudenzano.

(3) II. Corinth. VII. 4.

(4) Epist. encycl. relata.

in domibus, sique pietatis artes provehuntur: unde ipsi dici recte possunt — in media societate corrupta, exemplo et opere veri Missionarii! — Eapropter Directorum omnium hujus Tertii Ordinis excitamus zelum, totisque viribus eos exoramus, ut dictas Fraternitates foveant, promoveantque, unde maxima utilitas, tantaque bona promanant in universam societatem. Alumni autem utriusque sexus, qui ad hanc sanctam Fraternitatem spectant, sciant se militare sub vexillo Patriarchae Pauperum, Sancti Francisci Assisiensis, qui mortificationem Jesu in suo corpore portavit, quique Christi Crucifixi fuit perfecta Imago. Ideo viventes in saeculo, saeculo ipsi non se conforment; utentes hoc mundo, sint tamquam non utantur, quia hujus mundi figura praeterit. Sciant etiam, se alacriter teneri ad ea quae sunt propriae conditionis et status, semper tamen habentes prae oculis *illud unum necessarium,* idest aeternae salutis ademptionem, mediante exercitio evangelicarum virtutum, et exempla heroica Beati Luchesii, sancti Ludovici Regis, sanctarum Elisabeth Hungariae et Portugalliae, aliorumque caelitum qui illustrem reddiderunt Tertium Ordinem. Sciant denique, se quoque non sibi soli vivere, sed aliis proficere debere: unde insistant bonis operibus promovendis, juxta cujusque possibilitatem. Pergant fovere observantiam mandatorum Dei et Ecclesiae, educationem juventutis, frequentiam Sacramentorum, reverentiam, amorem, obedientiam Dei ministris; pergant omnibus anteire exemplo christianae vitae, et sedulo adlaborare diffusioni veritatis, et refutationi errorum; religionis et devotionis incremento. Et hic gratulamur vobis quam maxime, egregii scriptores ephemeridum quae a Tertio Ordine nuncupantur. Vobis grati esse debemus qui in nobili palaestra dimicantes pro Christo, bonum virtutum odorem diffunditis, et augmento phalangium, quae sub Francisco militant, verbo studete et scripto. Benemerentes de Ecclesia, de Ordine Franciscano et de civili societate vos acclamamus, atque vobis ex corde gratias agimus, deprecantes, ut incepta prosequamini, memores quod « qui ad justitiam erudiunt multos, (fulgebunt) quasi stellae in perpetuas aeternitates » (1).

(1) Dan. XII. 3.

Et nunc ad finem hujus epistolae properantes, hortamur omnes vos, quotquot estis Nobis subjecti, ut non in vacuum gratiam Dei recipiatis, sed unusquisque sapiat et agat ad sobrietatem, sicut Deus divisit mensuram fidei. Hortamur ut Domini praecepto inhaerentes diligatis invicem, et dilectio vestra sit sine simulatione. Hortamur ut in vestra agendi ratione regulas quas Apostolus tradit Romanis sequamini fideliter, ut sancti sitis, « Odientes malum, adhaerentes bono, charitate fraternitatis invicem diligentes; honore invicem praevenientes; sollicitudine non pigri; spiritu ferventes; Domino servientes; spe gaudentes; in tribulatione patientes; orationi instantes; necessitatibus sanctorum communicantes; hospitalitatem sectantes; benedicite persequentibus vos, benedicite et nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Idipsum invicem sentientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes... Nulli malum pro malo reddentes, providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus (1) ». In vera humilitate state, in simplici obedientia vivite, in charitate et patientia ambulate, et ita quotidie in spiritu proficietis, et magnam apud Deum gratiam obtinebitis. Ut veri filii Beati Patris Francisci, estote fortes in fide, et ita, ut nemo vos seducat inanibus verbis, nemo vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam: doctrinam firmiter tenete in omnibus Sanctae Romanae Ecclesiae, quae est columna et firmamentum veritatis (2). Atque, ut filios decet Beati Patris, specialem obedientiam et reverentiam eidem Romanae Ecclesiae ac visibili in terris ejusdem Capiti, Summo Pontifici, profitemini semper, ac praedicate populis, ut hac ratione « semper subditi et subjecti pedibus ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae, stabiles in fide catholica paupertatem et humilitatem et sanctum Evangelium Domini Nostri Jesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus (3) ».

Humiles interim ac fervidas ad Deum preces attollite pro incolumitate Beatissimi Patris Leonis XIII., cujus sit vita satis diuturna et prorsus jucunda pro communi Ecclesiae

(1) Cap. XII.
(2) I. Timoth. III. 15.
(3) Cap. XII. Reg.

bono. Videat Ipse oculis suis omnes praevaricatores et devios ad cor reversos: videat Bonus Pastor oves dispersas ad ovile congregatas: videat omnia jura Dei et Ecclesiae restituta: videat pacem et tranquillitatem domus Dei, et datum sit Ei referre in acta novam Ecclesiae victoriam de inimicis suis. Et ita, rebus Religionis et societatis firmatis, pax, quae exsuperat omnem sensum, repleat cor Ejus et intelligentiam. Orate quoque pro Eminentissimo Domino Joanne Cardinali Simeoni, amplissimo et benemerentissimo Ordinis Nostri Protectore, cujus cordi est quammaxime incrementum nostrum, nostraque prosperitas. Orate pro concordia inter Principes Christianos, pro benefactoribus nostris, pro persequentibus et calumniantibus nos, pro errantibus et male agentibus, ut ad Deum, qui non vult mortem peccatoris, convertantur et vivant. Orate demum pro Nobis, qui animo lubenti, corde sincero, et tota qua valemus animi effusione, quotquot estis, Fratres charissimi et dilectissimae Sorores, Alumnique Tertii Ordinis, in Cordibus Sacratissimis reponimus Jesu et Mariae, ac Nostra munimus et confortamus benedictione in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen. Gratia Domini Nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis (1).

Datum Romae ad Sanctum Antonium, Kalendis Martii MDCCCXC.

Fr. Aloysius *Min. Gen.*

Loco ✠ Sigilli.

De mandato P. S. Rmae
Fr. Petrus ab Arce Papae,
Lect. Jub. Secretarius Glis Ordinis.

---

(1) Commissarios II. et III. Ordinis exoramus enixe, ut ea quae ad Sanctimoniales Sanctae Clarae, et ad alumnos Tertii Ordinis in hac Nostra epistola spectant, clare et charitative eisdem respective aperiant et explicent vulgari et efficaci sermone.

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

EX S. R. CONGREG.
DECRETUM

Quo festum B. Simonis de Lypnica, *ad ritum dup. 2 cl. elevatur pro tota Obs. Provincia Gallaeciae Austriacae et cum octava in coenobio Cracoviensi*

ORDINIS MINORUM
SANCTI FRANCISCI DE OBSERVANTIA.

Hodiernus Minister praepositus Provinciae Gallaeciae Austriacae Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, votis Alumnorum suorum satisfacturus, Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII supplex rogavit, ut festum Beati Simonis de Lypnica Confessoris, die XVIII Julii occurrens, a duplici minori ad ritum duplicis secundae classis pro totius Provinciae Alumnis, et ad duplicem ritum primae classis cum Octava pro Alumnis in Cracoviensi Coenobio (1) degentibus elevare dignaretur. Sanctitas porro Sua, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, attento commendationis officio Rmi Patris Procuratoris Generalis totius Ordinis Minorum, ita precibus benigne annuere dignata est, ut ab Alumnis praefati Ordinis ac memoratae Provinciae sub ritu duplicis secundae classis, pro Cracoviensi vero Coenobio etiam cum Oct. recolatur: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 25 Februarii 1890.

† Caj. Card. Aloisi, *Praefectus.*
Vinc. Nussi, *Secretarius.*

II.
ACTA ORDINIS

GAUSAE SANCTORUM ORDINIS NOSTRI
XII.

Ven. Mariae a Jesu ab Agreda, *Monialis Prof. II. Ordinis.*

(Continuatio).

Statim ac pretiosa mors Servae Dei, sequuta est, Episcopus Tarasonensis, intra cujus

(1) In quo B. Simonis corpus asservatur.

Dioecesis limites Agreda sita est, sua auctoritate ordinaria Processum confecit super illius sanctitate vitae, virtutibus et miraculis, uti mos est. Ad Urbem delato hoc *Informativo Processu,* ac die 21.ª Novembris 1671 Sacrae Rituum Congregationi exhibito, deputatus fuit in Causae *Ponentem,* seu Relatorem, Emus Cardinalis Portocarrero. Subinde Clemens X, praevio consilio et voto ejusdem Sacrae Congregationis, die 28.ª Januarii 1673 signavit propria manu Commissionem *Introductionis Causae.* Proposita deinde et discussa in Congregatione Ordinaria die 27.ª Junii ejusdem anni sententia a supradicto Episcopo super cultu Servae Dei non exhibito, Sacra eadem Congregatio censuit eamdem sententiam Ordinarii esse confirmandam. Ne autem interim perirent probationes ab oculatis Testibus eruendae, datae sunt *Literae Remissoriales* Revmis Episcopis Tarasonensi, Oscensi et Jacensi, ut Apostolica Auctoritate examen reciperent illorum Testium, quorum jactura timeri poterat: et revera ita factum est. Vigore ergo earumdem Litterarum constructus fuit in Dioecesi Tarasonensi ab anno 1675 ad 1678 Processus *Apostolicus* super virtutibus, et miraculis *in specie* laudatae Servae Dei; in quo Processu non minus octuaginta testes fuerunt examinati. Tempore vero, quo idem Processus *Apostolicus* constructus, Romamque delatus erat, atque subsequenti aetate, plurima notatu digna evenerunt circa opus *Mysticae Civitatis* Dei: sufficiat hic aliqua tantummodo memorari.

Vix Dei Famula diem obiit supremum, et antequam praefatum opus typis divulgaretur, illud viri doctissimi ad rigorosum examen revocarunt. Statim enim ipse Minister Generalis totius Ordinis sex ex doctioribus Patribus elegit, Matritumque adscivit, ut sub ejus praesidentia peculiare, et accuratum studium circa ipsum facerent. Idemque factum est a Rev. P. Didaco de Silva, Ordinis S. Benedicti, et a Rev. P. Andrea Mendo, e Societ. Jesu, regis Praedicatore, atque in Salmaticensi Universitate Doctore; et ambo summis laudibus opus extulerunt. Post introductionem autem *Causae Beatificationis* etc. Servae Dei, cum ejus scripta ad S. Romanae Inquisitionis Tribunal delata essent, ab ea anno 1681 decretum emanatum fuit, atque ab Innocentio XI approbatum, quo ob extrinseca quaedam rerum adjuncta eorumdem lectio interdicebatur. Incredibile dictu est quanto dolore fidelium animos hujusmodi notitia affecerit; ut paulo post idem Summus Pontifex, praecipue enixis precibus Caroli II Hispaniarum Regis commotus, Romanae Inquisitionis sententiae vim suspendendam mandavit. Imo ejus Successor Alexander VIII aperte declaravit ejusmodi libros impune legi posse; Innocentius XII viros pietate et doctrina insignes deputavit, coram quibus causa super scriptis Dei Famulae ad juris normas disceptaretur; Clemens XI Congregationem institutam pro examine dictorum librorum confirmavit, eosque anno 1705 ex indice librorum prohibitorum omnino expungi ac deleri jussit; Benedictus XIII ad ulteriora procedi posse decrevit absque novo librorum examine; quod tamen decretum revocatum fuit a Clemente XII qui in *Causa Beatificationis* etc. Dei Famulae ulterius procedendum vetuit absque dicti operis revisione. Aetate Benedicti XIV adhuc sub judice lis erat; quapropter die 3.ª Augusti 1745 peculiari decreto examen operis *Mysticae Civitatis* Dei etc. a Tribunali Supremae Romanae Inquisitionis avocavit, illudque commisit peculiari Congregationi coram se habendae, cui adscriptos voluit quatuor dumtaxat S. R. E. Cardinales, et alios quatuor Theologos, quibus adjunxit, uti Secretarium, ipsum Fidei Promotorem. Et revera post biennium et ultra, cum habita fuerit dicta particularis Congregatio coram eodem Summo Pontifice die 5.ª Decembris 1747, famosum prodiit Decretum, in quo inter alia affirmatur, « Ex hactenus deductis non constare, prout oportet, et in casu ad effectum de quo agitur, quod opus inscriptum *Mistica Città di Dio,* sit opus Ven. S. D. Sororis Mariae a Jesu de Agreda; ex gratia tamen speciali Postulatoribus indulgeri, ut in Causa Beatificationis, et Canonizationis ejusdem ad ulteriora procedatur, ita tamen ut dubium super virtutibus non absolvatur, nisi praevio iterato novo definitivo Decreto, et a Nobis, aut a nostris Successoribus, praemissis ut supra respective praemittendis, edendo; in quo vel statuatur opus praedictum non esse S. D., vel, constito esse opus ejusdem, definiatur, nihil vel in eo, vel in aliis operibus ejusdem S. D., reperiri, quod sit con-

tra fidem, bonos mores, vel quod sapiat doctrinam aliquam novam, et peregrinam, atque a communi sensu Ecclesiae, et consuetudine alienam, juxta praescripta in Decretis Urbani VIII ». Vigore hujus Decreti processum deinde est ad perquisitionem omnium et quorumcumque Scriptorum S. D., quae diligenter peracta fuit in pluribus Hispaniarum Dioecesibus juxta opportunas instructiones rite efformatas a S. Fidei Promotore. Et quotquot originalia scripta, Epistolae, et Biliecta Servae Dei reperta sunt in Dioecesibus Tarasonensi, Calaguritana, Pampilonensi, Placentina, Caesaraugustana, Oscensi, Cordubensi, et Toletana, una cum Autographo ejusdem operis *Mysticae Civitatis* Dei ad Urbem delata fuerunt bene clausa, et peculiaribus eorumdem Episcoporum sigillis obsignata. Institutum mox fuit examen super identitate characteris, quo scriptum erat Autographum operis *Mysticae Civitatis* Dei; et in Congregatione particulari de ejusdem Pontificis mandato coacta die 7.ª Maji 1757, in qua interfuerunt plures Cardinales cum Fidei Promotore etc. omnibus mature perpensis, examinatisque non minus Peritiis in Hispania accurate confectis, quam aliis tribus Peritiis in Urbe peractis, omnes fuerunt in sensu: « Constare, Ven. Ser. Dei Sor. Mariam a Jesu de Agreda scripsisse hispano idiomate opus, de quo agitur etc., nec non si SSmo placuerit, restitui posse Autographum memorati operis » etc. Quidquid sit, certum est hunc Summum Pontificem, Benedictum XIV, valde se favorabilem praebuisse huic percelebri Causae. Jam enim ab anno 1748, die 16.ª Januarii, doctissimam scripserat Epistolam ad Ministrum Generalem Ordinis Minorum, qua se nimiam affectionem erga Ancillam Dei merito fovere dixit, ejusque Causae ex ipsis operibus, si approbata fuerint, majorem proculdubio splendorem accessurum asseruit.

Anno 1762, sub Clemente XIII, cum jam a novo Causae Ponente examen instauratum esset eorumdem Scriptorum Vener. Servae Dei in Congregatione Ordinaria Sac. Rituum die 20.ª Martii habita, re bene discussa, libratisque censuris Theologorum, et Fidei Promotoris relatione ac sententia, statutum fuit: « Posse procedi ad ulteriora juxta modum etc. » Et revera ita factum est; anno enim 1769, die 11.ª Julii, habita est Congregatio *Antipraeparatoria* super Virtutibus et Miraculis Servae Dei, in Aedibus D. Cardinalis Joannis Francisci Albani, Ponentis. Anno autem 1771 iterum a Congregatione particulari super saepe repetito Opere *Mysticae* etc. a Clemente XIV deputata, die 9.ª Martii Decretum emanatum fuit, in quo asseritur »: « Constare de uniformitate styli Operis *Mysticae Civitatis* Dei cum aliis operibus, quae a Serva Dei Maria a Jesu de Agreda confecta perhibentur: ideoque inferri posse, opus praefatum vere a Serva Dei fuisse compositum ». Iterumque anno 1774 die 2.ª Januarii, alia particularis et quidem solemnior Congregatio adunata est super hoc negotio; ast nihil conclusum fuit. Imo, idem Summus Pontifex, uti aliqui volunt, Causae huic silentium indixit peculiaribus temporis adjunctis, et praesertim ne scholarum jurgia, quibus fortasse occasionem dictum opus praebuerat, latius effervescerent: unde nihil amplius de ea a Sede Apostolica actum est. Alii autem et quidem probabilius negant, praefatum Pontificem, qui de Familia Franciscana erat, huic Causae silentium imposuisse; sed potius ratio hujus silentii repetenda est, dicunt, tum a summis calamitatibus, quibus Ecclesia Dei tempore Pii VI et Pii VII fuit certo vexata, tum postea a perturbationibus politicis, atque continuis praeliis, quae diu totam Hispaniam agitarunt, tum denique a dispersione in ipso regno Regularium, eorumque bonorum direptione.

Tandem vero, mense Februarii anni 1867 ope et intercessione ejusdem Vener. Mariae a Jesu, magnum miraculum patratum fuit in Dioecesi Mechliniensi in persona cujusdam Sanctimonialis ejusdem Instituti; quae nempe a mortali infirmitate illico sanata est. Super quo miraculo, de Summi Pontificis venia, Processus *Apostolicus* paulo post confectus est, Romamque ad Sac. Rituum Congregationem transmissus, et suo tempore approbatus. Unde in omnibus fidelibus, praesertim vero in toto Ordine Franciscano et Clero Hispanico, nova spes novumque ardens desiderium hujus celeberrimae Causae videndi finem revivixit. Et revera, eodem anno, cum Romae festa saecularia Apostolorum Principis haberentur, Hispaniarum Episcopi octo et triginta cum quibusdam aliis ceterarum nationum, et ipsa Regina Isabella II Pium IX f. m. suppliciter exorarunt,

ut Causa haec a diuturno silentio denuo excitaretur, atque Sac. Rituum Congregationi tandem finienda proponeretur. Quas preces paulo post iidem Episcopi, a nostro Postulatore Generali nomine totius Ordinis excitati, renovarunt; et quidem auditae fuere. Quapropter, statim novum examen Operis, novo Sac. Congregationis Consultorum studio, novae magnaeque expensae factae sunt. Ast, quis crederet? Anno 1886 dum ferveret opus, dum S. Congregatio super hoc negotio sua Comitia haberet, unde omnibus spes affulgebat felicis et desideratissimi exitus, Summus Pontifex Leo XIII sententiam suam circa hanc Causam proferre distulit. Certe non ob aliquam difficultatem quoad Vener. Servae Dei virtutes, sed potius quoad ejus tam famosum Opus *Mystica Civitas* Dei.

Utique hoc Opus famosum diximus: centum enim circiter et quadraginta viri vel doctrina, vel pietate, vel dignitate illustres omni tempore illud non solum approbarunt, ab aliquorum obtrectationibus strenue vindicarunt, sed et magnis laudibus extulerunt. Idemque fecerunt viginti Collegia Ordinum Regularium; inter quae praecipue illud S. Augustini, S. Benedicti, S. Bernardi, Carmelitarum, Clericorum Regularium, Minimorum, Societatis Jesu etc., nec non sex saltem percelebres Academiae, seu Universitates, Complutensis nempe, Granatensis, Lovaniensis, Salamantina, Tolosana, ac Caesaraugustana, quibus jam commiserat examen Scriptorum Servae Dei ipse Summus Pontifex Benedictus XIV. A sola Universitate Parisiensi, quae vulgo *Sorbona* appellabatur, tantum opus fuit rejectum ac proscriptum, opere certe et studio Jansenistarum, atque Socinianorum, qui aegre ferebant doctrinam de Immaculata Conceptione B. Mariae Virginis in eo contentam et defensam. Pariter idem opus vulgatissimum est: etenim non minus quadraginta editiones diversis temporibus, variisque Europae linguis adornatae sunt; et septem vel octo compendia ad majorem populi utilitatem confecta fuere. Inter Italicas editiones eminet procul dubio illa nuperrime facta Augustae Taurinorum apud Bonellium, in quinque tomos distributa cum novis adjunctis et notis, cura ac studio Revmi Domini Joannis Hyacinthi Cereseto, in Seminario Archiepiscopali Clavariensi Sacrae Scripturae Professore. De vicissitudinibus, ut ita dicam, Causae Beatificationis etc. hujus Vener. Servae Dei Mariae a Jesu de Agreda, nec non ejus praecipui Operis *Mystica Civitas* Dei, plures Scriptores, variis temporibus, verba fecerunt; inter quos valde accurate et opportune clar. noster Ad. R. P. Antonius Maria a Vicetia, Reformatae Provinciae Venetae filius, modo defunctus; qui etiam *Vitae* compendium edidit in lucem.

—

FRUCTUS SPIRITUALES

REF. PROVINCIAE SS. SALVATORIS IN HUNGARIA

de anno 1889.

Provincia haec SS. Salvatoris in Hungaria numerat Sacerdotes 203, in variis tam publicis, quam privatis Provinciae officiis laborantes, et quidem:

SS. Theologiae Lectores actuales sunt.		8
Philosophiae Lectores actuales.	»	5
Magistri et Promagistri Novitiorum.	»	4
Professores in publicis Gymnasiis.	»	20
» in Praeparandia. .	»	1
Docentes in scholis capitalibus, elementaribus et civilibus	»	20
Catechetae	»	26
Numerus scholarium a nostris institutorum et catechizatorum effecit.	»	18,537
Missionarii populares. . . .	»	3
» in oris exteris . .	»	1
Concionatores in Conventibus concionantes	»	132
Spirituales Monialium . . .	»	7
» Militaris actualis .	»	1
» captivorum . . .	»	4
Parochiarum extra Conventum Administratores	»	16
In his numerus animarum . .	»	6,703
Cooperatores	»	52
Parochiae Conventibus adnexae.	»	8
In his numerus animarum . .	»	64,523

Et anno 1889 nati erant 3,226, matrimonio juncti 604, defuncti 2,027.

Conversiones ex haeresi Lutheri et Calvini	»	8
Et ad suscipiendum Baptisma instructi Judaei	»	2

Conciones in vicinis parochiis a nostratibus dictae . . . . . . »	925
Infirmi Sacramentis moribundorum per nostros provisi . . . »	5,235
Poenitentes a 1ª Sept. 1888 usque 31 Augusti 1889 erant . . . . »	214,304
Dirigit pias Societates, et quidem:	
a) Societatem SS. Cordis Jesu, quae numerat membra . . . . »	13,129
b) Societatem Sanctissimi Altaris Sacramenti . . . . »	260
c) Societatis Spiritus Sancti . »	476
d) » SS. Rosarii B. M. V. »	5,211
In III Ordine S. P. N. Francisci existunt membra . . . . »	3,330

—

COMMISSARIUS TERRAE SANCTAE PRO HIBERNIA.

Die 21 mensis Februarii anni currentis Adm. Rev. Pater Fr. Aloysius Cavanagh, ex-Provincialis nostrae Recollectae Provinciae Hiberniae, electus fuit Commissarius Terrae Sanctae in Hibernia.

III.

VARIA

—

PRO PRAESEPE IN ECCLESIIS ORDINIS QUOTANNIS CONSTRUENDO.

Adhortatio.

Amemus puerum de Bethlehem. Haec fuerunt verba, quibus, Fratres carissimi, beatissimus Pater seraphicus, in nocte Nativitatis Servatoris nostri Jesu Christi, magno animi sui jubilo, Fratribus populisque, in Graecii nemore praesentibus, pro textu sui sermonis proposuit. Exardescebat enim cor tanti Patris amore erga Incarnationis mysterium, quod continuo mente revolvens, contineri non poterat, et, ob hujusce amoris exuberantiam, quo erga divinum Infantulum, qui gentem suam servaturus erat, afficiebatur, exclamabat fortiter: « *Amemus, amemus,* Fratres, *puerum de Bethlehem* ».

Nemo quidem ex Vobis est qui ignoret, Fratres dilectissimi, quod inclytus Dei servus, beatissimus Pater noster seraphicus, uti Ordinis nostri historiae narrant, anno 1223, cupiens, majori qua poterat solemnitate, Nativitatis Domini nostri Jesu Christi anniversariam recordationem celebrare, Johannem Veletam, oppidi Graecii, in valle Reatina dominum exoravit, ut sibi, pro re, quod opus esset, subministraret. Quidquid petiit, obtinuit; et media nocte Nativitatis Domini illius anni, jam enim rei in populos finitimos pervulgata erat fama, magna Fratrum et piarum personarum comitante caterva intorticia accensa manu tenentium, Graecii nemus petiit, inter hymnos et canticos, qui totum nemus resonare fecerunt. Jam antea seraphicus Pater praesepe paraverat, et super Altare ad hoc erecto solemnis Missa cantata fuit, in qua ipse Pater, Diaconi munere fungens, Evangelium cecinit et postea ad Fratres et populum allocutionem magno erga Incarnationis Domini mysterium amore perfusam habuit. Interea loci dominus, magna animi sui laetitia, visibiliter vidit pulcherrimum infantulum e caelo descensum in illo praesepe reclinatum, cui dulciter Seraphicus Pater blandiebatur eumque ulnis suis amplexans, deosculabatur. Post cujus mortem ibi devota aedes, et in loco, quo praesepe erat, altare erectum in tantae rei memoriam.

Ex eo tempore primum in Ecclesiis Ordinis nostri haec pia devotio locum habuit magno cum populi spirituali profectu ac laetitia, et postea in Ecclesiis aliis. Quare et hodiedum, ne tantae devotionis memoria pereat, attentis temporum calamitatibus, Fratres omnes adhortamur ad praesepis constructionem magni faciendam. Nam haec in cordibus nostris majorem erga Incarnationis mysterium amorem excitat, et hac visibili repraesentatione sursum animus ad cogitandam Dei bonitatem elevatur, atque viva semper seraphici Patris memoria habetur, qui Ordinem suum hac speciali devotione condecorare voluit, utpote qui, in Dei inscrutabilibus decretis, ad Servatoris praesepe et sepulchrum custodiendum destinatus esset. Insuper artes excoluntur, poesis exercetur aliaque multa bona ex annuali praesepis constructione mundo obveniunt.

Revera, divinum Infantulum in praesepe reclinatum, nullis pannis involutum adspicientes, ejusdem paupertatem et nuditatem meditabimur, et, si pauperes, paupertate nostra contenti erimus, sin autem divites, pro ipsius amore terrenas divitias contemnemus et su-

pernas quaeremus. Angelos admirantes pacem hominibus annuntiantes, magna laetitia afficiemur, meditantes quod, qui in humili praesepe ab hominibus despectus pro hominum salute nasci dignatus fuerit, sit solus princeps pacisque dator. Multa alia meditari poterimus, quae, brevitatis causa, omittemus et meditanda vobis relinquemus.

Eja igitur, Fratres carissimi, tenete majorum traditiones, quae praesertim hisce calamitatis et miseriae temporibus, maxime juvant. Devotionem hanc totis viribus fovete, et benignissimus Deus multa vobis spiritualia adjumenta dabit. Si vere filii seraphici estis, cordibus vestris insculpite beatissimi Patris verba, qui nobis exemplum bonorum operum relinquens, repetebat fortiter: *Amemus*, Fratres, *amemus puerum de Bethlehem.* Exemplo tanti Patris commoti, speramus et Vos, Fratres dilectissimi, magna animi alacritate, verba nostra, quae, sermone pedestri, scripsimus, accepturos esse, lubentique animo manum admoturos ad praesepis annualem constructionem.

Charitas Dei, Jesu Christi amor et seraphici Patris benedictio sit semper in cordibus vestris. — Valete.

IV.
NECROLOGIA

Observans Missionaria Provincia Bosnae Argentinae die 12 Novembris anni mox elapsi ingentem fecit jacturam ob mortem A. R. P. Antonii Vladić ex Ministri Provincialis ejusdem Provinciae et ex Definitoris Generalis Ordinis.

Hic optime de sua Provincia et Ordine Minoritico meritus Pater ortum habuit in humili pago Ustirama dicto ad extremam oram fluminis Rama. Parentes habuit pios honestosque agricolas, fuitque inter septem fratres natu minimus, in baptismate Domnius vocatus, quem boni parentes ab infantia Ordini franciscano voverunt. Anno aetatis decimo deserens lares paternos traditus fuit Religiosis S. Francisci studiis necessariis imbuendus. Fojnicae in Conventu S. Spiritus usus magistro optimo ac religiosissimo viro fel. mem. P. Philippo Pasalić, statim ab initio apparuit quibus ingenii dotibus a Deo fuerit ditatus, quantaque spes in eo affulgeat bono religionis seraphicae ac hujus missionariae Provinciae. Habitum religionis induit die 12 Augusti 1834 et ex speciali devotione, qua ferebatur erga S. Thaumaturgum Patavinum, Antonius vocari voluit. Expleto tyrocinio missus fuit ad Provincias Hungaricas, ubi Bajae philosophiae, Quinque Ecclesiis vero theologiae operam tam strenue dedit, ut semper primus, aut inter primos fuerit. Praeter has scientias, ingenium suum excolebat in arte poetica, oratoria et legendis latinis classicis, per hoc semet praeparans pro strenuo instructore in artibus liberalibus et mediis scholis, quod semper anhelavit, numquam vero assecutus fuit. — Laudabiliter emenso studiorum curriculo, 1842 sacerdotio initiatur reditque ad propria statimque oneratur munere praedicatoris in Conventuali ecclesia S. Spiritus Fojnicae, quod summa cum laude doctissimorum Patrum Provinciae, magnaque populi admiratione et satisfactione ferebat per quinque annos; ultro quoque mansisset in hoc laudabili eique charissimo officio, nisi pro-vicarius apostolicus fel. rec. P. Andreas Kacraćić, in eo conspiciens virum sapientem et eruditum, sensatum atque prudentem, eumdem elegisset in suum secretarium. Hoc in officio sex integris annis difficillimos perpessus est labores, ferendo solus totum pondus oneris, ter totam perlustrando Bosnam, invisendo singulis vicibus cunctas paroecias. Quo in officio, multam quidem nactus est experientiam, ast multum quoque sanitati suae nocuit, ad quam reparandam, praeficitur cuidam angustae paroeciae gubernandae. Illico muneri parochiali additum fuit munus vicarii foranei, quod gessit gubernantibus Bosnam in spiritualibus uno pro-vicario et tribus vicariis apostolicis.

Post quatuor annos fit Guardianus Conventus Fojnicae tribus annis; quibus expletis praeter omnium expectationem et in sui admirationem, praeside Capituli fel. mem. A. R. P. Joanne a Candia, Commissario visitatore generali, eligitur in Ministrum Provincialem; et qua talis interfuit Capitulo generali Romae in Conventu Aracaelitano celebrato 1862, ubi multorum Italiae Ministrorum Provincialium cognitionem nactus est. Hoc in capitulo ingenue defendit jura suae Provinciae contra hostium cavillationes.

Transacto triennio Provincialatus suscipit onus gubernandae vastissimae parochiae de Rama, ubi quondam fuerat Conventus et Ecclesia Ordinis nostri, quos ignis absumpsit an. 1687 nec amplius erecti sunt. Hanc paroeciam eo fine suscepit, ut utramque fabricam, si possibile foret, erigeret, ad quod obtinendum omnibus viribus adlaborabat, verum difficillimae ejus temporis circumstantiae sub jugo turcico non sinebant nec ecclesiam extruere. Interim an. 1869 per Breve Apostolicum nominatur Definitor Generalis, cum obligatione Romae residendi, quod onus vix graviorum Patrum Provinciae suasu suscepit et Romam petit, ubi saepe dolore dentium et crebris ulceribus in manibus pedibusque molestatus, suasu medicorum, sequenti anno 1870 redit ad suam Provinciam valetudinis curandae causa, cum intentione redeundi Romam. Ast ipso anno perturbatis in Alma Urbe rebus, et majori parte Conventus Aracaelitani occupata per milites Italicos, annuente Revmo P. Ministro Generali, manet in sua Provincia, ubi bis eidem demandatum fuit onus Commissarii Visitatoris generalis et Praesidis capituli. Infra hoc tempus secundo fit parochus Ramae, ubi melioratis circumstantiis post occupationem Bosnae per gubernium Austro-Hungaricum, cum uno suorum consodalium, aedificavit Basilicam potius quam Ecclesiam, ex lapide secto, honoribus B. MARIAE ad caelos assumptae.

Semper viribus valens « excepto quod saepe molestaretur incurabili rheumatismo in pede dextro » numquam intermittebat verbum DEI populo annunciare stylo humili ac omnibus intelligibili. Delectabatur si ei occasio praedicandi dabatur. Plantabat virtutes, eradicabat vitia, omnesque ad viam virtutis adducere conabatur; omni tempore paratus tum poenitentes audire semper obstinatissimos pro se reservabat, dicendo saepe : « isti sunt mea ossa », tum infirmos providere. Juventutis semper amantissimus fuit, quam circa se colligebat, imbuebat, praecepta moralia inculcabat, historiolas e S. Scriptura narrabat, suadebat ut religionem seraphicam amplecterentur, eosque materialiter juvabat; suntque nunc viventes decem, qui ejus opera Religiosi facti sunt.

In omni scientia religioso viro necessaria fundamentaliter versatus fuit, praesertim in Constitutionibus et Statutis nostri Ordinis, quas, ut dici solet, in ungue habebat. Tam felicis memoriae erat ut axiomata philosophica et juridica, quae juvenis didicit, senex jam memoria haberet, ita ut ei quotidianus lusus fuerint. Pro consilio quaesitus, bene primum cogitabat, meditabatur et tunc demum respondebat. Historiam virorum illustrium nostrae Provinciae referebat junioribus Fratribus, ut hos ad eorum sectanda vestigia alliceret. Sicuti maxime delectabatur si ei occasio dabatur bona facere iis, qui sibi voluere aut mala fecere, sic eorum merita quoque referre in deliciis habuit. — Ejus consiliis tum verbo, quum scripto usi sunt omnes Vicarii Apostolici, ac quotquot fuere Ministri Provinciales: imo ultimus in Bosna Vicar. Apostolicus fel. mem. P. Paschalis Vujčić saepe eum assumebat comitem in visitatione canonica, ad praedicandum verbum DEI, ad dirimendas lites inter dissidentes, et ad solvendas causas praesertim matrimoniales et haereditarias; utpote cui jus civile turcicum quoque optime notum erat.

Raro videre fuit eum turbatum, saepe cogitabundum et meditantem, numquam otiosum: aut orabat, aut legebat, aut consilia dabat (pro quibus, saepissime ad eum accedebant non solum christiani, sed etiam plurimi Turcae, imo eorum uxores, apud quos in maxima aestimatione fuit) aut in horto ligone circa olera fodebat, aut pauperibus rusticis, tum christianis, tum schismaticis tum turcis medicinas parabat, quam artem quoque bene noverat, multaque bona praestitit pauperi plebi, imo multos e manifestissimo vitae periculo liberavit; propter quod ab omnibus magni habitus fuit ac ab omnibus indiscriminatim qua pater amatus.

Praeterlapso vere, eundo atque redeundo a Capitulari Congregatione in itinere refrigerato nimium stomacho, contraxit obstinatam febrim, quae jam septuagenarium senem de die in diem magis semper debilitabat, frustra adhibitis per sex menses omnibus medicamentis, die 8 mensis Novembris penitus eumdem lecto affixit. Praesentiens sibi imminere ultimum diem, prouti antea saepe, tunc quotidie confitebatur et sacra synaxi reficiebatur; ultimis vero vitae suae horis adstantibus omnibus familiae Fratribus oleo sacro delibutus fuit ac generali absolutione donatus, semper sui com-

pos, invocando B. Virginem MARIAM, devotissime obiit anno aetatis 71 deplorante ejus mortem omni fideli et infideli populo; sepultusque est in ecclesia a se aedificata Ramae in Scit.

R. I. P.

A. R. P. BASILIUS BRIZI A GRAECIO M. O. Hic clarissimus sodalis, cujus interitum nostrates et exteri adhuc lacrymantur, hanc lucem aspexit in pago Graecii, Reatini agri, an. 1838 die 19 februarii, parentes nactus fortunae bonis equidem pauperes, sed moribus spectatissimos. Nondum adulta aetate, quum de amplectendo vitae instituto secum ageret, Ordini Seraphico nomen dare constituit; in quo an. 1853 magna sui cordis laetititia cooptari meruit.

Solemnibus votis ad Portiunculae aram DEO persolutis, ex obedientiae praecepto litterarum et scientiarum studiis in diversis Seraphicae Provinciae coenobiis animum adjecit. Magna in muniis scholae adimplendis in eo alacritas fuit; in lectionibus memoriae mandandis summa promptitudo; in disputando elegantia et lepor; ingenium prope admirabile. Sed proh dolor! Dum in comparanda sibi scientia totas animi vires intenderet, corporis valetudo in dies languescere visa est; ideoque absoluto, uti moris erat, studiorum curriculo, per id tempus a severioribus disciplinis ex medicorum consilio vacare debuit. Magno quidem animi moerore, juvenis in primis elegantissimus, scholasticae palaestrae nuntium remisit, eo vel magis, quod magistro usus P. Ludovico a Castroplanio (cujus memoriam nulla apud nos obliterabit aetas), in Philosophia aeque ac in Theologia ita versatus erat, ut cathedram conscendere jam commode potuisset. Verum, adversa valetudine laborans, otio nullimode indulsit; sed ad litteras excolendas animum iterum convertit. Quare facta sibi facultate a Ministro Generali, ad confratres Januenses concessit, S. Eloquentiae operam navaturus. In qua arte talem impendidit curam, tantumque profecit, ut nemo magis; quemadmodum eventu comprobatum habemus.

Namque non multo post desiderio captus apostolici muneris, ad periclitandas sui corporis vires suggestum ascendit, DEUM, qui dat verbum evangelizantibus, sibi propitium exorans, ut si Ipse ad tantum officium servum suum eligeret, vires eidem suppeteret. Quam prospere Basilio cessit experimentum, exinde patuit, quod hoc auditores miraculo tribuerent; admirabantur enim quomodo juvenis ille, longa macie consumptus, tam suaviter, tam docte, tantaque vi concionari potuisset.

Ex eo tempore, viridis adhuc aetatis, nunquam ab imposito sibi praedicandi munere cessavit, ita ut ferme omnibus anni diebus in vinea DOMINI insudaverit. Conciones habuit tum in ruralibus ecclesiis, tum in metropolitanis templis; noverat enim vir apostolici pectoris DEI ministrum sapientibus et insipientibus pro suo dispensationis officio debitorem esse. Negotium aleae plenum ducimus omnia loca enumerare, in quibus successivis temporibus, quandoque bis vel ter, verbum DEI disseminavit. Interim dixisse sufficiat in Italia nullam fere exstare ecclesiam aliquo titulo illustrem in qua ipse concionatus non sit.

Quot et quantae fuerint in dicendo ejus dotes, hic silentio premimus; nam eas pro rei gravitate paucis complecti nobis non licet. Quas tamen dicendi dotes noverunt politiores nostri aevi poetae, qui illas magnis laudibus extulere; noverunt viri graves, omni doctrinarum genere exculti, qui vel in privatis epistolis, vel in publicis diariis, vel in editis libris, P. Basilii eloquentiam amplissimis verbis prosequuti sunt. His accensemus multos Italiae Episcopos, pluresque S. E. Cardinales, qui vel ad reformandos suae plebis mores, vel ad errores profligandos eum certatim ad se acciverunt; immo ipsi civitatum optimates (quod in hac rerum tempestate mirum est) summis precibus eum rogarunt ut ad eas contenderet. Sed quid plura? Et ipse R. Pontifex LEO XIII (quem DEUS diu sospitem servet) dum agebat in minoribus, Basilium nostrum magni faciebat, et ad supremum dignitatis fastigium evectus, in maximo totius christiani orbis templo, in Basilica Vaticana, eum verbi DEI dispensatorem adhibuit.

Haec P. Basilii praedicatio, necdum hominibus, sed magis DEO pergrata fuit, qui labores servi sui benigne respiciens, verbum ejus uberrimis fructibus plenum reddidit. Siquidem fides per eum in credentibus confirmata est; charitas in multis penitus extincta, revivixit; spes in pectora multorum rediit; ita

hodiernis erroribus undique gliscentibus ab eo profligatis, vitiis compressis, Domus Dei etiam ejus opera suffulta est. Unde ille dum penes omnes eloquentiae laude floreret, etiam *Apostoli* nomine passim vocari coepit.

Quod excellentissimum munus non solum e suggestu, sed etiam opere et consilio adamussim complevit. Perditissimas animas sua charitate fovit et ad caeli tramitem suis adhortationibus reduxit; alias vero, quas tribulationibus tentatas noverat, more SS. Patrum, dulcissimis verbis per epistolas solatus est. Viros illos, qui in resolvenda, uti ajunt, quaestione sociali opes et ingenium absumunt, suo consilio direxit, suoque favore adjuvit; dignus propterea qui in Conventu Maximo Societatis Christianae Sociologiae Paduae celebrato, inter spectatissimos viros consederet. Sodalitia Tertii Ordinis pluribus in locis excitavit; et in commodum ejusdem Ordinis Sodalium praeter librum *Manuale del Terz'Ordine,* pluries praelo excussum, ephemeridem l' *Oriente Serafico* in lucem edidit, quae faxit Deus ne morte fundatoris sui occidat, sed magis magisque inclarescat. Multa alia operatus est, quae alta mente amici conservant, conservabuntque; majora anhelans et pollicens, quae ad animarum salutem promovendam et ad splendorem Ordinis ampliandum profuturae essent, nisi intempestiva mors in ipso floridiori vitae stadio ipsum e medio sustulerit.

Ob tot atque tanta egregia facinora de christiana republica optime meritus, quietem ad suae sanitati consulendum quaesierat; dum sub medio januario morbo correptus, qui vulgo *influentia* appellatur, gravius ac serius in dies infirmari coepit. Quo recrudescente morbo, omnimodae curae eidem adhibitae sunt; a sodalibus et ab innumeris amicis Deo Deiparaeque supplicationes factae; ob imminentem suavissimi fratris casum pavor ubique et trepidatio. Sed ille mortem impavidus non metuit; et animae potius quam corporis saluti prospiciens, pluries universae vitae admissa S. Poenitentiae Sacramento lavavit; Christi Corpore bis refectus et sacro Oleo perunctus, voluit etiam apostolica benedictione a Romano Pontifice recreari; qui Basilio *sibi carissimo* (uti eum appellare consueverat) illam electricis instrumentis benigne largitus est. Postremo in Crucifixi ligno, quo in Sacris Missionibus usus fuerat, ingeminans oscula pientissimis verbis, die 31 Januarii 1890 in Conv. S. Mariae Angelorum, ad superos, uti sperare fas est, evolavit suorum laborum uberes fructus collecturus, micans in corona Fratrum, cum quibus et ipse doctus et multos in justitia erudiens, fulgebit ad instar stellae in perpetuas aeternitates.

Infausto mortis nuntio perculsi, Ipse R. Pontifex et quotquot praeclara merita Basilii nostri perspecta habuerunt mortem tanti viri lamentati sunt (1). In eo siquidem multi solatorem, multi ducem, alii amicum dulcissimum, Seraphici Ordinis Sodales suum decus, animarum Pastores strenuum et fidelissimum operarium amissum lugent: animamque ejus pluribus in locis, videlicet Romae, Neapoli, Florentiae, Augustae Taurinorum, Parmae, Prati in Tuscia et alibi, praesertim in Basilica S. Mariae Angelorum, solemnibus funeribus parentati sunt. Corpus illius secundo a Mariana Basilica milliario, in communi Fratrum cenotaphio compositum est, sine titulo quidem, sed non sine lacrymis.

R. I. P.

(1) *Eminentissimus* **Lucidus Parochi,** *Cardinalis Vicarius Sanctitatis Suae sequentem epistolam, audito mortis nuntio, Superioribus* **P. Basilii** *transmisit:*

« Ero per rallegrarmi con il bravo e buon P. Basilio da Greccio per la sua magnifica Orazione funebre, detta qui in Sant' Antonio, dopo l' ultimo Capitolo generale; quando improvvisa mi giunse la funesta novella della sua morte.

Il degno lodatore è andato a crescere l' illustre falange degli encomiati!

Lui felice, che *semplice, retto, timorato di Dio,* non cercò mai se stesso, ma la gloria del Signore e la salute delle anime. Ma duolmi per l' Ordine, che vide spegnersi una sua gloria, duolmi per la sacra eloquenza in Italia, che ha perduto nel P. Basilio il tipo del sacro oratore, dotto nella teologia, severo nella dialettica, proprio nella lingua, ordinato negli argomenti, tutto pietà e tutto unzione.

Lo stimavo e lo amavo assai questo caro Padre!.., e però V. R. accetti la mia condoglianza tanto più volentieri, quant' io medesimo ho bisogno d' essere consolato ».

Nihil obstat

Fr. Aloysius, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO SERAPHICA

—

DECRETUM S. CONGREG. IND.

Feria V die 6 Martii 1890.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 6 Martii 1890, mandavit et mandat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera.

Mélanges sur quelques Questions agitées de mon temps et dans mon coin de Pays, par J-M. Boillot Curé de la Madeleine, de Besançon. — Besançon. Imprimerie et Lithographie Dodivers et C.ie Grand-Rue, 87, et Rue Moncey, *8 bis* — 1888. — *Auctor laudabiliter se subjecit et Opus reprobavit.*

Judas de Keriot — Poema Dramatica de Frederic Soler de la Academia de la llengua catalana, Mestre en gay saber — Barcelona, Llibreria de I. Lopez, Editor — Rambla del Mitj, num. 20 — 1889.

Il Nuovo Rosmini — Periodico Scientifico-Letterario. — Milano, Tipografia Fratelli Rechiedei. — *Decr. S. Off. Fer. IV die 26 Februarii 1890.*

Itaque nemo cujuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut editum legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae, die 22 Martii 1890.

CAMILLUS Card. MAZZELLA, *Praef.*

Fr. HYACINTHUS FRATI,
Ord. Praed. S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

Die 24 Martii 1890 ego infrascriptus, Mag. Cursorum, testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

VINCENTIUS BENAGLIA, *Mag. Curs.*

—

RESCRIPTUM S. C. EPISCOP. ET REG.

Quo Procuratorum ac Definitorum Generalium electionem vel reelectionem singulis sexenniis faciendam esse conceditur.

BME PATER,

Fr. Raphael ab Aureliaco, Procurator Glis Ordinis Minorum S. Francisci, ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, exponit a suo antecessore anno elapso propositum fuisse dubium S. C. Episcoporum et Regularium an, stante Decreto Pii IX. diei 23 Maji 1862, per quod munus Ministri Generalis ad duodecim annos protrahitur, ipsi Procuratores

ac Definitores Generales ad duodecim pariter annos in officio perdurare deberent. Sacra Congregatio, die 24 Septembris 1889 respondit, praelaudatum « Decretum anni 1862 comprehendere non solum Ministrum Generalem, verum etiam Procuratores et Definitores Gles ». Haec declaratio paulo post relata Patribus Capituli Generalis, mense Octobri 1889 in hac alma Urbe coadunatis, cum debita veneratione et obsequio accepta fuit. Attamen optarunt plurimi Patres Vocales ac censuerunt, ut opportuno tempore Definitorium Generale a Sanctitate Vestra enixe peteret, quatenus electio Procuratorum ac Definitorum Generalium ad sexennium restituere dignaretur, juxta antiqua Ordinis Statuta. Nunc vero tam Ministro Generali quam Definitorii Glis Patribus opportunum visum est hanc petitionem Sanctitati Vestrae esse praesentandam, quum typis edi debeant novae Constitutiones Generales in ultimo Capitulo Generali revisae et approbatae, ut in eisdem Constitutionibus decisio apostolica inseri valeat. Nomine igitur Rmi Patris Generalis ac de unanimi sententia totius Definitorii Generalis, Sanctitatem Vestram exoro quatenus decernere dignetur, ut, in suo robore permanente Decreto Pii IX quoad munus Ministri Glis, electio fiat Procuratorum ac Definitorum Generalium, vel eorumdem reelectio, si expedierit, tam in Capitulo Generali quam in Congregatione item Generali, quae, juxta laudatum Decretum, saltem infra mensem ab expleto electionis Ministri Generalis sexennio, Romae haberi debet.

Pro qua gratia etc.

Vigore specialium facultatum a SSmo Dno Nostro concessarum, Sacra Congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis noviter deductis, benigne indulsit ut, firmo in suo robore permanente Decreto S. M. Pii Papae IX diei 23 Maji 1862 quoad munus Ministri Generalis, electio fiat Procuratorum ac Definitorum Generalium, vel eorumdem reelectio, si expedierit, tam in Capitulo Generali, quam in Congregatione item generali, quae juxta idem decretum, saltem infra mensem ab expleto electionis Ministri Generalis sexennio, in hac alma Urbe haberi debet. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, 15 Martii 1890.

$\frac{15770}{13}$

I. Card. VERGA, *Praef.*

✝ Fr. ALOYSIUS Epus Callinicen. *Secret.*

II.

ACTA ORDINIS

—

CAUSAE SANCTORUM ORDINIS NOSTRI

XIII.

VEN. ANTONII PAGANI A VENETIIS, *Sacer. Prof. I. Ord.*

Brevem notitiam circa hunc Venerabilem, quae tamen est sufficiens ad opus, capimus ad litteram ex *Informatione,* quam anno 1669 dedit Alexandro VII. Summo Pontifici Emus ac Rmus Cardinalis Sigismundus Chigi, ejusdem Pontificis Nepos.

« Venetiis, quae inter praecipuas Italiae Civitates praestantissima connumeratur, anno a CHRISTO nato 1526 ex honestis, piis, catholicis atque nobilibus parentibus ortus est Ven. Servus DEI Fr. Antonius Paganus, Ord. Minorum S. Francisci, sacro baptismatis fonte regeneratus, ac debito tempore confirmationis Sacramento illinitus, pieque ab incunabulis educatus, Patavii litteris strenuam operam ita impendit, ut anno aetatis suae decimo nono Doctoratus laurea cum admirabili cunctorum gaudio et laude insignitus fuerit; et deinde indefesso labore et ingenii sublimitate ad illud eminentis sapientiae fastigium pervenerit, ut suae aetatis vir doctissimus, idemque eruditissimus et apostolicus haberetur.

Tandem agens annum trigesimum, omnibus terrenis despectis Christique vestigia prosequi intentus, divina favente clementia, Religionem S. Francisci de Observantia ingressus est; in qua, finito probationis anno, professionem emisit, rarum cunctis fuit exemplar, quotidie celebrando, confessiones audiendo, verbum DEI praedicando, divina officia aliaque

Religiosi munia rite ac religiosissime obeundo, humillimum omnibus sese praebendo, nemini superesse, sed subesse, exhibendo. In quo statu semen sanctissimae vitae, quod in agro Domini sparserat, ubertate plurimorum fructuum longe lateque diffusum adeo coaluit, ut vigilantia, prudentia, doctrina, scriptis, verbo et exemplo Concionatoris vere Evangelici, et Dei gloriae zelantissimi, insignis Theologi omnia munia subiverit, et eroica opera exercuerit, et in omnibus semetipsum praebuerit exemplum bonorum operum in doctrina et integritate, in gravitate, verbumque ejus sanum, irreprehensibile fuerit. Nam, in Concilio Tridentino, de Episcoporum residentia elegantissimam orationem habuit, de eademque tractatum omni pietate refertum, quem, instante S. Carolo Borromaeo, ipse edidit et Patribus ejusdem Concilii tradidit. Hinc Vicetiam rediens, suae proximorumque saluti deditus, vitaeque austeritati intentus, verbi Dei praedicationi addictus, virtutes cunctis insinuavit, scelestos vero ad christianam pietatem et meliorem frugem verbo et opere reduxit, tepescentes ad amorem Dei excitavit; ita ut non modo undique omnes ad eum confluerent, verum etiam haeretici ipsi, quibus illa civitas coinquinabatur, ad fidem catholicam capessendam ad eum accederent: quare plures Congregationes tum virorum, tum foeminarum cum sanctissimis legibus et constitutionibus instituit. In adversis fortissimus et patientissimus, sequendo vestigia Christi Salvatoris nostri, injurias aequo animo ferens, cunctis parcens et mitis, corpus suum disciplinis, jejuniis, carnisque mortificationibus castigans, ut illud in servitutem redigeret. Multis tandem miraculis in vita clarus, omnibus Ecclesiae Sacramentis munitus, aeternae patriae et beatitudinis desiderio exardescens, saepe saepius nomen Jesu invocans, spiritum Deo reddidit Vicetiae, die 4 Januarii 1582, cum fama et opinione sanctitatis, pluribus miraculorum signis comprobata.

Percrebescebat autem de die in diem fama Sanctitatis, virtutum et miraculorum intercessione Servi Dei patratorum; quare peractis auctoritate Ordinaria Processibus Informativis super eadem Sanctitatis vitae et miraculorum fama, iisque discussis in Congregatione Sacrorum Rituum; enixe supplicantibus Senatu ac Republica Venetiarum, Clero universoque Populo illius Civitatis, nec non Vicetiae, ac universa Religione S. Francisci, Gregorius XV. communi voto ejusdem S. Congregationis, cui examen dictorum Processuum mandaverat, per commissionem Sanctitatis Suae manu signatam *Litteras Remissoriales* et *Compulsoriales* concessit. In cujus Rescripti executionem tres Seniores Rotae Auditores, videlicet Joannes Baptista Cuinus Decanus, Alphonsus Marzanedo de Quirones Patriarcha Hierosolymitanus, et Jacobus Cavalerius nomine praedictae Congregationis, ut tunc moris erat, die trigesima septima mensis Julii anni 1624, praedictas *Litteras Remissoriales* et *Compulsoriales* concesserunt, directas Illustrissimis DD. Patriarchae Venetiarum, nec non Archidiacono Patriarchalis Ecclesiae Venetiarum, a Georgio Minato Protonotario Apostolico... In quarum executionem a praedictis Judicibus Remissorialibus confectus fuit Processus, et ad Urbem transmissus, sed ob supervenientiam tam novorum, quam novissimorum Decretorum fel. rec. Urbani VIII. nihil amplius in Causa actum fuit. Cumque eadem sanctitatis fama una cum miraculis, quae omnipotens Deus praedicti Servi Dei Fr. Antonii Pagani meritis ac intercessione concedere dignatur, continuo aucta adeo percrebuerit, ac in dies percrebrescat, ut concepta in diversis mundi partibus, et maxime in universa Italia, erga eum devotione a plerisque in eorum necessitatibus invocetur, ac plurimorum etiam gravissimorum virorum existimatione Beatificationis et Canonizationis honore, accedente infallibili Sedis Apostolicae judicio, reputetur, et pro ulteriori prosecutione Causae, ac confectione Processus particularis super *paritione* Decretis ab eodem fel. rec. Urbano VIII. in Congregatione Sanctissimae Inquisitionis super non cultu editis in eadem Congregatione Sacrorum Rituum necessaria sit commissio signanda manu S. Vestrae. Ideo, inhaerendo novissimis instantiis supplicantium pro Beatificatione et Canonizatione ejusdem Servi Dei, humillime supplicatur admitti commissionem in prima Congregatione habenda coram S. V. proponendam, ac signandam pro reassumptione hujusmodi Causae in statu et terminis, in quibus reperitur ad limites dictorum Decretorum »...

Post hanc *Informationem,* nec non plurimas Instantias eodem tempore supradicto Summo Pontifici exhibitas tum ex parte Senatus et universae Reipublicae Venetiarum, tum ex parte Patriarchae ejusdem civitatis, tum ex parte duorum S. R. Ecclesiae Cardinalium, nec non plurimorum Episcoporum, aliarumque personarum in dignitate constitutarum, *Causa* revera reassumpta fuit; ast ob temporum vicissitudines, aliasve causas nobis pene ignotas, numquam ad finem fuit perducta. Imo per duo fere integra saecula in perpetuo silentio mansit. Tandem vero nostris temporibus, scilicet anno 1867, cura et sollicitudine Adm. R. P. Postulatoris Generalis, nomine totius Ordinis, nec non Illustrissimi ac Reverendissimi Episcopi Vicentini, denuo e silentio excitata fuit et alacri studio reassumpta. Unde statim novi Processus Apostolici tam *super Virtutibus in specie quam super non cultu* confecti sunt. Imo hunc ultimum jam ipsa Sedes Apostolica auctoritate sua approbavit, confirmavitque die 14. Junii 1873. Eodem tempore peracta fuit tum recognitio Corporis ejusdem Venerabilis Servi Dei, quod nunc religiose asservatur in Ecclesia S. Juliani Martyris, quo translatum fuit a nostra Ecclesia S. Blasii anno 1798; tum perquisitio ejus *Scriptorum,* quae plura et varia sunt. In praesens autem ex commissione Sacrorum Rituum Congregationis eadem scripta diligenter examinantur. Statim ac approbata fuerint, uti sperare licet, agetur de validitate Processus Apostolici *super Virtutibus in specie* etc., seu melius prosequentur alii actus, qui juridice requiruntur ad Beatificationem tanti viri quamprimum obtinendam, uti est in votis omnium, praesertim Franciscalium.

Variae habentur *Vitae* Vener. Antonii Pagani, inter quas eminet forsitan illa, quam in lucem edidit, anno 1713, Abbas Soderini Venetus.

—

CATALOGUS
EPISCOPORUM ORDINIS.

—

S. R. E. CARDINALIS

Emus et Rmus Josephus Sebastianus Neto, M. O. Patriarcha Lisbonensis, nat. in Lagis Faven. die 8 Feb. 1841, elect. Ep. Angolensis die 22 Sept. 1879, prom. 9 Aug. 1883, creatus et publicatus in Concistorio diei 24 Martii 1884, tituli SS. XII Apostolorum, Congregationum de Propaganda Fide, Sacrorum Rituum, Indulgentiarum et Lauretanae.

ARCHIEPISCOPI

Illmus et Rmus Ludovicus Piavi, Patriarcha Hierosolymitanus, M. O., nat. Ravennae die 17 Mart. 1833, elect. Archiepiscopus tit. de Siunia die 18 Nov. 1876, promot. 28 Aug. 1889.

Illmus et Rmus Raphaël d'Ambrosio, M. R. Archiepiscopus Dyrrachiensis in Albania, nat. in Boscoreale in Italia die 1 Feb. 1810, electus 17 Dec. 1847.

Illmus et Rmus Seraphinus Milani, M. O. Archiepiscopus Sidensis in Pamphylia, nat. in Carrara 27 April. 1819, elect. Archiep. tit. Trajanopolitanus 23 Jan. 1871, trans. 11 Feb. 1889.

Illmus et Rmus Fulgentius Czarev, M. O. Archiepiscopus quandanscopiensis, Episcopus Pharensis in Dalmatia, nat. in Castello Abatissae in Dalmatia 15 April. 1826, elect. Archiep. Scopiensis 28 Mart. 1879, transl. 1 Jun. 1888.

Illmus et Rmus Simon Milinović, M. O., nat. in Lovreć in Dalmacia die 24 Feb. 1835, Archiepiscopus Antibarensis in Montenigro electus 18 Febr. 1881.

Illmus et Rmus Guidus Corbelli, M. O., Archiepiscopus Pelusianus, Delegatus Apostolicus pro Orientalibus Aegypti et Arabiae, Vic. Apostolicus in Aegypto pro Latinis, nat. Cortonae die 8 Mart. 1841, elect. 9 Octob. 1888.

EPISCOPI

Illmus et Rmus Aloysius Moccagatta, M. O., nat. Castellatii, dioec. Alexandriae, die 9 Octobris 1809, elect. 8 Martii 1844, Vic. Apost. Chan-si in imperio Sinensi, Episc. tit. Tenopolitanus.

Illmus et Rmus Gabriel Grioglio, M. O. Ep. tit. Eurocensis in Epiro, nat. in Moretta in Italia 2 Mart. 1814, el. 27 Sept. 1852.

Illmus et Rmus Franciscus Solanus Risco, M. O. Episcopus de Chachapoyas in Perù nat. Limae 1829, electus 27 Mart. 1865.

Illmus et Rmus Amatus Pagnucci, M. O. Episc. tit. Agathonicensis in Thracia, Vic. Apost. in Chen-si in China, nat. in Ruota 1833, el. 15 April. 1867.

Illmus et Rmus Venceslaus Archaval, M. O. Episcop. S. Joannis de Cuyo in Republ. Argentina, nat. in Dioecesi Salta 1810, prom. 20 Dec. 1867.

Illmus et Rmus Henricus Carfagnini, M. R. Episcopus Gallipolitanus in Italia, nat. in Scanno 23 Mart. 1823, electus ad Harbour Grace 27 Maji 1870 translat. 17 Febr. 1880.

Illmus et Rmus Ezechias Banci, M. Rif. Ep. tit. Halicarnasensis, Vic. Apost. de Hupe-Occiduo-Septentrionali in China, nat. in Semproniano die 22 Jan. 1833, el. 6 Maji 1871.

Illmus et Rmus Leonardus Giannotti, M. Rif. Ep. Mutilanensis in Italia, nat. in Torcigliano 13 Jan. 1824, prom. 22 Dec. 1871.

Illmus et Rmus Benedictus la Vecchia Guarnieri, M. O. Episcopus Syracusanus, nat. in Canicatti in Italia 13 Jul. 1812, elect. Ep. Notensis 23 Febr. 1872, prom. 5 Jul. 1875.

Illmus et Rmus Fidelis Abbati, M. R. Episcopus Chiensis in Archipelago, nat. Mutinae in Italia die 31 Mart. 1820, el. Ep. Sanctoriensis 17 Mart. 1873 trans. tit. Ep. Gerrhensis 22 Sept. 1879 et ad Chiensem sedem 11 Jan. 1885.

Illmus et Rmus Julius Marsili, M. O. Episcopus Sappensis in Albania, nat. Graecii in Italia die 13 Jul. 1823, elect. Ep. tit. Trajanopolit. 15 Nov. 1873.

Illmus et Rmus Joannes Antonius Puig y Monserat, M. O. Ep. de Portorico, Antilles, nat. in Felinate 20 Jul. 1813, prom. 16 Jan. 1874.

Illmus et Rmus Josephus Masia, M. O. Episcopus Lojensis in Republ. Aequ. nat. in Monroig 1815, elect. 17 Sept. 1875.

Illmus et Rmus Euschias Semprini, M. R. Ep. titul. Tiberiopolitanus in Phrygia, Vic. Apostolicus in Hu-nan in China, nat. in Dongo in Italia die 26 Dec. 1823, el. 20 Jan. 1876.

Illmus et Rmus Gregorius Grassi, M. O. Ep. tit. Orthoniensis in Phoenicia, Coadjutor Vicarii Apostolici de Chan-si in China, nat. in Castellazzo in Italia 13 Dec. 1833, elect. 20 Jan. 1876.

Illmus et Rmus Franciscus Maria Imparati, M. O. Episc. Venusinus, nat. Salerni die 6 Jul. 1838, prom. 27 Febr. 1880.

Illmus et Rmus Paschalis Buconjić, M. O. Episcopus Mandetriensis et Dumnenis in Hercegovina, nat. in Drinovri die 2 Ap. 1834, elect. Episcop. tit. Magydensis die 28 Febr. 1880, trans. 18 Nov. 1881.

Illmus et Rmus Bonaventura Portillo, M. O. Ep. de Zecatecas in Mexico, nat. in Teocaltiche an. 1826, elect. Ep. de Tricala 9 Mart. 1880, trans. ad Ep. Chilapa 25 Sept. 1882 et ad hanc sedem 27 Maji 1889.

Illmus et Rmus Teophilus Massucci, M. R. Ep. Syrensis in mari Ægeo, nat. in Castignano elect. 1 Octob. 1880.

Illmus et Rmus Anacletus Chicaro, M. O. Archiepiscopus tit. Emesensis in Syria, nat. in S. Felice in Italia, die 22 Aug. 1816, elect. 12 Maji 1881, transl. 1888.

Illmus et Rmus Gaudentius Bonfigli, M. O. Ep. titul. Casiensis in prov. Augustamnica (Ras Kasrun.) Deleg. Apostolicus Alepi in Siria, nat. Mathelicae in Italia die 6 Mart. 1831, electus 19 Aug. 1881.

Illmus et Rmus Lucianus Saracani, M. O. Ep. tit. Epiphaniensis in Cicilia, nat. Graecii in Italia die 19 Nov. 1821, elect. Ep. Mandelensis 27 Mart. 1882, transl. 1 Jun. 1888.

Illmus et Rmus Daniel Tempesta, M. R. Ep. Triventinus, nat. in San Donato 1 Aug. 1838, elect. Ep. tit. Surensis 22 Dec. 1882, transl. 14 Mart. 1887.

Illmus et Rmus Marianus Marković, M. O. Episcopus titul. Danabenis in Phoenicia et Administrator Apostolicus dioecesis Banjalucensis in Bosna, nat. in Dolac Travnik in Bosna, die 21 Octob. 1840, electus Episcopus 27 Mart. 1884.

Illmus et Rmus Epiphanius Carlassare, M. Rif. Ep. tit. Madaurensis in Numidia, Vic. Apostol. in Hu-pe Orientali, nat. in Montecchio in Italia, electus 18 Jun. 1884.

Illmus et Rmus Gregorius Maria Aguirre y Garcia, M. O. Episcopus Lucensis in Hispania, nat. in De-la-Pola de Garden die 12 Mart. 1835, prom. 27 Mart. 1885.

Illmus et Rmus Jucundus de Nittis, M. R. Episcopus Castellanetensis in Italia, nat. in S. Giovanni Rotondo die 31 Mart. 1838, electus die 7 Junii 1886.

Illmus et Rmus Martinus Garcia y Alcocer, Episc. Nominis Jesu, sive Caebuanen., in

Insulis Philippinis, M. Disc., natus in Albalate de Zorita, 11 Nov. 1842, prom. 7 Junii 1886.

Illmus et Rmus Pius Vidi, M. O. Ep. tit. Cestrinensis et Coadjutor Vic. Apostolici Chensi in China, nat. Veronae, elect. 24 Aug. 1886.

Illmus et Rmus Josephus Maria Portugal, M. O. Ep. Sinaloensis in Mexico, nat. Mexici 24 Jan. 1838, elect. 25 Sept. 1888.

Illmus et Rmus Benjaminus Christiaens, M. Recol. Ep. tit. Colophoniensis in Asia, Vic. Apostol. de Hu-pè Occiduo-Meridionali, el. 13 Febr. 1889.

Illmus et Rmus Petrus Paulus de Marchi, M. O. Ep. tit, Surensis, Vic. Apost. in Chan-tom Septentrionali, elect. 13 Febr. 1889.

Illmus et Rmus Stephanus Maria Potron, M. O. Episc. tit. Hiericuntinus in Palaestina, nat. Brest in Gallia die 25 Octob. 1836, elect. 25 Junii 1889.

III.
VARIA

EPITAPHIUM

Rmi P. Raphaelis a Ponticulo, *ex Ministri generalis totius Ordinis Minor. de observantia, in basilica Aracaelitana Fratrum Minor. de obs. regul., in qua prope capellam inclytae familiae Serlupi quiescit, ad perennandam bonam tanti viri famam nuperrime positum.*

HONORI ET VIRTVTI
REVMI. P. RAPHAELIS LIPPI DOMO PONTICVLO BONONIENSI
QVI AB EPHEBIS DATA FIDE ORDINI MINORVM OBSERV.
PERACVTO INGENIO SVMMAQVE PIETATE EXORNATVS
STVDIA IMPENSE COLVIT SACRA ET EXOTICA
LINGVASQVE NOSTRALES ET EXTERAS POTISSIMVM SACRAS (1)
HINC SOLIDA DOCTRINA ET AMPLA ERVDITIONE PRAEFVLGENS
ARTES ET SCIENTIAS TRANSFVDIT DOMI FORISQVE (2)
REGII LEP. FERRARIAE VASTALLAE MAGNO AVDIENTIVM EMOLVMENTO
VNDE BIS RETVLIT PRAEFECTVRAM SVAE PROVINCIAE
ITEM PROCVRATIONEM TOTIVS ORDINIS
NEC NON VLTRO APPROBANTE S. M. PIO IX. PONTIF. O. M.
CVI ERAT CARISSIMVS ET A QVO SANCTVS APPELLABATVR (3)
RENVNCIATVS SVPREMVS MODERATOR VNIVERSI COETVS
QVAM DIGNITATEM SEPTENNIVM PRVDENTIA ZELO
AEQVITATE FIRMIDINE CONTRA INGRVENTIA TEMPORA INLVSTRAVIT

(1) Gallicae, graecae, syriacae et hebraicae linguae ac litteraturae ita cultor peritissimus fuit, ut aliquos Rabinos confutaverit, et in Regiensi civitate ad catechizandos Iudaeos, qui a Synagoga ad catholicam fidem converterentur deputatus fuerit. (Epistol. encycl. eius mortem annuntiantes).

(2) In studiis provinciae Bononiensis, Regiensi nempe et Ferrariensi, nec non et in seminario cleri junioris dioecesis Guastallensis. Ibid.

(3) . . . anno 1862 die 7. Iunii in capitulo generali Romae... oraculo Pii PP. IX. qui *religiosum sanctum* etiam post mortem eum dixit, et ut talem in vita habebat, suffragiorum aequalitate in eius (i. e. P. Raphaelis) favorem dirempta, Minister renunciatus generalis, et paulo post inter episcoporum examinatores... adnumeratus.

QVAMQVE PRAE HVMILITATE RESIGNAVIT VNA CVM NVNCIO
BIS REPETITO OBLATAE EPISCOPALIS PROVHECTIONIS
RELIQVO VITAE TEMPORE DATO DEO ET ANIMAE SVAE (1)
SEPTVAGINTA ANNOS NATVS XIV KAL. SEPTEMBRIS MDCCCLXX DEVIXIT
IN DOMINO SPLENDIDO ELATVS FVNERE ET PVBLICE DEFLETVS
REVMVS P. ALOYSIVS A PARMA MIN. GEN.
AD PERENNANDAM BENEMERENTISSIMI VIRI FAMAM
H. M. P.

IV.

BIBLIOGRAPHIA

—

FOLIA PERIODICA FRANCISCANA.

Equidem anno 1883 et 1884 publicatae fuere in *Actis Ordinis* omnes Ephemerides Franciscanae quarum notitiam habuimus; sed quia ex istis aliquae publicari cessarunt, aliae vero novitus prodierunt, et ut Fratres faciliorem notitiam omnium habeant, occasione epistolae encyclicae Rmi P. Generalis opportunum ducimus eas denuo publicae exponere luci.

Rogamus singulos earumdem Directores, ut saltem unum exemplar Curiae Generalitiae transmittere velint.

In America Septentrionali.

1. The Annals of Our Lady of the Angels, published by members of Third Order Regular of S.t Francis of Assisi. Rom 1890. Vol. XXII.

The Annals publicantur singulis mensibus a sororibus Tertii Ordinis Immaculatae Conceptionis. Pretium associationis est pro America 1 dollar et 25 centesimi, pro Europa 4 shillings. — Epistolae dirigendae sunt: *Roma: The Secretary of the Annals, Villa Spada.*

2. Der Sendbote des göttlichen Herzens Jesu. Monatschrist des Gebets Apostolates. Herausgegeben von den Franziskaner-Vätern, Cincinnati Ohio. Anno XXIV.

Der Sendbote (Latine: SS. Cordis Nuntius) publicatur singulis mensibus a Fratribus Minoribus Provinciae Cincinnatensis S. Joannis Baptistae. Pretium associationis in America 2 dollars; pro Europa 2 dollars e 20 cents. Litterarum directio: Sendbote, 593 *Vine Str.* Cincinnati O.

In Anglia.

1. Franciscan Annals and monthly Record of the Third Order, established 1877, honoured with the Blessing and Commendation of Our Holy Father Leo XIII. Anno XIII. (in-12).

A Patribus Capuccinis Provinciae Angliae eduntur praedicti Annales. Associationis pretium, 4 shill. per annum, R. P. Directori, transmittendum est: St. Antony 's, East Dulwich, London, S. E.

2. The Franciscan Herald, a monthly remembrancer for English speaking Tertiaries, published unther the direction of the Franciscan Fathers of the Observance 1890, Vol. IV.

Praeco Franciscanus publicatur singulis mensibus a Patribus Observantis Provinciae Galliae qui in Angliam hospitalitatem invenerunt, postquam e patriae Conventibus anno 1880 ejecti fuerint. Associationis annuae pretium, 1/6, solvendum Secretario Periodici in *Ulcombe, Clevedon,* (Somerset).

In Belgio.

1. Nouvelle Revue Théologique, ou série d'articles et de consultations sur le droit canon, la liturgie, la théologie morale, etc. publiée sous la direction du R. P. Piat de Mons, de l'Ordre des Frères Mineurs Capucins, avec l'Approbation de l'Archevêché de Malines. De la Collection tome XXII.

Associationes peti possunt sive Parisiis, rue Bonaparte 66, sive Lipsiae *Querstrasse* 34, sive Tornaci, apud editorem Casterman.

(1) « Fractus demum plus laboribus ac doloribus, quam annis, generalatus munere a se abdicato... die 26 Aprilis 1869... omnibus pietatis exercitiis majori fervore resumptis, humilitati, solitudini, meditationibus incumbens... mortificationi intentus ciliciolum super nudum corpus, tempore praesertim celebrationis sanctissimi sacrificii missae deferens... » ad mortem se praeparabat. Ibid.

2. Le Messager de S.[t] François d'Assise, Revue Mensuelle du Tiers-Ordre publiée par les Pères Récollets de Belgique et dédiée au Sacré Coeur de Jésus, Saint-Trond, Imprimerie E. Schoofs-Herman, 8 Grand' Place. XXII année.

Die 15 cujuslibet mensis in lucem venit haec publicatio cum 24 pag. in 8. Pretium associationis est Fr. 2 pro Belgio; 2, 50 pro Hollandia; 3 pro Gallia, Italia, Anglia et Germania.

Scribendum sive editori, ut supra, sive Redactori in Conventu Recollectorum, Anvers (Belgique).

Ejusdem periodici habetur etiam editio altera in lingua flandrica.

In Bosna.

Glasnik jugoslavenskih Franjevaca. i. e. Nuncius Franciscanorum meridionalium.

Prodit Serajevii in Bosna, lingua croatica, cura Patrum Ord. S. Francisci de Obs., quolibet mense semel in fasciculis. Associationis pretium pro Austria flor. 2. sive L. 4.

In Croatia.

Cvetje z vertov sv. Francisca. Mesecni list za verno slovensko Giudstvo, zlasti za ude tretjeg reda sv. Franciska... v. Gorici (Flores ex horto S. Francisci decerpti etc.)

Pagella haec, quae inde ab anno 1880 a quodam Patre Provinciae Croatiae-Carnioliae Lectore singulo mense typis committitur, est fideli populo slovenico imprimis vero III Ord. S. P. N. Francisci membris destinata; et quam fini suo respondeat, vel ex numero associatorum, qui sunt 4,000, metiri licet. Proventus, ut ajunt, puri, sunt promovendae missioni nostrae apud Sinenses addicendi.

In Gallia.

1. Annales Franciscaines, bulletin mensuel, Librairie Poussielgue, 15 rue Cassette, Paris.

A Patribus Ordinis Minorum Cappuccinorum Provinciae Galliae dirigitur haec publicatio, praesertim in favorem Tertii Ordinis.

Associationis pretium est Fr. 3 pro Gallia et 4 extra Galliam. Scribendum editori ut supra.

2. Annales du Tiers-Ordre séraphique sous la direction des Pères Franciscains Récollets. Caen Imprimerie Pagny, rue Froide 27. In 8° pag. 32.

Folium hoc est continuatio alterius folii « l' *Année Franciscaine* » quod anno 1886 finem habuit. Singulis mensibus editur a Patribus Rec. Provinciae tum S. Dionysii tum S. Bernardini in Gallia. Pretium annuum (Fr. 3.) transmitti potest P. Directori, *rue du Croizic 97*, S. Nazaire (Loire Inférieure).

3. Revue Franciscaine, bulletin mensuel du Tiers-Ordre de S. François, publié par les Franciscains de l' Observance, avec l' approbation du Ministre Général de l' Ordre, XX année nouvelle série.

Patres Observantis Provinciae S. Ludovici in Gallia hanc publicationem edunt, in favorem praesertim Tertiariorum sibi subditorum. Pro associatione, sic dirigendae sunt litterae: R. P. Directeur de la Revue Franciscaine, rue de Pessac 202, Bordeaux (Gironde).

Pretium annuum solvendum 3 fr. pro Gallia, additis extra Galliam transmissionis sumptibus.

4. L' Union Economique, organe des œuvres coopératives de Crédit mutuel et de placement gratuit, paraissant le dix de chaque mois. XI[e] année. Paris, rue des Lombards, 23.

A. R. P. Ludovico, Ordinis Minorum Cappuccinorum, et oeconomiae popularis apostolo, originem habuit haec mensilis publicatio, quae a saecularibus tamen viris praesertim dirigitur. Associationis annuae conditiones sunt pro Gallia Fr. 5, et extra Galliam adduntur transmissionis expensae.

5. Annales des Franciscaines Missionnaires de Marie, honorées de la bénédiction de sa Sainteté, Léon XIII et du Révérendissime Père Général. IV.[e] Année. Paris, Imprimerie Franciscaine Missionnaire.

A Sororibus Franciscalibus, quae Missionariae Mariae nuncupantur haec publicatio editur, ac praesertim earumdem Sororum labores et opera in Missionibus Africae, Indiae et Sinensis Imperii enarrat. Associationis pretium est Fr. 3 pro Gallia, et ipsi Directrici scribendum, rue de l' Ebre, 5, Paris.

In Germania.

1. Sanct Francisci Glöcklein. Monastschrift für die Mitglieder des III Ordens des heil. Franziskus. Gesegnet von sr. Heiligkeit Papst Leo XIII, Approbirt vom hochwürdigsten Ordensgeneral. Redirgit und herausgeben von P. Barnabas Ortner, Franziskaner in Innsbruck. Druck und Verlag von Fel. Rauch in Innsbruck. XII. Jahrgang.

S. Francisci Glöcklein (Campanula S. Francisci) publicatur singulis mensibus a Patribus Prov. Tyrolensis S. Leopoldi (Franziskaner-Kloster in Innsbruck). Pretium est 60 crucigeri austr., per postam 75 crucig.

Viginti et quinque millia Associatorum hujus publicationis circiter numerantur.

2. Die Mission im Heiligen Lande, i. e. Missio in Terra Sancta, folium illustratum quod edit P. Franciscus Angeli, Obs. Provinciae Capistranae filius, Commissarius Genera-

lis Terrae Sanctae. Prodit singulis binis mensibus in fasciculis, Viennae et Wirceburgi, et pretium annuae associationis est 2 flor.

In Hispania.

1. Revista Franciscana publicacion mensual destinada a la propagacion de la Vener. Orden Tercera de penitencia del Serafico Padre S. Francisco de Asis, aprobada por los Rmos Comisario General apostolico de Espana y Ministro General de la Orden, y bendicida por Pio IX y Leon XIII. Barcelona, Tip. Catolica, calle del Pino 5. — Año XVIII, 1890.

A Patribus Observantis Catalaunensis Provinciae publicatur hoc mensile periodicum et pretium associationis annuae 12 reg. hispanicis quod 3 francis aequivalet.

2. El eco Franciscano, Revista mensual consagrada a fomentar la devocion al Serafico Patriarca San Francisco de Asis, a propagar sus tres Ordenes y a promover en ellas la imitacion del santo Fundador, publicada por los Padres del Colegio de Misioneros para Tierra Santa y Marruecos, establecido en Santiago. — Santiago, Imprenta de los Padres Franciscanos. — 1890, Año VI.

Mense Maji anni 1884 initium sumpsit haec publicatio, cura Patrum Missionariorum Regularis Observantiae S. Jacobi de Compostella. Associationis pretium est 5 pesetas per annum intra Hispaniam.

3. El eco de S. Francisco de Asis, revista catolica, continuacion de « *la verdad catolica* ». Habana, establecimiento tipografico de Soler, Alvarez y Comp. Calle de Recla, 40.

Singulis etiam mensibus publicatur ab anno 1883.

4. El Mensajero Serafico, revista mensual dedicada a los Terciarios y devotos de N. P. S. Francisco de Asis en España y América, dirigida por los FF. Menores Capuchinos de San Francisco, con licencia del Ordinario. Administración libreria Católica de Gregorio del Amo. Madrid, Calle de la Paz, núm. 6.

A Patribus Capuccinis publicatur singulis mensibus et ad VII annum pervenit. Associationis pretium *12 reales* in Hispania, et 20 r. in Unione postali.

In Hollandia.

Sint Franciscus. Maandschrift voor de Seden van de derde Orde.

Hoc periodicum mensile pro sodalibus Tertii Ordinis editur a Patribus Provinciae Hollandiae a mense Januario 1886.

In Italia.

Praeter Acta Ordinis nostri, (ab anno 1882), et Analecta Ordinis Minorum Capuccinorum (ab anno 1884), quae specialiter eduntur pro Religiosis primi Ordinis, sequentes Franciscanae ephemerides in Italia publicantur:

1. La Carità, rivista religiosa, scientifica, letteraria.

La Carità Neapoli originem habuit, cura egregii P. Ludovici a Casoria, Min. Ref., et Fratrum Tertii Ordinis Regularis, vulgo Biggi nuncupatorum fundatoris; a Patribus ejusdem Tertii Ordinis praesertim continuatur.

Singulis mensibus per fasciculos 80 vel 90 paginarum in 8° venit in lucem, et pro associationis annuae sumptibus solvendi sunt Franci 13 pro Italia et extra Italiam cum additione expensarum pro transmissione. Sicuti pro *Orfanello*, de quo infra, scribendum editori, Napoli, San Raffaele a' Mater Dei.

2. L' Orfanello, consacrato al Sacro Cuore di Gesù. Napoli, tip. degli Accatoncelli.

Singulis editur mensibus et solvuntur Fr. 4 pro annua associatione. Scribendum editori, Napoli, San Raffaele a Mater Dei.

Curantibus Tertiariis Regularibus vulgo Biggi, in lucem venit haec publicatio.

3. Gli Annali Francescani, Periodico Religioso dedicato ai Fratelli e alle Sorelle del Terz' Ordine, per cura di alcuni Padri Cappuccini. Milano, tip. Boniardi-Pogliani, Via Unione 20.

Pretium associationis est Fr. 4 pro interno et 5 externis regionibus. Petitur associatio a Redactione degli Annali Francescani, in Conventu PP. Cappuccinorum, fuori di Porta Venezia. Milano.

Bis in mense publicatur hoc folium a Patribus Cappuccinis Provinciae Mediolanensis.

4. Letture Francescane, periodico mensile religioso, dedicato ai Figli Terziarii di S. Francesco d'Assisi. Cuneo (Piemonte) presso l'editore libraio Giacomo Stellino, Via Mondovi.

Ut apparet ex titulo, singulis mensibus publicantur praelaudatae Lectiones franciscanae; in eis disputatur de Tertio Ordine, de Sanctis et Beatis ejusdem, etc.

Pretium associationis pro Italia est Fr. 1, 50; extra Italiam 2, 50, vel superadditis transmissionis sumptibus.

A pio quodam saeculari sacerdote inceptae sunt et diriguntur; sed Patrum nostrorum non paucos articulos continent.

5. Eco di S. Francesco d'Assisi. Rivista sacro-francescana illustrata, benedetta dal Santo Padre Pio IX e da Leone XIII. — 1890, Anno XVII.

Bis in mense, die scilicet 15 et 30, publicatur. In singulis fasciculis pag. 36, in 8. duae incisiones franciscanae reperiuntur. A Patribus Capuccinis neapolitanis haec publicatio in lucem profertur.

Pro associatione annua lib. 10 solvuntur in Italia, et 14 extra Italiam. Scribendum editori in S. Agnello di Sorrento.

Ab iisdem editoribus publicatur Hebdomadarium periodicum cui titulus: *Stelle e Fiori*, pro lib. 4 annuae associationis.

6. Rivista Mariana, ossia l' Immacolata di Lourdes in Sardegna. Publicazione mensile benedetta da SS. Leone XIII. Anno X. Cagliari, tip. del Corriere. 1890.

Cura P. Justi Serra, Min. Obs. nuperrime defuncti, editur hoc periodicum singulis mensibus et pretium annuae associationis aequivalet 3 Fr. seu libellis italicis.

Petitur associatio a P. Editore, S. Rosalia, in Cagliari. (Sardegna).

7. L' Oriente Serafico, periodico del Terz' Ordine Francescano, istruttivo, morale, ascetico, letterario, ricreativo. 1890. Anno II.

L' *Oriente* anno elapso in lucem prodiit, cura R. P. Basilii a Graecio, nuperrime e vivis sublati. Continuatur a Patribus Obs. Prov. Seraphicae. Associationis pretium L. 3., mittendum P. Directori, *S. Maria degli Angeli presso Assisi.*

8. Guida al Terziario Francescano nel secolo.

Primum semel nunc autem bis in mense publicatur, cura Patrum Ref. Prov. S. Didaci, in Insubria, Novariae in fasc. 32 pagin. et associationis pretium L. 3,50 pro Italia, L. 5 pro exteris nationibus. Peti potest a typographia Petri Reina, Novara.

9. La Palestina e le rimanenti Missioni francescane in tutta la Terra, Cronaca compilata dai PP. Marcellino da Civezza e Teofilo Domenichelli in varie lingue.

Hoc anno in lucem prodiit novum hoc periodicum, per fasciculos mensiles 64 pag. in 8°., et annuae associationis pretium est Lib. 10, solvendum Romae, *Via Merulana 124, Collegio S. Antonio.*

10. La Crociata, periodico mensile, illustrato, per la diffusione del Terz' Ordine di S. Francesco d' Assisi; Direzione: Torino, Via Principe Amedeo, 16. Abbonamenti, L. 1 all' anno, per 5 copie L. 4. (Serie 2).

In Polonia.

1. Echo trzeciego zakonu sw. O. Franciszka. (id est: Echo Tertii Ordinis S. Francisci) Wychodzi w zeszytach miesiecznie i kosztuje rocznie: w Krakowie 40 centow; z przesylka do Austryji 65 centow, do Niemiec 1 m. 50 fen., do Francyi i Wloch 2 franki, do Ameryki 1/2 dolara. Pojedynczy zeszyt w Krakowie 5 centow. z przesylka 7 ct. 14 fen. Redaktor i Wydawca: Dr. Wladyslaw Milkowski. Redakcyja i Administracyja w Ksiegarni Katolickiéj dra Wladyslawa Milkowskiego w Krakowie.

2. Dzwvonek III Zakonu S. O. N. Franciszka etc. i. e. Campanula III. Ord. S. Francisci lingua polonica edit. P. Ceslaus Bogdalski, Ord. S. Francisci de Observ. Provinciae B. Mariae Immaculatae Conceptae in Galicia. Prodit Cracoviae semel in mense in fasciculis.

V.

NECROLOGIA

Adm. R. P. Alexander M.a Corrado, nostri hujus Collegii decus et ornamentum, virtutum omnium gemma pretiosissima gaudiumque Fratrum universorum, Romae, anno 1830, die 13 Februarii, e claris ac piis parentibus ortus est. Bona indole praeditus lepideque ingeniatus, scholarum Piarum sodalibus magistris, linguae latinae operam dedit.

Hanc ut scite didicit, in Collegium Romanum ingressus est, et per sexennium litteris graecis se dedidit. In studio autem humanarum literarum et rhetorices ita versatus est, ut numismate argenteo decorari meruerit.

Quintodecimo aetatis anno jam expleto, inter Minores de Observantia Romanae Provinciae seraphicum habitum magna cum laetitia cordis induit; jamque solemni votorum nuncupatione Deo dicatus, studium et operam philosophiae impertivit in Conventu Ara-Caeli, animumque ad Sacram Theologiam, per duos annos cum dimidio, adjecit in Conventu Montis Perusiae. Sacerdos tandem factus vocemque Domini ad Missiones eum vocantis humiliter audiens, anno 1852 in Collegium sacrorum suorum operariorum ab Adm. R. P. Zephyrino Muzzani cooptatus, e Genuensi solvens portu, ad hoc Apostolicum Collegium summa

cordis hilaritate, die 30 Januarias sequentis anni pervenit.

Per annos 23 in Missionibus infidelium vitam egit. Ut Fratribus summe commodus et affabilis, ita Indis humanissimus erat. Cum facillimis esset moribus, omnes humaniter tractabat: cumque, dum esset in Missione quae vulgo dicitur Tarairi, magnam sibi famam conciliasset apud Indos, quibus nomen est *Comm,* vulgo autem *Tobas,* eorumque gratiam iniisset, persuadere tandem eos potuit, ut Reductionem sibi conderent, ibique sub paterna ejus auctoritate ac directione viverent. Deo igitur favente tamque digno Patre adnitente, anno 1860 nova atque admodum insignis fundatio facta est: et efferata ac vaferrima et vere indomita illa natio inferno jugo colla eripuit et se subjecit imperio defleti fratris et potestati, ac per hoc suavi Christi jugo et vitae civili.

Per sexennium Missionum Praefecti munere functus est, spemque omnium perfectissime explevit. Hinc officii duxit perpolire et absolvere perutile ac pernecessarium opus: *Catecismo de la doctrina cristiana con varias oraciones y prácticas piadosas en lengua Chiriguana con su traduccion literal al Castellano etc.;* quod editum est in oppido Sucrensi anno 1871.

Capitulo an. 1873 celebrato, sodales seu vocales eum sibi in Guardianum elegerunt. In tam periculoso munere obeundo, vir maximi consilii sese ostendit; justitiam et aequitatem omnino servavit. Cumque optime sciret eum, qui praeest aliis, primum esse debere in Regulae et Constitutionum observantia, in exercitio virtutum ac in omnibus aedificantibus operibus; semper et in omnibus se praebuit exemplum bonorum operum, omniumque benevolentiam et auctoritatem sibi comparavit.

Per annos quatuordecim scriptoris munus exequutus est, et per quadriennium Magistri novitiorum clericorumque et Lectoris philosophi dignitatem et officium sustinuit. Sustinuit autem expectationem sui. Pluries in Discretum electus fuit. Semel praefuit electionibus capitularibus ex Commissarii Generalis delegatione ei rite facta, seseque ostendit virum sapientem atque prudentem.

Anno 1883 legere se passus est in Collectorem Missionariorum: quapropter, literis obedientialibus Commissarii Generalis subinde munitus, Fratribus valedicens Romam petivit. Dumque eo esset ac suum ageret negotium, finem quoque imponebat egregio suo operi, quod memoriam ejus immortalem reddere hisce omnibus in regionibus debebat. Abhinc annos quatuor typis mandaverat opusculum cui titulus erat: « *Apuntes sobre la fundacion de la ciudad de Tarija y su Colegio Franciscano* »; nunc vero prelo exscudere curavit opus modeste inscriptum: « *El Colegio Franciscano de Tarija y sus Misiones — Noticias historicas recogidas por dos Misioneros del mismo Colegio* · — *Quaracchi, cerca de Florencia — Tipografia del Colegio de S. Buenaventura MDCCCLXXXIV* ». De cujus excellentis libri multiplici merito multam orationem habuisse scimus viros doctos.

Die 19 Dec. an. 1883 antequam Roma discederet, ut iterum rediret in hoc suum Collegium, Rmus P. Bernardinus a Portu Romatino, tunc Min. Generalis totius Ordinis Min., Commissarium Generalem Fratrum et Collegiorum hujus Reipublicae instituit ac nominavit. Quatuor ergo sociatus sacerdotibus et totidem juvenibus tyronibus, die 17 Oct. anni sequentis, hujus Collegii limina, magna omnium gratulatione, ingressus est. Singula Collegia et Hospitia atque hujus Collegii et Taratae Missiones, suis ipse oculis vidit atque per se visitavit: quo munere fungendo multos variosque et maximos labores suscipere et periculum capitis pro eorum bono saepe saepius negligere sibi opus haud dubie fuit. Idque mirum, quantum profuit ad eorum profectum et consolationem.

Cum scientia et pietate, moderatione et constantia omnibusque veris ac solidis virtutibus vir egregius polleret, non modo de sodalibus bene promeruit, sed etiam de aliis. Primo quidem quod sanctae erat conversationis, et omnes, quibuscum agebat, ad pietatem alliciebat: dehinc quod multos avertit ab omni via mala, et ad veram reduxit salutis viam: denique quod magni erat apud Ill.um ac R.um Archiepiscopum Platensem, cui auxilio fuit in gravibus quibusdam negotiis ad Monasteria spectantibus; ac tandem quod, Provinciali Concilio in oppido Sucre anno superiore convocato, Patres omnes summopere adjuvit. Concilii demum studiis atque laboribus, Deo O. M.

ducente, finitis; voluit Venerabilis Praesul, ut ejusdem Concilii Acta ex hispanico in latinum sermonem verteret.

Invite quidem negotium subiit: quippe jam duo fere anni erant, ex quo in languorem inciderat, et ad suos redire cupiebat. Sed hortante Rmo Metropolitano veniamque ei dante, ut ad nos rediret viresque deperditas restitueret, pollicitus est se illud acturum et effecturum ex sententia, impendentis mortis nescius. Ad nos ergo reversus, viribus aliquantisper reparatis, initium versionis fecit. Verum, praeterquam quod fera tussi, qua jam olim laborabat, continue vexabatur, aegrescere et in pejus in diem ruere videbatur. Superiore sane mense atque anno in occasum vergentibus, ingravescere in dies malum visum est, et lecto (aegrotus) teneri debuit. Verumtamen, primis hujus anni 1890 diebus, aliquanto melius se habere dicebat. Capitis vero periclitari nullo modo apparebat. Sed heu! Post primam et dimidiatam noctis horam secundae diei novi vertentis anni, mirus invadit misero nervorum stupor. Monemur ipso temporis momento a sodali. Non currimus, sed volamus ad lectum morientis! et continuo medicum accersimus, qui incunctanter currit subsidio. Inanes conatus! Tantum enim opitulari ei potuit, atque fortasse efficere, quominus mortem obiret ea ipsa nocte. Quippe in magno Epiphaniae festo, hora septima decimoque momento post meridiem supremum dieni explevit. — Lamentabilis infirmi conditio prohibuit quominus Poenitentiae et Eucharistiae sacramenta eidem adhiberentur: tantumque Extrema Unctio praeberi potuit. Attamen sanctissimi ejus mores, honestissima vita, invicta fides, firmissima spes, profunda humilitas, perfecta charitas, et erga Deiparam, Seraphicum Patrem atque Sanctos piissimus animus, praedestinationis, licet incerta, signa sunt. Si enim omnis perfecta et cumulata virtus maximi est apud homines ponderis, quanto magis apud Deum infinite bonum?

Arsit insuper studio gloriae Dei et salutis animarum, praesertim vero fratrum, charitati suae concreditarum. Collegium et Missiones adamavit plurimum. Nemini unquam nocuit: aeque omnes peramavit, omnibus benefecit. Numquam scienter jus violavit ullum. Recta tecta praecepta divina habuit. Quidam confrater noster die 12 Decembris an. 1854 genitoribus ejusdem P. Conradi scripsit: « Conradus vivit ut sanctus, laborat ut apostolus, et si debuerit mori, morietur ut martyr ». Cum a principio sensus omnes amisisset, numquam tamen Crucem, vel Crucifixum, vel reliquiarum thecam, quas semper in laeva tenebat (dextram enim mortuam habebat) elabi ex ea permisit: e contra saepius eas osculabatur. Maximo etiam devotionis affectu Bmae V. M. imagines deosculabatur, cum ad alia verba omni sensu carens videretur et esset.

Occubuit igitur colendus Pater, non senectute confectus, sed onere officii oppressus. Finivit enim sexagesimo aetatis anno nondum expleto. Omnes honestates civitatis eum animam agentem viserunt: mortem ejus doluere: funeri severa disciplinae observantia interfuerunt: humationi adstiterunt, supremoque die laudaverunt eum. Luctus cepit civitatem, mortique ejus illacrymata nobiscum est. Quam ergo fuerit civitati nobisque carus, moerore funeris judicatum est.

Rependat Deus singulis omnibus praemia pro merito: det nobis, ut similius fratrem imitari possimus; et anima tandem ejus in pace requiescat.

R. I. P.

Adm. R. P. Hermes Genghi a Recineto, cujus ploramus jacturam, ortum habuit ex honestis parentibus die 24 Octobris 1814, et die 24 Novembris 1832 Ordinem nostrum inter Minores Observantes Picenae Provinciae ingressus est. Lectoris, Definitoris, Secretarii, ac Ministri Provinciae suae officia egregie implevit. A Rmo. P. Raphaele a Ponticulo s. m. Ministro Generali, Romam vocatus, munus Secretarii Generalis Ordinis ultra sexennium sustinuit, interim plures Ordinis Provincias, qua Commissarius Generalis sanctae obedientiae merito perlustrans. Regulae observantiam verbo et exemplo promovit, pietatem ac spiritum orationis ferventer coluit, et formam praeseferens nostrorum antiquorum Patrum, terrena quaecumque firmiter constanterque despexit. Post expletum Secretarii Generalis munus, benedictione Rmi P. Bernardini a Portu Romatino

Ministri Generalis in Curia Generalitia manens, operam suam prompto animo et fidelissime in bonum Ordinis praestitit, et quod a servitio ei demandato supererat temporis, totum in aliqua Urbis Ecclesia ad fundendas preces insumebat. Ideo omnes Collegii Fratres honore et amore eum semper prosecuti sunt. Sub finem mensis Februarii morbo correptus, gravique febri, quae non amplius eum deseruit, dire vexatus, coepit viribus destitui. Mortem vicinam praesentiens, pluries, ut Ecclesiae Sacramentis reficeretur, humiliter petiit, quae quidem magna fide et devotione recepit. Tandem, ingravescente morbo, die 6 Martii post horam nonam pomeridianam, sui plene compos, placide animam reddidit Domino Deo suo.

R. I. P.

Recollectorum Provincia SS. Cordis Jesu in Statibus unitis Americae septentrionalis mortem deplorat A. V. P. Innocentii Wapelhorst, Definitoris actualis, qui Ecclesiae sacramentis munitus die 31 Januarii hujus anni in conventu S. Ludovici piissime in Domino obdormivit. Qui natus est in Germania anno 1833 ibique studia fere absolvit et quidem ita, ut morum integritate et diligentia studiorumque profectu inter condiscipulos semper eminuerit.

Anno 1855 profectus in Americam septentrionalem paulo post in civitate S. Ludovici sacerdotio est insignitus. Abhinc per annos viginti tres parochias quasdam administravit, munere cancellarii Archiepiscopi S. Ludovici functus est, in seminario clericali ad S. Franciscum Salesium prope Milwaukee in statu Wisconsin litteras docuit eidemque demum rector per aliquot annos praefuit.

Anno vero 1879 munere illo honorifico se abdicavit et in Provincia SS. Cordis Jesu paulo ante erecta humilem seraphicae religionis habitum, quem diu desideraverat, laetabundus induit. A votis suo tempore emissis usque ad obitum suum in Conventu nostro S. Ludovici variis muneribus magna cum alacritate functus est. S. theologiae lector renuntiatus egregie docuit et praeterea scripsit caeremoniale et liturgiae compendium, quod haud immerito magni habetur, variasque quaestiones per ephemerides publicandas pertractavit; instructor seu magister fratrum tam laicorum quam clericorum factus magna cum circumspectione iis moderatus est; rector missionis seu parochus institutus nulli pepercit labori, ut omnes animas curae suae concreditas ad salutem perduceret.

In omnibus tam variis vitae conditionibus et occupationibus Dei gloriam quoad vixit semper quaesivit. Zelus animarum, quo flagrabat, nullam ei concessit quietem : assiduus erat in confessionibus excipiendis, animabus dirigendis, infirmis visitandis, afflictis consolandis, paratissimus semper erat ad consilium dandum, quod ab ipso expetere solebant sacerdotes vel etiam episcopi in difficilibus negotiis. Erat humilis et modestus, et erga quemlibet benevolum et affabilem se exhibebat. Proinde fideles summa aestimatione et dilectione eum prosequebantur et ad funus ejus quamplurimi lugentes confluxerunt.

R. I. P.

In collegio apostolico ad S. Franciscum civitatis Quito, reipublicae Aequatoris, Americae Australis, die 12 Augusti anni 1889 supremum diem piissime clausit P. Philippus Martinez.

Natus fuit in oppido de Quintana in Hispania, dioeces. Victorien. di 25 Martii 1817. Anno 1833 21 Octobr. Ordinem ingressus, in Conventu Victoriensi Ordini Seraphico nomen dedit, ast rebellione civili brevi exorta, Conventu exire coactus, postquam aliquod tempus domi suae latuisset, in Italiam transiit, ubi terminatis studiis, die 15 Octobr. an. 1843 sacerdotio initiatus fuit. Sacerdos P. Ferdinando Pallares, novos missionarios in Americam ducturo se adjungens, in regnum Peruanum perrexit munus apostolicum exerciturus. In collegio de Ocopa studio linguae *Quichua* tanta diligentia incubuit, ut brevi ea potitus munus missionarii inter infideles Ucayali dictos susceperit et illud sexennio et multo cum spirituali fructu exercuerit, donec mala valetudine coactus in collegium de Ocopa rediret. Viribus dein aliquantulum refectis, superiorum jussu cum tribus sacerdotibus et duobus choristis in civitatem Quito concedens, collegium apostolicum mis-

sionariorum ibi, applaudentibus civibus, fundavit, cui dein jam ut praeses, jam vero ut discretus utiliter praefuit.

Erat vir doctus et pius; partus ingenii sui sunt opera lingua hispanica scripta et partim edita: *El Alma devota, El Diario Espiritual, S. Francesco de Sales propuesto por modelo de las almas piadosas etc. La Vida y sermones de S. Leonardo, El Alma amiga de Jesus Sacramentado.*

Praeterea erat indole pacificus, quem sincerus animus, profunda humilitas insuper et religiosa obedientia admodum commendatum et amabilem reddebant; orationis et meditationis studiosissimus, in frequentando choro, exercitio *Viae Crucis* et *visitatione* augustissimi Sacramenti Eucharistiae exemplum Fratribus et fidelibus se praebuit absolutissimum; quare et mors ejus, piissimae vitae exactae similis, ceu sancta ab omnibus reputata fuit.

R. I. P.

In eodem collegio ejusdem civitatis et reipublicae, die 11 Januarii 1890 animam suam Deo reddidit devotissimus Fr. Conradus de Jesu et Maria Ibañez, laicus in Ocilla Hispaniae loco 13 Junii 1848 natus, Ordinem Seraphicum in dicto collegio S. Francisci 7 Julii 1872 ingressus et 9 Julii 1876 solemniter professus. Paupertatis et patientiae amantissimus, exemplar fuit optimi religiosi ad perfectionem spiritualem tendentis.

R. I. P.

R. P. Samuel, almae Reformatae Provinciae Tusciae Filius in osculo Domini obiit die 10 Januarii currentis anni in nostro Coenobio S. Bernardini Senalongae.

Senalongae 16 Septembris 1816 non divitibus, sed piis atque honestis parentibus Dominico Terrosi et Caroni Francisca ortus, mundi pericula atque carnis illecebras a primis annis cupiens vitare de capessendo Franciscalium Reformatorum Instituto secum animo deliberare coepit. Decimo octavo aetatis suae anno libenter in Ordine receptus ex obedientia Scytonium perrexit ut tyrocinium inchoaret. In hoc probationis tempore pietatis, devotionis ac humilitatis specimina dedit praeclarissima, ob quae, prudentiaeque dotem, qua condecoratus erat, atque legum constitutionumque sui Ordinis observantiam, cujus ad mortem usque cultissimus fuit, ex Superiorum jussu, post studiorum curriculum laudabiliter expletum et Sacerdotio initiatus, Guardiani, Vicarii, Novitiorum et Clericorum Magistri atque Monialium Confessarii munere, licet invitus, pluries fungi coactus est. Quaeis officiis communi Religiosorum admiratione et plausu expletis, ex unanimi Patrum Vocalium suffragio una et altera vice in Definitorum Provincialium numerum est cooptatus ac semel Custos electus. Et ad majorem, primam scilicet Provinciae dignitatem electus foret, uti omnium in desiderio erat, si continua ejus infirma valetudo et annorum processus minime obstitissent.

Seraphico nostri Instituti ardore ita flagrabat, ut cum aliqui Religiosi majoris perfectionis studio incensi strictiorem adhuc observantiam aliquibus in Coenobiis inducere desiderarent, ipse Romam petiit apud Superiores Ordinis tam piam causam patrocinaturus. De bono etiam materiali Provinciae fuit semper studiosissimus; et in recuperandis Provinciae suppressis Conventibus, atque in nova aliquorum erectione ut Montis Calvarii et Clanciani, praecipue vero Pauperum Monialium Sanctae Florae, quas Capuccinas vocant, magnam habuit partem et laborem. His virtutibus atque laboribus debilitatus, infirmatus est Sanctae Florae adhuc Monialium Confessarius et per novem circiter menses in lectulo jacuit. Qua in infirmitate, ut plures illius Terrae nobis renuntiarunt, omnium virtutum exempla dedit. Mense autem Augusti anni proxime elapsi, suadentibus medicis, Senalongam venit ad mitiorem atque nativum aerem spirandum. In primis aliqua spes sanitatis effulsit. Ast hyemis superveniente tempore in morbum iterum et graviter incidit, qui sensim sine sensu Patris vires, alias poenitentia fractas intra duos circiter menses penitus consumpsit. Quando mortem sibi instare cognovit, suam ad Dei voluntatem conformans, et a fratribus cum lacrymis circa lectum adstantibus veniam humillime petens, eos ad amorem Dei, et Seraphicam ad invicem dilectionem exhortatus est.

Post haec Ecclesiae Sacramentis devotissime receptis expiravit.

R. I. P.

Die vigesima secunda Novembris, anni proxime elapsi millesimi octingentesimi octuagesimi noni ad meliorem vitam transivit in Collegio Missionariorum S. Josephi Civitatis de Pace, Ordinis S. S. P. N. Francisci, R. P. Joannes Bernat.

Natus in Civitate de Reus, dioecesis, seu melius Archidioecesis Tarraconensis in Hispania die vigesima tertia Junii anni 1817, habitum seraphicum induit in conventu Gerundensi Observantis Provinciae Catalauniae, vix aetatem sexdecim annorum nactus, anno 1833.

E conventu expulsus per impiissimam revolutionem, sicut et ceteri omnes Religiosi in Hispania, Julio 1835 ad finem vertente, ad exercitum Caroli V vitae salvandae causa se transtulit.

In Galliam migratus, ibi theologiae vacavit in Seminario Albiensi, ibique ad Subdiaconatum, Diaconatum et Presbyteratum fuit promotus diebus 29 Martii, 4 Aprilis et 13 Junii 1840.

Anno 1841 vix inchoante, in Palaestinam se contulit, atque ad Conventum Damascenum, ut studio linguae Arabicae vacaret, fuit destinatus; in quo adeo profecit, ut ejusdem Civitatis Vice-Parochus fuerit renuntiatus anno 1844 ad finem vertente; quo munere per biennium functus, ad Civitatem Nazareth eodem titulo et munere fuit translatus. Mense Februario 1847 Vice-Parochus Bethlehem in Judaea nominatus, munus exercuit per quinquennium usque ad Novembrem 1852; quo tempore licentiam in Hispaniam revertendi a Superioribus obtinuit, in qua ejus merita et labores quam maxime laudantur.

In Hispaniam rediens de licentia Superiorum iter ad Collegium Missionariorum de propaganda fide S. Josephi Civitatis de Pace in republica Boliviana est aggressus; in quo fidelium confessionibus audiendis totum se dedit. In Guardianum dicti Collegii electus die prima Octobris 1885, munus laudabiliter per triennium laudabiliter exercuit maxime zelans observantiam regulae, legum et consuetudinum; quorum observantiam potius exemplo quam verbo omnibus praedicabat.

Quamvis aetate longaevus et adversa gravatus valetudine, nunquam se a lege jejunii et assistentia Chori dispensatum voluit. Senio tandem confectus et jussus a Guardiano, ut ab omnibus Communitatis actibus se abstineret, eadem die in lectum decidit, usu linguae et sensuum privatus, et ita biduo in agonia mansit, similitudinem dormientis potius referens quam morientis.

Exiit ex hac vita die 22 Novembris 1889, circa horam octavam ante meridiem; privatus receptione Sacramentorum ob causam supra allatam. Sed quia ejus vita nihil aliud fuit quam continua ad mortem praeparatio, pie confidimus, eum in Domino requiescere, et confratrum precibus commendamus.

R. I. P.

Die 5 Octobris 1889, in missione seu Indorum reductione, vulgo de *Covendo* dicta, vitam mutavit cum morte P. Thomas Hermoso.

In oppido *Lanciego* dicto, episcopatus Victoriensis (olim Calagurritanae) in Hispania, natus die 19 Septembris 1835; curriculum grammaticae, philosophiae ac Theologiae in Seminario Lucroniensi perfecit; habitum S. P. N. S. Francisci in conventu Ambianensi Observantis Provinciae S. Ludovici Episcopi in Gallia induit, die 31 Octobris 1858; in eodem conventu votorum simplicium emisit professionem kalendis Novembris 1859.

Ad Collegium Missionariorum de Pace in republica Boliviana iter aggressus mense Octobris 1862, ad hanc civitatem pervenit mense Martii 1863. Anno eodem emissis votis solemnibus, atque ad sacros Subdiaconatus, Diaconatus et Presbyteratus ordines promotus, regimen reductionis de *Covendo* assumpsit; in qua per integrum annum ad Novembrem 1864 permansit. Dicto mense et anno ad Collegium rediit, ubi totus verbo Dei in oppidis christianorum praedicando una cum P. Fr. Francisco Michaele Cabat se dicavit usque ad mensem Octobris 1867. Iterum ad missionem de *Covendo* reversus, in ea usque ad mensem Septembris 1873 permansit.

Electus in Guardianum Collegii in Capitulo die 1ª Octobris celebrato, rexit Colle-

gium per sex menses et sequenti mense Martii suo muneri renuntiavit. Dein Collegio Missionariorum de Arequipa in republica Peruana incorporatus, ad infidelium conversiones, quas Collegium S. Rosae de Ocopa ad ripas fluminis Ucazale habet, se transtulit, earumque Praefectus est electus.

Collegio Missionariorum Civitatis de Pace iterum incorporatus, mense Aprilis 1880, iterum reductioni Indorum Immaculatae Conceptionis de *Covendo* praefuit usque ad obitum suum, mense Octobri 1889. Obiit in ecclesia in medio suorum neophytorum, qui pro animae suae quiete Deum orabant.

R. I. P.

Die 28 Februarii anni currentis animam suam Creatori piissime reddidit P. Seraphinus Rainaldi, Strictioris Observantiae Provinciae S. Bernardini in Gallia.

In Italiae oppido Gazzo 21 Februarii 1811 natus, exactis necessarii studii curriculis, anno 1829 Ordinem Seraphicum amplexus est votaque solemnia 27 Octobris 1830 nuncupavit. Postquam theologiam fere absolvisset, ad sacrum presbyteratus ordinem promotus fuit, ex quo tempore Augustae Taurinorum in cura animarum nostro conventui adnexa plurimum laboravit. Ob virtutes aliasque raras dotes a Fratribus plurimi habebatur, quare nec mirum est, ipsum pluries Guardianum, Custodem custodiae (1852-1855), dein cum Custodia anno 1861 in Provinciam erecta esset, primum Provincialem Ministrum renuntiatum fuisse (1861-64); ab anno 1872, exigentibus suis meritis, et permittentibus temporis adjunctis, usque ad 1889 munere Definitoris Provinciae fungebatur.

Vir erat ingenio festivus, verbi Dei praedicator zelosus, et in primis animo ad amandum Deum et proximum mire compositus; observantiae regularis, orationis tum privatim tum in choro publice erat studiosissimus; neque a norma regulari, quam a magistris suis juvenis acceperat, nunquam recedebat, sed non obstantibus diversis morbis, semper mansit vir ad majorem perfectionem tendens, qua, ut speramus, nunc in caelo potitur.

R. I. P.

Jadrae in Obs. Provinciae S. Hieronymi, regno Dalmatiae, pie obiit P. Donatus Fabianić, Lector jubilatus et ex-minister Provincialis, die 8 Aprilis, anni currentes.

Primam lucem conspexit in loco Pago die 7 Decembris 1808, sacro habitu Franciscano 4 Julii 1826 Jadrae donatus, die 30 Aprilis 1835 per vota solemnia Deo se in religione serviturum obstrinxit. Sacro sacerdotio 4 Septembris 1836 initiatus, lectorem Theologiae agere coepit in dicto Conventu Jadrensi; fuit dein nominatus professor in publico Gymnasio regio Jadrae, quo munere egregie est functus multos per annos.

Erat vir religiosi silentii, humilitatis franciscanae et litterarum amantissimus. In litterarum palaestra in primis nitebatur majorum nostrorum illustria gesta in Dalmatia vicinisque provinciis eruere et enarrare, quo sic Deus per bona, quod olim in filiis seraphicis operabatur, laudetur, et juventus ad sanctiora sectanda invitetur conciteturque. Tandem marasmus senilis vitam adimendo ipsum cum patribus nostris in caelo conjunxit.

Opera, quae edidit, vel in manuscriptis reliquit, hic ordine adponimus:

Opere stampate.

1. Lettera nell'occasione dell'apertura della strada del Velebić.
2. I dipinti di Lesina.
3. Sopra alcuni Conventi in Dalmazia.
4. Storia dei Frati Minori in Dalmazia, Bosnia ed Erzegovina. Volumi 2.
5. La Dalmazia nei primi cinque secoli del Cristianesimo.
6. Il presente ed il passato della Bosnia ed Erzegovina.
7. Il Convento più antico in Dalmazia.
8. I Firmani dei Sultani di Costantinopoli ai Conventi della Bosnia ed Erzegovina.
9. Discorso sulla Storia religiosa e civile della Dalmazia e popoli affini.
10. Illustrazione di alcune Bolle Pontificie (inedito).

Oltre varii articoli storici stampati nei fogli patrii.

R. I. P.

Nihil obstat

Fr. Aloysius, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

RESCRIPTUM S. C. EPISC. ET REG.

Quo Ministro Generali facultas tribuitur dispensandi in quibusdam casibus super interruptione novitiatus.

Bme Pater,

Fr. Aloysius a Parma, totius Ordinis Minorum Minister Generalis, ad pedes Sanctitatis Tuae humiliter provolutus, exponit quod propter militiae legem aliasve graviores causas, nonnulli Ordinis sui Novitii extra Conventum aliquando pernoctare et per plures dies commorari coguntur; ideo a Sanctitate Tua enixe implorat Orator, ut non obstante hujusmodi interruptione anni novitiatus, et praevia quoad praeteritum sanatione, quatenus opus sit, praefati Novitii vota simplicia servatis servandis emittere valeant, quin Novitiatum iterari teneantur.

Pro qua gratia etc.

Vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum, S. Congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis expositis benigne P. Ministro Generali facultatem tribuit, durantibus praesentibus rerum circumstantiis, cum enunciatis Novitiis dispensandi super interruptione Novitiatus, suppletis tamen diebus absentiae, ad effectum de quo in precibus; ita tamen ut ab iisdem Novitiis emittatur prius declaratio in scriptis sese hoc indulto uti velle; quod declaratio caute servetur in archivo et fiat adnotatio in libris professionum, factaque in unoquoque casu expressa mentione praesentis Apostolici Indulti. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae 15 Januarii 1890.

17108 / 13.

I. Card. Verga, *Praef.*

Loco ✠ Sigilli.

† Fr. Aloysius Epus Callinicen. *Secret.*

—

EX S. RITUUM CONGREG. (1)

I.

DECRETUM

URBIS ET ORBIS.

Jurium parochialium, functionum, et praeeminentiarum inter Parochos, et Confraternitates laicorum earumque capellanos et officiales.

Ad debitum imponendum finem controversiis, quae inter Parochos et Confraternitates saeculares, earumque capellanos, et officiales super juribus parochialibus, et functionibus ecclesiasticis nonnullisque praeeminentiis, seu praerogativis frequenter exoriri solent, in S. R. C. ab Emo et Rmo D. Card. Colloredo propositis infrascriptis dubiis, videlicet:

1. — An Confraternitates laicorum legitime erectae in Ecclesiis parochialibus habeant

(1) Opportunum judicavimus hoc Decretum publicare, quia in eo continetur jus commune expresse concinnatum ad dirimendas omnes difficultates inter parochos et pia sodalitia enasci solitas.

dependentiam a Parocho in explendis functionibus ecclesiasticis non parochialibus?

Resp. *Affirmative.*

2. — An dictae Confraternitates erectae in Cappellis, Oratoriis tam publicis quam privatis, adnexis Parochialibus Ecclesiis, et ab eis dependentibus habeant dictam dependentiam a Parocho quoad dictas functiones?

Resp. *Affirmative.*

3. — An Confraternitates erectae in Ecclesiis publicis habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam a Parocho, intra cujus Parochiae limites sitae sunt Ecclesiae?

Resp. *Negative.*

4. — An Confraternitates erectae in Oratoriis, tum publicis, tum privatis sejunctis ab Ecclesiis parochialibus, quoad dictas functiones ecclesiasticas habeant dictam dependentiam a Parocho?

Resp. *Negative.*

5. — An Benedictiones et distributiones candelarum, cinerum, et palmarum sint de juribus mere parochialibus?

Resp. *Negative.*

6. — An Benedictiones mulierum post partum, Fontis baptismalis, ignis, seminis, ovorum et similium sint de juribus mere parochialibus?

Resp. *Negative, sed Benedictiones mulierum, et fontis baptismalis fieri debere a Parochis.*

7. — An functiones omnes hebdomadae Sanctae sint de juribus mere parochialibus?

Resp. *Negative, prout jacet.*

8. — An celebratio Missae solemnis feria V. in Coena Domini sit de dictis juribus parochialibus?

Resp. *Negative, prout jacet, sed spectare ad Parochos.*

9. — An prima pulsatio campanarum in sabbato sancto sit de dictis juribus parochialibus?

Resp. *Negative, prout jacet, sed spectare ad Ecclesiam digniorem ad formam Constitutionis* Leonis *P. P. X. num. 22 § 14.*

10. — An celebratio Missarum solemnium per annum sive pro vivis, sive pro defunctis, sit de dictis juribus parochialibus?

Resp. *Negative, prout jacet, sed licere confratribus dumtaxat in festivitatibus solemnioribus ejusdem Ecclesiae vel Oratorii, ut in Brundusina sub die 1 Julii anno 1601.*

11. — An expositio quadraginta horarum et benedictio, quae fit super populo, sit de dictis juribus mere parochialibus?

Resp. *Negative.*

12. — An expositio, quae fit cum Reliquiis et sacris Imaginibus, et benedictio quae cum eis fit super populo, sit de dictis juribus parochialibus?

Resp. *Negative, et quoad Benedictiones cum Reliquiis, et Imaginibus serventur Decreta.*

13. — An functiones in praecedentibus octo dubiis, videlicet a dubio 5 ad 12 expressae, peragi possint in Oratoriis privatis contradicente parocho?

Resp. *Satis provisum in superioribus.*

14. — An in dictis Oratoriis privatis, Confraternitatum per confratres statis horis recitari possint horae canonicae cum cantu, vel absque alia licentia Parochi?

Resp. *Affirmative, nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa.*

15. — An in dictis Oratoriis privatis sit licita celebratio Missae privatae, assentiente Ordinario loci et contradicente Parocho?

Resp. *Affirmative.*

16. — An Capellani Confraternitatum possint populo denunciare Festivitates et Vigilias occurrentes in hebdomada absque licentia Parochi?

Resp. *Affirmative.*

17. — An parochus, invitis confratribus, docere possit doctrinam Christianam in praedictis Ecclesiis, et Oratoriis publicis, vel privatis a parochiali divisis et separatis?

Resp. *Negative.*

18. — An in saepedictis Ecclesiis publicis Confraternitatum possint haberi publicae conciones, etiam per totum cursum quadragesimae, vel Adventus cum licentia Ordinarii, et absque licentia Parochi?

Resp. *Affirmative.*

19. — An in eisdem Ecclesiis possit celebrari Missa sive lecta sive cantata ante Missam parochialem sive lectam sive cantatam?

Resp. *Negative, nisi aliter Episcopus disponat.*

20. — An ad Parochum spectet facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis in saepedictis Ecclesiis et oratoriis publicis Confraternitatum?

Resp. *Affirmative, quando tumulandus est subjectus Parocho, intra cujus fines est Ecclesia, vel Oratorium.*

21. — An intra ambitum earundem Ecclesiarum fieri possint Processiones, juxta cujusque Confraternitatis Institutum, absque interventu, vel licentia Parochi?

Resp. *Affirmative.*

22. — An eaedem Processiones fieri possint extra ambitum dictarum Ecclesiarum absque licentia illorum Parochorum, per quorum territorium transeundum est?

Resp. *Negative, nisi adesset licentia Episcopi.*

23. — An in dictis Processionibus Capellani Confraternitatum possint deferre stolam?

Resp. *Negative, extra propriam Ecclesiam.*

24. — An Episcopo accedenti ad Ecclesias publicas Confraternitatum, quae non sint Regularium, neque proprium Rectorem Beneficiatum habeant, porrigendum sit aspersorium a Parocho, in cuius territorio sunt sitae dictae Ecclesiae?

Resp. *Negative.*

25. — An earumdem Ecclesiarum, et Confraternitatum Rectores, et Capellanos possit Parochus, cessante speciali ac legitimo titulo, et ex solo jure parochialitatis compellere invitos ad assistendum functionibus Ecclesiae parochialis?

Resp. *Negative.*

26. — An in saepedictis Ecclesiis Confraternitatum neque parochialibus neque regularibus, retineri possit SS. Eucharistiae Sacramentum sine speciali Indulto Sedis Apostolicae?

Resp. *Negative.*

27. — Praesupposita facultate retinendi, an possit infra annum publice exponi, sine licentia Ordinarii?

Resp. *Negative.*

28. — An possit Parochus se ingerere in administratione oblationum et eleemosynarum in saepedictis Ecclesiis recollectarum, vel capsulae pro illis recipiendis expositae clavem retinere?

Resp. *Negative.*

29. — An in Ecclesia parochiali Confratres, vel eorum Capellani immiscere se valeant, invito Parocho, in ejusdem Ecclesiae functionibus sive parochialibus sive non parochialibus?

Resp. *Negative.*

30. — An Confraternitates sive sint erectae in Ecclesia parochiali, sive extra illam, possint pro libitu, et juxta uniuscujusque peculiaria statuta Congregationes suas facere, absque interventu, vel licentia Parochi?

Resp. *Affirmative, dummodo non impediant functiones, et Divina Officia.*

31. — An possint propria bona administrare, ac de illis disponere, absque ulla dependentia a Parocho?

Resp. *Affirmative.*

32. — Quando Parochus eisdem Congregationibus intersit de mandato Ordinarii, et tamquam ejus delegatus, an possit suffragium decisivum ferre? Et quatenus affirmative?

Resp. *Negative.*

33. — An etiam suffragium duplex?

Resp. *Negative.*

Et ita, salvis tamen conventionibus, et pactis in erectione Confraternitatum forsan factis, concordiis inter Partes initis, et a S. Sede approbatis, indultis constitutionibus synodalibus, et provincialibus et consuetudinibus immemorabilibus vel saltem centenariis declaravit, ac decrevit: si SSmo Domino Nostro videbitur.

Die 10 Decemb. 1703.

Et facta deinde per me Secretarium de praedictis Decretis SSmo Domino Nostro relatione, praevia eorumdem integra lectura, SSmus laudavit benigneque approbavit, et publicari, et, non obstantibus quibuscumque aliis in contrarium facientibus, servari mandavit.

Die 12 Mensis Januarii 1704.

—

II.

Ordinis Praedicatorum
11 Mar. 1890.

P. Fr. Marcellinus Cicognani Procurator Generalis Ordinis Praedicatorum exponens quod plurimi Fratres suimet Ordinis ad devotionem erga Beatissimam Deiparam a Rosario promovendam per Imaginem, quae colitur in Valle Pompejorum, hanc Iconem exponere coeperunt in Ecclesiis ipsius Ordinis: cupiensque eorum fovere pietatem, verum juxta leges a S. Rituum Congregatione sancitas, insequentia Dubia pro opportuna solutione eidem Sa-

crae Congregationi humillime subjecit, nimirum:

Dub. I. An liceat in Ecclesiis, ubi canonice erecta est Confraternitas SSmi Rosarii, antiquae Iconi B. MARIAE Virginis de Rosario substituere novam Imaginem Pompejanam? Et quatenus *Negative.*

Dub. II. An liceat Iconi B. MARIAE Virginis de Rosario in uno eodemque Altari parvam Imaginem Pompejanam supponere, vulgo *Sottoquadro?* Et quatenus *Negative.*

Dub. III. An liceat praefatis in Ecclesiis aliud Altare dictae Imagini Pompejanae dedicare? Et quatenus *Negative.*

Dub. IV. An liceat saltem in aliquo loco earumdem Ecclesiarum Pompejanam Imaginem publicae venerationi exponere? Et quatenus *Affirmative.*

Dub. V. An Imaginem Pompejanam visitando easdem Indulgentias Altari SSmi Rosarii concessas Confratres et Fideles lucrari valeant?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitaque vota alterius e Rmis PP. Consultoribus Theologis, propositis Dubiis rescribere rata est *Negative in omnibus.* Atque ita rescripsit ac declaravit die 24 Martii 1890.

C. Card. ALOYSI MASELLA, *S. R. C. Praef.*
VINCENTIUS NUSSI, *Secret.*

—

III.

COMITIA S. R. C. PRO CAUSIS ORDINIS.

Die 27.ª Februarii currentis anni in Comitiis Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis discussa fuit, et quidem exaudita, petitio pro extensione Missae et Officii S. Joannis a Capistrano ad Universam Ecclesiam, jam a pluribus annis eidem Congregationi a Rmo Ministro Generali Ordinis Nostri humillime exhibita. Quae favorabilis sententia a Summo Pontifice LEONE XIII benigne approbata confirmataque fuit die 4.ª Maji. De qua autem re fusius altera vice, cum nempe relativum Decretum emanatum fuerit.

Die 4.ª Martii currentis anni, in Aedibus Emi et Rmi Dni Card. L. M. Parocchi, Causae Relatoris, habita est Congregatio Sac. Rit. *Antepraeparatoria* super virtutibus Ven. Servi DEI P. Fr. Angeli a Pas, Sac. Prof. Ord. Minor. S. Francisci, Strictioris Observantiae Reformatorum.

Die 15.ª Aprilis 1890 in Aedibus Vaticanis coram SSmo Dno Nostro LEONE PP. XIII habita est Congregatio Sacr. Rit. *Generalis* super virtutibus Ven. Servi DEI Fr. Michaelis Angeli ab Assumptione, Laici professi Discalceatae Provinciae Neapolis S. Petri de Alcantara.

Die 6.ª Maji currentis anni habita est in Palatio Apostolico Vaticano Congregatio *Praeparatoria* super virtutibus Ven. Servi DEI Fr. Francisci a Ghisone in Corsica, Clerici Professi Min. Obs. Prov. Romanae.

—

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

Rescripta quibus nonnullis Orationibus Indulgentiae conceduntur.

I

BEATISSIME PATER,

Circulus catholicus S. Ignatii Lojolensis, in hac alma Urbe existens, ut magis magisque provehatur cultus erga Sanctum suum patronum, exorat Sanctitatem Vestram, ut concedere velit aliquam indulgentiam, animabus quoque in Purgatorio detentis applicabilem, Christifidelibus qui devote recitavarint sequentem invocationem ab eodem Sancto repeti solitam: DOMINE *mi, fac ut amem te, et ut praemium amoris mei sit amare te magis in dies.*

Quam gratiam...

Sanctissimus Dominus noster LEO XIII in audientia habita die 15 Martii 1890 ab infrascripto Secretario S. Congregationis, Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, corde saltem contrito, ac devote praefatam jaculatoriam precem recitantibus *Indulgentiam centum dierum,* defunctis quoque applicabilem, semel tantum in die lucrandam, benigne concessit. Praesenti

in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die 15 Martii 1890.

C. Card. CRISTOFORI, *Praef.*

L. ✠ S.

† A. Archiep. Nicopolit. *Secret.*

—

II

BEATISSIME PATER,

Cardinalis Cajetanus Aloisi-Masella ad Pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter expetit, ut aliquam Indulgentiam benigne concedere dignetur universis Christifidelibus, qui devote recitaverint sequentem ad S. Joseph orationem, a S. Bernardino Senensi concinnatam. « Memento nostri, Beate Joseph; et tuae orationis suffragio apud tuum putativum Filium intercede; sed et Beatissimam Virginem Sponsam tuam nobis propitiam redde, quae Mater est Ejus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit, et regnat per infinita saecula saeculorum. Amen ».

Quam gratiam...

Sanctissimus Dominus Noster LEO P. XIII in audientia habita die 14 Decembris 1889 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis, Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, universis Christifidelibus, corde saltem contrito ac devote recitantibus supradictam Orationem, *Indulgentiam centum dierum,* defunctis quoque applicabilem, semel in die lucrandam, benigne concessit. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria ejusdem Congregationis die 14 Decembris 1889.

C. Card. CRISTOFORI, *Praef.*

L. ✠ S.

† A. Archiep. Nicopolit. *Secret.*

—

III

BEATISSIME PATER,

Petrus Ponti, Praepositus Ecclesiae S. MARIAE *Secretae* Mediolani, ad pedes S. V. provolutus, humiliter petit aliquam Indulgentiam Christifidelibus devote recitantibus orationem, heic adjunctam, quae fertur a S. Aloysio Gonzaga esse composita.

Orator sperat eo magis Sanctitatem Tuam hanc gratiam esse concessuram, eo quod mox recurrente tertio saeculo ab obitu ejusdem Sancti, haec etiam gratia valde conferret ad Ejus devotionem in animis, praesertim juventutis, augendam.

Et DEUS.

ORATIO

S. Aloysii Gonzagae ad B. Virginem Mariam.

O Domina mea, Sancta MARIA, *me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam et in sinum misericordiae tuae hodie et quotidie et in hora exitus mei animam meam et corpus meum tibi commendo: omnem spem meam et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo, ut per tuam sanctissimam intercessionem, et per tua merita, omnia mea dirigantur et disponantur opera secundum tuam tuique Filii voluntatem.* Amen.

(Traduzione).

Alla benedetta fedeltà e singolare vostra custodia, o MARIA Santissima, mia Signora, io raccomando ora e sempre, e molto più nell'estremo della mia vita, l'anima ed il corpo mio, e tutto mi abbandono in seno della vostra misericordia: ripongo in voi ogni mia speranza e conforto nelle angustie e miserie di questa terra; in voi mi affido in vita e nel punto della morte, affinchè mediante la vostra santissima intercessione ed i meriti vostri, ogni mia cosa sia diretta ed ordinata secondo la vostra volontá e quella del vostro Figlio. Così sia.

Sanctissimus D. N. LEO P. XIII in audientia habita die 15 Martii 1890 ab infrascripto Secretario S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, omnibus utrius-

que sexus Christifidelibus, corde saltem contrito ac devote supradictam Orationem recitantibus, *Indulgentiam biscentum dierum* semel in die lucrandam, et defunctis quoque applicabilem, benigne concessit. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die 15 Martii 1890.

C. Card. CRISTOFORI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Archiep. Nicopolit. *Secretarius.*

—

EX S. POENITENTIARIA.

I

Facultas concessa Episcopis quoad compositionem bonorum.

Sacra Poenitentiaria, de speciali et expressa Apostolica Auctoritate Ordinario N. N. ad annum duraturam facultatem communicat Christifideles

1° Qui Ecclesiae bona immobilia aut census aut jura sine ejusdem Ecclesiae venia alienata acquisierunt;

2° Vel acquisierunt et postea vendiderunt;

3° Vel acquisierunt per emphyteusim;

4° Vel acquisierunt per emphyteusim et postea affrancaverunt;

5° Qui ut patroni vindicarunt beneficia ecclesiastica et capellanias;

6° Qui redemerunt legata pia;

7° Vel affrancaverunt canones et jura irredimibilia;

8° Qui decimas non solverunt;

9° Et horum omnium haeredes et quoscumque successores quoties ob aliquam ex praedictis causis gubernio aut tertiis venditoribus solverunt, aut solvere debent non ultra triginta libellarum millia, et si de decimis sermo sit, dummodo debitum hanc summam non superet, et si agatur de emphyteusi aut alio simili contractu, dummodo canon seu praestatio, juxta legem civilem computata, respondeat capitali summae quae itidem non excedit triginta libellarum millia, de intelligentia aliorum Ordinariorum, si quorum intersit, et de consensu eorum qui respectivas causas pias repraesentant aliorumque interesse habentium, ad compositionem quae, considerato eorumdem fundorum seu jurium valore reali, pretio emptionis, actuali oratorum statu et eo in quo ipsi oratores cum damno Ecclesiae ditiores facti sint, ratione praecipue habita onerum piorum si quae adsint, aliisque omnibus perpensis adjunctis, aequa videatur, de speciali gratia admittendi. Ordinarius vero, quando agitur de fundis, in quibus aliqua sita est Ecclesia, vel de rebus mobilibus, oratores oretenus moneat de obligatione qua tenentur faciendi sub directione Ordinarii pro tempore quod poterunt pro sacrarum aedium et templorum conservatione, et res sacras numquam ad usus profanos adhibendi, et has obligationes debitis modis notificandi suis heredibus et successoribus. Nullum tamen documentum peractae compositionis tradat; quod si illud omnino exigatur, Episcopus per se poterit in scriptis id tantum declarare, eos omni obligatione conscientiae erga Ecclesiam ratione fundorum, canonum etc. etc. exemptos et solutos esse.

Per has litteras eidem Ordinario fit potestas hac ipsa ratione providendi etiam illis, qui hujusmodi bona et jura acquirere, vendere, affrancare, vindicare et redimere postulabunt, et si agatur de decimis, subducta computatione, quae supra pro canonibus et praestationibus statuta est. Quin exinde praeter oratores eorumque haeredes et successores alii releventur; et quod ad patronos attinet, dimisso prorsus jure patronatus, et quin laesa censeantur jura investitorum si adsint.

Praeterea eadem sacra Poenitentiaria praelaudato Ordinario facultatem concedit, sive per se, sive per aliam idoneam ecclesiasticam personam ab eo ad hoc specialiter subdelegandam, oratores in praemissis culpabiles, postquam ut supra se composuerint, a censuris et poenis ecclesiasticis, in quas exinde quomodolibet inciderint, Apostolica Auctoritate absolvendi cum congrua poenitentia salutari et reparatione scandali, meliori, quo fieri poterit modo, prudenti judicio absolventis.

Pecuniae summas ex compositione acceptas ipse Ordinarius quamprimum et quam tutissime possit, favore causarum piarum, ad quas

de jure pertinent, investire et ad nutum S. Sedis conservare satagat.

Circa fundos vero, seu jura, quorum valor excedit triginta libellarum millia, recurrendum erit in casibus particularibus ad S. Sedem. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, in Sacra Poenitentiaria die 24 Januarii 1890.

F. Segna, S. P. R.
V. Luchetti, S. P. *Substitutus.*

—

II.

Explicatio praefatarum facultatum.

Emo Principe,

Il sottoscritto Vescovo di C... affine di avere una sicura norma di condotta nell'avvalersi delle facoltà concessegli *ad annum,* con data del 24 Gennaro 1890, da codesto Sacro Tribunale, circa la composizione sull'acquisto de' beni di Chiese, umilmente sommette all'E. V. i seguenti dubbi, supplicando perchè gli sieno risoluti:

I. Come dovrà regolarsi il Confessore, chiamato da un moribondo, che abbia fatto illecito acquisto di beni ecclesiastici, quando la composizione sui medesimi sia cosa difficilissima e piena di pericoli?

II. Quando la composizione non si possa subito effettuare, basta la promessa di farla al più presto, perchè un penitente possa essere assoluto dalle censure?

III. Quando sui fondi acquistati dal Demanio gravino dei pesi, l'offerta da farsi all'ente ecclesiastico che ha diritto su quei fondi, deve necessariamente esser tale da bastare per tutti i prefati pesi? E ciò, quand'anche il compratore non abbia fatto lucro sull'acquisto, ma perdita; ovvero si trovi in considerevoli dissesti finanziari?

IV. Quando chi, dopo aver acquistato illecitamente un fondo di Chiesa, l'ha rivenduto, e non vi ha riportato lucro di sorta, lo si può assolvere, senza richiedere altro?

V. Chi ha svincolati i beni di una cappellania, potrà bastare che metta nelle mani del Vescovo una somma, donde si possano adempierne i pesi?

VI. E nel caso di una risposta negativa al dubbio precedente, puó bastare la detta somma, almeno in quei luoghi, nei quali, per esimere la eredità dalle tasse governative, solevasi, nel passato secolo, tutta o quasi tutta l'eredità vincolare con pii legati, e con cappellanie, trasmettendosi così ai proprii eredi, con leggerissimi pesi?

VII. Chi non potesse, o non volesse comporsi, dopo tale svincolo, e volesse tenere i beni della cappellania secondo la primitiva istituzione, con farne adempiere i pesi da chi vi sia chiamato, potrebbe ricevere l'assoluzione?

VIII. Nel caso precedente, può il Vescovo ridurre i pesi medesimi, perchè il patrono sia compensato delle spese fatte per lo svincolo?

Che ecc.

Sacra Poenitentiaria Venerabili in Christo Patri Episcopo scribenti ad proposita dubia respondet:

Ad I. Urgendum esse prudenter, et quoad fieri potest, compositionem: et si haec obtineri nequeat vel quia tempus non suppetit, vel ob alias rationabiles causas, satis esse si eam aegrotus haeredibus imponat, aut serio promittat se eam initurum si convaluerit.

Ad II. *Affirmative,* dummodo seria sit promissio et interim removeatur scandalum.

Ad III. Satis provisum per indultum circa compositionem.

Ad IV. Dummodo venditor, de quo in dubio, naturam ecclesiasticam fundi emptori non celaverit, et venditione nullum causae piae praejudicium intulerit, absolvi posse, remoto, si adsit, scandalo, et imposita ei obligatione monendi emptorem, si fieri potest, ut consulat et ipse conscientiae suae.

Ad V. Rem dijudicandam esse in singulis casibus particularibus, juxta normas Ordinariis traditas in indulto circa compositionem: praecipue vero efficiendum ut quoad fieri potest salva sint pia onera.

Ad VI. Rem remitti prudenti arbitrio et conscientiae Ordinarii, qui, in casibus particularibus, ad ea quae animadvertenda proponuntur in indulto compositionis, addere poterit quae in dubio proponuntur.

Ad VII. *Affirmative,* si stet institutioni capellaniae: hortandum tamen esse, ut perpetuitati capellaniae cavere studeat; et nisi aliter id fieri queat, etiam per compositionem.

Ad VIII. Si agatur de iis qui, praehabita Ecclesiae venia, bona de quibus agitur vindicarunt et affrancaverunt, neque aliter compensari queant, Ordinarium posse reductionem temporaneam onerum impertire. Si vero agatur de iis qui nondum Ecclesiae veniam assequuti sunt et nunc eam petant, Sacra Poenitentiaria, de speciali et expressa Apostolica Auctoritate, facultatem facit Ordinario C. eamdem reductionem ad tempus et ad effectum, de quo supra, impertiendi.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, in Sacra Poenitentiaria die 21 Martii 1890.

R. Card. MONACO, *P. M.*
HIP. Can. PALOMBI, *S. P., Secr.*

II.
ACTA ORDINIS

—

DECRETUM

Reverendissimi P. Ministri Generalis, quo novae Constitutiones Generales promulgantur.

—

FR. ALOYSIUS A PARMA
TOTIUS ORDINIS FRATRUM MINORUM
MINISTER GENERALIS.

Omnibus Patribus et Fratribus ubique terrarum DEO *famulantibus et jurisdictioni Nostrae, subjectis, salutem atque seraphicam benedictionem.*

DECRETUM

Constitutiones Generales Ordinis Nostri praesentium temporum exigentiis magis accommodatae in Capitulo Generali anno elapso in hac alma Urbe celebrato Patrum Vocalium judicio fuerunt submissae. Debito examine praemisso, ac factis emendationibus, quae necessariae vel opportunae videbantur, in sessione capitulari diei 10 Octobris 1889 unanimi Patrum consensu dictae Constitutiones fuerunt admissae atque approbatae, ac insimul fuit decretum, ut, praevia revisione a novo Definitorio Generali denuo et accuratius facienda, publicentur ac deinde adamussim observentur. Quare Rmi Nostri Definitorii Patres spatio plurium mensium, tum in peculiari Commissione ad hoc a Nobis instituta, tum in Congressibus Generalibus sub Nostra praesidentia habitis, hanc revisionem peregerunt, ac in sessione diei 13 Martii 1890 absolverunt. Hoc magni momenti negotio sic ad felicem finem perducto, pro officii Nostri debito, auctoritate Capituli Generalis atque Nostra, vigore praesentis Decreti praefatas *Constitutiones Generales Ordinis Minorum* publicamus, et vim legis habentes declaramus, earumque observantiam omnibus Fratribus Nostrae jurisdictioni subjectis commendamus, inculcamus atque praecipimus. Ministros vero Provinciales, qui easdem Constitutiones in quolibet suae Provinciae Conventu quamprimum publicare tenentur, serio monemus atque in DOMINO exhortamur, ut has Ordinis leges et ipsi prompte observent, et ab omnibus Fratribus suae curae commissis exacte observari faciant.

Datum Romae, in Collegio Nostro S. Antonii Patavini prope Lateranum, die 16 Aprilis 1890.

L. ✠ S.

FR. ALOYSIUS, MIN. GEN.

De mandato Paternit. Suae Rmae
FR. PETRUS AB ARCE PAPAE,
Secr. Generalis Ordinis.

—

MONITUM.

Ineunte mense Novembri proxime futuro, DEO auxiliante, in Nostro Collegio Generali S. Antonii Patavini de Urbe inchoabuntur studia. Haec Ministris Provincialibus et Custodibus gubernii annuntiantes, eos rogamus, ut Nos per litteras certiores reddere velint, quot et quos juvenes ad Collegium hoc anno mittere intendant, indicando simul, quaenam studia respectivi juvenes jam peregerint atque utrum ad Lectoris officium in respectivis Provinciis postea subeundum, vel ad aliquam ex Missionibus exteris Ordini concreditis fuerint destinati. Receptis Provincialium litteris,

ulteriora sive per litteras privatas, sive per *Acta Ordinis* communicabimus.

Assisii, in sacro Conventu S. Mariae Angelorum de Portiuncula, die 13.ª Maji 1890.

Fr. ALOYSIUS DE PARMA,
Min. Glis.

—

CAUSAE SANCTORUM ORDINIS NOSTRI

XIV.

VENER. PETRI BARDESII HISPANI,
Laic. Prof. I. Ord.

Artuniae in Cantabria a piis honestisque parentibus, scilicet Francisco Bardesio regiae Cancellariae Vallisoletanae Advocato, et Casilda Aquinaco, DEI Servus natus est die 6ª Aprilis 1641. Ab ipsa infantia pie educatus, atque divina gratia praeventus, DEUM timere virtutesque excolere coepit; ita ut non aequivoca dederit sanctitatis argumenta. Adolescens, mercaturae causa, a patre una cum duobus fratribus in Mexicum missus est; ast paulo post, sic DEO disponente, ad Peruvianas regiones perrexit, ubi in metallorum fodinis operam impendit, donec aetate jam grandior, gustans et videns quam suavis sit DOMINUS, totum sese illi committere, et dicare in statu religioso decrevit. Bona igitur sua pauperibus distribuit, et valedicens mundi vanitatibus, et insaniis falsis tandem in Chilensem ditionem transmigravit; cumque in Civitatem S. Jacobi pervenisset, monitu Virginis, cujus benigna verba sensibiliter audire meruit, Minoriticae Familiae S. Francisci Regularis Observantiae nomen dedit. Maximo alumnorum gaudio inter Laicos, licet satis instructus, cooptatus, tyrocinium ita peregit, ut in admirationem sui raperet unumquemque; eoque absoluto, frustra obnitente diabolo, professionem emisit. Janitoris quandoque, ut plurimum quaesitoris exercuit munia. Factum hinc est, ut brevi tempore illustraretur, et penes quodcumque personarum genus, tum in ipsa Civitate S. Jacobi, tum in vicinis oppidis ac terris magnam sibi sanctitatis opinionem conciliaret... Constans namque traditio est, et fama perennis, quod divina et ecclesiastica praecepta diligentissime custodiverit; quod theologalium aeque ac cardinalium virtutum habitum praesetulerit, quod sui Instituti leges, et evangelica consilia sedulo semper impleverit; quod orationi assidue vacaverit; quod omni asperitatum genere carnem crucifixerit; quod tenero pietatis sensu Deiparam Virginem fuerit prosecutus; quod denique licet heroico virtutum omnium exercitio magnus haberetur ab omnibus, ipse tamen solus se magnum esse prae humilitate nesciverit. DEUS autem, qui abundanter semper retribuit iis, qui ipsum toto corde diligunt, virtutibus ac sanctitati Famuli sui multiplici supernorum donorum privilegio splendidiorem addidit claritatem. Divino enim amore aestuans Vener. Petrus saepius in ecstasim raptus est; prophetico lumine ditatus futura praedixit, occulta praenovit, abdita cordium penetravit; miraculorum praesertim testimonio illustris innumeros prope sanitati restituit. Quae cum ita sint, mirum non est si Vener. DEI Servi adhuc viventis sanctitatis opinio tam longe, lateque pervagata fuerit, ut nullus jam esset, qui de ejus laudibus non loqueretur.

Finis tandem advenit peregrinationis ejus, ut ex hac lacrymarum valle transiret in gaudium DOMINI sui. Jejuniis enim ac laboribus fractus in morbum incidit. Quamobrem in valetudinarium delatus magni coenobii civitatis S. Jacobi, praenuntiato mortis die, et Sacramentis Ecclesiae piissime receptis, die 12ª Septembris anni 1700, jaculatorias recitans preces, piissime obdormivit in DOMINO. Statim ac ejus pretiosus obitus innotuit, incredibile dictu est quae et quanta fuerit totius civitatis commotio quantusque ex quolibet civium ordine ad invisendum cadaver concursus. Omnes Sanctum obiisse conclamabant; omnes reliquias carpere adnitebantur. Parentalibus nobilissimi quilibet adstiterunt, uterque Clerus, Episcopus, Magistratus, ipseque Reipublicae Praeses. Verum, cum nimis excresceret hujusmodi populi concursus, nec militares copiae ad fervidam tantae multitudinis devotionem coercendam valerent, necesse fuit exequiarum solemnitatem abrumpere, et Venerabilis corpus abscondere; quod tandem tertia die sepulturae traditum est.

Fama sanctitatis, virtutum, ac miraculorum nostri Ven. Petri, quae in ejus vita constanter viguit, adeo percrebuit post ejus mortem et sepulturam apud omnes Chilenses, ut Rmus Episcopus Civitatis S. Jacobi manus admoverit constructioni Processus sua auctoritate ordinaria super eadem fama sanctitatis etc., eoque feliciter absoluto, ad Urbem transmiserit, ubi in actis Sac. Congregationis exhibito, et servatis servandis aperto, Causae Postulator, obtentis prius aliquibus dispensationibus, *Commissioni* porrexit super Causae Introductione, et pro ejus admissione, et signatura humillime supplicavit; nec spes eum fefellit. Immortalis enim memoriae Benedictus XIV. qui tunc erat Summus Pontifex, illam *Commissionem* propria manu signavit die 11ª Maji 1754; ipsoque probante, in Ordinariis S. C. Comitiis habitis die 3ª Martii 1756 confirmata fuit sententia per Judices a Rmo Episcopo Chilensi delegatos prolata super cultu Ven. Servo Dei nunquam exhibito, sive super *paritione* decretis S. Mem. Urbani VIII. Vix utroque illo judicio absoluto, aditus patuit constructioni alterius Processus super fama sanctitatis vitae, virtutum, et miraculorum in genere Ven. Servi Dei, nulla interposita mora, pro relaxatione Litterarum, quas *Remissoriales* vocant, Sanctissimo Doctissimoque Pontifici supplices preces exhibuerunt Postulatores. Sed quamvis hujusmodi preces benignissime exceperit Pontifex, petitasque Litteras illico expediri jusserit, eae tamen nonnisi anno 1775 electis Judicibus exhiberi potuerunt. His demum exibitis, licet constructioni Processus manus admota fuerit, nihilo tamen minus turbulentissimorum temporum injuria, et peculiaribus Chilensis ditionis adjunctis ita poscentibus ab incepto opere plus semel cessari debuit; quod totidem vicibus reassumptum, annis nempe 1793, 1820, 1846, ad exoptatum tandem exitum anno 1853, Deo adjuvante, perductum est.

Sperandum profecto non erat, ut in opere jam satis per se arduo, tam procul ab Urbe, et in regionibus admodum dissitis confecto, per tantum annorum spatium protracto, tot Notariorum, non ejusdem semper peritiae, manibus volutato, omnia adamussim impleta, et servata invenirentur. Et de facto, cum debita solertia talis Processus perlustratus fuerit, quaedam minus recta, et inexacta in eo reperta fuere; unde, ne ex his aliquod praeclarissimae Causae praejudicium exurgeret, supplici prece fel. rec. Pius IX. exoratus fuit, ut sua auctoritate et clementia defectus istos, qui Actorum validitati obesse utcumque poterant, dignaretur sanare: et utique Sanctitas Sua his precibus benigne annuit. Nihilominus, ut negotio tanti momenti melius, et securius consuleretur, a Sacra Rituum Congregatione impositum fuit Rmo Episcopo S. Jacobi, ut in ea Civitate, in qua Vener. Petri mortales exuviae pie religioseque asservantur, auctoritate apostolica novus Processus *Suppletivus* construeretur. Qui utique constructus fuit; ac Romam delatus anno 1882, praedictae Sacrae Congregationi traditus est: adhuc autem in cancellaria jacet... Verum erit maxima cura et sollicitudo Postulatoris Generalis Ordinis, ut haec Causa, jam satis antiqua, in posterum alacriter prosequatur, ac quam primum ad felicem exitum, uti sperare licet, perducatur, ad gloriam Dei et Ordinis nostri, nec non ad fovendam pietatem inter fideles populos, maxime inter Chilenses, qui saepe efficax Ven. Petri patrocinium apud Altissimum experti, eum magna veneratione prosequuntur, atque copiosas etiam eleemosynas ad ejus Causam agendam non semel sunt largiti.

Extat brevis Vita Vener. Petri Bardesii Hispanico sermone conscripta, quae nunc denuo in civitate S. Jacobi, vulgo *Santiago*, edita fuit.

III.
VARIA

SERIES PRAELATORUM

Qui Vicariatus et Provincialatus Ministerio functi sunt in Alma S. Antonii Observanti Venetiarum Provincia (1).

1. 1445. R. P. Petrus Bonus, Veronensis, electus in capitulo Arceruptae celebrato (2).

(1) Desumpta ex Archivo Provinciali, in qua Documenta authentica asservantur ab ejusdem Provinciae fundatione usque in praesens.

(2) Hic est annus in quo Patavii peracta est separatio a PP. Conventualibus.

1446. Idem confirmatur in capitulo Vicetiae S. Blasii celebrato.

2. 1447. R. P. Ludovicus a Vicetia, electus in capitulo s. Francisci Scledi celebrato.

1448. Id. confirm. in capitulo Campi s. Petri celebrato.

1449. Id. confirm. in capitulo s. Job Venetiarum celebrato.

1450. R. P. Petrus Bonus a Verona, pro secunda vice electus in capitulo s. Petri in Viminario.

3. 1451. R. P. Petrus a Vulpa, alias Lodovicus nuncupatus, electus in capitulo s. Francisci Vinearum Utini.

1452. Id. confirm. in capitulo Arceruptae Veronensi celebrato.

1453. R. P. Ludovicus a Vicetia, pro secunda vice electus in capitulo s. Blasii Vicetiae.

1454. Id. confirm. in capitulo s. Francisci Mantuae.

4. 1455. R. P. Petrus Maurocenus, Venetus nobilis familiae Morosini, virtutibus nobilior, electus in capitulo s. Francisci Magni, Paduae.

1456. Id. confirm. in capitulo s. Francisci a Vinea Venetiarum.

1457. R. P. Ludovicus a Vicetia, pro tertia vice electus in capitulo s. Blasii Vicetiae.

1458. Id. confirm. in capitulo s. Job, Venetiarum.

1459. Id. confirm. in cap. s. Mariae Gratiarum extra Mantuam.

5. 1460. R. P. Blasius a Vicetia, electus in capitulo s. Francisci Vineae Venetiarum.

1461. Id. confirm. in capitulo s. Francisci Magni Paduae.

6. 1462. R. P. Paulus a Verona, electus in capitulo s. Mariae Gratiarum extra Mantuam.

1463. Id. confirm. in capitulo s. Petri in Viminario.

1464. Id. confirm. in capitulo Campi s. Petri.

7. 1465. R. P. Ludovicus Lauredanus, nobilis Venetus, apud alios P. Bartholomaeus, electus in capitulo Vinearum Utini.

1466. Id. confirm. in capitulo s. Blasii, Vicetiae.

1467. Id. confirm. in capitulo s. Francisci, Mantuae.

8. 1468. R. P. Franciscus Raimundo, nobilis Venetus, electus in capitulo s. Petri in Viminario.

1469. Id. confirm. in capitulo s. Bernardini, Veronae.

1470. Id. confirm. in capitulo s. Mariae a Jesu, Tarvisii.

9. 1471. R. P. Ludovicus a Scossa-Claudia, electus in capitulo s. Mariae Gratiarum prope Mantuam.

1472. Id. confirm. in capitulo s. Francisci Magni, Paduae.

1473. Id. confirm. in capitulo s. Job, Venetiarum.

1474. R. P. Franciscus Raimundo, pro secunda vice electus in capitulo s. Danielis, Leonici.

1475. Id. confirm., pro tertia vice, in capitulo s. Petri in Viminario.

1476. Id. confirm., pro quarta vice, ibidem, ut supra.

10. 1477. R. P. Franciscus Contarenus, Patritiae familiae Contarini, Venetus, electus in conv. s. Mariae a Jesu Tarvisii.

1478. Id. confirm. in capitulo s. Mariae extra Mantuam.

1479. Id. confirm. s. Crucis Bigulini prope Vicetiam.

1480. R. P. Franciscus Raimundo, pro quinta vice electus s. Francisci ad Desertum prope Venetias in Insula.

1481. Id. confirm. in capitulo extra Mantuam in conv. s. Mariae Gratiarum celebrato.

1482. Id. confirm. in capitulo s. Mariae a Jesu Tarvisii.

11. 1483. Beatus Bernardinus a Feltria, Tomitanus dictus, electus in capitulo s. Petri in Viminario celebrato.

1484. R. P. Ludovicus a Vicetia, pro quarta vice electus in capitulo s. Crucis Bigulini, Vicetiae.

1485. R. P. Franciscus Contarenus, pro secunda vice electus in capitulo Campi s. Petri celebrato.

1486. Id. confirm. in capitulo s. Blasii, Vicetiae celebrato.

1487. Id. confirm. in capituli s. Francisci Vineae, Venetiarum.

12. 1488. R. P. Franciscus de Montaneana, electus in capitulo Campi s. Petri celebrato.

1489. Id. confirm. in capitulo s. Crucis Bigulini.

1490. Id. confirm. in capitulo Riperii s. Ludovici.

1491. R. P. Franciscus Contarenus, pro tertia vice electus in capitulo Tarvisii celebrato.

1492. Id. confirm. in capitulo s. Bernardini, Veronae.

1493. Id. confirm. in capitulo s. Crucis Bigulini prope Cittadellam.

13. 1494. R. P. Ludovicus a Turre Veronensi, qui fuit Vicarius Generalis Cismontanae Familiae, electus in capitulo Vicetiae s. Blasii celebrato.

14. 1495. R. P. Ludovicus a Patavio, electus in capitulo s. Job, Venetiis celebrato.

1496. Id. confirm. in conv. Mantuae s. Francisci Magni.

1497. R. P. Ludovicus a Turre, pro secunda vice electus in capitulo Riperii s. Ludovici.

15. 1498. R. P. Albertus a Falcibus Veronensis, electus in conv. s. Blasii Vicetiae.

1499. R. P. Franciscus a Montaneana, pro secunda vice, electus in capitulo s. Mariae Gratiarum prope Mantuam.

1500. Id. confirm. in conv. Leonici s. Danielis.

1501. Id. confirm. in capitulo Schledi s. Francisci celebrato.

16. 1502. R. P. Bonaventura De-Righettis Veronensis, electus in conv. Riperii s. Ludovici.

1503. Id. confirm. in capitulo Mantuae celebrato, tempore Capituli Generalis.

1504. Id. confirm. in capitulo Tarvisii celebrato.

17. 1505. R. P. Hieronymus a Strata, Patavinus, electus in capitulo s. Crucis Bigulini prope Vicetiam.

18. 1506. R. P. Ludovicus a Vicetia, electus in capitulo Paduae s. Francisci Magni.

1507. Id. confirm. in capitulo Veronae celebrato.

1508. Id. confirm. in capitulo Vicetiae celebrato.

19. 1509. R. P. Hieronymus ab Auricalco Veronensis, electus in capitulo celebrato in conv. s. Francisci ad Desertum in Insula prope Venetias.

1510. Id. confirm. in capitulo Tarvisii celebrato.

1511. Id. confirm. in capitulo s. Francisci Vineae Venetiarum.

20. 1512. R. P. Franciscus Georgius Zorzi, Patritius Venetus, electus in capitulo Tarvisii. Vir iste fuit et Platonica Philosophia et Harcanorum Hebraicae linguae cognitione insignis, ut et liber problematum Sacrae Scripturae et alter de Harmonia mundi plene testantur.

1513. Id. confirm. in capitulo s. Mariae Gratiarum prope Mantuam.

1514. Id. confirm. in capitulo Patavii celebrato.

21. 1515. R. P. Seraphinus de Mantua, electus in capitulo Clodiae celebrato.

1516. Id. confirm. in capitulo Portusgruarii celebrato.

1517. Id. confirm. in capitulo s. Mariae Miraculorum Motthae.

N°. 21 Universim Vicarii Provinciales, et N°. 73 confirmationibus computatis.

—

ANNO DOMINI 1518.

Ab hoc anno Vicarii Provinciales creati sunt titulo Ministri Provinciae.

1. 1518. R. P. Nicolaus Malipiero, Nobilis Venetus, electus in capitulo s. Mariae Gratiarum extra Mantuam celebrato.

1519. Id. confirm. in capitulo Vicetiae s. Blasii.

2. 1520. R. P. Augustinus de Padua, electus in capitulo Paduae celebrato. — Deponitur praedictus P. Nicolaus

et electus in ejus locum fuit P. Augustinus Patavinus.

1521. Id. confirm. in capitulo Mantuae celebrato.

3. 1522. R. P. Franciscus Georgius, Zorzi, pro secunda vice electus in capitulo Clodiae s. Francisci.

1523. Id. confirm. in capitulo Plebis-Sacci s. Mariae Gratiarum.

1524. *Hoc anno celebratum est Capitulum Generale Mantuae tempore Hilarionis Sacchetti, Generalis commissarii, et annus transivit sine electione Ministri Provincialis.*

4. 1525. R. P. Nicolaus Malipiero, pro secunda vice electus in capitulo Patavii celebrato.

1526. Id. confirm. in capitulo Campi s. Petri.

5. 1527. R. P. Hieronymus ab Auricalco Veronensis, qui supra: Vic. Prov. ad ann. 1509, electus in capitulo s. Mariae Miraculorum Motthae.

1528. Id. confirm. in capitulo Riperii s. Ludovici.

1529. R. P. Nicolaus Malipiero, pro tertia vice electus in capitulo Plebis-Sacci.

6. 1530. R. P. Antonius Serena, Venetus, electus in capitulo s. Crucis Cittadellae.

1531. *Non est celebratum capitulum.*

1532. Id. confirm. P. Antonius in capitulo Schledi s. Francisci.

7. 1533. R. P. Gabriel Galvagno de Mantua, electus in capitulo s. Francisci Magni Mantuae.

1534. Id. confirm. in capitulo Riperii s. Ludovici.

1535. Id. confirm. in capitulo Mantuae celebrato.

1536. R. P. Franciscus Georgius, Zorzi, pro tertia vice electus in capitulo Feltriae s. Spiritus.

8. 1537. R. P. Joannes Barbaro, Nobilis Venetus, electus in capitulo s. Francisci Vinearum Utini.

1538. Id. confirm. in capitulo Schledi s. Francisci.

9. 1539. R. P. Hieronymus Contarenus, Contarini, Nob. Venetus, electus in capitulo s. Francisci a Vinea Venetiarum.

1540. Id. confirm. in capitulo Generali Mantuae S. Francisci habito.

1541. Id. confirm. in capitulo Veronae s. Bernardini habito.

10. 1542. R. P. Paulus de Bérgomo, electus in capitulo Vineae Venetiarum.

1543. Id. confirm. in congr. conventus Plebis Sacci.

1544. Id. confirm. in congr. conventus s. Francisci Paduae.

11. 1545. A. R. P. Paulus Manino Utinensis, electus in capitulo Mantuae celebrato.

1546. Idem Provinciam rexit *sine celebratione capituli.*

1547. A. R. P. Joannes Barbaro pro secunda vice electus in capitulo Patavii celebrato.

1548. Id. confirm. sine capitulo a Reverendissimo P. Generali Ministro.

1549. Id. confirm. in congressu Paduae habito.

1550. A. R. P. Antonius Serena, pro secunda vice electus in capitulo Veronae celebrato.

1551. Id. confirm. in congressu Vineae Venetiarum.

1552. Id. Provinciam rexit sine capitulo.

1553. A. R. P. Paulus Bergomensis, pro secunda vice electus in capitulo Mantuae habito.

1554. Id. confirm. in congr. Vallis-Agni.

1555. A. R. P. Joannes Bárbaro, pro tertia vice electus in capitulo Arce-Tani celebrato.

1556. Id. Provinciam rexit, sine capituli celebratione.

1557. *Non fuit celebratum capitulum.*

1558. Id. confirm. in congr. s. Francisci Schledi.

1559. *Non est celebratum capitulum.*

1560. A. R. P. Benedictus Bragadenus, Bragadin Nob. Venetus, electus in capitulo Patavii celebrato.

1561. Id. confirm. in congr. s. Francisci Vineae Venetiarum.

12. 1562. A. R. P. Antonius Bergomensis, electus in capitulo Mantuae celebrato,

cui praefuit Rmus P. Franciscus Zamorra, Minister Generalis.
1563. Id: confirm. in congr. s. Job Venetiarum.
13. 1564. A. R. P. Hieronymus Hispanus, electus in capitulo Veronae s. Bernardini, qui tamen non venit ad regendam Provinciam.
14. 1564. A. R. P. Seraphinus Montalbano a Conelliano, fuit Generalis Vicarius electus in capitulo Insulae Scalarum habito.
1566. Id. confirm.
1567. Id. confirm. in congr. Plebis-Sacci.
15. 1568. A. R. P. Seraphinus de Schledo, electus in capitulo Mantuae celebrato.
1569. † Moritur praefatus Minister et eligitur in Vicarium Provincialem P. Angelus a Valle Agni Commissarius Apostolicus.
16. 1570. A. R. P. Franciscus Visonus Januensis, electus in capitulo Leonici celebrato.
1571. Id. confirm. in congr. habita in conv. S. Danielis Leonici.
1572. Id. confirm. Ibidem.
17. 1573. A. R. P. Seraphinus Montalbano, pro secunda vice electus in capitulo Plebis Sacci habito.

(Continuabitur).

IV.

BIBLIOGRAPHIA

—

CONSTITUTIONES GENERALES Ordinis Minorum, a Capitulo Generali Romae in Collegio Sancti Antonii Patavini anno 1889 celebrato revisae et approbatae, jussu et auctoritate Rmi P. Aloysii a Parma, Ministri Generalis totius Ordinis Minorum, publicatae. — Ad Claras Aquas (Quaracchi) prope Florentiam, ex Typographia Collegii S. Bonaventurae 1890. In 8. gr. Pag. XV-110. Pretium L. 1, 50.

S. BONAVENTURAE, Seraphici Doctoris, tria opuscula; *Breviloquium, Itinerarium mentis in Deum* et *de Reductione artium ad Theologiam,* edita studio et cura PP. Collegii a S. Bonaventura. — Ad Claras Aquas (Quaracchi) ex Typographia Collegii S. Bonaventurae 1890. In 8. Pag. VIII-437. Pretium L. 3.

INCITAMENTA SERAPHICA ad Fratres Expulsos, ex periodico Acta Ordinis Minorum excerpta. Vol. I. — Ad Claras Aquas (Quaracchi), ex Typ. Collegii S. Bonaventurae 1890. In 16. Pag. VI-254. Pretium L. 1, 50.

P. ANASTASIO BOCCI, Min. Obs. — Per l'inaugurazione della Biblioteca C. Cantù nella sede del circolo educativo S. Sebastiano in Livorno. Firenze tipografia di Enrico Ariani Via Ghibellina 53-55. 1890.

ANONYMUS. — Regula trzeciego Zakonu S. O. Franciszka Serai zlagodzona przez Konstytucya Ojca S. Leona XIII, z dodatkiem niektórych stósownych nabóżénstw. III. poprawne wydanie (Wlasnosć prawna zastrzega sobie Wydawca). Poznari czcionkami Drukarni Kuryera poznanskiego 1890. In-16. Pag. XXXI-279.

ANONYMUS Ref. — Le T. R. P. Séraphin de Gazzo, Notice biographique publiée par ses Confrères. Nice. Imprimerie, lithographie et librairie J. Ventre et C.ie Rue de la Préfecture, 6 et place de la Préfecture 1. 1890.

ANONYMUS CAPUCCINUS. — Missionum Ordini Fratrum Minorum Capuccinorum commissarum descriptio pro anno 1890. Romae, ex typographia « editrice industriale » in-16. pag. 80. — Peti potest a *P. Egidio da Milano, Archivista Cap.* Via S. Nicola da Tolentino 74. Roma (E.) (pret. L. 0, 75).

P. BONAVENTURA A SORIANO, M. R. — Elogio Funebre di Mons. Filippo de Simone Vescovo di Nicotera e Tropea, per Padre F. Bonaventura da Soriano Ministro Provinciale Mi-

nore Riformato, letto nel duomo di Tropea il giorno 16 Gennajo 1890, trigesimo della morte dell' Elogiato. — Napoli Stab. Tip. Cav. Gennaro Salvati Maddalena dei Spagnoli, 19. 1890.

P. Candidus Mariotti, Min. Obs. — Il Venerabile Franceschino da Ghisone in Corsica, Chierico Prof. dei Min. Oss. modello di perfezione cristiana e religiosa, per P. Candido Mariotti, Postulator Generale dell' Ordine medesimo. Genova, Tipografia Arcivescovile 1890. In-16 pag. VIII-191.

(La presente operetta si vende in Roma, Collegio S. Antonio di Padova, Via Merulana 124 pr. L. 1).

P. Carmelus a Neapoli, M. R. — Terzo Ordine Francescano secondo le recenti disposizioni di Sua Santità Leone PP. XIII e le posteriori dichiarazioni della S. C. commentato istoricamente e canonicamente per P. Carmelo da Napoli, Ex-Definitore Generale M. R. Napoli, Tipografia degli Accattoncelli, San Raffaele a Mater Dei 1890.

P. Frediano Giannini, Min. Oss. — In morte del M. R. P. Remigio Buselli, Minore Osservante. Discorso funebre del P. Frediano Giannini, del medesimo Ordine. In Livorno, dalla Tipografia Franc. Vigo, 1890. In-8 pag. 28.

P. Hugolinus Fasolis, Min. Oss. — Novena della Nativitá di Maria Vergine del P. Ugolino Fasolis da Sommariva, Minore Osservante, predicata nel santuario della Consolata in Torino, 2ª edizione riveduta dall'Autore. Napoli, Stabilimento Tipografico Libraro di. A. e Salvatore Festa 1890. In-16 pag. 286.

P. Jesualdus Machetti, Min. Obs. — 1. — Ordem Terceira da penitencia segundo a Constitução di sua santidade o Papa Leão XIII de 30 de Maio de 1883 traduzida livremente do italiano por Frei Jesualdo Machetti Prefeito das Missões. Manaos Typographia Religiosa 1889.

2. — As Vantagens espirituaes e temporaes que se podem alcançar ouvindo devotamente a santa missa, segunda ediçao. Manaos Typographia Religiosa 1889.

P. Julianus Lambrechts, Min. Rec. — Nécrologe de l'Abbaye Benédictine de Saint Trond, précédé d'une notice sur la même Abbaye, par le Père Julien Lambrechts, Récollet Saint-Trond. — Tipogr. H. Vanwest-Dubois, au St Esprit, rue de Tirlemont 1889. In 8. Pag. 200.

P. Leonardus M. Wörnhart, M. R. — Maria, die wunderbare Mutter Gottes und der Menschen nach allen Gesichtspunkten dargelegt und mit sehr zahlreichen Stellen der hl. Väter und theolog. Schriftsteller begründet von P. Leonardus Maria Wörnhart O. S. F. (Prov. Tirol. S. Leopoldi), Lector der Theologie. Innsbruck, Druck und Verlag von Fel. Rauch 1890. (Pag. 447 in 8°).

Melchior (P.) a Tivisa, Min. Cap. — Compendio de Elocuencia sagrada en cuarenta lecciones: compuesto por el P. Melchior de Tivisa, Misionero Capuchino. Con licentia eclesiastica. Barcelona, Libreria y Tipografia Catolica Pino 5. 1890 In 12°. Pag. 270.

P. Petrus Bapt. a Falconara, M. O. — Libro primo, 12 sonate per harmonium od organo, del P. Pierbattista di Falconara M. O. Organista del Collegio Internazionale di S. Antonio in Roma. Prezzo netto: Lire 4 Prop. dell'Autore. Lit. D. Consorti Roma. Pietro Cristiano Via Condotti N. 76 Roma. Piazza Borghese N. 91 Roma.

P. Petrus Bapt. a Falconara, M. O. — Una critica musicale della Civiltà Cattolica, per F. Pierbattista da Falconara, Min. Oss. Organista del Collegio di S. Antonio in Roma. Roma, Tipografia Editrice-Industriale di M. Lovesio. Piazza S. Ignazio N. 127. 1890.

P. Stephanus Schoutens, Min. Rec. — Maria ' s Vlanderen of Beschryving van de wonderbeelder en merkweerdige bedevaartplaatsen van O.-L.-V. in Oost-en West- Vlaanderen, door P. Fr. Stephanus Schoutens, Minderbroeder-Recollect. Antwerpen. Van Os-De Volf. 1890.

(Flandria Mariana, sive historia statuarum et peregrinationum B. M. V. in provinciis Flandriae Orientalis et Occidentalis. Editio altera. Pretium 1,00).

V.

NECROLOGIA

—

Ex funebri sermone, quem in Ecclesia nostra S. Francisci civitatis Guayaquil, in republica Peruana Americae meridionalis, habuit Dr. Isidorus Barriga, Vicarius Generalis ejus dioecesis, die 2ª Decembris 1889, sequentia exscribimus:

P. Bernardinus Alessandrini, conventus S. Francisci civitatis Guayaquil Guardianus, ibidem die 1ª Novembris an. 1889 sancto fine quievit. Laureti in Italia natus est die 9 Februarii 1837, et obtenta 1855 religiosa veste sanctique Francisci regulam professus, anno 1860 ad sacrum presbyteratus ordinem promotus fuit.

Quum in Italia eo tempore nuperrimo rei publicae formae novae passim inducerentur, ipse cum quibusdam sociis, accepta superiorum benedictione, in rempublicam Columbiae (Americae meridionalis) civitatem vero Cali concessit, unde tamen eamdem fere ob causam brevi emigrare coactus, in rempublicam Peruanam transiit; a celebri viro Patre Gual, Ex-Definitore Generali, anno 1864 ad civitatem Guayaquil missus, ibidem ad mortem usque permansit zelantis apostoli vitam agendo.

Charitate Christi ductus nihil praetermittebat, quo animarum salus ultro promoveri posset; pauperes, divites, sanos et infirmos, magnos et humiles, verbo, exemplo et sacramentorum dispensatione ad Jesum sequendum instruebat, vocabat, trahebat. Purissimae Virginis Mariae, a Laureto dictae, addictissimus, cultum inter fideles plurimum promovebat, cujus et favorem haud raro in difficillimis suis laboribus expertus est. Tertium S. Francisci ordinem in ea civitate aliasque pias societates fundavit. Tantus fuit laborum suorum proventus, in vitae spiritualis fidelium emolumentum, ut superiores ejus merito censuerint nefas esse talem virum ex illa civitate aliorsum transferre, quapropter per annos sexdecim ibidem mansit apostolicis laboribus intentus; praeterea et Vice Commissarii Terrae Sanctae munus obibat. Uti a missionario, inde in Europam reverso, relatum est, populus ejus mortis eventu adeo fuerat commotus civitasque tota, ut decreverint, in pietatis testimonium, ejus corpus publicis expensis opobalsamo perungendum.

R. I. P.

Smyrnae in conventu nostro S. Mariae die 20 Februarii 1890 pie obiit P. Caelestinus a Vallestura, Ref. Custodiae S. Thomae filius.

Natus die 22 Augusti 1813, Ordinem ingressus est 22 Decembris 1830, in quo omnem conatum adhibuit, ut vitae perfectionem adipisceretur; cultui virtutum adjunxit sacrarum litterarum studium, ut semper moris erat apud majores nostros. Sacerdotii dignitate auctus, atque inter missionarios missionis Constantinopolitanae receptus, biennio munus lectoris philosophiae exercuit in seminario cleri junioris in insula et dioecesi Sirae. Posthaec, necessitate missionis sic exigente, primum Perae Constantinopoleos suburbio, dein in insula Rhodo vix non per 20 annos parochi munere fungebatur; demum Smyrnam translatus conventui S. Mariae ceu guardianus decennio praefuit. Vir hic semper apostolico zelo ductus, orationi et silentio plurimum intentus, continuo ad caelestia meditanda inclinabat; franciscanae paupertatis studiosissimus, nunquam voluit in Italiam redire suos visurus, dicendo: contra votum paupertatis esse iter facere absque gravi ratione. In excipiendis poenitentium confessionibus et verbo Domini annunciando assiduus, omnibusque omnia fieri voluit propter animarum salutem. Eum ut speramus fides in Deum viva et opera pia Christo sociarunt die et anno uti supra.

R. I. P.

Nihil obstat.

Fr., Aloysius, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO SERAPHICA

—

EX S. C. SUPER STATU REGULARIUM

Quoad acceptationem Novitiorum, in Italia et Insulis adjacentibus.

Beatissime Pater,

Fr. Raphaël ab Aureliaco, Procurator Glis Ordinis Minorum S. Francisci, ad pedes S. V. humiliter provolutus exponit, quod ex Rescripto S. C. super statu Regularium die 5 Martii 1880 declaratum fuit, acta acceptationis Novitiorum pertinere ad respectivum Procuratorem (Observantiae scilicet, Reformatorum, vel Recollectorum et Alcantarinorum) quoties ab Urbe abfuerit Rmus P. Minister Generalis. Quum vero accidat tam Ministrum Generalem quam unum alterumve ex Procuratoribus simul abesse, in hoc casu vivae vocis oraculo concessum fuerat ut Delegatus Generalis absentium vices gereret. Nunc autem cum typis edantur Constitutiones Generales Ordinis in ultimo Capitulo Generali approbatae, S. V. enixe rogat orator, nomine etiam Ministri Generalis et totius Definitorii Generalis, ut in eisdem Statutis N° 445 ubi agitur de examinatoribus pro Novitiis ad Ordinem admittendis, sequentia verba inserantur: « Si neque Minister Generalis, neque Procurator Generalis adsit, pro ipsis Delegatus Generalis suppleat ».

Pro qua gratia etc.....

Vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio super statu Regularium benigne annuit precibus Procuratoris Generalis Ordinis Minorum S. Francisci pro facultate juxta petita: Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, 12 Maji 1890 (1).

✝ Fr. Aloysius Epus Callinicen., *Secret.*

—

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM DECRETUM

URBIS ET ORBIS

Quo conceditur Indulgentia Christifidelibus pium exercitium quindecim Sabbatorum in honorem Deiparae sub titulo Sanctissimi Rosarii peragentibus.

Pluribus abhinc annis Sodales Confraternitatum SSmi Rosarii consueverunt singulare pietatis obsequium Beatissimae Mariae Virgini tribuere quindecim Sabbatis, haud interruptis, vel immediate ante festum ejusdem B. Mariae Virginis sub memorato titulo, vel etiam quolibet infra annum tempore. Haec autem pia praxis sacris jam Indulgentiis a Summis Pontificibus pro supradictis tantummodo sodalibus ditata, in eo sita est, ut nempe singulis praefatis Sabbatis Sodales accedant ad sacramenta Confessionis et SSmae Eucharistiae, simulque aliquem devotionis actum eliciant in honorem quindecim Mysteriorum, quae recensentur in marialibus precibus SSmi Rosarii. Modo vero quum apud Christifideles usus exhibendi hujusmodi obsequium B. Mariae Virgini frequentissimus invaluerit, preces delatae sunt Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII, ut etiam Christifidelibus devote peragentibus hoc pium exercitium caelestes Indulgentiarum the-

(1) Typis jam editae erant Constitutiones Generales, quum praesens Rescriptum ad Ministrum Generalem pervenit; et ideo additio de qua in precibus in ipsis Constitutionibus inseri nequivit.

sauros benigne reserare dignaretur. Porro Sanctitas Sua, cui summopere cordi est, ut erga Beatissimam Virginem sub titulo SSmi Rosarii cultus foveatur et pietas, relatas preces in audientia habita die 21 Septembris 1889 ab infrascripto Secretario S. Congreg. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae peramanter excepit et, alia quacumque abrogata Indulgentia, quae fortasse pro universis Christifidelibus eidem pio exercitio quomodolibet fuerit adnexa, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui in singulis haud interruptis quindecim Sabbatis vel immediate praecedentibus idem festum B. MARIAE Virginis sub titulo SSmi Rosarii partem devote recitaverint, vel aliter ejusmodi SSmi Rosarii mysteria pie recoluerint, *Plenariam Indulgentiam,* defunctis quoque applicabilem, semel tantum in uno ex supradictis Sabbatis uniuscujusque arbitrio eligendo, benigne concessit; in reliquis vero quatuordecim Sabbatis *Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum,* animabus pariter in Purgatorio detentis applicabilem, clementer elargitus est. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis, die 21 Septembris 1889.

Pro Emo ac Rmo Dno
C. Card. CRISTOFORI, *Praefectu.*

ALOYSIUS Card. Episc. Sabinensis.

L. ✠ S.

ALEXANDER, Episc. Oensis, *Secret.*

II.
ACTA ORDINIS

—

EPISTOLA
RMI P. MINISTRI GENERALIS

ad Ministros Provinciales, qua futuri concursus pro Lectoribus instituendis Conventus designantur.

ADM REVERENDE PATER

Tribus abhinc mensibus per nostram encyclicam epistolam Romae datam ad S. Antonii sub die 1. Martii, ut Studiorum nostrorum Cathedras Lectoribus cum Philosophiae, S. Theologiae et S. Eloquentiae, tum etiam Physices, Mathesis et Humaniorum Literarum provideremus, generales Concursus indiximus: quin tamen eorumdem Concursuum locus a Nobis praefinitus fuerit. In praesentiarum, omnia, quae ad eos pertinent, qua par est diligentia praedisponere volentes, te praesentibus literis certiorem reddimus circa Coenobia a Nobis designata, in quibus, DEO favente, Concursus celebrabuntur. Itaque pro Fratribus Regularis Observantiae, hoc Coenobium designavimus S. Mariae Angelorum, ubi Seraphicus Patriarcha Ordinis nostri fundamenta jecit; pro Reformatis vero illud S. Damiani, multis ex rationibus illustre, quod positum est ad moenia urbis Assisiensis. Demum, quoniam in praefata nostra epistola Concursuum celebrationem habendam esse diximus post solemnia S. P. N. Francisci; hinc tempus melius definientes, juvenes nostros, qui ingenii sui vires periclitaturi sunt, praemonemus die 7 Octobris volventis anni in hoc Proto-Coenobio incepturas esse experimentales functiones, quibus post paucos dies absolutis, statim eaedem resumentur a Reformatis in illo S. Damiani.

Nunc te, Pater colendissime, rogamus ut quam citius ad Nos nomina tuorum juvenum concurrentium transmittas, una cum documentis a Statutis Generalibus ad id requisitis. Insuper tibi in memoriam revocamus ea, quae alias circa concurrentium dotes longiori calamo prosequuti sumus, videlicet, sicut dignis commendationes denegare tibi nefas est, ita indignos a concursu pro tuo munere viriliter arceas.

Haec quum perfeceris dum de tua Provincia et de Ordine benemereberis, insimul Nobis rem pergratam te facturum esse scias.

Interim in pignus benevolentiae nostrae, tibi tuisque seraphicam benedictionem peramanter impertimus.

Vale in DOMINO et pro Nobis exorare memento.

Datum ex hoc S. Coenobio Divae Mariae Angelorum prope Assisium hac die 26 Maji 1890.

FR. ALOYSIUS A PARMA,
Minister Generalis
Totius Ordinis Fratrum Minorum.

—

CAUSAE SANCTORUM ORDINIS NOSTRI

XV.

Vener. Simonis Philipović, *Bosniensis, Sacer. Professi I Ordinis.*

Hic Vener. Dei Servus Seonae in Bosnia Argentina ad lucem venit die 30.ª Septembris anno 1732 ex catholica familia dictae civitatis. In paroecia vero Bielensi sacra baptismatis unda regeneratus est, atque ei Philippi nomen impositum. Parentes ejus, Laurentius Philipović, et Petronilla Rabaić, adeo pietate et religione excellebant, ut apud omnes sanctitatis opinione fruerentur; unde filiolum ab ipsa infantia ad pietatem, morumque sanctitatem informare studuerunt: et quidem felicissimo successu. Adhuc enim tenellus, jam perfectionis vitae cupidus, evangelica sectari consilia sibi mature proposuit; omnia proinde, quae mundus habet, ceu caduca despicere, ea vero, quae caelestia et aeterna sunt, quaerere unice statuit. Nihil proinde ab hoc sancto proposito dimovere potuit; sed etiam clarius Dei voluntate cognita, nostrae Franciscanae Familiae nomen dare constituit. Itaque, Religiosis consentientibus, imo plaudentibus ob ejus jam perspectam morum innocentiam, in solemni festo Annuntiationis B. Mariae Virginis anno 1752, religiosum habitum sumpsit, et Philippi in Simonis nomen commutavit.

Religionis habitu indutus, annum Novitiatus aggressus est, et statim ob perfectam Regulae observantiam, ob assiduum virtutis studium, ceteris omnibus exemplar apparuit. Emenso itaque summa cum laude Novitiatus anno, professionem emisit; atque deinceps studiis philosophicis et theologicis animum mentemque intendit. Et ut philosophica melius perficeret, in Hungariam, theologica vero in Italiam missus est apud Atriam in Aprutiis. Ibidem tale pietatis et ingenii specimen dedit, ut cum, Superioribus volentibus, ad propriam Provinciam redire debuerit, magnum sui desiderium in omnibus reliquerit. In Bosniam igitur reversus, cum ibi animarum cura a nostris Religiosis exerceatur, hinc et ipse Parochi munus obivit. Quod munus sibi creditum, licet difficile, magno tamen cum zelo, et fidelium utilitate sustinuit.

At vero post aliquot annos, Deus Servum suum in solitudinem adducere voluit, quo facilius ad cor ejus loqueretur, eumque ad perfectionis apicem proveheret. Nam quadam die, veluti extra corpus raptus, infernum sub ejus pedibus apertum conspexit, nec non nonnullorum animas tormentis addictas, quas ipse jam caelesti beatitudine potitas crediderat. Inhorruit ex hujusmodi visione, totusque contremuit; ac proinde seipsum magis magisque sanctificare proposuit. Hinc mentem, animumque suum ad claustra rigidioris observantiae convertit, ubi a rerum mundanarum strepitu omnino sejunctus, dulce cum Deo colloquium inire posset. Quamobrem muneri suo modeste abrenuntians etiam ut hominum plausus evitaret, qui in dies augeri videbantur, posthabitis omnibus, ad Italiae claustra iterum convolare cogitavit. Revera, cum Superiorum venia, e Bosnia discessit, in qua nedum gratam memoriam, sed sanctitatis opinionem de se excitatam penes omnes reliquit. Cum in Italiam pervenisset, Ripanae civitatis Recessus in Marchia Firmana ipsi assignatus fuit, ad quem ingenti animi laetitia statim perrexit. Vix illud Coenobium ingressus, magnam de se expectationem excitavit; eventus tamen expectationem superavit. Mense probationis expleto, qui in Conventibus rigidioris observantiae praemitti solet, omnibus consentientibus, aggregatus est, et post quatuor annos Picenae Provinciae adscriptus fuit.

Igitur P. Simon, qui, dum parochi munere fungeretur, in hominum societate versatus est, nunc omnino privatam vitam aggreditur; ideoque ipsius acta et dicta Coenobii limites non excedunt. Verum si aliquando cum saecularibus agere, vel quavis ex causa in hominum conspectu, praesertim in templo, apparere debuit, ejus animi candor, simplicitas et perfecta virtus ita enituit, ut sanctus ab omnibus haberetur. Per viginti annos in eo Recessu moratus est, et nemo unquam in P. Simone culpam vel levissimam reperire potuit; imo splendidum omnigenarum virtutum exemplar suis Fratribus extitit, et quamvis aliqui eximia sanctitate conspicui ibi essent, omnibus tamen velut aquila sanctitate praeivit. Licet humilitatis causa ab omni munere abhorreret, attamen obedientia inductus saepe Novitiis prae-

esse debuit. Et vere dignus apparuit ut tamquam lucidissimum virtutis exemplum juvenibus praeponeretur. Siquidem zelo et charitate aestuans juvenes illos ad bonum perpetuo excitabat; et si quid minus rectum vel regulis contrarium in ipsis conspexisset a salutaribus monitis nullimode temperabat. Quod illi a communibus functionibus supererat tempus, totum orationi tribuens, ab hac assidua cum Deo locutione magnam animi serenitatem, magnamque in rebus asperis fortitudinem hauriebat. Proinde nonnisi raro et ex necessitate cum hominibus loquebatur. Verum, licet in claustro veluti in eremo clausus maneret, attamen ejus fama per Ripanam civitatem finitimasque regiones propagata est: et hinc praesertim infirmi pueri ad eum pertrahebantur, ut ab ipso benedictionem acciperent. Tunc autem charitate plenus, cubiculo relicto, afflictorum parentum desideriis indulgebat; et fronte serena, ingenua facie, et humanitate prope singulari inter illos per breve temporis intervallum versabatur. A Deipara per revelationem admonitus, se in illo claustro usque ad obitum permansurum, nihil aliud magis curavit, quam veri sanctique Coenobitae perfectionem acquirere. Hujusmodi finem reapse adeptus est; bellum enim assiduum passionibus indicens de singulis triumphavit, et nihil in eo nisi rectum, sanctumque repertum fuit; unde virtutibus omnibus in gradu heroico exornatus suis Fratribus semper aedificationi fuit. Cum jam per viginti annos in ea domo versatus esset, pectoris morbo confectus, die 9ª Maji anno 1802, omnibus Religionis praesidiis munitus inter adstantium preces atque moestitiam placidissime obdormivit in Domino.

Vix post unam horam ab ejus morte totam civitatem notitia pervasit; et statim omnes ad coenobii templum confluxerunt, in quo Dei famuli corpus tribus diebus expositum remansit. Omnes illud non tantum conspicere, sed et ejus dexteram, vel tunicam deosculari quaerebant; quinimo audaciores ex devotione moti, aliquod ex indumentis et ipsos capillos resecare decerpereque studebant, ut sibi ceu pretiosam reliquiam servarent. Qui concursus, cujuscumque gradus et conditionis, praesertim ad funus, adeo ingens fuit, ut excubias ad Ecclesiae januas ponere necesse fuit. Post haec Venerabilis corpus duplici lignea capsa inclusum in distincto ac seposito loco religiosissime repositum fuit. Post aliquot annos, cum ob rerum vicissitudines Religiosi ex illo sacro Recessu evadere coacti sint, eorumque templum in stabulum conversum fuerit, Servi Dei exuviae in Ecclesiam Cathedralem magna pompa, et civium laetitia translatae sunt, reliquis vero Religiosorum cadaveribus ibidem relictis. Etiam nunc in eadem Cathedrali Ecclesia requiescit, et ad illius sepulcrum concursus adhuc perdurat; eo vel magis quod fideles in eorum necessitatibus Vener. P. Simonem ceu validissimum intercessorem apud Deum saepe experiuntur.

Ast ob easdem temporum vicissitudines, praesertim vero ob expulsionem nostrorum Religiosorum a civitate Ripana, nihil usque ad annum 1866, pro Beatificatione et Canonizatione Ven. P. Simonis actum est. Hoc anno vero cura et sollicitudine P. Postulatoris Generalis Ordinis, necnon P. Francisci a Macerata, Guardiani nostri Conventus Montis Prandonum, atque Episcopi Ripani, in illa civitate *Processus Ordinarius* inceptus est; atque anno 1872 ad finem feliciter perductus, Romam ad Sacrorum Rituum Congregationem delatus est. Brevi examinatus et approbatus, anno 1875. *Causa Beatificationis et Canonizationis* Servi Dei apud Sedem Apostolicam introducta est. Paulo post, sed eodem anno, *Litterae Remissoriales* expeditae fuere tum ad Vicarium Apostolicum in Bosnia Argentina, tum ad Ordinarium Ripanum pro constructione *Processuum Apostolicorum.* Et quidem Ordinarius Ripanus statim eis manus admovit; et jam a pluribus annis ab eo absoluti fuere tum *Processus super fama sanctitatis in genere,* tum *Processus super non cultu:* remanet adhuc absolvendus *Processus super Virtutibus in specie.* In Bosnia vero nihil usque in praesens actum est.

Circa exitum hujus *Causae* nullum judicium hic et nunc proferri potest: hoc unum certum est, eam esse pauperrimam, caret enim mediis pro expensis necessariis... Habetur brevis *Vita* hujus nostri Venerabilis Simonis ab Adm. Rev. Dno Romualdo Veccia, Sacerdote Ripano, pulcre accurateque conscripta; atque in eadem civitate typis edita anno 1870. Acquiri potest

una cum imagine ejusdem Servi Dei etiam apud hanc Postulationem Generalem pretio L. 1.

—

CAPITULA PROVINCIALIA
hoc anno celebrata (1).

III.

Observ. Provincia Seraphica.

In Conventu S. Mariae Angelorum die 22 Maji 1890 rite et canonice celebratum fuit almae hujus Provinciae Capitulum, Praeside Rmo P. Ministro Generali, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Franciscus a Solerio.

CUSTOS PROVINCIAE

A. R. P. Stephanus a Castroplano.

DEFINITORES

R. P. Ludovicus a Cryptis S. Stephani.
R. P. Darius a Morro.
R. P. Quiricus de Assisio.
R. P. Joannes Maria a S. M. Angelorum.

—

IV.

Observ. Prov. Neapolis et Terrae Laboris.

Die 31 Maji 1890 in Commissariatu Terrae Sanctae Neapolitano celebratum fuit Capitulum, Praeside A. R. P. PETRO A MONSANO, Definitore Generali et Visitatore, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Cherubinus a Forigio.

CUSTOS

A. R. P. Franciscus ab Horta.

DEFINITORES

R. P. Franciscus a Camposano.
R. P. Jacobus a Fractamajori.
R. P. Raphael a Calvitiano.
R. P. Antonius de Abellis.

—

V.

Discalc. Provincia S. Petri de Alcantara Neapolis.

Die 11 Maji in Conventu S. Mariae *Occorcevole* Pedemontii-Aliphae, Praeside A. R. P. Joanne Josepho a Maria Perdolente, ex Ministro Prov. Discal. Prov. Lyciensis et ex Procuratore Generali Discal. et Recoll., rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

(1) Cfr. fasc. II. hujusce anni pag. 28.

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Petrus Baptista a Maria.

CUSTOS PROVINCIAE

R. P. Fridericus a S. Paschale.

DEFINITORES PROVINCIAE

R. P. Paulus ab Ascensione.
R. P. Eugenius a Maria Perdolente.
R. P. Thomas a S. Joanne-Joseph.
R. P. Bernardus a S. Corde Jesu.

—

VI.

Refor. Custodia S. Thomae in Pedemontio.

Die 10 Junii a Rmo P. Ministro Generali ejusque Definitorio vi facultatum a S. Sede concessarum electi sunt:

CUSTOS REGIMINIS

A. R. P. Philibertus a Brá.

DISCRETI CUSTODIAE

A. R. P. Fridericus ab Isolabella ex Custos immediatus.
R. P. Constantinus a Montanaro.
R. P. Eugenius a Poirino.
R. P. Marianus a S. Damiano.

III.

VARIA.

—

BREVIS CONSPECTUS
Kalendarii pro anno Domini 1891.

—

Litter. Dominic. *D*; Litter. Martyrol. *A*; Epact. *XX*; Aur. numer. *11*; Cycl. solar. *XXIV*; Indict. Roman. *4*.

—

Jan. 1. Fer. 5. Circumcisio Domini.
» 4. Dom. (vac.) Oct. SS. Innoc. Mm.
» 6. Fer. 3. Epiphania Domini.
» 10. Sab. de 5. die inf. oct. 9. l. et com. B. Aegidii. Vesp. a cap. Dom. com. oct. et S. Hygini.

Jan. 11. Dom. inf. oct. et 1. p. Epiph. — Inc. Epist. 1. ad Corinth.
» 18. Dom. 2. p. Epiph. Cathed. S. Petr. Rom.
» 19. Fer. 2.... Inc. Epist. 2. ad Corinth.
» 24. Sab.... Inc. Epist. ad Galat. — 9. l. com. et ult. Ev. Dom. 3. p. Epiph.
» 25. Dom. Septuagesimae.
» 27. Fer. 3. Orationis Domini.
Febr. 1. Dom. Sexagesimae.
» 3. Fer. 3. Passionis Domini.
» 8. Dom. Quinquagesimae.
» 9. Fer. 2. B. Aegidii a S. Jos. C. 1. O. 9. l. et com. S. Apolloniae V. M.
» 11. Fer. 4. Cinerum.
» 13. Fer. 6. Spineae coronae Domini. 9. l. fer. com. SS. 7. Fundat., fer. et B. Viridianae V.
» 15. Dom. 1. Quadragesimae.
» 18. Fer. 4. Quat. Temp.... Officium Defunctorum.
» 20. Fer. 6. Quat. Temp. — Lanceae et clavor. Domini.
» 21. Sab. Quat. Temp.
» 22. Dom. 2. Quadragesimae.
» 23. Fer. 2. S. Margaritae de Cortona (f. heri).
» 27. Fer. 6. SS. Sindonis Domini.
Mart. 1. Dom. 3. Quadragesimae.
» 6. Fer. 6. S. Coletae V.
» 8. Dom. 4. Quadragesimae.
» 13. Fer. 6. SS. Sanguinis Domini.
» 15. Dom. Passionis.
» 20. Fer. 6. VII. Dolorum B. M. V.
» 22. Dom. Palmarum.
» 23. Fer. 2. maj. hebdom.
» 24. Fer. 3. » »
» 25. Fer. 4. » » [festum de praecepto].
» 26. Fer. 5. in Coena Domini.
» 27. Fer. 6. in Parasceve Domini.
» 28. Sab. sancto.
» 29. DOM. RESURRECT. DOMINI.
» 30. Fer. 2. Pasch.
» 31. Fer. 3. Pasch. -- In Vesp. com. S. Martinae V. M.
April. 1. Fer. 4. inf. oct. Pasch.
» 2. Fer. 5. » » »
» 3. Fer. 6. » » » (Indulg. plen.).
» 4. Sab. » » »
» 5. Dom. in Albis.
» 6. Fer. 2. Annuntiatio B. M. V. (f. 25 Mart.).
» 7. Fer. 3. S. Benedicti a S. Philad. (f. 3 Apr.).
» 8. Fer. 4.... Inc. lib. Act. Apostolor.
» 12. Dom. 2. p. Pasch. — SS. Sepulchri Domini.
» 19. Dom. 3. p. Pasch. — Patrocin. S. Joseph.
» 22. Fer. 4.... Inc. lib. Apocal. B. Joann. Ap.
» 26. Dom. 4. p. Pasch. — B. M. V. de Bon. Consil.
» 27. Fer. 2.... Inc. Epist. B. Jacobi Ap.
Maji. 1. Fer. 6.... Ll. I. Noct. de Script. occ.
» 3. Dom. 5. p. Pasch. — Inventio S. Crucis.
» 4. Fer. 2.... Inc. Epist. 1. B. Petri Ap. — 9. l. com. et ult. Evang. fer.
» 4. 5. 6. dies Rogation., process. et Litan. major. Ord. nostri.
Maji. 6. Fer. 4.... 9. l. com. et ult. Evang. vig. Asc. Domini.
» 7. Fer. 5. Ascensio Domini.
» 9. Sab.... Inc. Epist. 2. B. Petri Ap.
» 10. Dom. inf. oct. et 6. p. Pasch. — S. Antonini E. C. — Inc. Epist. 1. B. Joann. Ap.
» 12. Fer. 3.... Inc. Epist. 2. (1. 2.) et 3. B. Joannis Ap.
» 14. Fer. 5. Octava Ascensionis Domini.
» 15. Fer. 6.... Com. fer.
» 16. Sab. Vigil. Pentec. — Inc. Epist. B. Judae Ap.
» 17. Dom. Pentecostes. (Indulg. plen.).
» 18. Fer. 2. Pentec.
» 19. Fer. 3. Pentec.
» 20. Fer. 4. (Quat. Temp.) inf. oct. Pent. (Indulg. plen.).
» 21. Fer. 5. » » »
» 22. Fer. 6. (Quat. Temp.) » » »
» 23. Sab. (Quat. Temp.). » » »
» 24. Dom. SS. Trinitatis.
» 25. Fer. 2. S. Paschalis C. (f. 17. Maji).
» 26. Fer. 3. S. Bernardini C. (f. 20. Maji). [*Romae* S. Philippi Neri].
» 27. Fer. 4. S. Mariae Magdal. de Pazz. V. Incip. lib. I. Regum. [*Romae* S. Bernardini].
» 28. Fer. 5. SS. Corporis Christi.
» 29. Fer. 6. inf. oct. SS. Corp. Chr. [*Romae* Inc. lib. 1. Reg.].
» 30. Sab. inf. oct. SS. Corp. Chr.
» 31. Dom. » » » »
Jun. 1. Fer. 2. » » » »
» 2. Fer. 3. » » » »
» 3. Fer. 4. » » » »
» 4. Fer. 5. Octava SS. Corp. Chr. Vp. de oct.
» 5. Fer. 6. (Indulg. plen.) SS. Cordis Jesu, dup. 1. cl. De B. Pacifico hoc anno nihil.
» 7. Dom. 3. p. Pent. — Bb. Stephani, Raymundi etc. Mm.
» 14. Dom. 4. p. Pent. — S. Basilii E. D.
» 21. Dom. 5. p. Pent. — S. Aloysii Gonz. C. — Inc. lib. 2 Regum.
» 27. Sab... 9. l. com. et ult. Evang. vig.
» 28. Dom. 6. p. Pent. — De ea.
Jul. 5. Dom. 7. p. Pent. — SS. Sanguinis Dni.
» 6. Fer. 2. . . . Inc. lib. 3. Regum.
» 12. Dom. 8. p. Pent. — S. Joannis Gualb. Abb.
» 13. Fer. 2. . . . Officium Defunctorum.
» 19. Dom. 9. p. Pent. — B. Joann. de Dukl. C. — Inc. lib. 4. Regum.
» 26. Dom. 10. p. Pent. — S. Annae, matr. B. M. V. dup. 2. cl.
Aug. 2. Dom. 11. p. Pent. (1. Aug.) Dedic. S. Mariae Angelor. de Portiunc.
» 7. Fer. 6. . . . Inc. parab. Salomon.
» 8. Sab. . . . 9. l. com. et ult. Evang. vig.
» 9. Dom. 12. p. Pent. (2. Aug.) — B. Joann. de Alv. C. — Inc. lib. Eccle.
» 16. Dom. 13. p. Pent. (3. Aug.) — S. Joachim C., dup. 2. cl.
» 17. Fer. 2. . . . Inc. lib. Sapientiae.

Aug. 22. Sab. . . . 9. l. com. et ult. Evang. vig. (exc. Roma).
» 23. Dom. 14. p. Pent. (4. Aug.) SS. Cordis. B. M. V.
» 24. Fer. 2. S. Bartholomaei Ap. (*)
» 25. Fer. 3. S. Ludovici Reg. C. (*)
» 26. Fer. 4. S. Hyacinth. C. — Inc. lib. Eccli (*)
» 30. Dom. 15. p. Pent. (1. Sept.) — S. Rosae Liman. V. Inc. lib. Job.
Sept. 6. Dom. 16. p. Pent. (2. Sept.) — De ea.
» 13. Dom. 17. p. Pent. (3. Sept.) — SS. Nominis B. M. V.
» 16. 18. 19. Quat. Temp.
» 16. Fer. 4. . . . Inc. lib. Tobiae. — Officium Defunctorum.
» 19. Sab. . . . 9. l. com. et ult. Evang. fer. In Mis. or. 3. vig.
» 20. Dom. 18. p. Pent. (4 Sept.) — VII. Dolorum B. M. V.
» 22. Fer. 3. . . . Inc. lib. Judith.
» 27. Dom. 19. p. Pent. (5. Sept.) — S. Elzearii C.
» 28. Fer. 2. . . . Inc. lib. Esther.
Oct. 4. Dom. 20. p. Pent. (1. Oct.) — Solemn. S. P. N. Francisci.
» 5. Fer. 2. SS. Rosarii B. M. V. dup. 2. cl. (f. heri).
» 7. Fer. 4. . . . Inc. lib. 1. Machabaeor.
» 11. Dom. 21. p. Pent. (2. Oct.) — Octav. S. P. N. Francisci.
» 18. Dom. 22. p. Pent. (3. Oct.) — S. Lucae Evang.
» 25. Dom. 23. p. Pent. (4. Oct.) — B. Francisci a Cald. C. — Inc. lib. 2. Machabaeor.
Nov. 1. Dom. 24. p. Pent., ide. 4. p. Epiph. (1. Nov.) Omnium Sanctorum.
» 2. Fer. 2. De Octava. Inc. Ezechiel. (Commemoratio omnium fidelium Defunctorum).
» 8. Dom. 25. p. Pent., ide. 5. p. Epiph. (3. Nov. — 2. cum sua hebd. omitt.) Octav. omn. Sanctorum. Inc. Daniel.
» 13. Fer. 6. . . . Officium Defunctorum.
» 15. Dom. 26. p. Pent., ide. 6 p. Epiph. (4. Nov.) S. Gertrudis V. Inc. Oseas.
» 17. Fer. 3. . . . Inc. Joël.
» 20. Fer. 6. . . . Inc. Amos, Abdias, Jonas.
» 22. Dom. 27. et ult. p. Pent. (5 Nov.) S. Caeciliae V. M.
» 24. Fer. 3. . . . Inc. Michaeas, Nahum, Habacuc.
» 25. Fer. 4. . . . Inc. Sophonias.
» 27. Fr. 6. . . . Inc. Aggaeus, Zacharias, Malachias.
» 28. Sab. . . . 9. l. com. et ult. Evang. vig.
» 29. Dom. 1. Adventus.
Dec. 1. Fer. 3. Omnium Sanctor. 3. Ord. S. P. N. Francisci.
» 2. Fer. 4. . . . Commem. omn. Defunctor. 3. Ord. S. P. N. F.

(*) *Romae* die 24. S. Hyacinthi (Inc. lib. Eccli), die 25 S. Bartholomaei, die 26. S. Ludovici.

Dec. 6. Dom. 2. Adventus.
» 13. Dom. 3. Adventus.
» 16. 18. 19. Quat. Temp.
» 19. Sab. . . . 9. l. et ult. Evang. fer. In Mis. or. 4. vig.
» 20. Dom. 4. Adventus.
» 27. Dom. inf. oct. Nat. (vac.) S. Joannis Evang.
» 30. Fer. 4. De Dom. inf. oct. Nativ.

—

Festa duplicia majora et sanctorum Ecclesiae Doctorum, quae hoc anno propria die celebrari nequeunt, in sequentes dies sunt transferenda, nisi alicubi isti dies ad hoc vacui non sint:

Ex 25. Jan. Conversio S. Pauli Ap. — ad 3. Jul.
» 1. Febr. B. Andreae de Comit. C. — ad 31 Oct.
» 11. Febr. B. Joannae Val. Vid. — ad 3. Nov.
» 6. Mart. SS. V Vulnerum Dni — ad 16. Mart.
» 20. Mart. B. Joannis a Parma C. — ad 6. Nov.
» 22. Mart. B. Benvenuti E. C. — ad 19. Dec.
» 24. Mart. S. Gabrielis Archang. — ad 20. April.
» 30. Mart. B. Angelae Fulg. Vid. — ad 22. Dec.
» 3. Maj. Dedic. basilic. Assisiens. — ad 15 Maji.
» 24. Maj. B. M. V. Auxilium christianor. — ad 8. Jun.
» 11. Oct. Maternit. B. M. V. — ad 29. Oct.
» 18. Oct. Purit. B. M. V. — ad 30 Oct.
» 8. Nov. Patrocin. B. M. V. — ad 9. Dec.

—

Ubique hoc anno ad instar simplicis celebrantur sequentia festa duplicia majora et sanctorum Ecclesiae Doctorum.

Die 27. Jan. S. Joann. Chrysost. E. D.
» 4. April. S. Isidori. E. D.
» 19. Maj. S. Ivonis C.
» 22. Maj. B. Joann. Forest M.
» 25. Maj. Translat. S. P. N. Francisci.
» 30. Maj. S. Ferdinandi Reg. C.
» 16. Aug. S. Rochi C.

—

Ubique hoc anno nihil fit de sequentibus festis:

Die 26. Mart. de B. Rizzerio C.
» 27. Mart. de B. Peregrino C.
» 28. Mart. de B. Marco a monte Gall. C.
» 29. Mart. de B. Paula Vid.
» 31. Mart. de B. Marco Fantut. C.
» 7. Maj. de S. Stanislao E. M.
» 18. Maj. de S. Felice C.
» 28. Maj. de S. Gregorio VII. P. C.
» 5. Jun. de B. Pacifico a Cered. C.

—

SERIES PRAELATORUM

Qui Vicariatus et Provincialatus Ministerio functi sunt in Alma S. Antonii Observanti Venetiarum Provincia (1).

(Continuatio).

1574. Id. A. R. P. Seraphinus confirm. in congr. Veronae.
1575. Id. confirm. in congr. Patavii.
1576. Id. confirm. sed non fuit celebrata congregatio.
1577. Id. confirm. in congr. s. Francisci Vineae Venetiarum.

18. 1578. A. R. P. Franciscus Gonzaga Mantuanus, electus in capitulo Plebis Sacci habito. Anno sequenti Parisiis electus est Minister Generalis.

19. 1579. Adm. R. P. Angelus a Valle Agni, electus in capitulo Mantuae habito.
1580. Id. confirm. in congr. habita Venetiis.
1581. Id. confirm. in congr. Veronae celebrata.

20. 1582. A. R. P. Franciscus ab Arce Jani, electus in capitulo Veronae s. Bernardini, in quo praefuit Rmus Minister Generalis Franciscus Gonzaga.
1583. Id. confirm. in congr. Arce Jani.
1584. Id. confirm. in congr. Mantuae.
1585. Id. rexit et gubernavit Provinciam.

21. 1586. A. R. P. Michael a Ceresario, electus in capitulo Mantuae celebrato.
1587. Id. confirm. in congr. Vineae Venetiarum.
1588. Id. confirm. in congr. Riperii s. Ludovici.

22. 1589. A. R. P. Jordanus a Venetiis, electus in capitulo Tarvisii celebrato.
1590. Id. confirm. in congr. Leonici habita.
1591. Id. confirm. in congr. Mantuae celebrata.

23. 1592. A. R. P. Joannes Bergomensis electus in capitulo Insulae Scalarum habito.
1593. Id. confirm. in congr. Mantuae celebrata.
1594. Id. confirm. in congr. habita in conv. s. Francisci ad Desertum in Insula prope Venetias.

(1) Cfr. fasc. V mensis elapsi.

24. 1595. A. R. P. Franciscus Pettinari a Vicetia, electus in capitulo Veronae habito die 4 Decembris.
1596. Id. confirm. in congr. ibidem habita.
1597. Id. confirm. in congr. Leonici celebrata.

25. 1598. A. R. P. Heleonorus Leonicco, electus in capitulo Paduae celebrato.
1599. Id. confirm. in congr. Vineae Venetiarum.
1600. Id. confirm. in congr. ibidem habita.

26. 1601. A. R. P. Seraphinus Venetus, electus in capitulo Vicetiae celebrato.
1602. Id. confirm. in congr. s. MARIAE Gratiarum extra Mantuam.
1603. Id. confirm. in congr. habita in conventu s. Bernardini Veronae.

27. 1604. A. R. P. Josephus de Mantua, electus in capitulo Riperri habito die 28 Maji.
1605. Id. confirm. in congr. s. MARIAE Gratiarum extra Mantuam.
1606. Id. confirm. *Nihil factum est, interdictum enim fuit tempore tribulationis.*
1607. Id. confirm. *Sed vivitur sine regimine.*

28. 1608. A. R. P. Evangelista de Gabbiano, Prov. Brixiensis, pro Ministro commissarius extitit.

29. 1609. A. R. P. Hieronymus Boldrino, Prov. Brixiensis pro Ministro Commissarius extitit.
1610. Idem Provinciam rexit.

30. 1611. A. R. P. Angelus a Triniaco, electus in capitulo habito Venetiis die 3 Februarii.
1612. Id. confirm. in congr. s. Job Venetiarum.

31. 1613. A. R. P. Augustinus a Ceresario, electus in capitulo Patavii habito.
1614. Id. confirm. in congr. ibidem celebrata.
1615. Confirmatur idem P. Augustinus, electus in congr. s. MARIAE Plebis Sacci.

32. 1616. A. R. P. Laurentius Venetus, electus in capitulo Veronae celebrato.
1617. Id. confirm. in congr. Campi S. Petri.
1618. Id. confirm. in congr. Insulae Scalarum.

33. 1619. A. R. P. Benedictus de Colonia, electus in capitulo Patavii celebrato.
1620. Id. confirm. in congr. Atheste habita.
1621. Id. confirm. in cong. Vicetiae celebrata.
34. 1622. A. R. P. Alexander Madius, electus in capitulo Paduae habito die 12 Octobris.
1623. Id. confirm. in congr. Atheste habita.
1624. Id. confirm. in congr. Patavii habita.
35. 1625. A. R. P. Heleonorus Pajellus, electus in capitulo Venetiis in conv. s. Job.
1626. Id. confirm. in congr. Buxolingi celebrata.
1627. Id. confirm. in congr. Scledi habita.
36. 1628. A. R. P. Theodorus Persico, electus in capitulo Vineae Venetiar. habito.
1629. Id. confirm. in congr. Patavii habita.
1630. Id. confirm. in congr. Patavii celebrata.
1631. Id. confirm. in congr. Paduae celebrata tempore pestis.
37. 1632. A. R. P. Innocentius a Buxolingo, electus in capitulo Paduae habito.
1633. Id. confirm. in congr. Buxolingi habita.
1634. Id. confirm. in congr. Vicetiae celebrata.
38. 1635. A. R. P. Michael Ang. ab Arce Jani, electus in capitulo Veronae s. Bernardini celebrato.
1636. Id. confirm. in congr. Vicetiae habita.
1637. Id. confirm. in congr. sed vacavit.
1638. Id. confirm. in congr. Paduae celebrata.
39. 1639. A. R. P. Innocentius a Buxolingo, pro secunda vice electus in capitulo Vicetiae celebrato.
1640. Id. confirm. in congr. Plebis-Sacci habita.
1641. Id. confirm. in congr. Paduae celebrata.
40. 1642. A. R. P. Lucius de Muntursio, in capitulo Atheste celebrato die 2 Februarii.
1643. Id. confirm. in congr. Motthae, in conv. s. Mariae Miraculorum.
1644. Id. confirm. in congr. Paduae, in conv. s. Francisci majori habito.
41. 1645. A. R. P. Michael Angelus ab Arce Jani, pro secunda vice electus in capitulo Venetiarum die 8 Martii.
1646. Id. confirm. in congr. Veronae celebrato.
1647. Id. confirm. in congr. Vicetiae habita.
42. 1648. A. R. P. Pacificus, Venetus, electus in capitulo Paduae habito die 15 Maji.
1649. Id. confirm. in congr. Venetiis celebrata.
1650. Id. confirm. in congr. Campi s. Petri celebrata.
43. 1651. A. R. P. Gaspar Venetus, electus in capitulo Campi S. Petri habito die 18 Aprilis.
1652. Id. confirm. in congr. Atheste celebrata.
1653. *Hoc anno Vicetiae congressus habitus est sine publicatione.*
44. 1654. A. R. P. Augustinus de Padua, electus in capitulo Vicetiae celebrato.
1655. Id. confirm. in congr. Motthae habita.
1656. Id. confirm. in congr. Sanguineti celebrata.
45. 1657. A. R. P. Joan. Baptista ab Atheste, electus in capitulo Campi S. Petri celebrato die 17 Decembr.
1658. *Vacat.*
1659. A. R. P. Joan. Baptista ab Atheste, electus in congr. Atheste habita.
46. 1660. A. R. P. Theodorus a Vicetia, electus in capitulo Vicetiae habito die 23 Octobris.
1661. *Vacat.*
1662. A. R. P. Theodorus a Vicetia, electus in congr. Patavii celebrata.
1663. *Vacat.*
47. 1664. A. R. P. Joan. Baptista Patavinus, electus in capitulo Paduae celebrato.
1665. *Vacat.*
1666. Id. confirm. in congr. Vicetiae habita.
48. 1667. A. R. P. Antonius Maria a Venetiis, electus in capitulo Vineae Venetiar. celebrato die 29 Aprilis.
1668. Id. confirm. in congr. Motthae habita.

1669. Id. confirm. in congr. Venetiis celebrata.

49. 1670. A. R. P. Bernardus a Volta, Mantuanus, electus in capitulo Patavii celebrato, die 14 Septembris.

1671. Id confirm. in congr. Paduae habita.

50. 1672. A. R. P. Joan. Baptista de Padua, pro secunda vice electus in capitulo Utini celebrato die 15 Maji.

1673. Id. confirm. in congr. Paduae habita.

1674. Id. confirm. in congr. Patavii habita.

51. 1675. A. R. P. Antonius Maria a Venetiis, jam Vicarius Generalis Cismontanae Familiae, pro secunda vice electus in capitulo Paduae habito die 12 Maji.

1676. Id. confirm. in congr. Venetiis celebrata.

1677. Id. confirm. in congr. Venetiis celebrata.

52. 1678. A. R. P. Evangelista Bergomensis, electus in capitulo Veronae celebrato die 9 Maji.

1679. Id. confirm. in congr. Venetiis habita.

1680. Id. confirm. in congr. Paduae celebrata.

53. 1681. A. R. P. Joan. Baptista de Padua, pro tertia vice electus in capitulo Paduae habito die 1 Junii.

1682. Id. confirm. in congr. Paduae habita.

1683. Id. confirm. in congr. Venetiis celebrata.

54. 1684. A. R. P. Andreas a Vicetia, electus in capitulo Venetiis habito die 21 Martii.

1685. Id. confirm. in congr.

1686. Id. confirm. in congr.

55. 1687. A. R. P. Antonius Maria a Venetiis, pro tertia vice electus Pater Ordinis in capitulo Vicetiae habito die 5 Maji.

1688. Id. confirm. in congr. Veronae celebrata.

1689. Id. confirm. in congr. Paduae habita.

56. 1690. A. R. P. Cherubinus a Plebe-Sacci, electus in capitulo Paduae habito die 11 Aprilis.

1691. Id. confirm. in congr. Patavii celebrata.

1692. Id. confirm. in congr. Paduae habita.

57. 1693. A. R. P. Vitalis a Guardistallo, electus in capitulo Venetiis celebrato die 24 Martii.

1694. Id confirm. in congr. Venetiis celebrata.

1695. Id. confirm. in congr. Veronae habita.

58. 1696. A. R. P. Julius a Venetiis, electus in capitulo Patavii celebrato die 26 Maji.

1697. Id. confirm. in congr. Venetiis habita.

1698. Id confirm. in congr. Marosticae in conv. S. Sebastiani.

59. 1699. A. R. P. Andreas a Vicetia, electus pro secunda vice in capitulo Venetiis habito die 5 Maji.

1700. Id. confirm. in congr. Paduae habita.

1701. Id. confirm. in congr. Vicetiae celebrata.

60. 1702. A. R. P. Josephus ab Arce-Jani, electus in capitulo Venetiis celebrato die 6 Maji.

1703. Id. confirm. in congr. Venetiis habita in conv. S. Francisci a Vinea.

1704. Id. confirm. in congr. Venetiis celebrata in conv. S. Job.

61. 1705. A. R. P. Julius a Venetiis, electus in capitulo Paduae celebrato die 4 Maji.

1706. Id. confirm. in capitulo Venetiis habito die 25 Aprilis.

1707. Id. confirm. in capitulo Paduae celebrato die 6 Junii.

62. 1708. A. R. P. Antonius a Campo S. Petri, electus in capitulo Venetiis habito die 2 Junii.

1709. Id. confirm. Venetiis die 13 Junii.

1710. Id. confirm. ibidem die 16 Maji.

63. 1711. A. R. P. Gabriel Maria a Venetiis, qui fuit Definitor Generalis, electus Paduae die 27 Aprilis.

1712. Id. confirm. Venetiis in congr.
1713. Id. confirm. ibidem in congr.
64. 1714. A. R. P. Vitalis De-Gherlis a Guardistallo, pro secunda vice electus in capitulo habito Venetiis die 24 Junii.
1715. Id. confirm. Venetiis in congr.
1716. Id. confirm. ibidem in congr.
65. 1717. A. R. P. Joan. Clemens de Marostica, electus Venetiis in capitulo habito die 9 Maji.
1718. Id. confirm. ibidem in congr.
1719. Id. confirm. Plebis-Sacci, S. Mariae Gratiarum.
66. 1720. A. R. P. Angelus a Leuniaco, electus Venetiis in capitulo habito die 24 Junii.
1721. Id. confirm. in congr. Vicetiae habita.
1722. Id. confirm. in congr. Paduae habita.
67. 1723. A. R. P. Laurentius a Cittadella, electus in capitulo Veronae habito die 28 Octobr.
1724. Id. confirm. in congr. habita Campi s. Petri.
1725. Id. confirm. in congr. habita Bigulini s. Crucis.
68. 1826. A. R. P. Felix de Domo David, Veronensis, electus in capitulo Atheste celebrato die 4 Junii.
1727. Id. confirm. in congr. habita Clodiae.
1728. Id. confirm. in congr. habita Veronae.
69. 1729. A. R. P. Laurentius, qui supra, eligitur in Commissarium Provincialem.
70. 1730. A. R. P. Franciscus Antonius de Canneto, Mantuanus, electus Mediolani die 5 Junii in capitulo Generali.
1731. Id. confirm. in congr. habita in conv. Athestis.
71. 1732. A. R. P. Jo. Antonius a Verona, electus in capitulo Patavii celebrato die 28 Maji.
1733. Id. confirm. in congr. Montaneanae habita.
1734. A. R. P. Laurentius, qui supra, pro secunda vice electus in capitulo Paduae habito die 31 Oct.
1735. Id. confirm. in congr. Paduae habita.
1736. Id. confirm. in congr. Atheste celebrata.
72. 1737. A. R. P. Carolus Maria a Venetiis, electus in capitulo Paduae habito die 3 Junii.
1738. Id. confirm. in congr. Arcisiani habita.
1739. Id. confirm. in congr. Venetiis celebrata.
73. 1740. A. R. P. Josephus Maria de Marostica, electus in capitulo Patavii celebrato die 13 Sept.
1741. Id. confirm. in congr. Paduae habita.
1742. Id. confirm. in congr. Venetiis celebrata.
74. 1743. A. R. P. Franciscus Antonius de Canneto, pro secunda vice electus in capitulo Paduae celebrato die 15 Junii.
1744. Id. confirm. in congr. Atheste habita.
1745. A. R. P. Gabriel Maria a Venetiis eligitur in Vicarium Provincialem ob mortem P. Francisci Ant. de Canneto.
75. 1746. A. R. P. Michael Angelus Carmeli a Cittadella, electus Venetiis in capitulo habito die 2 Maji.
1747. Id. confirm. in congr. Venetiis habita.
1748. Id. confirm. in congr. ibidem habita.
76. 1749. A. R. P. Peregrinus Caelestis a Verona, electus in capitulo Venetiis celebrato die 24 Maji.
77. 1750. A. R. P. Josephus Maria de Marostica, qui supra, eligitur in Commissarium Provincialem.
1751. Id. confirm. in congr. Venetiis habita.
78. 1752. A. R. P. Illuminatus a Venetiis, electus in capitulo Venetiis habito die 15 Maji.
1753. Id. confirm. in congr. Venetiis celebrata.
1754. Id. confirm. in congr. ibidem celebrata.
79. 1755. A. R. P. Jo. Maria a Laona, Venetiis in capitulo habito die 20 Augusti.

1756. Id. confirm. in congr. Venetiis habita.

1757. Ob mortem P. Jo. Maria a Longa eligitur in Vicarium Prov. A. R. P. Josephus Maria de Marostica, vide supra an. 1740.

80. 1758. A. R. P. Daniel Victorius de Mantua, electus in capitulo Vicetiae habito die 5 Septembris.

1759. Id. confirm. in congr. Sanguineti habita.

1760. Id. confirm. in congr. s. Francisci Clodiae.

1761. Ob mortem P. Danielis, P. Illuminatus Venetus eligitur in Vicarium Provincialem.

81. 1762. A. R. P. Josephus a Pojanella, eligitur per Breve Pontificium.

1763. Id. confirm.

1764. Id. confirm.

82. 1765. A. R. P. Jeremias a Patavio, electus in capitulo Venetiis habito die 11 Maji.

1766. Id. confirm. in congr. Veronae habita. In hac congregatione quinque Conventus Mantuani segregantur a Provincia nostra et Custodiam Mantuanam efformant.

1767. Id. confirm. in congr. Veronae habita.

83. 1768. A. R. P. Peregrinus a Verona, eligitur in capitulo Paduae habito die 22 Maji.

(Continuabitur).

—

In honorem Sanctorum Martyrum Gorcomiensium
Die IX Julii.

Fortes athletas, gloriosos martyres
Christum secutos aspera via crucis,
Quae duxit illos ad beatitudinem,
Laeti sequamur canticis et organis:
Paupertas, castitas, obedientia
Docuere Fratres abnegare se suaque;
Ut offerentis pura sit manus Deo,
Gregemque possit pascere sibi creditum.
Periculorum terror ingruentium
Non fecit illos territos, qui fortiter
Fidem tuentes, Roma, quam tu nos doces,
Non haesitare sanguinem profundere.
O Vos, Parentes, tanta fortitudinis
Exempla dantes filiis, precamini
Formata charitate nostra sit fides,
Quae sola praestat sempiterna praemia.
In Unitate Trinitati gloria,
Patri sit atque Filio cum Spiritu
Paraclito, qui praestitere gratiam,
Per universa saeculorum saecula. Amen.

Jam martyrum constantiam
In charitate, spe, fide,
Noster chorus cum gaudio
Extollat in laudem Dei.
Hi maxime mysterium
Sublimis Eucharistiae,
In qua Redemptor creditur
Praesens adesse, sustinent;
Et veritatem quae docet:
« Romana Sedes omnium
« Est prima, qua sedit Petrus,
« Ejusque successor sedet.
Promissa non trahunt eos,
Nec vis minarum praevalet,
Non sentiunt ludibria,
Blanditus omnis spernitur.
Tam multa perferentibus,
Tam firmiter credentibus,
Jesumque confitentibus
Esse licet his gaudentibus.
Fides eorum spem fovet
Salutis inscrutabilis;
Nam Christus hos coram Patre
Se confiteri praedicat.
Quae charitas est fortior
Quam mors, eadem fervidi
Precantur « O Pater pie,
« Ignosce persequentibus! »
O Vos beati milites,
Ecclesiam defendite, et
Precamini pro patria
Quam consecrastis sanguine.
Patrique Filioque sit
Cum Spiritu Paraclito,
Pro martyrum constantia
Aeterna laus et gloria. Amen.

Laudamus Dominum dum colimus pios
Heroes fidei, sanguine qui fidem
Confessi proprio, laurigero in choro
Festivum peragunt diem.

Laudamus memores quod dedit auxilii
Nostris martyribus, quo superare vim
Illatam variis et trucibus modis
Contra Catholicam fidem.
Laudamus pia quod mater honoribus
Sanctorum decorans, laudibus et coli
Fratres praecipiens, quos imitemur et
Nos Ecclesia perdocet.
Laudemus Triadem dum canimus « Deo
« Patri gloria sit, gloria Filio,
« Sancto Spiritui gloria permanens
In saeculum sine termino. Amen.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

Anonymus Cap. Office de la Passion de N. S. Jésu Christ, extrait des œuvres de S. François d'Assise. Paris, Imprimerie Franciscaine Missionaire, 80, rue Dutot. 1890. — In 32, pag. 102.

Anonymus, Min. Rif. — La Chiesa e la Massoneria. Messina, tip. del Progresso, 1890. In-16. Pag. 145. Prezzo L. 2.

P. Carolus de Castris a Ferentino, Min. Obs. — Conferenze contro gli errori del giorno del M. R. Padre Carlo de Castris da Ferentino, Lettore Giubilato, Minore Osservante. Velletri, tip. di Andrea de Lazzaro, 1890. Pag. 350.

Folia periodica franciscana. — Publicis foliis in Ordine nostro editis, quorum elenchum in antecedenti fasciculo pag. 55 jam annuntiavimus, sequentia adjungenda sunt:

La luce, periodico settimanale, quod ab annis septem Messanae in Sicilia editur, Piazza del Duomo 13 cura praesertim Adm. R. P. Angeli Colantoni, Min. Ref. Pretio annuo L. 4 pro tota Italia.

Irish Franciscan Tertiary, a monthly Journal for the Third Order of St. Francis. Dublin, the Freeman's Journal Ltd., printers. (Periodicum mensile pro Tertiariis, quod publicatur a Patribus Recoll. Provinciae Hiberniae). Pretium pro anno, 1 Shilling, i. e. L. 1, 25. Hoc anno incepit.

V.
NECROLOGIA

In civitate Pennensi Italiae die 21 Februarii 1890 sanctam vitam clausit P. Constantinus Bajocco, domo Caporcianus, Provinciae Aprutiorum Reformatae filius.

Anno 1831 7 Januarii genitus, anno 1846 Ordini seraphico nomen dedit in Provincia supra dicta, ubi temporis decursu in virtutibus aeque ac litteris non mediocriter profecit. Anno 1853 ad sacros ordines promotus variis officiis, uti magistri novitiorum, guardiani etc. fungebatur. Sodalitiis Religiosorum suppressis, rectorem Ecclesiae Pennensis agitur, cui munere, ob ejus virtutes et scientiam, mox illud *examinatoris prosynodalis* adjunctum est. Historiae ecclesiasticae diligens cultor opusculum scripsit, quo evidenter demonstrabat venerabilem fr. Thomam a Castiglione auctorem celeberrimae sequentiae: *Dies irae* etc. Scripsit et vitas illustrium virorum civitatis Pennensis, quo factum est, ut a Senatu populoque Pennensi, gratitudinis ergo, inter cives Pennenses adoptaretur.

R. I. P.

Calari, Sardiniae metropoli, die 2 Martii hac vita pie defunctus est P. Justus Serra, ex ea Observante Provincia. Natus in oppido Sardara dictae insulae 19 Decembris 1821, 10 Septembris 1844 inter novitios franciscales susceptus, 14 Septembris 1845 vota solemnia emisit; 2 Octobris 1848 sacerdotio initiatus fuit.

Ordine nostro in iis etiam partibus suppresso, P. Justus obtenta S. Sedis facultate in paternam domum se recepit, sed dein cessantibus rationibus, ob quas ea facultas data fuerat, in Conventum S. Rosaliae rediit. Hic, prisco spiritu actus, totus promovendis inter populares suos virtutibus christianis incubuit; quo tamen hujus studii certum redderet profectum, ad Beatissimam Virginem Mariam, quae virtutum exemplum est perfectissimum, ferventi devotionis affectu sese convertit; eve-

nitque, ut ejus conatu imprimis typis ederetur folium periodicum, cui titulus: *Rivista Mariana, ossia l'Immacolata di Lourdes in Sardegna,* devotio in Beatam Virginem, a *Lourdes* dictam, in pluribus civitatibus Insulae introducta, capellae in ejus honorem erectae et piae peregrinationes susceptae fuerint. Sancta Sedes, collato anno 1888 insigni crucis « *pro Ecclesia et Pontifice* » pium ejus zelum probavit. Tandem devotissimus hic Mariophylus in osculo pacis ex hac vita migravit die et anno ut supra.

R. I. P.

R. P. Benjaminus Cenci de Fontegreca, Dioecesis Aeserniae Samnitibus, Obs. Prov. S. Ferdinandi in Molisio filius, Missionarius apostolicus, die 10 Martii currentis anni spiritum Deo reddidit in Collegio de *Propaganda Fide* civitatis Saltensis.

Natus die 5 Maji 1833, adhuc adolescens Ordini Minorum nomen dedit, et 3 Januarii 1850 solemnia vota Deo nuncupavit. Philosophicis ac Theologicis disciplinis imbutus tum in Provincia propria tum in Tuscia in Conventu *Observantiae* Senarum, S. Eloquentiae aliquamdiu Perusiae operam dedit: quo tempore a Cardinali-Archiepiscopo Joachimo Pecci (nunc Leo XIII) ad Diaconatus Ordinem fuit promotus.

Studiorum curriculo adhuc clericus emenso, et amore religiosae perfectionis attractus, in Recessibus de *Montefalco* ac deinde de *Civitella* aliquo tempore permansit, donec consilio Rmi P. Bernardini a Montefranco, Ministri Generalis Ordinis, Missioni ab A. R. P. Petro M.ª Pellicci collectae sese adjunxit, Americam profecturus ad Collegium de *Propaganda Fide* in civitate de Salta Reipublicae Argentinae fundandum, Bahiae Sanctorum in Brasilia ab Archiepiscopo Romualdo de Leixas ad Ordinem Sacerdotalem evectus est die 12 Octobris 1856: et post varia discrimina una cum sociis terra marique transacta, Saltam ejusdem nominis Provinciae civitatem principem die 19 Martii 1857 feliciter pervenit.

Collegio constituto, P. Benjaminus institutioni et educationi puerorum incubuit, ac postea ad Missionem inter infideles Ciachenses destinatus fuit. Reversus ad Collegium, in Capitulo Guardianali anni 1864 Praeses Hospitii de Jujuí electus, ibi usque ad annum 1870 commoratus est. Tum a Discretorio Collegii Romam missus tamquam Collector Missionariorum, atque ut hospitium in Conventum erigi curaret, quod ei feliciter cessit, a Rmo P. Ministro Generali primus ejusdem Conventus Guardianus est renuntiatus. Reversus cum aliquot Religiosis ad Conventum de « Jujuí » post in Guardianatus triennium Collegium Saltense repetiit.

Deinde Confessarii Sororum B. Mariae V. ab Horto et Cappellani munus exercuit: et anno 1882 electus in Collegii Guardianum scholas Tertii Ordinis pro pueris et puellis instituit; ac postea Cappellanus Sororum Tertii Ordinis, ab A. R. P. Quirico Porreca institutarum, fuit nominatus.

Tandem mense Decembri anni praeteriti missus cum septem Sororibus Tertiariis ad aliud Collegium in pago de « *Cafayate* » instituendum, ad suum Collegium post duos menses reversus est valetudine aliquantulum perturbata; et quamvis signa gravis periculi medicum ipsum laterent, ipse proximitatem mortis praesensit, eique se preparavit; ac Sacramentis Ecclesiae munitus ex hac caligine ad veram ac perpetuam lucem migravit ex congestione pulmonari. Ejus inopinata mors moerore cunctos affecit, maxime vero Fratres ejus et consodales; atque ad ejus exequias magna populi multitudo accurrit. Et merito quidem, nam P. Benjaminus ut ex dictis colligi potest, fuit Religiosus morum gravitate, observantia regulari, pietate ac devotione praecellens; fuit Missionarius Apostolici roboris in cathedra, in Missionibus, in exercitiis spiritualibus tradendis Clero, Monialibus, fidelibus; in Sororibus et Collegiis educationis bene dirigendis, atque in confessionibus excipiendis praesertim puerorum, quorum tractu delectabatur, animosque sibi devinciebat.

Fide et spe magna donatus eodem quo decessit die Deum precabatur, ut ab exilio in patriam seipsum revocare dignaretur. Exauditus est pro voto! In pace sit locus ejus, et habitatio ejus in sancta Sion.

R. I. P.

P. Antonius Gregori, Provinciae Observ. Marchiae lector jubilatus, in oppido S. Mariae Novae, loco suo natali, die 24 Martii 1890 mortem oppetiit.

Is primam lucem conspexit die 23 Octobris 1821. Anno 1838 inter franciscales dictae Provinciae receptus, die 29 Novembris 1839 vota solemnia nuncupavit. Obedientiae cultor eximius, demandata sibi officia cum summa conscientiae rectitudine exequi conatus, Provinciae suae et imprimis juventuti religiosae in litteris excolendae, admodum profuit; nam per quadraginta annos mathematices et partim philosophiae professor, eas scientias ubere cum auditorum fructu explanavit, edito etiam philosophiae compendio; easdem scientias etiam extra claustrum, videlicet in S. Ginesio Velitris, et in seminario archiepiscopali Trejae explicavit.

Vir erat secus miti indole, humilis et nesciri amans, qui in abditis recessus divina meditari et mathematices secreta ruminari in deliciis habuit. Ex nimia virium adstrictione ultimis vitae diebus facultatum mentalium vitium contraxit, atque sic, qui continuo nihil nisi vitae perfectionem in hac lacrymarum valle appetebat, tandem corruptae naturae defectum expertus, ad meliorem emigravit vitam die et anno ut supra.

R. I. P.

Vukovarini in Slavonia die 11 Maji an. cur. pie obiit P. Gerardus Edinger Observ. Provinciae Capistranae filius. Natus Osjekini 13 Augusti 1829, Ordinem nostrum ingressus 3 Octobris 1848, solemnem professionem emisit 1851, 4 Octobris, sacro presbyteratus ordine initiatus est 1853, 23 Octobris. Vir mitis et in exequendis officiis sibi injunctis sedulus, quasi per quadraginta annos continuos in praedicto oppido concionatorem et scholarum catechetam multo cum spirituali fructu agebat.

R. I. P.

Adm. R. P. Andreas a Graecio quoque viam universae carnis ingressus est, mense Majo proxime elapso. Ah! fluxas spes mortalium. Dudum excepto nuncio, juribus Exprovincialium decoratum fuisse P. Basilium a Graecio, oratorem nitidum, eloquentissimum, atque inter Definitores Ordinis pleno suffragio electum, P. Andream ejus patruum et Observantis Provinciae Seraphicae Exministrum, exultavimus nedum, sed internam laetitiam compescere impares, utrumque Brizium Nepotem et Patruum fuimus gratulati, spe fisi gloriae ulteriori, et utilitati futuros patriae, familiae et propriae Sodalitati. Aliquot vix elapsis mensibus, proh dolor! dum in gaudia adhuc perfundebamur, brevi trium mensium intervallo, utrumque invida sustulit mors. Tradita proinde Nepotis necrologia, damus nunc patrui aliqualem Biographiam.

Andreas Brizius humili genere Graecii natus ad Reatinos die 18 Octobris 1818, observanti Provinciae Seraphicae nomen dedit in S. Ameriae Recessu die 30 Novembris 1833. D. Andreae Apostoli profesto recurrente; atque votis Deo nuncupatis post menses duodecim, septennio studio philosophiae et theologiae Perusiae explevit in coenobio Montano Honorio a Varagine, Reginaldo a Cariniano et Irenaeo a Planis Lectoribus eximiis, quibus adsistentibus, privatim saepe, bis publice disputavit. Lector in concursu Provinciali Stronconii approbatus, triennio philosophiam docuit ad S. Hieronymi, septennio theologiam in Conventu Montis. In consilium rebus definiendis accitus prius, inde anno 1853 electus Provinciae suae Minister, Comitiorum Praeside percelebri Jacobo a Vicetia, aerumnas perplures deglutire ei fuit necesse ob assiduos praesertim motus quibus anno sequenti quatiebatur terra non sine periculo Basilicae Portiunculae laxandae. Perusiam, theologiae magisterium reassumpturus, redux, absoluto Provinciae Custodis titulo honestatus, tranquillam vitam invenisse denuo gavisus est. Praepositus econtra paulo post Virginibus Clarissis Montis Lucidi Confessarii Ordinarii titulo novam molestiarum segetem adinvenit quum immutato Gubernio Sanctimonialium suarum jura et negotia defendere fuit aggressus. Quare Portiunculam clanculum contendens, hanc amplius non dereliquit, nisi ultimis vitae suae periodis Assisii in protocoenobio degens praefuit aliquando Missionariis Indigenis, et Picenam Provinciam anno 1857 invisit Commissarii praerogativis insigni-

tus. Dissolutis anno 1866 Familiis Regularibus maluit cuidam decrepito Sacerdoti, Francisco ab Arcegrimaldo, ceu socius famulari, quam carum deserere claustrum; eoque functo, facultate obtenta illic immorandi, quoties opportunitas sese obtulit, toties fuit concionatus Sacro Adventus perdurante tempore et Quadragesimae, donec in pristinum restituta familia magisterium reassumpsit tum philosophiae, quum theologiae, cunctisque muniis Praefecti Studiorum et Vicecommissarii Terrae Sanctae impigre functus est, licet gravis annis. Interim Supremi moderatoris jussu et auctoritate Provincias Corsicae, Tusciae et Bononiae invisit atque comitiis praefuit. Vita tandem functo, exeunte Novembri 1889 clarissimo P. Remigio Buselli Definitore Generali, in ejus locum suffectus fuit. Vix Romam pervenerat, et Ordinis negotia introspicere coeperat, quum Assisium redire compulsus fuit ob nepotis dilectissimi gravem aegritudinem, eique die noctuque morienti assistere. Vegeta adhuc vita fruebatur, quamvis ab aliquot annis oedemate seu herpete laboraret. At ingrato accepto nuntio, nepote amisso auditisque fratrum et Nepotum clamoribus, tanto dolore affectus fuit, et calcanei prius dolore perculsus, deinde apoplexi pluries correptus, tributum naturae tandem exsolverit die 14 Maji, seu pervigilio Ascensionis Domini ineunte.

Vixit annos 71, menses 6 dies 27. Sacramentis cunctis semel et iterum, eo postulante, fuit refectus, ac mente integra. Solemni funere praehabito, penes Nepotem depositus fuit, ut quos sanguis junxerat et amor, sepulcrum haud separaret.

R. I. P.

In Conventu Suazensi Provinciae Reformatae D. Leopoldi in Tyroli die 21 Maji supremum halitum emisit M. V. P. Edmundus Etschmann, Ordinis et Sacerdotii Jubilaeus, Missionarius Americae septentrionalis emeritus, vir orationis amore, laboris assiduitate ac fraterna charitate spectabilis. — Ex Haiming in Tyroli oriundus, peractis studiis gymnasialibus et absoluto in Seminario Clericali Brixinensi primo theologico cursu, vigintiquatuor annos natus die 23 Octobris 1834 religioso habitu indutus et emissa post novitiatum solemni professione anno 1835 ad finem vergente Sacerdotio initiatus est. Officio docendi in Gymnasio addictus per aliquot annos solerter juventuti educandae et excolendae diligentiam adhibuit, donec anno 1846 annuentibus Superioribus qua Missionarius Apostolicus in Americam septentrionalem perrexit, ubi jam tunc aliquot Religiosi hujus Provinciae strenue adlaborabant in vinea Domini et neo-erectae ibi Provinciae S. Joannis Baptistae fundamenta ponebant. Illis se jungens P. Edmundus strenuus eorum adjutor erat in praedicando Dei verbo, confessionibus excipiendis ac juventute in Gymnasio erudienda, necnon aliquoties residentiis Confratrum Missionariorum qua Superior praeerat, quo in munere s. Regulae observantiam omnimode tueri ac promovere studebat omnibus seipsum praebens exemplum. Septemdecim annis elapsis, in patriam Provinciam reversus est, ubi pluribus in locis Guardiani, Superioris ac Confessarii Monialium munere zelo ac prudentia pari perfunctus est, usquedum ante aliquot annos apoplexia tactus talibus oneribus impar inveniretur. In Conventum Suazensem translatus et viribus aliquantulum auctus, iterum ad audiendas Christifidelium Confessiones promptum se exhibuit et reliqua etiam ad disciplinam claustralem pertinentia, in quantum fieri potuit, adimplevit, erga omnes simul Confratres ceu patrem omnino benevolum et charitativum se gerens. Tandem apoplectico morbo iteratis vicibus molestatus, ss. moribundorum Sacramentis mature provisus et in voluntatem divinam resignatissimus obdormivit in Domino.

R. I. P.

Nihil obstat

Fr. Aloysius, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

DECRETUM S. R. CONG.

I.
NEAPOLITANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVI DEI

FR. MICHAELIS ANGELI A S. FRANCISCO

LAICI PROFESSI ORDINIS MINORUM EXCALCEATORUM STRICTIORIS OBSERVANTIAE SANCTI PETRI DE ALCANTARA PROVINCIAE NEAPOLITANAE

SUPER DUBIO

An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum et Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Justitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?

Juxta dictamina illius caelestis sapientiae mundo ignotae, quam Jesus Christus attulit hominibus, *vere bene doctus est, qui Dei voluntatem facit et suam relinquit*, ut ait Auctor aurei libelli de Imitatione Christi: *vere magnus, qui magnam habet caritatem: vere magnus, qui in se parvus est et pro nihilo omne culmen honoris ducit; duabusque alis, simplicitate nempe et puritate a terrenis sublevatur.* Hujusmodi sapientiae characteres, quibus tot Christi heroum sanctitas fulcitur, miro nitent splendore in Venerabili Dei Famulo Fr. Michaele Angelo a S. Francisco, qui novum inclytae Familiae S. Petri de Alcantara decus est atque ornamentum. Is in pago, quem vocant *Frattamaggiore,* Dioeceseos Aversanae, ortum duxit anno MDCCLX, parentes nactus pientissimos, qui vel ab incunabulis eum edocere studuerunt *ambulare spiritu, crescere in scientia Dei, ac in gratia et cognitione Jesu Christi.* Telarum opificio cum parentibus incumbens, a juvenilibus solatiis alienus, uni Deo piisque vacabat operibus, et singulari animi candore ac filiali prorsus erga Beatam Virginem in caelum Assumptam dilectione frequentique Sacramentorum usu, sanctitatis culmen aliquando se adepturum portendebat; siquidem *a studiis suis cognoscitur puer.* Sexdecim annos natus, perfectioris vitae desiderio abreptus, ac praesertim puritatis lilium, quod intactum usque servavit, ut arctius sepiret, superno lumine ductus, saeculo valedicens, ad Coenobium, quod est Neapoli, Sanctae Luciae ad Montem, Sodalium Franciscalium Strictioris Observantiae sub lege S. Petri de Alcantara, laetus advolavit. Uti Laicus exceptus, sacrisque votis solemniter emissis, Coenobii lanificio praefectus, laboriosum valde munus lanae texendae usque ad ultimum vitae diem naviter exercuit, virtutum omnium Consodalibus exemplar, humilitate potissimum, simplicitate cordis, effusa in pauperes caritate ac divinae gloriae zelo insignis. Elevatione mentis et affectus unione cum Deo, *quae Jesu Christi sunt quaerens,* evangelicam perfectionem plane assequutus est. Caritate aestuans coram sanctissima Eucharistia, qua fere quotidie vescebatur, horas integras agebat, quoties sibi extra lanificium manere ex obedientia dabatur. Tanto Deiparam prosequebatur affectu, ut ipsius Iconem lanificio praepositam adspiciens, saepe in ecstasim rapi, illamque veluti os ad os alloqui, ceu matrem filius, videretur. Probe au-

tem noscens quod *per amorem proximi,* ut ait sanctus Gregorius, *amor Dei nutritur,* sollicitam suam erga proximos dilectionem ostendit. Singulari animi lenitate, qua nunquam irasci visus est, candido sermone et simplici monita salutis cuique praebere, solari afflictos, aegrotos invisere, quos aliquando sanitati suis precibus meruit restituere, a cibo saepius abstinere, ut pauperibus illum distribueret, ac cetera demum officia, queis non tenebatur, ad Sodalium laborem minuendum hilari vultu obire consuevit. Acerbissimis corporis cruciatibus aeque ac daemonum vexationibus patientissime toleratis, supernis charismatibus donatus, praenunciata mortis die, Sacramentis munitus, in somno pacis sexagenarius obdormivit: ejusque obitum et sepulcrum non pauca signa illustrarunt. Praeclara illa opinio, qua dum viveret Dei Famulus apud egregios quoque viros et Regem fruebatur, eminentis nempe Christi sectatoris, qui a Deo uti amicus nimis honoratus erat, clarior post mortem in dies adaucta fuit, accedente miraculorum fama.

Hinc super vita, virtutibus et miraculis Servi Dei informativi Processus in Curia ecclesiastica Neapolitana constructi sunt, quorum aperitione in Sacrorum Rituum Congregatione peracta, discuti coepit, instante Causae Postulatore, de Ipsius Introductione Causae Beatificationis et Canonizationis. Quumque Rmi Cardinales Sacris tuendis Ritibus addicti unanimiter convenirent in affirmativum judicium; sa. me. Pius Papa IX Commissionem Introductionis Causae propria manu signavit IV Nonas Augusti anno MDCCCLV. Deinde juxta disciplinam sacri fori validitate omnium Processuum Ordinaria et Apostolica Auctoritate institutorum comprobata ab eodem Summo Pontifice, coacta fuere Antepraeparatoria Comitia super heroicitate virtutum Ven. Dei Famuli in aedibus cl. me. Cardinalis Thomae Martinelli, ob adversam valetudinem cl. me. Cardinalis Prosperi Caterini Causae Relatoris, sexto Idus Januarii anno MDCCCLXXVIII: ac de iisdem virtutibus disceptatum est in Praeparatorio Coetu ad Vaticanum coadunato sexto Idus Maji anno MDCCCLXXXI, et postremum in Generali Conventu coram SSmo Dno Nostro Leone Papa XIII in Palatio Vaticano XVII Kalendas Majas hoc anno; in quo Conventu Rmus Cardinalis Cajetanus Aloisi-Masella, Sacrae Rituum Congregationi Praefectus, loco et vice Rmi Cardinalis Aloysii Pallotti Causae Relatoris, quum Dubium proposuisset: « *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum et Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Justitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Venerabilis Servi Dei Fr. Michaelis Angeli a S. Francisco, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?* » Rmi Cardinales et Patres Consultores suam ex ordine protulere sententiam. Attamen SSmus Dominus supremum judicium suum differre maluit, omnesque adstantes hortatus est, ut interim in re tanti momenti sibimet a Patre luminum divini auxilii gratiam deposcerent.

Denique hac die, in quam Solemnitas incidit Sacratissimi Cordis Jesu, oblata prius in privato Sacello Hostia salutari, hanc nobiliorem petiit sui Palatii Vaticani aulam et Pontificio solio assidens, accito Rmo Cardinali Cajetano Aloisi-Masella, Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, atque etiam loco et vice Rmi Cardinalis Aloysii Pallotti Causae Relatoris una cum R. P. Augustino Caprara S. Fidei Promotore et me infrascripto Secretario, iisdem astantibus edixit: « *Constare de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum et Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Justitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Venerabilis Servi Dei Fr. Michaelis Angeli a S. Francisco, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur* ».

Decretum hoc evulgari, et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri mandavit. Idibus Junii anno MDCCCXC.

C. Card. Aloysi-Masella, *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi, *S. R. C. Secret.*

—

II.

EPISTOLA S. R. C.

Ad episcopos, circa expositionem duarum imaginum similium in eadem ecclesia et speciatim imaginum B. V. a Rosario.

Illmo e Rmo Signore,

È norma liturgica, sempre inculcata da questa S. Congregazione de' Riti, non potersi nella stessa Chiesa, e molto più nello stesso altare, esporre alla pubblica venerazione due quadri o statue rappresentanti il medesimo santo, ed ove trattisi della SSma Vergine, rappresentanti la Madre di DIO sotto il medesimo titolo. Questo principio, che non ammette eccezione, fu tenuto presente dalla Sacra Congregazione nel rispondere, con Decreto del 24 Febbraio del corrente anno, ad alcuni dubbi proposti dal Procuratore Generale dell' Ordine de' Predicatori, relativi all' uso di esporre in qualche Chiesa, dove già veneravasi l' effigie della Vergine SSma del Rosario, l' altra che porta lo stesso titolo e che ha special culto nella Chiesa recentemente eretta nella Valle de' Pompei.

Infatti, checchè sia del luogo particolare, ove MARIA SSma è in tal modo onorata, e delle grazie e favori singolari che il SIGNORE si degna concedere a' Fedeli che ivi accorrono, o che alla Vergine colà venerata si rivolgono, è fuori di ogni dubbio, che quella Effigie rappresenta, anche ne' suoi accessori, tranne leggiere varietà, la Madre di DIO intitolata sempre dal SSmo Rosario. Non può dunque esporsi nelle Chiese e pubblici Oratori, dove un' altra sacra Immagine dello stesso titolo riceva venerazione e culto da' Fedeli.

Ond' è che, quantunque dopo la pubblicazione del detto Decreto molte petizioni sieno state dirette al S. Padre per implorare che si lasciasse in qualche Chiesa, insieme con l' antica Effigie della Vergine SSma del Rosario, l' altra cui si aggiunge la denominazione da Pompei, non si è potuto derogare all' enunciato principio, che informa le risposte date su tale argomento dalla S. Congregazione. Le quali risposte, per ciò che riguarda il dubbio sulle Indulgenze, confermano il fin qui detto, che le due sacre Immagini sono una stessa cosa; quindi, senza escludere nuove Indulgenze che potranno accordarsi dalla S. Sede, si riportano, per le già concesse, alle condizioni a tal uopo prescritte.

Intanto a porre un termine a tali domande, ed anche a ricordare sempre più le norme liturgiche da seguirsi in simili casi, questa S. Congregazione, presi gli ordini di Sua Santità, ha creduto opportuno di dirigere la presente lettera alla S. V., nella piena fiducia che Ella se ne varrà per contenere ne' giusti limiti la divozione, d' altronde così commendevole e salutare, verso la Vergine SSma del Rosario.

Il sottoscritto Cardinale Prefetto offre alla S. V. i sensi della sua particolare stima, mentre le prega dal SIGNORE le maggiori prosperità.

Di V. S.

Roma, 20 Maggio 1890.

Affmo come Fratello
GAETANO Card. ALOISI MASELLA
Prefetto della S. C. de' Riti.

VINCENZO NUSSI, *Segretario.*

—

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

Indulgentia 100 dierum conceditur recitantibus orationem in honorem S. Raphaelis Archangeli.

BEATISSIME PATER,

FR. RAPHAËL AB AURELIACO, Procurator Generalis Ordinis Minorum, ad pedes Sanctitatis Tuae humiliter provolutus, petit ut universis Christifidelibus devote recitantibus heic subjectam orationem in honorem S. Raphaelis Archangeli aliquam Indulgentiam concedere dignetur.

Et DEUS etc...

Ad gloriosum S. Raphaelem

ORATIO.

Gloriose Archangele S. Raphael, caelestis Curiae princeps inclyte, sapientiae et gratiae do-

nis praeclare, dux peregrinantium terra marique, miserorum solamen peccatorumque refugium, mihi, quaeso, praesto sis, in cunctis vitae hujus necessitatibus ac aerumnis, sicut juniori Tobiae peregrinanti astitisti. Quum sis medicina DEI, *Te humiliter exoro, ut animae meae infirmitates ac mala, quibus corpus meum premitur, sanare digneris, si mihi id expedierit. Angelicam praesertim a Te peto puritatem, qua* SPIRITUS SANCTI *Templum vivum esse merear. Amen.*

PRIÈRE

à Saint Raphaël Archange.

Glorieux Archange Saint Raphaël, grand prince de la cour céleste, illustre par les dons de la sagesse et de la grâce, guide des voyageurs par terre et par mer, consolation des malheureux et refuge des pécheurs, je vous supplie de m'assister dans toutes mes nécessités et les peines de cette vie, comme vous avez secouru le jeune Tobie dans ses pérégrinations. Puisque vous êtes le remède de Dieu, je vous prie humblement de guérir mon âme de ses nombreuses infirmités, et mon corps des maux qui l'affligent, si cette grâce me convient. Je vous demande en particulier une angélique pureté, afin de mériter ainsi d'être le temple vivant du Saint Esprit. Ainsi-soit-il.

Sanctissimus D. N. LEO P. XIII in audientia habita die 21 Junii 1890 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae omnibus utriusque sexus Christifidelibus corde saltem contrito supradictam Orationem devote recitantibus *Indulgentiam centum dierum,* semel in die lucrandam, et defunctis quoque applicabilem, benigne concessit. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria ejusdem S. Congregationis die 21 Junii 1890.

C. Card. CRISTOFORI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Archiep. Nicopolit. *Secretarius.*

—

NOVI EX ORDINE NOSTRO PRAESULES

In Consistorio diei 23 Junii nuper elapsi, in palatio Vaticano coram summo Pontifice LEONE XIII habito, Illmus ac Rmus FRANCISCUS MARIA IMPARATI, olim Secretarius Generalis Ordinis, et jam episcopus Venusinus, evectus est ad metropolitanas ecclesias Acherontinam et Matheranen. *(Acerenza e Matera).*

In Consistorio vero diei 26 ejusdem mensis sequentes electiones, jam per Breve antea factae, publicatae sunt:

Illmus et Revmus FIDELIS ABATI, Ord. Min. Ref., ex Ecclesia residentiali Chien. ad titularem Ecclesiam Diocletianopolitanam translatus.

Illmus et Rmus MARTINUS POELL, Recoll. Prov. Hollandiae, electus Episcopus titularis Cybistren. et Vicarius apostolicus Chen-si meridionalis in Imperio Sinensi, nuperrime erecti a Summo Pontifice LEONE XIII.

II.

ACTA ORDINIS

--

MONITUM

Rmus P. Minister Generalis, vestigia premens Rmi Antecessoris sui, sequentes renovat Declarationes (1):

1° Paternitas Sua Rma concedit ut Ordinis nostri alumni, qui ab ipso vel a Delegato Generali obtinuerunt facultatem benedicendi Crucifixos Viae Crucis, non obstante clausula consueta « *advertendum tamen hujusmodi facultatem valere tantum* etc. », praedicta facultate valide ac licite uti posse, etiam in iis extra Urbem locis ubi Conventus Ordinis nostri habentur, *dummodo Conventus hujusmodi ordinarius superior actualis consentiat.* (Haec tamen declaratio valet tantummodo *durante munere* Rmi P. Ministri Generalis actualis)

(1) Cfr. *Acta Ordinis,* 1883 Anno II, pag. 195.

2° Paternitas Sua Rma libenter concedet Ministris Provincialibus et Custodibus gubernii, id specialiter postulantibus, auctoritatem proprios subditos subdelegandi facultatem erigendi Stationes Viae Crucis in Oratoriis privatis seu domesticis *ex Indulto apostolico erectis*, necnon benedicendi Crucifixos cum applicatione indulgentiarum Viae Crucis.

—

CAUSAE SANCTORUM ORDINIS NOSTRI

XVI.

Vener. Joannis a Triora, *Martyris Sacerd. Prof. I. Ordinis.*

De hoc Vener. Martyre pauca dicemus, eo quod nihil de eo usque in praesens typis divulgatum est.

Triorae in Liguria Occidua, Dioecesi Ventimiliensi, ex piis honestisque parentibus ortum habuit die quarta Martii anno 1760. Sortitus animam bonam, ab ipsa infantia Deum timere coepit, eique toto cordis affectu inservire. Factus adolescens, a suis parentibus ad Portum Mauritium studiorum causa fuit missus; postea vero Romam se contulit, atque in sortem Domini vocatus, Ordini Minorum de Observantia, in ipsa Romana Provincia, humiliter adscribi petiit. Statim voti compos factus, anno 1777 die 15ª. Maji in Conventu Hortarum ejusdem Provinciae, magna cum laetitia cordis sui seraphicum habitum induit, tyrociniumque alacriter incepit. Quo exactissime expleto, ac solemni professione emissa, studiis tum Philosophiae, tum Theologiae, variis in locis strenue incubuit; et adeo in his profecit, ut dignus habitus fuit, qui post consuetum tentamen, a nostris Constitutionibus requisitum, Lector supradictarum facultatum publice institueretur. Verum, post plures annos, quibus cum magno alumnorum profectu id munus docendi exercuerat, ad altiora a Deo vocatum se sensiit: zelo enim salutis animarum, ac divinae gloriae accensus, ad conversionem infidelium apud Sinenses pergere statuit. Quapropter, obtenta prius venia a suis Superioribus, cum ipsorum benedictione anno 1798 ad Indias orientales se transtulit; atque post longum difficileque iter Macaum appulit, ubi diu immorari debuit priusquam coeleste, uti dicunt, Imperium ingredi ei licuerit: tanta enim adhuc erat difficultas in illas regiones penetrandi!

Vix autem ad vineam Domini, quam ipse Pater familias ei paraverat, pervenit, tanquam bonus operarius, toto homine ad illam excolendam, ut tempore suo bonos copiososque fructus faceret, se dedit. Eo vel magis quod videret, messem quidem esse multam, operarios autem paucos. Et difficile dictu est quot calamitates, quot discrimina, quot cujuscumque generis incommoda P. Joannes perpessus sit quindecim annorum spatio, quo in illis regionibus ad infidelium conversionem, fideliumque confirmationem strenue adlaboravit, licet semper debili ac aegra valetudine. Tandem, oborta persecutione, ab inimicis nominis christiani fuit in carcerem detrusus; et post varia ac iterata tormenta ibi per plures menses perpessus, eo quod Christi crucem conculcare constanter renuisset, die 13ª Februarii anno 1816, Chang-zae, in provincia Hu-quang, laqueo suspensus gloriose Martyr occubuit; atque ad coelum evolavit a Domino immarcescibilem coronam recepturus.

Cujus venerabile corpus ibidem religiose sepultum est; anno vero 1820, Macaum translatum in illa Ecclesia cathedrali denuo fuit tumulatum, ut sic securius religiosiusque requiesceret. Post plures annos nempe 1859, Adm. R. P. Franciscus a Luca, tunc temporis Postulator Generalis Ordinis, de translatione ejusdem a civitate Macai ad Urbem cogitare coepit. Et revera, obtenta prius debita a Sacrorum Rituum Congregatione ad id facultate, una cum respectivis *Instructionibus* S. Fidei Promotoris ad Rmum Episcopum Macaensem, post multas, et saepe adversas vicissitudines, ita factum est. Etenim, mense Martii anni 1866 sacrae illae exuviae in capsa accurate inclusae una cum variis rebus ad Vener. P. Joannem jam pertinentibus Romam pervenerunt ad Conventum Aracoelitanum; atque post juridicam recognitionem ex parte supradictae S. Congregationis, ad Ecclesiam delatae, ibi in sacello S. P. N. Francisci pie conditae fuere, apposita in pariete sequenti inscriptione:

Α ☧ Ω

HAEIC · PAUSAT
VENERABILIS · JOHANNES · LANTRUA
LIGUR · DOMO · TRIORA
FRANCISCALIS · OBSERVANTIS · PROVINCIAE · ROMANAE
EMERITUS · PHILOSOPHIAE · AC · THEOLOGIAE · DOCTOR
VIR · LENIS · FRUGIS · AB · INFANTIA · DEVOTUS
SINENSIUM · IDIOMA · ULISYPONE · EDOCTUS
QUI · SUSCEPTA · EXPEDITIONE · HENCHOVENSI
DETECTIS · FIRMATISQUE · CHRISTICOLIS · OCCULTIS
REVOCATIS · DEVIIS · PLURIBUSQUE · ECCLESIAE · ADDITIS
POST · DISCRIMINA · INNUMERA
SEMESTREMQUE · CAPTIVITATEM · HENCHOVENSEM
OB · INVICTAM · CRUCIS · CONFESSIONEM
CHANGXAE · STRANGULATUS · EXPOSITUSQUE
IDIBUS · FEBRUARII · MDCCCXVI
ANNO · LV · MENS · XI
ADSERVIT · TRILUSTREM · APOSTOLATUM · DECORAVITQUE
HENCHEVAE · PRIDEM · AC · MACAI · SEPULTUS
URBEM · EVECTUS · ANNO · MDCCCLXVI · INEUNTE
RAPHAELE · PONTICULENSI · ORDINIS · MODERATORE
CURANTE
OH · JURE · PROMERITOS · CAPITOLII · CAELESTIUMQUE · HONORES.

Interea jam ab anno 1843, mense Julii, *signata* fuerat a Gregorio XVI, Summo Pontifice, *Commissio Introductionis Causae super Martyrio, Causa Martyrii ac Signis* nostri Vener. P. Joannis, nec non aliorum quadraginta trium Servorum DEI ad varios Ordines tum Regulares, tum Saeculares pertinentium, qui omnes in Sinis, vel finitimis regnis variis temporibus, videlicet ab anno 1790 ad annum 1840 ob fidei catholicae confessionem ab infidelibus diverso mortis genere necati sunt. Et quidem post decennium, anno scilicet 1853 a Sacrorum Rituum Congregatione *Litterae Remissoriales* expeditae fuere ad Revmum Dom. Rizzolati, Vicarium Apostolicum Hu-Quang pro constructione *Processus Apostolici super Martyrio* etc. tum Vener. P. Joannis a Triora, Ordinis Nostri, tum Venerabilium Sacerdotum Francisci Clet, et Joannis Gabrielis Perboyre, Congreg. Missionis S. Vincentii a Paulo. Ast, nescio ob quam causam, talis *Processus Apostolicus super Martyrio* Vener. P. Joannis vix anno 1877 a Revmo Eusebio Maria Semprini, Ordinis nostri, Vicario Apostolico Hu-Nan constructus fuit. Alter vero *Processus Apostolicus, Additionalis* nuncupatus, super eadem *Causa* Martyrii jam ab anno 1857, Romae conditus fuerat in domo Revmi Dom. Frattini tunc temporis S. Fidei Promotoris. Hic et nunc de validitate horum Processuum agitur; quibus approbatis, statim *Causa* ipsa directe discutienda suscipietur. Non est autem hic praetereundum, quod si haec *Causa* semper cum debita diligentia ac solertia acta fuisset, forsitan in praesenti ad finem perducta esset; eo modo quo ad finem feliciter perducta est altera supradicti Vener. Joannis Gabrielis Perboyre, licet inter hujusmodi Martyres novissimi; qui, ut omnibus notum est, anno superiori ab Apostolica Sede Beatorum Albo adscriptus fuit.

—

CAPITULA PROVINCIALIA

hoc anno celebrata

VII.

Obs. Prov. S. Ladislai, in Hungaria.

Die 12ª Junii anni currentis, in Conventu S. Joseph Patriarchae Nagy Kanizsae, celebratum fuit Capitulum Provinciale Nostrae Obs. Prov. S. Ladislai Regis sub praesidentia Adm. Rev. P. Augustini Zubać, Definitore Generali et Visitatore. In quo quidem Capitulo electi fuerunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Ludovicus Horvat.

Custos

A. R. P. Sigismundus Eger.

Definitores

R. P. Norbertus Nith.
R. P. Adrianus Horvat.
R. P. Theodorus Totta.
R. P. Vitus Varga.

—

VIII.

Observ. Prov. Romanae.

Die 17 mensis Junii anni curr. celebratum est Capitulum nostrae Observ. Prov. Romanae in hoc Collegio Sancti Antonii Patavini Urbis, praesidente Reverendissimo Patre Aloysio de Parma, Ministro Generali. In quo rite electi fuerunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Benedictus a Tybure.

Custos

A. R. P. Bernardinus a Ferentino.

Definitores

A. R. P. Joseph a Ferentino.
A. R. P. Cosmas a Cora.
A. R. P. Nazarenus a Ficullis.
R. P. Seraphinus a Badaluco.

—

IX.

Rec. Custodia Angliae.

Die 25 Junii in Conventu Mancuniensi, ad S. Franciscum, celebratum est Capitulum hujus Custodiae, Praeside Adm. R. P. Aloysio Lauer, Procuratore Generali Recollectorum et Alcantarinorum, ac Visitatore Generali ejusdem Custodiae. Rite autem electi sunt:

Custos Gubernii

A. R. P. David Fleming, reelectus.

Discreti Custodiae

R. P. Polycarpus Vervoort.
R. P. Brendanus Butti.
R. P. Franciscus Verhagen.
R. P. Aidanus Mac Carthy.

III.

VARIA.

—

SERIES PRAELATORUM

Qui Vicariatus et Provincialatus Ministerio functi sunt in Alma S. Antonii Observanti Venetiarum Provincia (1).

(Continuatio).

1769. Id. confirm. Hoc anno 1769 die 1 Junii sexdecim Conventus Provinciae clausi fuere a Veneta Republica.

84. 1770. A. R. P. Jo. Carolus Alciati, Venetus, electus in congres. habito die 22 Martii anno 1790.

1771. Ob cujus mortem, Vic. Provincialis electus est, conf. in congr. Paduae celebrata.

85. 1772. A. R. P. Josephus Horatius Longo a Vicetia, electus in capitulo Venetiis habito die 20 Julii.

1773. Id. confirm. in congr. ibidem habita.

1774. Id. confirm. in congr. Paduae celebrata.

(1) Cfr. fasc. V et VI anteced.

86. 1775. A. R. P. Illuminatus, Venetus, pro secunda vice electus in capitulo Paduae habito die 20 Junii.
1776. Id. confirm. Venetiis.
1777. Id. confirm.

87. 1778. A. R. P. Vincentius Maria Pesena a Verona, electus in capitulo Venetiis celebrato die 3 Julii.
1779. Id. confirm. in congr. ibidem. habita.
1780. Id. confirm. in congr. ibidem habita.

88. 1781. A. R. P. Justinianus a Venetiis, electus in capitulo Venetiis habito die 21 Maji.
1782. Id. confirm. in congr. ibidem habita.
1783. Id. confirm. in congr. ibidem habita.

89. 1784. A. R. P. Illuminatus Venetus, pro tertia vice electus in capitulo Paduae habito die 24 Maji.
1785. Id. confirm. in congr. Venetiis habita. Sed postea ob mortem ejus eligitur in Vic. Provincialem.
1786. R. P. Aloysius Polacco a Vicetia.

90. 1787. A. R. P. Vincentius Maria a Pesena, pro secunda vice electus in capitulo Venetiis die 19 Maji.
1788. Id. confirm. in congr. ibidem habita.
1789. Id. confirm. in congr. ibidem habita.

91. 1790. A. R. P. Justinianus a Venetiis, pro secunda vice electus in capitulo Venetiis die 8 Maji.
1791. Id. confirm. in congr. ibidem habita.
1792. Id. confirm. in congr. ibidem habita.

92. 1793. A. R. P. Archangelus Maria a Cadubrio, electus in capitulo Venetiis die 13 Maji.
1794. Id. confirm. in congr. ibidem habita.
1795. Id. confirm. in congreg. Venetiis habita.

93. 1796. A. R. P. Bartholomaeus ab Asulis, electus in capitulo Venetiis habito die 10 Maji.
1797. Id. confirm. in congreg. ibidem habita. Sed ob ejus mortem:
1798. A. R. P. Franciscus Dominicus a Marostica, eligitur in Vicarium Provincialem.

94. 1799. A. R. P. Joannes Albertus Zennari a Verona, electus in capitulo Veronae habito die 24 Junii.
1800. Id. confirm. in congreg. Marosticae habita.
1801. Id. confirm. in congreg. Veronae habita.

95. 1802. A. R. P. Josephus a Bressanvito, electus in capitulo Paduae habito die 21 Junii.
1803. Id. confirm. in congreg. ibidem habita.
1804. Id. confirm. in congreg. ibidem habita.

96. 1805. A. R. P. Joann. Bapt. a Clarano, electus in capitulo (1) Patavii celebrato die 27 Maji.
1806. Confirmatur.
1807. Confirmatur.

97. 1808. A. R. P. Antonius Bravin a Venetiis, eligitur in magno capitulo Mediolani habito, cum titulo *Vicarii Provinciae Venetae,* quae Provincia cum Bononiensi, Brixiensi et cum Custodiis Mantuana et Novariensi unam tantum *magnam* Mediolanensem Provinciam efformabat.

1810. Hoc anno, die 10 Maji, Napoleonicum Decretum nefarium executioni mandatum est, vi cujus Regulares omnes quasi lapides Sanctuarii dispersi fuere in capite omnium platearum. Dies amara valde!... ast misericordiae DOMINI quia non sumus penitus consumpti; utique DEUS semper dives in misericordia nobis reliquit semen, quod post circiter lustra quinque fructificavit et reliquiae Minoritici Israelis die exoptata nimis, 4ª videlicet Octobris anni 1834, in Conventu S. Mariae Miraculorum Motthae iterum coadunatae sunt et Provincia nostra in laetitia cordis, suos filios est amplexata.

Reverendissimus P. Josephus-Maria ab Alexandria, Siculus, tunc Generalis Ordinis Moderator, Commissarii Visitatoris Generalis titulo decoravit Adm. Rdum Patrem Antonium Bravin a Venetiis, jam Lectorem Jubilatum, Definitorem Generalem et Terrae Sanctae Commissarium etc., qui supradicta die 4ª Octobris una cum aliis duodecim Fratribus sanctum Religionis habitum resumpsit et Provinciam, praedicto Commissarii Visitatoris

(1) Hoc est postremum Provinciale Capitulum ante Fratrum dispersionem.

Generalis titulo, per decennium gubernavit, usque ad annum videlicet 1844, in quo primum Provinciale Capitulum regulariter celebratum est, Ordinem moderante Adm. P. Aloysio a Laureto, in quo quidem Capitulo Venetiis habito, mense Martii die 14. Idem:

1. 1844. A. R. P. Antonius Bravin Venetus, Provincialis Minister est renuntiatus, ab restituta Provincia.
2. 1847. A. R. P. Mauritius a Brixia, electus in capitulo Venetiis habito die 30 Septembris, Praeside Adm. R. P. Antonio Bravin a Venetiis, actuali Provinciali Ministro.
3. 1850. A. R. P. Antonius Bravin, pro secunda vice electus in capitulo Venetiis celebrato die 26 Septembris, Praeside Adm. R. P. Mauritio a Brixia.
4. 1853. A. R. P. Jo. Bapta. Zenti a Verona, electus in capitulo Venetiis habito die 7 Decembris, Praeside Adm. R. P. Jacobo Martini a Vicetia.
5. 1856. A. R. P. Gregorius Fioravanti a Cryptis Castri, electus in capitulo Venetiis celebrato die 26 Octobris, Praeside ipso Rmo Patre Generali Ministro, Bernardino a Montefranco.
6. 1860. A. R. P. Philippus Maria Castellani a Venetiis, electus in capitulo Venetiis habito die 11 Junii, Praeside Adm. R. P. Joanne a Candia.
7. 1863. A. R. P. Jo. Bapta. Zenti, pro secunda vice electus in capitulo Venetiis celebrato die 11 Junii, Praeside Adm. R. P. Peregrino de Monte-acuto.
8. 1866. A. R. P. Anselmus Ossola a Mediolano, electus in capitulo Venetiis habito die 26 Maji, Praeside Adm. R. P. Hermete a Recineto.

Anno 1868, valetudinis causa Adm. R. P. Anselmus, Minister Provincialis, munus abrenuntiavit, in patriam suam se recepit ibique mortuus est et in ejus locum suffectus:

9. 1870. A. R. P. Philippus Maria a Venetiis, ex-Minister Provincialis et Terrae Sanctae Commissarius, cum titulo Vicarii Provinciae.

Anno 1871, die 23 Augusti ipse decessit et Litteris Generalibus eligitur in Provinciae Ministrum:

10. 1872. A. R. P. Gregorius Fioravanti, qui pro secunda vice rexit ad annum usque 1877.
11. 1877. A. R. P. Seraphinus Battajola a Bolentina, Observantis Provinciae Seraphicae, in capitulo Venetiis habito eligitur, Praeside Rmo P. Ministro Generali Bernardino a Portu Romatino. Sub sequentibus annis pro quinta vice jam usque nunc confirmatus est.

MINISTRI PROVINCIALES

Speciali commemoratione digni ob doctrinae et pietatis praestantiam.

—

EX VICARIIS PROVINCIALIBUS.

1445. R. P. Petrus Bonus Veronensis, summa doctrina clarus, ast clarior virtutibus.

1447-53-57. R. P. Ludovicus a Vicetia, pro tertia vice electus ob ejus in pertractandis negotiis maximam dexteritatem, quam cum eximia pietate conjunxit.

1445. R. P. Petrus Maurocenus, ex patritia Morosini familia, nobilis genere, ast prudentia ceterisque virtutibus nobilior.

1462. R. P. Paulus a Verona, regularis observantiae strenuus assertor, quam ipse prior in se actu complevit.

1465. R. P. Ludovicus Lauredanus, qui generis nobilitatem, religiosis auxit virtutibus.

1477. R. P. Franciscus Contarenus, ex ducali genere Contarini ortus, qui majorum suorum acta sequutus virtuti continuo studiit, quique pro tertia vice meruit in Vicarium Provincialem assumi.

1494. R. P. Ludovicus a Turre Veronensi, qui pro sua doctrina vere singulari et pietate insigni meruit designari Vicarius Generalis Cismontanae familiae.

1512. R. P. Franciscus Georgius (Zorzi), patritius Venetus, (V. suo loco Elogium) jam tertio electus V inferius N.° III et VII Min. Prov.

1515. R. P. Seraphinus de Mantua, qui ob doctrinae praestantiam fuit theologus ducis Mantuani, quique doctrinae observantiam regularem fideliter constanterque adjunxit.

EX MINISTRIS PROVINCIALIBUS

1518.

1518. R. P. Nicolaus Malipiero, nobilis Venetus omnigena clarus virtute, Theologus summe clarus no-

vem annorum spatio Provinciam summa cum laude gubernavit.

1527. R. P. Hieronymus ab Auricalco, qui Provinciam fortiter suaviterque gubernavit: omnibus charus ob suam spectatam prudentiam atque virtutem.

1537. R. P. Joannes Barbaro, nobilis Venetus, iterato et tertio Provincialis Minister: pater iste una cum socio P. Francisco Zorzi plurimum adlaboravit pro aedificatione Ecclesiae S. Francisci a Vinea.

1539. R. P. Hieronymus Contarenus, nobilis Venetus. Summae fuit aestimationis nedum apud Provinciae Fratres sed toti religioni et serenissimo principi Aloysio Pisani theologus acceptissimus.

1545. R. P. Paulus Veronensis, ex nobilissima Maninorum familia, qui in theologicis disciplinis et in munere concionatoris praeclarum sibi acquisivit nomen. Fuitque etiam Guardianus S. Montis Sion et quidem zelo pro T. S. succensus.

1560. R. P. Benedictus Bragadenus, nobilis Venetus, probatae virtutis homo, rectitudine et honestate vere illustris: omnibus propterea acceptissimus extitit.

1565 et 1573. R. P. Seraphinus Montalbano a Cancelliano, nobilitate generis, eruditione clarissimus, Definitoris et Vicarii Generalis Ordinis honoribus cumulatus fuit.

1578. R. P. Franciscus Gonzaga de Mantua, cui nomen satis: Generalis Minister vigilantissimus, Ordinis historiographus et ultimo Episcopus Mantuanus electus.

1582. R. P. Franciscus ab Arce-Jani, vir vere summus in omni disciplinarum genere, maxime vero laudabilis pro sua religiosa conversatione.

1589. R. P. Jordanus a Venetiis, philosophus insignis ac magni nominis theologus, Cismontanae familiae Commissarius Generalis et Praeses Capituli Generalis Burgis celebrati.

1601. R. P. Seraphinus Venetus, prudentia, humanitate atque familiaritate omnibus peracceptus est; omnium amore tenebatur, omniumque sibi captavit reverentiam.

1604. R. P. Josephus de Mantua, theologus insignis. Ducibus Mantuanis acceptissimus fuit, sed magis DEO ob virtutes praeclaras, quibus refulsit.

1608. R. P. Evangelista de Gabbiano, summae in gubernando dexteritatis doctrina, prudentia et virtute singularis inter suos, propterea omnibus acceptus.

1635. R. P. Michael Angelus ab Arce-Jani, bis electus Minister Provincialis. Hic de litteraria Republica optime meritus, eruditus satis in Orientalibus idiomatibus pietatis vero studiosissimus.

1639. R. P. Innocentius a Buxolingo, bis electus Minister Provincialis, meritis et laboribus plenus decessit e vita ab omnibus defletus pro sua praesertim erga Fratres suos charitate.

1648. R. P. Pacificus Venetus, orator insignis fuit, summa doctrina et eruditione praeditus; ad munus regendi natus visus est, tanta fuit praeditus dexteritate.

1654. R. P. Augustinus de Padua, doctrina et prudentia per omnes quos ascendit religionis gradus mirifice refulsit.

1667-75. R. P. Antonius M.ª a Venetiis, iterum et tertio electus, vir valde magnanimus et ad sublimiora natus.

1681. R. P. Joannes Baptista de Padua, Lector Jubilatus, sanctae Inquisitionis theologus Consultor. Obiit annis non solum et honoribus cumulatus, sed virtutibus praecipue et meritis.

1696. R. P. Julius a Venetiis, jam Consultor Sancti Officii, Ordinis nostri scriptor. Eluxit in eo laudabilis religiosae vitae institutio.

1699. R. P. Andreas a Vicetia, iterum Minister Provincialis difficillimis temporibus, gravitate, auctoritate et prudentia Fratres gubernavit. De liberalibus artibus insuper bene est meritus.

1711. R. P. Gabriel-Maria a Venetiis, theologus insignis, meruit pro sua doctrina et pietate eligi Definitor Generalis.

1723. R. P. Laurentius Cocchetti a Cittadella, iterum Minister Provincialis, in scientiis omnibus peritus, ast magis in scientia Sanctorum, proinde omnibus charus fuit.

1730. R. P. Franciscus Antonius de Canneto Mantuanus, bis Minister Provincialis, Theologus, summe clarus et Orator disertissimus, quas dotes virtutibus religiosis perbelle honestavit.

1737. R. P. Carolus Maria Lodoli a Venetiis; vita Fratris huius assiduum studium fuisse perhibetur, Venetae Reipublicae Consultor, et publicus in Patavina Universitate Professor ab omnibus admiratus est.

1746. R. P. Michael Angelus Carmeli a Cittadella, vir doctissimus et universae eruditionis exemplar insigne, Orientalium linguarum ordinarius publicus professor, sancte obiit adhuc desiderandus.

1752-75. R. P. Illuminatus a Venetiis, iterato Minister Provincialis, Concionator sui temporis clarissimus, regularis observantiae strenuus assertor, ideo Fratribus honorabile nomen reliquit.

1765. R. P. Jeremias a Padua, plurimorum librorum disertissimus auctor vir fuit profundissimae doctrinae ac vastissimae eruditionis, pius de reliquo, simplex humilis et omnigenae virtutis clarissimum exemplar.

1768. R. P. Peregrinus a Verona (Manfredi), iterato Minister Provincialis, summa prudentia, doctrina et gubernandi dexteritate nulli secundus, difficillimis temporibus Provinciam optime rexit.

1770. R. P. Joannes Carolus Alciati Venetus, Lector Jubilatus, Regularis Observantiae et decoris Ordinis nostri in cunctis amantissimus extitit. Pater Patriae nuncupatus.

1778-87. R. P. Vincentius Maria Pisena a Verona, iterato Minister Provincialis, suavitate morum eluxit, subditos suos charitate religiosa semper amplexatus est, ideo suave reliquit nomen.

1781. R. P. Justinianus a Venetiis, hic vir cum multa virtutum insignia dedisset per omnes quos ascendit

Religionis gradus, suorum animos sibi intime conciliavit.

1796. R. P. Bartholomaeus ab Asculis, Lector Jubilatus, vir prudens, consideratus ac providus extitit in tanta hujus temporis acerbitate, ut omnium bonorum sibi conciliaverit animos.

1799. R. P. Albertus Zennari a Verona, animi sinceritate et optimo corde praeditus.

1802. R. P. Josephus Antonius a Bressanvito, vir prudens, regularis observantiae cultor et propagator, omnibus acceptissimus cujus memoria non peribit in Provincia nostra.

1805. R. P. Joannes Baptista a Clarano, vir simplex, lenis, rectus ac timens Deum, qui in illa temporum calamitate anchoram Provinciae firmissime pariter ac suaviter tenuit.

1808. R. P. Antonius Bravin a Venetiis, qui in magno Capitulo Mediolani habito hanno 1808 electus est. Rector Provinciae Venetae, titulo Vicarii Provincialis, magno Provinciali Mediolanensi subjectus.

1844. Idem P. Antonius, qui anno 1834, die 4 Octobris in Conventu S. Mariae Miraculorum Motthae sanctum cum aliis duodecim resumpsit habitum, Provinciam instaurando cum titulo Commissarii Generalis, fuit Definitor Generalis, et per annos 52 Terrae Sanctae Commissarius, cujus jura sanctissima strenue vindicavit.

1847. R. P. Mauritius a Brixia, Pater Ordinis, vir vere singularis, quia in omni scientia versatus, quam omnigena decoravit virtute: fuit Definitor Generalis et Ordinis Chronologus.

1853-63. R. P. Joannes Baptista Zenti a Verona, vir iustitiae tenax, et regularis Observantiae maxime cultor, et disciplinae assertor assiduus.

1866. R. P. Anselmus a Mediolano, rectitudine animi et honestate praeclarus, qui pro regulari suppressione animi dolore concepto, Provincialatus onus abdicavit et in patria sua paulo post decessit, in odore virtutis.

(Finis).

FUNDATIO

COLLEGII S. ISIDORI IN URBE

A LUCA WADDINGO

Annalium Minorum auctore celeberrimo.

Notandum. — Hanc enarrationem desumpsimus ex *Vita Lucae Waddingi*, quam scripsit P. Franciscus Haroldus Ord. S. Francisci Recollectorum, qui P. Wadingi discipulus fuit, ac dein per plures annos eruditarum elucubrationum in Conventu S. Isidori collaborator. Gratitudinis ergo et ut junioribus exemplum vitae pie docteque instruendae exhiberet, tanti magistri vitam composuit, eamque Cardinali Francisco Barberini, olim Waddingo amicissimo et Ordinis Protectori dedicavit. Ex hac luce migravit P. Haroldus anno 1685.

CAP. I (XLVIII) (1).

Fundatio Collegii S. Isidori.

Ea quae notavimus, et plura peculiaria, quae consulto praeterimus, praestitit universo Minorum Ordini Lucas Waddingus, sed Provinciam Hiberniae, unde ortum ipsum diximus, insigni beneficio in hac Urbe Roma decoravit, quando pro illa fundavit hoc nationale Collegium Romanum S. Isidori, ipsumque usque ad mortem suam ita gubernavit, ut illi Provinciae totique nationi, et universo Ordini aestimationem utilitatemque non contemnendam attulerit: cujus operis occasio, et ratio haec fuit.

CAP. II (XLIX).

Quid ante factum reperit.

Aliqui Religiosi Hispani Regularis Observantiae Franciscanae Discalceati peculiari studio impetrarunt a Gregorio XV Pontifice, ut proprium Procuratorem ex suis in Curia Romana habere possent, pro expediendis negotiis eorumdem Discalceatorum Provinciarum Hispaniae, et Indiarum; et Hospitium in Urbe aedificare, in quo Fratres ejusmodi Discalceati susciperentur, atque ipsis, tamquam superior praeesset idem Procurator; cum ipsi prius, ut reliqui omnes Fratres Ultramontani, ad Aracaeli diverterent, et negotia sua per Ordinis Procuratorem, et Commissarium Curiae ex antiquissimo Religionis usu, et Statutis generalibus peragerent. Igitur habita illa facultate Gregorii, et alia, per quam licebat Ecclesiam cum campana, et reliquis addere Hospitio, Josephus Caesaraugustanus tunc Procurator Discalceatus, et alius ejusdem Instituti, laici ordinis, et notae probitatis Frater Paulus Matritensis, electa area construendi Hospitii in Monte Pincio, ubi prius erat hortus carduorum prope viridiarium Cardinalis Ludovisii, non tamen illi contiguo, sed per XIV cannarum spatium dissito deorsum versus descensum ad forum Sfortianum, quod hodie Barberinum vocant, fundum ipsum quadrum, circuitus cannarum tantummodo XL non emerunt, sed in perpetuam emphyteusim acceperunt ab

(1) Priori numero caput hujus narrationis, posteriori vero *Vitae* a P. Haroldo scriptae indicatur.

Excellentissimo D. Joanne Antonio Ursino, Duce S. Gemini, domino proprietario fundi, cum onere solvendi in singulos annos perpetuum canonem, seu censum scutorum XL monetae Romanae, quae si unquam aliquando per triennium integrum non solverent, ipso jure et facto fundus totus cum quibuscumque aedificiis, vel operibus in eo interim faciendis, cujuscumque pretii, ad ducem devolverentur. Quod si ulla occasione in terra invenirentur lapides, metalla, gemmae, vel alia ejusmodi cujuscumque pretii vel quantitatis, sive rudia, seu elaborata, duae tertiae partes eorum spectabant ad dominum ducem, et reliquam eidem vendere tenebantur Patres, qui etiam omnia suis ipsorum expensis extrahere, et ad propria, et libera ducis bona transportare debebant. Ulterius nullo unquam tempore poterant dicti Patres vendere, cedere, donare, permutare, aut alio quovis modo alienare totum, aut censum illius imponere sine licentia et consensu ducis. Obstricti quoque erant ad subeundas quascumque futuras expensas publicas, et taxas impositas vel imponendas huic fundo pro plateis, fontibus, fortificationibus, aut aliis ejus generis.

Erant insuper obligati numquam petere defalcationem, seu diminutionem praedicti canonis, ratione belli, pestis, absentiae Pontificis, aut Curiae Romanae, Sedis vacantis, aut alterius cujuslibet insoliti accidentis, nec remissionem devolutionis fundi, et operum in triennali mora solvendi canonem, sed quod in quovis casu tenerentur ad omnia supradicta, idque per publicum instrumentum stipulatum die XVIII Aprilis anni MDCXXII notario Olivello. Patres igitur, obtento his pactis necessario terrae spatio, erexerunt primum sumptibus Octaviani Vestrii Barbiani, Patritii Romani, Equitis Ordinis Calatravae, et deinde dum vixit Urbani VIII Pontificis Cubicularii quatuor latera templi in crucis formam ducta, cum fornice et tecto sub titulo sancti Isidori Agricolae, tunc recenter per Gregorium Pontificem canonizati. Ad dextrum templi latus, pecuniis Magistrorum fabricae interim expensis, extruxerunt habitaculum seu hospitium, quod inferius ad primum ingressum constabat parvo claustro seu peristylio, cum duobus parvis cubiculis ad ipsum templi parietem, quorum loca nunc occupant sacella sancti Antonii, et sanctissimi Crucifixi, aliisque duobus hinc atque inde, quorum alterum prope januam, e sinistra manu intrantis, ad divina interim facienda pro sacello serviebat, alterum, e regione hujus pro templi sacrario olim futuro destinatum fuit. Sed ad alteram partem claustreoli contra templum erat refectorium, et culina cum duabus parvis promptuariis seu cellis penuariis, in quibus earum officinarum supellex reponebatur. Extra refectorium autem, inter culinam et cellam refectorii, patebat impluvium, quo imber colligitur in subjectum stagnum, seu hydrothecam, quadrato muro, ac trilatera arcuata porticu circumdata. Erant praeterea sub sacrario, refectorio et culina cryptae concameratae, quarum pars una nobis hodie pro fullonica ad abluendas vestes, altera ad ligna et horti impedimenta reponenda deservit. Superna domus contignatio erat angustum dormitorium, quod in tribus lateribus a parte exteriori constabat XIV parvis cubiculis et ambitu, qui ex his immediate egredientes excipit; interius vero circa peristylium complectitur alium ambitum quadrilaterum pro domestica deambulatione et colloquio Religiosorum, omnia desuper arcuatis fornicibus operta, quibus immediate incumbebat tectum totius fabricae, cujus omnes fere partes adhuc tunc rudes, et imperfectae fuerunt. Neque ullibi extra quadratum hoc aedificii circuitum Patres Discalceati habuerunt tres cubitos terrae.

CAPUT III (L).

Qua occasione, quo pacto ad Lucam devenerit.

In eo tamen habitarunt pauci aliquot Fratres Discalceati, duos circiter annos, donec praesentientibus Superioribus Ordinis, et Philippo IV Hispaniarum Rege, et Sedis Apostolicae apud suam Majestatem tunc Nuncio, novam divisionem nimis alioquin divisae Religionis, quae postmodum attentata fuit, Rex ipse missis ad Franciscum Cardinalem Barberinum ejusdem Nuncii litteris per alias suae Majestatis ad Ruizium Gomesium a Sylva, Pastranae Ducem, et suae Majestatis tunc in Urbe Oratorem, praecipit huic, ut datis Cardinali litteris Nuncii, cum ipso serio et efficaciter ageret, quatenus interposito studio et opera suae

Eminentiae, Urbanus VIII Pontifex, cujus erat Nepos et Pontificii oneris administer, ad quietem Ordinis conservandam praeciperet, ut cum effectu auferretur Patribus Discalceatis praedictum Hospitium et officium, et suam Majestatem de effectu certiorem redderet Orator.

Itaque hac ratione remissis Patribus Discalceatis ad pristinum locum Aracaelitanum, Urbanus Pontifex hospitium sancti Isidori Ordinis usui reliquit, ac liberae Ministri Generalis dispositioni commisit. Is tunc fuit Frater Bernardinus a Senis, qui statim in hospitio collocavit aliquot Patres Hispanos Regularis Observantiae, quos de familia vocant. Sed hi cum pauci essent, et vix ad victum necessaria illis suppeterent, non libenter inhabitabant angustam domum tot sui partibus adhuc perficiendam, annuo censu aliisque oneribus, et opificum aere ad tria fere millia scutorum gravatam, ob quod paucis post mensibus res illuc devenit, quod querentibus creditoribus, Generali Ministro Ordinis, per sententiam sacrae Congregationis Visitationis Apostolicae, mandatum fuerit, ut pecuniam illis debitam intra unius mensis tempus persolveret, vel Hospitium plus offerenti venderetur, et ex pretio illis satisfieret. Inter haec anxie premebatur Generalis: grave quippe illi videbatur Ordinem perdere tam insignem in Urbe situm, et aedificium, utcumque jam tum suo tecto clausum, nec ex altera parte fuit vel ipse, vel Patres, quibus locum post amotos Discalceatos tradidit solvendo tam magnam summam debitorum.

Dum haec ita essent, Lucas noster cum Antonio Hiquaeo, qui, ut ante diximus, habitabat in Conventu Romano sancti Petri Montis Aurei, et cum nosset Generalis magnam ejus fuisse auctoritatem, eosque habuisse amicos, ad quos pro subsidio solvendi debita facile recurrere posset, dolorem suum illi exposuit, rogavitque ut labanti negotio succurrere vellet, et Religionem eo dedecore, damnoque liberare. Waddingus, tametsi ab initio negotium, ob summae persolvendae magnitudinem, difficile, et ob aedificii immaturitatem fundique angustias, intento suo minus aptum arbitraretur, re tamen pro suo in Ordinem patriamque studio et zelo catholicam fidem in ea conservandi profundius considerata, et cum ipso Urbano Pontifice, et Francisco nepote, Regiisque Ministris, praesertim Cardinale Trejo, et aliis, quorum intererat, mature consulta, cum hos videret adeo in suum ipsius propositum pronos, ut non consulerent solum, sed et suaderent, et suum quisque patrocinium, opemque offerret, consensit Generali, seque obtulit solvendo creditorum aeri, ea tamen conditione, ut locus ipse in Collegium studiorum, et recollectam domum regularem Fratrum Minorum Observantum Nationis et Provinciae Hiberniae appropriaretur. Neque Generali displicuit conditio, tum quod ipsius desiderium servandi locum Religioni sic impleretur, tum propter peculiarem ipsius affectum in personam Lucae et Provinciam, de Ordine ipso et catholica religione optime meritam, quae ut erat Haereticorum persecutionibus oppressa, hac ratione sublevaretur, et erudirentur litteris et pietate viri Hiberni, qui Anglicanae quoque nativis Minoritis eousque destitutae, et Scoticae praesertim Ecclesiae nostris Franciscanis Hibernis specialiter et cum fructu commissae, successive servirent.

Hac igitur conventione facta, Generalis Romae in Conventu Aracaelitano, Idibus Junii, ipso die festo sancti Antonii Patavini, anno MDCXXV subscripsit, et majori Ordinis sigillo munivit litteras patentes, per quas facta mentione facultatis sibi ab Urbano Pontifice concessae, et habita prius super hoc matura deliberatione, cum illis Patribus, cum quibus majora Ordinis negotia communicanda erant, dictum Hospitium sancti Isidori in Collegium convertit, Provinciae Hiberniae aggregavit, eiusdemque Provinciae Ministro, et Patribus in perpetuum submisit, ut in eo liberalium artium, sacrae Theologiae et Fidei controversiarum studia instituerent: aliaque in patentibus disposuit, quae ad peculiare gubernium Collegii Constitutionibus, et Pontificio funda tionis Diplomate fusius explicantur. Urbanus enim Pontifex, ipsius Ministri Generalis, ac in primis Waddingi petitione et ipsius postulati justitia motus, Apostolica auctoritate cuncta confirmavit, multa proprio suo dictamine ad firmiorem Hibernorum stabilitatem in Bulla exprimi, mutarique fecit, protectionem suam, et favores pollicitus, quibus conferendis Lucae, et Collegio Provinciae, et Nationi ad mortem

suam usque non defuit. Bullam hanc edidit Urbanus eodem anno MDCXXV die XIII kalendis Novembris. Cum jam prius a die XXI Junii Collegii possessionem inierit Lucas collocatis in eo Antonio Hiquaeo primo et primario sacrae Theologiae Lectore, et Patritio Flemengo, Lectore Philosophiae, vocatisque indifferenter omnium Provinciarum Hiberniae nativis Fratribus qui in Hispania, Belgio, Germania dispersi, aliarumque Provinciarum caritate sustentati, vel inveniri, vel venire poterant, ut Collegium brevi, adjunctis Martino Valesio secundario Lectore Theologiae, et Joanne Pontio Philosophiae pariter Lectore, creverit ad numerum triginta Religiosorum, eamque aestimationem Religionis, et litterarum assecutum fuerit, ut grati admodum Romanis esse coeperint, eorumque fama ad exteros propagari.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

P. Anacletus Sonsini, Min. Ref. — Discorso di S. Giovanni da Capistrano, detto il 15 Maggio 1890 dal Padre Anacleto Sonsini Missionario Apostolico dei Minori Riformati. Roma Tip. Artigianelli di S. Giuseppe Via Monserrato 149, 1890-pag. 16.

P. Francesco da Reus, Min. Oss. — Compendio della vita della serva di Dio Suor Maria Agnese Chiara Steiner del Costato di Gesù, Monaca Professa in Assisi nel ven. Monastero delle Terziarie Francescane Riformate, dette volgarmente Cappuccine, e Fondatrice delle Clarisse della prima Regola mitigata nel ven. Monastero di San Giovanni Battista in Nocera-Umbra; scritto dal già suo Confessore R. P. Francesco da Reus, spagnuolo Missionario Apostolico, Min. Osservante; terza edizione riveduta ed aumentata dall' Autore. Foligno, R. stab. F. Campitelli Editore 28-4-89. In-16. Pag. VII-254.

Hilarius (P). a Parisiis, Min. Cap. — Saint Antoine de Padoue, sa légende primitive et autres pièces historiques avec des sermons inédits et nouveaux et un Manuel de dévotion: par le T. R. P. Hilaire de Paris, Docteur, de l'Ordre des FF. MM. CC. de S. François d'Assise. — Librairie H. Trembley, Editeur, Rue de la Corraterie, 4: Genève. 1890. In-16. Pag. LI-290.

Ignatius (P). a Cambrils, Min. Cap. — Cronicón de la Misión de PP. Capuchinos en Centro-América, ó Fundación y propagación de la Seráfica Religión Capuchina en la America Central, por el M. R. P. Fr. Ignacio de Cambrils, Asistente y Lector emérito Capuchino. Lo publica con notas y apéndices el P. Fr. José Calasanz de Llevaneras, religioso de la misma Orden. Con las debidas licencias. — Barcelona: Imprenta y Libreria de la Inmaculada Concepcion, 13, Buensuceso. 1889. In-16. Pag. 251.

P. Prospero da Martigné, Min. Cap. — La Scolastica e le tradizioni Francescane, per il Rmo P. Prospero da Martigné, Definitore e ex-Lettore di Filosofia dei Min. Cappuccini; versione dal francese del P. Luigi da Piedilama, Min. Rif. della Provincia Serafica, col permesso dell' autore. Assisi, Stab. Tip. Litografico Metastasio 1889. In-8. Pag. X-190. Prezzo L. 2.

1. P. Simplicianus a Nativitate, Min. Alc. — Disciplina regolare proposta alle Suore Terziarie Margheritine, dal P. Simpliciano della Natività, ex Provinciale dei Minori Alcantarini della Provincia di Napoli. Roma, Tipografia Poliglotta della S. C. di Propaganda Fide. 1890.

2. Vita di S. Margarita da Cortona, Terziaria, raccolta dai processi per la canonizzazione da Francesco Marchese, dell' Oratorio. 2ª ediz. riveduta e corretta. Pag. 428. L. 1, 50.

3. Vita dell' Apostolo S. Giuda Taddeo, speciale patrono nelle umane sventure. 3ª ed., corretta e migliorata. Pag. 227. L. 2. (Questi due ultimi libri si trovano anche presso della Curia Generalizia, Roma, Via Merulana. 124).

Opera Ordinem concernentia.

P. Saintrain, S. S. Redemptoris. — Notice sur la vie et les vertus de la Révérende Mère Julie, Abbesse des Pauvres Claires de Tournai 1810-1882, d'après les mémoires conservés dans son couvent, par le Père Henri

Saintrain, de la Congrégation du T. S. — Rédempteur. Société de Saint-Augustin Desclée, de Brouwer et Cie 1890. In 16. Pages 112.

Caelestinus Vielle. — Le R. P. Léon de Clary, ex-Povincial des Franciscains de l'Observance, notice biographique par l'abbé Célestin Vielle, aumônier du Sacré-Coeur de Toulouse. — N. D. de Lérins, imprimerie M. Bernard, 1890. In-12, pag. 173.

V.
NECROLOGIA

—

R. P. Venantius a Fundo, absoluto quinquennio studiorum gymnasialium in Tyrolo germanico seraphicum habitum induit in Ref. Provincia Tridentina die 6 Novembris 1856, et cum ad Physices et Matheseos scientias apprime idoneus videretur, statim ac Theologiae cursum complevit, eum ad illas scientias clericis Provinciae tradendas Superiores destinarunt. Lectoris officio sibi commisso per annos 26 diligentissime incubuit qualibet hebdomada, decem ad minus horis docendo, simulque fidelem se in vinea Domini operarium exhibuit tum concionando, tum sacras confessiones excipiendo, tum salutaribus consiliis ad se recurrentes juvando, ita ut Roboreti, ubi fere semper commoratus est, omnium sibi corda devinxerit. Pluries Definitor electus magnae in agendis dexteritatis specimina dedit. Diutino morbo probatus, cum ad finem vitae propinquaret in Valetudinarium Conventus S. Bernardini Tridenti adductus, ibidem efficaci sermone juvenes lectulo adstantes ad pietatem et regulae observantiam adhortatus est, et omnibus moribundorum sacramentis munitus, in osculo Domini obiit die 19 Januarii 1890, actualis Definitor, annos natus 55.

R. I. P.

R. P. Hieronymus a Furnis in Dioecesi Utinensi qui in saeculo Tridentinum Gymnasium frequentans inter omnes condiscipulos eminuerat die 17 Septembris 1850 Ordinem ingressus in Provincia Tridentina strictioris Observantiae, magna cum ingenii sui laude in studiis tum gymnasialibus tum theologicis excelluit, dein Concionatoris munere praeclare functus, ab anno 1882 usque ad mortem studii biblici cathedram tenuit. Pietatis suae monumentum extat opus, quod ex Gallica lingua vertit. « *La S. Comunione, Conferenze di Monsignor G. F. Landriot Arciv. di Reims, versione italiana di un Frate Minore. Quaracchi 1885* ». Pleuritide correptus, patientia et sua ad Dei voluntatem resignatione confratribus aedificationi fuit, et sacro Viatico refectus ac Extrema Unctione munitus, die 7 Martii 1890 placide in Domino quievit anno aetatis 57° actualis Definitor. Quanti habitus fuerit, post ejus mortem apparuit, talis enim et tanta nobilium et popularium frequentia ejusdem funus comitata est, qualis numquam Tridenti in Fratrum funere conspecta fuit.

R. I. P.

Die 4 Februarii 1890 in Conventu Pulaskensi Ord. Min. Ref. in Dioecesi Sinus Viridis et Statibus foederatis Americae septentrionalis pie obdormivit in Domino R. P. Erasmus Sobocinski, Ref. Prov. Poloniae Majoris, ejusdem Conventus Praeses et Rmi P. Generalis Commissarius, anno aetatis 49, religionis vero 29. Suppressis a Russico gubernio anno 1864 Ordinibus religiosis, ut fidem Deo datam servaret, Romam venit, studia in Ref. Provincia Romana absolvit, dein in Galliam missus usque ad 1880 in Provincia S. Bernardini mansit. Postea ad Ref. Provinciam Galiciae Austriacae se contulit, donec pro fundatione Conventus nationis polonicae in Americam missus fuit. Regularis observantiae zelo, ac pietate enituit. Expositionem Regulae, et Examina spiritualia P. Gabrielis Angeli a Vicetia in polonicam linguam vertit; et sui desiderium omnibus qui eum noverant, reliquit.

R. I. P.

R. P. Ludovicus Lanari, vir egregius Ordinis nostri, ex hac vita migravit die 26 Aprilis currentis anni. Ortum habuit Claravalle in Piceno die 12 Augusti 1827. Seraphicum habitum induit inter Minores Observantes die 5 Maji 1843, et die 16 Martii 1850 sacerdotio initiatus est. Acri ingenio praeditus

et discendi amore cupidus, ad studia litterarum se totum convertit, ac ingenitae inclinationi indulgens, scientiis naturalibus, praesertim Philosophiae, Physicae et Mathesi, in quibus vere excellens evasit, alacri animo semper incubuit. Periculo per concursum honorifice facto, cathedram obtinuit, et Ordinis alumnos instruendos obedientiae merito suscepit. Hyspellum in Umbria postea vocatus, ibi in publico Collegio praefatas scientias juvenum profectu civiumque plausu ad plures annos docuit. Rebus ob politicas vicissitudines mutatis, ac Fratribus e Claustris ejectis, P. Ludovicus in patriam se recepit, ubi difficile dictu est quot bona patriae suae tum verbo, tum magisterio, tum operibus contulerit. Dissertationes, opuscula ac libros, praesertim de Mathesi, a doctis viris et publicis ephemeridibus valde laudatos, ad erudiendam juventutem scripsit, ac typis edidit. Omnibus patriae suae necessitatibus occurrens, operariis, senibus, pueris et puellis singulari sollicitudine et charitate providit, apposita hospitia erigendo, et opportunam societatem pro indigenti classe fundando. Hinc factum est ut ipse a concivibus habitus semper fuerit ceu consiliarius, refugium ac pater omnium, omnibusque dilectus ob ejus indolem placidam et ad benefaciendum tam proclivem. Ideo nil mirum si ad nuntium mortis ejus tota civitas commota fuerit, lacrymans et orans ejus funeri adstiterit, et corpus ad coemeterium comitaverit. Heu, quod nimis cito Pater charissimus patriam, Provinciam Ordinemque suum reliquit! Lux perpetua luceat ei, Domine!

R. I. P.

In Conventu Quintiani Provinciae Excalceatorum S. Paschalis Lyciensis die 1ª mensis Julii currentis anni 1890, obdormivit in Domino A. R. P. Angelus Maria a SS. Trinitate, cujus memoria in benedictione est apud Deum, et apud homines. Natus Neapoli die 15 Augusti anni 1809, ab adolescentia sua crevit in timore Domini, et acquisitione litterarum sub cura Patrum Conventus S. Paschalis Baylon ejusdem civitatis; et nondum expleto aetatis suae anno sextodecimo, inter Clericos Excalceatos praefatae Provinciae adnumeratus fuit die 9 Maji anni 1826. In anno suae probationis seipsum praebuit exemplum bonorum operum, necnon observantiae Regulae ac Constitutionum sui Instituti. Absoluto autem anno novitiatus, ad discendas scientias, maxime sanctorum, sese totum tradidit, in quas non parum profecit, ita ut, emissa solemni professione, die 5 Septembris anni 1830, et postea presbyteratus ordine insignitus, a Patribus Examinatoribus Provinciae idoneus adjudicatus fuit ad edocendam juventutem philosophicis, theologicisque disciplinis, quod munus multos per annos laudabiliter exercuit. Ab anno 1850 usque ad diem sui obitus bis Minister Provincialis electus, et interim in obeunda difficiliora aeque ac graviora ministeria suae Seraphicae Familiae adjectus, non est dictu quantum boni attulerit non solum religiosae suae Provinciae, verum etiam iis, qui se ipsi commendavere propriis in vitae angustiis et moeroribus, attenta magna illius animi benignitate, licet non defuerint juxta solitum, irae et benedictiones: alii enim eum maledicebant, et alii multo plures benedicebant. Multa bona opera utique operatus est, sed multa etiam tulit ex irrumpentium undique passionum tumultu. At ille in Deum semper sperans, non est confusus; quinimo ex adversis magis confortatus usque ad ultimum suae peregrinationis diem adlaboravit ad sublevandos egenos, ad miserias reparandas, et summopere in restaurandam suam religiosam Provinciam, jam adversitate temporum periclitantem, et in malum ruentem. Munitus tandem Sacramentis Ecclesiae, et adstante familia Fratrum, ac pro felici exitu ejusdem deprecante, placide in osculo Domini quievit. Mors tanti Patris, civium Quintiani et Confratrum lacrymis comitata fuit, ob summam jacturam quam isti et illi passi sunt. Nunc oret pro nobis Deum, apud quem, uti fas est sperare, jam aeterna gloria gaudet.

R. I. P.

Nihil obstat

Fr. Aloysius, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

SANCTAE ROMANAE ET UNIV. INQUISITIONIS

EPISTOLA

AD OMNES LOCORUM ORDINARIOS

—

Qua indulgetur, ut omnes Christifideles hoc anno carnibus vesci possint, feria sexta, recurrente festo gloriosae Assumptionis.

Cum festum gloriosae Assumptionis B. MARIAE Virginis hoc anno in feriam sextam incidat, Sanctissimus D. N. LEO divina providentia PP. XIII, precibus a plerisque locorum Ordinariis Ei porrectis annuens, omnibus, quotquot sunt in orbe, Christifidelibus indulgere dignatus est, ut carnibus ea die vesci possint, firmo praecepto jejunii in ejusdem pervigilio. Optat autem Sanctitas Sua, ut hanc benignitatem iidem fideles compensare studeant tertia Rosarii parte juxta Ipsius mentem recitanda. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, die 25 Julii 1890.

R. Card. MONACO.

—

DECRETUM

Feria II die 18 Junii 1890.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio apostolico Vaticano die 18 Junii 1890; mandavit et mandat in Indicem librorum prohibitorum referri quae sequuntur Opera damnata atque proscripta a Sacr. Congr. S. Romanae et Universalis Inquisitionis:

Lo spiritismo in senso cristiano, per Teofilo Coreni. — Presso l' Unione-Tipografico-Editrice. Roma-Torino-Napoli, 1890. — *Decret. S. Off. Fer. IV, die 16 Aprilis 1890.*

Les annales de Loigny, paraissant le 1er Vendredi de chaque mois. — S'adresser à M. Glénard, à Loigny, par Orgères (Eure-et-Loir), Secrétaire de l'Œuvre du Sacré-Cœur de Jésus-Pénitent de Loigny. — *Decr. S. Off. Fer. IV, die 11 Junii 1890.*

La vérité sur les condamnations qui frappent Mathilde Marchat (Marie-Geneviève du Sacré-Cœur de Jésus-Pénitent) à Loigny au diocèse de Chartres et les partisans de ses révélations. — Saint-Malo, Imp. du Commerce, Y. Billois 8, rue Robert-Surcouf, 1889. — *Eod. Decret.*

La question de Loigny au 28 Février 1809. — Nécessité pour tout d'un appel à Sa Sainteté LÉON XIII. — Saint-Malo, Imprimerie du Commerce, Y. Billois, Rue Robert-Surcouf, 1890. *Eod. Decr.*

Itaque nemo cujuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus illa tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascri-

ptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae, die 18 Junii 1890.

CAMILLUS Card. MAZZELLA, *Praef.*

Fr. HYACINTHUS FRATI, *Ord. Praed.*
S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

Die 2 Augusti 1890 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

VINCENTIUS BENAGLIA, *Mag. Curs.*

—

EX S. R. C.

I.

DECRETUM

Viglevanen. confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti servo DEI *Fr. Christophoro a Macassoliis beato nuncupato.*

Quum in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu subsignata die ad Vaticanum coadunato, ad instantiam Revmi Dni Episcopi Viglevanen. nec non Revmi P. Postulatoris Generalis Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, Emus et Rmus Dnus Card. Cajetanus Aloisi-Masella, Sacrae eidem Congregationi Praefectus, ac supradictae Causae Ponens, Dubium proposuerit: *An sententia lata a Judice delegato a Revmo Episcopo Viglevanen. super cultu ab immemorabili tempore praestito praefato Servo* DEI, *seu super casu excepto a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu, et ad effectum de quo agitur?* Emi, et Revmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurato examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam.* Die 11 Julii 1890.

Facta postmodum de his per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro LEONI Papae XIII fideli relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae ipsius Congregationis ratum habere, et confirmare dignata est. Die 23 iisdem Mense et Anno.

R. Card. MONACO.

L. ✠ S.

VINCENTIUS NUSSI, *S. R. C. Secret.*

—

II.

Variis dubiis responsa.

MONTIS POLITIANI — 20 Maji 1890 — Hodiernus Redactor Kalendarii pro Clero Dioeceseos Montis Politiani, de consensu Rmi sui Episcopi, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia enodare humillime proposuit, nimirum:

Dubium I. — Missa votiva SS. Cordis JESU per Decretum diei 28 Junii pro Ecclesiis, in quibus de mane exercitia pietatis in honorem ejusdem Divini Cordis peraguntur, concessa, celebrari debet sine *Gloria,* sine *Credo* et cum tribus Orationibus, an ritu quo celebrantur Missae votivae solemnes cum *Gloria* et *Credo* et unica Oratione?

Dubium II. — In eodem Decreto statuitur quod secundae Vesperae diei octavae Corporis CHRISTI sunt dicendae sine *ulla commemoratione.* Cum non sint concordes redactores Kalendariorum in interpretandis his verbis, quaeritur an per eadem verba commemoratio sequentis festi SS. Cordis excludatur, vel etiam commemoratio alicujus Sancti eo die ad modum simplicis redacti, ut accidit hoc anno pro S. Joanne a S. Facundo.

Dubium III. — Capitulum Vesperarum in festis Sanctorum septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. et S. Catharinae Fliscae Adurnae dicendumne est etiam ad Tertiam?

Dubium IV. — Quando Episcopus Fer. V in Coena DOMINI bis procedit ab altari ad mensam pro sacris Oleis conficiendis, et ad altare regreditur, debetne uti baculo pastorali?

Dubium V. — In benedicendo post Communionem extra Missam ministratam, atque in absolvendis fidelibus in Poenitentiae Sacramento debetne Episcopus unam tantum vel tres Cruces efformare?

Dubium VI. — Si Sabbato Sancto fiat Sacra Ordinatio, dicendae suntne Litaniae in Missali pro tali die assignatae; vel illae consuetae quae habentur in Pontificali Romano?

Dubium VII. — Dioeceses, quibus concessum est officium B. M. V. titulo Boni Consilii, tenenturne assumere novum Officium cum respondenti Missa pro eodem Festo a S. R. C. anno 1884 probatum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit, nimirum:

Ad I. *Negative* ad primam partem; *affirmative* ad secundam.

Ad II. Utraque commemoratio est omittenda.

Ad III. *Affirmative.*

Ad IV. *Affirmative.*

Ad V. Servandae Rubricae Ritualis Romani.

Ad VI. Dicendae sunt in casu Litaniae in Missali assignatae, additis quae Episcopus proferre debet super Ordinandos post V. *Omnibus fidelibus defunctis* etc.

Ad VII. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit die 20 Maji 1890.

C. Card. Aloysi Masella, *S. R. C. Praef.*

Vincentius Nussi, *Secretarius.*

—

EX S. C. DE PROPAGANDA FIDE

I.

De pia precum unione inter catholici Orbis episcopos.

Illme ac Rme Domine,

Jam inde ab anno 1866, adhortante viro Eminentissimo Cardinali Xisto Riario Sforza Archiepiscopo Neapolitano, pia quaedam Unio efformata est inter plures Europae aliarumque regionum Episcopos, qui in Spiritu congregati preces persolvunt, antecessores suos vita functos, seipsos, propriosque greges unanimiter Deo commendantes. Quo autem haec pia Unio precum magis in dies inter alios quoque Episcopos propagetur, a SSmo D. N. Leone PP. XIII eorum quidam nuperrime expostularunt, ut eam benigne adprobare atque Apostolica Benedictione auspicari dignaretur. Porro Sanctitas Sua, ut primum praedictorum Praesulum vota excepit, propositae ab ipsis Unioni precum Benedictionem Apostolicam peramanter impertiens, eam nedum amplissimis cohonestare laudibus, sed et in omnibus adprobare ac peculiaribus indulgentiis ditare dignata est. Voluit praeterea SSmus D. N. ipsam piam Unionem per Decretum hujus S. Congregationis de Propaganda Fide erigi, atque in eadem S. Congregatione ejus praecipuam sedem seu centrum, statui pro cunctis totius catholici orbis Episcopis adscribendis.

Quae cum ita sint, Decretum erectionis memoratae Unionis precum ad Amplitudinem Tuam transmitto, Te simul rogans ut mihi significes an ad ipsam adscribi velis. Atque interim responsionem tuam praestolans, precor Deum ut Te quam diutissime servet ac sospitet.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. de Propaganda Fide die 7 Decembris 1887.

Ampl. Tuae Addictissimus uti Frater
Joannes Card. Simeoni, *Praef.*

Dominicus, Archiep. Tyren., *Secretarius.*

—

DECRETUM

Anno 1866 Cardinalis Xistus Riarius Sforza, Archiepiscopus Neapolitanus, epistola ad Archiepiscopum Baltimorensem data, haec de unione precum inter Episcopos constituenda habebat: « Inter tot, quibus Episcopus quotidie detinetur labores, interque curas, quas secum affert Pastorale Ministerium, haud exiguum levamen erit, si omnes Episcopi catholici sibi mutuo auxilium praebere studeant, et assiduis orationibus invicem Omnipotentem Deum exorent. Hinc aliqui Episcopi, praesertim Ditionis Ecclesiasticae, operae pretium esse existimarunt, si plurimi Episcopi in Spiritu Domini congregati tria pietatis officia vellent exercere. Primum erga defunctos Episcopos, secundum erga seipsos, tertium erga Episcopos in coelis

cum CHRISTO regnantes esset persolvendum ». Ad id autem inter alia haec proponebat:

I. Ut primo fiat satis, quilibet Episcopus quotidie in Missa specialem memoriam habeat de Episcopis recens vita functis; quotannis vero infra Octavam Omnium Sanctorum vel per se, vel per alium Sacerdotem, Missam unam celebret pro omnibus Episcopis Catholicis in CHRISTO quiescentibus.

II. Secundum pietatis officium erga seipsos adimplendum in eo sit, ut omnes sint speciali modo in Spiritu congregati coram DOMINO, dum orationi quotidie vacant aliasque sanctas absolvunt actiones. Quare sive mentali orationi, sive piae lectioni vacent, sive Missam celebrent, sive Horas canonicas persolvant, sive preces supererogatorias recitent, sive sacras functiones peragant, omnia simul agere intendant. In Sacro quoque faciendo specialiter orent pro toto Episcopatu catholico, pro incolumitate Romani Pontificis, et pro sanctificatione gregis unicuique commissi. Ut autem haec pia Unio firmior in dies evadat, Reginae Apostolorum tutelae et patrocinio commendanda est, ac proinde neminem ex Episcopis pigebit post horas canonicas, vel alio tempore semel in die orationem recitare *Memorare piissima Virgo,* et ter deinceps illam invocare: *Virgo Immaculata, Regina Apostolorum, ora pro nobis.*

III. Tertium denique pietatis officium postulat, ut speciali cultu prosequantur omnes Episcopos qui, in terra degentes pastorali munere sanctissime perfuncti, nunc in coelis semper prompti et parati sunt ad interveniendum apud DEUM pro iis qui missi ad excolendam Vineam Domini in labores eorum introierunt. Quapropter in fine Horarum canonicarum commemorationem hoc modo facient Episcoporum, quorum illa die festum agitur, et omnium Sanctorum Episcoporum:

I. ANT. Pastores optimi, qui animam posuistis pro ovibus, intercedite pro nobis et pro grege nostro ad Dominum.

℣. Benedicite Sacerdotes Domini Domino.

℟. Benedicite et superexaltate eum in saecula.

OREMUS. DEUS qui in Sanctis Tuis, et exemplum et praesidium collocasti, concede nobis famulis Tuis, Sanctorum omnium Antistitum, quorum hodie memoriam recolimus, et exempla sectari et protectione muniri. Per CHRISTUM Dominum nostrum.

II. ANT. Omnes Sancti Pontifices estote memores nostri, deprecamini pro nobis Filium DEI Sacerdotem magnum.

℣. Benedicite Dominum omnes Electi Ejus.

℟. Agite dies laetitiae, et confitemini Illi.

OREMUS. Fiat Domine, quaesumus, super nos misericordia tua, et omnium Sanctorum Antistitum intercessione concede, ut in pastorali officio obeundo eorum experiamur suffragia, et vestigia prosequamur. Per CHRISTUM Dominum nostrum.

Cum vero nuper nonnulli ex Episcopis praesertim Foederatorum Statuum Americae Septentrionalis, supplices preces SSmo D. N. LEONI PP. XIII porrexerint, ut hujusmodi piam Unionem firmius constituere, et sacris Indulgentiis ditare dignaretur, Sanctitas Sua in Audientia diei 19 Septembris 1886, referente infrascripto R. P. E. Archiepiscopo Tyrensi, S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, memoratam piam Unionem benigne adprobans atque confirmans, omnibus ac singulis catholici orbis Episcopis in eam adscribendis benigne largiri dignata est sequentes indulgentias in perpetuum:

1°. Plenariam omnium peccatorum Indulgentiam lucrandam die primo eorum ingressus in ipsam piam Unionem: dummodo vere poenitentes, confessi ac sacra Eucharistia refecti ecclesiam aliquam visitaverint, atque ibidem pias ad DEUM preces effuderint pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione et juxta Summi Pontificis intentionem.

2°. Plenariam item lucrandam in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti, vel si id nequiverint, saltem corde contriti, ore si potuerint, sin minus corde, SS. Nomen JESU devote invocaverint.

3°. Plenariam etiam diebus quibus fit Commemoratio Omnium RR. Pontificum, et Orationis D. N. JESU CHRISTI in *Monte Oli-*

veti, adimpletis consuetis conditionibus, ut supra in N°. 1°.

4°. Partialem insuper 60 dierum lucrandam semel singulis diebus, cum sacris ministeriis sibi concreditis ipsi vacaverint.

Demum Sanctitas Sua Episcoporum adscriptiones in supradictam piam Unionem apud Sacram hanc Congregationem Christiano Nomini Propagando fieri atque servari, et ab eadem super his omnibus praesens Decretum dari mandavit.

Datum Romae, ex Aed. S. Congregationis de Propaganda Fide die 7 Decembris 1886.

JOANNES Card. SIMEONI, *Praef.*

DOMINICUS Arch. Tyren. *Secret.*

—

II.

De quibusdam privilegiis Sororibus Ostiariis Monasterii Clarissarum Hierusalem et Nazareth concessis.

BEATISSIME PATER,

Soror Elisabeth a Calvario Abbatissa cum aliis sanctimonialibus S. Clarae in monasterio Hierosolimitano degentibus ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutae humiliter sequentia exposcunt:

1°. Ut Sorores conversae, Ostiariae dictae, vulgo *Tourières*, licet vota simplicia tantum emittant, eadem statuta observare queant, iisdemque gaudere privilegiis ac Sorores in claustro degentes.

2°. Valeant etiam probationis et tyrocinii tempus intra claustrum ducere.

3°. Ipsis liceat intra claustrum aliis cum Sororibus sepeliri.

4°. Ut Duo monasteria in civitatibus Nazareth et Hierusalem existentia, omnino uniformia sint ac maneant in propriis Constitutionibus (1) et observantiis, ut magis magisque vinculis conjungantur perfectae charitatis.

5°. Ut eadem privilegia quae supra, Sororibus conversis ostiariis in monasterio Nazareth degentibus concedantur.

(1) Duo haec monasteria primitivam S. Clarae regulam profitentur, cum constitutionibus a S. Coleta adjectis.

Ex Audientia SSmi habita die 6ª Julii 1890.

SSmus Dominus Noster LEO Divina Providentia PP. XIII, referente me infrascripto Archiepiscopo Tyren. S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, porrectis precibus rescribi mandavit:

Ad Primum benigne indulsit, ut Sorores Conversae Ostiariae frui possint iisdem privilegiis quibus fruuntur Sorores Conversae claustrales, non tamen subjciantur iisdem legibus.

Ad secundum: *Negative.*

Ad tertium: *Affirmative.*

Ad quartum: Pro gratia juxta preces non tantum quoad duo monasteria existentia in civitatibus Ierusalem et Nazareth: sed optandum ut omnia alia Monasteria ejusdem Ordinis servent eamdem Regulam ac Constitutiones, exceptis observantiis.

Ad quintum: pariter pro gratia juxta petita.

Datum Romae, ex Aedibus dictae Congregationis die et anno ut supra.

† D. Archiep. Tyren. *Secr.*

Gratis quocumque titulo. Prot. 1403.

II.
ACTA ORDINIS

—

CAUSAE SANCTORUM ORDINIS NOSTRI

XVII.

B. CHRISTOPHORI A MACASSOLIIS

Sacerdotis professi I Ordinis.

Pauca nobis supersunt de sancti hujus viri vita; ex certis tamen documentis constat, ipsum ex nobilissima familia de Macassoliis Mediolani exortum fuisse, saeculo ineunte decimo quinto, quo noster seraphicus Ordo maxima praesertim sanctitate ubique floruit. Postquam pueritiam ac adolescentiam in paterna domo innocenter transegerat, anno salutis 1435, sanctioris vitae percupidus, ad Minorum Observantium claustra laetus convolavit. Ubi libenter exceptus, ac post tyrocinium per solemnia vota DEO sacratus, statim virtutum omnium

specimen dedit; praesertim vero puritatis cordis, firmae spei in DOMINUM, atque seraphicae paupertatis.

Sacerdotio postea insignitus, totum ad animarum salutem procurandam verbo atque exemplo se dedit; unde innumeros propemodum peccatores e vitiorum coeno ad viam salutis revocavit. A Beato Pacifico a Cerano Confratre suo adjutus, auctor fuit ut prope Viglevanensem urbem celebre nostri Ordinis coenobium aedificaretur sub titulo B. M. Virginis a Gratiis; obtenta prius ad id facultate tum a Serenissimo Duce Galeatio, tum a Summo Pontifice Sisto IV. Atque in eo reliquum vitae suae duxit tempus; tantoque sanctitatis nomine brevi percrebuit, ut in maximam Viglevanensium civium venerationem devenerit, qui ad eum turmatim confugiebant opem in temporalibus indigentiis, in spiritualibus vero necessitatibus aeternae salutis consilia postulantes. Cum igitur virtutibus, ac miraculis toto vitae tempore inclaruisset, tandem meritis plenus, DEO hominibusque carus, ex hoc terreno exilio ad caelestem patriam migravit. Ejus pretiosa mors contigit die 5 Martii anno 1485 in supradicto coenobio, cujus aeficationi, uti innuimus, omnes animi sui vires contulerat, quodque eximio sanctitatis, ac miraculorum fulgore illustraverat. Ejus solemnia funebria plurimis divinae omnipotentiae portentis illustrata fuere, quibusve Viclevanensis Clerus universus ac magna fidelium multitudo ex finitimis quoque regionibus confluentium astitit. Tandem in S. Bernardini Sacello prope Aram tumulatus fuit cum sequenti inscriptione:

B. CHRISTOPHORUS A MEDIOLANO
QUI PER 50 ANNOS
QUOS IN MAXIMA SANCTITATE
VIXIT IN ORDINE
MULTIS CLARUS VIRTUTIBUS
ET MIRACULIS CORUSCANS
OBIIT 1485
CUJUS CORPUS HIC JACET IN CAPELLA S. BERNARDINI

Tanta autem sanctitatis fama in vita claruerat, ut statim post mortem publicae venerationis honores ei tribuerentur. Cujus quidem nobis superest antiquitatis praeclarum monumentum, vetustae scilicet imaginis, quae in memorato S. Bernardini sacello altari superposita devotorum fidelium preces excipiebat. Adhuc permanet vetus haec pictura Beatam Mariam Virginem cum divo Infante in trono sedentem repraesentans. Eam enim circumdant tres Sanctorum imagines, quorum altera pertinet ad S. Claram Assisiensem, altera vero ad S. Bernardinum Senensem, cui sacellum erat dicatum, tertia demum ad nostrum Beatum Christophorum, prout clare legitur in tegumento libri, quem manibus gerit. Hanc autem fulgentes radii capiti superpositi exornant, qui sunt procul dubio sanctitatis signa. Quae tabula, cum annum exhibeat 1502, uti omnibus datum est videre, omne dubium abstulit circa centenarium, quod ante nota Decreta Urbani VIII Summi Pontificis necessario requiritur, ut cultus alicui sancto viro praestito ab Apostolica Sede confirmari possit. Qui cultus erga Beatum Christophorum numquam apud Viglevanenses cessavit, imo excrevit in dies usque in praesens; eo vel magis quod ipsi cives ejus validum patrocinium non semel in rebus adversis experti sint. Unde pluries ipsius Beati reliquiae publicae fidelium venerationi expositae fuere. Contigit autem infausti hujus saeculi exordio, ut S. Mariae coenobium propter adversas publicarum rerum vicissitudines supprimeretur. Attamen post miserum hunc eventum Beati Christophori cultus haud quidem fuit interruptus, quinimo quam maxime auctus. Tanta enim erat tunc temporis in sacras ejus reliquias populi veneratio, ut clarissimi Praesulis Milesi decreto, legitime prius recognitae, solemni supplicatione in Cathedralem Ecclesiam transferrentur; ibique in altari Visitationis publico fidelium cultu exponerentur. Quod quidem contigit anno 1811. Ex eo tempore, ut testes omnes unanimi depositione fatentur, singulis annis die 5ª Martii ejus festiva commemoratio peragitur.

Tandem anno 1880 Illmus ac Revmus Dominus Petrus Joseph De Gaudenzi, actualis Viglevanensis Episcopus, qui gloriae DEI, Sanctorum honoris, animarumque salutis semper extitit zelantissimus, de confirmatione cultus ex parte Apostolicae Sedis nostro B. Christophoro *ab immemorabili* praestito cogitare coepit. Et de facto, neque sumptibus, neque laboribus Praesul praeclarissimus parcens, brevi propria auctoritate Processum *super casu excepto* rite

canoniceque confecit: consentiente, ac coadjuvante nostro Adm. R. P. Postulatore Generali jam defuncto. Qui Processus ad Urbem delatus, Sacrorum Rituum Congregationi in forma exhibitus, post maturum examen fuit approbatus; quapropter in Ordinariis ejusdem S. Congr. Comitiis, habitis in Vaticano Palatio die 11ª Julii currentis anni 1890 confirmata fuit sententia a Judice in praefato Processu Delegato emanata; quae est tenoris sequentis, scilicet: « a tempore immemorabili, atque ante annum 1534, quo centenarium Urbanianum initium habet, Servum Dei Christophorum de Macassoliis cultu publico ecclesiastico, in hac praesertim Civitate (Viglevanensi), et in finitimis locis potitum fuisse; atque hunc cultum nunquam interruptum, aut imminutum ad nostram usque aetatem feliciter esse deductum, ideoque nihil obstare quominus accensendus sit inter casus exceptos a Decretis San. Mem. Urbani VIII. Cum vero die 23ª ejusdem mensis de hac sententia facta fuerit Summo Pontifici Leoni XIII fidelis relatio ab Illmo ac Revmo Domino Vincentio Nussi, Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, Sanctitas Sua eam ratam habere et confirmare dignata est, uti patet ex jam superius allato Decreto.

—

CAPITULA PROVINCIALIA

hoc anno celebrata

X.

Ref. Prov. SS. Salvatoris in Hungaria.

Capitulum Ref. Prov. SS. Salvatoris in Hungaria rite et canonice celebratum fuit in Conventu Gyöngyösiensi die 6 Julii 1890 sub praesidentia Adm. Rev. P. Theodorici Elek, Prov. S. Mariae Defin. et Generalis Visitatoris. In eo quidem electi fuerunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Marcus Bognár.

Custos

A. R. P. Rudulphus Zsembery imm. ex Min.

Definitores

R. P. Bartholomaeus Panck.
R. P. Marcellus Daránszky.
R. P. Aurelius Erdös.
R. P. Timotheus Stricsooszky.

—

XI.

Obs. Prov. S. Francisci Ragusiae.

In capitulo Obs. Provinciae S. Francisci Ragusinae, die 9 Julii Ragusii habito, praeside Adm. R. P. Eusebio Fermendzin, ex Definitore Generali ac Visitatore, rite electi sunt:

Minister Provincialis

Adm. R. P. Urbanus Talija, lector generalis Theolog.

Custos

R. P. Jacobus Jović.

Definitores

R. P. Marianus Pušić.
R. P. Paulinus a Dobranje.
R. P. Sebastianus a Ragusio.
R. P. Antonius Kazilari.

—

XII.

Ref. Prov. S. Mariae in Hungaria.

Die 14 Julii 1890 rite celebratum est Capitulum Provinciae S. Mariae in Hungaria in Conventu Posoniensi ad B. Virginem ab Angelo salutatam, praesidente A. R. P. Polycarpo Làszlò, Provin. a S. Stephano Rege in Transsylvania Custode, ex Min. Prov. et Generali Visitatore. Electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Floridus Skrobánck.

Custos

A. R. P. Gaudentius Dosztál imm. ex Minis.

Definitores

A. V. P. Arnoldus Bartoss.
A. V. P. Bonaventura Formássy.
A. V. P. Alexander Bán.
A. V. P. Isidorus Ozorai.

—

XIII.

Ref. Prov. Galiciae.

Die 18 mensis Julii anni currentis habitum est capitulum Reformatae nostrae Pro-

vinciae B. V. Mariae Dolorosae in Galicia Austriaca in Conventu Vielicensi sub praesidentia R. P. HIPPOLYTI PHILIPP, Visitatoris Glis et canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

Adm. R. P. Joachimus Macieiczyk.

CUSTOS PROVINCIAE

R. P. Ladislaus Zajaczek.

DEFINITORES

R. P. Melchior Kruczynski.
R. P. Victor Drzewicki.
R. P. Henricus Lobajczyk.
R. P. Silvester Hanula.

—

XIV.

Obs. Custodia Melitensis.

Die 21 Julii in Conventu Vallettae, celebratum fuit Capitulum Nostrae Obs. Custodiae Melitensis, Praeside Adm. R. P. PETRO A MONSANO, Generali Visitatore, in qua quidem electione electi fuerunt:

CUSTOS REGIMINIS

Adm. R. P. Samuel a Melita.

DISCRETI

A. R. P. Antonius M. Cesal a Melita.
A. R. P. Franciscus a Melita.
R. P. Pacificus a Melita.
R. P. Joannes Evangelista a Melita.

—

LABORES EXANTLATI

a Patribus Ref. Prov. S. Stephani Regis in Hungaria a die 15 Julii 1889 ad 15 Julii 1890.

Infantes ex christianis parentibus baptizati	505
Sacram. Poenitentiae administratum sanis.	30,877
Sacram. Poenitentiae administratum infirmis.	377
Sacram. Eucharistiae administratum sanis et infirmis	31,446
Sacram. Eucharistiae administratum infirmis per modum viatici. . .	340
Sacram. Extremae Unctionis administratum.	333
Assistentia matrimonialiter copulatis.	95
Conciones productae	1,240
Catecheses	2,186
Sepulturae mandati	412
Conversi e Calvinismo	21
» e Lutheranismo	2
» e Schismate	3
Numerus animarum in parochiis a nobis administratis.	9,686
Scholares per nos instituti et catechizati	2,564

Signatum Medgyes die 20 Julii 1890.

FR. EUGENIUS SIMON
Minister Provincialis.

III.

VARIA.

—

MONITUM

pro Kalendarii dispositoribus.

In fasciculo VI anni curr. Actorum Ordinis in *Brevi conspectu Kalendarii pro anno 1890* error irrepsit. Festum enim Cathedrae S. Petri Antioch. reponi debet sequenti anno juxta consuetas repositionis regulas. De S. Ivone sequenti anno ubique nihil fieri potest.

—

FUNDATIO

COLLEGII S. ISIDORI IN URBE

A LUCA WADDINGO

CAP. IV (L).

Quid Lucas in area comparanda et claudenda praestiterit.

(Continuatio).

Lucas autem cum reliqua rite disposuisset, accessit ipse die XII Octobris ejusdem anni, et solerter, corrogatis benefactorum subsidiis curavit in primis, ut inchoati aedificii fabris expensae per ipsos pecuniae, et opera-

rum stipendia plene solverentur. Hinc parvum illum fundum domus templique absolutae emptionis pure ab omnibus canonis, aliisque prius impositis numerato pretio in perpetuum liberavit. Adjunxit postmodum eodem emptionis pacto, et multorum millium scutorum soluto pretio totum terrae spatium, quod inter Hospitii parietem, et Ludovisiorum viridarium situm fuit, ipsumque dilatavit ambulacro, Nicolai Principis liberalitate concesso, quod retro novum nostrum aedificium, seu secundum Claustrum adhuc relictum est. Emit etiam totam terram, quae inde deorsum jacebat a laterali linea Conventus ex ea parte usque ad viam publicam, quae ex Urbe ducit ad portam Pincinianam, ac deinde illam, in quo nunc secundus noster hortus est ad dexteram exeuntis in plateam templi, ipsamque plateam, quam denique dilatavit recuperata a Patribus Cappuccinis, ea ratione, quam superius explicuimus, illa terrae portione, quae prius ipsorum muro ferme ad nostri Templi portam claudebatur.

Omnia libere, et absque ullo onere, praeter pretium pecuniarum ab ipso suis terminis, diu ante mortem suam exacte solutum, praeter partem, quam Dux areae venditor ob certos respectus Lucae remisit, propterea inter aedis Benefactores merito numerandus. Totum denique hunc situm ad religiosi status clausuram solido muro cinxit, ac terra multo aere transvecta ipso montis clivo vallem fossasque complevit, atque horti forma in planitiem reduxit, et suis areis viisque distinctam, partim fructiferis arboribus, partim oleribus, herbisque coli curavit, ad usum nostrae paupertatis, qui his rebus plusquam piscatorii fori, vel macelli mercibus nutrimur. Hortum ornat etiam nitidum sacellum, quod Sanctae Mariae Pietatis, et Christi passioni posuit Laurentius Benincontrus Romanus, et olim Collegii Syndicus, uno Altari, et ejusdem Passionis mysteriis, in testudine et pariete depictis ornatum.

CAP. V (LI).

Quid in aedificio Templi.

Hinc se ad inchoatum Hospitium perficiendum accingens Lucas, in primis illius plani Templi parietes, et arcus eatenus rudes, arenato perpoliri gypso alicubi intus et externa fronte glyphice exornari, uda calce undique dealbari, pavimentum lateribus sterni, tholi lanternam, et templi fenestras pellucido vitro clausit, tinctaeque telae ductiles curtinas ad arcendum vehementius lumen interius cuique appendit. Post haec erexit summum Altare e pario varioque marmore, ejusdem materiae clathris circumseptum, trium graduum ascensu elevatum, interius cavum, et pulchra parii lapidis tumba instructum, ad reponenda lipsana Sanctorum Leontii et Floriani martyrum, Urbani VIII et Innocentii X Pontificum dona. Tota tumba conspicua est per cratem ferream auro obductam, qua latus anterior arae clauditur. Superius ipsam ornat imago sancti Isidori Deiparam in aëre apparentem flexis poplitibus adorantis, Andreae Sacchi manu depicta, opere marmoreo circum ornata, cujus fastigium sustinent duae altae, crassaeque columnae alabastri undati oleagini. Paucis post annis Templum ipsum hiscentibus muris, et per medium tholum fornice ruinam e vicino minitans, novis fundamentis a sinistro latere suffulsit, et aliis aedificiis circum circa constructis firmavit: in primis amplo vestibulo, quod altissimo, solidoque fundamento subnixum, testudine desuper contra pluviae solisque molestias tegitur, quam crassae structiles pilae suspendunt. Inter has porticum ipsam alte sepiunt clathri ferrei, qui binis ejusdem structurae foribus noctu clauduntur. Testudo et muri interius gypso ornati sunt, et pavimentum latere stratum, quod quia Templi plateae supereminet, ex hac in ipsum ascenditur scalis duplicibus, quae interne se mutuo respiciunt, et quindecim hinc, atque inde totidem largis gradibus, ex albo tyburtino lapide, non cochlide, sed quadro ascensu binis areolis interrupto, et muris exterius vallato junguntur in areola suprema, ex qua per vestibuli valvas ingresso a fronte patet ostium Templi, a laeva vero ad campanulae sonitum aperitur janua Coenobii.

Quia vero fornix, quae supra portam Templi interius pro priorum incolarum odeo constructa fuit, nec prae sui angustia nostros capere poterat, ac simul Ecclesiae spatium impediebat, ea dejecta Lucas supra porticum exterius aliud aedificium extulit, quod altitu-

dine sua templi fastigium ulnis aliquot superat, quo, praeter fulcimentum, datum est templo novum et nobilius frontispicium, ad artis symmetriam compositum, sed nondum ultima glyphicorum manu exornatum. Interius est spaciosa tribusque quatuor valvarum specularibus fenestris lucida aula, sedilium choro e dolata nuce sic pro divino psalmodiae commodiori cantu disposita, ut plures quam sexaginta Religiosi suo quisque loculo, et ordine sedentes, aut genuflexi, seu stantes in eo simul duplici corona consistere possint, aperto in Templum pariete, forma hemispherii. Sed ne iterum rediturus hinc abeam, Lucas duas campanas pro officii, et sacrorum solemnitate procuravit. Cumque chartae scriptoriae impressos primum libros officii divini cantui, et communi recitationi necessarios curasset, qui sensim terebantur, deinde magna decem volumina chartae pergamenae, docta domestici Fratris manu scribi satagebat, ex quibus sex nitide scripta, minioque depicta, et horum tria nuceis asseribus, forti corio, et ahenis cuneis ad usum compacta reliquit: alia quatuor in primis religiosi scriptoris, ac ipsius post Lucae obitum intermissa fuerunt. Curavit autem praeterea pro majori divini cultus solemnitate pneumaticum organum portatile, curaturus aliud majus et fixum, si rebus humanis invida mors hunc, et alios ejus nobiles cogitatus non intercepisset.

CAP. VI (LII).

Quid in construendis ornandisque Sacellis.

Interea tamen ipsum Templum ampliavit sacellis sex, quorum parietes firmis fundamentis substructi, tamquam anterides, labans prius Templum obfirmant, et fenestrae, aliaque ornamenta, et arae illustriorem et utilem reddiderunt Ecclesiam, planis ante parietibus arctam, et solo summo Altari ad sacrificium offerendum idoneam. Primum sacellum a dextra summi Altaris S. Patritio Hibernorum Apostolo, et S. Francisco Minorum Patriarchae sacrum, aedificarunt haeredes Petri Pavonii Ariminensis, Pauli V. et Gregorii XV. Pontificum a cubiculis Praefecti, pro ejusdem Praelati sepultura tholum, et arcum anteriorem, inaurato gypso, et pictis sanctorum imaginibus decorarunt: in arà sacrificii SS. Patritii, et Francisci imagines una tabula depictas appenderunt, discolori marmore coronatas, et e simili materia et opere monumentum defuncto ad dextrum sacelli latus posuerunt, suscepto ejus capite, et inciso aureis litteris epitaphio et insignibus, datis ad cultum altaris ómnium colorum sacris vestibus, nunc ferme usu detritis. Inferior crypta nostrorum Fratrum communi sepulturae deservit.

Alterum sacellum ad laevam Summi Altaris, Deiparae Virginis Immaculatae Conceptioni posuerunt executores testamenti Alphonsi Mazanedi de Quiñiones Vallisoletani, Romanae Rotae diuturni Auditoris, indeque Patriarchae Hierosolymitani, in eodem sacello sepulti.

Sed quoniam erecto pariter e marmore Altari, et Patriarchae monumento, sacellum nec reliquo aedificii ornatu perfectum, nec rebus ad arae vel sacrificii cultum necessariis provisum fuit, id sibi, et haeredibus suis novo opere exornandum et perpetua cura colendum nuper assumpsit Rodericus Lopez a Silva, S. Jacobi in Lusitania Ordinis eques, summo gaudio Francisci ejus filii, paternae pietatis aemuli.

Quod alterum templi crucis angulum huic sacello adversum occupat, S. Annae Deiparae Matri construxit Dominicus Castellus Romanus, Apostolicae Camerae sub multis continuo Pontificibus Architectus. Ipsum gypso, auro, et Sanctae actis penicillo bene representatis adornavit, Sanctorum reliquiis, et aliquali supellectili instruxit; sed cum a prosequendo per mortem praeventus, in eodem sacello sepultus sit, cultum sacelli nunc curat Eminentissimus Cardinalis Franciscus Barberinus, cujus favoribus et beneficiis obstrictus Dominicus ipsum Cardinalem, tum hujus sacelli, cum aliarum suarum rerum haeredem testamenti tabulis reliquit. Dominicus autem dum vixit sanctam tutelarem annua festivitate solemnissime colebat.

Huic proximum inferius, in eodem templi latere, est sacellum S. Josephi Deiparae Sponsi, quod rudibus muris tholo et subterranea crypta construxit Flavius Alalconius Nobilis Romanus, paulo post in eadem crypta, et Nostri Ordinis habitu conditus. Et quia

familiae suae postremus fuit, mero intuitu virtutis, et personalium qualitatum Herculis Ranconii, praecipui in Urbe causarum patroni, ipsius olim Flavii et nostri cari optimique vicini, sacellum ipsi testamento legavit, prius tamen perpetuo sacrificio dotatum. Ronconius post Flavii decessum opus absolvit gypso pariter et auro excultum, atque S. Josephi actis Caroli Maratti Anconitani, Andreae Sacchi quondam disciupuli, nunc ejusdem virtutis, et famae haeredis, manu adeo ad artem, et pietatem depictis, ut continuae molestiae nobis sint, qui picturarum exemplaria seu rubrica, seu vivis coloribus expingunt. Nec cessavit pius Ranconius usque ad mortem suam omni congrua supellectili, quae utilitatem aut ornamentum inservit, et pulchris omnium colorum sericis paramentis instruere sacellum; Christi nutritoris annuam festivitatem solemni cultu celebrare. Cujus erga Patriarcham devotionem Franciscus et Nicolaus nepotes cum reliqua substantia haereditarunt.

Aliud sacellum ipsi Christo crucifixo sacrum e regione prioris, in dextro latere templi, pro sua pietate in passionem nostri Redemptoris aedificavit Constantia, Camilli Principis Pamphilii germana soror, et Nicolai Venosi et Plumbini Principis Ludovisii cara conjux. Atque cum Lucas noster, qui Constantiae Principis conscientiam regebat, omnino nollet, quod parietes omnes marmore vestirentur, his inaurato gypso glyphice decoratis, aram saltem elegantem sane, ex idea Dominici Castelli, e vario marmore construi curavit, cujus medium occupat adhuc in Cruce viventis Christi effigies, opus Maratti, qui laterales quoque sacelli tabulas, ac tholum Christi passionis diversis mysteriis depinxit. Ipsa pia Princeps sericis omnium anni temporum paramentis, et aliis rebus ad ordinarium sacrificium in sacello faciendum necessariis nostro sacrario providit; omnia vero quinque haec sacella a templi gremio separant marmorei clathri orantium genibus, cubitisque flectendis commodi.

Sextum denique minorum sacellorum, quod inferiorem crucis angulum in dextro latere templi occupat, S. Antonio Patavino aedificare coepit, opere valde sumptuoso, Cataneus Catanei Januensis; sed pavimento marmoreis floribus variegato, collocatisque pulvinis, quibus implantarentur cancellorum columnulae, utriusque lateris pariete pulchro marmore inferius incrustato et superius ornato quibusdam Sancti depictis miraculis, erecta etiam, sed non perfecta ara, cujus marmoreum frontale naturalis artis et artificiosae naturae certamen exhibet, adverso casu ab opere continuando praeoccupatus, quidquid hujus factum fuit, conventui donavit facta facultate, ut alium quempiam S. Antonio devotum amplecterentur, qui solutis Architecto sumptuum reliquiis, reliquum opus propriis expensis perficeret.

Atque haec omnia praenotati operum auctores Lucae nostri amore et industria apud nos potius quam alibi praestiterunt. Ipse vero praeter horum sacellorum cryptas, et varia per templa sparsa sarcophaga, duo coemeteria sub ingressum templi communium eleemosynarum expensis fodi, subterraneis parietibus distingui, fornicibus tegi, et marmoreis operculis desuper occludi curavit; ut dum alter recenter sepulti cadaveris causa minus expeditum videretur, alterum adferendi fortassis interim defuncti sepulturae serviret.

CAP. VII (LIII).

Quid in accommodando priori hospitio.

Haec autem in solo templo ad illum statum reducendo, in quo hodie cernitur, peregit Waddingus: quando ut parvam illam hospitii domum usui accommodaret, oportuit in primis ad ipsum ingressum ambitus peristylii subterraneos meatus fodere, arenatis parietibus claudere et minutissima glarea replere per quam decurrens imber tecti sordibus expurgaretur, priusquam in cisternam decideret; deinde solum desuper lateribus sterere, et fornices murosque arenato pollire; quod fecit sumptibus Ducis Pastranae ipsi Lucae, et ipsius Fratribus Hibernis adeo confidenter addicti, ut huc se a reliquis negotiis colligens, Regis sui litteras aperire, Lucae consilium adhibere, Fratrum preces postulare, regia rescripta dictare et sigillis claudere solebat, coenobitas iis etiam favoribus, et beneficiis prosecutus ob quae meruit insignia sua, et incisam lapidi memoriam, tamquam peculiaris benefactor in claustro habere, cisternam prius formatam ex qua-

tuor muris, qui peristylii columnas sustinent, et superne clausam testudine absolvit, ejus inferiora latera fortiter loricavit, pavimentum, prius aqua permeabile, crasso signini operis fundo solidavit, foveae crepidinem orificio saxeo, et ferreis instrumentis ad extrahendam aquam accommodavit, ejusque testudinem lateritio pavimento desuper stravit, benefactorem indicant Ferdinandi Henrique a Rivera, Alcalani Ducis insignia, Orificii summam tribuit in expensas fundi, quae ejus beneficia, et alios fautores fusius profitetur Lucas in Epistola nuncupatoria tomi tertii Annalium, quem titulo gratitudinis dedicavit huic Principi, tunc utriusque Siciliae Proregi.

Impluvium praeterea, quod supra horti stagnum constructum dixi, ne stillicidium fornices penetraret, laevigatis lateribus complanavit; apertum illius umbilicum, per quod aqua in stagnum diffluit ovali muro cinxit, cui pectoretenus inniti possunt, qui in subjectum stagnum prospicere volunt, totumque solarii latus, quo hortum versus apertum est pectorali muro clausit, et pensilibus hortulis adornavit; stagnum ipsum inferius eadem opera qua cisternam, et porticum, qua cingitur, eadem qua superius Claustrum complevit, eique vicinam in separato loco construxit officinam fullonicam, in qua per aquam ultro adfluentem eluuntur vestes Religiosorum. Sacrarium illius temporis quod nunc amplioris sacrarii primos ingressus excipiendis adventantium Sacerdotum confessionibus, et manuum lotioni deservit, lateritio pavimento stravit, testudinem et parietes scalpro purgari, arenato et albario poliri fecit. Denique, totius hujus inferioris structurae fenestras, omnes quatuor valvarum latas, per quas noctivagi fures seu reptu, seu portatilium scalarum usu penetrare possent, ferreis cancellis exterius obstruxit, perlucidoque vitro, et ligneis valvis interius conclusit.

Hinc superiorem domus contignationem, seu dormitorium, cubiculis aliquot, aliaqua necessaria officina et aperto in templum oratorio adauxit, in quo principum Oratores, et Romani Proceres, Cardinales, Praelati, qui ad Lucam frequenter adventabant, sacrificiis, quae in templo offeruntur secreto interesse possent. Post haec toto tecto prioris aedificii dejecto, tertiam contignationem superstruxit, cujus ea pars, quae plateam respicit, constat Bibliotheca, qua hactenus utimur, cum suo procestrio, archivo scripturarum, et vicino cubiculo, in quo haec scribens habito, omnibus amplis, ac delitiosi prospectus cubiculis, Cardinalis Treji pecuniis absolutis. Alteram alam huic adversam occupat nostrum vestiarium Petri Pavonii sumptibus erectum, cum aliquot minoribus cellis, et alia majori in qua Lucas ipse vivebat et mortuus est. Tertia, quae in harum medio transversa majusculae notae aspirationis formam cum illis effecit, cursus est cum uno cubiculo habitabili, officina sutoria, et descensu scalarum, quae in inferius dormitorium ducunt. Supremum autem hoc aedificium duobus brachiis templum versus complectitur supremam fornicem peristylii, quam Lucas coetis quadratisque, lateribus, ad ambulationis usum, ac dimittendos in cisternae compluvium imbres bis operuit, totumque intermedii vacui circuitum ferreis clatheris ad pectus altis circumcinxit; Bibliothecam deinde, et subjecta cubicula ruinam minitantia, ducto ab imis fundamento antemurali confirmavit.

CAP. VIII (LIV).

Quid in aedificio secundi Claustri.

Atque haec omnia oportuit Lucam facere, ut inchoatum illud parvumque hospitium suorum Collegialium Fratrum habitationi, et sacris litterariisque exercitiis aptum efficeret. Crescebat interea Collegium eo usque, quod in decem palmorum cellulis habitarent Fratres bini ternique, quando Emmanuel a Mourâ Lumiarium Comes et Marchio Castri Roderici, vir civili prudentia, nec minus magnificentia et auctoritate quam justitia et pietate illustris, Romam appulit, a Philippo IV. Hispaniarum Rege ad Urbanum VII. Pontificem destinatus Orator: qui cum pro sua benevolentia, et praedecessorum successorumque Oratorum consuetudine Lucam nostrum domi inviseret, et Coenobium universum perlustrans conspiceret, tot animas aura patriae saluberrima nutritas, in Romano caumate tam anguste constringi, ut vix unus halitum emittere posset, quin alius eumdem inhauriret, tanto incommodo compassus nullius rogatu nutuve, sed propriae pietatis impulsu, statim jussit excavari novi operis fun-

damenta, profundissimas fossas solida materia replevit, criptas aliquot concameratas, aperto ad horti planum ingressu et fenestris, construxit quarum fornices continuum pavimentum praestant superstructis officinis, amplae culinae, aulae capitulari, triclinii 50, Fratrum regulari ritu accumbentium capacis, atque huic annexae cellae penuariae.

Supra haec erexit dormitorium seu cursum concameratorum bini ordinis cubiculorum, numero undeviginti, quorum interior series lapideis columnis suspensa, novi peristylii integro lateri, et alterius lateris initio arcuatum tectum exhibet. Voluit vero Marchio dormitorium altera concameratione in altum duplicare et hanc iterum plano tecto pro studentium deambulatione, et prospectu coronare: sed Lucas apud se reputans, nec necessaria tot cubicula et superbum fore tam longum latum altumque solarium, rogavit Marchionem ut paupertatis nostrae humilitatisque memor, magnificentiam suam his terminis arctari sineret, et aedificandi finem faceret. Ille tamen interim majus illud cubiculum, in quo Lucam habitasse dixi superius, construxit, et retro totum aedificium, sed aliquot passibus dissitum aliud a fundamentis erexit cujus inferiora spatia parietibus discriminata, cum adjuncto hortulo, variis valetudinarii usibus inserviunt.

Superior pars ita secretae necessitati Fratrum accommodata est ut ipsi dormitorio, structili fonte, desuper arcuato conjuncta, commodissimum habeat accessum, absque incommodis quae alibi quandoque sentiuntur. Majoris quoque fabricae murum sic usque ad horti finem produxit, ut ea partis montis clivum suspendat, et plenam aream superius efficiat, quae medicis herbis pro infirmorum Fratrum valetudine curanda conseritur. Majoris quoque horti descensum latis viginti graduum scalis ex Tiburtino lapide commodum nobis reddidit.

Porro qua mente, qua promptitudine, qua liberalitate haec et alia nobis praestiterit singularis hic benefactor, Lucas ipse, benefactoribus suis ubique gratissimus, in epistola, per quam quartum Annalium tomum dedicavit Marchioni, melius quam ego meis possem hujusmodi suis verbis declaravit. *Qualis illa et quam effusa in aedem hanc nostram liberalitas? quam frequentes rerum suppetiae, quam continuum nostrae indigentiae levamen? quam familiaris denique, et paternus ad nos accessus? Multis aureorum millibus domum capacissimam adjecisti, adjectam ornasti, ornatam tuo fovisti patrocinio pulchrius et nobilius hoc beneficium, quod nulla fuerit dilatione suspensum, nullis precibus redemptum, nullis meritis comparatum. Pio in gentem Hibernam studio, et summa in me benevolentia accessisti, visurus a patria exules propter fidem orthodoxam extorres: vidisti in parvo nidulo compressos et confestim nullo rogante, nullo movente, jussisti dilatari spatia, habitaculum ampliari, et quibus dolebas domum esse angustam, profusis fecisti sumptibus augustam.*

Quemadmodum sol non expectat preces et praestigias ut exoriatur, sed illico fulget, ita neque tu expectaveras preces neque plausus, ut commodares; sed sponte inconvulsos et alienigenas radios sparsisti tuae beneficentiae. Pietate plenum, dixit Senator ille Romanus, peregrinam gentem publicis beneficiis obligare, et non tantum Compatriotas ad substantiae lucra admittere, quantum quoque ipsos advenas invitare. Vicisti, Domine, vicisti; quid enim te dignum reddere, aut qua facultate beneficium tot pulchris notis distinctum liceat compensare? Vicisti et triumphum auxisti. Statuisti ut munus tuum penes nos totum remaneret, nec quidpiam ad te rediret: ipsum grati animi testimonium vetuisti adhiberi. Volui candido marmori candidam mentem, et beneficii memoriam committere, et nobilissima stemmata operis fronte explicare, quibus et ingratitudinis notam repellerem, et honoris incrementum adveherem dum tui esse videremur. Prorsus noluisti, sed pie succensens dixisti: Nolo tanti emere inanis gloriolae auram et vanum hominum applausum; caduca sunt ista et peritura, sempiterna appeto, et solidiora praemia; his subtractis nollem mihi exprobraret justissimus retributor: Jam recepisti mercedem tuam. O christianam vocem! O aequam mundanarum coelestiumque rerum aestimationem! Nemo non gaudet beneficium suum latius patere: ferme omnes, non tam benefacere delectat, quam videri benefecisse. Tu beneficia tua vis nota solis quibus prosunt, et ei dumtaxat manifesta, quem celare non potes qui occulta videt in abscondito, qui tam liberaliter beneficia compensat, quam secreto cernit esse collata. Absconde tamen quantum liceat silentio, et tenebris

involve quantum libeat, res ipsa nobis tacentibus loquetur, ipsa se extollet et propalabit authorem. Plures quam putas, obligasti: nobis continuo augmento adventant alii et perpetua successione, longo tractu beneficium cum suo auctore transibit ad posteros. In te speciosum est, quod celes: in me turpe, si taceam. Inficiandi genus est silentium, ignosce, ne videar ingratus, non furtive non in angulo, non in aurem, sed in concione admotis arbitris debitum agnoscam. Permitte itaque ut loquar; noli me hac injuria premere, ut vivam et moriar ingratus. Admitte exiguum hoc munusculum perpetui obsequii sacramentum, non accepti muneris pretium, ut me devinctum liberem, sed, pignus ut obstringam. Haec Lucas de Marchionis erga nos affectu et munificentia. Justum tamen existimans, ut obligationis nostrae diuturnum aliquod monumentum extaret, fecit, quod omnium maxime peroptabat pius heros, ut essent continua precum suffragia, quae ne oblivione vel posterorum ignorantia ommitterentur, Lucas duratura petitione semel exegit, incisa marmori supra portam Refectorii interius hac rei memoria.

HUJUS · COENACULI · AUTHORI
PERPETUAE · ORATIONIS
MOMUMENTUM · FRATRES
PP.
ANNO · DOMINI · MDCXXXIII.

In Cubiculorum autem singulis a fronte ingredientium collocati sunt lapides his et similibus memoriae stimulis incisi:

Frater, coelum impetra cellae largitori.
Frater, ora in abscondito pro publico benefactore.
Frater, qui cellam extruxit, tuas preces reposcit.

Deinde communibus aliorum eleemosynis, alterum illud inferioris, claustri latus per Marchionem inchoatum, duorum arcuum peristyli spatio produxit, in quo scalam peperimi lapidis aedificavit, qua ex dormitorio in claustrum per gradus triginta quatuor quadrato flexu descenditur, et sub illa statuit officinam fabri lignarii, superius autem ad dextram latus descendentis unum cubiculum, et ex altera parte supra claustrum, aliam cameram duarum mensura protensam, in qua deinde valetudinarii pharmacopaejam collocavit. Tertium peristylii latus, seu porticum claustri, quae e regione prioris a sacello S. Francisci ad portam aulae capitularis extenditur, integram a fundamentis exstruxit, ejusque fornicem superius quadratorum laterum subdiali pavimento contexit, et murulo ad genua elevato praeclusit. Quarto demum latere conclusurus peristylium retro summum templi sacellum, erexit scalarum gradus triginta tres, per quos ex infimo claustro reflexo ducta in illud subdiale claustri solarium scanditur, inchoatis etiam illis, qui in futuram olim bibliothecam sursum ducerent. Pene scalas autem interius, aulam scholasticis lectionibus destinatam, ac desuper quatuor cubicula suis testudinibus concamerata construxit, donec ampliorem aulam pro theologicis lectionibus, et publicis etiam disputationibus decentius, et majori sacrorum reverentia, quam in templo habendis, et desuper illam ampliorem bibliothecam secretiorum scripturarum archivo per benefactorum liberalitatem aedificare posset. Fecit autem postmodum altissima hujus operis fundamenta, eaque qua lata, qua longa aula est crassa testudine junxit, et erecta terra, excavavit, ut siccius foret aulae pavimentum et ut terrae humore situque non facile sordesceret. Atque haec ultima ipsius in Collegio fabrica fuit, quam post ejus mortem diversorum largitionibus et communibus eleemosynis continuavit qui Guardianus officio sub ipsius morte fungebatur R. P. Joannes Jecslenanus, adjuncta ea parte claustri ac dormitorii, quae scholae majoris, et bibliothecae muro inititur erectisque ac tectis ipsis harum parietibus, qui adhuc, dum haec scribimus, rudes et imperfecti remanent, ea quoque parte nondum elevata, in qua archivum et bibliothecae procestrium atque scala in hoc sursum ducens construenda sunt.

IV.

BIBLIOGRAPHIA

—

ANONYMUS Cust. T. S. — Gesù al Cuore del Giovine, ossia breve raccolta di Meditazioni e preghiere. Gerusalemme, Tipografia dei PP. Francescani 1889. In-32 Pag. 511.

Anonymus, Cust. T. S. — Guida del Pellegrino divoto in Terra Santa. Terza edizione. Gerusalemme, Tipografia dei PP. Francescani 1890. In-16. Pag. 210.

P. Bernardino da Carasco, M. O. — Introduzione allo studio della lingua Latina del P. Bernardino da Carasco. Minore Oss. di Terra Santa. Gerusalemme, Tipografia dei PP. Francescani 1890. In-16. Pag. 116.

Conradus (P.) Eubel, Min. Conv., — Doctor S. Theol. Universitatis Herbipolensis, p. t. Poenitentiarius apost. in basilica Vaticana ad S. Petrum de Urbe (idem auctor est operis quod inscribitur: *Geschichte der oberdeutschen (Strassburger Minoritenprovinz)*.

1. Registrum fr. Bentevengae ex Ord. Min. Cardinalis et Poenitentiarii majoris: continens 61 documenta rem poenitentiariam illustrantia ex annis 1279-1289.

2. Necnon Elenchum Episcoporum, Cardinalium, Summorumque Pontificum ex Ord. Min., ab exordio ejusdem usque ad annum 1305; illud quidem in folio periodico: *« Archiv für Katholisches Kirchenrecht »*, f. LXIV, hunc vero in simili folio, cui titulus est: *« Römische Quartalschrift », t. IV*. Vel completius: Römische Quartalschrift für Christliche Alterthumskunde und für Kirchengeschichte unter Mitwirkung von Fachgenossen herausgegeben von D.r A. de Waal, Rector des Collegiums von Campo Santo. Dritter Jahrgang. Erstes Heft. Mit III Tafeln in Heliotypie. Rom 1889. In Commission der Herder' schen Verlagshandlung zu Freiburg im Breisgau, und der Buchhandlung Spithöver zu Rom.

1. P. Dominique Werson, Min. Rec. — Grammaire Française par le P. Dominique Werson, Franciscain de Terre Sainte, Missionnaire Apostolique. 2.e édition revue et augmentée. Jérusalem, Typographie des PP. Franciscains, 1889. In-16. Pag. 53.

2. Grammaire Française par le P. Dominique Werson, Franciscain de Terre Sainte, Missionnaire Apostolique, traduite en Arabe. 2.e Edition revue et augmentée. Jérusalem, Typographie des PP. Franciscains, 1889.

Francesco Prudenzano. — Francesco d' Assisi e il suo secolo, considerato in relazione con la politica, cogli svolgimenti del pensiero e colla civiltà. Studi di Francesco Prudenzano, ottava edizione, riveduta dall' Autore. Napoli, Tipografia di R. Rinaldi e G. Sellitto. Via Forcella, Palazzo Municipale. 1890. In-8.° pag. 400. *(Invenitur etiam apud Curiam Generalem pro pretio Lib. 3)*.

P. Gaudenzio di Matelica, M. O. — Introduzione allo studio della Lingua Araba del P. Gaudenzio di Matelica, Francescano dell alma Osservante Provincia Picena e Miss. Apost. di Terra Santa ad utilità dei giovani PP. Missionari della Francescana Custodia di Terra Santa. Terza edizione, corretta ed aumentata dall' autore. Gerusalemme, tip. dei PP. Francescani 1887. In-8, pag. 190.

P. Hyacinthus a Belmonte, Min. Cap. — Discorsi Religiosi per i tempi che corrono, del Padre Giacinto da Belmonte, Def. Gen. Cappuccino e Cons. dell' Indice. Roma, tip. S. Lucentini via Sistina, 135. 1889. 2 vol. in-16, pag. 490, et 486. Pretium L. 5.

Josephus Hermo, M. O. — Guía del Peregrino en Tierra Santa ó sea reseña religioso historica de la Palestina con dos apéndices al fin, obra escrita por el P. Fr. José M.a Hermo O. M. del Colegio de Santiago en España y Misionero de Tierra Santa. Jerusalén, tip. de los PP. Franciscanos. 1889. In-16, pag. 373-XCV-102.

P. Leone d'Aleppo, M. O. — Elementi di Lingua Araba, pel P. Leone d'Aleppo, M. O. parte prima. Gerusalemme, tip. dei PP. Francescani, 1889. In-16, pag. 63.

Stephanus Schoutens, Min. Rec. — Levensschets van den Eerw. Pater Thyssen, Minderbroeder Recollect von het voormalig Klooster te Antwerpen door P. Fr. Stephanus Schoutens, minderbroeder.

P. Fr. Stephanus Schoutens, Min. Recoll. in Belgio. — Vita R. P. Thyssen, Min. Recoll., Conventus Antuerpien.

V.

NECROLOGIA

P. Gabrieli Vicini terra natalis fuit Sabinianum Romandiolae et Ariminensis dioecesis haud ignobile oppidum. Ortum nactus inibi die 11 Martii 1811 ad Rubiconem vitam adhuc agentibus Julio Perticari, Hieronymo Amati, Bartholomaeo Borghesi, Nardi Aloysio conterraneis clarissimis; atque studia auspicatus, cum Rectoris munere fungebatur Joseph Ignatius Montanari, vir quaquaversus celebratus, dictu mirabile est, qua diligentia, quove ardore institerit ut amoeniores disceret litteras. Ingenio feraci praeditus, tenaci memoria et criterio consono, brevi condiscipulos diligentiores aequavit, peritiores anteivit adeo ut doctus Professor laeto sub pectore volvens saepe imitandum proposuerit. Inter Franciscales Observantis Provinciae Bononiensis adscriptus die 25 Novembris 1829 postque probationis annum Buxetum prius, Ferrariam inde adire jussus ut scientias scitu utiles et necessarias compararet, illic Philosophiae navavit operam, heic Theologiae dogmaticae et Morali, et quum nulli inferior existeret, sacerdotio initiatus sacrum primitus Deo obtulit Ferrariae ad S. Spiritum, redeuntibus anno 1833 solemniis Natalis Domini. Litteris et scientiis egregie imbutus cathedram conscendere quivisset doctorali laurea redimita fronte ac seraphicam juventutem naviter edocere scientias vel saltem amoenas litteras, si qui studiis preaerant uberius excitassent, minusque indulsisset ipse poesi et satyrae potissimum. Ipse e contra maluit litteras colere, sibique relictus verbi Dei praedicationi insistere. Qua orator pluribi laudabiliter concionatus est, nec ulla fuit Romandiolae civitas vel insignis terra, in qua concionatus non fuerit. Qua litteraturae cultor autem multa scripsit ediditque soluta oratione vel versu, quae si in unum colligerentur, poetam et oratorem eximium fuisse fateretur quisque, qui litteras vix a limine salutasset. Et licet pluribus annis functus fuerit Cappellani munere in ergastulo Foroliviensi, ut consanguineis suis et nepotibus prodesset, nusquam tamen studio et calamo pepercit. Inter alia quae pedetentim scripsit sparsimque edidit, sequentia nobis innotescunt:

1854. *Gli Angeli nella Immac. Concezione di Maria.* Terzine. Bologna nelle letture cattoliche.

1856. *Componimenti Poetici* (Dialoghi XX) *sul S. Natale, recitabili da fanciulle.* Forlì, Tip. Casali fasc. 1. disp. 124. in 8.

1868. *Alla bell' anima di S. Maria Clotilde Fourvier de Romanis. Ricordo delle Alunne.* Canzone. Ferrara, Tipogr. Taddei pag. 14 in 8.

1871. *Necrologia di Donna Beatrice Manfredini Benedettina.* Ferrara, Tip. Taddei pag. 11. in 12°.

1874. *Nel sesto Centen. del Seraf. Dottore S. Bonaventura.* Poesie. Carpi, Tipogr. Comunale.

1875. *Osservazioni filologiche intorno a 220 parole giudicate improprie da Federico Balsimelli.* Forlì, Tipogr. Bordandini pag. 116 in 12.

1880. *Scoto e l' Immacolata,* Carme recitato all' Accademia in Bologna. Forlì Stab. Tip. Croppi pag. 12 in 8.

1882. *L' Idiota Romagnolo, Dialoghi a difesa de' Promessi Sposi* di Aless. Manzoni. Forlì, Stab. Croppi, un fascic. di pag. 170 in 12°.

1884. *Risposta dell' Idiota Romagnolo a Cesarino e Sozi Censori degl' Inni di Aless. Manzoni.* Forlì, Stab. Tip. Croppi di pag. 138 in 12°.

1887. *Omaggio de' Minori Oss. a Mons. Domenico Svampa nel suo ingresso alla Sede Vescovile Forlivese,* Forlì, Stab. Croppi pag. 8 in 12°.

1887. *Omaggio dell' Oss. Provincia di Bologna, a Leone XIII. nel suo Giubileo Sacerdotale,* Parma, Tip. SS. Annunziata pag. 8. in 8°.

Ut legenti patet nedum eruditus, sed Vicinius noster erat quoque profundus philologus et nitidus poeta. Tanti fiebant ejus animadversiones et censurae ut doctiores consulerent saepe, audaces silentio adicerentur, et nonnullis *terribilis coenobitae* titulo condecorare placuerit quia obsistere et respondere nescii (1). Quamvis septuagenarius diu noctuque elaborabat ut in unum colligeret et in lucem proferret quae poetice vel soluta oratione exaraverat: apoplexi e contra correptus calendis Aprilis 1889, die 4 ejusdem mensis functus est, Sacramentis cunctis pridie refectus et vitam explevit in coenobio Foroliviensi, qua in civitate vitam claustralem pene totam vixerat.

(1) Forolivio commoranti plures ei fuerunt discipuli et cultores et aliquamdiu amoenas litteras utiliter tradidit alumnis faeminei collegii franciscalis, cui Sorores praesunt Tertiariae. Litteratorum amicitia fuit honestatus et etiam adlectus sodalis quorumdam Academiarum.

Nihil obstat.

Fr. Aloysius, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

S. INQUISITIONIS PRAECEPTIO QUOAD CLERICOS DELECTU MILITARI COMPULSOS.

Suprema, cui a S. Officio nomen est, Congregatio, de mandato sibi a SSmo Patre funestae Legis de militari delectu ab Italico Dominatu nuper promulgatae examine quatenus ea Clericos attingit, sacris ordinibus initiandos, postquam ad hanc rem sedulo animum intenderet in comitiis Feria V, Loc. IV die IX Septembris hoc anno MDCCCLXXV habitis, eo consilio percita ut, quoad ejus fieri possit contra innumeras, quae aggeruntur, difficultates, eorum Clericorum promotionem, qui omnibus per sacros canones praescriptis conditionibus rite praediti sunt, facilem reddat, et ii arceantur, qui, postquam stipendia fecerint, certam cautionem haud exhibent se in bonos utilesque Presbyteros evasuros; opportunum judicavit Rmis Dioecesium Italicarum Episcopis regulas quasdam, praeceptiones et documenta praebere, quae variis possibilibus eventis applicari possunt; quaeque omnes consequentibus articulis comprehenduntur.

1. Quoad illos ecclesiasticos alumnos, qui ad primam categoriam, per summum infortunium, pertinent, nec sperare possunt fore, ut a militia subeunda quandoque eximantur, nec, deficiente pecunia, per annum voluntariae

ISTRUZIONE SUI CHIERICI COLPITI DALLA LEVA MILITARE.

La Suprema Congregazione del S. Offizio incaricata da Sua Santità dell'esame della nuova infausta legge sul reclutamento, testè promulgato dal Governo Italiano, in rapporto alla promozione dei Chierici agli Ordini sacri, dopo aver portato la sua attenzione su tale argomento nell'adunanza della feria V, loco IV 9 del corrente Settembre 1875....., guidata dall'intendimento di agevolare, per quanto è possibile, a traverso alle molte difficoltà che si oppongono, la promozione dei chierici che sono forniti dei requisiti voluti dai ss. Canoni, e tenere lontani quelli, che avendo subìto il servizio militare, non offrono garanzie sufficienti di buona riuscita, ha riconosciuto espediente di additare ai reverendissimi Ordinarii delle Diocesi d'Italia alcune norme, cautele e prescrizioni applicabili alle varie evenienze, che tutte si compendiano nei seguenti articoli:

1. Per quegli alunni ecclesiastici, i quali hanno la sventura di appartenere alla prima categoria e non possono sperare di essere riformati; nè possono ottare per mancanza di mezzi al volontariato di un anno, la promo-

militiae nomen dare, eorumdem ad sacros ordines promotio omnino differatur oportet, quousque tribus aut quinque annis stipendia milites conscripti fecerint, praeviis quidem divinae vocationis indubiis argumentis.

2. Neutiquam expedire videtur peculiaribus in casibus invocare, gratiae loco, anni XXVI dilationem ad subeundam sive voluntariam unius anni, sive coactam trium annorum militiam eorum exemplo, quos legis articuli VII, VIII, IX memorant; eo quidem consilio ut studia compleantur, et sacri recipiantur Ordines; quia, etsi hujusmodi petitiones fortasse exciperentur, funesta tamen atque irreparabilia exinde incommoda cum Ecclesiae, tum vero etiam Alumnis ipsis consequi possent, si forte contingeret, eos, quo tempore stipendia faciunt, divinam, ut ajunt, vocationem amittere atque in nequitiam erroremve abduci.

3. Utilis videtur militiam uno anno sponte subeundam assentiri. Ad quem scopum Rmi Episcopi piam sive inter Clericos, sive inter Laicos catholicos societatem, cui iidem Episcopi praeerunt, suis in Dioecesibus instituendam promovendamque curabunt; cujus largitionibus statutum a Principe pretium vel ex integro, vel ex parte pro varia Alumnorum conditione, solvi possit, atque iisdem voluntariae militiae tempore opitulari.

4. Hoc beneficium nihilominus in illos tantummodo Alumnos conferri deberet, qui cum ob bonam ipsorum indolem, tum vero etiam ob morigeras anteactae vitae rationes spem firmissimam praebent, toto voluntariae militiae tempore in sancto proposito perstituros, atque ideo ecclesiasticae vitae curriculum deinceps prosequuturos: ne cujus forte desidia foveatur, ac frustra pro quopiam prodigetur piorum liberalitas, qui a triennali militia abhorrens, elapso voluntariae militiae anno, ab ecclesiasticae vitae proposito, divinae vocationis defectum praetexens, abscederet.

5. Alumni, qui ob quaslibet corporis pravitates a militia subeunda excluduntur, ad sacros Ordines promoveri poterunt, etiam intra biennium, quo alteri militaris delectus consilio obnoxii sunt; dummodo ejusmodi sit ea pravitas, ut dubitari nullo modo possit, praecedens exclusionis judicium fore revocandum.

zione agli Ordini sacri è una necessità, che sia differita fin dopo compiuto il servizio attivo di tre o cinque anni, e previi indubbii argomenti di vocazione ed idoneità.

2. Nè si ravviserebbe espediente invocare nei casi particolari, in via di grazia, la dilazione dell'anno 26 per subire il volontariato di un anno, o il servizio triennale, sull'esempio degli individui contemplati dalla legge negli articoli 7 a 9, nell'intendimento di compiere gli studi e ricevere gli Ordini sacri: poichè seppure venissero ammesse tali domande, potrebbero seguirne conseguenze disastrose ed irreparabili alla Chiesa ed agli individui stessi, qualora avvenisse, che durante il servizio militare perdessero la vocazione e si pervertissero.

3. Più utile sembra favorire il volontariato d'un anno. Al quale effetto i reverendissimi Vescovi procureranno promuovere nelle loro diocesi una pia associazione fra il clero e laicato cattolico da essi presieduta, colle di cui elargizioni possa sopperirsi o in tutto o in parte a seconda della condizione degli alunni, alla tassa richiesta dal governo, ed anche sovvenirli durante il volontariato.

4. A questo beneficio dovrebbero ammettersi quegli alunni solamente, i quali per la loro indole e per la loro antecedente condotta, offrono fondatissima speranza, che si manterranno nella vocazione, nonostante l'anno di volontariato, e che quindi proseguiranno la carriera ecclesiastica; potendo altrimenti fomentarsi l'infingardaggine, e profondersi inutilmente una liberalità verso di chi non amasse sostenere il servizio triennale, e quindi compiuto l'anno di volontariato si ritirasse dalla carriera ecclesiastica, allegando mancanza di vocazione.

5. Quegli alunni che per difetti fisici cadono sotto riforma, potranno essere promossi ai ss. Ordini anche entro il biennio, in cui possono essere sottoposti ad altro consiglio di leva, qualora il difetto sia di tal natura, da non potersi dubitare, che venga revocato il precedente giudizio di riforma.

6. Firma tamen atque immota manent, quae per sacros Canones sancita sunt, quoad illos qui corporis pravitatibus laborant irregularitatem, quam vocant, inducentibus; pro quibus Romani Pontificis singulis in casibus dispensatio imploranda est.

7. Ampliores profecto cautiones quoad eos juvenes clericos adhibendae sunt, qui stipendia tribus aut quinque annis coacti milites fecerunt, ac dein ecclesiasticum habitum vitamque iterum suscepturi se sistunt. Criteria in iisdem admittendis haec esse poterunt: — *a)* Divina ad ecclesiasticum statum vocatio, jam satis ante comprobata; — *b)* Commendabilis vitae ratio toto militiae tempore constanter servata; — *c)* Firmum animi propositum, statim ac domum reversi fuerint, ecclesiasticum habitum vitamque iterum suscipiendi.

8. At vero ut moralis certitudo habeatur de bonis animi dispositionibus, quas juniores Clerici inter arma, et contuberniorum pericula servarint, Rmi Episcopi sollertissimam navabunt operam, iis omnibus adminiculis utentes quae haud paucas occurrentes difficultates, sin minus superare, minuere saltem valeant: quorum aliqua heic subjecta suggeruntur:

a) Iis juvenibus, qui cum firmo animi proposito discedunt in sancta vocatione constanter persistendi, praeter salutaria monita, ut spiritum, Religionis officia quoad fieri poterit, frequentando, librosque ecclesiasticos, praesertim vero Kempisianum De imitatione Christi perlegendo, excolant atque conservent, obligatio imponenda esset, si opus sit, etiam scripto tradita, proprium Episcopum certiorem continenter faciendi de locis ubi identidem cum militiae sociis diutius constituri sint, ut eosdem localis Episcopi vigilantiae, charitati ac prudentiae commendare, atque ab ipso opportunas de illis cognitiones accipere possit, adscito adjutore ibi aliquo probo viro ecclesiastico, vel etiam laico, ex iis praesertim, qui Societati a contribuenda pecunia pro solutione vectigalis voluntariis militibus impositi, de quo supra in Art. 3, nomen dederint. Haec tutelae species necessaria, nedum valde utilis, reputatur; nec Rmis Episcopis adeo grave videatur hujusmodi officium sibi mutuo exhibere.

b) Si de quorum moribus satis aequae relationes habitae fuerint, domum reversi in

6. Rimangono tuttavia ferme le prescrizioni dei ss. Canoni in ordine a quelli che presentano difetti inducenti irregolarità, pei quali deve implorarsi nei singoli casi la dispensa Pontificia.

7. Maggiori cautele richieggonsi per quei giovani chierici i quali hanno dovuto subire il servizio attivo di tre o cinque anni e quindi si presentano per riassumere la carriera ecclesiastica. I criteri per la loro ammissione potrebbero essere: — *a)* La vocazione allo stato ecclesiastico abbastanza dimostrata in antecedenza; — *b)* La condotta da essi tenuta durante il servizio militare; — *c)* Il fermo proposito di riassumere la carriera ecclesiastica, tornati che siano nelle loro case.

8. Ma per avere una certezza morale sulle buone disposizioni conservate dai giovani chierici in mezzo alle armi e fra i pericoli delle caserme, i reverendissimi Vescovi non risparmieranno il loro zelo ed operosità, usando tutti quei mezzi valevoli, se non a superare almeno a diminuire le difficoltà che si frappongono; e fra i varî, si suggeriscono i seguenti:

a) A quei giovani che partono col proposito di mantenersi nella loro vocazione, oltre ai salutari ammonimenti a conservare lo spirito mediante la possibile frequenza delle pratiche religiose e la lettura dei libri ecclesiastici, non escluso il da Kempis *De imitatione Christi,* dovrebbe imporsi l'obbligo, se occorre anche in iscritto, di tenere sempre informato il proprio Vescovo intorno ai luoghi ove essi saranno di guarnigione, per raccomandarli alla sorveglianza, carità e consigli dell'Ordinario locale, ed avere da esso opportune informazioni, mediante la cooperazione di qualche buono ecclesiastico, od anche laico, fra quelli segnatamente che saranno ascritti alla pia Associazione pel contributo alla tassa del volontariato, di cui all'art. 3. Questa specie di tutela reputasi necessaria ed oltremodo proficua; ed i reverendissimi Vescovi non dovrebbero avere a grave di prestarsi a questo scambievole officio.

b) Quelli a di cui favore risultassero informazioni soddisfacenti, potranno al loro ri-

Clericorum numerum denuo admitti poterunt, at vero non ita facile ad sacros Ordines; prius enim haud dubia divinae vocationis argumenta exigenda forent, imposita iisdem Clericis mora unius alteriusve anni in aliquo ecclesiastico Collegio, aut in ipso Seminario, disjunctim tamen ab Alumnis; et ubi hujusmodi loca desint, eos regimini ac solerti vigilantiae alicujus probi, docti et prudentis Presbyteri subjicere praestat; ut in ipsis juvenibus spiritus ecclesiasticus reviviscat, vitiaque corrigantur, quae quantumlibet cauti fuerint, summopere difficile est, eos in militiae exercitio nequaquam contraxisse.

torno essere riammessi allo stato clericale, ma non così facilmente agli ordini sacri; mentre prima dovrebbero esigersi sufficienti prove di loro vocazione, mediante la dimora di qualche anno in qualche convitto ecclesiastico o nel seminario, separatamente però dagli alunni, ed ove sia difetto di tali luoghi, sottoporli alla direzione e sorveglianza attiva di qualche pio, dotto e discreto sacerdote, per far rivivere in essi lo spirito ecclesiastico, e correggere quei difetti, che per quanto si voglia, è assai difficile che non abbiano contratto nella milizia.

c) Denique major aut minor sacrorum Ministrorum in unaquaque Dioecesi necessitas criterium esse deberet in eorumdem ad sacros ordines promotione facilius vel difficilius perficienda, ne quando uncti DOMINI, ingruente bello, ad militiam plus minusve diutinam, pro variis cathegoriis in quibus conscripti sunt, cum iis, quae exinde consequi solent, affatim funestis incommodis, denuo subeundam cogantur.

c) Infine la maggiore o minore necessità di ministri dovrebbe essere il movente a facilitare più o meno la promozione dei medesimi agli Ordini sacri, per non esporre gli unti del SIGNORE a riassumere il servizio militare più o meno attivo, a seconda delle diverse categorie, alla evenienza di una guerra, e subire pure le conseguenze funeste della medesima.

9. Easdem ob causas haud leviores exiguntur cautiones in Beneficiis, seu canonicatibus cathedralium, conferendis, theologali praesertim, poenitentiario et parochiali: quorum postremi in eos tantummodo conferri deberent, extremae casu necessitatis excepto, qui militari delectui jam amplius obnoxii non sunt, utpote qui trigesimum nonum aetatis suae annum sunt transgressi: quod quidem tamquam axioma firmissimum profecto esset in praxi adoptandum.

9. Per gli stessi riguardi, non minori cautele si esigono nella collazione dei beneficii, ossia dei canonicati della Cattedrale, e segnatamente Teologale, Penitenziaria e Parrocchiali. Di questi ultimi, tranne il caso di assoluta necessità, dovrebbe adottarsi per massima la collazione fra quelli solamente che sono esenti da ogni servizio militare per aver varcato il 39 anno di loro età.

10. Ad hoc consilium actu facilius reddendum, laude dignum esset atque utile, per Rmos Episcopos ecclesiasticas, ut ajunt, vocationes in adultis juvenibus ab omni prorsus militiae iterum quandoque subeundae periculo exemptis, sedulo promoveri, sive illos in Seminariis, sejunctim quidem ab alumnis, ad sacrum ministerium educando, sive alio quovis modo, quem ad felicem exitum obtinendum opportunum judicabunt.

10. Ad agevolare tale intendimento sarebbe cosa lodevole ed utile, se i reverendissimi Vescovi si adoperassero col loro zelo a promuovere le vocazioni, nei giovani adulti esenti da ogni pericolo di divenire militari, educandoli al sacro ministero nel Seminario, separatamente dagli alunni, od in altra guisa che stimeranno acconcia alla buona riuscita.

11. Si quando vero Parochias ceteraque ecclesiastica Beneficia iis sacerdotibus, qui etsi juxta cathegorias ad quas pertinent, militiae cursum jam expleverint, civili tamen lege ad arma iterum capessenda, urgente bello, obli-

11. Qualora poi la necessità obbligasse a conferire le Parrocchie od altri officii ecclesiastici a sacerdoti, che ad onta di avere in antecedenza esaurito il servizio militare a seconda delle categorie a cui appartengono, sono

gentur, conferenda, forte necessitas cogeret, prudenti Rmorum Episcoporum consilio committitur specialibus, in iisdem conferendis, cautionibus uti, virum in Beneficii possessionem immissum hisce in casibus amovibilem declarando; aut saltem illum prudenter adigendo ut conditioni adstipuletur, portionem reddituum atque proventuum Beneficii parochialis, juxta prudens proprii Episcopi arbitrium, ei qui ipsius absentis vices interim gesturus sit, sponte relinquendi.

12. Eadem conditio in poenitentiarii et theologalis Canonicatus collatione exigenda foret.

13. Cum pro varia mensium ratione, aut aliis de causis, ad S. Sedem collatio spectat opportunum itidem erit, per Rmos Episcopos in Commendatitiis literis, quae dantur, conditionis, in qua versantur ii, qui ad Beneficium assequendum concurrunt, expressis verbis mentionem fieri; videlicet utrum legi militiae quandoque sebeundae sint, nec ne adhuc obnoxii.

14. Eaedem vigilantiae rationes, in Art. 8 sub lit. *a* adnotatae, quoad illos ecclesiasticos viros adhibendae essent, de quibus in Art. 11 sermo est, quoties hi imminente bello militare deberent; utque fuerint a militia domum reversi, per statos dies piis Religionis officiis, quibus ecclesiasticus spiritus iterum excitetur, antequam sacrum Ministerium denuo exercendum suscipiant, operam daturi secedant oportet.

15. Iis in casibus qui hactenus commemorati sunt, Rmi Episcopi Parochos, ceterosque Beneficia ecclesiastica habentes ab assiduae, ad quam officii sui ratione cogerentur, praesentiae lege eximere poterunt; itemque Clericos et Sacerdotes ab irregularitate, in quam toto militiae tempore fortasse incidere potuerint, absolvere.

16. Si qui vero casus cum extraordinariis nec opinatis adjunctis contigerint, prudentiae erit Rmorum Episcoporum ad S. Sedem pro opportunis praeceptionibus accipiendis confugere.

C. Card. Patritius.

tuttavia vincolati dalla legge a riassumere le armi in caso di guerra, sarà della prudenza dei reverendissimi Vescovi usare delle cautele nelle collazioni; dichiarando in simili casi il provvisto amovibile; o per lo meno facendo ad esso accettare la condizione di rilasciare liberamente una porzione delle rendite e proventi del beneficio parrocchiale secondo il prudente arbitrio del proprio Vescovo, a favore di quello che interinalmente dovrebbe sostenere le veci.

12. La stessa condizione dovrebbe esigersi nella provvista della Penitenziaria e della Teologale.

13. Quando per ragione dei mesi od altri titoli, la provvista è riservata alla S. Sede, sarà pure opportuno che i reverendissimi Vescovi nelle commendatizie che rilasciano facciano espressa menzione della condizione dei concorrenti, cioè se ancora sieno oppur no soggetti alla legge militare.

14. Le stesse misure di sorveglianza notate sotto l'art. 8, lettera *a*, dovrebbero adoperarsi per gli ecclesiastici di cui l'art. 11, quante volte pel caso di guerra dovessero militare; e tornati che siano dal servizio, sarà cosa espediente che si ritirino in santi esercizi per qualche tempo, prima che riassumano il sacro ministero, onde richiamare in essi lo spirito ecclesiastico.

15. Pei casi sopra indicati i reverendissimi Vescovi potranno dispensare dalla legge di residenza i Parrochi ed altri prebendati, che vi sarebbero astretti dal loro officio, come pure dalla irregolarità pei chierici o sacerdoti che avessero potuto contrarre durante le fazioni militari.

16. Avvenendo casi con circostanze eccezionali e non previste, sarà della prudenza dei Reverendissimi Vescovi ricorrere alla S. Sede per analoghe istruzioni.

Roma, li 16 Settembre 1875.

Card. Patrizi.

II.

ACTA ORDINIS

—

MONITUM

Rmi P. Generalis

Abhinc quatuor circiter mensibus significavimus omnibus Ordinis Nostri Superioribus, absoluto Concursu Generali in S. Maria Angelorum et in S. Damiano prope Assisium, auspicaturum studiorum cursum in hoc Collegio S. Antonii Patavini de Urbe; ac ideo praefatos Superiores enixe exoravimus ut Nobis notum facerent quot et quales juvenes mittere voluerint sive pro studio passivo ordinario, sive pro cursu superiori. Modo addendum esse censemus, quod pro *sustentatione seu alimentis juvenum,* id a qualibet Provincia recipiemus *quod sponte in Collegii levamen elargietur,* manente tamen obligatione solvendi quidquid exquiritur pro indumentis et libris scholasticis, aliisque expensis extraordinariis cujuslibet studentis.

Denuo Provinciarum Superiores rogamus ut de numero et notis juvenum, quos Romam mittere judicaverint, quam citius Nos certiores reddant.

—

EPISTOLA

Rmi P. Generalis ad omnes Provinciales annuntians Indultum a Summo Pontifice concessum in proxima regulari S. Adventus quadragesima.

Rnde Pater Obsme,

Praesentibus litteris Paternitati Tuae notum facimus SS. D. N. Leonem Divina Providentia Pp. XIII etiam in proxima regulari S. Adventus quadragesima hujus anni, omnibus Religiosis utriusque sexus Nostrae jurisdictioni subjectis benigne indulsisse:

I. *Usum carnium* primis quinque cujusque hebdomadae diebus, in unica tamen comestione, vetita carnium et piscium promiscuitate in eadem refectione, et exceptis feria IV quatuor Temporum, ac vigiliis Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis, et Nativitatis D. N. Jesu Christi.

II. *Usum ovorum et lacticiniorum* in omnibus sextis feriis et Sabbatis, in unica pariter comestione, et exclusis semper diebus quatuor Temporum, ac praefatis vigiliis: nisi forte alicubi, etiam in his diebus exceptis, vigeat privilegium vel legitima consuetudo utendi ovis et lacticiniis in jejuniis ecclesiasticis: tunc enim Religiosi quoque huic indulto seu consuetudini in jejuniis Regulae sese conformare possunt *(Vid. Corduba in Expos. Regulae).*

Verumtamen hortamur hujus Apostolici Indulti favore usuros, ut, nedum piis compensationibus mortificationem Christi in corpore circumferre studeant, sed singulis quibusque sextis feriis, post mensam in communi, ut mos est, vel privatim, qui tunc sunt impediti, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum devote visitent, et sequentibus precibus, idest: *O sacrum convivium* etc., sex *Pater, Ave* et *Gloria* ac semel *Salve Regina,* divinae misericordiae, B. V. Mariae intercessione, praesentes Catholicae Religionis et Seraphici Ordinis Nostri necessitates commendent, ut gratiam et consolationem, quam P. T. et Provinciae Tibi commissae humiliter adprecamur, a Domino tandem recipere possimus.

P. T. R.

Romae, ad S. Antonium Patavinum, die 10 Septembris 1890.

Humillimus in Christo Servus
Fr. Aloysius, *Min. Glis.*

N. B. — Rmus P. Minister Generalis exoptat, ut illae Provinciae, quae ejusmodi Indulto hucusque non utebantur, etiam in posterum in sua laudabili observantia maneant.

—

CAPITULA PROVINCIALIA
hoc anno celebrata

—

XV.

Obs. Prov. Corsicae.

Die 23 Junii 1890 in Conventu S. MARIAE Gratiarum, Praeside Adm. R. P. INNOCENTIO FRANCESCANI, celebratum est Capitulum Provinciale in quo rite et canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

Adm. R. P. Petrus a Vulpaiola.

CUSTOS VOCALIS

R. P. Isidorus a S. Sabino.

DEFINITORES

Adm. R. P. Antonius a Lumio.
R. P. Baldinus a Piscia.
R. P. Basilius a Lumio.
R. P. Stephanus a Muro.

—

XVI.

Refor. Prov. S. Leopoldi in Tirolo Septent.

Die 24 Julii 1890 in Conventu Suazensi, Praesidente Adm. R. P. PLACIDO FABIANI Ref. Prov. S. Crucis Croatiae-Carnioliae Ministro Provinciali et Visitatore Generali, rite celebratum est Capitulum in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Generosus Heubacher.

CUSTOS

R. P. Joseph Maria Musch.

DEFINITORES

R. P. Martinus Lutz.
R. P. Joachim Schroffenegger.
R. P. Bartholomaeus Unterladstettër.
R. P. Victor Passagnoli.

—

XVII.

Ref. Prov. Bohemiae et Moraviae.

Die 6 Augusti 1890 in Conventu Pragensi, Praeside Adm. R. P. PETRO DUDZIAK Definitore Generali et Visitatore, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Hippolitus Philipp.

CUSTOS

R. P. Benjaminus Sirůček.

DEFINITORES

R. P. Antonius Neumeyer.
R. P. Laetus Schindler.
R. P. Agnellus Fischer.
R. P. Nicolaus Neberth.

III.
MISSIONES

—

RELATIO EX REP. PERUVIANA.

De Statu Collegii Apostolici Sanctae Rosae de Ocopa in Republica Peruviana.

REVERENDISSIME PATER,

Libentissimo animo adhaerens desiderio Paternitatis tuae ut relationem habeas de statu singularum Missionum Ordini nostro commissarum, pergratum mihi est hujus Collegii Sanctae Rosae de Ocopa statum tibi referre.

Collegium Sanctae Rosae de Ocopa, antea Hospitium missionum infidelium Provinciae duodecim Apostolorum *Limanae,* fundatum fuit anno 1717 zelo Clarissimi V. P. Francisci de Sancto Josepho, hujus almi Collegii de Ocopa. Decurrente autem anno 1824, Collegium de facto cessavit ob civile bellum (la Independencia del Peru); restitutum est autem anno 1836: ex eo tempore ad praesens usque sine vicissitudine permanet.

Sacerdotes hujus Collegii 18 numerantur; quorum quatuor in Infidelium Missionibus commorantur; duo Peruani sunt, ceteri omnes Hispani. — Clerici professi 18: Fratres Laici 8: Fratres Tertiarii 12.

Patres Missionarii quotannis exeunt ad exercitium apostolicum Sacrarum Missionum, et per unum, vel duos vel quatuor menses in-

ter fideles catecheses instruunt, Verbum Dei praedicant, et sacras audiunt Confessiones, ita quidem ut plusquam ducenta oppida visitent.

Alumni istius Collegii studiis Latini ac Quichua idiomatis, Historiae, Philosophiae, Theologiae Dogmaticae et Moralis, Mathematicae ac Juris Canonici *respective* dant operam.

In ecclesia Collegii singulis diebus Dominicis et aliis festis de praecepto catecheses fiunt, ut praescribitur in Brevi SS. Pii Papae IX: « Apostolica Sedes ». Quotannis, ante Pascha Dominicis quadragesimalibus in nostra Ecclesia praedicatur. Mense Majo fiunt exhortationes Marianae, ut mos est in Europa. Ex die 30 Julii ad diem 2 Augusti fiunt sermones sacrarum Missionum, ut fideles excitentur et apprime praeparentur ad lucrandam indulgentiam vulgo de Portiuncula. Insuper, Tertius Ordo P. N. S. Francisci extat sub directione ac visitatione Rectoris istius Collegii.

Structura Collegii providet habitationi plusquam quinquaginta Religiosorum. Separatim adest domus Novitiorum, et alia domus pro Clericis studentibus; adest etiam Bibliotheca libris necessariis instructa pro Religiosis Missionariis. Denique, sancta paupertas, in cunctis servatur, et Religiosi ex eleemosynis fidelium vivunt. Hucusque de Collegio.

De Missionibus hujus Collegii inter infideles, absente R. P. Praefecto, pauca possum dicere, idcirco brevissime absolvam.

Missiones Collegii de Ocopa anno 1631. initium habuere; quo nonnulli Fratres, Provinciae duodecim Apostolorum Limanae filii, infidelium conversiones per diversa loca aggressi fuerunt. Exstinctis Missionariis, Neophiti, tanquam oves sine pastore relicti, ad vomitum infidelitatis iterum redierunt; donec V. P. Franciscus de S. Josepho, hujus almi Collegii fundator, anno 1712 ad Regnum Peruvianum pervenit. Hic Pater admodum venerandus, divinae gloriae et animarum zelo incensus, fervidisque commilitonibus adjutus, missiones omnes amissas restauravit.

Anno autem 1742 tam mirabiles conversiones, propter quemdam Indum apostatam, qui Sanctus Athahualpa vocabatur, ad nihilum fere redactae sunt; Ille enim, omnibus Indis ad defectionem inductis, cunctos Missionarios interfecit, et eorum Ecclesias flammis succendit.

Anno vero 1787 eaedem Missiones zelo, ingenio et fortitudine R. P. Emmanuelis Sobrebiela denuo floruerunt. Sed heu! elapso aliquo tempore, supervenientibus bellis, et numero Missionariorum deficiente, omnis Missionum viror emarcuit, et ipsae tanquam turris turbinibus quassata, ad nihilum fere reductae sunt. Ex tunc quatuor tantum conversiones conservavimus.

Limites Missionum Infidelium ad Collegium de Ocopa pertinentium, hodie iidem sunt ac ipsi Peruvianae Reipublicae, ita ut omnes fluvii, valles et montes contenti in gradibus 4° et 15° latitudinis australis, et 300° et 305° longitudinis Orientalis (Merid. a Tenerife), in quibus infideles morantur, sunt et fuerunt semper scopus laborum et excursionum Patrum Praefectorum hujus apostolici Collegii. Populi, sive conversiones, quibus hodie inservimus sequentes sunt: *Cayaria* in ripa fluminis *Veayali* ad grad. 8° lat. 303° 10° long. *Caschiboya* in eodem flumine ad grad. 7° 25° lat. 303° 40° longitudinis. *Zuillasri* in Valle Huancabamba ad grad. 10° 45° lat. 301° 40° long. *Cerro de la Sal* sive Sancti Aloysii de Schauru juxta flumen Paucartambo ad grad. 11° 2° lat. et 302 long. Omnes termini isti juxta Meridianum *a Tenerife* intelligendi sunt. Lingua qua supradicti populi utuntur multiplex est. Nam in *Cayaria,* qui morantur, lingua *quichua* utuntur. In *Cachiboya* lingua *Pana* in usu est. In *Zuillasri* lingua *amucixa* omnibus familiaris est; et eadem utuntur infideles in *Cerro de la Sal.*

Numerus habitantium in his Missionibus idem proxime est quem anno proxime elapso Paternitati Vestrae manifestum feci. Nimirum, *Cachiboya* quadrigentas animas habet. *Cayaria* centum quinquaginta: *Zuillasri* centum, et Sancti Aloysii in *Cerro de la Sal* centum plus minusve reperiuntur. In hac ultima conversione, quam praecipuam vocaveris, in dies crescit, Deo favente, numerus tam fidelium quam infidelium ad eam concurrentium.

Pater conversor pro unaquaque missione, vix unus inveniri fas est, scilicet: Pater Praefectus: Pater Thomas Hernandez: Pater Antonius Batlle, et Pater Leonardus Deu: quibus omnibus totidem Fratres Laici, sive *Donati* assistunt.

In omnibus missionibus, praeter catechesim, legere et scribere pueros docemus.

Et hic meae cuilibet narrationi finem faciens, Paternitatem Tuam Reverendissimam adprecor ut mihi et meis seraphicam impertiri dignetur benedictionem.

Datum Sanctae Rosae de Ocopa die 7 Julii 1890.

Fr. Pius Sarobe, *Guardianus.*

De mandato Paternit. Suae Rdae
Fr. Franciscus ab Herrero.

Ad Rmum P. Min. Generalem
Ord. Min. Obs. Romam.

—

COLLEGIUM CAXAMARCAE

IN REPUBLICA PERUVIANA.

Die 20 Julii anni 1890.

Rmo P. Aloysio de Parma, Ministro Generali totius Ordinis Minorum Romam.

Rme Pater,

Litteras a Reverendo Adm. Patre, Vice Commissario Generali nuper accepi, quibus mihi significabatur desiderium P. V. Rmae, ut quilibet Guardianus hujus Commissariae Generalis relationem super statu respectivi sui Collegii quamcitius ad curiam generalitiam transmittat. Pietate filiali et obsequentissimo animo obtemperans, ut muneri mihi commisso fierem satis, haec sunt mihi exponenda.

Collegium Sancti Antonii de Caxamarca a fundamentis erectionem habuit, anno millesimo octingentesimo sexagesimo nono. Sistit ad grad. 7°, 8' 38° latitudinis meridionalis et 80°, 55', 37 longitudinis juxta meridianum parisiense et supra mare sese effert 2, 860, metris.

Nullas inter infideles adhuc habet missiones, ideoque nec Praefectus eligitur, sed qui ad hoc sanctum opus vacare desiderant ad praefecturam Collegii de Ocopa pergunt, ibique sub obedientia et directione Praefecti Missionum, juxta leges, ministerium apostolicum inter infideles exercent.

Duas dioeceses amplectitur hujus collegii Guardiania, Truxillanam et Chachapoyensem, et sex regiones politicas (vulgo Departamentos) nempe: Cajamarca, Trujillo, Lambayeque, Piura, Amazonas et Loreto. Regio de Cajamarca, prout apparet in censu, auctoritate gubernii instituto, habet 273,000 incolarum, de Trujillo 56,000, in hoc numero etiam comprehenditur Lambayeque, de Piura 172,000 de Amazonas 44,000, de Loreto 58,000. Limites Guardianiae sunt ad Orientem Brasiliana respublica, ad Occ. Oceanus Pacificus ad merid. regio de Ancahs, pertinens ad Archiepiscopatum Limanum, ad sept. sese extenditur usque ad Aequatorianam rempublicam.

Religiosi qui in hoc Collegio morantur sunt triginta sex hoc ordine distributi;

Sacerdotes	9
Clerici solem. prof.	9
Laici solem. prof.	6
Novitii	6
Fratres (vulgo *Donados*)	3
Fratres (vulgo *Devotos*)	3
Omnes	36

Sacerdotes Collegio addicti per anni curriculum Missionibus inter fideles dant operam ac assistentiae spirituali hujus civitatis consulunt. Juvenes Clerici vacant studiis grammaticae latinae, philosophiae, theologiae dogmaticae et moralis ac juris canonici; quoad jus canonicum hi qui a Discretorio sunt designati tantum. — Praeter hos cursus qui fundamentales vocantur, adsunt etiam post vesperas classes de geographia, mathesi, historia ecclesiastica et profana ac eloquentia sacra, quotiescumque rerum adjuncta hoc sinunt.

Sex regiones politicae, supra memoratae, civili gubernio reipublicae peruanae subsunt et fere solis Catholicis constant, infideles seu errantes tribus sylvicolae, quae in regionibus de Amazonas et Loreto vitam degunt, vel ad jurisdictionem episcopi Chachapoyensis qui per saeculares sacerdotes conversionis eorum curam gerit, vel ad patres missionarios Collegii de Ocopa pertinent.

Lingua hispanica apud Peruanos, vulgo blancos, inter indigenas vero *quichua* adhibetur. Ad 14,000 pertingit numerus incolarum hujus civitatis de Caxamarca, quae habet duas paroecias; monasterium Immaculatae Conceptionis, quod jurisdictioni episcopi Truxillani

subest, et institutum puellarum charitatis Sancti Vincentii a Paulo. Omnes ferme sunt catholici et non nisi raro protestantes aliive ad heterodoxas religiones pertinentes accedunt negotiationis causa.

Ecclesia nostra est valde capax et perpulchra; Collegium habet quatuor claustra, bibliothecam modestam sed sufficientem et officinas ad servitium communitatis necessarias. Primum claustrum occupant Sacerdotes Collegii, secundum Clerici professi et studentes, tertium Novitii et quartum Fratres laici; in hoc loco stat transitorie valetudinarium pro infirmis, donec peculiare claustrum ad hoc erigatur.

Clima hujus regionis est mediocriter salubre. Aliquoties vero morbi *virucla* tiphoidea et pulmonaris grassantur, virucla maxime apud indigenas.

Tertius Ordo, ubicumque missiones praedicantur, instituitur ut fructus spiritualis in populis semper vigeat, et curam illius gerit Rector ad hoc juxta leges deputatus.

Dum haec P. V. Rmae de mandato Reverendi Adm. Patris Vice Commisarii Generalis communico, liceat mihi benedictionem seraphicam a P. V. Rma suppliciter exorare.

P. V. Rmae addictissimus filius,

Fr. Leonardus de Badiola,
Guardianus.

IV.
VARIA.

SERIES PRAELATORUM

Ref. Provinciae Poloniae Minoris sub Titulo Beatissimae Virginis Mariae *Angelorum in Imperio Russico* (1).

Commissarius Apostolicus ac Fundator Reformationis in Polonia, A. R. P. Alexander Patavinus, qui quamvis sexagenario major apostolicis mandatis obediens, assumptisque sociis cum aliquibus Polonis Patribus, qui pro Reformatione in laboribus et persecutionibus continuis zelantes usque ad mortem decertaverunt, pedestri itinere de Mediolano in Poloniam profectus, accessit primo Glivicium ubi officiosissime susceptus a P. Benedicto Bulakowski (Bulacovscio) Guardiano, et capta per aliquot dies quiete, relictis aliis sociis Glivicii cum P. Cypriano Gozdecio Polono die 15 Octobris 1622 Cracoviam intravit, ubi ab Eppo Martino Szyszkowski perhumaniter exceptus est. Demum S. R. M. Sigismundi III Regis Poloniae et Sueciae praesentiam adivit et socios dimisit ad varios Magnates Regni, ea felicitate progressos ut intra annum fere quinque loca pro Conventibus (quos ligneos et pauperculos esse voluerunt) obtinuerint. Primum Zakliczyni, secundum Gorcae, tertium Osiecznae, quartum Vielicii, quintum Chocii. Negotium itaque Reformationis ordinare cupiens die 3 Maji 1623 subditos suos ad Capitulum celebrandum Zakliczyni convocavit, ubi duas Custodias pro Polonis erigit: unam S. Mariae Angelorum, alteram S. Antonii Patavini. Custodes et Discretos elegit pro utraque. Statuta ad modum Reformationis Italicae, praescripsit. Deinde profectus Varsaviam ubi pro erigendo Conventu obtinuit locum et successu temporis Regia liberalitate Conventum et Ecclesiam erigi fecit in quo 12 Maji 1624 piissime obiit.

SERIES CUSTODUM

S. Mariae Angelorum in Polonia Minori.

1. A. R. P. Felix Mackowski (Moncovius) electus in Capitulo Zakliczyni ad Dunajec die 3 Julii 1623 sub praesidentia A. R. P. Alexandri Patavini Commis. Gnrlis. Pater meritissimus, qui sub unione cum PP. Observantibus in amore strictioris observantiae perseverans, a. 1640 mense Majo, se in Italiam contulerat et Romae pro sublevatione Reformationis cum aliis Fratribus strenue laborabat. Facta autem disjunctione, cupiens tranquillam vitam agere in Italia remansit, et in Provincia S. Antonii Venetiarum, tam exemplariter vixit, ut Magistri Novitiorum officio perfungeretur pieque demum et cum sanctitatis opinione inibi mortis debitum solvit. Hic, inquam, Pater dum adhuc viveret omnia fausta Custodiae nostrae optans, quaecumque ad bonum ejus spirituale pertinere videbantur, Romae procurabat et de periculis commonefaciebat.

2. A. R. P. Cyprianus Gozdecki (Gozdecius) Doctor utr. Juris. Ante Religionem in aula Petri Tylicii Eppi Cracoviensis Cancellarius. Religionem ingressus in observantia, totum se perfectioni dedicans, circa ipsa Reforma-

(1) Hanc seriem recepimus ab Adm. R. P. Joachimo Maciejiyk, Ministro Ref. Prov. S. Mariae Dolorosae in Galicia Austriaca, cujus epistolam integram hic inserere operae pretium ducimus.

Cracoviae 10 Julii 1890.

Adm. Revde Pater Colendissime

Hisce mitto Seriem Custodum et Provincialium Provinciae B. V. Mariae *Angelorum in Polonia Minori sub russico regimine, cujus nostra Provincia B. V.* Mariae *Dolorosae in Galicia austriaca A. D. 1746 filia est, ne nomina tot meritissimorum Patrum oblivioni dentur. Provincia B. V.* Mariae *Angelorum Decreto Alexandri II Imperatoris Russorum 8 Novemb. sublata est. Hoc tempore numerabat 9 Conventus in quibus habitabant 75 Patres, 26 clerici et 30 Fratres laici, quorum 20 adhuc sunt inter vivos, ex his autem major pars est in cura animarum, reliqui in Conventibus tribus locati una cum PP. Observantibus pariter suppressis scil. in Pilica, Pincrow et Stopnica in quibus expectare debent ultimos dies vitae suae.* Deus *illos benedicere et feliciora tempora quamprimum videre sinat per intercessionem B.* Mariae *V. Angelorum et S. P. Francisci, enixe oremus.*

Rogo ut haec Series Praelatorum in Actis Ordinis Min. *typis exaretur.*

tionis Poloniae principia ad eamdem se divino plane consilio transtulit, specialis defensor et futurus promotor. Sexies Romam nudipes et omnino pauper adivit. Contra Arianos strenue decertabat. Fratres non tantum verbo sed et exemplo ad arctissimam Regulae observantiam excitabat. Humilitate profunda, mansuetudine suavissima, omnium animos sibi devinciebat. In Custodem Provinciae electus Varsaviae in Capitulo die 2 Augusti 1625 celebrato; die autem S. Martini Eppi i. e. 11 Decembris post meditationem et Confessionem, Missae sacrificio absoluto, appoplexia tactus eodem die post meridiem vitam finivit A. D. 1649.

3. A. R. P. Vitalis a Galbiato (Italus) electus in Cap. Sublimi 1630 sub praesidentia A. R. P. Prosperi a Galbiato, Provincialis Austriae habitantis Viennae, Commissarii ac Visitatoris Gnrlis, uterini fratris, contra omne jus et canones eccles., protestantibus Patribus Vocalibus, qui de electione P. Vitalis nunquam cogitassent, nisi a Patre Commissario stimulati, sollicitati et circumventi fuissent.

4. A. R. P. Bernardinus Kaliski (Kalisius) electus Cracoviae 18 Octobris 1634 qui officii sui munus zelose et exemplariter coepit exercere, apparuit enim primo anno sui officii per omnia Regulae zelantissimus, observantiae strict. promotor insignis, paupertatis altissimae observantissimus, devotionis, silentii, cultor sed tertio anno muneris sui defecit.

5. A. R. P. Bonaventura Dzierzanowski (Dzierzanowscius) ex nobilissima familia ortus honestissime educatus nomen suum Religiosae familiae inter PP. Observantes Prov. Poloniae dedit. De virtute in virtutem in dies proficiens factus forma vivendi omnibus. Custos Regiminis in Reformatione electus Cracoviae die 7 Septembris 1638. Quater Romam ut Custos vocalis pedester perrexit. In Conventu Recoll. Opatoviae Guardianus nominatus summa exemplaritate adeo illuxit omnibus, ut Minister Provincialis peracta in hoc Conv. visitatione videns strictissimam in omnibus observantiam Regulae et strictissimum ordinem edixit publice: *« Ita, judico, non ad Conventum me venisse, sed ad paradisum terrestrem! »*

SERIES MINISTRORUM.

1. A. R. P. Bonaventura Dzierzanowski (Dzierzanowscius) primus Minister Provincialis in Cap. Romae in Aracoeli sub praesidentia Urbani Pp. VIII. A. D. 1639 electus. Officium suum ingenti novae plantulae suae fructu absolvit. Verbo et exemplo Fratres suos in concepto semel observantiae rigore confirmans. Exacto Ministeriatus Officio, paupertatis amator in pauperculo Rakoviensi Conventu locari petiit in quo solitudinem internam coluit, animarum tamen zelo flagrans per vicos et oppida Arianorum foece eo tempore plena, verbo salutis, ferventi spiritu disseminabat, Arianis fidem, peccatoribus instillans dignos fructus poenitentiae. Ipse vitam communem studiosissime coluit, Fratribus multum amabilis in Conv. Stopnicensi finita Missa et pro more suo devotissima gratiarum actione, circa meridiem paralisi tactus die 17 Septembris 1649. piissime in Domino obiit.

2. A. R. P. Valerianus Bienkowski, (Bienkowscius) observantiae regularis promotor potissimus, eamdem verbo et exemplo semper firmavit. Vitae communis studiosissimus cultor fuit. Ad Chorum et orationem mentalem diu noctuque primus; idcirco penes Novitiatum frequentissime collocabatur, ut junioribus exemplo foret. Minister Provincialis bis electus i. e. in Cap. Cracoviensi 10 Aprilis 1641 et Cracoviae 4 Maji 1647. Jubilatus presbyter nonagenario proximus post suscepta devotissime Sacra, Vielicii 11 Decembris 1675 vitam finivit.

3. A. R. P. Ambrosius Stalicki (Stalicius) Cracoviae 3 Martii 1644 sub praesidentia A. R. P. Francisci ab Aquila Commissarii et Visitatoris Generalis electus in quo Capitulo Ordinationes et Statuta nonnulla fuere condita. Brevi post absolutum Capitulum et immediate post recessum P. Commissarii in Italiam pervenerunt ad Ministrum Provincialem Litterae encyclicae Revmi P. Min. Generalis intimatoriae Cap. Generale Toleti in Hispania celebrandum anno sequenti. Min. Provincialis visitat Provinciam suam statim et celebrat Cracoviae primam interm. Congregationem mox in Hispaniam profecturus. Hoc tempore Missionarii ex hac Provincia in Tartariam missi sunt: P. Dominicus a Nissa, Fr. Zatyriski Cler. cum socio. Die 16 febr. anni 1646 celebrata secunda interm. Congr. Hoc tempore Fratres Laici implorabant apud S. Sedem Apostolicam ut in quolibet Capitulo unus Laicorum in Definitorem eligeretur, et sine scitu et licentia Superiorum librum quemdam impressum promulgarunt de praecedentia sua inter Clericos solliciti, quos Revmus P. Generalis poenis contra tales in Statutis contentis affecit et auctorem libri Romae incarceravit.

4. A. R. P. Valerianus Bienkowski (Bienkowscius) secundo sub praesidentia A. R. P. Francisci ab Aquila Commissario et Visitatore Generali die 4 Maji 1647 in Cap. Cracoviae celebrato fere unanimiter electus. Peracta visitatione Conventuum indixit primam interm. Congregationem in Conventu Stopnicensi die 10 Maji 1648.

5. A. R. P. Franciscus Rychtowski (Rychtowscius) sub praesidentia A. R. P. Francisci ab Aquila in Cap. Cracoviae 10 Octobris 1649 celebrato electus, nobili genere natus. Antea lector Philosophiae et Theologiae per ipsum sicuti studia et viri excultissimi ita religiosi eximia pietate insignes creverunt, quos verbo pariter et sanctissimae conversationis exemplo scientiam sanctorum edocuit. Premiliae Guardianus, lector Theologiae et concionator Cathedralis. Multos Graecos disunitos, ad fidem catholicam convertit. Auctor Concionum, vir piissimus, doctissimusque. Obiit in via penes Magierow 21 Martii 1673. In funere ejus quilibet habitum ejus tangere peroptabat. Sepultus Leopoli in Ecclesia nostra S. Casimiri primam Congregationem interm. celebravit in novo Conv. Biecensi 28 Augusti 1650.

6. A. R. P. Stephanus Urbanides electus in Cap. Becii 14 Julii 1652. Vitae singularium qualitatum, qui a tyrocinio vitae religiosae pientissima sua conversatione vitaeque austeritate junctis vixit ad exemplum, enascenti vero Provinciae Polonae sublimi sua doctrina, consiliorum gravitate profuit ad palmare ornamentum, nam

omnia pene in Religione officia, dexterrime administravit nullique se labori subtraxit: Confessarius, Praedicator, Vicarius, Philosophiae ac Theologiae Lector multis annis Guardianus, arctissima observantia zelotes, Definitor, Custos vocalis geminatim electus. Romam bis pro generali Cap. pedester absque ulla provisione petiit. Qua Min. Provincialis Provinciam in suis adhuc principiis verbo et exemplo rexit et firmavit. Conv. Ghivicensem vi incendii redactum in favillam sua sollicitudine reparavit. Tam extraneis quam Fratribus ob vitae sanctitatem venerandus. Annis 46 fructuosissime in Religione exactis ad laborem, ad requiem transivit pientissime dispositus anno DOMINI 1686 die 4 Octobris. Cujus corpus in ligneo sepulcro reclusum hucusque requiescit.

7. A. R. P. Christinus Chojecki (Chojecius) electus sub praesidentia A. R. P. Hyacinthi a Sospitello Prov. Refor. S. Thomae in Sabaudia in Cap. Cracoviae 3 Augusti 1655 nobilissimo sanguine ortus, humilem statum apud PP. Observantes suscepit, vitae tamen arctioris desiderio ad Reformationem se contulit anno Dni 1640 die 21 Aprilis in qua semper de virtute in virtutem progrediens verum exemplar perfecti Religiosi in se expressit. Humilitatis et obedientiae pretio nunquam locum aut officium sibi eligere voluit, quavis de ordinatione Superiorum contentus. Praedicationis dono a DEO exornatus. Multoties Guardianus, aliquoties Definitor, bis Minister Provincialis (semel tamen oblatum hoc onus post annum resignavit) electus. Pedester semper etiam rigidissima hieme absque ullo pedum impedimento incessit et Provinciam visitavit. Cumque illi jam annoso a discretis charitative disuaderetur, respondebat: « Qualia vident subditi in Superiore, talia in se exprimunt». Mortificationi et orationi ex corde addictus Virgini Beatissimae perquam devotus. Viribus exhaustus Sacramentis Ecclesiae praemunitus, attrito quamvis et pauperculo habito exui petiit, nudusque in terra depositus exemplo S. Patriarchae Francisci inter ferventissima ad DEUM suspiria feliciter exspiravit A. D. 1678 die 23 Octobris magna cum opinione sanctitatis, exemplis bonorum operum post se relictis.

(Continuabitur).

—

FUNDATIO

COLLEGII S. ISIDORI IN URBE

A P. LUCA WADDINGO

CAP. IX (LX).

Quid in ornamento et supellectili sacrarii.

(Continuatio).

Lucas autem translatis Fratribus ad novum hoc aedificium, priorem culinam in commune calefactorium, ejusque promptuarium in Fratrum tonstrinam accomodavit, et vetus triclinium, aperta ex vetere Sacrario porta, principalem ejus partem effecit, et pulchris nitidisque armariis, peculiari artificio e polita nuce, Religiosorum artificum opera fabricatis, ad reponendam omnem sacrificii et altarium supellectilem instruxit; atque hanc ipsam omnigenam pro usu sacrificii, pro Sacerdotum altariumque ornatu, pro templi quoque parietibus majori solemnitate decorandis, honestissimam sane, juxta professionis nostrae statum procuravit. Et praeter illa Sanctorum Leontii et Floriani Martyrum integra lipsana, aliasque sanctorum reliquias ornatis thecis inclusas, constanti studio, et longa expectatione tandem effecit, interposita Religionis Ministrorum Generalium opera, ut Matrito haberet reliquiam sancti Isidori agricolae, templi nostri tutelaris, quam ut Magistratus Matritensis, in hunc sui quoque oppidi Patronum devotissimus, honorificentius mitteret, curavit fieri sesquipalmarem circiter sancti Agricolae stivam regentis statuam, e solido argento, pondo unciarum pene centum, eamque cum inclusa in ejus aperto pectore parte ossis Sancti, et incisa circa basim donationis memoria, pro Conventu et Templo Romano sancti Isidori, ad instantiam Ordinis sancti Francisci. Sed oportuit nihilominus, ut laborasset Lucas, et cum potenti adversario contendisset, ne Romam advecta reliquia alibi, quam in sancti Isidori collocaretur. Acceptam denique solemni supplicatione, et aliis necessariis ritibus ad nos e vicina domo Advocati Herculis Ronconii adduxit ipso die festo Sancti, qui apud nos est decimus quintus mensis Maji.

Quoniam autem proprium Sancti officium recitare eatenus nobis concessum non fuit, sed illud quod Confessorum non Pontificum commune est, in sancti Solemnitate cantabamus, *instituit Lucas attribui facultatem Fratribus Conventus sancti Isidori in Monte Pincio recitandi officium proprium sancti Isidori titularis, ad usum Cleri Castellae a sanctae memoriae Urbano VIII approbatum: et Eminentissimi Patres Sacrorum Rituum Congregationi praepositi, ob peculiarem erga eamdem Congregationem Oratoris religionem, Fratribus praedictis gratiam petitam indulserunt, die X Junii MDCLVI.* Construxit quoque Lucas intra sacrarium in loco prioris Capituli secretum sacellum, in quo sacrificium commodius offerre possent, seu domestici seu

forenses, qui aliqua valetudinis, aut alia causa id in publico templo praestare prohiberentur.

CAP. X (LVI).

Quid in instruenda, et conservanda Bibliotheca.

Quemadmodum Lucas ut fundator et perpetuus curator domus, reliquas ejus officinas conveniente supellectili sufficienter instruxit, sic post Sacrarium, Bibliothecae, in primis, et Archivo instruendis, quorum usus tum ipsi praesertim Lucae, tum aliis Collegii Patribus, vel docendo, vel scribendo semper intentis, maximus futurus erat, copiose providit. Neque inutilibus libellis pluteos complere satagebat, qui ad numerum tantum et ostentationem inserviunt, sed quos ipsius, vel aliorum studiis necessarios utilesque censebat; cujusmodi comparavit selectorum voluminum omnigenae eruditionis typis editorum circiter quinque millia, majori parte magna, in forma folii, nulla duplicata, nisi forte rarum aliquod diversae editionis: id enim ipsius jussu mihi semper incubuit, ut si quem invenirem librum nulla diversitate bis positum, hunc e vestigio seponerem, vel cum aliis commutandum, vel postea Capranicensibus mittendum. Reliqui suis classibus per alphabeti litteras et codicum numeros distribuuntur, ut auctorum indice alphabetico has notas demonstrante opus quodlibet facile reperiatur.

Praeter hunc vero, et alium indicem, in quo libri eo ordine descripti sunt, quo in scamnis repositi, ad hoc, ut si desit aliquis liber, facile reperiatur quis fuerit. Considerans Lucas, quam specialis esset utilitas, et frequens necessitas prompte porrigendi eorum vitas, qui sanctimonia vel singulari pietate illustres essent, tum pro scribendis Annalibus, tum pro usu Sacrae Congregationis Rituum, in qua Servorum DEI acta ad Canonizationem discutiuntur, et conficiuntur officia peculiaria peregrinorum sanctorum, in diversis Ecclesiis, Dioecesibus, et religiosis Ordinibus celebranda; in quibus officiis ordinandis ipsius Lucae opera saepius utebatur Sacra Congregatio, tum etiam quod cum antiquorum Sanctorum reliquiae ex Romanis Coemeteriis concederentur, qui illas accipiebant, crebro Lucam accedebant, ut indicaret, ubi vel eorum integrae vitae, vel sparsa notitia haberi posset; hinc mihi tunc juveni Bibliothecae praefecto, tametsi quotidianis scholarum exercitiis occupato, post ordinatam Bibliothecam et conscriptos alios indices, imposuit, ut universa Bibliotheca foliatim pervoluta, singularum personarum, quas reperirem, ejusmodi sanctitatis, miraculorum, aut singularis pietatis nota claruisse, nomina describerem, et per alphabetum ordine distribuerem, subscriptis cuilibet iis auctoribus, quotquot in Bibliotheca nostra ejus notitiam aut notabilem mentionem haberent, adnotato volumine et folio: quod etiam, ut alia, praestiti; magno sane meo labore, sed majori voluptate et fructu, magnoque deinceps usui Lucae et aliorum, hodieque meo: nam schedulae meae postquam eas ordinatim filis imposui, amanuensis calamo descriptae duo crassa volumina confecerunt, quorum exemplaria nuper sibi describi fecit S. D. N. Alexander VII cui olim visa placuerunt.

Ad conservationem autem librorum obtinuit Lucas ab Urbano VIII Pontifice litteras Apostolicas, quibus sua Sanctitas *interdicit et prohibet, ne quisquam quavis auctoritate fungens quosvis libros, quinterna, folia impressa, sive manuscripta, tam per Lucam praedictum, quam per quoscumque alios Christi fideles dictae Bibliothecae hactenus donata et assignata, seu imposterum donanda et assignanda, quovis praetextu, aut quaesito colore, ex quacumque causa, ratione, vel occasione e dicta Bibliotheca extrahere, seu aliis personis accommodare, vel ut extrahantur, seu accommodentur permittere, aut consentire audeat, seu praesumat, sub excommunicationis, et vocis activae et passivae poenis, per contra facientes incurrendis.* Quod adeo universaliter injunctum observatumque voluit Urbanus, ut dum Lucas aliquos ob dignitatem personarum excipi posse diceret, id omnino noluerit Pontifex, asserens eo magis esse his prohibendam extractionem librorum; nam quo major est personarum dignitas et potentia, eo difficilius ipsis libri negari, aut ab eis recuperari possunt. Permisit Pontifex ipsius Collegii Fratribus, *ut libros, et quinterna folia ejusmodi e dicta Bibliotheca ad eorum cellulas studii ergo asportare possint, dummodo prius in libro, a pro tempore existente Bi-*

bliothecario retinendo, libri seu librorum, quo seu quibus uti volent, ut praefertur inscriptionem, ad effectum illum, seu illos Bibliothecae praedictae postea restituendi, scribant. Quod ita observabat Lucas, ut Collegii scholaribus nullum librum concedi permitteret, praeter unum aliquem minoris formae e spiritualibus, cujus lectio animae impinguandae, et asceticae doctrinae prodesset, aut forte alium amoenioris litteraturae; reliquum scholasticis dictatis intentos eos voluit. Imo ipsis Patribus in docendo, vel ad prelum scribendo occupatis non alios libros ad cubicula concedebat, quam eos, qui ex professo tractabant illas materias, quas quisque Patrum conscribebat; ceterum pro incidente aliquo puncto, vel horulae studio ad communem Bibliothecam eos recurrere volebat; nam ejusmodi Bibliothecam communem esse negabat, et frustra instructam, si communi advenientium usui pro omni occasione ad manum inservire non posset, cum libri per cellas distracti, quaerentibus praesto non forent. Religioso Bibliothecae custodiae et obsequiis praefecto, quem semper voluit esse juvenem aliquem ex scholaribus activum, et eruditionis avidum, quique sciret adventantibus satisfacere, ipse plerumque praesens instruebat, dirigebat in opere, et si quando lassum solabatur, si negligentiorem dulciter concitabat. Nam dum ipsi per valetudinem licebat, non alio utebatur musaeo, quam ipsa Bibliotheca, propter varietatem et multitudinem librorum, quae requirebant ejus studia.

(Continuabitur).

V.
BIBLIOGRAPHIA

—

Bernardinus Orellana, Min. Obs. — El Rústico devoto de la Virgen del Valle, preparado para celebrar su coronacion, por el Padre Fr. Bernardino Orellana, Definidor General, comisionado ad hoc. Roma, Tipografia Artigianelli, Monserrato, 149 — 1890.

Hieronymus Vladić, Min. Obs. — Triginta una dies coram Sanctissimo Sacramento, juxta Torre et S. Alphonsum composuit P. Hieronymus Vladić a Rama, Lector jubilatus provinciae Bosnae Argentinae. — Serajevo, Thipis Spindler et Lesner, 1890.

Prospero da Martigné, Min. Cap. — La Scolastica e le tradizioni Francescane per il Rdo P. Prospero da Martigné, Definitore e ex-Lettore di Filosofia dei Min. Cappuccini. Versione dal Francese del P. Luigi da Piedelama, Min. Rif. della Provincia Serafica, col permesso dell'Autore. — Parte prima in 16 pag. X-190, prezzo L. 2. — Parte seconda, pag. 385, prezzo L. 4.

Joseph Antonius a Lovera, Min. Rif. — Archeologiae Biblicae compendium, exaratum studio et opera P. Josephi Antonii a Lovera, Ord. Min. strict. Observ. Missionarii Apostolici in Patriarchatu Hierosolymitano. Mediolani, Typis Vallardianis, 1890, pag. 117.

VI.
NECROLOGIA

—

Adm. R. P. Joachimus a Villa Verucoli, Dioec. Ariminensis, filius hujus Reformatae Provinciae Bononiensis, vix emenso studiorum cum Philosophiae, tum sacrae Theologiae cursu in numerum Provinciae Lectorum adscitus, tanta diligentia et assiduitate incubuit iisdem scientiis tradendis clericis propriae curae commissis, ut ex ipsis duo, nempe Fidelis a Mutina et Joseph a Campogaleano, Dioec. Mutinensis, eo magistro, in studiis ac pietate excelluerint, ac dein in Missiones exteras profecti ad episcopalem dignitatem fuerint evecti. Sed P. Joachim natura ad humaniores litteras et italicam praesertim poesim mirifice propensus, nonnulla soluta oratione, plura vero scripsit carmine italico, typis Galeati Imolensis edita, quae styli venustate et linguae elegantia tum litterati tum ephemerides litterariae uno ore laude digna affirmarunt. Plenissimis suffragiis Minister Provincialis inauguratus hoc officium tenuit ad quatuor annos, ipsumque zelo, animi demissione, morum bonitate exercuit et pari in subditos caritate. Tandem Guardianus Coenobio Observantiae ad Imolam datus difficile, ratione temporum, onus triginta

circiter annis sustinuit ac implevit tanta animi lenitudine, zelo et prudentia, ut acceptissimus evaserit nedum subditis, sed et civibus, quibus consilio et opera jugiter praesto fuit. Nec praetereundum, quod, peracta Regularium suppressione, impensam navavit operam pro Conventus Imolae recuperatione, quod tandem ei feliciter cessit. Ast brevi licuit de recuperato Conventu gaudere; nam, recrudescente ulcere, quod septennium toleravit exemplari patientia et constanti animi fortitudine, pie decessit, septuagenario major, die 23 Decembris an. 1889. Imolae in Conventu Observantiae, moerore et lacrymis sodalium prosequutus et civium, qui die trigesima ab obitu in grati animi et affectus testimonium, propria stipe funere instaurato, musica sacra et laudatione funebri honestarunt pium ac doctum Coenobitam de Conventu, de Civitate magnopere benemeritum.

Vale Anima desideratissima; in pace Christi quiesce!

R. I. P.

Inter lacrymas tanto Fratre dignas ex hac vita migravit Panormi, die 18 Julii anni currentis, R. P. F. Joseph Salvator Maria Randazzo, a Careno, Lector, ex Definitor et ex Custos Observantis Provinciae Vallis Mazariae.

Honestis parentibus natus die 19 Julii, anno 1822, nondum tertio aetatis lustro inchoato, inter probandos in coenobio S. Laurentii Careni fuit admissus. Deinde novitius receptus, laudabiliter anno probationis expleto, studiorum causa Perusiam venit, ibique solemnem emisit professionem et theologicarum explevit cursum disciplinarum. In matrem Provinciam reversus philosophiae concursum mirabiliter sustulit, et Lector renuntiatus seraphicae militiae alumnos eam per multos annos docuit.

Post religiosorum Ordinum eversionem, praedictam S. Laurentii rexit Ecclesiam maximoque fervore ac devotione coluit, quamvis plures annos infensa cruciaretur valetudine. Ipse alacriter studuit, ut Seraphici Patris non tam assecla et aemulator, quam viva quaedam imago videretur. Veram paupertatem semper sectatus est: asperrimam poenitentiam exercuit, et sic virtutibus fuit exornatus, ut humilitate, patientia et oratione nemini secundus extiterit. Inter ejus autem virtutes praecipue obedientia eluxit, quam supremam legem religiosae vitae ac perfectionis nuncupabat.

Ab Adm. R. P. Ignatio Fleres, Ministro Provinciali, revocatus, etiamsi infirma valetudine, tamquam agnus mansuetus non aperiens os suum, libenter se contulit prius in Conventum solitudinis S. Joannis Baptistae Baidae, deinde Fabariam, ut exemplo virtutum auxilium afferret praelaudato Ministro Provinciali in exequendo pergrandi et difficillimo proposito aedificandi ibi novum coenobium.

Fabariae delatis muneribus erudiendi in scientiis Clericos sui Ordinis, ferendi opem agoni decedentium et praesidendi directioni Sororum Collegii sub titulo Sanctae Mariae, tanta doctrina, tantoque fervore functus est, ut nemo esset, qui ejus opera non perciperet velut occultos stimulos ad arripiendum perfectionis iter, et prodigii obedientiae loco non haberet, in corpore adeo graviter affecto tantam inesse firmitatem.

Morbo tandem ingravescente, virtute obedientiae Panormum venit, ubi praenoscens, non obstantibus curis, finem vitae suae adventantem, Ecclesiae sacramentis refectus, deosculans imaginem Christi Crucifixi ad ostendendum eximium in passionem ejus amorem, Fratres suos de coelesti gloria alloquens, sublatis in coelum oculis, animam Deo reddidit.

Revdus Minister Provincialis ad solamen tanti angoris jussit solemniter parentari animae ipsius; quam ob causam e Fabaria Panormum se contulit, ibique ipso et Fratribus Ordinis in Ecclesia S. Mariae Angelorum adstantibus, magno etiam populi et religiosorum Ordinum in civitate degentium concursu, parentalia celebrata fuere die 24 Julii.

Utinam omnes tanta exempla virtutum memoriae mandent operibusque compleant!

R. I. P.

A. R. P. Paschalis a Ferraria, in saeculo Joseph Castelvetri, Francolini ad Padum ortus die 8 Junii 1807, interque Nostrates adscriptus die 5 Novembris 1822, pietatem quam ab incunabulis patefecit et in sacro Montis Jani recessu novitius auxerat, ad senectam usque indefessus retinuit. Emenso passivo studiorum curriculo, nondum salutatus Lector, christianam ethicam sodalibus suis Ferrariae tradidit et

Regii Lepidi, ac expositas theorias totidem casibus ad praxim deducere sategit. Inter Lectores generales theologiae adlectus anno 1837, in generali concursu Bononiensi, magisterium pluribus annis Ferrariae exercuit. Magistrali laurea decoratus, et in consilium accitus rebus Provinciae definiendis, Coenobiarchae munus Cotiniolae, Saxoli et Ferrariae nitide exercuit, et aliquando praefuit Missionum indigenarum Collegio. Ob prudentiam domi forisque commendatus, exeunte Novembri 1855 suae observantis Provinciae Bononiensis comitiis praefuit, (e quibus Minister Provincialis prodiit Clariss. P. Angelus Pianori, inde Episcopus Faventinorum), cunctisque muneribus sibi assignatis egregie functus est. Quare anno 1858. cum ageretur de eligendo Provinciae Moderatore, pleno suffragio fuit salutatus Minister Paschalis noster, iterumque Brevi Apostolico confirmatus, eo quod ob temporum perversitatem impossibile plane foret comitia convocare, et inde, diutino perdurante octo annorum Gubernio suo, quum res civiles sus deque versae essent, multa ei deglutire fuit necesse, et contra votum suspendere coactus fuit festivitatem Martyrum Japonensium insanienti illius temporis gubernio invisam. Quapropter Ferrariam reversus, sic asceticae et mysticae theologiae institit, ut nedum opellas duas exaraverit de orandi modo et III Ordine, sed fere cunctis patriae suae Monasteriis praeesse potuerit. Adscriptus quoque fuit inter examinatores prosynodales, nec ulla effulsit dies, in qua confessionibus excipiendis non vacaverit, dormitum incaenatus abiens, ut in crastinum poenitentibus excipiendis attenderet. Paralysi tandem correptus, mortem laetus aspexit die 29 Novembris 1889, solemniis redeuntibus divi Leonardi Missionum Indigenarum Patroni sui dulcissimi, ac bonis cunctis ejus abscessum dolentibus.

Vale in pace, senex pientissime!

R. I. P.

Tres tantum elapsi menses ab obitu Adm. R. P. Joachim a Villa Verucoli, ex-Ministri Provincialis, et ecce Provincia haec Reformata Bononiensis jacturam eaque magnam et inopinatam cogitur lamentari.

Adm. R. P. PETRUS DAMIANI A SANCTO ARCHANGELO, Dioecesis Ariminensis, prima sua juventute habitum induit Franciscalem in Conventu Observantiae apud Faventiam. Ingenio praestanti et animo ad pietatem prono a DEO locupletatus mirifice in litteris, scientiis et virtutibus profecit. A Provinciae Moderatoribus ad lecturam philosophiae ac theologiae deputatus alacri animo, constanti studio ac labore in clericis instruendis, si paucos excipias annos, ad mortem usque intendit, insimul eos exemplo ad pietatem et regularem observantiam informans. Qua de re merito a Rmo Ordinis Ministro Generali fuit Lectoris Emeriti titulo in sacra Theologia decoratus. Neque tantum propriae Provinciae profuit, sed et in fidelium bonum maxime allaboravit. Quippe orator clarus, multa praeditus doctrina, ut mittam minores sed creberrimas praedicationes, quadragesimales conciones quotidianas habuit pluries in templis majoribus civitatum Tusciae et Longobardiae magno cum animarum fructu. Minister Provincialis electus, officium sibi demandatum adamussim implevit et regularem observantiam constanter et impense propugnavit, provexit. Post Regularium suppressionem, ejus praecipue consilio et opera Conventus Sanctae Crucis Villae Verucoli recuperatus; in ipsum Religiosi jam exturbati iterum restituti; ibique Novitiorum domus constituta. Designatus Guardianus et Curatus Coenobii Observantiae ad Caesenam, familiam sibi creditam egregie administravit; curiales doctrina, prudentia et vitae integritate in sui admirationem et amorem attraxit. Tot tantisque meritis permotus Antistes Caesenatensis in numerum Examinatorum Pro-Synodalium ipsum adscivit. Ast dum felicia de eo et prospera sibi ominabatur Provincia universa, brevi sed immiti morbo affectus, consumptus, spe omni frustrata, in osculo DOMINI piam efflavit animam in Conventu Observantiae in suburbio Caesenae die 31 Martii an. 1890 quum ageret tantum annum 59 necdum expletum.

Salve, dilectissime et nunquam obliterande Frater: bene vivas in CHRISTO!

R. I. P.

Nihil obstat.

FR. ALOYSIUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO SERAPHICA

—

EX SUP. ROM. ET UNIV. INQUISITIONE

DUBIA

Quoad privilegium in favorem fidei concessum.

I. Quaeritur utrum dispensatio a vinculo Matrimonii, quae dari solet ab Ecclesia, positis ponendis, post baptismum unius partis potest applicari in casu, in quo post baptismum unius, duae partes non cessarunt habere connexionem, et consummarunt matrimonium sicut ante baptismum?

II. Matrimonium valide contractum ante baptismum inter duos infideles potest ne dissolvi, quando, post baptismum unius, pars infidelis promittit quidem se non inquietare mulierem baptizatam in professione Christianitatis, sed ille recusat dimittere alias uxores illegitimas, vel non vult promittere se servaturum leges Evangelii circa monogamiam?

III. In casu praecedenti, si Matrimonium dissolvi potest, mulier baptizata tenetur ne recurrere ad dispensationem pro dissolutione Matrimonii?

IV. Mulier baptizata potest ne recurrere ad dispensationem, quando praenoscit, quod, facta dissolutione Matrimonii, educatio prolis susceptae penitus erit in potestate viri ejus infidelis?

V. Si dispensatio dari non potest, mulier legitima, quae fit christiana, post conversionem, potest ne cohabitare cum marito infideli, qui simul in eadem domo retinet uxores alias illegitimas?

VI. Puella Christiana, obtenta dispensatione disparitatis cultus, potest ne legitime contrahere Matrimonium cum infideli qui non promittit se a polygamia abstinere in futurum?

VII. Bertha, adhuc infidelis, contrahit Matrimonium cum infideli statim ac pervenit ad annos pubertatis; et post duos annos relinquit virum suum, nulla suscepta prole, et ambo currunt ad alias nuptias, imo vir accipit plurimas uxores et fit polygamus. Sed nunc mulier aetate provecta, audito Missionario, vult baptizari: potest ne illa mulier dispensari a vinculo Matrimonii contracti cum primo marito, non postulato consensu ejus, et sic remanere cum secundo marito, ex quo illa suscepit prolem?

VIII. Apud quosdam infideles detestabilis viget consuetudo, juxta quam vir, post commissum adulterium cum uxore alterius, administrat remedium uxori adulterae, cujus effectus erit inferre mortem super legitimum maritum, eo ipso quod postea habebit connexionem cum uxore sua post adulterium commissum, si convertirur ad fidem, poterit dispensari a vinculo Matrimonii sui contracti in infidelitate et ducere alteram uxorem, etiamsi infidelis uxor adultera vellet et ipsa baptizari?

S. Officii 11 Julii 1886, ad Vicarium Apost. Natal.

EE. et RR. PP. ad singula postulata responderunt juxta sequentem modum, hisce tamen praenotatis.

1. Supra scripta postulata intelligi de privilegio a CHRISTO Domino in favorem fidei concesso et per Apostolum Paulum, I ad Cor. VIII, 12, seq. promulgato.

2. Hoc privilegium divinum in eo consistere, quod, stante Matrimonio legitime in in-

fidelitate contracto, et consummato, si conjugum alter Christianam fidem amplectitur, renuente altero, in sua infidelitate obdurato, cohabitare cum converso, aut cohabitare quidem volente, sed non sine contumelia Creatoris, hoc est non sine periculo subversionis conjugis fidelis, vel non sine execratione Sanctissimi nominis Christi, et Christianae Religionis despicientia, tunc integrum sit converso transire ad alia vota, postquam infidelis interpellatus aut absolute recusaverit cum eo cohabitare, aut animum sibi esse ostenderit cum illo quidem cohabitare sed non sine Creatoris contumelia.

3. Juxta idem divinum privilegium, conjugem conversum ad fidem, in ipso conversionis puncto, non intelligi solutum a vinculo Matrimonii cum infideli adhuc superstite contracti; sed tunc, si conjux infidelis renuat, acquirere jus transeundi ad alias nuptias cum tamen conjuge fideli. Ceterum tunc solum conjugii vinculum dissolvi, quando conjux conversus transit cum effectu ad alias nuptias.

Hinc:

Ad I. Si quando evenerit, ut stante duorum infidelium Matrimonio, alter conjugum ad fidem conversus baptismum susceperit, atque cum infideli conjuge pacifice, et sine contumelia Creatoris cohabitaverit, si postmodum infidelis, quin tamen pars fidelis rationabile motivum dederit discedendi, nedum converti recusaverit, sed insuper fracta fide de pacifica cohabitatione, aut odio religionis discesserit, aut sine contumelia Creatoris cohabitare noluerit, vel fidelem ad peccatum mortale, aut ad infidelitatem trahere tentaverit, integrum erit conjugi fideli ad alia vota transire.

Ad II. Si agatur de uxore pagana alicujus pagani concubinarii, quae convertitur, tunc, facta interpellatione, si renuat converti aut cohabitare absque injuria Creatoris ac proinde desinere a concubinatu, qui sine injuria Creatoris certo haberi nequit, poterit uti privilegio in favorem fidei concesso.

Ad III. Quando conjux infidelis rite interpellatus, aut absolute recusaverit cum conjuge ad fidem converso cohabitare, aut animum sibi esse ostenderit cum illo quidem cohabitandi, sed non sine Creatoris contumelia, vel absque eo quod se a concubinatu abstinere perpetuo velit, tunc conjux conversus, praehabito Superioris ecclesiastici judicio, separari debet ab infideli, et poterit, si velit, uti privilegio seu divina dispensatione in favorem fidei concessa, et sic ad alia vota transire cum persona fideli.

Ad IV. Si conjugi converso impossibile prorsus sit filios e potestate alterius conjugis in infidelitate obdurati, subducere, nec fas sit, praemissa juridica et formali interpellatione, cum eo cohabitare, vel quia ille non vult, vel non sine contumelia Creatoris vult cohabitare, praehabito judicio Superioris ecclesiastici, integrum erit ad alia vota transire, firma tamen manente obligatione, qua semper tenetur, curandi, si quo modo poterit, catholicam filiorum educationem.

Ad V. Provisum in praecedentibus.

Ad VI. Negative, et in similibus casibus Missionarii, qui ex concessione apostolica pollent facultate dispensandi super disparitate cultus, caveant ne dispensationem concedant, nisi remoto polygamiae periculo.

Ad VII. Quum agatur, uti supponitur, de Matrimonio legitimo in infidelitate contracto, mulier separetur a secundo viro omnino et cum effectu; et si ob gravissimas causas et realem impotentiam separari nequeat quoad habitationem, separetur saltem quoad torum et consuetudinem, nullum amplius habens cum eodem viro tractum, aut carnale commercium. Deinde de more instruatur, ei praecipue notificando, quod suscepto baptismo non dispensetur ab obligatione, quam habet redeundi ad primum maritum; et quatenus post debitam instructionem constet, eam moveri ad accipiendum baptismum ex vero religionis motivo, admittatur statim ad baptismum, eoque collato, interpelletur omnino primus vir, et interrogetur utrum converti velit, aut sine contumelia Creatoris cum ea vitam traducturus sit, et de omnibus resultantibus R. P. D. Vicarius Apostolicus Sacram Congregationem certiorem faciat. Quod si vero summarie saltem, et extrajudicialiter constet conjugem in infidelitate relictum adeo esse absentem ut moneri legitime non possit, aut monitum intra tempus in monitione praefixum, suam voluntatem non significavisse vel, si adiri quidem possit conjux infidelis, sed de comparte jam facta Christiana interpellari nequeat sine evi-

denti gravis damni ei vel Christianis inferendi periculo, quin hujusmodi damna cum necessaria circumspectione et cautela removeri possint, haec omnia Apostolicae Sedi renuntiabit Vicarius Apostolicus, expressis nominibus et expositis gravissimis causis pro obtinenda dispensatione super impedimento dirimenti disparitatis cultus, si praetensus secundus vir adhuc in infidelitate persistat, et narratis omnibus rerum, personarum, et facti adjunctis, ut in re tam gravis momenti procedi tuto possit.

Ad VIII. Matrimonium etiam in infidelitate contractum natura sua est indissolubile, et tunc solum quoad vinculum dissolvi potest virtute privilegii in favorem fidei, a Christo Domino concessi, et per Apostolum Paulum promulgati, quando conjugum alter Christianam fidem amplectitur, et alter nedum a fide amplectenda omnino renuit, sed nec vult pacifice cum conjuge converso cohabitare, absque injuria Creatoris, ideoque non esse locum dissolutioni quoad vinculum Matrimonii legitime contracti in infidelitate, quando ambo conjuges baptismum susceperunt, vel suscipere intendunt.

—

EX S. POENITENTIARIA

Explanatio *resolutionis antiquioris circa divortium civile a Magistratu catholico pronuntiandum, valido remanente matrimonio religioso.*

Eme ac Rme Domine,

Joannes Ludovicus Robert, Episcopus Massilien., Sacram Em. Tuae Purpuram deosculans, humiliter exponit ut infra:

Repetitis licet vicibus Sanctae Sedis oraculum quid sentiendum sit declaraverit, de actu civilis judicis divortii sententiam inter conjuges ferentis legitimo matrimonio coram Ecclesia inito conjunctos, theologorum in Galliis imo et Episcoporum unus interpretandis S. C. decretis non est sensus. Major etiam animarum confusio facta est, ex quo publicae ephemerides S. Poenitentiariae responsum evulgarunt die 24 Septembris 1887 Episcopo Ord. Lucionensi datum, nimirum Syndicum, in casu praemissis utique debitis declarationibus, divortium pronuntiare tolerari posse: quod responsum in periodico *Le Canoniste Contemporain* scriptor aliquis ita interpretatus est, ac si decreto aequivaleret permittendi generatim Syndico, ut, praemissis debitis declarationibus, divortium in casu simili pronuntiet. Et aliunde ex quo idem responsum publici juris factum est, magis magisque invaluit opinio actum judicis divortii sententiam ferentis atque Syndici illud pronunciantis, dummodo praemittantur praescriptae declarationes, non esse juri divino contrarium nec proinde malum intrinsecum.

Quapropter praedictus orator, utpote quia hucusque oppositam sententiam ex decretis ab S. R. U. inquisitionis hac de re latis, tanquam unice veram tenebat et docebat, supplex, ut propriae in obeundo Episcopali suo munere conscientiae consulat, responsum super duplici sequenti dubio expostulat.

I. Utrum ex memorato S. Poenitentiariae ad Episc. Ord. Lucionen. rescripto deducere liceat, universim Syndicos, in Gallia, qui secus Officio suo cedere cogerentur, praemissis debitis declarationibus, divortium inter conjuges, in facie Ecclesiae ligatos, tuta conscientia pronuntiare posse?

II. Utrum idem dici valeat de judice civili, inter similes conjuges, et sub iisdem declarationibus, divortii sententiam ferente?

Massiliae, die 25 Aprilis 1890.

(Signatus) Ludovicus, *Episc. Massilien.*

Sacra Poenitentiaria, mature consideratis expositis, ad proposita dubia respondet:

Ad I. Sacra Poenitentiaria in rescripto, de quo agitur, edendo, id unum in mente habuisse, ut casui particulari pro ejus circumstantiis et exigentiis provideret.

Ad II. Negative.

Datum Romae, in Sacra Poenitentiaria, die 4 Junii 1890.

R. Card. Monaco, *P. M.*
Hip. Can. Palombi, *S. P. Secret.*

—

EX S. R. CONGREGATIONE

DECRETUM

Quo festum S. Joannis Damasceni, S. Joannis a Capistrano, et S. Silvestri abb. ad universalem Ecclesiam extenditur.

URBIS ET ORBIS

Quod jampridem erat in votis Christifidelium Catholici Orbis, ut celebraretur ubique memoria Sanctorum Confessorum Joannis Damasceni, Silvestri Abbatis et Joannis a Capistrano, quorum primus pro ea qua inclaruit praestantia doctrinae, alteri pro apostolicis operibus, quibus animarum saluti profuerunt, Ecclesiam Dei mirifice illustrarunt; id nostra hac aetate plurium sacrorum Antistitum, ac Virorum dignitate insignium ingeminatis precibus a Romana Sede enixius postulatum est.

Hinc ejusmodi supplicibus votis libenter obsecundans Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII rem omnem commissam voluit maturo examini et judicio Sacrorum Rituum Congregationis; quae in Ordinario Coetu coadunata, audito voce et scripto R. P. D. Augustini Caprara Sanctae Fidei Promotoris, petitam Festorum extensionem ad universalem Ecclesiam ita concedi posse censuit, nimirum ut de S. Joanne Damasceno Confessore fiat die XXVII Martii sub ritu duplici minori, addita *Doctoris* qualitate; de S. Silvestro Abbate, die XXVI Novembris sub eodem ritu; ac demum de S. Joanne a Capistrano Confessore agatur die XXVII Martii sub ritu semiduplici. Respectiva tamen Officia cum Missis de enuntiatis Sanctorum Festis, cura ipsius Sacrae Congregationis quantocius fieri possit edenda, anno millesimo octingentesimo nonagesimo secundo ab omnibus, qui e Clero tam Saeculari quam Regulari ad Horas Canonicas tenentur, in posterum recitanda sunt: servatis Rubricis.

Insuper iidem Emi ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus Praepositi decernendum putarunt, ut sexta lectio Officii de Sacratissimo Corde Jesu, cujus Festum ab eodem Sanctissimo Domino Nostro ad ritum Duplicis primae classis anno superiore pro universa Ecclesia evectum est, deinceps ita concludatur, videlicet: « Quam paritatem Christi patientis et pro « generis humani redemptione morientis, atque « in suae mortis commemorationem instituentis « sacramentum corporis et sanguinis sui, ut « fideles sub sanctissimi Cordis symbolo devo- « tius ac ferventius recolant, ejusdemque fructus « uberius percipiant, Clemens Decimus tertius « *ipsius sacratissimi Cordis festum nonnullis Ec-* « *clesiis celebrare concessit, Pius Nonus ad uni-* « *versam extendit Ecclesiam, ac denique Summus* « *Pontifex* Leo *Decimus tertius, orbis catholici* « *votis obsecundans, ad ritum Duplicis primae* « *classis evexit* ».

Sanctitas porro Sua, ad relationem mei infrascripti Cardinalis Sacrae Rituum Congregationi Praefecti, sententiam ipsius Sacrae Congregationis in omnibus ratam habens et confirmans, memorata tria Festa sub enuntiato ritu statisque diebus ad universam Ecclesiam extendit, simulque praefatam additionem ad calcem supradictae lectionis in Officio Sacri Cordis Jesu approbare dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die XIX Augusti MDCCCXC.

C. Card. Aloysius Masella, *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi, *Secretarius.*

—

BREVE

Leonis XIII *ad Rmum P. Ministrum Generalem, quo ipsi renovatur privilegium commutandi* viginti Pater Ave *et* Gloria *ad lucrandas Indulgentias Viae Crucis cum Crucifixo benedicto, mutatis tamen conditionibus.*

LEO PP. XIII

Dilecte Fili
salutem, et apostolicam benedictionem.

Exponi Nobis curavisti, ex benignitate Apostolica Ministro Generali Ordinis tui pro tempore existenti, aliisque Sacerdotibus tum saecularibus, tum regularibus ab eo delegatis privilegium fuisse concessum Crucifixos benedicendi cum applicatione indulgentiarum Viae Crucis, seu Calvariae, ita ut christifideles, qui legitime impediantur quominus pium exercitium Viae

Crucis, in locis, ubi ipsum rite institutum est, peragere possint, si ante imaginem Crucifixi Redemptoris sic benedictam vicies repetant Orationem Dominicam, salutationem Angelicam, et laudem *Gloria Patri* easdem Viae Crucis indulgentias adipiscantur. Insuper roganti decessori tuo Summus Pontifex Pius Nonus rec. mem. litteris XVIII Decembris MDCCCLXXVII benigne concessit, ut ipse, durante munere, gravi morbo laborantibus hanc recitationem in breviores aliquas preces commutare posset. Jam vero cum tu, dilecte fili, similem Nobis adhibueris postulationem, Nos piis hujusmodi votis tuis obsecundare volentes, tibi facultatem facimus, *ut donec Ministri Generalis Ordinis tui munere fungaris,* iis tantum, qui deficientibus gravi morbo viribus, recitandis *viginti Pater, Ave, et Gloria* omnino impares sint, concedere possis, ut eorum loco ad acquirendas indulgentias Viae Crucis, ipsi ore recitent Actum Contritionis, et invocationem « *Te ergo quaesumus tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti* » et mente saltem sequantur recitationem ab alio adstante factam *trium Pater, Ave, Gloria.*

Non obstantibus nostra, ac Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die IX Septembris MDCCCXC, Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

Pro Dño Card. LEDOCHOWSKI.

J. Archiep. Seleucien, *Substitutus.*

II.

ACTA ORDINIS

—

MONITUM

Sicut annis elapsis, monentur Superiores Provinciarum Ordinis nostri, praesertim ex regionibus Europae Septentrionalis, adesse Bordighera in ora ligustica mediterranei maris prope Ventimiliam, Terrae Sanctae Hospitium in quo hiemali tempore admitti poterunt *tres quatuorve* Sacerdotes nostri, qui ad reficiendas vires mitiori climate indigent, dummodo brevi concione, singulis dominicis habenda in lingua Anglica vel Gallica vel Germanica et confessionibus audiendis in eisdem idiomatibus impares non sint, in commodum Catholicorum, qui ad hiemandum quotannis ad hunc amoenum situm confugiunt.

Ministri Provinciales, qui tales haberent in suis Provinciis Sacerdotes, ad Ministrum Generalem scribant, opportunas informationes et obedientiales litteras recepturi. Sic enim et bono animarum et saluti quorumdam nostratum, qui debili valetudine laborant, providebitur.

—

CAUSAE SANCTORUM ORDINIS NOSTRI

XVIII.

Vener. EMMANUELIS RUIZ, *Hispani et aliorum septem Sociorum Martyrum I. Ordinis.*

Inter acerbas persecutiones postremis hisce temporibus ab infidelibus in fideles excitatas, immanissima quidem tum genere tormentorum, tum Martyrum copia (plus enim duodecim millia adnumerantur) fuit illa, quae mense Julii anno 1860 Mahumetanos Drusosque, Damascum in Syria incolentes, habuit auctores. In qua omnes Religiosi Ordinis nostri, qui tunc temporis in illius urbis coenobio morabantur, crudelissime interempti fuere. Octo hi erant numero, sex Sacerdotes ac duo Laici; qui, duce P. Emmanuele Ruiz maxima fidelium aedificatione spiritualem Christiani populi curam agebant, verbis exemplisque homines ad pietatem, vitaeque sanctimoniam allicientes. Hinc dum filialem devotae plebis affectum sibi comparaverant, in se ab adverso converterant iram furoremque paganorum; qui,

vix erecto persecutionis vexillo, illos uti praecipuas victimas immiti eorum ferociae debitas voluere. Hinc nocturno tempore coenobium invadunt, flammas cladibus miscent, Religiososque viros blanditiis minisque frustra ad apostasiam incitatos barbaris, immanibusque cruciatibus ad obitum adducunt. Cadunt Christi victimae impavido pectore, proprio madefactae cruore; eorumque animae Martyrum palmis exornatae ad augendas catholicorum heroum cohortes fulgidas aeternae beatitudinis januas ingrediuntur.

Primus itaque inter hos inclytos Martyres, ut superius innuimus, recensetur R. P. Emmanuel Ruiz Conventus Guardianus, qui anno 1825, cum jam vigesimum tertium aetatis suae annum complesset, in Hispanica Provincia Immaculatae Conceptionis B. M. Virginis religioso habitu inter Minores Observantes suscepto, summaque cum laude Theologicis studiis expletis, sese ad predicandum infidelibus Christi verbum divina voce vocatum intellexit; unde ad Terrae Sanctae Missiones destinatus fuit. Ibi, arabica lingua brevi tempore edoctus, totum se dedit curandae aeternae fidelium saluti; assiduisque studiis vitaque integerrima uberes retulit fructus. Verum haud interrupti duodecim annorum labores adeo ejus corporis vires consumpserant, ut ad amissum valetudinis florem recuperandum necesse ei fuerit Hispaniam repetere. Instauratis aliquantulum viribus, novo apostolico fervore inflammatus, rursus anno 1852 Missionarii officium suscepit; ac propter singulares ejus virtutes Praeses electus fuit prius hospitii loci, qui vulgo dicitur *Ramla*, dein Damasceni coenobii; quod dum tanta vitae sanctimonia regeret, anno aetatis suae quinquagesimo sexto martyrii palmam gloriose promeruit.

Huic sequitur P. Carmelus Botta, pariter Hispanus, qui in Valentina Provincia Min. Obs. Ordinem ingressus, anno 1825 solemnia vota nuncupavit. Emensa magna cum laude studiorum palaestra, in Palaestinam missus fuit, ac arabica lingua bene instructus Damascum se contulit, ibique Parochus ac juvenum Missionariorum Magister institutus fuit. His muneribus maxima sedulitate ac diligentia functus est; ac quodvis ei superesset temporis in erudienda italicae literaturae praeceptis Damascena juventute, curandoque externi cultus in propria Ecclesia nitore insumebat. Adeo autem virtutibus vitaeque integritate omnibus exemplo fuit, ut immaturam ejus mortem civitas tota defleverit.

Tertius accensendus est P. Engelbertus, seu Angelus, Holland Provinciae Reformatae Tyrolensis S. Leopoldi, vir eximiae sanctitatis singularisque moribus innocentiae; qui, ortus in pago vulgo *Ramisau* anno 1827, ab ipso primae pueritiae flore propter eximium animi candorem puritatemque vitae maximam suorum admirationem sibi comparavit. Vigesimo aetatis anno Religionem ingressus est; ac postquam octo regularis observantiae annos duxisset, ferventis sui animi voti compos effectus, in Palaestinam mittitur. Ingenio praeditus acuto, humanis litteris historicisque studiis apprime edoctus, praeter arabicam ac latinam, hispanam quoque, gallicam, italicam, alemannamque linguas callebat; suique animi vires, ingeniique notiones in catholicae fidei emolumentum contulerat. Hinc assiduis pro animarum salute laboribus exantlatis ac P. Emmanueli in pastorali munere adjutor indefessus, omnium sibi Catholicorum animos adsciverat, quapropter eum veluti patrem amantissimum diligebant.

Tenet quartum locum inter hos Martyres P. Nicanor Ascavius ex Observanti Castiliana Provincia. Hic ortus anno 1814, religiosum habitum induit anno 1830. Tristia pro hispanica Ecclesia tempora volvebant; siquidem cum civilem ordinem subversores homines potiti essent, Religiosas familias e Conventibus exturbaverant. Tunc, et Fr. Nicanor in patriam, seu locum nativum, reversus, ibi ecclesiasticas scientias didicit, ac ad Sacerdotium evectus praedicationi munus maximo cum animarum fructu plures annos exercuit. Tandem anno 1852, quod jamdiu concupiverat, obtinuit; scilicet ut Palaestinae Missionariis comes laborum accenseretur. Verum post paucos annos barbarorum manu Martyrum coronam accepit.

Duo, qui supersunt Sacerdotes, sunt P. Nicolaus Alberga ex Corduba in Andalusia, ac P. Petrus Saler de Arca Provinciae Murciensis; ambo eximia virtute viri, quorum primus anno 1830, alter vero anno 1827 exorti, ac in ipso adolescentiae flore Minorum Ordinem professi, emenso ecclesiasticae disciplinae curriculo, in Palaestinam missi sunt; ibique alacri

animo ad arabicae linguae studium incumbebant cum a barbaris necati gloriosa morte ad superos evolarunt.

Hos inclytos Sacerdotes duo Laici comitati sunt, quorum nomina Fr. Franciscus Pinaz d'Aspuentes, et Fr. Joannes Jacobus Fernandex. Primus a Valentina Hispalensi Provincia anno 1812 exortus, decimo nono aetatis anno Minorum S. P. N. Francisci habitum indutus est. Dein anno 1843 in Terram Sanctam profectus in pluribus nostri Ordinis coenobiis maximam perfectionis famam adeptus est. Postquam aliquot annos Hierosolymae moratus esset, in Damascenum Monasterium translatus gloriosam ibi mortem oppetiit. Alter vero anno 1808 natus, vix adolescens effectus, ad claustra Minorum evolavit. Statim se cupidum ostendit religiosam Palaestinae Missionem inserviendi; verum nonnisi anno 1859 voti compos effectus est. Summa cum pietate veneranda Religionis nostrae monumenta invisit; dein Damasceni coenobii famulatui destinatus, ibi propter eximiam pietatem, maximamque humilitatem omnibus acceptus erat: dignus propterea qui a DOMINO martyrii palma decoraretur.

Superstites Damasceni cives tanta horum Martyrum fortitudine permoti, quos fidei magistros optimarumque virtutum exemplum haberant in terris, eos purpureas Martyrii coronas adeptos uti caelestes patronos venerari, seseque eorum intercessioni commendare coeperunt. Eo vel magis quod DEUS ipse, uti plures fidei digni testes narrant, aliquibus supernaturalibus signis sanctitatem Servorum suorum detectam voluit. Hinc *Ordinarii* Processus super eorum martyrio conditi, hinc probationes collectae, hinc supplices preces SSmo Domino Nostro LEONI XIII porrectae, ut novorum Martyrum *Causa* ad fovendam fidelium pietatem, ad novum Ecclesiae, Ordinisque nostri decus *introduceretur*. Quas humiles preces primum Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis, in Conventu ordinario ad Vaticanum habito die 17 Decembris anni 1885 benigne exaudivere; postea vero idem Summus Pontifex propria manu *signare* dignatus est *Commissionem Introductionis Causae* praedictorum Servorum DEI P. Emmanuelis Ruiz et Sociorum. Hic et nunc magna cum diligentia *Processus Apostolicus* apud Curiam Vicariatus Apostolici in Syria conficitur.

Habetur apud Postulationem Generalem tum imago, tum brevis Historia horum Vener. Martyrum a R. P. Victore Bernardino de Rouen Gallice conscripta, sed nunc italice reddita.

—

CAPITULA PROVINCIALIA

anno 1890 celebrata

—

XVIII.

Ref. Prov. Vallis Mazariae in Sicilia.

A Rmo P. Ministro Generali ejusque Definitorio die 18 Septembris electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Salvator a Montemellis.

CUSTOS PROVINCIAE

R. P. Antonius a Marinaeo.

DEFINITORES PROVINCIAE

R. P. Bonaventura a S. Margarita.
R. P. Joseph a Marinaeo.
R. P. Joannes a Cianciano.
R. P. Vincentius ab Arcecolumbae.

—

XIX.

Ref. Prov. VII Martyrum Calabriae Ulterioris.

A Rmo P. Ministro Generali ejusque Definitorio, vi facultatum a S. Sede concessarum, die 18 Septembris electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

A. R. P. Paschalis a Regio, ex-Miss. Ap.

CUSTOS PROVINCIAE

A. R. P. Bonaventura a Soriano, ex-Minist. immediat.

DEFINITORES PROVINCIAE

R. P. Theophilus a Drapia.
R. P. Bernardinus a Cardinali.
R. P. Jacobus a Bianco.
R. P. Bernardinus a Bianco.

—

XX.

Ref. Prov. Calabriae Citerioris.

A Rmo P. Ministro Generali ejusque Definitorio in Generali Congressu die 18 Septembris habito electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Franciscus Antonius a Morano.

Custos Provinciae

A. R. P. Daniel a Sersale, ex-Min. inmed.

Definitores Provinciae

R. P. Clemens a S. Stephano.
R. P. Franciscus Maria a Morano.
R. P. Bonaventura a Bisiniano.
R. P. Innocentius a Sersale.

III.
MISSIONES

RESPUBLICA PERUVIANA

Collegium Sancti Antonii Patavini de Cuzco Anno 1890.

Reverendissime Pater,

Lubenti animo Rmae V. Pat. mandatum exequens, breviter exponam Pat. V. Rmae ea omnia ad nostrum Collegium pertinentia, ut labores ab hujus Collegii Missionariis in obeundo apostolico ministerio tolerati, cognoscantur.

Apostolicum hoc Collegium extra moenia civitatis *Cuzci* situm est. Haec civitas (Cuzco) sistit ad grad. 13° 25' Lat. Australis, ac 73° 60' Long. Occidentalis, juxta Meridianum Parisiensem. Ad. 14,000 ped. et dim. supra mare elevatur. Clima ejus benignum ac salubre est.

Tota Dioecesis Cuzci confinia habet ad Septentrionem cum *Ayacucho* et *regionibus Infidelium;* ad Orientem cum eisdem regionibus et *Puno;* ad Meridiem cum *Puno* et *Orequipa,* et ad Occidentem cum *Ayacucho.*

Incolarum hujus Dioecesis numerus est 500,000 et supra; in eadem autem civitate Cuzci 35,000 habitatores enumerantur. Omnes sunt catholici, et hispanica lingua et *Quichua* utuntur.

Cuzco est Sedes Episcopalis, cujus jurisdictio ad 15 Provincias extenditur. In hisce Provinciis 105 Paroeciae numerantur. Sacerdotes saeculares in tota Dioecesi 123 adsunt; quorum 12 sunt Canonici, 82 Parochi et alii 7.

Ecclesiae in hac civitate, praeter Ecclesiam Cathedralem, sunt 20; Oratoria publica 5. Existit Seminarium Conciliare sub titulo S. Antonii Abbatis in quo 120 interni et externi educantur.

Conventus Regularium sunt: S. Dominici cum 10 Sacerdotibus; S. P. N. Francisci (Convento Masimo) cum 4 Sacerdotibus; et Religiosorum Redemptionis Captivorum cum 7 Sacerdotibus. *Monasteria* Monialium sunt S. Catharinae cum 22 Monial.; S. Clarae cum 20 Monial. plus minusve; et S. Teresiae cum 19 Monialibus. *Congregationes* Mulierum piarum, quae professionem votorum simplicium emittunt, sunt sequentes: *Nazarenas* cum 22; *Carmen Alto* cum 13; *Sanctae Rosae* 14; Mutkkapuccyo cum 5; et *Belen* cum 9. Existit etiam Hospitale pro viris et mulieribus, quibus 8 Sorores, Filiae *Stae. Annae* dictae spirituales corporalesque curas praestant.

Habetur insuper in hac civitate Collegium nuncupatum *Universidad* cum 63 alumnis, in quo traditur Philosophia, Ius civile etc. 2 Collegia Nationalia, unum pro pueris cum 100 alumnis et alterum pro puellis cum 87 alumnis, et Scholae elementares municipales, quae in Civitate sunt pro pueris 17 et pro puellis 9 in quibus numerus alumnorum ad 330 accedit. Existunt denique Collegia particularia 4 pro pueris et pro puellis in quibus instructionem recipiunt pueri 300, et puellae 230.

Collegium Missionariorum Sti. Antonii de Padua.

Hic locus, ab ejus fundatione a R. P. Fr. Francisco de Velasco, anno 1598, fuit Conventus Fratrum Recollectorum usque ad mensem Junii anni 1860. In eodem anno 1860 vero erectus fuit in Collegium Apostolicum de Propaganda Fide, servatis de jure servandis, a R. P. Fr. Melchiore Vera.

Structura Collegii praebere potest triginta Religiosis habitationem. Separatim adest domus

pro Novitiis, Clericis Professis et Postulantibus, bibliotheca aliaque Communitati necessaria.

Alumni hujus Collegii 29 enumerantur; quorum 11 sunt Sacerdotes, Clerici Professi 3, Laici 7, Postulantes ad habitum 5, Donati 3. Juvenes Clerici et Postulantes vacant respective Grammaticae latinae, Philosophiae, Theologiae Dogmaticae et Morali, aliisque scientiis secundariis.

In hac amplissima et populosa Dioecesi ministerium Apostolicum inter fideles exercitatum ab hujus Collegii Missionariis valde laboriosum est, ita ut plusquam centum oppida visitent. Haec est portio Christifidelium, in qua principaliter hujus Collegii Missionarii totis viribus et assidue laborant a triginta annis usque ad praesentes dies: nempe in audiendis confessionibus Monialium, Sororum et alumnorum Seminarii atque Collegiorum, nec non utriusque sexus fidelium, in Ecclesia et in eorum domibus die noctuque in sana et aegra valetudine; in exercitiis spiritualibus dandis tum Clero Saeculari et Regulari, tum Monialibus et Sororibus, tum Seminario aliisque Collegiis, tum populo fideli; in praedicatione divini Verbi, sive in nostra, sive in Cathedrali Ecclesia, sive in aliis; in Missionibus dandis fere in omnibus paroeciis hujus Dioecesis, et in aliquibus etiam dissitis, sicut etiam in hac civitate; et denique in adjuvandis parochis quoties postulant, praesertim tempore Quadragesimae et aliarum festivitatum. Talis fit concursus poenitentium in nostra Ecclesia, ut Missionarii fere omnes in Collegio degentes, quotidie per plures horas sedem confessionalem occupare debeant.

In omnibus his ministeriis Apostolicis Missionarii tum lingua Hispanica tum Quichua utuntur.

Tertius Ordo S. P. N. Francisci ultimis hisce temporibus valde propagatus est, non solum in hac civitate Cuzci, sed etiam in aliis hujus Dioecesis oppidis.

Nuper aedificata est domus, ut in ea exercitia spiritualia dentur; haec domus ad nostrum Collegium pertinet, et quotannis Alumni hujus Collegii quatuor series exercitiorum spiritualium dant, scilicet: 2 in Hispanica lingua, et 2 in Quichua.

Quamvis, conversiones infidelium ad fidem sint primus Collegiorum scopus, et cujuslibet Collegii gloria principalis, et Missionarii ante oculos hunc finem habere debent, attamen hic et nunc non habet hoc Apostolicum Collegium Missiones inter infideles; quia hujus Collegii alumni sunt paucissimi et fere omnes admodum juvenes sunt ad mittendum. Ab erectione hujus Collegii aggressi sunt ter vel quater nonnulli Missionarii explorationem *regionum infidelium* ut Missiones inter eos fundare possint, sed sine aliquo exitu.

Haec sunt, Rme Pater, quae rudi quidem calamo sed maxima diligentia scribere judicavi.

Interim, sum Pat. Vestrae Rmae obsequentissimus filius in Domino.

Cuzco, die 3 Junii 1890.

Fr. Jgnatius Leturia, *Guardianus.*

IV.

VARIA.

SERIES PRAELATORUM

Ref. Provinciae Poloniae Minoris sub Titulo Beatissimae Virginis Mariae *Angelorum in Imperio Russico.*

(Continuatio).

8. A. R. P. Chrisostomus Dobrosielski (Dobrosielscius) electus in Cap. 12 Sept. 1658. Nobilitatem generis, virtutum stematibus auxit et insignivit. Chrisostomus fuit ex primis Reformationis Polonae Promotoribus, ad quam strictioris vitae zelo a familia Observantina adhucdum Clericus transivit, eoque perfectionis doctrinae ac maturissimae prudentiae pervenit, ut mox finito studio theologico in Provinciam Majoris Poloniae Custos Regiminis eligi meruerit et in Generali Capitulo Romano a. D. 1639 aucthoritate Pontificia primus Minister declararetur. Ubi rebus optime compositis ad hanc Minoris Poloniae sibi nativam regressus in ea quoque munia Guardiani, Definitoris laudabiliter tractavit, potissimum vero per annos 12 Magistri Novitiorum Officium utilissime exercuit. Se ipsum exhibens novellis pro singulari Idea devotionis, abnegationis omniumque aliarum virtutum. In hoc munere conscripsit lucique publicae dedit: « *Theologiam Asceticam* », in quo libro omnes asceseos fontes aperuit et ex illis tota haec Provincia, multaeque aliae Religiones, hauriunt aquam sapientiae salutaris. Octavus denique Minister in hac Provincia electus eam sanctissime rexit, non tantum verbo salutis, sed exemplo arctissimae paupertatis, sobrietatis et austeritatis vitae. Vielicii

dum saevissima pestis grassaretur cum aliis tribus Provinciae patribus obsequio pestiferorum heroice deservivit, sanus tamen evasit et vitae reliquiam in studiis solitudinis, contemplatione assidua, multorum etiam doctissimorum tractatuum scriptione traduxit. Videbatur semper unitus Deo et in eo fere absorptus. In extremo quoque senio, nihil remittens a pristino vivendi rigore. Demum continuo anhelans ad caelestem patriam, morte pretiosa decessit a. D. 1676 die 1 Junii magno sui desiderio, non minori sanctitatis eximiae opinione relicta. Manus ejus dextera, qua scripsit aurea opera, plurimis a morte annis, omnino integra conditorio reposita est, atque incorrupta perseveravit.

9. A. R. P. Franciscus Rychlowski (Rychlowscius) secundo electus Vielicii 19 Sept. 1661 (vide ut supra).

10. A. R. P. Valerianus Rzewuscki (Rzewuscius) electus in Cap. Zakliczyni die 8 Sept. 1664. Nobili genere natus; relicto mundo cum opibus et honoribus ipse ad signa S. Francisci Seraphici convolavit ad quae tres alios fratres exemplo suo pertraxit. Vixit in Reformatione pro Observantia strictiori zelosus omnibus Provinciae officiis dexterrime perfunctus, discretionis spiritu plenus, per omnia exemplaris, ob zelum animarum Vielicii pestiferorum obsequium infatigabiliter sustinuit. Absoluto Ministeriatus officio, in lectione librorum et asceticis exercitiis indefessus. Idea fuit Novitiis penes quos locabatur saepius. Demum hydrope et artreticis doloribus conflictatus, innumeros pro Deo et Religione labores, beata morte conclusit; anno vitae Religiosae 40. a. D. 1696 die 18 Octobris Cracoviae.

11. A. R. P. Christinus Chojecki (Chojecius) secundo electus in Cap. Vielicii die 8 Octobris 1667 qui supra. Obiit Leopoli 23 Octobris 1678.

12. A. R. P. Franciscus Rychlowski (Rychlowscius) tertio electus in Cap. Cracoviae die 9 Aprilis 1671 ut supra. Mortuus 1673 die 21 Martii.

A. R. P. Ludovicus Rózycki (Rózycius) Vicarius Provincialis, electus Cracoviae 2 Maji 1673. Sublimi doctrina, parique pietate memorandus, qui juvenis Religionem ingressus, morum elegantia, literaturae studio, inter paucos hanc Provinciam exornavit, doctissimis vero ac fervidis praedicationibus etiam luci publicae datis zelum suum erga salutem animarum luculentissime commonstravit. Philosophiam ac Theologiam sacram, pluribus annis fructuose legit. In regimine vero fratrum omnes qualitates superiore dignas adeo comprobavit, ut praeter alia munia semel egerit Vicarium Provincialem bis autem Ministri officium condigne absolverit. Edidit in lucem librum sub titulo: « *Umbra apologetica* » cujus materia etsi postea non sit omnibus usquequaque probata, ingenium tamen auctoris et solida doctrina clarissime demonstratur in hac umbra. In decursu suae vitae, pro majoris quiete Spiritus in Conventu Glivicensi residentiam sibi elegit, ita ceteroquin saluti propriae vacabat; ne proximorum deesset, munus namque zelosi Missionarii in illis partibus foede haeresum abundantibus circumquaque strenue agebat et tam verbo quam exemplo multorum corda, ad viam salutis reduxit. Demum asperitate vitae continuis laboribus et annis fractus, temporale exilium pro aeterna patria commutavit, praevia dispositione pientissima, aetatis religiosae 51. a. D. 1698 di 3 Augusti.

13. A. R. P. Ludovicus Rózycki (Rózycius) electus in Cap. Cracoviae 1 Julii 1674 ut supra.

14. A. R. P. Constantius Przystalowski (Przystalowscius) nobili genere natus militarem vitam per aliquot annos egit. Sentiens se vocari a Deo ad Religionem, ut vocationis exprimeret veritatem Reformationi nostrae nomen dedit, ubi in perfectionis religiosae ac sapientiali studio a tyrocinio suo proficiebat, idcirco utroque pietatis ac severioris literaturae suffragio adstipulante, continuo ad Religionis officia aptabatur. Lector eminenti scientia celeberrimus. Philosophiam ac Theologiam sacram pluribus annis magno studentium fructu, non minori legit diligentia, pluresque discipulos eo scientiae imbuit, ut Ministros Provinciales ex eis haberet isthaec Provincia. Praedicator suo aevo inter quosque doctissimos audiit et passim ille Magnatum funebres exequias aliosque solemnissimos actus praedicatione sua exornavit. Munia Guardiani, Definitoris, Custodis commendatissime exegit. In Ministrum Provincialem sub praesidentia A. R. P. Maxentii Eisner Prov. Austriae in Cap. Cracoviae d. 3 Julii 1677 electus primum interm. Congr. Def. celebravit in Convent. Becensi 1678. Secundam in Conv. Cracoviensi d. 21 Aug. 1679. Romam pro Generali Cap. pedester omnino innixus soli providentiae Divinae adivit. Postquam in Patriam rediisset consumatus brevi quidem sed gravi infirmitate correptus sumpto Viatico Cracoviae a. D. 1684 die 20 Octobris ad coelestem patriam, vitae religiosae 23, migravit.

15. A. R. P. Paulus Jezierski (Jezierscius) nobilissimo prognatus sanguine virtutibus nobilior in Religione emicuit humilitate potissimum ac patientia. Magister Novitiorum saepius institutus, devotionis spiritu, mortificatione utriusque hominis, chori frequentia, morum gravitate praeluxit junioribus. In Guardianatu observantiae promotor, paupertatis seraphicae zelator eximius, demum non tantum ob sublimem doctrinam, sed etiam ob raram prudentiam post alios gradus in Cap. Cracoviae 18 Augusti 1680 ad Provincialatum assumptus eo laudabiliter exacto vitam privatam humilitatis studio duxit, laborumque mercedem pretiosa morte reportavit a. D. 1686 die 6 Aprilis Stopnicii.

16. A. R. P. Ludovicus Rózycki (Rózycius) secundo electus in Cap. 4 Julii 1683 ut supra.

17. A. R. P. Joachimus Stanzel, omnigenae virtutis speculum. Lector S. Theologiae Zakhizyni-Praedicator devotus aeque ac doctissimus. Scripsit: « Expositio in Regulam Seraph. » « Exhortationes domesticae ad Fratres », exemplar summae austeritatis, paupertatis et humilitatis. Provincialis bis electus 7 Julii 1686 in Cap. Cracoviae et 25 Maji 1698 in Cap. Sandomiriae. Qua actualis Guardianus Cracoviae obiit peste 17 Novembris 1707.

18. A. R. P. Clemens Rakowicz (Rakowius) qui continuo de virtute in virtutem proficiens evasit Religiosus inter paucos eximius, moribus gravis, doctrina solidus, in meditatione potissimum dominicae Passionis ferventissimus. Talentis et laboribus suis optime foeneratus, egit Praedicatorem zelosum, lectorem doctissimum,

Guardianum vigilantissimum, demum post gradus Definitoris et Custodis vocalis in Cap. Cracoviae celebrato 30 Januarii 1689 Minister hujus Provinciae electus, verbo et exemplo strictiorem observantiam promovit. Subjectis fratribus justitiam et charitatem administravit. Absolutus ab officiis in summa paupertate, profunda humilitate, communis vitae studio, tempus reliquum duxit et variis infirmitatibus probatus cum pientissima dispositione mortalem vitam absolvit Lublini die 12 Septembris 1699.

19. A. R. P. Bonaventura Proszkowski (Proszkowius) electus in Cap. Solecii 1692 observantiae cultor et promotor zelosus, arctissimae paupertatis, humilitatis profundissimae. Obiit Cracoviae peste tunc tempore grassante a. D. 1707.

20. A. R. P. Jacobus Zagorowski (Zagorowscius) electus sub praes. A. R. P. Vicentii de Lodio, ex Refor. Prov. Romana in Cap. Cracoviae 30 Septembris 1695. In hoc Cap. A. R. P. Commissarius Generalis propalavit Decretum prohibitorium PP. Provinciae ad Capitula et Congregationes. Protestatione a PP. Provinciae facta contra decretum Commis. Generalis primum interm. Congregati celebratur 1696 in Conv. Stopnicensi, secunda Congr. celebrata Sandomiriae 16 Junii 1697. — Nobilissima natus prosapia, mundi opes et gloriam contempsit, seraphicam Religionem conversatione sancta adornavit, in moribus gravis et exemplaris, in labore strenuus Dei operarius, munia Praedicatoris, Magistri Novitiorum, Guardiani, Definitoris, Custodis prov. fructuosissime administravit, semel cum voto ad Capitul. Generale Victoriense in Hispania iterum ad Romanum pedester et absque provisione temporali iter molestissimum terra marique absolvit. Pro argumento devotionis erga S. Jacobum Apostolum suum tutelarem, ejusdem sepulchrum in Compostella visitavit. Minister Provincialis electus magno subjectorum exemplo peditando Provinciam visitavit et in caritate rexit, observantiam promovit. Exacto officio Conv. animi collectioni opportunum petiit, devotioni continuo intendit, variis demum infirmitatibus correptus, dum Lublinum curationis gratia pervenisset, mortis futurae praescius, sacramenta extrema pientissime suscepit, petitaque a superiore humiliter licentia moriendi e vivis decessit die 27 Septembris 1707.

21. A. R. P. Joachimus Stanzel secundo electus in in Cap. Sandomiriae 25 Maji 1698 ut supra sub praes. A. R. P. Bernardini Ungar Prov. Bohemiae Patris. 1.ª interm. Congr. Def. celebrata fuit in Conv. Biecensi die 28 Junii 1699 ex qua Congregatione A. R. P. Provincialis porrexit informationem Reverendissimo P. Ministro Generali de actis in Congregatione ac de jure PP. Provinciae accedendi ad Congregationes Capitulares tali modo: Pro Congregatione Capitulari 1.ª vocati fuerunt praeter R. P. Custodem et Definitores actuales, etiam PP. Prov. h. est illi qui fuerunt Ministri Provinciales. Cui vocationi et praesentiae PP. Prov. in Congregatione ipsa opposuerunt se Definitores. Quod autem vocati sunt PP. Provinciae ad Congreg. Capitularem, factum est (ut mihi notum est) ex jure. Nam primo Statuta Generalia Ordinis Cap. VIII § 46 de Congregatione Cap. n. 8. sic disponunt: « Ad Regulae Statutorum, et bonarum consuetudinum observantiam teneantur Ministri Provinciales sub propriorum officiorum privatione, singulis annis saltem semel convocare Definitores et PP. Provinciae, ut simul consulant de extirpatione abusuum, si qui irrepserint et disciplinae regularis promotione et conservatione serius tractent ». Item Cap. VIII § 39 de Defin. n. 8. Item Cap. VIII n. 43. Cap. VIII n. 47. Stat. Provin. Cap. VIII § 1 n. 5. — Et multa alia — Annal. Min. tom. 3 pag. 299-303.

22. A. R. P. Antonius Wengrzynowiez (Wengrzynowius) Cracoviae spectatissimis parentibus natus. Religionem a. D. 1675, aetatis suae a. 17° in ea toto vitae suae decursu, ut religiosus in moribus gravis, exemplaris, vitae communis observator punctissimus. Absolutis cum laude studiis, Lectoris Philosophiae ac S. Theologiae munus diu tractavit diligentissimum studium cum pietate conjungendo, otii acerrimus hostis, nullam temporis particulam sinebat in vacuum ire, unde praeter exercitationes doctrinales innumeros legit authores in omnique materia. Vir doctissimus evasit. Interim Mathesi, Pictoria, Sculptoria et aliis artibus sese distrahendi animi gratia occupabat. Paupertatis ac humilitatis amore libenter ostiatim panem mendicabat. Cilicio setoso ac ferreis catenulis jugiter carnem suam edomabat. Virginalis innocentiae custos exactissimus. Intuitu suarum qualitatum electus Definitor, Custos, Prominister ad Cap. Generale tandem ad regimen totius Provinciae in Capitulo Cracoviae 14 Augusti 1701 electus. Discretione et mansuetudine singulari praeditus. Quamvis corpulentus et statura sublimis, pedester tamen omnia sua itinera absolvit. Fratribus amabilis, exteris autem summopere venerabilis. Multa opera praebent testimonia doctrinae Philosophiae ac Theologiae ejusdem. Inter alia in lucem edidit: « 1 Melodia S. Casimiri » (opus concionum). 2 « Septem Tubae Apocalypticae » (opus concionum pro Dominicis). 3 « Columnae domus Sapientiae » (Conc. de Virtutibus). 4 « De quatuor Novissimis » (in Dom. anni.). 5 « Nuptiae Agni » (de Festis Div.). 6 « Alphabetum Marianum » (de Immac. Concept. B. V. Mariae). 7 « Syllabus Marianus ». 8 « Panoptia Ecclesiae Dei » (in controversias fidei). 9 « Theologia Ascetica ». — Plura ad laudem Dei scribere meditatus vix coepta reliquit, Guardianum agens Cracoviae paralisi attrectatus, eoque absoluto, mature se aeternitati paravit per varia pietatis officia. In choro nunquam voci parcens assiduus Dei laudes concinebat, culinae utensilia quotidie abluebat. Somnum parcissime admittebat. Contemplationi et lectioni spirituali incumbens vitam communem ac frugalissimam duxit. In ultima eaque gravi infirmitate Anagogiae et dispositioni animae intentus, die ac hora exitus sui praenuntiatis die 2 Augusti in festo S. V. M. Angelorum, quod semper optabat et unice a Matre Virgine exorabat, ad laborum suorum praemia commigravit. Anno Domini 1721, in Conventu Cracoviensi ad aedes S. Casimiri.

23. A. R. P. Sigismundus Babski (Babscius) genere nobili, adhuc juvenis Religionem ingressus Philosophiae ac Theologiae Lector, Magister Novitiorum, multoties Guardianus, Definitor, Custos. In Provincialem electus Cracoviae die 10 Augusti 1704 paupertatem arctissimam ut unus e minimis coluit. Infirmis magna charitate con-

descendit, sui contemptu, obedientia et singulari patientia post 56 annos vitae religiosae piissime obiit Solecii die 11 Maji 1720.

24. A. R. P. Christophorus Klimecki (Klimeccius) vir insignium qualitatum, votorum observator strenuus ac zelosus, in jure sacro philosophicis ac theologicis scientiis versatissimus, ea multis annis cum auditorum fructu praelegit, otii acerrimus hostis. Orationi, labori et multae lectioni assidue incubuit. Virgini Beatissimae mirum in modum devotus, ex illo Angelico Programmate: « Ave Maria gratia plena Dominus tecum » improbo labore sex mille pura Anagrammata elicuit, eaque luci publicae dedit sub titulo: « Chilias Liliorum ex horto Mariano decerpta ». Conscripsit item: « Novum modum propugnandi Immaculatam Conceptionem Deiparae ». Perfunctus laudabiliter omnibus pene officiis in Religione in Cap. Casimiriae 18 Junii 1707 celebrato in Ministrum Provincialem electus, munus illud infracto zelo administravit, paupertatis sanctae quam impense amavit custos vigilantissimus quaecumque nitorem hujus evangelicae gemmae obfuscare videbantur sustulit. Laboribus et senio fractus, collectioni mentis totum se dedit, Lublinum tandem designatus tribus annis in continuis infirmitatibus praeparans se ad mortem decessit a. D. 1720 die 16 Augusti, aetatis suae octuagesimo, Religionis 54, Lublini.

25. A. R. P. Antonius Wengrzynowicz (Wengrzynovius) secundo sub praes. A. R. P. Alexii Koralewicz s. Theol. Lectoris Def. Prov. Majoris Poloniae Refor. die 16 Junii 1710 in Conv. Becensi electus qui supra. In hoc Cap. inter alia statuta sunt; 1.° Candelabra de aurichalco rejiciuntur et lignea statuuntur. 2.° Lectio s. Scripturae tam temporis prandii, quam coenae in medio refectorii standi etiam a patribus, qui non sunt confessarii indispensabiliter fiat. Fundatio Residentiae Ressoviensis facta. Fundator Passakowicz Andreas valde infirmus enixe B. V. Mariam rogat, ut possit audire campanulam Ecclesiae Reformatorum pro devotione populum convocantem et sanatus est.

26. A. R. P. Augustinus Staniewski (Staniewscius) a tyrocinio vitae Religiosae in castris Dei strenue militavit. Regulae seraphicae observator exactissimus, quibusvis eximiis qualitatibus a Deo exornatus, vultu decorus, judicio maturus, consilio promptus, scientiis et moribus excultissimus, memoria felicissimus, in agendo dexterrimus, modestus, comis ac affabilis. Philosophiae ac Theologiae lecturam longo tempore magno auditorum profectu tractavit. Praedicator clarissimus ac celeberrimus, Magistri Novit., Guardiani, Definitoris, Custodis, Commissarii Generalis Majoris Poloniae, munia prudentissime gessit. In Cap. Cracoviae 19 Sept. 1713 suo tantum deficiente voto electus. Officium suum tanta prudentia, aequitate ac discretione administravit, ut iterum ab omnibus ad id munus desideraretur. Ultra alia pretiosa scripta, elegantissimo charactere conscripsit 4 tom. concionum; ast ignis edax, dum Guardianum ageret Vielicii omnia haec auctori et posteris eripuit cui damno, cum alii ex corde condolerent, ipse ut in omnibus vir magni animi resignantissime absque ullo doloris signo hanc decoxit jacturam. Ut erat Magnatibus acceptissimus in brevi Conv. Vieliciensem ab incendio vastatum reparari procuravit. Denique in quadam concione paralisi tactus, multis propterea dolorosis infirmitatibus praessus, per duos prope annos, ad mortem se praeparavit et in terra se deponi postulans, continuo anagogicis actibus, in quibus exercitatissimus fuit, vacabat, ac in illis verbis: « In manus tuas Domine commendo spiritum meum » animam Deo redidit Cracoviae 1722 die 5 Augusti, maximo fratrum moerore, utpote vir plane incomparabilis, Provinciae gemma, scientiarum athenaeum, virtutum Idea, proborum amor et deliciae.

(Continuabitur).

—

FUNDATIO

COLLEGII S. ISIDORI IN URBE

A P. LUCA WADDINGO

CAP. X (LVI).

Quid in instruenda, et conservanda Bibliotheca.

(Continuatio).

Etiamsi vero tanta fuerit cura servandi libros, et ex ipsius Pontificii diplomatis praescripto, ejusdem exemplar ad valvas Bibliothecae continuo affixum maneat; non eo magis defuit quisquam, qui satagebat privata sua summa publicis aliorum libris exornare, quos melius, vel aliunde comparasset, vel etiam emisset. Casum refero, quo et librorum custodes discant, quam non debeant omnibus aeque fidere, et habeat lector meus, in quo videat Lucae nostri in re sua tractanda moderationem, prudentiam, et curam famae proximi.

Ipsum in collegio crebro conveniebat vir Princeps in cujus famulatu, et aulae munere non infimo fuit quidam, qui decere se libros domi habere credebat. Quoties ergo Princeps cum Luca moram trahere volebat toties ille volebat cum libris esse, seu potius libros esse cum ipso.

Tandem deprehensus est, nam dum Bibliothecarii oculum effugere conaretur, in pejorem incidit, ex diversa fenestra visus magnum tomum operum Francisci Suarii nova toga donare. Dissimulatum interim; sed postquam abivit Princeps, res Lucae revelata fuit.

Ille vero quantumvis conservandae Bibliothecae ad passionem usque zelosus, non excanduit tamen, aut mali quidquam in hominem protulit; sed imposito referenti silentio, mox

libros oculis perlustrat, et plures abesse cernens, tacitus indoluit.

Post paucos inde dies, ea hora, qua sciebat cum Principe abfuturum domo hominem, ipse domum accessit, cumque petitum ab eo Principem abesse dicerent, ille de altero sciscitatur, et ad ejus cubiculum recta pergens, forte fortuna reperit famulum apertis foribus aliquid officii sui tunc exercentem.

Intrat Lucas ea familiaritate, qua in tota Principis domo pollebat, videt non contemnendam portionem selectorum codicum, laudat museum, lustrat libros, et quanquam ex aliis Religiosorum Bibliothecis plura, ex sua tamen S. Isidori reperit volumina XXII omnia e scamnis in mensa collocat, et catalogum inde sibi describit; sed ne famulus quidem heri sui factum detegeret, Lucas ipsum admonuit, ne libros illos moveret, se quippe in illis notasse, quod venienti domino usui foret, tantum famulus illi porrigeret schedam, in qua Lucas ad ipsum scripsit, se oblata occasione, vidisse satis ornatum ejus museum, quod cum aliis optimis libris sufficienter instructum esset, proinde rogare suam dominationem, ut quos e Bibliotheca S. Isidori tanto tempore mutuo retinuit, restitueret; opus enim illis esse in Collegio, illosque et alios ad ipsius usum ibi semper paratos fore. Ita factum, et Lucas libros suos sine tumultu, sine bile, sine alieni nominis jactura recuperavit. Habeo nunc prae oculis illam schedam, qua alter domum reversus gratias agit Lucae quod ipsius cameram sua praesentia honoraverit, excusat se, quod illos libros ante plures annos mutuo acceperit, dum Lucas tunc Urbe abesset; exinde vero negligentia quidem et oblivione imprimis factum fuisse, ut libros non prius restituerit, deinde temporis diuturnitate, et varia commutatione cubiculorum ipsos cum aliis ipsius libris ita permixtos fuisse, ut ab istis vix dignoscerentur, et libros cum hac responsione ad Lucam sine dilatione remisit, Lucas ipsi negligentiam sine ulteriori querela amice exprobavit.

CAP. XI (LVII).

Quid in Archivo scripturarum.

Ad ea vero studia quae diximus Lucam vel absolvisse, vel meditatum fuisse, magna cura, solertia, et sumptibus tot collegit manuscripta monumenta, ut partim prius in libros compacta, partim in fasces deinde consuendos ordine colligata, conficiant numerum octingentorum circiter, aut plurium ligaminum, quorum pleraque plures diversosque tractatus, seu variarum rerum scripturas continent, adjunctis paucis quibusdam impressis libris secretioris custodiae, praeter triginta ductiles capsas, quibus Pontificatuum ordine distributa servantur, quotquot ille colligere potuit originales bullas ad Minorum Ordinem pertinentes a Gregorio IX ad Alexandrum VII inclusive. Cum autem me huc ad continuandum Annalium opus revocavit, — prima cura mihi ipsi ad id necessaria ab ipso injuncta fuit, ut confusa prius haec volumina distinguerem, sparsa folia, et vagos quinterniones certo modo et ordine in fasces digererem, omniumque catalogum conficerem: quo facto ipse ad perpetuam eorum conservationem et augmentum, — obtinuit ab Alexandro Pontifice litteras, quibus sua Sanctitas Apostolica auctoritate interdicit, et prohibet: *Ne de cetero perpetuis futuris temporibus quaevis scripturae, libri, manuscripta et monumenta etiam minima Archivi ejusmodi e dicto Collegio, pro servitio et usu cujuslibet personae, etiam speciali expressione dignae, extrahi et asportari; neque illa cuipiam ex dicti Collegii Fratribus pro suo usu ad tempus necessarium extra idem Archivum consignari, nisi prius manu Archivistae pro tempore existentis annotentur dies consignationis hujusmodi et nomen Fratris cui consignatio fiet, ipseque, Frater proprio chirographo in libro per eumdem Archivistam ad hunc effectum penes se tenendo et conservando fateatur sibi factam consignationem hujusmodi, nullatenus possit, aut valeat, sub excommunicationis latae sententiae poena, a qua nemo nisi a Nobis* (inquit) *et Romano Pontifice pro tempore existente praeterquam in mortis articulo constitutus absolvi possit, absque alia declaratione per contrafactores incurrenda.* Deinde Sua Sanctitas alia constituit circa qualitatem et officium Archivistae, mihi tunc nominatim impositum.

CAP. XII (LVIII).

Quibus sumptibus et praecipuis benefactoribus haec omnia praestiterit.

Ea fuit semper providentia et prosperitate Waddingus, ut cum quinque vicibus Colle-

gium pro munere gubernasset, quoties officium suscipiebat toties etiam subibat aliqua praedecessorum debita persolvenda; sed quoties dimittebat, nulla successori solvenda linquebat, quibus non providisset ipse solutionis modum. Et sane cum ultima vice deposuit officium, illam reliquit annalium, suorum, aliorumque distrahendorum quantitatem, ut, etiam post ipsius mortem, Collegii Superiores aliquod sumptuum subsidium inde habuerint. Saepe vidimus ipsum Fratres Collegii provisores objurgantem, quod creditores non sollicitassent, ut pecuniam ipsis debitam accepturi venirent, quamdiu suppeterent eleemosynae in manu syndici: eam enim dicebat illis prodesse posse, si acciperent; nobis vero solutionis tarditatem nihil ferre lucri; cum ex adverso si quae prae manibus esset eleemosyna dilaberetur, ut aliam expectarent creditores, id illis damno fore, Collegio autem dedecori, et Superioribus anxietati. Tantum valuit virtus, et industria hujus Viri ut quamquam pauper Minorita, et externus ab extrema Orbis nostri Insula, ut cum Romam venit annorum aetatis suae tantummodo triginta, tales tamen amicos, eosque Maecenates brevi tempore sibi comparaverit, ut ipsorum ultronea beneficentia, potiusquam ipsius importuna mendicatione, a die XIV. Junii Anni MDCXXV, quo Hospitii Sancti Isidori possessionem inivit, usque ad secundum diem Augusti MDCXXX quo primum Guardianatum absolvit, viginti duo millia scutorum Romanae monetae in aream, aedificium, libros, sacrarii supellectilem tantummodo impensa fuerint, cum nondum tunc aedificata esset porticus Templi, vel Chorus, aut Clausurae murus, vel complanatus major hortus, aut minor ullatenus comparatus, vel ullus lapis positus in secundo claustro, aut ampliatum sacrarium, vel recenti ornamento instructum; haec enim omnia, et alia pleraque posteriori tempore procuravit.

In omnibus autem, praeter jam ante nominatos, et perennem Populi Romani in advenas, non minus quam in indigenas charitatem, addictissimi fautores, et munifici benefactores erga Lucam fuerunt ipsi imprimis quinque continuo Summi Pontifices, Paulus V. Gregorius XV. Urbanus VIII. Innocentius X., et qui diu beateque vivat nunc regnans Alexander VII., atque ex eorum nepotibus uterque Burghesius Cardinalis, et Princeps: Princeps item Ludovicus et uterque Cardinalis Ludovicus et Nicolaus; Barberini Fratres, Franciscus et Antonius, largi et perpetui benefactores protectoresque. Praeterea Philippi IV. Hispaniarum Regis Romae Ministri, quibus continuos favores debet Collegium.

Post hos Joannes Antonius Ursinus, Dux S. Gemini, qui ex fundi pretio, tum liberalitate sua, tum intuitu obsequii per Lucam praestiti, aliquam partem remisit. Et Andreas Weise Hibernus Ordinis Melitensis magnus Prior Angliae, ipsius nostri Lucae sanguine et civitate propinquus, qui bonam summam contribuit; aliique Cardinales, Praelati, Principes, et viri nobiles, qui vel summariis fabricae subsidiis, vel temporariis largitionibus, vel utrisque simul religiosas Lucae nostri cogitationes conatusque promovebant: quibus ille vicissim grato animo, gratoque ore, et fidelibus promptisque obsequiis correspondebat, quique singuli cum acceptis beneficiis in Collegii rationum libris ad perpetuum etiam successorum nostrorum gratitudinis vinculum pernotantur, eosque speramus, (quod ipsi pluris aestimant, nosque continuo precamur) in libro vitae scriptos esse; quod Religioso coetui ob Catholicae fidei constantiam extorri, universae Nationi Romanae Religionis, ac debitae Pontificis obedientiae causae afflictissimae tam benigne consulerint et opitulentur.

(Continuabitur).

V.

BIBLIOGRAPHIA

—

P. Angelico Martarelli, Min. Obs. — El Colegio Franciscano de Potosí y sus misiones. Noticias historicas por el P. Fr. Angelico Martarelli, Misionero del mismo Colegio, con licencia de los Superiores y autoridad eclesiastica. Potosí, tip. italiana, Tarija 18. 1890. In 12, pag. 332. L. 2,40.

Anonymus, Min. Obs. — Handbuch für die Franziskaner-Tertiarier. Uebersetzt ans dem Französischen und herausgegeben von den

Observantes Franziskaner-Patres von Metz. Mit Erlaubnis der Diözesan-Behörden und der Ordens-Oberr. In-16, pag. 564.

ANONYMUS. — Etude sur les sanctuaires de Nazareth par un Résident de Terre-Sainte. Le Caire, tip.-lit. A. Costagliola, 1890.

P. BENJAMIN ELBEL O. S. F. — Theologia Moralis per modum Conferentiarum, novis curis edidit P. Fr. Irenaeus Bierbaum, O. S. F. Prov. Saxoniae S. Crucis Lector Jubilatus. — Volumen primum continet tres partes. Pars I. De Actibus humanis, Conscientia, Legibus atque peccatis. Paderbonae 1891, ex Tipographia Bonifaciana. J. W. Schroeder.

UNA POVERA CLARISSA del Monastero di S. Chiara dell' Ave Maria di Grenoble. Il mese dello Sposo Divino, ossia Trenta giorni consacrati all' amore del Sacro Cuore di GESU. — Prima traduzione italiana fatta sulla seconda francese. Firenze presso Luigi Manuelli libraio editore 1890.

MGR. HÉBRARD, Protonotaire apost. — Histoire de Sainte Jeanne de France, Duchesse d'Orléans et de Berry 1464-1505 par Mgr. Hébrard, Protonotaire Apostolique, Chanoine d'Honneur et Vicaire Général d'Agen, Docteur en Théologie et en Droit Canon, décoré de la Croix *pro Ecclesiâ et Pontifice*. Paris, Librairie Poussielgue Frères, Ch. Poussielgue, successeur rue Cassette 15, 1890.

MARCELLINO DA CIVEZZA, Min. Obs. — Una Composizione Musicale per i Selvaggi Huroni d' uno dei primi Missionari del Canadà, cioè il Francescano Frate Gabriele Sagard Teodato al principio del secolo XVII. In 8, pag. 12.

P. SIGISMONDO DA JENNE, Min. Rif. — Nove *Tantum ergo* ad una a due a tre voci. Questa musica scritta con sentimento religioso, a stile scorrevole ma con criterio musicale all' occorrenza si presta molto bene per le sacre funzioni, e mediante una buona esecuzione riesce di un ottimo effetto. Essendo stata più volte eseguita ha meritato l' approvazione di esimii professori e di valenti artisti da incoraggiar l' Autore a pubblicarla.

Ogni copia franca di posta L. 6. Per i Sacerdoti messe 4. Dirigere le domande col relativo importo all' Autore. Napoli, S. Chiara, ed al Collegio di S. Antonio Roma via Merulana.

SPILA M. R. P. BENEDETTO, Min. Rif. — Memorie storiche della Provincia Riformata Romana. Tom. I, un vol. in 4° di pag. XVI-662. Roma, tip. degli Artigianelli, 1890.

Hoc opus nedum quoad substantiam, sed etiam quoad editionis nitorem commendari meretur. Figurae Conventuum, praesertim Vallis Reatinae, nec non nonnullae fratrum imagines fidelissime descriptae editionem adornant. Summus Pontifex, cui auctor opus suum obtulit, idem summa excepit benevolentia, ac desiderium ostendit, ut paragraphus in quo de Carpineti Conventu agitur seorsim imprimeretur; quod et factum est.

Haberi potest a Fr. Juliano a Verona, Romae ad S. Antonium. Praetium pro Nostratibus libell. 6,60.

VI.

NECROLOGIA

Mense Septembris hujus anni quatuor inclyti viri Ordinis Nostri ex hoc mundo ad patriam, prout confidimus, translati sunt, quorum memoria certe manebit; nempe Patres *Petrus Gual, Maximilianus Kirchner, Antonius Lopez*, et *Aloysius de Pedelama*. Prioris necrologiam ex Limanis ephemeridibus excerptam edimus, sperantes ut aliorum trium necrologiae ad Directorem *Actuum* quam primum mittantur.

A. R. P. PETRUS GUAL, Canneti ad mare prope Barchinonam in Hispania natus anno 1813 a primis aetatis suae annis pietatis ingeniique praeclara specimina ostendit. Die 28 Februarii anno 1831 clericalem habitum relinquens Ordinem Minorum Regularis Observantiae ingressus est Barchinone in Conventu de JESU, vulgo *de los Missioneros descalzos*. Expulsis in Hispania anno 1834 e suis coenobiis Fratribus, adhuc Clericus Romam venit *(una cum nonnullis aliis vita regulari eminentibus, quorum memoria in Provinciis Obs. Seraphica et Romana in benedictione est)*. Sacerdotio dein insignitus, popularis Missionarii officium in Pontificia ditione exercuit, donec anno 1847 ad Collegium de Ocopa, unicum tunc temporis in Peruviana Republica,

destinari obtinuit, ubi non multo post confratres ejusdem pietatem, doctrinam et prudentiam admirantes eum sibi Guardianum elegerunt. Limam a Rmo Archiepiscopo Luca Pizarro ad conciones habendas accitus, ibidem anno 1859 fuit ex praecipuis Collegii Limani Missionariorum, vulgo *los descalzos*, fundatoribus. Reipublicae Peruanae Praeside Castilla, et cultus administro Philippo Pardo, Peruanae Ecclesiae legatus ad Concilium Vaticanum missus fuit, qua Procurator D. Goyoneche Archiepiscopi Limani. Officia et munera quibus functus est sequentia sunt : *Guardianus semel Ocopae, bis Limae, Lector Theologiae et Juris Canonici, Primus Director Tertii Ordinis Limae, et Tertii Ordinis fundator in Callao, Definitor Generalis Ordinis, per plures annos Commissarius Generalis, Examinator Sinodalis, et Censor Archiepiscopalis.* Nonnulla etiam opera edidit quorum series hic adnotatur:

1. El equilibrio entre la dos potestades, refutacion del doctor Vigil. 3 vol.
2. El dogma de la Immaculada Concepcion, refutacion del mismo doctor Vigil. 1 vol.
3. La moralizadora del mundo, ó la confesion sacramental, refutacion del Presbitero italiano de Sanctis. 1 vol.
4. Oracula Pontificia (relate ad Concilium Vaticanum). 1 vol.
5. La vida de Jésus, refutacion de Renan. 1 vol.
6. El triunfo del Catolicismo. 1 vol.
7. El derecho de proprietad. 1 vol.
8. La infalibilidad del Romano Pontifice. 1 vol.
9. El Concilio Ecumenico del Vaticano. 1 vol.
10. La India cristiana ó los Hijos de Dios. 1 vol.
11. Curso de Misiones apostolicas. 3 vol.
12. Curso de ejercicios espirituales para el clero secular y regular. 1 vol.
13. Refutacion de Mr. Champollion. 1 vol.
14. Varios opusculos y articulos sueltos.
15. Un magnifico sermon sobre la Immaculada Concepcion de Maria, predicado en Ocopa (ante definitionem dogmatis).
16. El Rosario meditado y predicado (opus quam primum edendum).

Poenitentiae operibus, et strictae Regulae observantiae addictissimus P. Gual, nullum temporis momentum otiose transegit, imo ut orationi vel studio incumberet etiam noctu tres tantummodo horas somno concedebat. In Missionarii munere per annos fere 50 numquam laboribus defatigatus perseveravit universam Peruvianam Rempublicam excurrens, pluries ad Clerum exercitia spiritualia tradidit, nonnulla relaxata Monialium Monasteria ad vitam perfectam communem instituendam adduxit, et semper et ubique charitatis praecipue virtutem nedum omnibus praedicare consuevit, sed ipsemet exercuit, non sibi sed aliis vivendo. Jam a nonnullis annis laboribus, et abstinentiis attritus, nonnisi stricte necessaria pro vita servanda admittens, respuebat ea quae medici ad solamen praescribebant. Cum die 2 Septembris anni currentis ad Moniales Ordinis SS. Trinitatis Sacerdotalis ministerii munus obiturus pergeret, repente genuum debilitate correptus in terram cecidit, et ad Collegium allatus sequenti die hora 5ª cum dimidio pomeridiana mortuus est praetiosa morte justorum. Statim ac mortis ejus notitia pervulgata fuit, apparuit quanti ab omnibus haberetur, nam Ecclesia Collegii a frequentissima populi turba invadebatur ad invisendum cadaver, et nobiles foeminae certatim particulas de ejus habitu rapere, vel saltem cum crucibus vel coronis precatoriis defuncti corpus tangere conabantur. Funeri interfuerunt omnes religiosae virorum familiae, clerus saecularis et Rmus Archiepiscopus, Capitulum Metropolitanum, Seminarium S. Turibii, nec non, vice et loco Praesidis reipublicae, Decanus Regiminis, Administri Cultus et Negotiorum ab intra, plurimi Senatores ac Deputati, et fere innumera populi turba. Mirandum non esset, si quantocius ordinarius processus ab Archiepiscopo Limano instruatur super P. Gual vita et virtutibus, sancte enim vixit, sancte obiit. Vale ac pro nobis Deum precato.

R. I. P.

Nihil obstat.

Fr. Aloysius, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO SERAPHICA

—

EX S. ROM. UNIVERS. INQUISITIONE

Quaenam quantitas spiritus vini (alcool) *sit licita in vino albo ad sacrificium Missae inserviente.*

BEATISSIME PATER,

Joannes Ludovicus Robert, Episcopus Massiliensis, ad pedes S. V. humillime provolutus, dubium infrascriptum S. Sedis examini et judicio ad Religionis bonum committendum existimans, quaerit:

In pluribus Galliae partibus, maxime si eae ad meridiem sitae reperiantur, vinum album, quod incruento Missae sacrificio inservit, tam debile est, ac impotens, ut diu conservari non valeat nisi eidem quaedam spiritus vini (spirito-alcool) quantitas admisceatur:

1. An istiusmodi commixtio licita sit?

2. Et si affirmative, quaenam quantitas hujusmodi materiae extraneae vino adjungi permittatur?

3. In casu affirmativo, requiriturne spiritus vini ex vino puro seu ex vitis fructu extractus?

Feria IV die 30 Julii 1890.

In Congregatione Generali habita per Emos ac Rmos DD. Cardinales in rebus fidei et morum Generales Inquisitores, proposita suprascripta instantia, praehabitoque Rmorum DD. Consultorum voto, iidem Emi ac Rmi Patres rescribi mandarunt:

Dummodo spiritus (alcool) extractus fuerit ex genimine vitis, et quantitas alcoolica addita una cum ea quam vinum, de quo agitur, naturaliter continet, non excedat proportionem duodecim pro centum, et admixtio fiat quando vinum est valde recens, nihil obstare quominus idem vinum in Missae sacrificio adhibeatur.

Sequenti feria V, die 31 d. m. facta de his SSmo D. N. LEONI PP. XIII relatione, Sanctitas Sua resolutionem Emorum Cardinalium adprobavit, et confirmavit.

L. ✠ S.

J. MANCINI, *S. R. et U. Inq. Not.*

—

EX S. R. CONGREGATIONE

Rescriptum quo declaratur preces post Missam praescriptas recitandas esse immediate post ultimum Evangelium.

BASILEEN.

BEATISSIME PATER,

Fridericus Episcopus Basileensis provolutus ad pedes S. V. humiliter implorat authenticam interpretationem Apostolici Decreti quoad preces recitandas a Sacerdote finita Missa; quaestio nempe ita se habet:

Utrum preces praescriptas *(3 Ave, Salve Regina* etc.) in quibusdam casibus, nempe vel alicujus parvae functionis, vel communionis distribuendae, peracta demum adnexa Missae caerimonia recitare liceat; vel an subsequi Missam ipsae semper immediate debeant?

Et Sacra Rituum Congregatio proposito Dubio sic rescripsit: Preces a SSmo D. N. LEONE Papa XIII praescriptae, recitandae sunt

immediate expleto ultimo Evangelio. Atque ita rescripsit.

Die 23 Novembris 1887.

—

SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA.

Declarationes circa Decretum S. Officii diei 23 Junii 1886 (Cfr. Acta Ordinis *anno V, pag. 171).*

Eminentissime Domine,

Post decretum S. Cong. R. et U. Inquisitionis, absolutionem a casibus Rom. Pontifici reservatis spectans, datum sub die 23 Junii 1886, sequentia dubia occurrunt mihi missionario, quorum nequidem in recentioribus auctoribus solutionem reperire mihi possibile est; quapropter hanc ab Eminentia Vestra sollicite imploro.

I. Decreti responsio ad 1.um quae sic se habet: « Attenta praxi S. Poenitentiariae praesertim ab edita Constitutione Apostolica S. N. Pii IX quae incipit *Apostolicae Sedis, negative* », non videtur respicere casus specialiter reservatos Sum. Pontifici sine censura: siquidem de his non agitur in Constitutione *Apostolicae Sedis.* Numquid ergo integra manet vetus doctrina Theologorum dicentium de his absolvere posse Episcopos vel eorum Delegatos, vel, ut vult Castropolaus, simplicem sacerdotem, quando poenitens Romam nequit petere, quin scribere necesse sit?

II. Quando indultum quinquennale Episcopi habent a S. Congregatione de Propaganda Fide, complectens 14 numeros et n° 10° concedens facultatem absolvendi ab omnibus casibus etiam specialiter reservatis Rom. Pont., excepto casu absolventis complicem, numquid illam possunt delegare in Gallia et in Europa pro casu saltem particulari? ita ut non necessarium sit ut poenitens adeat Episcopum ipsum, quamvis in n° 12° indulti sit haec clausula: « Communicandi has facultates in totum vel in partem prout opus esse secundum ejus conscientiam judicaverit, sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus in locis tantum ubi prohibetur exercitium catholicae religionis »?

III. Posito quod negative respondeatur, quid si poenitenti impossibile sit adire Episcopum tale indultum habentem?

IV. Quando sedes episcopalis vacat, numquid Vicarius capitularis potest communicare facultates quinquennales Episcopo amoto vel defuncto concessas per indultum S. Poenitentiariae vel Congregationis de Propaganda Fide?

V. Certe hodie integra viget facultas a Tridentino concessa Episcopis absolvendi a simpliciter reservatis occultis, sed quaeritur utrum tale decretum attingat casus simpliciter reservatos eodem modo ac specialiter reservatos Summo Pontifici?

VI. Quando missionario occurrit poenitens censuris innodatus et transiens obiter, ita ut Missionarius non possit iterum poenitentem videre, numquid sufficit, posito casu urgentiori absolutionis, exigere a poenitente promissionem scribendi, tacito si vult nomine, ad S. Poenitentiariam intra mensem, et standi illius mandatis, quin confessarius ipse scribat?

VII. Utrum, tuta conscientia, docetur et in praxim deducitur, ut quidam volunt, propter hodiernum periculum ne aperiantur epistolae a potestate civili, non requiri ut epistola ad Summum Pontificem dirigatur in casibus urgentioribus, vel quando adire nequit Papam?

VIII. Posito quod non requiratur epistola ad Summum Pontificem, numquid requiratur epistola directa ad Episcopum, stante hoc generali periculo, praesertim quando agitur de absolutione complicis, quae etiam perfidiose detecta et revelata scandalum generare potest?

Horum dubiorum solutionem ab Eminentia Vestra fiducialiter expectans et Ejus sacram purpuram exosculans,

Illius

humillimum et addictissimum servum me fateor.

A. xxx

Sacra Poenitentiaria, mature consideratis expositis, ad proposita dubia respondet:

Ad Im Negative.

Ad IIm, IIIm et IVm. Orator consulat Episcopum, et, quatenus opus sit, idem Episcopus recurrat ad Sacram Supremam Congregatiouem Universalis Inquisitionis.

Ad Vm Affirmative, si casus sint occulti.

Ad VI^{m} Affirmative.

Ad VII^{m} Negative, cum in precibus nomina et cognomina sint supprimenda.

Ad VIII^{m} Provisum in VII^{m}.

Datum Romae, in Sacra Poenitentiaria, die 7 Novembris 1888.

R. Card. Monaco, *P. M.*

II.

ACTA ORDINIS

ELECTIO NOVI DEFINITORIS GENERALIS.

Cum per obitum piae memoriae Adm. R. P. Andreae a Greccio officium Definitoris Generalis vacasset, Rmus Pater Minister Generalis cum suo Definitorio in plenario Congressu diei 23 Septembris ad normam Constitutionum Ordinis n. 502, in Definitorem Generalem elegit Adm. R. P. Stephanum a Castroplanio, Observantis Provinciae Seraphicae ex-Ministrum.

CONCURSUUM GENERALIUM RELATIO.

Concursus generales in Conventu Sanctae Mariae Angelorum prope Assisium, a die septima *Octobris proxime elapsi usque ad diem vigesimam quintam, et in Conventu Sancti Damiani a die* decima quinta *ad decimam nonam ejusdem mensis, sub praesidentia Reverendissimi Ministri Generalis, habiti fuerunt. In quibus quidem concursibus ex* Observantibus *sequentes fuerunt :*

IN SACRAM THEOLOGIAM.

P. Johannes Maria ab Assisio.	Provinciae Seraphicae.
P. Constantius a Bolentina.	Provinciae Seraphicae.
P. Marinus Marcucci. . .	Thusciae.
P. Hyacinthus Mei . . .	Thusciae.
P. Leonardus Bianconi . .	Thusciae.
P. Nuntius a S. Pio. . .	S. Bernardini.
P. Aloysius a Melita. . .	Custodiae Melitensis.
P. Barnabas a Larnaca . .	Custodiae Terrae Sanctae.

IN PHILOSOPHIAM.

P. Bonaventura a Cryptis S. Stephani	Seraphicae.
P. Leonardus a Burgo Panigale.	Bononiae.
P. Nazarenus a Stiolo . .	Bononiae.
P. Bonaventura Buselli . .	Thusciae.
P. Isidorus Meli	Thusciae.
P. Joachinus Geroni . . .	Thusciae.
P. Peregrinus Paoli . . .	Thusciae.
P. Daniel Duranti. . . .	Thusciae.
P. Antoninus a Cave . .	Romanae.
P. Eusebius Statecz . . .	Venetiarum.
P. Philippus a Venetiis . .	Venetiarum.
P. Salvator ab Angri. . .	Principatus.
P. Josephus a Neapoli . .	Principatus.
P. Franciscus a Laurino. .	Principatus.
P. Cajetanus a Neapoli . .	Neapolis et Terrae Laboris.

IN SACRAM ELOQUENTIAM.

P. Robertus Razzoli . . .	Thusciae.
P. Angelus Centi	Januae.

IN LITTERAS HUMANIORES.

P. Faustinus Ghilardi . .	Thusciae.
P. Bonaventura a Vico . .	Principatus.
P. Franciscus a Vico . .	Principatus.
P. Aemilius a Castromari .	Principatus.
P. Theodorus a Carignano.	S. Thomae Taurini.

IN MATHESIM.

P. Paulus a Melita . . .	Cust. Meliten.

EX REFORMATIS IN SACRAM THEOLOGIAM.

P. Bonaventura a Ripa . .	Seraphicae.
P. Antonius a Praeneste .	Romanae.
P. Anselmus a Terra nova	Thusciae.
P. Sylvester a Montevarchio	Thusciae.

IN PHILOSOPHIAM.

P. Petrus Dominicus a Cryptis	Seraphicae.
P. Hyacinthus a Celleno .	Seraphicae.
P. Cherubinus a Badia S. Salvatoris	Thusciae.
P. Valerianus a Montecoronario	Thusciae.

IN SACRAM ELOQUENTIAM.

P. Theophilus a Soci . . } Thusciae.
P. Theodosius a S. Digito . }

Die decima nona autem, in Conventu S. Damiani, Minister Generalis, praemissa efficaci allocutione in lingua italica, a neo-Lectoribus recepit Fidei professionem, post quam Litteras patentales singulis consignavit assignando eis locum, in quo lecturi essent. Idipsum peregit in Conventu Sanctae Mariae Angelorum die vigesima quinta, pronunciando sequentem orationem latino idiomate exaratam.

ORATIO RMI MINISTRI GENERALIS.

In Nomine D. N. J. C.

In solemni collatione Litterarum patentalium neo-Lectoribus die XXV Octobris MDCCCXC habita in Coenobio S. M. Angel. prope Assisium.

Vobis, qui transactis diebus experimentum doctrinae et idoneitatis ad magisterium, ad legum nostrarum normam, doctioribus Ordinis adstantibus et judicantibus dedistis, gratulationes sint et vota mea ex corde! Gaudium magnum quo afficior, silentio magis quam sermone exprimere valeo! Etsi enim Ordo Noster omnimodis tentatus, viribus tamen non destituitur, ut in medio procellarum mundi suam adimpleat missionem, societatis et Ecclesiae bono: et quemadmodum in superioribus aetatibus scientiae aureola decoratum eum miratus est orbis, ita et hodie, compertum habemus in florenti nostra juventute (quam desiderium et spem nostram dicimus) vehementem satis ad Scholae Franciscanae gloriosas traditiones amorem. Merito itaque cor meum gaudio maximo et consolatione plenum est, et una mecum, quotquot hic sunt praestantissimi Patres, gaudent et gratulantur vobis, o lectissimi juvenes: spe enim erecti, transacta nondum esse Seraphici nostri Instituti heroica tempora, a vobis multa ejusdem decori avide expectamus!

At ut magisterium vestrum juventuti nostrae sit proficuum, atque scientiae pabulum quod praebituri estis, mentes adolescentulorum vere nutriat, et gignat fructus uberrimos, qui e vera scientia promanant, audite paulisper, antequam, emissa professione fidei, academicum gradum vobis conferam, docendique munus assignem, audite paulisper vocem Patris vestri, nil aliud ardenter cupientis quam instaurationem et incrementum Seraphicae nostrae Religionis, mediante scientia et pietate, studio virtutis et doctrinae, regulari observantia et recta juvenum institutione. Brevi sermone, at efficaci, quantum valebo, dicam vobis in primis de timore Domini, qui est initium sapientiae: 2.° vero de humilitate in docendo et in addiscendo. Timor enim Domini et humilitas, quibus informati debent esse magistri et discipuli, efformant sane sapientes veri nominis, qui fulgebunt quasi splendor firmamenti, et quasi stellae in perpetuas aeternitates.

1. Nulli dubium, docendi munus esse prae ceteris nobile atque sublime, dicente S. Jo. Chrysostomo « quid majus quam animis moderari, quam adolescentulorum fingere mores? Omni certe pictore, omni certe statuario, ceterisque hujusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui juvenum animos fingere non ignoret » (Hom. 60. in cap. 18. Matth.). Unde Deus posuit in Ecclesia nedum Apostolos, prophetas, evangelistas et pastores, verum etiam et Doctores, qui verbum vitae annuntiantes, sana doctrina mentes imbuentes, errores refutantes, adlaborent aedificationi corporis Christi. At ad hujusmodi muneris finem attingendum nedum necessaria est scientia, verum etiam et sapientia: scientia quidem et sapientia, non hujus saeculi, quae stultitia est coram Deo, sed scientia illa et sapientia quae a Deo procedit, quaeque a timore Domini initium sumit. Dixi, *necessaria est scientia,* quae mentes instruit omnigenis cognitionibus, naturalibus et supernaturalibus, divinis et humanis, circa Deum, mundum et hominem. *Necessaria est sapientia* qua educatur cor, instituitur voluntas, moveturque homo vel ab adolescentia sua ad virtutum exercitium. Scientia ducit ad cognitionem et acquisitionem veritatis; sapientia infundit saporem ejusdem et dulcedinem. Scientiam dicerem adeptionem veritatis, ejusdemque contemplationem: sapientiam vero,

ejus praxim et gustum. Scientia, uno verbo, nos ducit ad DEUM; Sapientia nos replet Ejus amore. Ergo quis sapiens esse nequit, qui nesciat: nemo vere scit, qui sapiens non est. Scientia absque sapientia, vana, inutilis, perniciosa etiam est, juxta illud « scientia inflat, charitas vero aedificat » (I. Cor. VIII.): et alio loco « qui alium doces, teipsum non doces » (Rom. II.). Sapientiam autem habere absque scientia ecquis poterit, cum nil volitum, et per consequens nil diligi queat, quin sit praecognitum? Veram itaque Sapientiam praesupponere scientiam in propatulo est omnibus. Ad quam adipiscendam timor DOMINI nos ducit.

2. Timore itaque DOMIMI informentur magistri, informentur discipuli. Timeant DEUM magistri, et quae ab exedris docent juvenes, alacriter exequantur. Doctrinae pabulum alumnis praebeant, et una simul virtutum exemplum. Et quoad nos attinet: sint magistri in apostolico nostro Ordine veri Franciscani, idest fervidi Regulae observatores, patientes, modesti, mansueti, humiles, pauperes rebus, pauperes spiritu, mortificationem JESU in propriis corporibus semper circumferentes, rigore vitae et austeritate praeeuntes discipulis, cum laetitia portantes jugum religionis, quod vel a flore juventutis sibi portandum assumpserunt. Bonum eorum exemplum efficax quam maxime erit, imo efficacius eorum dictatis. Historiam Ordinis consulite, ad memoriam revocate viros illos gloriosos in generatione sua, quos licet in abjecta veste franciscana omne aevum dicet sapientissimos Doctores, et in quibus virtus intaminatis fulgebit honoribus. Mementote infinitae seriei illorum vere sapientum, qui septem saeculorum decursu dum lucem scientiae eximiae in gymnasiis, lyceis, academiis diffundebant, scriptoque dabant futuris ingentis molis volumina, sanctissimis emicabant moribus, erantque in omni loco bonus odor CHRISTI. Horum doctrina et virtus, insimul sancto vinculo junctae eos efformabant veri nominis sapientes. En quomodo Timor DEI est initium, fundamentum, anima et vita verae sapientiae! Hujusmodi enim Timor, habetur Ecclci I, est scientiae Religiositas: Religiositas autem custodit et justificat cor, jucunditatem dat et gaudium.... a Timore DEI Dilectio Ejus. Stulti, ut dicit Scriptura, Sapientiam atque doctrinam despiciunt, DEUMQUE ergo non diligunt: quare? quia in ipsis non est Timor DOMINI. Sit itaque Timor DOMINI vobiscum, o Scientiarum Magistri, et cum diligentia cuncta facite (II. Paralip. 19.). Sit in vobis Franciscanae Regulae exacta observantia, zelus disciplinae, fervor devotionis, orationis exercitium, castigatio morum, vitae innocentia, mortificationis internae et externae studium, virtutum operatio. Uno verbo, luceat lux vestra coram discipulis et omnibus: Videant hi opera vestra bona, sancta vitae vestrae exempla, et glorificent DEUM Patrem, quem in caelis habemus. Doctrina tunc et scientia vestra erit quoque vera sapientia: Magni labores vestri, utiles quammaxime vobis erunt et alumnis: uberes fructus spiritus et vitae gignet magisterium vestrum DEI honori et gloriae, Sanctae Ecclesiae incremento, Ordinis Nostri decori, animarum sanctificationi et saluti, atque etiam scientiarum reali progressui. JESUS CHRISTUS, et hic Crucifixus, sit vester liber! Ex Ipso haurietis abunde et quidem cum gaudio venam sapientiae, ut hausit Seraphicus Doctor Noster, Sanctus Bonaventura!

3. Admirabilem doctrinam et incredibilem scientiam Iste consecutus est, ut cuilibet patere potest e Sancti Viri lucubrationibus et praeclaris scriptis, quae, ut ait Sixtus PP. V (Bull. Triumphantis Jerusalem § 3), divini ingenii sui monimenta posteris reliquit, et tamen in docendo et addiscendo mira fulsit humilitate! Hujusmodi, aliorumque vere Sapientum exemplum moneat vos, o Magistri, et per vos alumnos vestros, quanta opus est animi submissione in docendo et addiscendo, ut studium magisteriumque proficiat. Quis enim doctus, quis sapiens, quis eruditus, quin sit a DEO scientiarum DOMINO?... Quis ingenio acutus, mentis acie profundus, eloquio decorus, egregiis intelligentiae dotibus, aliisque praeditus, quas a DEO non acceperit? Hujusmodi ergo dona qui accepit, gratias Ipsi DEO reddat, semperque fateatur ipsa dona desursum a Patre luminum promanare, ut divinae gloriae, animarum saluti, Religionis decori iis sedulò utatur. Idque praestabunt utique magistri in eorum disquisitionibus, lectionibus, ceterisque

scholasticis actionibus, eorumque in studiis, si humiles mente, voluntate et corde, verbo et facto erunt: si prae oculis habebunt, nil ipsos scire, nisi id quod jam ab aliis didicerint, et praecipue, non debere sibiipsis placere de habilitate aut ingenio suo, ne displiceant DEO, cujus est totum, quidquid boni naturaliter habuerint, nec sese reputare aliis meliores, ne forte coram DEO deteriores habeantur, qui scit, quid est in homine (Vid. de Imit. CHRISTI, Lib. I. cap. 7).

Franciscana septem saeculorum historia vos, o clarissimi magistri, edoceat, quanta fuerint humilitate divites, celeberrimi illi doctores nostri qui ab exedris Academiarum mirum diffuderunt splendorem super omne scibile, quique nobis pretiosum reliquerunt thesaurum scientiae simul et pietatis in mole ingenti voluminum, in aevum miranda. Ecquis revera sapientior praefato Bonaventura, Alexandro Halensi, Richardo a Mediavilla, Joanne de Rupella, Rogerio Bacone, Guillelmo Varrone, Raymundo Lullio? Ecquis doctior, ecquis acutior Ioanne Scoto, ut de innumeris aliis sileam? At isti scientes *desuper lumen intelligentiae accepisse, et humilem sui ipsius cognitionem certiorem viam esse ad Deum quam profundam scientiae inquisitionem,* humilitati maxime studuerunt, quae sicuti fundamentum est evangelicae perfectionis, ita et scientificae. Unde quanto ipsi humiliores, tanto sapientiores.

Unde de pluries citato Seraphico Doctore legimus, grandi veneratione semper ipsum prosecutum fuisse magistrum suum Halensem, quem patrem vocat, ejusdemque dictatis et opinionibus stetisse semper, quia magnae auctoritatis in scholis. Scotum autem quis non miretur, magis fulgentem demissione animi et modestia, quam acuto ingenio et doctrina? Et de ceteris innumeris vere Doctoribus, vere sapientibus, quid dicam? Dicam, ad culmen pervenisse perfectionis scientificae, et mundo fuisse et esse admirationi, quia humilitati studuerunt, scientes, per vanam scientiam quae a DEO non est, nec ad DEUM ordinatur, multos periisse: scientes, quod qui magis eligunt magni esse, quam humiles, evanescunt in cogitationibus suis; scientes denique quod vere magnus est ille, qui in re parvus est, et pro nihilo omne culmen honoris ducit.

Et vos, o Magistri, veri eritis sapientes, si sectando patrum nostrorum vestigia, in vestris investigationibus humilitati studueritis. Quod humilitatis studium prae oculis habetote semper, praesertim in duobus: primo scilicet in pertractandis et scrutandis iis, sive metaphysicis, sive physicis, sive etiam theologicis, quae DEUS tradidit disputationi hominum. Liceat utique vobis in hisce disputabilibus in hanc vel illam partem inclinare, atque quod magis libet vobis, argumentis roborare et rationibus. Hujusmodi libertatem non adimit Ecclesia, imo laudat, quia acuit ingenia, et mirifice favet scientifico progressui. At tamen, humilitate maxima, sobrietate et modestia, quia nostra opinio et noster sensus saepe nos fallit, et modicum videt. Utatur utique quis hujusmodi libertate; jus suum prosequitur: caveat tamen ab iis quae superbiam et arrogantiam sapiunt, quaeque charitatem offendunt. Ne ergo in iis erigatur in magistrum, ne spernat contrarium sentientes.

Studium humilitatis prae oculis, o magistri, habetote secundo, mente et corde vestrum praebendo obsequium, nedum doctrinis quas Santa Mater Ecclesia edocet et credendas proponit, verum etiam iis sapientissimis iudiciis, quae in tanta errorum colluvie, saepe saepius profert, vel per sacras Congregationes, circa dictata vel philosophica, vel theologica, vel politica, vel moralia, quae quia ambigua et ideo suspecta, damnat et reprobat. Ad id tenetur quisquis qui se gloriatur Christiano nomine, qui catholicae Ecclesiae vere est addictus: ad id tenetur praecipue Frater Minor, qui profitetur specialem Romanae Ecclesiae subjectionem et obedientiam, qui hujusmodi praeceptum habuit commendatum a Patre suo Seraphico, antequam ex hac vita migraret. Hocce enim in Coenobio decubans in terra et pulvere... ad se omnes Fratres existentes in loco fecit vocari, et eos consolationis verbis pro sua morte demulcens, paterno affectu ad divinum est hortatus amorem. Possessionem quoque paupertatis et pacis hereditaria ipsis successione reliquit et legavit, etiam atque etiam profundam venerationem, plenam perfectamque subjectionem Romanae Ecclesiae et CHRISTI in terris Vicario enixe commendavit. Addiscant ergo omnes filii Seraphici Patris, et

praecipue magistri, addiscant quanta eos veneratione teneri erga magisterium Ecclesiae et Romani Pontificis, velit Seraphicus Pater! Nedum ea propter doctrinas damnent, quas ipsa aperte damnat, verum etiam eas quas suspectas habet; nedum caveant ab errorum cohorte, et etiam ab iis qui volunt sapere plus quam oportet sapere; ab iis qui distinctiones super distinctiones facientes, ad judicium proprium audent pertrahere judicia Ecclesiae, vel ea contorquent. Humilitati studete, o Magistri, et in humilitate radicati ad apicem verae sapientiae pervenietis, magisteriumque vestrum erit valde proficuum: e schola franciscana denuo prodibunt illi famosi Doctores, qui eam *classicam* reddiderunt: *classicam*, inquam, quia ait Picenardi, *suas, illasque ingentes laudes sine dubio promeruit.*

Eja ergo, juvenes lectissimi, cathedras vobis ab obedientia assignatas, quasque periculo superato meruistis, ascendite. Electa corona sapientum, qui circumstant, solemnemque faciunt hanc frequentiam, quique aequa lance judicarunt de vestra ad magisterium idoneitate, multa sperant et magna a vobis expectant. Ego etiam et Ordo universus. Expectamus siquidem, quod per vos Franciscana schola restauretur et florescat, et cum ipsa scientiae florescant et litterae, ita tamen ut nec in vobis, neque in aliis extinguatur spiritus orationis. Vana utique non erit nostra expectatio! Qua spe erecti, Ego et sapientissimi judices, qui una mecum avide praefuimus scholasticis exercitationibus, Coenobitae cum Moderatore, et omnes, qui victoriis vestris ex corde sumus gavisi, salutem plurimam vobis dicimus, cunctaque fausta ominamur, ac divinis benedictionibus munimus. Vobiscum sit semper bonus Angelus, vos ubique comitetur et custodiat, hujus Bethlehem Seraphicae Patrona, Angelorum Regina, vobis a Filio suo JESU obtineat plenitudinem Spiritus Francisci, Spiritus paupertatis, humilitatis, patientiae, orationis et charitatis, ut eodem repleti promoveatis in populis bonum CHRISTI odorem, ejusque regni dilatationem, ac ita jure meritoque, at grato animo exclamare possitis. « Est DEUS in Israel »: Bonus ac Misericors suscitavit semen nostrum, a dejectione gentem nostram erexit, misertus est nobis: pusillus grex noster vivit adhuc, et in aevum vivet; seraphicum viridarium et hodie, licet diris tempestatibus obnoxium, flores producit et fructus honoris et honestatis, doctrinae et pietatis, sanctitatis et scientiae, producetque, faxit DEUS, usque ad consummationem saeculorum. FIAT, FIAT.

CARMEN

OCCASIONE CONCURSUUM GENERALIUM, VULGATORUM 6 OCTOBR. 1890

A REVERENDISSIMO P. MINISTRO TOTIUS ORDINIS MINORUM

ALOYSIO DOMO PARMA

AD PORTIUNCULAE PRO OBSERVANTIBUS AD S. DAMIANI PRO REFORMATIS PROPE ASSISIUM

JUSSU EJUSDEM MINISTRI CONCINNATUM

A FR. IRENAEO A BUXETO EX-DEFINITORE GENERALI ORDINIS.

Tertia (1) pensa Tibi exsolvo, admirande Minister,
Motus ab insigni causa mihi sponte cadente,
Nempe Tuo zelo instar Religionis avitae,
Quo impense graviora foves studia, addis et imo.
Quis, quid dignius, opportunius, utiliusve
Volvente hoc aevo, cedo excogitare valeret?

(1) Primum pro sua electione in Ministrum Generalem 3 Octobr. 1889, secundum pro suo onomastico die 21 Junii 1890.

Idcirco ut sapiens domui Provisor et Astor,
Grandi indicto concursu pro pube sequaci
Germanae regulae, voluisti tempore stato,
Atque loco non dissito ab Assisio, urbe vetusta,
Pauper ubi Patriarcha qua incunabula vidit,
Ut se colligeret, specimen praesto inde daturam
Doctrinae variae, ut varie, dispescitur ipsa;
Sed loco, ubi conversus suevit saepe precari,
Raptus ubi angelicos cantus audivit et haesit....
Ac ubi adeptus pro omni sonte, juvante MARIA,
Publicam eam veniam a Nato, de qua annuit olli,
Atque ubi tam lachrymatus dans monita ultima charis,
Hac de valle volans ad praecelsum angelicum orbem,
Quo ictus Lucifer, ascendit pulcherrimus Ipse;
(Sicuti in extase eum plures videre sedentem)
Aequum erat ut Filî aggregarentur ad exta Parentis.
Pro decurtatis, ubi nobilis illa puella
Francisci prior assecla, idest Virguncula Clara,
Quae Antistita virginum ubique simulque celebrûm
Quo, Ipsa, loco Damiani stabat Ecclesia parva
Aedes pro sociis humiles extruxit et arctas,
Sub quibus Hostiae ope augustae atros perdidit hostes:
Quaeque viris stant pro asceterô quippe severo.
Huc juvenum atque illuc utriusque electa caterva
Conventa ex tota Ausonia et regionibus extra,
Ter deni ex primis, hinc deni, alacres et anheli
Ad subeundum discrimen quodcumque parati;
Praeside Eo super, et selectis Judicibus sex,
Rite observato respectu utriusque cohortis,
Accitisque petentibus alterutrinque duobus,
Diversisque locis, quoque diversisque diebus;
Nec non Conventûm tota spectante phalange
En adaperta palestra equidem gravis, ardua sane.
Scilicet aut tentamina plura superque mathesim;
Aut literas humanas, quaeque vocantur amenae;
Iter ut ostendant rectum eloquentiam ad altam,
At studio mediante Patrum et sacro Bibliorum;
Vel linguas potiores intra extraque locutas;
Omnia item systemata seu veterum haecque recentûm
Multimode nunc respicientia utramque sophiam,
Vel quae naturae indito acumine adepta stupetur,
Vel quae coelitus immisso olim lumine habetur;
Per Logicam sane acrem Critica ab arte libratam,

Ambae per quantum longe lateque vagentur.
Nempe ea disceptatio quae complectitur omne (1).
  Ferme lunam durarunt certamina in anceps,
Sed qualis fuit exitus, o juvenes generosi?
Sin vos, fabor ego pro vestro quippe decore.
Vosmet qui propter sapientes ultro Magistros
Imbuti sapientia, arenam non metuistis,
Qui impavidi de tot tantisque pericula inistis,
Qui tam magnanimi, ergo non renuistis agonem,
Qui ad metam currentes, arripuistis eamdem,
Quique coronati aureola fulgetis honora:
Faustum se prodit, nam stant sua praemia gestis;
Vobis collaetor, multoque magis congaudet
Supremus Rector cum delecta hacce phalange
Quae jure audit pro amplo templo prima Minorum.
  Nunc vero ad Te, Presul ter Reverende, revertens,
Qui intrepido ausu provehis ad tam digna juventam,
Qui cathedras illis signasti pro merito aequas
Te inde salutatum cupiens hoc accipe votum:
Vive Tibi et nobis, ut nos vivamus honori
JESU, Virginis, Ecclesiae, et nostri Ordinis almi.

III.
VARIA.

SERIES PRAELATORUM

Ref. Provinciae Poloniae Minoris sub Titulo Beatissimae Virginis MARIAE *Angelorum in Imperio Russico.*

(Continuatio).

27. A. R. P. Marianus Lapczynski (Lapczynscius) juvenis Religioni nostrae nomen dedit, sapientiali studio aeque ac pietati a tyrone addictissimus, optimus ac doctissimus vir evasit. Munus Praedicatoris, Philosophiae ac Theologiae lecturam plurimis annis studiose tractavit. Officia Guardiani, Definitoris, Custodis, Generalis Commissarii in Majori Polonia magno zelo Regulae sanctae administravit. Tener at debili complexioni nequaquam connivens, frugalissimus vixit. Omnia itinera pedester et nudipes absolvit. Cracoviae in Cap. 14 Julii 1716 Minister Provincialis electus verbo et exemplo observantiam promovit. In provecta aetate solitudine ac oratione animum potissimum exercuit, quamquam toto vitae tempore sive domi, sive in via quasi continuo orabat. Pro zelo salutis animarum omnes nervos et conatus intendit ad conversionem Illustrissmi cujusdam Dynastae et Archi-Magistri Calvinistarum doctissimi quem, ut convinceret, quinque volumina successive conscripsit, in quibus fidei catholicae dogmata clarissime propugnat, Calviniana subruit et quibusvis illius Dynastae dubiis, argumentis, responsis, cumulatissime satisfecit. Assidue interim in salutem viri (qui tametsi adhucdum dissidens a fide, nostros fratres veluti Angelos DEI domi suae excipiebat et multa beneficia Conventibus praestabat), Deum exorans meruit, ut ille antesignatus praefatae sectae vinctas manus CHRISTO daret, fidei catholicae professione in manibus Eppi Cracoviensis emissa, auctusque senatoria purpura a Rege in sanctis operibus degeretur, suam conversionem ingenue post DEUM Patri Mariano adscribens, cujus scripta filio suo itidem catholico servanda consignavit. P. Marianus porro vacans piis exercitiis ad mortem se mature paravit ac placidissime in DOMINO obdormivit Lublini 10 Augusti 1726, vitae Religiosae supra quadragesimum quartum. His temporibus habitabant Cracoviae inter alios duo eximiae sanctitatis viri i. e. Ven. P. Sebastianus Wolicki Mag. Nov. et Vicarius Conv. et P. Carolus Ktner Lector.

(1) Alluditur novo Collegio S. Antonii in quo non solum linguas addiscent juvenes, sed et historiam, geographiam, physicam, astronomiam et quaecumque praeconis evangelici mentem ornare valent.

28. A. R. P. Raymundus Majkiewicz (Majkiewius) in Cap. Cracoviae 25 Junii 1719 sub praes. A. R. P. Aloysii Horman Com. Gnrlis., Prov. Austriae. P. Exministri, Guardiani Viennensis, electus in Min. Provinciae. Vir profundissimae humilitatis, mirabilis mansuetudinis, gratiosae modestiae. Devotionis autem spiritu super omnia coelestia dona enituit, semperque orans ac elevatus in DEUM videbatur. Intimam pietatem sublimi scientiae habuit foederatam. Philosophiae ac Theologiae sacrae Lector absolutus, multisque officiis continuo admotus, Guardiani, Mag. Novit. munia cum summa charitate et discretione administravit. Definitor Provinciae geminatim, Custos ac bina vice Min. Provlis. electus, verbo salutis et exemplo sanctitatis ad puram Regulae observantiam cunctos deducere conabatur. In quibusvis occupationibus spiritum ab oratione non relaxabat. Asceticarum lectione et scriptione delectabatur. Erga SSm. Eucharistiae Sacramentum mira devotione ferebatur, ejusque adorandi studio centies in die invisebat Ecclesiam curis etiam implicitus, imprimis vigilabat, ut in quolibet sacrificio elevationi adesset in Ecclesia. Annis quinque ante mortem ex continuis laboribus et vitae austeritate multis infirmitatibus contractis, eas cum mirabili patientia sustinuit, nemini molestus, obsequiorum gratissimus, solusque cum solo DEO in assidua oratione perseveravit, cupiens dissolvi et esse cum CHRISTO, in cujus Ascensionis festo Missam solita devotione audiens, sub ipsum elevationis tempus, apoplexia tactus, placidissime obdormivit in DOMINO Cracoviae die 11 Maji a. D. 1736. Natus autem Zakliczyni ad Dunajec, ubi ejus devotissima mater in Ecclesia Ordinis nostri sepulta est. Frater autem ejus D. Josephus Majkiewicz fuit Syndicus Conventus Zakliczynensis anno 1725.

29. A. R. P. Victor Licholacki (Licholaccius) Guard. Cracoviensis in Cap. Cracoviae 22 Junii 1722 celebrato sub praes. A. R. P. Archangeli Sarnowski Guard. Calissiensis electus, almae hujus Provinciae decus et ornamentum. Post toleratos summos pro gloria DEI et honore S. Religionis labores, utpote sexennio Philosophiae et duodecim S. Theologiae Lector. Praedicator eximius, ad Cap. Generale ac pro aliis Provinciae negotiis ter Romam adivit. Variis in Provincia perfunctus officiis, tot auctus dignitatibus, quot meritis gloriosus, tandem fractus viribus, plus minus 10 annis decumbens, gravi infirmitate pressus, gloriosum vitae certamen prope septuagenarius feliciter consummavit in Conv. Leopoliensi ad S. Casimirum die 27 Augusti 1740.

30. A. R. P. Coelestinus Chederowski (Chederovius) in Cap. Cracoviae sub praes. A. R. P. Camilli a Bergomo 3 Junii 1725 electus, quae electio multis displicuit et erat per A. R. P. Praesidentem extorta praeter voluntatem Patrum vocalium. Hinc A. R. P. Victor Licholacki, qua Custos Vocalis illum illegitime electum declarat, appellat Romam nominando eum intrusum, ignarum legum, male instructum a Commissario ut scilicet gubernet Provinciam independenter etiam in rebus majoris momenti, non consulturus Definitorium etc. etc., penes haec non erat ei prudentia neque charitas fraterna. Quapropter dum multae querelae contra eum motae sunt Romam, Reverendissimus P. Minister Generalis Laurentius a S. Laurentio suadet ei resignationem Officii, sed frustra, expleto demum triennio nova electio secuta est, et A. R. P. Coelestinus transtulit se ad Conv. novum Ravensem ubi 22 Maji 1748 obiit.

31. A. R. P. Raymundus Majkiewicz (Majkiewius) secundo. Decurrente tertio anno Ministeriatus A. R. P. Coelestini ipse certiorem fecit Reverendissimum P. Ministrum Generalem de accelerante fine Officii, expetivitque ab Eo Commissarium Generalem in provinciam suam, cujus desideriis annuens Reverendissimus elegit A. R. P. Castulum Laubner ex Prov. Bohemica Concionatorem, Theologum, Guard. Lignicensem, sacrosanctae Basilicae Lateranensis expoenitentiarium, quo recepto nuntio A. R. P. Minister Provincialis non aequo animo tulit hunc Commissarium datum; ideo scripsit A. R. P. Procuratori Generali ut ipse alium ex Majori Polonia procuraret Commissarium sub praetextu cavendarum expensarum pro conductione ejus; sed dum Procurator Generalis adit Reverendissimum in hoc negotio, negativum ab eo tulit responsum, se jam expeditionem suam mutare non posse. Hinc A. R. P. Castulus e Conventu S. Annae in Silesia de sua jurisdictione intimatorias litteras per omnes Conventus misit et absoluta visitatione pro Capitulo celebrando ad Conv. Cracoviensem PP. Vocales pro die 5 Junii 1728 convocavit. Et statim resolvenda V.V. Definitorio proposuit: Quaesitum fuit utrum admittendus sit Secretarius Provinciae ad sessiones Definitorii? Responsum est: Negative. In hoc Cap. electus est A. R. P. Raymundus in Ministrum Provincialem de quo supra.

Anno sequenti i. e. 1729 die 6 Julii celebrat cum suo Definitorio Cracoviae Congregationem annuam, in qua multa pro bono Provae statuta sunt: 1) Renovantur laboritia in studiis litterariis. 2) Laici pulsari campanis pro horis adjunguntur etc. etc. et acceptavit fundationem Visnensem die 15 Maji 1730.

32. A. R. P. Adrianus Czechowicz (Czechowius) annorum 64 sub praes. A. R. P. Malachiae Amchof Commissarii Generalis. Lector emerit. Guard. Visnensis, qui prius totam Provinciam zelose quidem sed cum charitate et singulari prudentia visitavit. Die autem 24 Julii 1731 Cracoviae Cap. celebravit, in quo electus est in Min. Provlem. A. R. P. Adrianus Czechowicz devotissimus et exemplarissimus Pater, aliquoties Definitor, multoties Mag. Novit. solertissimus, pluries Guardianus laudabilis, vitam agens cum aedificatione tam Regularium quam Saecularium, sobrius, prudens, patiens, humilis, charitativus, ad ultimum agonem chori diligentissimus. In vigilia tantum mortis ob languores pectorales a Matutino solum abfuit. Mane confessus post collationem sumptam cum Fratribus pergens ad Chorum saecularem pro dicenda Corona ac laudando DEO, penes ultimam cellam ante Chorum saecularem in superiori ambitu, languore correptus corruit. Fratres convocati destitutum viribus invenerunt, elicitis actibus Guardianus eum absolvit et P. Vicarius extremam Unctionem ministravit. Obiit Becii die 25 Augusti 1743.

(Continuabitur).

—

FUNDATIO
COLLEGII S. ISIDORI IN URBE
A P. LUCA WADDINGO
CAP. XIII (LIX).
Felix Lucae Gubernium.

(Continuatio).

Hoc igitur modo, hisque mediis Lucas Waddingus Collegium S. Isidori acquisivit, aedificavit, instruxit, a contrario quorumdam conatu patienter, prudenter conservavit. Quoniam autem, ceu polos molis, duos fines in ejus fundatione sibi praefixit, litterarum studium, et Franciscanae recollectae domus disciplinam, ideo regiminis modum sic his terminis adaptavit, ut quod non ubique fit, utrumque ad votum attigerit. Censent enim aliqui, et aliquando contingit, nescio quid adversitatis habere siccam scientiarum auram, et pinguem illum rorem asceticae conversationis; ibi enim intellectus rerum admiratione extenuatur, hic autem affectus coelestium deliciarum consuetudine pinguescit. Sed ea fuit prudentia, is zelus, ea in omnibus prosperitas Waddingi, ut eo gubernante, ipsi Generales Ministri, postquam lustrabant Ordinis Provincias, non dubitassent saepius et publice pronunciare non alibi se scientiam et pietatem, arctiori vel foecundiori conjugio copulatas reperisse, quam in Collegio Romano S. Isidori Fratrum Hibernorum.

Benignus Januensis, tam serius et severus vir, dum aliquando in gravi Patrum Ordinis corona de statu Religionis dissereret, et sermo forte misceretur de Collegio S. Isidori, eam huic laudem tribuit, quod ejus incolae Fratres non possent peccare. Mirati Patres ejusmodi paradoxum, quid scilicet (inquiunt) Reverendissime Pater, an homines non sunt, ut alii, aut forsitan confirmati in gratia? Quibus ille: nequaquam, inquit, nam et homines sunt, nondum in gratia confirmati; sed adeo remoti a mundo ac tam exactis rationibus temporis et exercitiorum scientiae religionis adstricti, ut neque quae in mundo sint cogitent, neque diabolus eos unquam inveniat otiosos. Deinde Benignus in Lucae tunc absentis laudem, et gubernandi gratiam et modum pluribus expatiatus, palam evicit, bono sensu dici potuisse quod ipse de S. Isidori Fratribus pronunciavit. Idem aliorum sensus, eademque sententia fuit Bernardini Senensis, qui Collegium nostratibus concessit: Ioannis a Campanea, quem amaris lacrymis planxisse diximus, quod vel extremam senectam hic degere, et lassum aevo, et laboribus corpus deponere non illi permiserit vinculum Episcopatus: Joannis Merineri post Generalatum Ordinis per sexennium cum laude absolutum Episcopi Vallisoletano, qui, ut audimus, indissimulanter aliquando promit suum desiderium, in Collegio S. Isidori suos dies absolvendi, ut quos in vita dilexerat, sepulcri socios haberet quatuor illos, quos ante diximus in Templo nostro sibi invicem adjacere: itemque Joannis a Neapoli, pleni sensu et auctoritate viri, qui dum vixit, aestimationem suam, et inde natum amorem in Lucam et Collegium, laudibus, favoribus et beneficiis continuo monstrabat. Proinde isti, qui praecipui fuerunt, et ceteri, qui post fundatum Collegium, Ordinem gubernabant, tanti faciebant Lucae zelum, et prudentiam, ut nihil in Collegio recte factum arbitrarentur, quod non vel suggereret ille, vel non approbaret; et quam id merito effectus monstrabant, nam omnia cum fructu et publica laude succedebant.

CAP. XIV (LX).
Prudens et suave.

Verumtamen cum eadem de Luca esset opinio, idemque in eum affectus Curiae Romanae, ut proinde utroque brachio posset in Collegio disponere quidquid vellet, ea tamen fuit suavitate et prudentia, ut semper maluerit id sibi licere magis amore subditorum, quam Superiorum quantumvis justa potentia. Et quoniam ad sobrietatem sapiebat, non adeo fidebat sibi, ut rem alicujus momenti, non nisi ex praefixis regulis disponeret, nec nisi petito et accepto communi Patrum Discretorum consilio et assensu. Imo vero omnem aliter disponendi licentiam, ipse sibi et aliis futuris Collegii Guardianis, sancita lege, et sublata sufficienti jurisdictione, ab initio dempsit: *Quoniam ita Collegii status exigit, quod extra provinciam fundatum sit, ut unius perso-*

nae quantumlibet industriae privato arbitrio ejus regimen absolute committere securum non videatur. Quod Lucas, ut ex animo judicioque sanciri curavit, sic adamussim observabat quatuor integris trienniis, quibus per tot vices Guardianatus Collegii onus ex officio sustinuit, et quinta vice qua reluctans et lacrymans obedientiae praecepto coactus est regimen Praesidentis titulo suscipere, donec recenter tunc electus et absens Guardianus adveniret, quod magno Lucae dolore, totius anni spatio dilatum fuit.

Et sane hac ratione suavissimum reddebat gubernium, nam et Patres, quorum judicio et voluntati tantum deferebat, ut vel ex ipsorum suffragiis ultro datis omnia disponere, vel si adversari quisquam videretur, non prius resolvebat agenda, quam exposita convenientia sententiae suae, talem traheret ad consensum. Quo etiam id lucrabatur, ut si subditorum aliquis rerum decreta sibi minus convenire quereretur, Patres omnes, quorum communi sententia transacta res fuit, communi quoque studio minus contentum subditum, ratione et auctoritate placarent, quietumque et consolatum redderent. Quantumvis cum alii Guardianatus officio fungerentur non minus ipse sustinebat onus; illis enim consilio et auxilio assistebat, omnique solatio ipsos erigebat, continuam ipse solus promovendae fabricae, et notabilioris supellectilis procurandae curam agebat: quidquid extra domum gravioris ejus negotii agendum occurrebat, hoc ipse pedibus, lingua, calamo pertractabat, ut aliis domus Praefectis nihil interim aliud incumberet, quam ut Fratres subditos in domesticis exercitiis comitarentur, et in officiis ac disciplina dirigerent.

CAP. XV (LXI).

Indifferens in vocandis junioribus.

Quoniam autem Waddingus in erectione vel gubernio Collegii non studebat partibus, sed prospiciebat communi bono Catholicae et Franciscanae Religionis in tota Insula et Regno Hiberniae, curabat semper quantum poterat, ut indifferenter ex omnibus regni provinciis ad Collegium transmitterentur selecti juvenes, qui litteris et Religione hic instructi, deinde ad CHRISTI oves verbo et exemplo pascendas in Provinciam remitterentur.

Habeo inter schedas ipsius litteras authographas, quarum sententia, cum res postulabat, ad Provinciae et aliorum Collegiorum Superiores ipse scribebat, vel per Generales Praelatos scribi curabat, rogando ut transmitterentur juvenes sive Philosophiae sive Theologiae studiosi, probi tamen et pacifici, doctrinae capessendae idonei, et si fieri possit, ex Provinciis Ultoniae seu Conaciae oriundi; ex Lagenia etenim, inquit, a Mamonia nunc major est numerus hic residentium.

Et sane Lucas in hanc sententiam cum Collegii Patribus tractabat, quoties vocanda erat nova juventus, et residentium inaequalitas exigebat. Quamquam enim Provinciae Mamoniae Lucae nativa Coenobiorum numero Lageniam ipsam tertia parte, aliarum autem alteram tota media, alteramque duabus tertiis exsuperet, non proinde curabat ipse, ut ex illis plures, quam ex istis vocarentur; quantumvis isti difficultates itineris, et Romani coeli aestum victumque subinde causarentur, tamquam qui in Borealibus Hiberniae nati et educati, congruentiorem suis humoribus, moribusque locum, nec tanto itinere petendum, in Germania, Belgioque haberent, opinione non undequaque approbanda; constat enim plures Hibernorum Lovanii et Pragae variis languoribus infirmari, atque ex infirmis plures mori quam Romae.

(Continuabitur).

IV.

BIBLIOGRAPHIA

—

STATUTA et Constitutiones Generalis familiae Cismontanae Ordinis Sancti Francisci Minorum Reformatorum, sancita in Congregatione Generali Romana anno Domini 1642 celebrata, et auctoritate S. Sedis Apostolicae ab Urbano VIII confirmata et approbata, demum in Capitulo Generali Romano anno 1889 modificata. — Ad Claras Aquas (Quaracchi) prope Florentiam, ex Typographia collegii S. Bonaventurae 1890.

In-8 majori pag. 133, quibus sequitur tabula status localis et personalis omnium Provinciarum Reformatorum nunc existentium. L. 2.

Nota. — *Mense p. v. in lucem apparebit versio italica horum Statutorum.*

Emidio (P.) Cardini, Min. Oss. — Ragionamenti Sacri. — Quaracchi presso Firenze, Tip. del Collegio di S. Bonaventura. 1890. In-8. Pag. 336. L. 2,50 *(vel Missae 2).*

Specchio della Disciplina, Istruzione e Regola de' Novizi, con alcuni salutevoli ricordi del ben vivere. Operette del Serafico Dottore S. Bonaventura. Terza edizione. — Quaracchi, presso Firenze, Tip. del Collegio di S. Bonaventura 1891. In-16. Pag. XXXV-348. L. 1,25 *(vel una Missa).*

Angeli P. Franz Sal. — Die Posaune des hl. Kreuzes. Organ der Wächter des heiligen Grabes in Jerusalem. Redigirt von P. Franz Sal. Angeli, General-Commissär des heil. Landes. Selbstverlag des General-Commissariates des heil. Landes. Preis 1 fl. ö. w. — 2 M.
Latine: Tuba S. Crucis.

Die Mission im hl. Lande. — Pilger-Berichte, Beschreibungen, und Almosen-Ausweise. Herausgegeben von dem General-Commissariate des hl. Landes in Wien. Mit Illustrationen. Pag. 284. Würzburg, Verlag von Leo Woerl. Wien. *Latine:* Missio Terrae Sanctae.

Anonymus. — Notice sur le Tiers-Ordre de Saint François par un Tertiaire, ancien officier supérieur. Paris. Imprimerie Franciscaine Missionaire, 80 Rue Dutot 80. — 1890.

Anonymus, Capuc. — Manual Sérafico de los FF. MM. Capuchinos de las Provincias de España y sus Misiones: publicado por mandado del Rmo Padre Bernardo de Andermatt, Ministro General de toda la Orden de Menores Capuchinos de N. P. S. Francisco. — Roma: Tipografia Vaticana 1890. In-16. Pag. VII-428.

Anonymus, Capuc. — Il Cappuccino ritirato per dieci giorni in se stesso, ossia Esercizi spirituali, aggiustati ad uso de' Frati Cappuccini di S. Francesco, da un Religioso dello stesso Ordine. — Milano: Tipografia e Libr. Arciv. Boniardi-Pogliani 1890. In-16. Pag. 309. Prezzo: L. 1,50.

Anonymus, Observ. — Le petit Latiniste ou Grammaire latine á l'usage des commençants contenant de nombreux thèmes et versions et un dictionnaire latin-français et français-latin par le Père X... ancien Professeur du Collège Séraphique. — Burdigalae: Typographia S. Ludovici Episcopi MDCCCXC.

Deymann. P. Clementinus, O. S. F. Prov. Ss. Cordis Jesu.

1. Devotion to St. Anthony of Padua. Pag. 20.

2. A Guide for Holy Week for Laymen. pag. 24.

3. Portiuncula Indulgence. Pag. 36.

Omnia tria ed. 1390 Market Street. San Francisco, California.

4. A Novena in honor of St. Francis of Assisi. Pag. 22. San Francisco Cal. 737 Market Street.

Joannes Baptista (P.) a Genua, Min. Cap. — Temi del giorno, ossia Conferenze importanti di Religione, richieste per la nequizia dei tempi a scampo e salute del popolo cristiano. Opera apologetica del Sac. Gio. Battista Tagiasco da Genova, Capp. della Ligure Provincia. — Sarzana: Tipografia Civica di G. Tellarini. 1890. In-16. Pag. 316.

Francesco Stella (P. d. M.). — Introduzione allo studio della sacra Liturgia ad uso dei Seminari. II.ª Ed. Siena, tip. Arciv. S. Bernardino editrice 1887. In-8. Pag. 607. (Emi potest in Collegio S. Antonii L. 2,75).

V.
NECROLOGIA

Recollectae Custodiae S. Elisabeth Thuringiae die 17 Septembris inopinato ereptus est A. R. P. Maximilianus Kirchner. Dicta die, qua recurrit anniversarium impressionis sacrorum stigmatum in corpore S. P. N. Francisci, praefatus Pater mane excepit multas fidelium confessiones et cantavit Missam solemnem, qua finita fecit discursum ad sodales Tertii Ordinis, eisque absolutionem generalem impertitus est. Deinde vocatus est ad vicinum pagum, ut ibi cuidam moribundae exeuntium Sacramenta ministraret. Veniens prope do-

mum dictae infirmae, SS. Sacramentum supra pectus portans, mortuus cecidit in terram, summopere deploratus ab omnibus qui eum cognoverant.

Natus erat Salismonasterii in Hassia electorali die 24 Junii 1825, et Ordinem nostrum ingressus est in Conventu Fuldensi die 31 Octobris 1844. Sacerdotio initiatus, statim in cura animarum strenue laboravit, ac multis in locis, et magno cum fructu Missiones praedicavit et Exercitia spiritualia. Cum ex Conventibus, qui ex iterato suppressa Provincia S. Elisabeth Thuringiae supererant, anno 1855 Custodia Regiminis denuo erigeretur, ipse primus istius Custodiae Custos Gubernii fuit electus, eique per duodecim annos continuos laudabiliter praefuit. Duobus Capitulis Generalibus, anno 1856 et 1862, interfuit; regularem disciplinam tum in propria Custodia, tum in aliis Provinciis, quarum Visitator delegatus fuerat, verbo et exemplo sedulo promovit. Fuit vir rectus, decisus, et bene instructus, atque Concionator eximius, qui per plures annos in Ecclesia cathedrali Fuldensi Dominicis diebus praedicare debuit. — Piissimus JESUS, pro cujus amore ampliando tantum in vita sua laboravit, et quem moriens supra pectus suum portavit, omnes labores ipsi cumulate retribuere dignetur!

R. I. P.

Adm. R. P. ALOYSIUS A PEDELAMA. Luctui sat gravi, quem haec nostra Reformata Provincia Seraphica adhuc patiebatur moerens ob infandum et in criminum historiis inauditum scelus in tres perdilectos Fratres nostros sanguinariis manibus effrena auri cupidine motis, paucis abhinc mensibus in nostro Sanctuario S. Francisci Specus in Dioecesi Narniensi crudelissima nece interemptos, patratum, haud nunc levis iungitur luctus ob mortem Adm. R. P. Aloysii a Pedelama Lectoris Theologi, Ex-Ministri et Custodis actualis, omnibus Ecclesiae Sacramentis pie nuper in DOMINO defuncti. Voluntati divinae, ut aequum et justum est, per omnia obsequentes quae talia nos pati sinit, non possumus quin hunc Confratrem lugeamus amissum eique debitum gratitudinis nostrae solvamus. Profecto dies 28 Septembris usque moesta et lacrymabilis rediet cunctis hujusce Provinciae Alumnis, utpote in ea tam optimo Patre sunt destituti, ut pleno jure ex ejus obitu persentiant se gravi fuisse perculsos jactura! Aloysius enim a Pedelama inter eos praeclaros nostri Ordinis viros merito est recensendus, qui ob res optime gestas maxima post se desideria suique memoriam haud brevi perituram relinquunt: quique dum totam vitam gemino virtutis et scientiae amore atque cultu refertam duxissent, talia operati sunt docendo et agendo quibus et bene de Instituto universo fuerint meriti et Provinciae suae decus exstiterint ac fulcimentum.

Natus die 2 Junii 1831 piis honestisque parentibus, ab infantilibus fere annis, praeter cetera ingenii pietatisque indicia, tenerrima coepit ac veluti nativa dilectione ferri in Patriarcham Seraphicum suosque asseclas. Hos etenim in proximo S. Francisci Coenobio Arquatae ad Truentum posito degentes puerulus, ex tunc clericali habitu indutus, persaepe laetitia gestiens adibat tum sacris inserviturus, tum vel maxime ab ipsis in timore DOMINI literarumque erudiendus principiis. Quae omnia Franciscales libenti animo eidem praestabant, ea etiam spe freti fore ut aliquando de tali juvene Minoritarum Religionem ingresso, prout iterum ac tertio hoc suum desiderium jam patefecerat, ceu de religioso viro undequaque spectabili qualem se praenuntiabat futurum Ordo Seraphicus emolumentum caperet ac laetaretur. Nec spes de eo concepta fefellit, cumulatissime imo respondit. Siquidem maxima sui cordis laetitia die 28 Decembris 1846 religioso habitu in sacro Recessu Montis Luci prope Spoletum, in quo recens adhuc et viva Ven. P. Leopoldi a Gaichis memoria sanctitatem olebat, assumpto, et post completum tyrocinium solemnibus votis rite nuncupatis, adeo virtutibus excolendis Scientiisque, Philosophicis praesertim ac Theologicis ad quas Superiores illum destinarunt, egregiam navavit operam, ut vix unctus Sacerdos Lector per concursum fuerit renunciatus. Vir forti mentis acie ditatus natura, patientique aucta labore, multa in Magisterio gessit magno addiscentium profectu. Silentio praetereundum non est quod in maximam cedit istius Patris laudem, amor nempe et cultus prorsus intelligens ac filialis quo Scholae Franciscanae Doctores maximeque Divum Bo-

naventuram semper est prosequutus, et quorum voluminum paginas nocturna diurnaque versavit manu. Eapropter jam inde ab anno 1857 dum in studio Generali Conventus nostri S. Martini prope Trebiam Philosophiae moderaretur cathedram, nullis parcens laboribus *Compendium Philosophiae ad mentem Sancti Bonaventurae* proprio marte redegit, quo bonaventurianos aliorumque Majorum nostrorum thesauros nostris clericis reserens, de pleniore illius methodi apud nostrates restauratione optime est promeritus, quae nunc favore et hortamentis sapientissimi Pontificis Leonis XIII, ubique culta florescit. Ceterum suum erga scientias amorem sat commonstrant sequentia quae ab ipso, ultimis praesertim hisce tempoporibus typis edita sunt opera, quaeque haud sine plausu a viris doctis excepta fuere, videlicet: *Parva Chronica Provinciae Seraphicae Reformatae: Memorie intorno alla vita del M. R. P. Luigi da S. Giacomo,* et *La Scolastica e le Tradizioni Francescane* etc. quod ultimum opus ex gallica lingua in italicam vertit opportunis ac eruditis notis hac illac adjectis. Adhuc plura haecque majoris ponderis opera, quibus scribendis vel unico motus scientiarum incremento Ordinisque bono diu aegra licet valetudine insudabat, ex istius Patris ingenio profecto habuissemus, ni tam cito fuisset ereptus ad dolorem quidem nostrum, sed ad coeli gloriam, quam ejus virtutes ipsi jam promeruisse speramus. Aloysius enim non solum praeclara docuit, sed optima quoque est operatus.

Vir omnimoda religiositate spectabilis, quae ad divinum cultum aeternamque hominum salutem spectant amare atque exercere, nec non tum praedicatione verbi Dei tum sacris confessionibus excipiendis utraque promovere omni tempore solemne habuit. Amantissimus Seraphici Ordinis, in omnibus et per omnia ipsius bono, prosperitati, incremento decorique studuit. Ex iis haud mirum videbitur si anno 1875, Romae in Ministrum electus hujus Provinciae Seraphicae, quae, non secus ac ceterae, suppressionis quassata turbine et religiosis huc illuc dispersis in magna versabatur pernicie, vel tum ex initiis omnem suum zelum et operositatem converterit, ut illata damna repararet ac restaurationem promoveret. Nullis ergo parcens laboribus ac itineribus nullique cedens difficultati, tenacis propositi vir, plura suppressa coenobia redemit, Fratresque dispersos in illis collegit iterum corde et animo unitos in regulari observantia Deo servituros. Per sexennium, quo laudabiliter Ministeriatus munere functus est, et Collegium Seraphicum, unum ex primis in Italia, pro excipiendis juvenibus Ordinem ingredi postulantibus inque eo literis imbuendis Eugubii ad S. Hieronymi instituit, et Novitiatus aperuit, novisque filiis laetificavit Provinciam, ita ut jure meritoque sit appellandus illius *Restaurator et Pater.* Has animi dotes et praeclara Aloysii gesta cum Generalis Minister perspecta haberet, ipsi plurium Provinciarum sacram generalem Visitationem demandavit, quod munus sibi commissum zelo, prudentia ac dexteritate adimplevisse plures commendationes testantur.

Haec omnia nos mente nunc revolventes, dum de talis Patris terrestri vita sic pie glorioseque impensa in Domino laetamur, maximum de ejus morte experimur dolorem, nobiscum et cuncti experiuntur, qui amore adhuc et veneratione prosequuntur virtutem et scientiam indissolubili atque amico inter se foedere junctas, ut fit manifestum ex pluribus Necrologiis quas in ejus memoriam Ephemeridum scriptores superioribus hisce diebus vulgarunt. Sit igitur in pace locus ejus et habitatio ejus in sancta Sion!

R. I. P.

Ex necrologia quam R. P. Josephus M.ª a Cisternino Guardianus Min. Obs. Ref. Lyciensis nuper transmisit haec de Adm. R. P. Antonio a Martina duximus referenda, etsi annus jam ab ejusdem obitu defluxerit. Natus Martinae Tarentinae Archidioeceseos die 26 Aprilis 1812 a pueritia se franciscanum fore dictitabat, et ad ea quae Dei sunt semet applicabat. In humanioribus litteris satis excultus Ordini nostro in Reformata Lyciensi Provincia die 25 Martii 1831 nomen dedit, et in suo tyrocinio (quod terrestrem paradisum vocare solebat) omnibus virtutum exemplar se praebuit. Emenso studiorum curriculo, et sacerdotio insignitus, ad sacrum Recessus Coenobium tunc opera A. R. P. Seraphini ab Ostuneo Provincialis Ministri Taviani institutum convolavit, ubi et vitae exemplo, et assidua verbi

divini praedicatione, sacramentorumque administratione Tavianensis populi saluti cooperatus est usque dum adversae valetudinis causa alibi transferri coactus esset. Pristinae sanitati restitutus otio nullimode indulsit sed facto periculo tum Philosophiae in Provinciali concursu, tum Theologiae in Generali, unam alteramque facultatem nostrates docuit quousque Provinciae necessitas exegit, verbi divini praedicationi incubuit, Tertii Ordinis sodalitia fundavit, omnibus acceptissimus evasit. Guardiani ac Definitoris munera primum obivit, ac dein per annos 25 Provinciae qua Minister praefuit ab an. 1859 ad 1884 inter plurimas animi angustias ob persecutiones et Conventuum omnium suppressionem, fratrumque dispersionem. Difficillimis hisce temporibus pluries filios suos huc illuc dispersos adire non defuit, arguens illos, obsecrans, increpans in omni patientia et doctrina, ut in dilectione et timore Dei sistentes, votorum observantia vitam aeternam consequerentur. Abdicato Ministeriatu successori suo P. Eugenio a Martina Provinciae instauratori consilio et opera praesto fuit. Laboribus plusquam annis fractus levi apoplexia tactus est mense Septembri anni 1887, et aegre ferens se adhuc extra claustra commorari ad Monasterium reverti ardenter cupiebat. Ast cum superatis difficultatibus semet ad Mandurium versus proficiscendum accingeret, ut inibi inter suos reliquum vitae transigeret, tenuit eum infirmitas, et dum spes valetudinis cito recuperandae effulgere videbatur die 15 Novembris 1889 superveniente paralysi correptus, placide in osculo Domini efflavit animam.

R. I. P.

R. P. Philippus Antonius Belli, lucem hausit S. Elpidii ad mare in agro Piceno VII Kalendas Octobres anno 1813. Quo tutius suae consuleret animae octodecim annos natus, nostrum amplexus est Ordinem; ubi abhorrens magnopere otium, vacavit assidue orationi, studio et confessionibus fidelium excipiendis. Sedulam etiam navavit operam sacris concionibus; quo factum est, ut muneris apostolici titulo digne honestaretur. Egregia praeterea voce praeditus, divinas canere laudes consuevit tum musice tum cantu *gregoriano;* quibus diligenter excolendis sese juvenis dederat. Septimum jam et septuagesimum attigerat aetatis annum, quum diabete et gangraena nec opinus correptus, Ecclesiae Sacramentis munitus, pie decessit, uti semper vixerat, domi nostrae, S. Genesii, decimo quarto Kalendas Novembres ineuntis hujus anni 1890.

R. I. P.

Die 27 Octobris 1890 suae aetatis anno 81 et religionis 58 R. P. Petrus Paulus a Cinta, Ref. Provinciae S. Vigilii Tridenti triduana infirmitate correptus in osculo Domini obiit in Conventu nostro Perginensi, ubi per decennium et ultra morabatur, et franciscani sacerdotis semet exhibebat exemplar praesertim quoad morum simplicitatem et erga omnes, sed speciali modo erga pauperes, charitatem tum spiritualem tum corporalem. Ab anno 1838 usque ad 1858 Matheseos cathedram tenuit in studio Provinciae domestico, ad id munus ab aulica imperiali et regia studiorum Commissione, praemisso rigoroso examine adprobatus, et per biennium (1848-1850) etiam saeculares discipulos habuit (inter quos nonnulli celebres evasere) cum politicarum turbationum causa Lycaeo Tridentino suspenso, Gubernium concesserat ut scholae domesticae Franciscanorum Roboreti saecularibus etiam juvenibus inservirent. Omnibus semper charus fuit, ejusque memoria apud Vigilianos fratres in benedictione erit.

R. I. P.

R. P. Ferdinandus a Catteris, Obs. Provinciae Corsicae Sacerdos, die S. Petro Alcantarensi sacra, Marcassi consummatus in brevi explevit tempora multa, anno suae aetatis trigesimo, heroicae patientiae exempla relinquens Provinciae, quae de eo magnam conceperat spem.

R. I. P.

Nihil obstat.

Fr. Aloysius, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

AUDIENTIA SUMMI PONTIFICIS LEONIS XIII
die 11 Novembris 1890.

Die 11 mensis superioris Sanctitas Sua ad osculum S. Pedis admittebat Rmum P. Generalem, admodum Rdos PP. Praesidem et Praefectum nostri Collegii S. Antonii in Urbe necnon ejusdem Collegii Doctorum Decuriam.

Sanctitas Sua sciscitata est a Rmo P. Generali de ratione hujus Collegii aedificandi et de facultatibus in eo tradendis; atque gavisa est vehementer percipiens Collegium eo consilio fuisse institutum ut Franciscales ephebi rei litterariae ac physicae, philosophicae juxta ac theologicae studium qua fieri potest perfectione aggrederentur, atque insimul qua par est doctrina imbuantur ii, qui catholicum nomen inter barbaras gentes, pro Dei voluntate, sint illaturi.

« Nos quoque, subtexuit Sanctitas Sua, eidem fini studuimus, cum Nostra cura Vaticanum patuit Seminarium, in quod sex praestantissimos viros adscivimus, ut iisdem usi magistris adolescentes post studia ordinis secundi absoluta iis disciplinis expolirentur, in quas sua quisque magis natura ferretur ».

Varias posthac facultates, quae in Collegio nostro traduntur Sanctitas Sua commendavit, praecipue vero S. Theologiam, data, pene dixerim, opera commemoravit, cujus enucleandae necessitatem eo majorem esse edixit quo nostra hac tempestate audaciores adsurgunt Ecclesiae Christi ejusque Religionis adversarii.

« Quare iisdem armis dimicandum quibus illi per summum scelus abutuntur, verae scilicet scientiae placitis deliramenta eorum retundere. Quod bellum adversus catholicam doctrinam ferocius exardescat in patulo esse: ast ubi adversariorum astui vera Christi doctrina multiplici validoque argumentorum pondere instructa opponatur, ipsos nefariorum conatus in bonum christianae Religionis flectere. Nobis ante oculos exemplum Germanicae nationis obversari. Incredibile memoratu esse quantopere abhinc paucis annis adlaborarint infensissimi homines Christiano nomini e Germaniae finibus profligando; verum dum, inito certamine, se certo victores reputarent, adversarios nactos fuisse acerrimos armis, qui nedum tunc palmam invidisse, phalangem modo constituere unione virium firmissimam, in aciem, si res postulet, mox proditurам ».

Et inter haec dicendum Sanctitas Sua vividiorem oculorum ictum proferebat, ut ostenderet, aut ego fallor, persecutionem Sibi animum non dejicere, sed contra attollere, cum et ipsa transverso licet tramite, velit nolit, causam Dei agat.

« *Vos autem, Franciscales viri, Theologiae Magistrum habetis, cujus volumina nocturna diurnaque manu Catholicae doctrinae explanandae, defendendae, versetis. Quemadmodum PP. Dominicani Angelicum Doctorem, S. Thomam, sibi vindicant, ita vos, Franciscales, Doctorem Seraphicum, S. Bonaventuram, vobis iure quidem optimo vindicatis. Is* POSTQUAM MAXIME ARDUAS SPECULATIONIS SUMMITATES CONSCENDIT, DE MYSTICA THEOLOGIA TANTA PERFECTIONE DISSERUIT, UT IN EA, COMMUNI HOMINUM PERITISSIMORUM SUFFRAGIO, HABEATUR FACILE PRINCEPS. *Frequens libensque Nos Doctorem hunc legimus; ex qua lectione incredibili animi voluptate percellimur et*

fere in aëra levamur: ipse enim MANUDUCIT *ad* DEUM ». Dum haec diceret, S. S. supernaturalem formam induere est visa, submotaque senecta, juventam in augusta Ejus facie effloruisse. Patres qui aderant laetabantur vehementissime quod ex ore Pontificis Summi laudes depromi audirent in S. Doctorem Bonaventuram, quem nostra memoria, repentini quidam homines, studio partium abrepti, obliteraverant.

Peracto elogio Theologiae Bonaventurianae, Sanctitas Sua maximi interesse dixit, ut scientiarum studium exercitium omnium, praecipue seraphicarum, virtutum comitetur. « Nihili scientiam faciendam, immo obesse, nisi agnoscatur eamdem esse medium ad suam aliorumque sanctificationem assequendam. Hunc finem ab omnibus Franciscalibus intendendum, verum maxime ab iis quos DEUS mittat laturos Evangelium gentibus in umbra mortis adhuc misere constitutis. Id semper memoria retinendum Religiosos Ordines divino Providentiae consilio excitatos fuisse ad conversionem mundi ».

Post haec, Summus Pontifex familiari quadam, ut patrem decet, oratione utens Ordinem Franciscalem se amore peculiari complecti, inquit, peculiarique ratione plures Sanctos hujusce Ordinis colere, in primis Seraphicum Patriarcham, dein S. Bonaventuram, S. Petrum de Alcantara, B. Conradum ab Ophida, B. Egidium ab Assisio, aliosque quorum intercessioni, quotidiana prece, sese committeret ad Ecclesiae gubernacula firmius tractanda.

Denique Apostolicam benedictionem, equidem peculiarissimam, Rmo P. Generali Sanctitas Sua impertivit, hinc Patribus qui aderant, aeque ac cunctis tyronibus jam nunc in Collegio degentibus, necnon quotquot, volventibus annis, sint inibi commoraturi.

II.
ACTA ORDINIS

SOLEMNITAS PERACTA STUDIIS AUSPICANDIS
in Athenaeo principe ad S. Antonii in Urbe.

Die XX Novembris solemniter auspicatum est Collegium S. Antonii in Urbe. Hora septima cum dimidio R.mus P. Generalis, adstantibus duobus Episcopis Franciscalibus, cunctis Ordinis Proceribus, Decuria Doctorum cum alumnis Collegii, incruentum Missae Sacrificium celebravit, quo iidem alumni sacra de altari libaverunt. Sacrificio absoluto, R.mus P. Generalis sermonem habuit italico stylo exaratum, quem etiam latine redditum heic subjicimus. Dein hymno *Veni, Creator,* lumine divini Paracliti implorato, Doctores decuriales publicam eamque solemnem fidei Professionem emiserunt. Alia narratu digna praeterimus, quia ex sequenti sermone depromi queunt.

Jesus, Maria, Joseph, Franciscus.

DISCORSO
NELL' INAUGURAZIONE SOLENNE DEGLI STUDI.
NEL COLLEGIO DI SANT' ANTONIO IN ROMA
20 NOVEMBRE 1890.

Monsignori, Prestantissimi Padri,
Giovani dilettissimi!

Un Principe di Santa Romana Chiesa, Sua Eminenza Reverendissima, il Cardinale

SERMO
DICTUS STUDIIS AUSPICANDIS
IN ATHENAEO PRINCIPE S. ANTONII IN URBE
DIE XX NOVEMBRIS 1890.

Illustrissimi ac Rmi Domini, praestantissimi Patres,
adolescentes dilectissimi.

Sanctae Romanae Ecclesiae Principem Patrem Cardinalem Joannem Simeoni, Ordi-

Giovanni Simeoni, benemerentissimo Protettore del Nostro Serafico Ordine, presiedere doveva a questa nostra festa, modesta e pia: Egli rallegrare doveva la inaugurazione degli studi in questo Collegio, colla sua maestà renderla più solenne, col suo dolce eloquio animarci all'impresa, colla sua autorità di *Moderatore, Protettore, Correggitore* (1) della nostra fraternità, confortare le nostre speranze, munirci di salutari documenti, perchè efficaci e feconde di buoni frutti abbiano a riuscire le nostre fatiche. Ma un lutto di famiglia (2), che facciamo anche nostro, mentre gli ha impedito di tenere l'invito, inaspettatamente ci ha privato della gioia di averlo tra noi. Per cui a me, Ministro Generale dell'Ordine, sebbene indegno, spetta il presiedere e compiere sì bella funzione, ed in pari tempo rivolgere a voi specialmente, o giovani, che dalle diverse Provincie dell'Ordine qua accorreste per formarvi agli studi una parola d'affetto paterno, una parola di conforto, una parola di esortazione, perchè con gran cuore, e con animo volonteroso, *corde magno et animo volenti,* abbiate a rispondere degnamente all'espettazione dell'Ordine, che innalzò questo Collegio, perchè fosse quale un vivajo di giovani piante serafiche, quale un seminario, per gli alunni del francescano nostro Istituto, di scienza e di pietà, e donde pieni di scienza e di pietà uscissero, e si spargessero pel mondo per annunziare la pace. Ma che vi potrò dire io mai, che degno sia e della santità di questo luogo (3), e della circostanza solenne di questa festa, e degli egregi personaggi che la onorano di lor presenza (4)? La ristrettezza del tempo non mi ha permesso di preparare il meglio che avrei saputo e potuto fare di analogo alla circostanza, per cui non badando alla forma del mio dire, ma al desiderio di pur dire qualche cosa di utile, e di salutare a questi nostri cari giovani, mi sarete larghi, quanti qui siete ad

(1) Cap. XII. della Regola.

(2) La morte della sorella avvenuta ieri.

(3) Questo sermone fu recitato nella Chiesa del Collegio, sacra a sant'Antonio, dopo la Messa dello Spirito Santo.

(4) Erano presenti in forma solenne, due Vescovi dell'Ordine Francescano, i Padri del Rmo Definitorio Generale, e il Corpo degli Insegnanti, i quali ultimi dopo il canto del *Veni, Creator Spiritus,* emisero la professione di fede.

nis Nostri Seraphici Protectorem magnificum, nostrae huic piae humilique Festivitati praefuturum putabamus, dum, ea qua est benignitate, conditionem acceperat. Is festo huic diei quem agimus studiis in principe hoc Athenaeo auspicandis decus sua praesentia ac majestate addidisset; suavi alloquio ad opus, quod auspicamur, persequendum fuisset adhortatus, suaque Moderatoris, Protectoris et Correctoris nostrae Fraternitatis (1) auctoritate spem nostram erexisset, atque salutaria edidisset documenta, quibus ex praeclarissimo hujus Collegii instituendi facinore uberrimos fructus petere valeamus. At res contra votum cessit: luctu enim familiari (2), quem et nos, ex charitate, participamus, praepeditus, eo nos gaudio privavit, quod ex praesentia hujus Ecclesiae Principis dulcissima consuetudine nobis devincti percepissemus. Quare meum est, Ministri Generalis Ordinis, licet indigni, huic Festivitati praeesse, arreptaque occasione, vos praecipue tyrones, qui ex variis dissitisque provinciis huc, studiorum causa, convenistis, alloqui ut singularem in vos meam voluntatem significem, simulque adhorter ut *corde magno et animo volenti* respondeatis expectationi Ordinis, qui hoc excitavit Collegium, ut seraphicarum viresceret seminarium plantarum, videlicet alumnorum Franciscalium, ex quo scientia et pietate insignes digrederentur, pacem ubique locorum populis nuntiaturi. Sed quid vobis praefabor quod sanctitati hujus loci (3), reique, quam agimus gravitati respondeat, quodque tot praeclarissimorum Sodalium praesentia non sit indignum (4)? Accedit quod angustia temporis vetuit quominus aliquid minus absonum concinnarem. Quae cum ita sint, nihil pensi habeatis velim rationem dicendi, id unum animadvertentes si quid bonum, si quid utile, si quid salutare in rem vestram possitis convertere. Ceterum non doctor discipulos, sed pater alloquor filios.

(1) Cap. XII Regulae.

(2) Interitu sororis, qui heri contigit.

(3) Sermo dictus fuit in Ecclesia Collegii, S. Antonio sacra, post Missam de SPIRITU SANCTO.

(4) Aderant, forma solemni, duo Episcopi Ordinis, scilicet Illmus ac Rmus Dominus Lucianus Sarracani et Illmus ac Rmus Dominus Stephanus Maria Potron; admodum Revdi Patres Definitorii Generalis et decuria Doctorum Collegii.

ascoltarmi, di benigno compatimento. È un padre amante che parla agli amati suoi figli!

Il Nostro Serafico Padre volle che l' Ordine suo fosse un misto di vita attiva e contemplativa: volle che queste due vite andasser del pari e fossero congiunte con vincolo indissolubile: volle che i suoi figli di tutti i tempi e di tutti i luoghi avessero a procacciare la propria santificazione, e quella dei prossimi. Da ciò la necessità dello studio pei figli di S. Francesco, il bisogno che essi applichino la mente all' acquisto delle scienze, per essere dotti di quella dottrina che richiedesi per santificare le anime, per portar la luce del Vangelo ai popoli, per dissipare le tenebre degli errori, per ribattere i sofismi della falsa scienza, per mostrare la verità, in una parola, per adoperarsi al trionfo del regno di Cristo. Considerata quindi la intrinseca natura dell' Ordine francescano, lo studio delle scienze è necessario a' suoi alunni; e il Santo fondatore non lo proibì, no, non lo proibì lo studio a suoi frati, solo volle che si guardassero bene da quella smania di sapere, che l' Apostolo S. Paolo condanna (1), da quello studio smodato, che estingue lo spirito di orazione. E perchè? perchè lo studio disgiunto dallo spirito di orazione non ha la virtù di formare veri sapienti, ma solo falsi sapienti, sapienti secondo il mondo, non sapienti secondo Dio. E siccome la sapienza secondo il mondo è vera stoltezza, è ignoranza, è vanità, così il Santo fondatore non la volle ne' suoi figli, anzi la maledisse; comandando in quella vece ad essi la sapienza secondo Dio, quella vera sapienza, che opera la virtù, che porta alla santità.

Fuvvi già, lo so, chi meravigliandosi e quasi scandolezzandosi farisaicamente, perchè i Frati Minori attendessero allo studio delle scienze e delle lettere, osò chiederne ragione (2), giudicando non convenire ad essi lo studio, in forza di lor professione, che è di vita umile, povera, mortificata!... Ma fuvvi anche un Santo, un Dottore esimio che rispose con forza all' insolente domanda, il Santo di

(1) *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Rom. XII. 3.

(2) Guglielmo da Sant' Amore, ed altri: *cur Fratres Minores studio vacent?*

Pater noster Seraphicus Ordinem suum ejusmodi fundavit, ut vitam activam simul ac contemplativam complecteretur, eo quidem pacto, ut hae duae vivendi rationes haberent quoddam commune vinculum et quasi cognatione quadam inter se continerentur. Voluit insuper ut filii sui semper et ubique, omni qua fieri potest contentione, propriae atque alienae sanctitati prospicerent. Ex quo facili conjectura carpitur sodalibus Franciscalibus in studia summopere esse incumbendum, praecipue vero in eam scientiam ingenio esse periclitandum, quae necessaria est ad sanctitatem pectoribus insculpendam, ad lucem Evangelii populis inferendam, ad errorum tenebras profligandas, ad sophismata resolvenda, verbo, ad gloriam Dei, optimi maximi promovendam. Hac ratione inspecta Ordinis nostri natura, patet alumnis suis studium scientiarum esse per quam necessarium. Neque Legifer noster idem prohibuit, neutiquam, mehercule! id tantum praecepit, ut ab ea sciendi libidine abstineremus, quam Apostolus reprehendit (1). Ita ergo est studendum, ut spiritus orationis non extinguatur: studium enim ab orationis spiritu sejunctum fatuos equidem non veros efficit sapientes, tales scilicet ut secundum carnem sint, non secundum Dei voluntatem. Hanc vero sapientiam secundum carnem Legifer sanctissimus non modo suis vetuit, sed etiam ei maledixit, commendans contra sapientiam secundum Deum qua, concepta virtute, ad sanctitatem provehimur.

Fuit, fatebor enim, qui scandalo actus pharisaico miraretur, quod Fratres Minores litterarum scientiarumque studiis vacarent, atque rationem expostulavit (2), ratus studia Minores dedecere, qui vi professionis humilem atque pauperculam vitam inirent. At Seraphicus doctor S. Bonaventura audacem virum compellavit atque sciscitantem ad silentium argumentorum efficacia compescuit. « Cum praedica-

(1) Rom. XII. 3.

(2) Gulielmus a Sancto Amore, aliique: *Cur Fratres Minores studio vacent?*

Bagnorea, il Dottore Serafico. Udiamolo per poco a nostro incoraggiamento: « I Frati Minori, (così egli), si applicano allo studio, perchè essendo di lor professione il predicare la parola di Dio, l'ascoltare le Confessioni dei fedeli, l'esercitare gli ufficii del Sacro ministero, è loro necessario, per adempierli degnamente e con frutto, lo studio delle Sacre Scritture, e quindi l'avere maestri che le espongano, affinchè per imperizia, per ignoranza non abbiano a insegnare l'errore in luogo della verità (1). Questa risposta chiuse per sempre la bocca ai detrattori dell'Ordine francescano. Questa risposta ebbe lungo il corso di sette secoli il suggello della suprema autorità della Chiesa, che approvò, promosse, favorì sempre lo studio nell'Ordine Minoritico; e la storia francescana non solo ma la storia della Chiesa narra a noi, narra al mondo le glorie della scuola francescana, i suoi imperituri trionfi, l'impulso gagliardo che ella diede al progresso delle scienze. Essa conta a centinaia, e migliaia i suoi Dottori, Oratori, Letterati, Scrittori di ogni fatta scienza; e basta, a convincere chiunque, l'entrare in ricca biblioteca, per rimanere ammirati dinanzi alle innumerevoli, voluminose opere di francescani Dottori, celebri ed eminenti in ogni ramo dello scibile, naturale e soprannaturale, umano e divino. E ciò che in questo gran fatto è degno di nota, e che voi specialmente, o giovani, dovete considerare attentamente, e ricordar sempre a vostro ammaestramento, si è, che quanto più, quei Dottori francescani che la storia ci presenta, e il mondo ecclesiastico e civile onora, sono illustri e celebri per la scienza che si accoglie nei loro volumi, tanto più la storia ci assicura della santità di lor vita, pieni che furono dello spirito francescano.

Ora, o giovani diletti, appunto perchè lo studio delle scienze e delle lettere non solo conviene, ma è necessario agli alunni del nostro Ordine, perchè possano compiere nella Chiesa di Cristo la missione accennata, e

(1) Cum praedicationis officium ex regulari professione Ordini annexum sit, et etiam confessionis, quae notitiam requirunt sacrae Scripturae, quae subtili indiget in plerisque locis expositione, ne ex imperitia errores pro veritate doceamus, necesse est nobis Sacrae Scripturae habere studium et magistros. Determ. quaest. q. 3.

tionis officium, respondit S. Doctor, ex regulari professione Ordini annexum sit, et etiam confessionis, quae notitiam requirunt sacrae Scripturae, quae subtili indiget in plerisque locis expositione, ne ex imperitia errores pro veritate doceamus, necesse est nobis Sacrae Scripturae habere studium et magistros ». Determ. quaest. q. 3. Hanc responsionem suprema Ecclesiae auctoritas ratam habuit, dum studia in Ordine Seraphico probavit, commendavit et nullo non tempore promovit vehementer. Franciscalis Historia, quin et Ecclesiastica universa Scholae Franciscalis glorias, triumphos ejus numquam e memoria hominum excisuros, ejusque impulsum scientiis provehendis efficacissimum saeculis renarrant. Ipsae centenos millenosque enumerant Franciscales Doctores, Oratores, scientiarum quarumcumque emunctissimae naris cultores. Cujus rei hoc vel unum sat est testimonium, videlicet quaelibet instructa Bibliotheca, in qua innumerae, pene dixerim, prostant epigraphae conspiciendae, de re qualibet voluminibus adjectae, quae Franciscalem scriptorem testantur. Id autem hac in re a vobis adolescentibus, in spem Religionis nostrae succrescentibus, animadverti firmiterque memoria retineri velim, quod omnes Sodales praeclarissimi, cujus Historia meminit, sanctitate atque moribus Franciscalibus, ipsius Historiae testimonio, floruerunt.

Jamvero, hoc ipso quod scientiarum litterarumque studium, nedum convenire, necessarium est Ordinis nostri alumnis, ut munia in Ecclesia Christi sibi commissa adimpleant, atque finem ejus Ordinis instituendi a Patriarcha nostro intentum assequantur, supremi hujusce Ordinis Moderatores animum semper applicuerunt studiis provehendis: hocce autem Collegium eloquens de hac re exstat testimonium. Magnifica de Collegio universali instituendo in quo scientiae ac litterae tyronibus

raggiungere il fine per cui S. Francesco ebbelo istituito, i Superiori intesero in ogni tempo al miglioramento degli studi; e questo Collegio ne è una prova parlante. Il grandioso concetto di un Collegio internazionale pei giovani serafici, dove si dovessero insegnare e apprendere colla maggiore perfezione possibile le scienze e le lettere, fu di molti Ministri Generali che mi precessero nel governo dell' Ordine; ma nessuno ebbe il coraggio, il santo ardimento di porlo ad effetto! Chi lo ebbe, e in tempi al certo non favorevoli agli Ordini Religiosi, fu, ben lo sapete, il mio illustre predecessore immediato, P. Bernardino da Portogruaro. Egli efficacemente lo volle, ed eccolo innalzato! Lo volle, e l' Ordine universo corrispose al suo volere, imponendosi sacrifizi! Sacrifizi, i quali, dobbiamo sperare, produrranno benefici effetti a vantaggio e decoro di tutta la Serafica famiglia, in un non lontano avvenire. L' Ordine universo sarà largamente compensato dei sacrifici già fatti e di quelli che gli restano a fare, per soddisfare agli incontrati impegni!

Ora qual' è lo scopo di questo Collegio, in cui oggi s' inaugurano solennemente gli studi delle scienze e delle lettere, e dove veggiamo già raccolta fiorente e valorosa gioventù, avida del sapere? Ognuno lo apprende chiaramente dalla Lettera circolare del prefato mio antecessore, indirizzata a tutte le Provincie dell' Ordine (1). Lo scopo per cui si erige questo Collegio, è primamente per allevare i migliori ingegni dell' Ordine negli studi superiori di quelle scienze, a cui ciascuno sentesi più inclinato, onde abbiano per tal modo a meritare l' onore e l' ufficio dell' insegnamento negli studi delle Provincie: per allevare secondariamente negli studi necessari, quanti nell' Ordine aspirano e sono chiamati da Dio all' onore dell' Apostolato in mezzo alle genti sedenti nell' ombre di morte: e in via transitoria per allevare i giovani di quelle Provincie che per la tristizia dei tempi sono ridotte a tal misero stato, da non avere chi porga il cibo della scienza a propri giovani figli. Ecco il nobile, il santo fine, che ebbe il mio illustre predecessore nell' erezione di que-

(1) Data alli 12 Novembre 1883.

nostris traderentur quam penitissime, cogitatio in mente plurium Ministrorum Generalium insedit; at eamdem facto firmare licuit nemini. Qui paulo superiore memoria rem fidentissimo animo perfecit, temporibus religiosis Ordinibus adversis, fuit, ut bene nostis, illustrissimus meus Praecessor, P. Bernardinus a Portu Romatino. Id efficaciter voluit, et assequùtus est. Ordo universus voluntati ejus est obsequutus, multimodisque obviam ivit angustiis, quas in commodum atque decus totius Seraphicae Familiae cessuras confidimus, eumque Ordinem pro praeteritis et pro his, quas ex oneribus susceptis absolvendis experietur angustias, compensandum fore.

Verum enim vero quinam est finis Collegii hujus excitandi, in quo hodie solemniter scientiarum atque litterarum studia auspicamur, florentemque iuventam, volentem sciendique avidissimam cernimus huc convenisse? Probe id novit unusquisque vestrum ex Litteris encyclicis a praedicto nostro antecessore universis Ordinis Provinciis datis (1). Finis igitur est, primario, ut delecti acrioris ingenii tyrones, iis disciplinis penitus addiscendis insudent, in quas sua quisque magis se pronum natura sentit, ac postea e Collegio digressi honorem atque onus magisterii in suis Provinciis exercendi recipiant: secundario, ut opportuna doctrina imbuantur ii qui munus Apostolatus divino instinctu suscipiunt, laturi Evangelium Christi gentibus quae adhuc in umbra mortis sedent: et denique obiter, ut instituantur earum Provinciarum alumni, qui ob tristitiam temporum magistris carent, in quorum disciplinam conveniant ad scientiam necessariam sibi comparandam. Quem finem Collegii hujus instituendi nobilem ac sanctum proculdubio, ita nos Deus adjuvet! consequemur,

(1) 11 Nov. 1883.

sto grandioso Collegio. E questo santo e nobile fine si conseguirà, se il Cielo ne aiuti, perchè appunto noi tutti uniti e concordi, confidiamo nella divina Provvidenza e nella possente grazia di Dio, che non ci verrà meno come non è venuta meno giammai, lungo il corso di sette secoli, ai Confratelli tutti che ci precessero. Si conseguirà, perchè non vogliamo e non dobbiamo volere, che la maggior gloria di Dio, il trionfo del suo regno, l' esaltazione della Madre Chiesa, il prosperamento e rifiorimento dell' Ordine, la santificazione e salute delle anime. Lo si conseguirà, perchè non vogliamo e non dobbiamo volere, che l' acquisto di quella scienza che parte da Dio, e a Dio conduce; l' acquisto di quelle armi che sconfiggono l' errore, armi di che abusano stoltamente i nemici della verità affin di combatterla, e se fosse possibile, di rovesciarla. Sì, verrà fatto di conseguire sì santo e nobile fine! e Maria Immacolata, nostro vanto e nostra gloria, nostra aita e nostra speranza, Maria Immacolata, che invocheremo sempre *Sede della Sapienza* al principio dei nostri studi, ogni giorno e ogni momento, ci sarà guida, ci sarà validissima Patrona. Si conseguirà cotal fine, e per conseguirlo, coll' Immacolata Maria, ci assisterà il Beato Nostro Padre, di cui non dimenticheremo il salutare documento che dà del continuo a studiosi suoi figli, di non estinguere giammai a cagione dello studio, nè in noi, nè in altrui lo spirito di orazione. Si conseguirà, poichè il Taumaturgo, da cui s' intitola il nostro Collegio, S. Antonio da Padova ci assisterà dal suo seggio di gloria, e S. Bonaventura, che Chiesa santa onora e venera quale uno de' suoi precipui Dottori, e noi quale Principe della scuola Francescana, sarà con noi, e ci additerà del continuo quel libro sopra di cui Esso studiava, Gesù crocifisso, donde, com' Esso, attingeremo con gaudio vive acque di vera scienza.

Ed a voi, o giovani desideratissimi, a voi, in cui riposte sono tutte le nostre più belle speranze, a voi spetta far prò di tanta opportunità procacciatavi dai Superiori. A voi spetta l' attendere con diligenza, con alacrità, cura indefessa allo studio delle materie, che vi insegneranno i vostri preclari maestri. Notte e giorno, l' adempimento di questo vostro grave

quia divinae Providentiae nos nostraque addicimus, quae si per magna septem saeculorum intervalla Sodalitati nostrae praesto fuit, nobis etiam, quemadmodum speramus, aderit praesentissima. Talem finem utique consequemur, nos enim pariter id unum intendimus, majorem scilicet Dei gloriam, Ipsius Regni triumphum, exaltationem sanctae matris Ecclesiae, prosperitatem ac instaurationem Ordinis, sanctificationem denique atque salutem animarum. Utique consequemur, nos enim non alius scientiae adeptionem volumus quam ejus quae a Deo progreditur et ad Deum ducit; nos iis armis instrui volumus, quibus per summam stultitiam abutuntur adversarii veritatis ad hanc oppugnandam et, si fieri posset, penitus convellendam. Utique consequemur, quia Immaculata Virgo, nostra gloria, nostra adjutrix, nostra spes, quam in exorsu studiorum quotidiana prece sedem Sapientiae invocabimus, potentissima atque volentissima aderit nobis Patrona. Utique consequemur, quia Legifer noster peculiari nos apud Deum intercessione tuebitur: consequemur, quia Thaumaturgus ille Antonius, a quo Collegium et Ecclesia denominantur e sede beatitudinis nos commendabit, et S. Bonaventura, quem Ecclesia universa Doctorum cultu veneratur, atque Ordo Scholae Franciscalis Principem reveretur, erit nobiscum, atque innuet indesinenter eum librum, in quem studeret, Jesum Crucifixum, ex quo, eo intercedente, verae scientiae hauriemus aquas cum gaudio.

Nunc autem vestrum est, juvenes dilectissimi, hac opportunitate frui a superioribus exhibita. Vestrum est omni animi conatu in earum rerum studium incumbere, quae a vestris egregiae notae magistris proferuntur. Die noctuque hoc studendi munus ante oculos obversetur. Memineritis nemini sine studio, scientiae vestibulum adire fas esse, nil sine magno

dovere stia in cima a tutti i vostri pensieri. Ricordate che senza studio non è dato a veruno di entrare nel santuario del sapere, senza fatica non si può imparare, come senza combattimento non si raggiunge la vittoria. Senza studio accurato, l'ignoranza di quanto deve sapere un religioso, un ministro di Cristo, sarebbe la vostra porzione, e n'avreste in pena l'essere dimenticato dagli uomini e da DIO, dicendo l'Apostolo, che chiunque è ignorante verrà ignorato, *si quis ignorat, ignorabitur* (1); e lo Spirito santo, che mali enormi incontra chiunque ha in abbominio l'imparare; *qui evitat discere incidet in mala* (2); e in altro luogo inveendo contro gli odiatori del sapere grida: E fino a quando perfidieranno costoro nel delitto di contrariare il sapere? *usquequo imprudentes odibunt scientiam?* (3) Lo studio, ripeto, o giovani dilettissimi, lo studio sia il vostro impegno, perchè qua a questo scopo voi ne veniste. Retta sia la vostra intenzione, santo lo scopo dei vostri sudori, santo il fine cui vi proponete di conseguire. Sia in voi congiunto lo spirito di quella santa emulazione, la quale sta riposta nel voler progredire di giorno in giorno come nell'acquisto della scienza così in quello della virtù; e all'opposto vi guardate da quella detestabile emulazione la quale è riposta nel sopraffare il fratello, nella smania di soprastargli; questa è figlia della superbia, è in odio a DIO e agli uomini... Quanto non sarà per tal modo il vostro progresso nelle scienze, studiando e pregando, pregando e studiando! IDDIO benedirà alle vostre intenzioni, benedirà alle vostre fatiche, e raggiungerete così il fine nobile e santo per cui qua vi accoglieste, sarete degni Francescani, addiverrete Dottori, Apostoli, Ministri di DIO, quali la Chiesa e l'Ordine vi vogliono, ma più addiverrete santi, perchè santo addiviene colui il quale si studia di raggiungere la vera scienza, quella scienza che ad ognuno è necessaria per compiere degnamente le parti della missione assegnatagli dalla Provvidenza. Oh! le più dolci speranze di un migliore avvenire per l'Ordine nostro, mi allietano, mi

(1) I. Corinth. 14.
(2) Prov. 17.
(3) Prov. 1.

labore dedisse naturam mortalibus, uti sine pugna deficit victoria. Sine studio assiduo ignorantia rerum, quas Religiosum hominem callere decet, vos obruet, et ad poenam, a DEO atque ab hominibus oblitcraremini, aiente Apostolo: *Si quis ignorat, ignorabitur* (1), et Spiritu Sancto: *Qui evitat discere incidet in mala* (2), et alibi, contra adversarios scientiae inclamante: *Usquequo imprudentes odibunt scientiam?* (3). Studium sit vestra cura, o juvenes, quia hoc quidem consilio huc accessistis. Recta sit intentio vestra, sanctus laborum vestrorum finis, quocum spiritus aemulandi meliora charismata copuletur, qui totus in eo est, ut in dies scientiae atque virtutis succrescat amor; e contra, ab illa aemulandi ratione cavetote quae in voluptate sodalis opprimendi consistit, quaeque superbiae filia, odio est DEO atque hominibus... Quantus igitur hac studendi ratione exstabit profectus, si nempe studium orationem atque oratio studium alterna vice subsequetur! DEUS benedictione sua vestras firmabit intentiones atque labores, finem quem intendistis, consequemini, eritis veri Franciscales, efficiemini Doctores, Apostoli, Ministri DEI, sicut Ordo atque Ecclesia expostulant, et quod longe est praestantius, efficiemini Sancti, cum Sanctus reipsa ille efficiatur, qui veraci scientiae adsequendae studet, quam adsequendam divina dederit Providentia. Spe equidem dulcissima delector, suavique voluptate percellor hoc momento, dum haec jucundissimum aliquid futurum portendant. Ipse, successor indignus Patris nostri Legiferi, ab hujus Collegii institutione multa bona fidens expecto, non secus ac praestantissimi Patres supremis Ordinis negotiis gerundis, itemque Provinciae omnes in quas Seraphicus Ordo dispescitur. Et eo firmior spes majorque est expectatio quo fecundior est benedictio terrestris DEI, quam superiori mense (4) ejus pedibus provoluti, ipse Minister Generalis et Decuria Doctorum efflagitavimus. Paternis verbis nos hortatus est ad profunda studia ineunda, ut multiplices veritatis adversarios oppugnaremus invicte; nobiscum vos quoque, tyrones, benedixit, qui jam in Collegio hoc

(1) I. Corinth. 14.
(2) Prov. 17.
(3) Prov. 1.
(4) Die 11 mensis Novembris.

confortano, mi riempiono d'ineffabile gaudio in questo solenne momento. Grandi vantaggi dall'istituzione di questo Collegio, che oggi s'inaugura, attendo io, successore indegno del Serafino di Assisi, Capo Supremo della Francescana Milizia; lo attendono i prestantissimi Padri che ne formano il senato, e meco partecipano al governo di essa; lo attendono con ansia le molte Provincie in cui è divisa. E tanto più ferme sono le nostre speranze, e maggiore la espettazione nostra, in quanto che abbiamo con noi e sopra di noi la benedizione del Vicario di Gesù Cristo, che pochi giorni or sono (1), prostrati a suoi piedi, io Generale Ministro e Insegnanti, avevamo la grazia di ricevere. Esso ci confortava con calde paterne parole a studi profondi, affine di potere combattere da valorosi i moltiformi nemici della verità; Esso ci benediceva e con noi benediceva voi ancora, o giovani diletti, che qua siete già convenuti e quanti in seguito vi converranno. Questa benedizione del Vicario di Cristo vi sia stimolo a compiere il vostro dovere, onde un giorno possiate raccogliere frutti abbondanti e preziosi dei vostri sudori, largo compenso ch'essi saranno quaggiù ai vostri chiarissimi Maestri, delle cure e sollecitudini che per voi adoprano con tanto amore. Noi intanto invocheremo uniti il S. D. Spirito, perchè degnisi di discendere sopra di noi tutti, e riempirci de' suoi santi doni, affinchè nei nostri studi nelle nostre scolastiche esercitazioni, abbiamo sempre a pensare ciò che è retto e buono, e col suo aiuto e colla sua guida possiamo porlo in opera alacremente: « ut cogitemus Te inspirante quae recta sunt, et Te gubernante eadem faciamus ».

(1) L'11. del corrente mese.

diversamini et quotquot in posterum inibi morabuntur. Quae quidem benedictio vobis incitamento sit ad munia vestra ad amussim exequenda, ut denique fructus ex exantlato labore pretiosos atque uberes petere possitis, curisque eorum in quorum disciplinam convenistis, satisfacere. Nos interea Divinum Paraclitum invocabimus, ut super nos descendere dignetur, nosque suis repleat donis, quibus, in studiis nostris, eo duce atque auxiliante, quod rectum sit cogitare atque perficere valeamus: *ut cogitemus Te inspirante quae recta sunt, et Te gubernante eadem faciamus.*

CAPITULA PROVINCIALIA

hoc anno celebrata.

XXI.

Obs. Prov. S. Joannis Capistrani.

Die 7 Augusti 1890 rite celebratum est Capitulum Obs. Prov. S. Joannis Capistrani, in Conventu Budae in Hungariae ad S. Stephani, praesidente Adm. R. P. Augustino Zubac, Definitore Generali, et canonice electi sunt:

Minister Provincialis

Adm. R. P. Julius Amberger.

Custos Vocalis

R. P. *Stephanus Sikisčevič.*

Definitores

R. P. *Lambertus Schwab.*
R. P. *Aloysius Tamás.*
R. P. *Alexander Osjak.*
R. P. *Adjutus Spacek.*

XXII.

Recoll. Prov. S. Joseph in Belgio.

Die 7 Augusti in Conventu Trudonopolitano ad S. Franciscum Solanum, Praeside A. R. P. Aloysio Lauer, Procuratore Generali Recollectorum et Discalceatorum, ac Commissario Visitatore, rite celebratum fuit Capitulum, in quo electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Theodorus Vander Linden.

Custos Provinciae

A. V. P. Paschalis Deschemaeker, Lect. Jub.

Definitores Provinciae

A. V. P. Valentinus Paquay.
A. V. P. Edmundus Collet.
A. V. P. Theophilus Reinartz.
A. V. P. Marcus De Vos.

—

XXIII.

Collegium Corrientes in Rep. Argentina.

Die 6 Octobris currentis anni 1890, Praeside Adm. R. P. Quirico Porreca, Commissario Generali, rite celebratum est Capitulum Guardianale Apostolici Collegii S. Mariae de Mercede civitatis *Corrientes* in Republica Argentina, et canonice electi sunt:

Guardianus Collegii

R. P. Andreas Bianchi.

Discreti Collegii

R. P. Cornelius Casali.
R. P. Antoninus Belli.
Adm. R. P. Franciscus Palacios.
R. P. Philibertus Bocchio.

—

CAUSAE SANCTORUM ORDINIS

Die 18.ª mensis Novembris currentis anni habita est apud Vaticanum Congregatio *Praeparatoria* Revmorum Patrum sacris Ritibus tuendis praepositorum super Virtutibus Vener. P. Benedicti a Podio Bonitio, Sacerdotis Ordinis Min. de Observantia. De quo Vener. Viro vide *Acta Ordinis,* anno 1889, mense Septembri.

Die vero 9.ª Decembris, habita est in eodem loco, et quidem super eadem forma, Congregatio *Praeparatoria* super Virtutibus Vener. Isabellae Gherzi, Monialis Professae II Ordinis.

III.

MISSIONES

—

COLLEGIUM CIVITATIS CORRIENTES

IN REPUBLICA ARGENTINA.

Labores Patrum Missionariorum Collegii S. Mariae *Virginis de Mercede Civitatis* Corrientes *a die 6 Octobris 1887, usque ad eamdem diem anni 1890.*

IN COLLEGIO

Baptismi parvulorum ex parentibus fidelibus	690
Baptismi parvulorum ex parentibus infidelibus	14
Confessiones	9,500
Communiones	8,750
» in Carcere et Hospitali	84
» ad infirmos	130
Extremae Unctiones	160
Matrimonia benedicta cum consensu Parochi	24
Sermones Panegirici in Collegio et aliis Ecclesiis	18
Sermones morales in Collegio et aliis Ecclesiis	149
Schola puerorum	1

Catechismus singulis dominicis diebus.

IN PRAEFECTURA

Resistencia (Gran Chaco).

Baptismi parvulorum ex parentibus fidelibus	716
Baptismi parvulorum ex parentibus infidelibus	716
Ad fidem conversi	812
Confirmationes fidelium	380
» Indorum ad fidem conversorum	24
Matrimonia benedicta	100
Confessiones et Communiones adultorum	3,930
Primae Confessiones et Communiones	110
Extremae Unctiones	56

Sermones morales omnibus diebus festis.
Catechismus semel in hebdomada, et in Quadragesima omnibus diebus.

IN VICE-PRAEFECTURA

Formosa (Gran Chaco).

Baptismi parvulorum ex parentibus fidelibus	326
Baptismi parvulorum parentum infidelium ad fidem conversorum	4
Confessiones et Communiones adultorum	1,500
Primae Confessiones et Communiones	50
Communiones ad infirmos	18
Extremae Unctiones	23
Matrimonia benedicta	31
Mortui christiani adulti cum adsistentia	65
» » parvuli	42
Sermones Panegirici	8
» Morales tres in mense.	
Schola sub directione Vice-Praefecti	1
Catechismus omnibus dominicis diebus, et quotidie in Quadragesima.	

Fr. CORNELIUS CASALI
Guardianus.

IV.

VARIA

SERIES PRAELATORUM

Ref. Provinciae Poloniae Minoris sub Titulo Beatissimae Virginis MARIAE *Angelorum in Imperio Russico.*

(Continuatio).

33. A. R. P. Valerianus Calavscius (Kalawski) sub praes. A. R. P. Ignatii de Brixia ex Provincia Seraphica Commissarius ac Visitator Generalis electus in Cap. Cracoviae die 14 Julii 1734. Eximiis qualitatibus a DEO exornatus, insignis doctrinae ac pietatis documenta huic Provinciae reliquit. Modestiae, mansuetudinis, humilitatis, quasi innatas habuit virtutes. Philosophiae ac Theologiae Lector, Praedicator in Premistiensi Ecclesia cathedrali, Guardianus aliquoties, magnae discretionis et vigilantiae, denique Definitor, Custos Provinciae, vocalis ad Generale Cap. Mediolanense vastum iter absque ulla provisione ac pedester absolvit, nonnullorum calculis dignus honore Definitoris Generalis visus. Ad provinciale Ministerium electus per unum tantummodo annum illud administrans, prima enim interm. Congreg. peracta correptus maligna febre pientissime se ad supremum luctum praeparavit. Fratribus tenerrime valedixit et jam jam ultimo exspirio proximus, composito ad hilaritatem vultu adstantibus dixit: « CHRISTUS venit, aperite » et in his verbis placidissime spiritum exhalavit magno sui relicto desiderio. A. D. 1735 die 29 Julii in tumba lignea sepultus in Conv. Solecii.

A. R. P. Joannes Zacherla. Mortuo Ministro Provinciali Valeriano, A. R. P. Raymundus Majcovius (Majkiewcz) primus Provae. Pater uti ad se de jure spectabat convocavit indilate V.V. Definitorium ad Conv. Cracoviensem in Ordine ad eligendum Vicarium Provinciae pro 18 Augusti a. c. et cum pro hac die unus Definitorum R. P. Anastasius Balfor Resoviae morans ob magnam pro tunc inundationem aquarum non potuerit comparere, ideo praefatus A. R. P. Provae. primus, differendum necessario hunc actum electionis censuit ad diem adventus praementionati R. P. Anastasii Definitoris, proinde cum die 23 Augusti circa 12 horam comparuerit in Conventu Cracoviensi idem A. R. P. Provae. convocavit dicta die V.V. Definitorium electionemque canonicam die eadem intimavit celebrandam, in qua electus est in vicarium Provincialem A. R. P. Joannes Zacherla Guard. Conv. Vielicensi, in cujus locum pro Guardianatu successit M. V. P. Stephanus Stanievscius (Staniewski) Praedicator Vielicensis. Sic electus Vicarius Provinvialis Officium laudabilissime administravit. Fuit antea S. Theologiae Lector, bis Ex-Definitor Prov., regularis observantiae promotor et defensor zelosissimus, charitatis fraternae fruendae studiosissimus, pacis et silentii cultor. In asperitate vitae, mortificationibus rigorosissimus, in multis tribulationibus, angustiis resignatissimus ad voluntatem divinam. Vir multarum virtutum ac meritorum. Decus et ornamentum religionis, matura morte abreptus quievit in Domino, Sandomiriae die 17 Julii 1747.

34. A. R. P. Ildephonsus Zelaszcovius (Zelaszkiewicz) sub praes. A. R. P. Gaudentii a Lepuniano, Commissarii Generalis Prov. Romanae. Guard. ad Ripam S. P. Francisci electus in Cap. Cracoviae die 20 Julii 1737 P. Ildephonsus a principio religiosae vocationis, omnibus virtutibus enituit, maximam pietatem sublimi scientia habuit foedaratam, Philosophiae ac S. Theologiae Lector absolutus, multisque officiis continuo admotus Guardiani. Mag. Novit. munia cum discretione administravit. Definitor Provinciae, Custos verbo salutis et exemplo sanctitatis ad regulae observantiam adducere conabatur. Asceticorum librorum lectione delectabatur. Erga SS. Eucharistiae Sacramentum mira devotione fruebatur. Ante et post Missam dulci vacabat contemplationi. Missam quotidie ardentissimo spiritu in Ecclesia audiebat, in devotione erga B. V. MARIAM ferventissimum exemplar. Cibi et potus parcissimus. Omnes quadragesimas ad imitationem S. Francisci strictissime observabat. Demum laboribus fractus post dispositionem pientissimam, posita Explicatione Regulae super pectus placidissime animam suo reddidit Creatori in Conv. Cracoviensi die 24 Octobris 1747.

35. A. R. P. Stephanus Hovdinscius (Howdynski) sub praes. A. R. P. Gondisalvi Rychter Prov. Bohemiae

Lect. emerito Definitor act. et quidem in Conv. Jaroslaviensi die 8 Januari 1741 electus. Ex his quae in hoc Cap. A. R. P. Provincialis pro tuenda observantia s. Regulae V. V. Definitorio statuenda proposuit et ex Litteris encyclicis post suam electionem ad singulos Conv. Provinciae communicatis facile judicari potest eum revera esse virum strictae observantiae, mortificationis, devotionis, humilitatis erga B. V. MARIAM devotissimum. Piam consuetudinem decantandi Litanias de B. V. MARIA quolibet die Dominico et Festivo ipse renovavit. Et « Tota pulchra es MARIA » post completorium. Anno sequenti 1742 die 4 Junii convocat V. V. Definitorium Cracoviam pro celebranda ibidem Congregatione. Secundam Congregationem celebravit cum suo Definitorio iterum Cracoviae 26 Junii 1743. P. Stephanus piissime in DOMINO obiit Leopoli die 19 Septembris 1751.

36. A. R. P. Sigismundus Mieczykovius (Mieczykowski) sub praes. A. R. P. Francisci Kowalscii (Kowalski) Provinciae Majoris Poloniae Lector s. Theologiae in Cap. Cracoviae die 21 Julii 1744 celebrato electus. Hic Pater Novitiatum egit Vielicii. Ob exulceratum pedem tempore destinato ad professionem non admissus, sed directus ad infirmariam Cracoviensem, cum a medico opem sanitatis suae spemque non haberet, tempore prandii, manibus pedibusque reptans quadrupes per ambitus pervenit ad Ecclesiam magna cum fiducia ad s. Casimiri altare, quod et ascendit usque ad imaginem, simplici fide admovit pedem, moxque regressus bipes ad cellam reversus, sanus factus. Suo medico in vim gratitudinis voto se obstringit privato, ante solemnitatem S. Casimiri se semper flores ornaturum in laudem ejusdem. Moxque ad professionem admissus, in ulteriori vitae progressu: Instructoris, Lectoris Philosophiae, Concionatoris, Vicarii, Guardiani, Mag. Novitiorum, Definitoriatus officia multis peregit annis. — Obiit Cracoviae 30 Decembris 1748 aetatis annorum 59 religionis autem 41.

A. D. 1745 Provincia B. V. Mariae Dolorosae in Galicia austr. Decr. S. Sedis Apost. 20 Novemb. 1745 a Provincia Minoris Poloniae i. e. B. V. Mariae Angelorum disjuncta est qua custodia et ab anno 1763 in Provinciam evecta B. V. M. Dolorosae.

37. A. R. P. Raymundus Sworcovscius (Sworkowski) sub praes. R. P. Josephi Achorn Definitor hab. et act. Guard. Varsaviensis in Cap. Cracoviae die 18 Julii 1747 electus. S. Theologiae Lector, Ex-Custos et Guardianus Cracov. actualis. Vir strictissimae observantiae, profundae pietatis et humilitatis. Die 2 Junii 1748 celebravit primam intermediam Congregationem Stopnitii. Die vero 2 Junii 1749 secundam intermediam Congregationem Cracoviae. Fuit Romae pro Cap. Generali 1750 in quo die 16 Maji in Conv. Aracaelitano electus in Ministrum Generalem Rmus Petrus Joannetius de Molina. In fine Ministeriatus electus est Definitor Generalis, quod munus ex obedientia suscipere coactus. Obiit Stopnicii 2 Februarii 1754.

38. A. R. P. Hyacinthus Lascavius (Laskawski) sub praes. R. P. Jacobi Suvalinii (Suwalinski) ex Prov. Ref. Majoris Poloniae s. Theologia Lector. Definitor habit. et Conv. Posnaniensis Guard. act. in Cap. Stopnicii 17 Septembr. 1750 celebrato electus. Anno 1723 die 22 Augusti in Conv. Vielicensi religiosum habitum suscepit. Pro studiis applicatus dum in his proficit non deficiebat a vita religiosa. Finitis studiis instituitur Lector sexque annis Philosophiae, sex item s. Theologiae Professor. Repetitis vicibus in Guardianum electus prudentia ac zelo observantiae omnibus praelucebat. Mag. Novitiorum institutus inexplicabili zelo curam gessit in educanda juventute, illam omni pietate methodo meditandi, virtutes colendi ac acquirendi imbuendo. Qua Custos fuit in Cap. Generali Romae 1750 celebrato, qua Provincialis cum omni prudentia, mansuetudine et amore regebat Provinciam. Anno 1752 nominatus Commissarius et Visitator Poloniae Majoris et Custodiae Russiae. Erga Passionem Domini N. JESU CHRISTI semper devotissimus. Morti proximus omnes res minutissimas proprio usui applicatas Guardiano reddidit, professionemque renovavit. Omnibus Sacramentis munitus obiit piissime in Domino die 3 Aprilis 1758 Cracoviae.

39. A. R. P. Damianus Letoviscius (Letowski) sub praes. R. P. Remigii Zavadcii (Zawadzki) Commissarii ac Visitatoris Generalis Provinciae B. V. M. Angelorum, electus Cracoviae die 8 Julii 1753, clarissima, nobilissimaque familia natus et humilem vitam amplexus. Verus extitit S. P. N. Francisci imitator, decus Provinciae ad primarias dignitates promotus. Mag. Novitior., Guardianus ad plures annos repetito. Definitor Provinciae, Custos vocalis. Laudabiliter omnia Officia administravit. Charitate et zelo plenus. Probos fovebat et confortabat amore. Discolos et malos corrigere non praetermisit, non aliter tamen, nisi eadem charitate plenus, ex ea charitate profluentibus et ea plenis mediis. Ultimos vitae dies clausit piissime ab omnibus deploratus Becii die 25 Martii 1765.

40. A. R. P. Stephanus Stanievscius (Staniewski) sub praes. A. R. P. Adriani Wojnacovicii (Wojnacowicz) s. Theologiae Lect., Ex-Definitoris Custodiae Russiae sive Roxolanae, electus Cracoviae in Cap. die 21 Septembris 1756, qui ab initio laborum in Religione et Officiorum Lector Philosophiae, inde Praedicator ad duodecim annos hosce protraxit labores. Finito Provincialatu destinatus fuit Commissarius et Visitator Generalis a Revmo ad Provinciam Majoris Poloniae. Tandem post obitum A. R. P. Bernardi Misievscii (Misiewski) act. Ministri Provincialis a convocato Definitorio Vicarius Provinciae electus, quam semi-altero anno rexit, et qua talis missus qua Commissarius Generalis ad Provinciam Reformatam Russiae. In visitatione sua Provinciae insperate aliquo dolore sive ulcere quasi, in pede correptus, debilitari coepit et recitatis Psalmis, Sacramentis moribundorum susceptis obdormivit in Domino Lublini die 18 Martii 1768.

(Continuabitur).

—

FUNDATIO

COLLEGII S. ISIDORI IN URBE

A P. LUCA WADDINGO.

CAP. XV (LXI)

(Continuatio).

Nec proinde defuerunt plures, quos ipsius praesertim studio, et proficua Provinciae et Collegiis opera, ex aliis Provinciis quam ex Mamonia in Collegio sancti Isidori educatos, et in eodem atque alibi promotos, ipsius Collegii registra testantur, in quibus cujusque nomen et cognomen, patria, parentes, aetas, gradus et qualitas pernotantur, ac singulorum accessus recessusque, vel domesticae promotionis dies. In vocandis autem vel admittendis ad Collegium incolis, ita exactus erat Collegii legum observator, et stabili in posterum observando decreto per Patres sanciri curavit, ne quispiam in Collegium adscriberetur, qui vel ipsorum Patrum unanimi consensu vocatus non fuerit, vel absque praevio ipsorum decreto accesserit. Atque hinc aliquando duos Patres Comprovinciales suos, sacrae Theologiae Lectores, et alios quosdam nullatenus admittere voluerit, eo quod praeter leges advenissent, quantumvis cum Generalium Superiorum patentibus litteris: quod factum ipsi Generales postmodum approbabant, intentionis suae haud quaquam fuisse, vel esse declarantes quempiam non utilem et necessarium, aut absque Patrum ipsius Collegii consilio et assensu in eo collocare, prout Generales pro recollectis domibus editae Constitutiones, et huic Collegio in ipsa fundatione traditae decernunt.

CAP. XVI (LXII).

Aequum et prudens in distribuendis Collegii muniis.

In distribuendis autem Collegii muniis idem omnino fuit aequitatis affectus in Luca; quamquam in his nunquam voluit sic esse ligatus aequalitati Provinciarum, ut non pluris faceret qualitates personarum, quas arbitraretur tum junioribus domesticis in tali Collegio tum exteris omnibus in hoc orbis theatro, Roma, verbo et exemplo profuturos. Et sane inter quosdam gradu et virtute pares vidimus illum alienis plus favisse quam suis; quod si aliquando jure facere non posset, ut illos istis praeferret, saltem precibus et efficaci hortatione faciebat, ne locum ullum relinqueret litibus, aut quamtumvis injustae murmurationi, de quo non raro querebantur non solum patria, sed sanguine simul ipsi conjuncti: cujus rei singularia exempla pronum esset mihi producere, si non minus expediret personarum nomina publicare. Et haec virtus in Luca longe laudabilior fuit, quod cum ipse Collegium totum suis ab initio fundare potuerit, sed tamen omnibus potius voluit, atque cum ipsius patria Coenobia tanto excessu alia superent, proinde ampliorem Collegii usum illis concedendum vel aequitas ipsa postularet, vel certe urbanitas et gratitudo ultro et cum gratiarum actione offerendum suaderent, sed ipse nihil horum respexit, sibi suisque malens dure agere quam omnibus, vir sane publico bono natus, ad id perpetuo pronus.

Id vero in personis quibuscumque optabat, ut natura potius et affectu exercitii, quam arte, aut libertatis ambitu ad munia quaeque subeunda propenderent: nam naturalis indoles ipso rerum usu ad omnia facile comparatur, cum ex adverso ars absque natura violenta plerumque sit, semperque difficilis, et minus grata, cum cui neutra suppetit, nihil omnino prodest: sed beatus cui utraque simul contingit. Nullos autem in Collegio habere voluit, qui vel otiosi essent, vel titulo et specietenus, aut leviori exercitio tantum occupati, sciebat enim quam multam malitiam doceat otiositas et quanta pestis in occupatorum coetu sit vel una hujusmodi persona: cum enim apud se non habet quod agat, nunc hunc, nunc illum in sua solatia et nugas distrahendo a meliori bono retrahit.

Propterea Lucas non alios umquam passus controversiarum fidei, vel casuum conscientiae professores, quam eosdem ipsos, qui scholasticam Theologiam simul docebant: non Bibliothecae, vel Chori praefectum, non Magistrum Novitiorum, aut Professorum juvenum, aut alios ejusmodi Ministros, quam aliquem Patrum domus in legendo scribendove simul occupatum, aut studentium quempiam,

vel ipsum domus Vicarium, juxta ministerii cujuslibet qualitatem; sciebat enim, considerato statu Collegii, et ministeriorum onere et ordine quo ea exercendo praescripsit, non tam impedire se mutuo, quam apprime juvare.

CAP. XVII (LXIII).

Providus in procurandis rebus necessariis.

Quia vero hos omnes litterarum studio et orationis exercitio maxime vacare, nec frequenti cum exteris conversatione ab his exercitiis ulla ratione divelli cupiebat, satagebat in primis pro externo commercio mendicationis, et rerum procurandarum, atque pro mechanicis officiis Conventus, habere ex ipsa natione Italica, vel Hispanica Laicos Fratres, gnavos, expertos et exemplares, quales ex omni Italia ipsi concedebant Generales Ordinis, et peculiares Provinciarum Praefecti, quorum favores et benevolentiam ille vicissim, frequenti et importanti obsequio, et mutua concessione Philosophiae et sacrae Theologiae Lectorem ex Collegii alumnis promerebatur: ceteris autem atque his ipsis, ipsorum labore, et industria sua ita providebat omnia, quibus ad victum, vestitum, curandamque valetudinem et exercitium officii cujuslibet, aut religiosa solatia, juxta status conditionem, opus habere possent, ut nec vera necessitas nec status convenientia quempiam anxiose cogitare compelleret, vel quidem de acu, aut filo, de calamo scriptorio, aut folio chartae peculiariter sibi procurando, nec proinde superfluum quid ulli permittebat.

Invigilabat etenim singulis ipse Lucas, nec minimum quid ejus oculum evadebat, si quid in vestibus lacerum vel dissutum, si quid maculatum advertebat, Fratrem vestiarii vel sutrinae praefectum vocari jubebat, monebatque ipsius officii esse, non tantum petita Fratribus obsequia praestare, sed invigilare etiam, ne quis petendis indigeret, et obsequium offerendo praevenire, ne peteret: alterum quoque reprehendebat, quod religiosi habitus decorem neglexerit, aut paratum caritatis officium non humiliter fidenterque juxta Regulae praescriptum interpellarit; et rem illico resarcire curabat, sicque in ceteris omnibus prospiciebat Lucas omni Subditorum indigentiae et consolationi, ut audacter vicissim a singulis exigere et sperare posset, quod ad officium cujusque pertinebat.

Singularem gerebat curam Fratrum infirmorum, pro quorum valetudine curanda peculiarem locum in Conventu designavit, omnique necessaria suppellectili instruxit. Eos ipse frequenter visitabat sollicite inquirens, an aliquid ipsorum curae necessarium, vel justo solatio communis conveniens deesset. Medicorum praescripta, vel alias requisita omnia, sine mora ministrari curabat, et si singulare quid forte ipsimet fere semper infirmo ab aliquo mittebatur, suo substrahens, ad Fratres in valetudinario id ori decumbentes non raro mittebat. Cumque considerasset bonam partem eleemosynarum in pharmaca consumi, nec semper adeo utilia, curavit ut quae ordinario usui nostro necessaria viderentur, ea conficerentur Domi, et locum illis tum conficiendis, tum conservandis assignavit, ipseque in eam rem peculiares procurabat expensas: atque ad Collegium venire fecit Fratrem Seraphinum Gambaram Religiosum Provinciae Bononiensis, quem in hac arte expertum, et moribus commendatum intellexit: qui etiam post mortem Lucae, magna caritate, et singulari industria et labore Pharmacopolae, Chirurgi et valetudinarii partes simul solus agit, pharmacopoejam nullis fere sumptibus Conventus auget et ornat; et stillatoriam officinam composuit omnibusque necessariis rebus competenter instruxit. Lucae quoque prudentiae et providentiae post Deum debemus, quod illo anno, quo pestis in urbe grassabatur, nemo ex toto Conventu sancti Isidori ullo morbo infirmatus fuerit; tametsi eadem Templi officia prosequuti, nulli interim denegaverimus ordinaria ministeria sacramentorum, et nonnisi panem ostiatim quotidie mendicato toto illo tempore viveremus, cum etiam divina gratia ex ipsis quinque Religiosis, qui ad res procurandas a reliquo Conventu separati, quotidie per urbem ibant, nullus interim aegrotaret.

Sed ut omnia quatuor elementa congereret, sine quorum singulis humana vita non ducitur, quia sufficiens terrae spatium jam habuit, et aerem in Urbe salubrem, statuitque modum, quo deputati Fratris solertia, per ligna ostiatim

quotidie mendicata Romani populi ardentissima caritas necessarium ignem nobis accenderet; demum ex torrente liberalitatis Ludovici Cardinalis Ludovisii id etiam obtinuit; ut copiosa unda per subterraneas plumbi tubas, ipsius Cardinalis impensa positas, ex ipsius vicino viridario in Conventum perpetuo flueret, quae dum non aliquo casu impeditur, ad hortum peculiari terrae qualitate sitientissimum irrigandum, et ad coquinae et fullonicae usum abunde sufficit, et aliquibus vicinorum aedibus aliquando communicatur.

CAP. XVIII (LXIV).

Quale in exercitiis litterarum.

Exigebat autem in litterarum studiis diligentiam et assiduitatem, in divinis decorem ac devotionem, in moribus ornatum et monasticam disciplinam.

Studia vero sic instituit, ut juvenes in Collegio educandi, praeter Logicas et Philosophicas disciplinas, Sacram Theologiam, qua scholasticam, qua polemicam, qua paraeneticam, qua moralem sufficienter edocti, vel praelegendis alibi scholasticis tractatibus, vel oppugnandis pravis dogmatibus, propugnandisque catholicae fidei mysteriis, vel dirigendis fidelium conscientiis, vel populis e suggestu erudiendis apti fierent, prout cujusque indoles et profectus, conformisque Superiorum dispositio postularet; quibus exercitiis certa tempora, certamque methodum ita praescripsit, ut his nihil temporis desit, quod intra modum desiderare possit, nec tamen Monasticis aut Ecclesiasticis officiis integre praestandis quidquam demant. Duas integras horas ad minus quotidie, nam saepius protrahuntur, excipiendis calamo Lectorum dictatis, reddendisque scriptorum rationibus, ac tertiam integram quotidianae disputationi in utraque schola impendi voluit, praeter septimanalem concertationem, quae in utraque pariter, diversis diebus, duas horas perdurat; atque huic omnes Patres intersunt, et ad singula argumenta per scholares inchoata scholas exercent.

Habetur autem hoc exercitium diebus Lucae ipsi in primis valde importunis, hoc est Veneris et Sabbati, quibus ille conscribendis epistolis maxime premebatur: attamen vel has potius omittebat, quam abesset scholis, vel ita praeveniebat horam, ut utrisque satisfacere possit; animat enim juvenes praesentia seniorum, eorumque auctoritas et exemplum pondus modumque adhibet omni illorum verbo et actioni: atque ipsi Patres juniorum profectum defectumve et ingenia discernunt, quo rectius de singulis disponere valeant: ac proinde Lucas aliorum etiam Patrum nullum abesse sinebat. Imo ipsos logicos aut Philosophos, Theologorum exercitiis, ac Theologos vicissim Philosophorum disputationibus assistere faciebat, ut Theologi, continuatis exercitiis Philosophiae, accepta olim theoremata firmius possiderent, et Philosophi familiari usu terminorum Theologiae sese illam postea facilius percipiendam disponerent, et neutris interim permitteretur libertas otiandi, dum alteri exercerentur. Ad juvenes autem in publico probandos, alias disputationes, quas menstruas vocant, haberi voluit, vocatis etiam externis, et propositis thesibus manu scriptis quidem, sed amplioris argumenti. Alias vero impressas theses, et alicui Principi, seu illustri viro dicatas, quo frequentior esset concursus, et actus ipse solemnior, saltem bis in anno ab unoquoque Lectorum exponi curabat. Atque hac ratione conabatur tum juvenes ipsos, ipsosque Lectores sui ipsorum honoris periculo, ad studia fortius provocare, tum etiam publico reddere rationem studiorum, more per sanctum Bonaventuram in Religiosorum coetibus primitus instituto; ne torpere nos domi, vel supinos dormire crederent.

In domesticis exercitiis si Lectorum quempiam, vel discipulum in aequivoco laborare cerneret Lucas, ipse, interposito verbo, rem breviter declarari curabat, vel ipse declarabat, quo fructuosius pergeret disputatio: quandoque etiam totum argumentum assumebat, ut solent alii Lectores, sed ut non omnes ubique solent, acute et breviter tangebat punctum difficultatis, seseque ac totam controversiam paucis argumentis expediebat. Sane saepe mirati sumus in tam veterano Lectore, ac diversissimis studiis et occupationibus distracto, promptum usum terminorum, recentemque memoriam status controversiarum; et venerabamur in effracto corpore tam acre ingenium, ut omnes

difficultatis nodos, et subtilissimas formalitates absque ulla confusione distingueret. In Theologicis autem non recordor me illum unquam disputantem audisse quin vel Sacrae Scripturae, vel Concilii cujuspiam, aut sancti Patris, praesertim Augustini locum aliquem ex fide recitaret, et satis plausabiliter in adversarium urgeret, tam alacri animo et sonora voce, tam suaviter et gratiose, ut quantumvis tepidum, vel torpentem auditorem ad attentionem, et voluptatem excitaret.

Eamdemque rationem Theologicas materias tractandi Lectoribus ab initio praescripsit, ut eas solide ex Scriptura, Patribus, Conciliis exponant, rationibus Metaphysicis et Aristotelicis parcius insistentes, quas ex cursu Philosophiae jam notas supponant, et nulla rationi tractent ex professo.

(Continuabitur).

EXUVIAE
CLARISSIMI P. LUCAE WADDINGI
IN DECENTIORI LOCO
COLLOCATAE.

Honoris ornamenta laetitiaeque insignia, quorum praeter Urbis haud ita facile partem ceperit quispiam Conventus noster, venerabili Fratrum Recollectorum Hiberniae Collegio S. Isidori Romano paulo ante contigerunt. Amatissimus noster Rmus P. Aloysius de Parma filios suos Hibernos voto diu versato compotes facturus secum duos, quos adesse fortuna erat, Ordinis Illmos Episcopos, Rmum suum Definitorium Generale cum Secretariis Generalibus et Seraphici Collegii S. Antonii Rectoribus ac Lectoribus Generalibus in a. d. XIV Kal. Decembres ad familiam quam diximus invitaverat. Erat enim cum pusillo isto grege honor deferendus viro temporis quidem spatia jam saeculis ante transgresso, operibus autem et virtutibus inter nos nondum extincto neque unquam extinguendo. R. A. P. Lucas Waddingus, Collegii S. Isidori fundator, die XVIII Novembris A. D. MDCLVII diem supremum ibidem obierat. Quis fuerit iste, quid Ecclesiae universae, quid Ordini, quid scientiis litterisque, quid patriae, quid posteris suis, non est paucis his verbis coarctandum. Libri, Collegia, templa ejus memoriae perstant, testes vivi fuerunt et sunt quotquot vestigia ejus prementes virtutes eximias sectabantur nec desistunt sectari. Unum sui cives et fratres deesse jam diu videbant, decorem exuviis atque ornatum. Ante saeculum, quantum reliquiarum in tumulo Ecclesiae supererat, exemerunt, exemptas in urna fictili solidae tumbae incluserunt. Sic occultus quiescebat, cujus non potuit occidere memoria, cujus vivax recordatio vitaeque nova instituta imitatio ab annis iterum filiorum Patris honorificentius colendi desiderium excitaverat. Nunquam non honori ac venerationi habentur filiis majores, praesertim quum illi istorum moribus sua et corda et mentes conformare conantes, sensibus tamquam tangunt labiisque spiritualibus degustant ac percipiunt, quam sit bonum et quam jucundum sanctis Patrum vivendi institutis adamussim inhaerere. Inhaerebant et inhaerent Fratres isti nostri novo studio novoque ardore, ex quo, septem anni nunc sunt, Rmus P. Bernardinus a Portu Romatino Minister Generalis « in Collegio « Nostro S. Isidori de Urbe, ex quo tot viri « praeclari prodierunt, qui pietate sua atque « doctrina praefatam Provinciam illustrarunt, « probatam disciplinam, quae ibi olim flore- « bat, pro viribus restituendam » (1) duxit. Restituenda illico suscepta est disciplina Deoque propitio eo perducta, ut, quantum arbitrari licet, in praecipuis saltem et quae essentiae sunt a Waddingi diebus hodie haud ita longissime discrepare videatur. Waddingus ex eo tempore princeps magister edocuit, lucens exemplar praeivit, benevolus pater confovit; quae docuerat, quae fecerat, quae protexerat suis vitae meritis irrigata nunc beatus suis precibus incremento locupletat. Caeli videlicet auxilia, Dei Sapientia et Potentia efficere sola potuerunt, ut difficultatum et rerum adversarum nebulae nubesque abigerentur, cum fluctuum praeruptis procellis turbines secure superarentur. Superata sunt plurima; sed quot quanta superanda supersint, Deus novit, Deus ut veniant permittit, sed non, ut firma spes est, relinquet orphanos eos, quibus tantum dedit fundatorem, doctorem, exemplar, patrem.

(1) Ex decreto approbationis Statutorum Collegii dato Romae ex Aracaeli die 27 mensis Februarii anni 1885.

Haec est fiducia, haec spes, hoc totum, hoc unum desiderium eadem qua Waddingus progrediendi proficiendique via franciscana. Cui intento et purius et securius et firmius exequendo nihil tam potuit proficere, quam profundior, quomodo diu noctuque Waddingus Seraphicae vixerit Regulae observator, consuetudinum avitarumque caeremoniarum et servator et custos, perscrutatio perspicuaque recognitio. Itaque vitae ejusdem, domesticarum observationum, statutorum, rituum notitiam sibi Fratres puram putamque candidissime acquisiverunt ad eamdemque omnino vivendi instituebant rationem. Ex quo factum est ut, cujus morum imaginem referebant alterique alter offerebant, ossa ejus occulta quanta liceret pompa ac veneratione ornata vellent. Tumbae veteri pulchriorem sufficere statuerunt et vere pretiosam thesauroque perdignam faciendam curarunt, ad quam die XVIII Novembris modo elapsi mutationis festivitatem celebrarunt. Hujus rei causa tanta summorum Ordinis virorum celebritas illuc congregata conspiciebatur. Qui quantum exanimis reliquiis honoris habebant et decoris tantum et plus tanto firmaminis et roboris superstitibus illius vitam fide viventibus contulerunt vivis votis clarisque approbationibus. Honorificae frequentiae abesse non debuit, quo mortuis confratribus precum solatia et sacrosancti Sacrificii incruenti beneficia provenirent. Idcirco Collegio carissimum fuit officium persolvendi pridie istius diei ante novam tumbam Nocturnum cum Laudibus defunctorum. Ipsius diei mane hora 9 Patres invitati adventare coeperunt et circa 10 A. R. P. Aloysius Lauer, Procurator Generalis Recollectorum et Discalceatorum, toto Seraphico Senatu adstante, Summum Sacrum de « Requiem » celebravit, ipsis Fratribus Hibernis in choro suas partes dignissime cantantibus. Absolutionem ad tumbam in Ecclesia compositam ipse Rmus Pater Generalis sibi agendam assumpsit. Deinde ad sarcophagum singulari opere artificioque perfectum supra aptam consentaneamque basim in loco eleganti manu depicto positum, quotquot advenerant, sese contulerunt. Pater Rmus accepta stola congruam ex Rituali Romano benedictionem loci perfecit.

Tum bis Ordinis et Collegii sigillis arca in postica parte munitur, congrua documenta leguntur, quorum alterum testimonium est illius repositionis et subscriptum a Rmo Ministro Generali ab utroque Illmo Episcopo, a tribus Procuratoribus Generalibus, a Procuratore pro Hispania, a Continuatoribus quum Annalium Waddingi, tum Chronologiae Ordinis, tum Historiae Franciscanae, a Secretario Generali, demum a Collegii Superioribus.

Postea Rmus Pater ante ipsum venerandum monumentum subsidens locum dedit verbis sibi a V. P. Vicario Conventus cum omnibus Hibernis Fratribus commoventissime directis. Noluerunt enim hi inde, ubi Fundatori honorem praestiterant de suis, ante discedere, quam vivum de se ipsis Deo Optimo Maximo sacrificium juxta avi cineres obtulissent. In manibus amatissimi nostri omnium Patris generosum deposuere propositum omnino in patria abstinendi ab acrioribus potulentis et liquoribus.

His cum gaudio auditis, filiorum indolem bonam desideriumque modice ac sobrie vivendi Rmus Pater libentissime et laetissime confirmavit, quamque sit ipsis civibusque proficuum, quam Deo placens totique Ordini honori significavit et, ut fide constanterque quae promisissent exequi valerent, Omnipotentis Dei per verba S. P. N. Francisci benedictionem Fratribus in genua procumbentibus imploravit.

Et haec quidem de sacris istis matutinis. Interea meridie paulatim appetente, providerant ne quis eorum, quos laeta spiritualia antemeridianam diem tenuerant, familiari recreationi deesset. Dape sobria hilaritatem auctam esse malueris perfectamque, quam finitam existimare. Lecta post sacram Scripturam morte Waddingi ab Haroldo descripta, Rmus P. Minister Generalis laetabundos filios imprimis Hibernos gravi oratione rerumque plenissima sic fere allocutus est:

Summopere gratulari se, ait, quod festae illi cinerum Lucae Waddingi translatorum occasioni cum omnibus Definitorii Generalis Patribus interesset, quos se ad laudes A. V. P. Bernardo, Collegii Praesidi, tribuendas invitare, quem nec difficultatibus fractum neque ulli parcentem sollicitudini de ipso Collegio optime meritum nossent, tum quod ad pristinam a Waddingo institutam vivendi rationem illud revocasset servaretque in eadem, tum quod

materiale ejusdem bonum et promovisset et multipliciter auxisset. Cujus rei causa laudes gratiasque esse agendas Adm. R. P. Gregorio Janknecht, Recollectorum Provinciae S. Crucis in Saxonia Ministro Provinciali, qui eleemosynis copiosis Collegium generosus adjuvasset. Laudibus efferendum etiam Rmum P. Bernardinum a Portu Romatino, cujus auctoritate et zelo Collegii instauratio coepta esset et perfecta. Tum cinerum Waddingi translationem in novaque decora arca repositionem veluti culmen, ait, instaurati Collegii coronamque videri debere. Quem honorem Waddingo, tot illustrium auctori operum, ejusdemque Hibernorum Collegii inclyto fundatori, optimo tribui consilio. Ejus reliquias nobis plane praedicare qualem vitam nostram, mores, quales esse oporteat, quibus operibus intenti esse, quae amare, quae sperare debeamus. Waddingum honore prosequi, Waddingum venerari et aemulari omnes quidem, praecipue vero et quodam velut proprio atque haereditario jure Sodales Collegii ab ipso conditi debere, quum et ejusdem instituti et patriae ejusdem vinculis cum illo connecterentur. Propterea ad servandas adamussim Collegii leges ab ipso Waddingo conditas eos vehementer hortabatur, ut ad scopum sui instituti attingerent, qui non est nisi Hibernicae Recollectorum Provinciae instauratio et incrementum atque catholicae religionis per eamdem insulam conservatio ac propagatio. Praestantissimum hunc scopum, ait, proculdubio illos esse assecuturos, quum in patriam redeundi tempus advenisset, verosque suae gentis apostolos esse futuros, si ubique retinerent exhiberentque vitam Franciscano dignam, in paupertate et humilitate ambulantes, scientiae pietatem copulantes, quemadmodum Waddingus ad veram patriae utilitatem, decus Ordinis Deique gloriam suis verbis magisque suo exemplo eos perpetuo doceret.

Verba isthaec aequo amore et auctoritate facta vivacissimi omnium applausus exceperunt. Paulo post R. Adm. P. Panadero V. Procurator Generalis pro Hispania suo jure Waddingi laudes exorsus est. Suo jure, inquam; namque Hispania illum exulem susceperat, sacra Ordinis veste induerat, educaverat, philosophiae sacraeque theologiae in celeberrimis scholis vacare denique Presbyteratus Ordine initiari fecerat. Reliqua vitae oratione nervosa et expedita, idiomate hispanico, laudatissime explicuit: Triennio postquam Sacerdos factus esset, Romam petivisse ibique post initam brevi hospitii S. Isidori possessionem, Ecclesiae, Ordini, scientiis solum se dedisse; plurium, ut S. Officii, S. Rituum, Indicis et Propagandae Fidei Congregationum consultorem, ipsis quinque Romanis Pontificibus Paulo V. Gregorio XV. Urbano VIII. Innocentio X. Alexandro VIII. familiarem, viris nobilibus et principibus Urbis et exteris carissimum, sicque nonnullatenus totius Romae centrum exstitisse. Quantum ipsi Ordini profuisset, novisse qui annales ejus pervolutassent, novisse, qui collegia, Bibliothecas, Archiva ab eo fundata visere potuissent. Neque nostris scientiis eum defuisse cultorem, patronum, propagatorem, Scoti amicissimum Scoticaeque doctrinae gnarum et peritum cum subtilique Doctore strenuissimum invictumque Immaculatae defensorem. Quid denique in eo infuisset sanctimoniae, testimonio esse vitae propriae rationem vivendique per ritus ac constitutiones domesticas aliis praeceptum modum; tanto viro laudes deberi et honores, tanti viri filios et sectatores optimis ominibus votisque prosequi oportere. Suis demum fervidis gratulationibus plausus laudesque cuncti reddiderunt.

Tum R. P. Anselmus de Terra-Nuova ex collegio S. Antonii Lector Generalis s. Theologiae Moralis duo carmina diei accommodatissima voce acuta ardenti motu gestuque pronuntiavit.

Neque poëta neque Francisci filius, quum verbis, tum cordis affectibus manifestus manus vocesque astrepentes effugere potuit.

Brevi post A. R. P. Diomedes a Pescocostantio, Procurator Generalis familiae Reformatorum, paucis quidem sed eo gravioribus verbis, Britannico sermone Waddingi verorumque Franciscanorum tempora praedicavit: novisse se gentem Hibernam, novisse se, quid Fratres illi olim praestiterint, summo se ferri in Fratres S. Isidori amore, nihilque magis se optare nisi ut in Hiberniam mox aditus illis patesceret, ad vivendam vitam regularem talem, qualem veteres Fratres Minores ibidem vixissent.

Ut nativo sermone percepto ita maxime suis sententiis suisque consiliis tam pure per-

fecteque quam breviter expressis commoti fratres Hiberni non potuerunt non abripi non prorumpere in amplissimas comprobationes.

Illmus D. Stephanus Maria, Ep. Hieric. Ord. Min. pro suo erga collegium S. Isidori amore et benevolentia, quam eos cordi haberet, quanto studio praesidioque eos prosequeretur essetque prosecuturus, ostendendi publice occasionem praetermittere noluit revocandi memoriam A. R. P. Gregorii Janknecht, Provinciae Saxoniae S. Crucis Ministri Provincialis, viri illius magnanimi beneficentissimique fautoris, sibique amicissimi. Quibus omnino assentiendo applaudendoque testimonium clarissimum tulerunt omnes.

Reliquum erat, ut ipsius Collegii aliquis celebritatem tot virorum optimorum laetissimam alloqueretur.

Itaque V. P. Vicarius senior inter Hibernos Collegii surrexit convenientissimum esse ajens, quin et oportere, istis omnibus quae perpulchre dicta essent, nonnihil se ipsos Waddingi filios respondere, palamque ostendere, quo se animo, quo amore, studioque quum usque tum eo die tenerentur. At uberioribus exhibendis seipsum minus parem idoneumque ingenue reputans, rem totam A. V. P. Praesidi, quem « ipsis Hibernis Hiberniorem » appellabat, tradidit explicandam. Qui continuo assurgens exorsus est sermonem, quo breviter historia Collegii instaurationis juxta normas Waddingi perstrinxit et firmum propositum omnium vitam vere franciscanam ad Waddingi exemplum vivendi, et sic Hiberniae decus ac salutem promovendi palam edixit.

Quam bene planeque dixerit orator, ut sentiunt sui filii et Fratres, id perpetuae eorum comprobationes vividissimique applausus omnibus qui aderant, persuaserunt. Quae unio animorum ac Collegii totius in sanctis Majorum vivendi institutis perseverandi concordia simul cum omnium in ea magis ardua visa vita serena hilaritate dicto fortius suaviusque Patres congregatos affecit.

Oblatis post gratiarum actionem consuetis in Ecclesia precibus parumper familiariter colloquendi causa in aulam historicam ibatur. Unde antequam domum discederent, tumbae imagines arte photographica factae singulis dono commonitorio dabantur, ac libro ad id parato sua nomina inscripserunt primi qui ad illam visendam ac Waddingum honorandum adventarunt.

Quem gloria et honore caelestis paradisi merito coronatum spe bona confidimus, illius ne opera spiritumque denuo resuscitatum periculis ac pugnis iterum siverit subjacere Dominus Deus, cui soli honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

V.

BIBLIOGRAPHIA

Statuti e Costituzioni Generali della famiglia Cismontana dei Minori Riformati di S. Francesco, stabilite nella Congregazione Generale di Roma l'anno del Signore 1642, e per autorità della S. Sede Apostolica confermate ed approvate da Urbano VIII ed ultimamente modificate nel Capitolo Generale di Roma 1889. — Quaracchi presso Firenze, Tipogr. del Collegio di S. Bonaventura 1890. In 8.° gr. di pag. 118. L. 1, 50.

Gioacchino Garcia Icazbalceta, — Fr. Giovanni di Zumarraga dell' Oss. di San Francesco, primo Vescovo e Arcivescovo di Messico, studio biografico e bibliografico con un' appendice di documenti inediti traduzione dallo spagnuolo del P. Faustino Ghilardi M. O. — Quaracchi presso Firenze, Tipogr. del Collegio di S. Bonaventura 1891. In 8.° di pag. 671. L. 6.

Marcus a Burgo. -- Scrittori Francescani Riformati del Trentino. Compilazione fatta sulle Cronache della Riformata Provincia di S. Vigilio. Trento, Stabilimento Lit. Tip. Scottoni e Vitti Ed. 1890. In 8. gr. di pag. 60.

Nonaginta quatuor Confratrum memoria in hoc opusculo fit, quorum nonnulli Tridentinae historiae Patres jure merito vocari possunt, inter eos Bonellius et Tovatius eminent.

FRANCISCUS HAAS, Min. Cap. — Leben der Dienerin Gottes Schwester Maria Diomira von Menschwerdung, Kapuzinerin im Kloster von Fonano, von ihr selbst geschrieben. — Mit Supplement. Aus der italienischen Herausgabe. Tipografia Pontificia Mareggiani, Bologna 1877 übertragen von P. Franziskus Haas, Ord. Cap. Generaldefinitor. Mit Genehmigung des Hochwürdigsten P. Generals. Mit Portrait. — Approbirt durch das Hochwürdigste Ordinariat Salzburg. 1891. Regensburg, New-York et Cincinnati. — Druck und Verlag von Friedrich Pustet. Pag. 84.

IRENAEUS BIERBAUM, Min. Rec. — Theologia moralis, per modum conferentiarum auctore clarissimo P. Benjamin Elbel, O. S. Fr. Novis curis edidit P. F. Irenaeus Bierbaum, O. S. Fr., Provinciae Saxoniae S. Crucis Lector Jubilatus. Cum approbatione Superiorum. Paderbornae Typographia Bonifaciana.

Theologia ista Elbeliana agit de doctrina morali universa, tam generali, quam speciali. Complectitur universim partes decem: in quarum prima agitur de actibus humanis, conscientia, legibus atque peccatis; in secunda de virtutibus theologicis atque religionis; in tertia et quarta de praeceptis decalogi; in quinta et sexta de dominio, contractibus et de restitutione; in septima de censuris et statibus particularibus; in tribus reliquis de Sacramentis. — Singulae partes etiam seorsim poterunt emi. — Pars prima lucem modo aspexit; pars secunda decurrente mense Octobri comparebit; opus integrum saltem infra biennium D. f. erit completum. — Unaquaeque pars distribuitur in conferentias; singulae conferentiae in paragraphos tres, quarum prima exhibet principia; secunda tres casus practicos resolutos et contra difficultates defensos; tertia corollaria ex praedictis fluentia. Paragraphis istis praemittitur summarium, vere summam dicendorum continens. Pars I. constat M. 2,25 pariter pars 2; attamen pro Nostratibus, in Italia praesertim, diminutionem pretii impetrabit P. Irenaeus, si ad ipsum scribatur, Paderborn, (Westfalen); pretium operis totius summam M. 20 vix superabit.

Editio nova confecta est juxta editionem V. ab ipso auctore a. 1751. recognitam; mutationes veteris proprietales non continet, nisi ubi decreta Apostolica recentiora id exigebant; quae mutationes positae sunt loco textus originarii; ab ipso vero distinguuntur per asteriscum in principio et fine adjectum. Praeterea deleta non sunt, nisi verba aut phrases, quae tautologiam sapere videbantur. — Plurimae aliorum auctorum probatissimorum citationes in suis fontibus sunt inspectae, et ubi necessarium fuit, correctae. In citandis locis juris canonici et civilis loco citationis difficilioris facilior Recentiorum modus servatus est.

Quanti habenda sit theologia Elbeliana, uno ore annuntiant, quotquot inter Moralistas eminebant. S. Alphonsus ipsam citat frequentissime; id idem non minus faciunt Auctores recentiores, qui de Elbel dicunt, quod « praestet sana nitidaque doctrina necnon casuum practicorum expositione et solutione » (Gury ed. IV. in Germania), — quod « sana doctrina necnon casuum practicorum copia praestet » (Müller lib. I. t. III. § 78), — quod sit « auctor in re morali gravis et probabilista » (Hurter, nomencl. lit.), — quod « mereatur numerari inter classicos atque primarios scriptores theologiae moralis » (Lehmkuhl theol. mor. II. ed. III. pag. 791. 798).

Valor intrinsecus theologiae istius in tribus praecipue consistit: est videlicet dilucida, practica, scientifica. Dilucida quidem, tum secundum sententias, quas docet, tum secundum idioma planissimum captuque facillimum. — Practica vero non tantum propter casus practicos trinos in qualibet conferentia resolutos, sed quia etiam in quaestionibus theoreticis semper respicit, quae in vita humana communius aut saltem frequentius contingere solent. — Scientificam denique eam merito dicimus, quia cuicumque assertioni praeter argumenta ab auctoritate desumpta, adduntur argumenta brevia quidem, ast vere solida, in forma syllogistica ut plurimum proposita. — Certissime hinc persuasum habemus, neminem fore, qui tollat et legat theologiam istam, qui in legendo non sentiat facilitatem, jucunditatem, utilitatem.

NOVUM ORDINIS PERIODICUM. — Sendbote des III. Ordens des hl. Franziskus. Unter der Leitung der Franziskaner-Patres der Observanz in Metz. (Pretium pro anno 1 Mark, sive 1 Lira, 25 cent.) — Metz, Kapitelstrasse 17. — *(nuntius Tertii Ordinis* a Patribus de Observantia in dioecesi Metensi directus).

RAYMUNDUS DIOCIAJUTI, Min. Obs. — Compendio di quanto scrisse sulla scuola Francescana il P. Alessandro Baroni, M. O. per il P. Raimondo Diociajuti dello stesso Ordine. Fucecchio 1890. In-16. Pag. 464.

Nihil obstat.

FR. ALOYSIUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

TABULA MATERIARUM

PERIODICI

ACTA ORDINIS MINORUM

ANNO 1890.

—

I. — ACTA ROMANO-SERAPHICA.

II. — ACTA ORDINIS.

Causae Sanctorum Ordinis nostri.

Capitula Provincialia hoc anno celebrata.

III. — Missiones.

IV. — Bibliographia.

V. — Necrologia.

VI. — Varia.

			ERRATA	CORRIGE
Pag. 22.	Col. II.	Lin. 16.	*Una fide*	*Una fides*
» 150.	» »	» 6.	Holland	Kolland
» »	» »	» 9.	Ramisau	Ramsau
» 159.	» I.	» 3.	Oberr	Obern
» 167.		» 38.	Religionis	Relligionis
» 168.		» 1.	Astor	Altor
» »		» 5.	qua	sua
» »		» 20.	Ecclesia	Eclesia
» »		» 24.	utriusque	utrinque

ACTA

ORDINIS MINORUM

Januarii 1891.

SUMMARIUM: Communicationes Curiae Generalis. — I. Acta Romano-Seraphica: *Epistolae Summi Pontificis super cultu sacrae Familiae exhibendo.* — S. C. super disciplina Regulari, *de admittendis hoc anno novitiis in Italia.* — Sacra Poenitentiaria: *De realitate ignis inferni.* — Ex S. Rit. Cong.: *circa cantum duarum Missarum eiusdem festi in eadem Ecclesia.* — Ex S. C. Indulg.: *Dubia circa validam erectionem Viae Crucis.* — *Novi Episcopi ex Ordine.* — II. Acta Ordinis: *Capitula Provincialia anno 1890.* — *Causae Sanctorum Ordinis: Ven. P. Generosi Mariae a Premosello.* — III. Missiones: *Religiosi elapso anno ad Missiones profecti.* — *Collegium Caxamarcae in Rep. Peruana.* — IV. Varia: *Series Praelatorum Ref. Prov. Poloniae Minoris (Contin.).* — *Fundatio Collegii S. Isidori (Contin.).* — V. Bibliographia. — VI. Necrologia.

COMMUNICATIONES CURIAE GENERALIS

1. — De mandato Rmi P. Generalis monentur Provinciarum Superiores, ut ad praescriptum *Constitutionum Generalium Ordinis,* n.° 341, ad Curiam Generalem quamprimum transmittant elenchum, in quantum fieri poterit, typis impressum (juxta formularium quod singulis Provincialibus exhibetur), omnium individuorum cujusque Provinciae et Custodiae. Cum haec relatio universalis petatur, pro vertente anno dispensantur Provinciales ab altera relatione peculiari in eodem numero praescripta.

2. — Ad normam n. 695 *Const. Gen.,* monentur pariter Commissarii Terrae Sanctae, ut Ministro Generali transmittant rationem eleemosynarum omnium, quas pro Terra Sancta collegerunt aut colligi vel expendi fecerunt, separatim notando summas ab Episcopis receptas, aliasque propria industria collectas.

3. — Italiae et Insularum adjacentium Provinciales invenient infra in *Actis Romano-Seraphicis* numerum Novitiorum, quos praesenti anno ad Ordinem admittere valent.

MONITA.

1. Expensae pro edendis et mittendis *Actorum* fasciculis a Curia Generali solvuntur ex spontaneis eleemosynis ad hunc finem oblatis. Gratias agimus tam Provinciis quam Conventibus, qui dictis expensis etiam hoc anno cooperari voluerunt.

2. Cupientes, ut quilibet Ordinis Conventus unum saltem exemplar recipiat, Ministros Provinciales rogamus, ut nos certiores reddere velint, si fasciculi forsitan ad omnes Conventus non perveniant.

3. Epistolae ad *Actorum* redactionem spectantes dirigantur ad P. Directorem *Actorum,* Collegio S. Antonio, Via Merulana 124, Roma; epistolae vero fasciculorum transmissionem concernentes ad P. Directorem Typographiae S. Bonaventurae, Brozzi per *Quaracchi,* presso Firenze (Italia).

4. Rogantur Ordinis nostri scriptores, ut ad Curiam Generalitiam transmitti curent operum suorum in *Actis* annuntiandorum duo exemplaria, quorum alterum in Archivo remanebit, alterum vero bibliothecae novi Collegii generalis adscribetur. Hortamur quoque Confratres, ut ad nos eodem numero transmitti satagant aliorum scriptorum etiam saecularium opera edita, *ad Ordinem spectantia,* dummodo fidei catholicae et historiae veritati sint consona, et haec volumina in *Actis* pariter annuntiari curabimus.

5. Pro illis libris habendis, *qui in Curia Generalitia* vel *Claris Aquis exstant,* loco solutionis faciendae, quibus ita arriserit, congruus celebrandarum Missarum numerus assignabitur.

6. Praeterea obsecramus Confratres, qui *Actorum* edendorum expensis gratuita Missarum celebratione contribuere optaverint, ut, *Ministro Generali aliove e Curia Patre* de hac intentione praemonitis, Missarum celebrationem differre curent, donec de earumdem assignatione certiores reddantur.

7. Cum fasciculi *Actorum* primorum septem annorum deficerent et a pluribus requirerentur, nova eorum editio incepta est, et fasciculi annorum 1882, 1883, 1884 et 1885 denuo typis impressi sunt, et a Curia Generalitia peti possunt.

8. Confratres rogamus, praesertim vero Ministros Provinciales, ut Curiam Generalitiam monere velint, quoties aliquem ex Patribus nostris *Acta* recipientibus mori acciderit, ne in vanum continuetur defuncto fasciculorum transmissio.

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

EPISTOLA

Summi Pontificis ad Eminentissimum Cardinalem Bausa *super cultu sacrae Familiae exhibendo.*

Rme Domine uti Frater,

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII pro Apostolica Sua sollicitudine Litteras die XX mensis elapsi datas mittere dignatus est ad Emum et Rmum Dnum Augustinum Card. Bausa, Archiepiscopum Florentinum, super cultu sacrae Familiae exhibendo, praecipiens ut hujusmodi litterae cunctis Rmis Dioecesium Ordinariis communicarentur.

Mandato itaque Summi Pontificis obtemperans, Sacra Rituum Congregatio ad *Amplitudinem Tuam* exemplar earumdem Litterarum transmittit, additis simul duabus precum formulis, jubente atque adprobante Ipsa Sanctitate Sua editis, scilicet Consecrationis familiarum sacrae Familiae, et Orationis ante venerandam Illius imaginem quotidie ab ipsis recitandae.

Interim *Amplitudini Tuae* cuncta a Domino fausta ex animo adprecor.

Amplitudinis Tuae

Romae die 10 Decembris 1890.

Uti Frater

C. Card. Aloysius Masella, *S. R. C. Praef.*

Vincentius Nussi, *Secr.*

—

LITTERAE

SS. D. N. LEONIS PP. XIII

AD CARDINALEM BAUSA

ARCHIEP. FLORENTINUM.

Dilecte Fili Noster,
salutem et apostolicam Benedictionem.

Novum argumentum perspecti tui erga hanc Apostolicam Sedem studii et obsequii prodiderunt litterae Augusto mense exeunte ad Nos datae, quibus vota Nobis significasti plurium fidelium, ut veneratio quae CHRISTO Domino ac Matri Virgini et S. Josepho domesticae Ejus societatis consortibus, sub sacrae Familiae titulo exhibetur, ad ampliorem in Ecclesia cultus dignitatem provehatur, atque de hac re, uti fieri debet in causis gravibus fidem ac disciplinam spectantibus, sententiam et judicium hujus Apostolicae Sedis postulasti. Tuae observantiae et prudentiae officium Nos plurimi aestimantes, confestim postulationis tuae rationem habendam censuimus, ac rem propositam Consilio Nostro sacris Ritibus praeposito cognoscendam mandavimus, ut deinde ad Nos consulta et exquisita referret. Re itaque diligenter expensa, Tibi nunc significamus, ob peculiares justasque causas Nos decrevisse, ut pietatis cultus erga sacram Familiam, nullis aliis inductis ejus exercendi novis formis, in eo statu servetur, in quo auctoritate hujus Apostolicae Sedis probatus fuit, atque ut potissimum christianae domus sacram Familiam ad venerationem et exemplum propositam habeant, juxta instituta piae illius Consociationis, quam Decessor Noster fel. rec. Pius IX suis litteris, die V Januarii Anno MDCCCLXX datis, probavit et commendavit, atque in spem certam maximorum fructuum latius in dies propagari exoptavit. Quam spem salutarium bonorum et Nos ultro in ejusdem Societatis spiritu ponimus: confidimus enim Fideles omnes probe intelligentes, in cultu quem sacrae Familiae exhibent, sese mysterium vitae absconditae venerari, quam CHRISTUS cum Virgine Matre et S. Josepho egit, inde magnos stimulos habituros ad fidei fervorem augendum, et virtutes imitandas, quae in divino Magistro, ac Deipara Ejusque Sponso sanctissimo fulserunt. Hae autem virtutes, ut non semel monuimus, dum aeternae vitae mercedem pariunt, ad prosperitatem etiam domesticae et civilis societatis tam misere hoc tempore laborantis spectant; cum ex familiis sancte constitutis, civitatis etiam commune bonum, cujus familia fundamentum est, necessario consequatur. Majus vero fiducia Nostra incrementum capit, dum cogitamus, sacrae Familiae cultores ex instituto Societatis quam diximus, a CHRISTO DOMINO gratiam per merita Matris Virginis et S. Josephi sedulo efflagitantes, propitiam indubie opem experturos, ut vitam sancte componant, atque uti in domibus suis concordiam, caritatem, in adversis tolerantiam, morumque honestatem laetentur efflorescere. Vota igitur ad DEUM effundimus, ut germanus memoratae Societatis spiritus in dies latius inter Fideles emanet ac vigeat, atque in hanc rem operam suam collaturos tum sacrorum Antistites, tum omnes Ecclesiae administros non dubitamus. In mandatis autem dedimus Consilio Nostro sacris Ritibus praeposito, ut orandi formulam ad te mittat, quam confici et edi curavimus in usum Fidelium, ad domos suas sacrae Familiae consecrandas, tum etiam quotidianae precationis exemplar a Fidelibus in sacrae Familiae veneratione persolvendae. Tuo demum in Nos obsequio, dilecte Fili Noster, parem dilectionis affectum libenter profitemur, et in auspicium caelestium munerum, apostolicam Benedictionem Tibi, et Clero ac Fidelibus, quibus praesides, peramanter in DOMINO impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XX Novembris Anno MDCCCXC, Pontificatus Nostri Decimotertio.

LEO PAPA XIII.

FORMULA

RECITANDA A CHRISTIANIS FAMILIIS

QUAE SE SACRAE FAMILIAE CONSECRANT.

O Jesu, Redemptor noster amabilissime, qui e caelo missus, ut mundum doctrina et exemplo illustrares, majorem mortalis tuae vitae partem in humili domo Nazarena traducere voluisti, Mariae et Josepho subditus, illamque Familiam consecrasti, quae cunctis christianis familiis futura erat exemplo, nostram hanc domum, quae Tibi se totam nunc devovet, benignus suscipe. Tu illam protege et custodi, et sanctum Tui timorem in ea confirma, una cum pace et concordia christianae caritatis; ut divino exemplari Familiae tuae similis fiat, omnesque ad unum quibus ea constat, beatitatis sempiternae sint compotes.

O amantissima Jesu Christi Mater et mater nostra Maria, tua pietate et clementia fac, ut consecrationem hanc nostram Jesus acceptam habeat, et sua nobis beneficia et benedictiones largiatur.

O Joseph, sanctissime Jesu et Mariae custos, in universis animae et corporis necessitatibus nobis tuis precibus succurre; ut tecum una et beata Virgine Maria aeternas divino Redemptori Jesu Christo laudes et gratias rependere possimus.

FORMOLA

DI CONSECRAZIONE DELLE FAMIGLIE CRISTIANE

ALLA SACRA FAMIGLIA.

O Gesù Redentore nostro amabilissimo, che, venuto ad illuminare il mondo colla dottrina e coll' esempio, la maggior parte della vostra vita mortale voleste passare umile e soggetto a Maria ed a Giuseppe nella povera casa di Nazaret, santificando quella Famiglia, che doveva essere l' esemplare di tutte le famiglie cristiane, accogliete benigno la nostra, che ora a Voi si dedica e consacra. Voi proteggetela, Voi custoditela, e stabilite in essa il santo timor vostro, la pace e la concordia della cristiana carità, affinchè, uniformandosi al divino modello della vostra Famiglia, possa conseguire tutta intiera, nessuno escluso, l' eterna beatitudine.

Maria, Madre amorosa di Gesù e Madre nostra, colla vostra pietosa intercessione rendete accetta a Gesù questa umile offerta, ed otteneteci le sue grazie e benedizioni.

O Giuseppe, custode santissimo di Gesù e di Maria, sovveniteci colle vostre preghiere in ogni spirituale e temporale necessità; sicchè possiamo con Maria e con voi eternamente benedire il divino nostro Redentore Gesù.

—

ORATIO

QUOTIDIE RECITANDA

ANTE IMAGINEM SACRAE FAMILIAE.

O amantissime Jesu, qui ineffabilibus tuis virtutibus et vitae domesticae exemplis Familiam a Te electam in terris consecrasti, clementer aspice nostram hanc domum, quae ad tuos pedes provoluta propitium Te sibi deprecatur. Memento tuam esse hanc domum; quoniam Tibi se peculiari cultu sacravit ac devovit. Ipsam benignus tuere, a periculis eripe, ipsi in necessitatibus occurre, et virtutem largire, qua in imitatione Familiae tuae sanctae jugiter perseveret; ut mortalis suae vitae tempore in Tui obsequio et amore fideliter inhaerens, valeat tandem aeternas Tibi laudes persolvere in caelis.

ORAZIONE

DA RECITARSI QUOTIDIANAMENTE INNANZI

L' IMMAGINE DELLA SACRA FAMIGLIA.

O Gesù amorosissimo, che con le ineffabili virtù e con gli esempi della vostra vita domestica santificaste la Famiglia da Voi eletta qui in terra, guardate pietoso la nostra che, prostrata innanzi a Voi, v' invoca propizio. Ricordatevi che è famiglia vostra, perchè a Voi specialmente dedicata e consecrata. Assistetela benigno, difendetela da ogni pericolo, soccorretela nelle sue necessità, e datele grazia di mantenersi costante nell' imitazione della vostra santa Famiglia; affinchè fedelmente servendovi ed amandovi in terra, possa poi benedirvi eternamente in paradiso.

O MARIA, Mater dulcissima, tuum praesidium imploramus, certi divinum tuum Unigenitum precibus tuis obsecuturum.

Tuque etiam, gloriosissime Patriarcha sancte Joseph, potenti tuo patrocinio nobis succurre, et MARIAE manibus vota nostra JESU CHRISTO porrigenda submitte.

Indulgentia 300 dierum semel in die lucranda ab iis qui se sacrae Familiae dedicant juxta formulam a S. Rituum Congregatione editam.

(LEO PP. XIII).

MARIA, Madre dolcissima, all'intercessione vostra noi ricorriamo, sicuri che il divin Figliuolo esaudirà le vostre preghiere.

E voi pure, o glorioso Patriarca San Giuseppe, sovveniteci colla vostra potente mediazione, ed offrite per le mani di MARIA i nostri voti a GESÙ.

300 giorni d'Indulgenza da lucrarsi una volta al giorno da quelli che si consacrano alla S. Famiglia con la formola pubblicata dalla S. C. dei Riti.

(LEONE PP. XIII).

GESÙ, MARIA, Giuseppe illuminateci, soccorreteci, salvateci. Così sia.

Indulgentia 200 dierum semel in die lucranda.

(LEO PP. XIII).

LITTERAE

PII PAPAE IX

AD REV. P. FRANCOZ S. J.

PROMOTOREM PIAE UNIONIS

A SACRA FAMILIA NUNCUPATAE.

Dilecte Fili,
salutem et apostolicam Benedictionem.

Dum supremae struuntur insidiae religiosae juxta et civili societati, nullaque idcirco non adhibetur ars ad familiam ipsam, utriusque fundamentum, distrahendam ac dissociandam; nulla certe efficaciore ratione, quam per religionis virtutem, tanto discrimini occurrere licet. Quoniam vero a sacra Familia non modo aptissimum validissimumque patrocinium rei perficiendae petendum videtur, sed et perfectissimum exemplum pietatis, sanctitatis, mutuorum officiorum; peropportune te peculiarem illius cultum fidelibus proposuisse censemus, eisque suasisse, ut JESU, MARIAE et Joseph se plane devoventes, unusquisque cum conjunctis suis vespere domi conveniat filialia ipsis persoluturus obsequia, eorum imploraturus opem, seque ac ceteras christianas familias iisdem commendaturus. Quotidiani enim conventus illi et communis precationis virtus caritatem fovebunt inter consanguineos, mutuae spiritualium officiorum exhibitiones a singulis familiis editae apud *sacram Familiam* universas invicem inter se et cum ipsa copulabunt; ac praeterea mysteria et gesta illius ob oculos uniuscujusque posita in imagine, quam venerantur omnes, excitabunt ad propriae vitae rationem componendam ad illa sanctissima exempla. Gratulamur itaque tibi, quod coepto huic adeo DEUS obsecundaverit, ut complura jam familiarum millia nomen dederint piae isti Consociationi, fructumque religionis, concordiae, probitatis inde duxerint amplissimum. Quamobrem toto corde DEUM rogamus, ut perutilis ista Societas augeatur in dies et propagetur, virtutemque suam latius semper et efficacius exerat in christiani populi emolumentum. Auspicem vero divini favoris, Nostraeque paternae benevolentiae testem tibi, dilecte Fili, et piis omnibus sodalibus Benedictionem apostolicam peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die V Januarii MDCCCLXX, Pontificatus Nostri anno Vigesimo quarto.

PIUS PAPA IX.

S. C. SUPER DISCIPLINA REGULARI

I.

RESCRIPTUM

Quo datur facultas Provinciis Min. Observantium in Italia Insulisque adjacentibus, admittendi praescriptum pro vertente anno Novitiorum numerum.

Beatissimo Padre,

Il Padre Raffaele d' Aurillac, Procuratore Generale di tutto l' Ordine dei Minori di S. Francesco, premesso il bacio dei santi Piedi, umilmente implora per il prossimo anno 1891 la facoltà di vestire Novizi per le seguenti Provincie d' Italia e nel numero indicato col permesso di poter sostituire altri a quelli che durante l' anno della prova deponessero l' abito e tornassero al secolo.

	Chierici	Laici
Per la Provincia di Toscana	20	9
» » di Bologna	16	6
» » di S. Angelo di Puglia	6	3
» » di Napoli	10	5
» » di Bari	6	3
» » di Principato	10	5
» » di Valdinoto	8	4
» » di Valmazzara	10	5
» » di Valdemone	6	3
» » di Venezia	8	4
» » di S. Saturnino (Sardegna)	6	3
» » di Corsica	8	4
» » di Sassari (Sardegna)	6	3
» » di Genova	10	5
» » di Lecce	6	3
» » di Torino	10	4
» » Serafica	15	6
» » delle Marche	10	6
» » Romana	10	4
» » di S. Bernardino (Abruzzi)	10	4
» » di Calabria	6	3
» » di S. Ferdinando	4	2
» » di Basilicata	6	3
Per la Custodia di Malta	10	5
» » di Milano	8	2

Sacra Congregatio super Disciplina Regulari, attentis expositis, benigne annuit pro petita facultate ad annum; servatis tamen conditionibus, quae in decreto diei 28 Nov. 1848, et in Rescripto diei 17 Nov. 1873 reperiuntur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, die 16 Decembris 1890.

I. Card. Verga, *Praef.*

† Fr. Aloysius Epus Callinicen. *Secr.*

—

II.

RESCRIPTUM

pro Provinciis Min. Reformatorum.

Beatissimo Padre,

Fr. Diomede da Pescocostanzo, Procuratore Generale dei Minori Riformati di S. Francesco, oratore umilissimo della S. V. previo il bacio del santo Piede, espone come tutte le Provincie d' Italia si trovano in bisogno di ricevere Novizii per mantenere nei Conventi un numero sufficiente di Religiosi; quindi supplica la S. V. a degnarsi a concedere pel prossimo venturo anno 1891 la facoltà di vestire:

	Chierici	Laici
Per la Provincia di Toscana	18	10
Per le Provincie di Terra di Lavoro, Marche, Bologna, Serafica nell' Umbria, Genova, Venezia, S. Diego, Lombardia, Romana e S. Bernardino negli Abruzzi	12	7
Per le Provincie di S. Angelo in Puglia, Lecce, Nizza, Torino, Principato e Custodia di Lucca	8	6
Per le Provincie di Calabria, Sette Martiri, Valdemone, Valmazzara, Valdinoto, Bari, Basilicata e Custodia di S. Bonaventura	6	4

Sacra Congregatio super Disciplina Regulari, attentis expositis, benigne annuit pro petita facultate ad annum; servatis tamen conditionibus, quae in decreto diei 22 Dec. 1848, et in Rescripto diei 11 Junii 1880 reperiuntur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, die 18 Novembris 1890.

I. Card. Verga, *Praef.*

† Fr. Aloysius Epus Callinicen. *Secr.*

—

EX S. POENITENTIARIA

De realitate ignis inferni.

Poenitens se sistit coram confessario, et inter alia declarat opinari, quod in inferno ignis non sit realis sed metaphoricus, scilicet quod inferni poenae, quaecumque illae sint, sunt vocatae ignis aliquo dicendi modo; nam sicut ignis dolorem omnium intensiorem producit, ita ad indicandas atrocissimas inferni poenas nulla adest imago aptior ad ideam inferni efformandam.

Hinc Parochus quaerit, an liceat relinquere poenitentes in hac opinione, et an liceat eos absolutione donari? Notat autem Parochus, quod non agitur de opinione alicujus individui, sed est opinio generaliter admissa in quodam pago, ubi dici solet: « infantes solum persuade, si potes, quod sit ignis in inferno ».

Sacra Poenitentiaria ad praemissa respondet: — Hujusmodi poenitentes diligenter instruendos esse: et pertinaces non esse absolvendos.

Datum Romae, in Sacra Poenitentiaria, die 30 Aprilis 1890.

R. Card. Monaco, *P. M.*

—

EX S. R. CONGREGATIONE

Circa cantum duarum Missarum ejusdem festi, in eadem Ecclesia, et circa occurrentiam Annuntiationis B. Mariae *V. cum festo dup. I. classis.*

Romana — 23 Aug. 1890.

Ex parte Academiae Liturgicae Romanae sacrorum Rituum Congregationi insequentia Dubia pro opportuna declaratione exhibita sunt, nimirum:

Dubium I. Plura vulgata fuere Decreta, quae prohibent, ne Missa de eodem Festo eodem die atque in eadem Ecclesia bis canatur; et recentiori in Zacathecas diei 18 Martii 1874 ad quaesitum: « Nulla ratione, nullisque in circumstantiis licet ne cantare duas Missas de eodem Festo in ipsa die, absque gratia speciali et expressa Sanctae Sedis »? responsum fuit: Negative, juxta Decretum in Asten. 13 Augusti 1652, et in Mediolanen. 3 Augusti 1652. Quum nihilominus aliud exstet Decretum in Gadicen. diei 26 Augusti 1652 ad 3, quod declarat, ex circumstantia alicujus fundationis posse cantari duas Missas de eodem Festo, una die in eadem Ecclesia, quaeritur:

An in casu alicujus Missae fundatae standum sit Decreto in Gadicen., an alteri in Zacathecas, ut illud habeat solummodo rationem indulti? ora però si può, v. sotto il n. 3921. S.C.R.

Dubium II. Decreto in Aquen. die 2 Septembris 1741 ad 1 et in alio Generali diei 22 Martii 1817 fe. me. Pii Papae VII adprobato, statutum fuit, ut festum Annuntiationis Beatae Mariae Virginis, quando transfertur cum feriatione, praeferri debeat duplicibus primae classis occurrentibus, etiamsi esset Patronus Principalis, vel Titularis, vel Dedicatio Ecclesiae. Hinc quaeritur: Eadem praeferentia gaudet ne Annuntiatio, quum agitur propria die 25 Martii?

Hisce porro Dubiis sacrae eidem Congregationi in ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatae, a me infrascripto Cardinali Praefecto et Relatore propositis, exquisito voto in scriptis ac prelo cuso alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi rescribere rati sunt:

Ad I. Decretum in Gadicen. habere rationem Indulti.

Ad II. *Negative.* Atque ita declararunt et rescripserunt die 23 Augusti 1890.

C. Card. Aloysius Masella, *S. R. C. Praef.*
Vincentius Nussi, *Secretarius.*

—

EX S. CONG. INDULGENT.

Dubia de necessariis ad validam erectionem Stationum Viae Crucis.

Episcopus Constantiensis et Abrincensis, Provinciae Rothomagensis in Gallia, huic Sacrae Indulgentiarum Congregationi humiliter exponit: — Quum in una Apamiensi, die 25 Septembris 1841 (Decret. Authent. S. Cong. Indulgent., Edit. Ratisb. n. 294), legatur dispositio sequentis tenoris: « Circa erectionem Stationum Viae Crucis, impetratis antea ab Apostolica Sede necessariis et opportunis fa-

cultatibus, omnia et singula, quae talem erectionem respiciunt, scripto fiant, tam nempe postulatio quam ejusdem erectionis concessio, quorum instrumentum in codicibus seu in actis Episcopatus remaneat, et testimonium saltem in codicibus paroeciae seu loci, ubi fuerint erectae praefatae Stationes, inseratur »; hinc quaeritur :

I. An postulatio erectionis scripto fieri debeat sub poena nullitatis ?

II. An ipsa concessio Episcopi, qui ab Apostolica Sede facultatem obtinuit erigendi Stationes Viae Crucis, item scripto fieri debeat sub poena nullitatis ?

III. An in ipsa Episcopi concessione mentio fieri debeat facultatis obtentae ab ipsa Apostolica Sede erigendi Stationes Viae Crucis, sub poena nullitatis ?

IV. An tandem testimonium erectionis in actis Episcopatus aut in codicibus paroeciae seu loci, in quo fit erectio Stationum Viae Crucis, inserendum sit sub eadem nullitatis poena ?

Porro Sacra Congregatio propositis quaesitis ita respondendum censuit :

Ad I. *Negative:* cf. Decretum sub n. 175.

Ad II. *Affirmative:* cf. Decretum supra cit. et Decr. sub n. 445.

Ad III. Congruit ut fiat mentio, sed non est necessaria.

Ad IV. Praescribitur insertio testimonii erectionis in actis Episcopalibus et in codicibus paroeciae seu loci etc., sed non sub poena nullitatis : cf. Decretum sub n. 294.

Romae, ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 6 Augusti 1890.

—

NOVI EPISCOPI EX ORDINE

Per Breve apostolicum diei 20 Junii anni 1890 electus est Episcopus titul. Cybistren. et Vicarius apostolicus Chan-si meridionalis in Imperio Sinensi Rmus P. Martinus Poell, jamdiu Missionarius in eodem Imperio et Recollectae Provinciae Hollandiae filius.

Per aliud Breve apostolicum diei 12 Augusti anni 1890, Rmus P. Alphonsus a Cruce Sardinas, Min. Obs. et Missionarius Collegii Limensis, in Rep. Peruana, electus est Episcopus Huanucensis, in eadem Republica.

II.

ACTA ORDINIS

—

CAPITULA PROVINCIALIA

Anno 1890 celebrata.

—

XXIV.

Obs. Prov. SS. Redemptoris.

Die 4 Decembris proxime elapsi, celebratum fuit in Conventu Spalati Capitulum Obs. Provinciae SS. Redemptoris in Dalmatia, Praeside Adm. R. P. Definitore Generali Augustino Zubac, Visitatore Generali; in quo quidem rite electi sunt:

Minister Provincialis

Adm. R. P. Marcus Ivandić.

Custos

R. P. Petrus Bacić.

Definitores

Adm. R. P. Gabriel Puratić.
R. P. Andreas Copić.
R. P. Andreas Marić.
R. P. Vladimirus Stanicić.

—

XXV.

Obs. Prov. Vallis Mazzariae.

In Congressu Definitorii Generalis diei 18 Decembris, Praeside Rmo Ministro Generali, electi fuerunt Superiores Obs. Prov. Vallis Mazzariae in Sicilia:

Minister Provincialis

Adm. R. P. Joannes Franciscus a Raffadali.

Custos

Adm. R. P. Ignatius Fleres, Min. imm.

Definitores

R. P. Joannes Maria a Panormo.
R. P. Carmelus Antinoro a Canicatteno.
R. P. Carmelus a Leucata.
R. P. David Buffa a Bisaquino.

—

CAUSAE SANCTORUM ORDINIS NOSTRI

XIX.

Ven. Servi Dei P. Generosi Mariae a Premosello, *Sacerd. I. Ord.*

In oppidulo, quod vulgo *Premosello* dicitur, dioecesis Novariensis, hic Dei famulus ortum habuit die 24 Augusti anno 1729 ex parentibus humilibus quidem, sed honestate et christiana pietate praestantibus. Quapropter, ut infantulus statim sacro regeneraretur lavacro, curarunt imposueruntque ei nomen Bartholomaei. Infantiam ac adolescentiam in paterna domo innocenter transegit sub optima suorum parentum disciplina, quibus ipse obsequentissimus semper fuit. Nec aliud ei carius erat quam in parochiali ecclesia immorari, atque ibi Sacrarii officio adjuvare, Sacerdotibus celebrantibus inservire, et aliis quibuslibet divini cultus functionibus suam operam conferre. Opportuno tempore, et jam primis latinae linguae elementis imbutus, ad scholas proximi Castri Aronae, ut grammaticam artesque humaniores addisceret, missus est. Quibus in studiis usque ad annum decimum nonum aetatis suae versatus est; factus condiscipulis suis omnium virtutum exemplar, praesertim vero diligentiae, modestiae, amoris Dei et proximi, nec non mundi contemptus. Unde jam de aliquo religioso Instituto capessendo cogitare coeperat.

Et revera, cum vigesimum primum annum attigisset, Deo inspirante, Assisium se contulit apud sanctam Mariam de Portiuncula; ibique lacrymis magis quam verbis a Superiore Provinciali humiliter petiit, ut Ordini Minorum de Observantia adscriberetur. Quod statim obtinuit, quapropter paulo post, idest mense Junio anno 1750, ibidem religiosum habitum induit magna sui cordis laetitia, tyrociniumque inchoavit, nomen Fr. Generosi Mariae assumens. Quo exactissime expleto, atque solemni professione emissa, a Superioribus, qui eum ob vitae integritatem summopere commendabant, Perusium studiorum causa mittitur. Et cum jam esset maturus aetate, scientia ac pietate, sacerdotio initiatus est, licet prae humilitate repugnaret. Tamen, ut sanctius hoc sublimissimo ministerio fungeretur, veniam a Superioribus obtinuit, ut intermissis parumper studiis, in sacrum Amerinum Recessum pro aliquali recollectione spiritus secedere posset. Voti compos factus, illuc se contulit, et integro mense in assidua oratione suique corporis et spiritus mortificatione transactum Perusium repetiit. Anno sequenti, idest 1756, ad Mediolani coenobium ex obedientia perrexit; atque dum ibi degeret, quadam nocte fuit a Deo, qui eum ad sublimioris perfectionis viam vocabat, peculiari in somnio de terribili sui judicii rigore vivide excitatus. Ex quo tanto terrore perculsus est, ut mane veniens ad chorum inopinato omnibus totum sui capitis crinem in canitiem versum ostenderit. Post haec nihil aliud P. Generosus in mente habuit quam Deo toto cordis affectu inservire, magnamque sanctitatem acquirere.

Quod ut facilius consequeretur, in sacris Recessibus vitam ducere obtinuit; ac primo quidem per aliquot annos in illo prope Mediolanum ipsum, postea vero in altero S. Fortunati Montisfalconii in Umbria commoratus est; ac tandem ad illum Amerinum sese recepit, in quo jam primas gustaverat spirituales delicias, et deinde reliquum vitae suae cursum, qui adhuc ad triginta sex annos se extendit, sanctissime explevit. Licet autem ab iis officiis, quae honorem sapiunt, pro viribus abhorreret, nihilominus ex obedientia coactus eadem obire debuit, praesertim Rectoris, seu Guardiani ipsius Recessus. Hic longum ac perdifficile esset omnia argumenta attingere, quae ejus sanctimoniam mirifice ostendunt; sufficit nobis testimonium eorum Religiosorum, qui in Amerino coenobio Servo Dei jam diuturna intimaque familiaritate conjunctissimi erant: hi enim asserunt totam ejusdem vitam aliud non praesetulisse quam perfectissimam undequaque Seraphicae Regulae, et peculiarium sacri Recessus Constitutionum observantiam, nec non incensum de ea zelum, praecipue dum Superioris officium gereret. Quae vitae sanctimonia una cum ardenti charitate erga proximum, quam sedulo ostendit sive in praedicatione verbi Dei, sive in excipiendis sacramentalibus confessionibus, sive in adjuvandis ex hac vita decedentibus, universalem tum Religiosorum, tum populorum totius Amerinae dioecesis admirationem venerationemque erga

seipsum excitavit; ita ut tamquam vir sanctus ab omnibus haberetur, et esset. Neque defuit Deus ipse sanctitatem Servi sui caelestibus donis ostendens, etiam dum in vivis agebat. Tandem vero, cumulatus meritis atque virtutibus, ex molestissimo hydropisiae morbo, summa patientia per integrum mensem tollerato, die 7 Junii anno 1804, aetatis suae septuagesimo quarto, ad caelos feliciter evolavit.

Fama ejus sanctitatis, quam apud omnes adhuc vivens acquisierat, post ejus felicem transitum miro modo excrevit; uti clare patet ex aliquibus circumstantiis omnino singularibus. Ejus enim cadaver, vix anima ab eo egressa erat, speciem exhibuit viri non mortui, sed placidissime dormientis; immensus ex omni parte fidelium concursus, cujuscumque gradus atque dignitatis, ad ecclesiam, quo jam delatum erat, et quidem per tres integros dies, quibus ad eorum explendam devotionem mansit insepultum; plura supernaturalia signa coram populo patrata, quibus Deus certe glorificare voluit Servum suum, uti instantaneae sanationes a morbis, vividus et copiosus cruor, qui experimenti causa a vena incisa tertia die ab ejus morte effluere visus est; flexibilitas omnium corporis membrorum, fragans odor ex eo manans; et cetera hujusmodi.

Quae et alia sanctitatis signa post ejus sepulturam saepe renovata fuere, et quidem clariori modo; ita ut de die in diem semper percrebuerit etiam apud exteros tum concursus fidelium ad ejus sepulcrum, tum eorum devotio et invocatio apud Deum maxime in rebus adversis. Quapropter erat in votis omnium ejus Causam *Beatificationis* et *Canonizationis* apud sacram Rituum Congregationem quamprimum promovere. Attamen, sive ob adversas vicissitudines publicas, sive ob aliam causam, nescimus, certum quippe est, quod vix anno 1856 *Processus Informativus* super Virtutibus etc. nostri Ven. Generosi Mariae constructus fuit in Amerina Curia, sollicitudine praesertim ac expensis Rmi P. Bernardini a Montefranco, tunc temporis neo-electi totius Ordinis dignissimi Ministri Generalis. Post decennium, idest anno 1866, instantibus pluribus Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Regularium Ordinum Praesulibus etc. *Causa* ejusdem apud Sacram Congregationem *introducta est*. Currente anno 1873, Decretum super fama sanctitatis *in genere* emanatum fuit; atque ab anno 1868, usque ad annum 1875, omnes *Processus Apostolici* confecti fuere, Romam delati ac aperti. Verum, ob aliquem defectum, et forsitan intrinsecum, eorumdem Processuum, Causa haec in praesenti minime progreditur. Faxit Deus, ut quamprimum remotis obstaculis reassumatur, et quidem usque ad felicem exitum! Eo vel magis quod devotio fidelium erga Ven. virum crescit in dies, crescentibus etiam numero singularibus beneficiis ob ejus intercessionem a Deo obtentis.

Habetur brevis vita hujus Ven. Religiosi italice conscripta ab Adm. R. P. Jacobo a Solerio, Ord. Min. de Observantia.

III.

MISSIONES

RELIGIOSI ORDINIS NOSTRI

IN MISSIONES PROFECTI

decurso anno 1890.

In Terram Sanctam.

1. P. *Ludovicus a Vibo,* Obs. Prov. Vallis Mazzariae.
2. P. *Eugenius Butterman,* Ref. Prov. Cincinnatensis.
3. P. *Seraphinus a Melita,* Obs. Cust. Melitensis.
4. P. *Dominicus Vigiani,* Obs. Prov. Marchiae.
5. Fr. *Clemens a Vallelonga,* Clericus Obs. Prov. Vallis Mazzariae.
6. Fr. *Vincentius a Canicatti,* Clericus Obs. Prov. Vallis Mazzariae.
7. Fr. *Seraphinus Amorosi,* Laicus Obs. Prov. Tusciae.
8. Fr. *Angelus Tognazzi,* Laicus Obs. Prov. Tusciae.
9. Fr. *Ludovicus Peroneau,* Laicus Obs. Prov. S. Lud. Galliae.
10. Fr. *Andreas Beer,* Recoll. Prov. SSmi Cordis Americae.

11. *Fr. Joan. Baptista ab Orefalconis,* Obs. Prov. Palermit.

12. *Fr. Lucas Van Veldhoven,* Recoll. Prov. Belgii.

13. *Fr. Donatus Koppen,* Recoll. Prov. Hollandiae.

14. *Fr. Dominicus Rheidl,* Recoll. Prov. SSmi Cordis.

15. *Fr. Bernardus Bazzano,* Obs. Prov. Syracusarum.

16. *Fr. Servasius Jaspers,* Recoll. Prov. Hollandiae.

17. *Fr. Aloysius Drusiani,* Obs. Prov. Bononiae.

In Republicam Argentinam.

18. *P. Evangelista a Treppio,* Ref. Prov. Tusciae, ad Coll. Rivi Quarti.

19. *P. Bonaventura a Calamecca,* Ref. Prov. Tusciae, ad Coll. Rivi Quarti.

20. *P. Leo a Quarata,* Ref. Prov. Tusciae, ad Coll. Rivi Quarti.

21. *P. Rufinus a Spedia,* Ref. Prov. Tusciae, ad Coll. Rivi Quarti.

22. *P. Angelus Grosso,* Obs. Cust. Melitensis, ad Coll. Rivi Quarti.

23. *Fr. Petrus-Baptista a Castello,* Ref. Prov. Tusciae, ad Coll. Rivi Quarti.

24. *Fr. Samuel a Nicosia,* Ref. Prov. Tusciae, ad Coll. Rivi Quarti.

25. *P. Fidelis Codinach,* Obs. Prov. Galliae, ad Coll. Corrientes.

26. *Fr. Ignatius Scapigliati,* Clericus Ref. Prov. Seraphicae, ad Coll. S. Caroli.

27. *Fr. Aloysius Scalabrella,* Ref. Prov. Seraphicae, ad Coll. S. Caroli.

28. *P. Franciscus a Parma,* Obs. Prov. Bononiae, ad Coll. Salta.

29. *P. Barnabas Tambolleo,* Obs. Prov. Tusciae, ad Coll. Salta.

30. *P. Raphael Maggi,* Obs. Prov. Tusciae, ad Coll. Salta.

31. *Fr. Henricus Biagini,* Clericus Obs. Prov. Tusciae, ad Coll. Salta.

32. *Fr. Andreas Martini,* Clericus Obs. Prov. Tusciae, ad Coll. Salta.

33. *Fr. Joan. Angelus Bennati,* Clericus Obs. Prov. Bononiae, ad Coll. Salta.

34. *Fr. Humilis Righini,* Laicus Obs. Prov. Tusciae, ad Coll. Salta.

In Imperium Sinense.

35. *P. Matthaeus Canioni,* Obs. Prov. Corsicae, ad Vic. Chan-si.

36. *P. Pacificus a Gragnano,* Obs. Prov. Bononiae, ad Vic. Chan-si.

37. *Fr. Nicolaus Colombani,* Clericus Obs. Prov. Corsicae, ad Vic. Chan-si.

38. *P. Gonzalvus M.ª Harmel,* Obs. Prov. Galliae, ad Vic. Chan-tong Septent. (def. 4 Sept.).

39. *P. Pacificus ab Aincreville,* Obs. Prov. Galliae, ad Vic. Chan-tong Septent.

40. *P. Apollinaris a Chatelandren,* Obs. Prov. Galliae, ad Vic. Chan-tong Septent.

41. *P. Cherubinus a Monte Pessulano,* Obs. Prov. Galliae, ad Vic. Chan-tong Septent.

42. *Fr. Sabas a Didenheim,* Laicus Obs. Prov. Galliae, ad Vic. Chan-tong Septent.

43. *P. Christophorus Van Bussl,* Recoll. Prov. Hollandiae, ad Vic. Chan-si Merid.

44. *P. Valentinus Van den Oord,* Recoll. Prov. Hollandiae, ad Vic. Chan-si Merid.

45. *P. Zenobius M.ª Zampini,* Obs. Prov. Tusciae, ad Vic. Chen-si.

46. *P. Angelus Mongardino,* Obs. Prov. Taurinorum, ad Vic. Chen-si.

47. *P. Cherubinus a Sappada,* Obs. Prov. Venetiarum, ad Vic. Chen-si.

48. *P. Aurelius Van de Wynckel,* Recoll. Prov. Belgii, ad Vic. Hu-pè Merid.

49. *P. Thomas Coules,* Recoll. Cust. Angliae, ad Vic. Hu-pè Merid.

50. *P. Cassianus Kleinenbroich,* Recoll. Prov. Belgii, ad Vic. Hu-pè Merid.

51. *P. Angelus Timmers,* Recoll. Prov. Belgii, ad Vic. Hu-pè Merid.

In Albaniam.

52. *P. Antonius a Prio,* Ref. Prov. S. Vigilii.

53. *P. Vitalianus a Montemarciano,* Ref. Prov. Marchiae.

54. *Fr. Joseph a Scodri,* Laicus Ref. Prov. Tusciae.

55. *Fr. Joseph Flavineli,* Laicus Ref. Prov. Galliae Cispadanae.

56. *Fr. Herculanus a Torgiano,* Ref. Prov. Seraphicae.

57. *Fr. Nicodemus a Tegoleto,* Ref. Prov. Tusciae.

Ad Miss. Constantinopolit.

58. *P. Candidus a Rovigno,* Ref. Prov. Venetiarum.
59. *P. Ludovicus a Collepardo,* Ref. Prov. Romanae.
60. *Fr. Electus a Gellio,* Laicus Ref. Prov. Tusciae.

In Miss. Tripolitanam.

61. *P. Antonius a Neapoli,* Ref. Prov. Neapolitanae.
62. *P. Michaelangelus a Melita,* Obs. Cust. Melitensis.
63. *Fr. Paulinus a Liekens,* Laicus Recoll. Prov. Belgii.

In Aegyptum Superiorem.

64. *P. Peregrinus a Lucignano,* Ref. Prov. Tusciae.
65. *P. Demetrius a Lucignano,* Ref. Prov. Tusciae.
66. *Fr. Antonius a Malmantile,* Laicus Ref. Prov. Tusciae.
67. *Fr. Joannes a Peucetia,* Laicus Ref. Prov. Tusciae.

Ad Marrochium.

68. *P. Joseph M.ª a Jesu Ramoz,* Obs. Coll. S. Jacobi Compostellae.
69. *P. Eugenius Redondo,* Obs. Coll. S. Jacobi Compostellae.
70. *P. Joseph M.ª Gonzalez,* Obs. Coll. S. Jacobi Compostellae.
71. *Fr. Marcellinus Tamariz,* Laicus Obs. Coll. S. Jacobi Compostellae.
72. *Fr. Hieronymus Alonso,* Laicus Obs. Coll. S. Jacobi Compostellae.
73. *Fr. Antonius Lorenzo,* Laicus Obs. Coll. S. Jacobi Compostellae.
74. *Fr. Apollonius Ximenez,* Laicus Obs. Coll. S. Jacobi Compostellae.
75. *Fr. Antonius Erezuma,* Laicus Obs. Coll. S. Jacobi Compostellae.
76. *P. Augustinus Azepiazii,* Obs. Coll. Terrae Sanctae.

Ad Insulas Philippinas.

77. *P. Franciscus Santos,* Disc. Prov. S. Gregorii in Hispania.
78. *P. Romanus Prieto,* Disc. Prov. S. Gregorii in Hispania.
79. *P. Martinus Rubio,* Disc. Prov. S. Gregorii in Hispania.
80. *P. Sabinus Campaya,* Disc. Prov. S. Gregorii in Hispania.
81. *Fr. Alphonsus Rodriguez,* Clericus Diaconus Disc. Prov. S. Gregorii in Hispania.
82. *Fr. Leontius Gomez Platero,* Clericus Disc. Prov. S. Gregorii in Hispania.
83. *Fr. Jesus Sierra,* Clericus Disc. Prov. S. Gregorii in Hispania.
84. *Fr. Antonius Mariblanca,* Clericus Disc. Prov. S. Gregorii in Hispania.
85. *Fr. Julianus Rojo,* Clericus Disc. Prov. S. Gregorii in Hispania.
86. *Fr. Marianus Gil Atienza,* Clericus Disc. Prov. S. Gregorii in Hispania.
87. *Fr. Gregorius Lopez,* Clericus Disc. Prov. S. Gregorii in Hispania.
88. *Fr. Angelus Gomez Platero,* Clericus Disc. Prov. S. Gregorii in Hispania.
89. *Fr. Lopis Moraleda,* Clericus Disc. Prov. S. Gregorii in Hispania.
90. *Fr. Ezechiel Moreno,* Clericus Disc. Prov. S. Gregorii in Hispania.

—

COLLEGIUM CAXAMARCAE

in Rep. Peruana.

Die 16 Octobris anni 1890, praeside Adm. R. P. JOSEPHO VIDAL, Commissario Generali Reip. Peruanae et Aequatorianae, celebratum est Guardianale Capitulum Collegii de *Propaganda Fide,* civitatis Caxamarcae (vulgo Cajamarca), et rite electi sunt:

GUARDIANUS COLLEGII

R. P. Augustinus Alemany.

DISCRETI

R. P. Fidelis Bancell.
R. P. Leonardus Badiola.
R. P. Leonardus Mogollon.
R. P. Antonius Berduque.

IV.

VARIA

—

SERIES PRAELATORUM

Ref. Provinciae Poloniae Minoris sub Titulo Beatissimae Virginis MARIAE *Angelorum in Imperio Russico.*

(Continuatio).

41. A. R. P. Vitalis Krzyscovscius (Krzyszkowski) sub praes. A. R. P. Valeriani Borcovscii (Borkowski) Prov. Majoris Poloniae s. Theologiae Lectoris, Ex-Definitoris, electus in Cap. Cracoviae 22 Julii 1759 celebrato. Ab ipsis teneris in Religione annis continuo ferme in officiis fuit; in iis autem cum decore, honore ac utilitate Provinciae semper se gessit, ipsum Guardianatus officium 16 annis administrando dexterrime. Erectioni a fundamentis Conventus Visnensis multum profuit. Praefectus istius fabricae per aliquot annos vigilantissimus. Electus in Definitorem et post aliquot annos in Ministrum Provincialem cum emolumento ac aedificatione rexit Provinciam, pedester ad praescriptum Regulae imitationemque CHRISTI ac Apostolorum visitando Conventus, vitia exstirpando, virtutes plantando, viam rectam quae ducit ad vitam verbo et exemplo omnibus demonstrando. Fuit itaque, qua Minister in Cap. Generali Mantuano. In hoc Generali Cap. Custodia Reformata B. V. MARIAE Dolorosae in Russia obtinuit consensum, ut evehi possit in Provinciam die 29 Maji 1762 sess. 10. Commissarius ac Visitator Generalis Prov. Ref. Majoris Poloniae et Provinciae Russiae. Cracoviae die 29 Augusti 1767 anno aetatis 71 relig. 47 Sacramentis munitus animam DEO reddidit.

42. A. R. P. Romualdus Plucinscius (Plucinski) sub praes. A. R. P. Philippi Woinarovii (Wojnarowicz) ex Custodia Russiae Ref., Ex-Definitor s. Theologiae Lector, Procurator emeritus in Cap. Cracoviensi 15 Augusti 1762 electus. Insignium meritorum in Provincia Pater. Lector Philosophiae sex annis ac totidem s. Theologiae subtilissimus, Guardianus per duos annos zelosus. Definitor Provinciae, Custos vocalis, Mag. Novit. Qua Custos descendit ad Cap. Generale Mantuanum. Obiit Sandomiriae 26 Maji 1767 aetatis 50, relig. 32 anno.

43. A. R. P. Bernardus Misievscius (Misiewski) sub praes. A. R. P. Cypriani Kozlovscii (Kozlowski) Prov. Majoris Poloniae Ref., Ex-Definitor s. Theologiae Lect. electus in Cap. Stopnicii die 7 Julii 1765. A juventute semper in laboribus fuit. Lector artium simul Professor Theologiae Mysticae. Praedicator egregius, propter debilitatem tamen pectoris non multis annis in hoc officio laboravit. Ad Mag. Novit. officium quasi natus exemplarissime per aliquot annos educabat juventutem. In Conv. Cracoviensi die 11 Julii 1766 obdormivit in Domino.

A. R. P. Stephanus Stanievscius (Staniewski) Primarius Prov. Pater. Mortuo Ministro Provinciali A. R. P. Bernardo Misievscio (Misiewski) in Conv. Cracoviensi 20 Julii 1766 in Vicarium Provincialem electus est. Hoc Lublini in Visitatione can. die 18 Martii 1768 mortuo.

A. R. P. Damascenus Kilian in Conv. Pinczoviensi per RR. Patres Definitores capitulariter et legitime congregatos die 15 Aprilis 1768 sub praes. A. R. P. Alexandri Lisiecii (Lisicki) Definitoris primi, quia Custos vocalis erat in Valentia in Cap. Generali, qui ex Cap. reversus actus electionis vult annihilare, sed legitime facta electio confirmata exstitit a Rmo Patre Ministro Generali die 16 Augusti 1768 Matriti in Conv. S. Francisci.

44. A. R. P. Damascenus Kilian sub praes. A. R. P. Dionysii Sydry Definitoris act. Provinciae Majoris Poloniae Commissarii ac Visitatoris Generalis die 25 Septembris 1768 in Cap. Vielicii celebrato electus. Qui a juventute religiositate s. virtutibus praelucens absolutis studiis Socius Magistri et Instructor Novit. Lector artium et Philosophiae per quinque annos, pariter et s. Theologiae par quinque annos Lector. Guardianus Definitor Secretarius Provinciae, Mag. Novit. Qua Guardianus obiit Zakliczynii s. Sacramentis provisus die 14 Januarii anno 1775.

45. A. R. P. Alexander Lisicius (Lisicki-Lisula) sub praes. Stanislai Kleczevscii (Kleczewski) s. Theologiae Lector Provinciae Russiae B. V. MARIAE Dolorosae almae Provinciae Minoris Poloniae, electus in Cap. Pinczoviae die 21 Julii 1771. Celebravit primam interm. Congr. Def. in Conv. Stopnicensi 29 Junii 1772, et quintam Congr. in Conv. Jaroslaviensi 28 Julii 1773 in qua electus fuit Commissarius Provincialis pro Provinciali Romam pro Cap. Generali qua Minister Provincialis pedester ibat. Deinde Professor Theologiae Mysticae s. Theologiae Lector et Philosophiae, pluries Guardianus Definitor Provincialis, Custos. In his omnibus officiis non intermittebat exercitium devotionis. Theologiam Mysticam in linguam Polonicam transtulit, ut typis dari possit. In fine vitae visum amisit. Paralysi tactus, s. Sacramentis provisus, obiit Cracoviae 19 Decembris 1797 aetatis 73 et relig. 56. Sepultus in Ecclesia S. Petri Minor. extra civitatem in arenis.

(Continuabitur).

—

FUNDATIO

COLLEGII S. ISIDORI IN URBE

A P. LUCA WADDINGO

CAP. XVIII (LXIV)

(Continuatio).

Porro methodum illis liberam reliquit, modo a Doctoris subtilis doctrina non recedant. Habent praeterea controversiae fidei, habent pariter casus conscientiae ab ipso praefixas exercitiorum horas, in quibus non scriptis dictatis agitur, sed certae theses ex impresso

libro prius assignatae a studentium singulis singularibus argumentis per ordinem oppugnantur, non protractis in longum ratiociniis, sed uno ad summum aut altero argumento, quo quisque aliquod haereticorum fundamentum exponit, et a respondente discipulo, et assistente lectore solvitur. In his autem nolebat Lucas, ut examinarentur materiae, quae in ipsis scholis speculativis ordinarie traduntur, quod dicebat actum agere, sed aliae, quae vel nunquam, vel nimis raro a Theologiae speculativae professoribus dictantur, ut sunt auctoritas Ecclesiae, Summi Pontificis, Conciliorum, et librorum sacrae Scripturae, invocatio Sanctorum, cultus Imaginum, fides Purgatorii etc. in quibus nulla est inter Catholicos opinionum varietas, sed res tota cum Haereticis controversa est.

Hinc aestivi dies a festo Sanctae Mariae Magdalenae usque ad festum Nativitatis Deiparae, quo tempore valetudinis periculum est gravioribus studiis incumbere, cessantibus interea lectionibus septimanalibus, tantum disputationibus et amoeniori studio sacrarum concionum reservati sunt, et certus dies singulatim cuique praescribitur, quo juniores quidem plerumque latine, provectiores autem qua ipsis libet lingua dicere tenentur, ut et illi solidiora latine componendi ac declamandi jacerent fundamenta, et isti propius ad praedicandum populo disponerent, qui Hibernice, qui Anglice, qui Italice, qui Hispanice, qui quo melius possit idiomate, modo bene componere beneque pronuntiare judicari possit. Interim dum reliqui in Refectorio pranderent, qui sermonem se sic exercentis compendio temporis excipiunt loco lectionis mensalis; et per Superiorem deinde laudato socii profectu, vel notatis ejus defectibus, inde discunt, quid in concionando imitari, quid fugere debeant. Quemadmodum autem ante concionem semper inchoatur lectio, sic absoluto sermone indispensabiliter eam continuari curabat Lucas.

Laetabatur autem ex animo de profectu singulorum, et quos vel ingenio, vel studio, aut ulla virtute praestare cernebat, hos praeter publicam laudem peculiari aliquo praemio post actum donabat, quo et ipsis animum adjungebat, et alios incitabat ad aemulationem virtutis.

Nulli autem licebat in publicum prodire, quin prius a Lectorum aliquo privatim auditus, actione, dictioneque probaretur.

(Continuabitur).

V.
BIBLIOGRAPHIA

P. Eusebius Fermendzin, Min. Obs. — Chronicon Observantis Provinciae Bosnae Argentinae Ordinis S. Francisci Seraphici, sastavio O. E. Fermendžin, Ex-Def. Glis Ordinis. U. Zagrebu, Tisak Dioničke Tiskare 1890. In-16 Pag. 67.

Norbertus (P.) a Tux, Min. Cap. — Compendium Theologiae fundamentalis ope scriptorum P. Alberti a Bulsano aliorumque probatorum auctorum concinnavit et in usum praeprimis scholae adaptavit P. Norbertus a Tux, Ord. Cap. Prov. Tyrol. septentr. Theol. Lector. — Vol. 1. De Religione et Revelatione. In-8. Pag. VIII-332. Pretium flor. austr. 1, 80 Buchhandlung des Kath. polit. Pressvereines Brixen, Tyrol. meridion. Austria. — Volumen II. de Ecclesia edetur post trimestre.

Novum folium periodicum, in America septentr. — Revue du Tiers-Ordre et de la Terre Sainte. Bulletin publié par les Pères Franciscains de l'Observance, avec l'approbation du Ministre Général de tout l'Ordre de St. François. On s'abonne chez Mme. Faure 3585, Rue Notre-Dame à Montréal (Canada). Paraissant par livraison mensuelle de 32 pages. Prix de l'abonnement annuel $ 1.00.

VI.
NECROLOGIA

Rmus Pater Joseph Maria Larroca, Magister Generalis inclyti Ordinis Praedicatorum, die 8 hujus mensis in Domino supremum diem clausit. Rmus P. Generalis Ordinis nostri, ob

antiquam consuetudinem et fraternam amicitiam inter apostolicum Patrem Dominicum et seraphicum Patrem Franciscum in geminis eorumdem familiis perenniter protractam, singulorum Fratrum nostrorum suffragiis animam desideratissimi Patris enixe commendat.

R. I. P.

Die 29 Octobris 1890 in Conventu de *Varatojo* in Lusitania supremum diem clausit R. P. ANTONIUS A PRAESEPIO. Piis illustribusque parentibus ortus vidit primam lucem in oppido *Campo Major,* Dioecesis Elvensis, anno DOMINI 1829.

Litterarum amore allectus, et ad sacerdotium vocatum se sentiens, studiorum curriculum aggreditur, ut rite Presbyteratus ordine insigniri posset, quo emenso sacerdos est consecratus. Tunc Ulyssiponem se recepit, ubi concionatoris munus per plures annos singulari omnium admiratione et animarum lucro obivit, tamquam orator eximius salutatus.

Ipse autem, cum sciret *unum esse necessarium,* agnoscens et timens vanitatem honoris mundani, omnem curam in id contulit, ut religiosam assequeretur perfectionem. Quapropter, spreto mundo relictisque omnibus, DEO ita adspirante, ad Seminarium Varatojense Missionariorum Apostolicorum Ordinis nostri se contulit, ubi cooptari petiit et obtinuit aetatis anno 36. Tyrocinio cum laude expleto, tribus votis JESU CHRISTI cruci se confixit.

Superiorum mandatis obtemperans missionibus destinatur; ministeriumque verbi magno cum animi fervore assumpsit. Diversa obivit munera, nempe Guardiani, Praesidis, Magistri Novitiorum, in quibus tamquam memor suae professionis se gessit, at nunquam officium praedicationis praetermisit. Lustravit praecipuas regni civitates, confluente undique magno populi concursu ad eum audiendum. Plures e vitiorum coeno ad salutis viam reduxit, plures etiam ad mundi contemptum verbo atque exemplo pertraxit. Fundavit Collegium Seraphicum S. Bernardini. Postremo III. Ordinem saecularem regebat, quando extremo morbo correptus fuit.

Sacramentis munitus et corona Fratrum circumdatus placide obdormivit in DOMINO aetatis anno 61. Sequenti die solemnes exequiae habitae fuerunt, et postea, magno comitante populi concursu, qui eum tamquam magnae virtutis virum venerabatur, in publico coemeterio sepultus est.

R. I. P.

P. FRANCISCUS VANNUCCI a Nave anno 1857 natus, sacrum induit habitum anno 1872 et professionem emisit anno sequenti, in Obs. Provincia Corsicae. Post diuturnum pulmonarem morbum, quem sexdecim annos cum patientia et resignatione sustinuit, die 12 Novembris Lavasinae animam DEO reddidit, sacris munitus Sacramentis.

R. I. P.

Die 12 Decembris anni proxime elapsi in *Madridejos,* Toletanae Archidioeceseos in Hispania, diem obiit supremum Adm. R. P. BALDOMERUS SANCHEZ, apostolicae Provinciae Alcantarinae S. Gregorii Magni in Insulis Philippinis filius perquam illustris. Hujus tanti viri interitum luget praeclara Hispanorum Franciscalis Familia, cujus summa negotia Romae gerebat; luget apostolica Provincia S. Gregorii, in quam vivens praecipuo ferebatur amore, quamque ceu Theologus, ceu Magister, ceu Praeco absolutissimus illustraverat; eum denique sibi abreptum filium luget patria Consuegra, cujus in eum praecipua benevolentia ex justorum funebrium solemnitate atque ex translatione cadaveris ab urbe Matrito maximopere patuit.

Praeclarus hic noster in regione Consuegra natus IV. Cal. Martias an. 1844, a teneris annis in pietatem pronum sese ostendit, singulari vero cultu gloriosum S. Antonium de Padua prosequebatur, a quo plura munera accepta referebat, ex quibus instinctum vehementissimum ingrediendi aliquando Ordinem Franciscalem, cuius Calendis Octobribus an. 1863 in Pastranensi Conventu Provinciae Guadalaxarae habitum sumpsit. Nondum sacerdotium inierat, cum ex obedientia ad Insulas Philippinas transmeavit, ubi post parochiale munus in Palapag, qui vicus est Insulae Samarensis, assiduo ardentique zelo exercitum, a Superioribus, qui probe ingenium tanti viri suspexerant, primo Lector S. Theologiae, postea Sacrorum Canonum fuit renuntiatus.

Quanti meriti exstiterit in utraque disciplina tradenda, plurimi, qui in ejus disciplinam convenerant, alumni testantur, inter quos fere omnes adsciscendi qui nunc vigent in Provincia S. Gregorii Lectores. Nunquam e memoria excidet alumnorum, ex quibus ipse fui qui hoc μνημόσυνον grati animi ergo concinnavi, ea sollicitudo qua studii amorem ingerebat cum pietate conjunctum, quemadmodum virum franciscalem decet. Id vero maxime mirabamur, quod magna animi contentione elaboraret doctrinis S. Bonaventurae pectoribus inserendis, quem sanctitate et scientia spectabilem impense venerabatur.

Ubi sese in cathedris illustravit, Rector Collegii Pastranensis electus fuit, et postea a Rmo Commissario Generali apostolico Romam est adscitus, ad summa Sodalium Hispanorum negotia procuranda. Heic verissime innotuit quanta prudentia, dexteritate juxta ac comitate polleret noster, cum omnium animos sibi dulcissimo nexu devinxisset.

Baldomere, te in pace! et si luce jam meliori potiris, prosperitatem sacrorumque charismatum augmentum universo Ordini atque tuae Provinciae implora, quam dum vita suppeditavit, magnopere dilexisti.

R. I. P.

Adm. R. P. Vincentius Pagliariccius, Obs. Provinciae Picenae jam Lector Jubilatus, Definitor, Administer, Custos. Natus est honesto et humili loco S. Elpidii ad mare Firmanae ditionis Nonis Martiis anno 1822. Quindecim annorum aetatem quum ageret, dicto lubentissime vale parentibus, nostrum iniit Ordinem; cui sese perpetuo addixit tertio Idus Sextiles anno 1838. Paulo post Philosophiae, deinde Theologiae vacavit eo successu, ut utriusque lauream facultatis sit adeptus, easque postea docuerit haud mediocri Juvenum nostrorum progressu. Neque minus peritus Juris canonici rerumque ad nostrum S. Institutum spectantium, ut quivisset salutari magister. Probus, pius, prudens, mitique ingenio; primo licet adspectu putasses vehementer asperum, peneque mutum. Abhinc aliquot annos saepe variis afflictabatur morbis minime metuendis; quum, ecce, repente quo magis brevi cruciatu, eo captus acerbiore, quarto Idus Decembris anni 1890 in Coenobio Ripaetransonis, ubi fungebatur Quaesitoris synodalis munere, fere extemplo piam efflavit animam inter manus suorum Sodalium; qui casum egregii Patris moerebunt diutissime. Vale, dilecte Sodalis, et fervide Deum precare pro nobis.

R. I. P.

Adm. R. P. Paschalis a Catana, Lector Emeritus quasi speculum ad exemplum Reformatae Provinciae Siciliae, hilari animo praenuntiato mortis suae tempore, in amplexu imaginis Crucifixi Domini Jesu mortem justorum meruit obtinere die 16 Decembris 1890.

Natus Catanae 9 Julii 1818 ex piissimis honestisque parentibus, anno vero 1839 Regulam nostram professus, 72 annos vixit in admirationem Fratrum civiumque suorum. Amabat nesciri et pro nihilo existimari. Paupertatis aliarumque virtutum cultor vigilantissimus. Sacrae Theologiae, Philosophiae, Historiae, Geographiae ac humanarum litterarum studiis optime excultus, nec non bonarum artium probe versatus. Praedicationi deditus magis exemplo quam verbo profuit. Cappellani munus suae Parochiae, post suppressionem, maximo zelo exercuit. Toti Clero Catanensi et Dioecesis acceptissimus; praesertim Em. Cardinali Archiepiscopo, qui toto ejus aegritudinis tempore paternam curam ei praestitit.

Provincialatu prudentia et decore expleto, post biennium paralysi correptus, admirabili patientia et serenitate Deo gratias incessanter reddebat, repetens « bonum mihi, quia humiliasti me ».

Post recitationem divini Officii Officium Defunctorum, Rosarium B. Mariae V. ejusque Officium parvum et visitationem S. Viae Crucis, etiam per septennium aegritudinis suae, nunquam intermisit. — Requiescat in pace et orare dignetur pro nobis.

R. I. P.

Nihil obstat.

Fr. Aloysius, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

Februarii 1891.

EPISTOLA ENCYCLICA

RMI P. MINISTRI GENERALIS

FR. ALOYSII DE PARMA

FR. ALOYSIUS DE PARMA

ORDINIS MINORUM REGULARIS OBSERVANTIAE

SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI

S. THEOLOGIAE LECTOR JUBILATUS

PROVINCIAE BONONIENSIS JAM MINISTER

TOTIUS ORDINIS MINORUM

MINISTER GENERALIS

HUMILISQUE IN DOMINO SERVUS

Venerabilibus Provinciarum Ministris, omnibusque Fratribus et Sororibus in CHRISTO *dilectissimis, Nostrae jurisdictioni subjectis, salutem, pacem ac consolationem in Spiritu Sancto.*

Maxima cordis Nostri tristitia animique luctu, hisce Nostris litteris Vobis infaustum nuntium sumus allaturi. Die VIII hujus mensis, ut jam probe nostis, Reverendissimus Pater JOSEPHUS MARIA LARROCA, inclyti Ordinis Praedicatorum Generalis Magister, viam universae carnis est ingressus, ejusque anima, ut pie credimus, firmeque speramus, ad aeternam beatitatem admissa. Ipse utique beatus! qui cursu hujus vitae consummato, ac fide servata, tantisque miserrimi hujus saeculi superatis insidiis et periculis, coronam gloriae a CHRISTO Domino reservatam in caelis hic legitime certantibus, jam est adeptus. Attamen tanti Patris amissio innumeros Ejus filios amantissimos grandi affecit moerore, Nosque etiam ipsis summa necessitudine conjunctos. Vinculo enim charitatis Ordini Praedicatorum constricti, uti Sancti Nostri Patriarchae, DOMINICUS ET FRANCISCUS, sicuti Dominiciana fausta nostra facimus jure meritoque, ita et tristia. Unde et Nos magnam jacturam amare flevimus, et una simul precibus et hostiis, ad Altare DOMINI, cum Dominiciani Ordinis Alumnis, corde uno et ore, aeternam deprecati sumus pacem et requiem animae praestantissimi defuncti (si quid ei superesset luendum). Quod pium fraternumque opus ut praestetis et Vos, Filii Filiaeque Nobis in CHRISTO dilectissimi, quotquot adestis per orbem diffusi, hisce Nostris encyclicis litteris exoramus enixe.

Quis autem fuerit quem lamentamur amissum; quae ipse operatus et passus sit propter justitiam, incrementum et prosperitatem Ordinis sui, quem sapientia et prudentia ultra decennium rexit, ac propter Dei gloriam; quaeque Ejus mirificae dotes, qualitates, virtutes, merita; Nos equidem digne et adaequate describere nequimus. Est autem qui haec omnia perbelle enarrat, videlicet Rmus P. Joseph Ambrosius Laboré, Vicarius Generalis Ordinis Praedicatorum. Ipsum ergo audite, piisque affectibus vitam et benefacta praeclarissimi viri ad aeterna migrati apprehendite, Vestrum consolationi et aedificationi.

IN DEI FILIO NOBIS DILECTIS
ADM. RR. PP. PRIORIBUS PROVINCIALIBUS
ET CONVENTUALIBUS
NEC NON OMNIBUS PATRIBUS, FRATRIBUS AC SORORIBUS
ORDINIS PRAEDICATORUM
NOS FR. JOSEPHUS AMBROSIUS LABORÉ
PRIOR PROVINCIALIS PROVINCIAE OCCITANAE
AC TOTIUS EJUSDEM ORDINIS
HUMILIS VICARIUS GENERALIS ET SERVUS

Salutem et novissimorum recordationem.

« Exitiosum quod nuper omnes pertimebamus eventum, hodie ad vestram notitiam deferendi, Patres et Fratres dilectissimi, nostri officii munus est, quod summo animi dolore explemus. Rmum Patrem Fr. Josephum-Mariam Larroca, septuagesimum quartum Ordinis nostri Magistrum generalem, a nobis lugemus ereptum; qui Creatori suo animam pie reddidit, a. d. VI Idus hujus mensis Januarii, hora circiter secunda post mediam noctem, aetatis suae anno septuagesimo octavo, post religiosam professionem sexagesimo primo, expletis in Magisterio Ordinis annis circiter undecim, post diutinam aegritudinem, incredibili patientia toleratam.

« Ubi morbum in dies gravescentem sentiit, Rmus ipse Pater ultimis, quibus S. Ecclesia morientes filios solatur, et corroborat, ultro communiri Sacramentis petiit, fratribusque nostris, fere quotquot in Urbe commorantur, moeste adstantibus, sacro Viatico V Kal. Januarias refectus est; quintoque die post infirmorum oleo extremum inunctus est; quae sacra summa pietate, atque animi tranquillitate suscepit, dum ritualibus precibus ipse clara et firma voce responderet; subindeque tum fratribus lectulum genuflexo circumdantibus, cum ceteris omnibus per universum orbem dispersis, extensis manibus bene adprecatus est. Quod autem postea vitae superfuit, in silentio et ad Deum orationibus, ubi per vim morbi licuit, continuo insumpsit.

« Rmus P. Fr. Josephus-Maria Larroca-Estala, natione Hispanus, Sebastiani Fani in Cantabris ortus erat a. d. IV Idus Septembres MDCCCXIII. Annos vix sexdecim natus, Ordini nostro nomen in patria dedit, in coenobio ad S. Telmi, a. d. XII Kal. Novembres MDCCCXXIX. Victoriaeque in domo ad S. Dominici posito tyrocinio, insequenti anno, Nonis Novemb. solemnia Deo vota nuncupavit; annoque MDCCCXXXVI. IX Kal. Januarias, Azpeitiae sacerdotio inauguratus est.

« Anno autem MDCCCXXXIX. post Vergarense pactum, Fr. Josephus-Maria, una cum aliis multis regularibus viris, in Galliam aufugere coactus, paroeciam v. d. Basusarri in Vasconibus, dioeceseos Bajonensis, variis annis administravit. Pacatis utcumque rebus, in patriam quidem remeavit, quin tamen de antiquis super civitate sensibus, quos ad mortem integerrimus servavit, vir justus, ac propositi tenax, quid unquam remitteret: quam animi constantiam in omnibus aequis, ac praesertim in iis quae religionis sunt, vel observantiae regularis, vir rectus ac timens Deum usque retinuit.

« Ad suos redux, primum Sanctimonialibus Ordinis nostri Azpeitiae, mandato Praelatorum, conscientiarum arbitrum egit, quibus anno MDCCCL. Ubam ad Sebastiani Fanum ejus opera translatis, idem muneris apud ipsas explevit, usque ad initium anni MDCCCLX. Hoc autem anno Kal. April. jussu Rmi P. Antonii Orge, Ordinis apud Hispanos Commissarii generalis, gymnasium in oppido Corias, dioeceseos Ovetensis, erigendum curavit, in quo postea tum novitiorum institutioni praefuit, cum studiorum moderatorem, ac rectorem iterum atque iterum egit; quibus in officiis bona studia promovit, verboque et exemplo regularis observantiae diligens assertor fuit.

« Ex hoc ad majora vocatus, anno MDCCCLXVIII. XVI Kal. Octobres a novo

Commissario generali Fr. Vincentio Romero socius assumitur, quocum ad unitatem totius Ordinis sub uno eodemque capite perficiendam, omni ope adlaboravit; insequentique anno Romam missus, eo de gravi negotio, cum Ordinis Magistro bo. me. F. Vincentio Alexandro Jandel apud S. Sedem acriter egit. Quo tandem absoluto, idem Magister Ordinis Fr. Josephum M. Larroca mense Septembri MDCCCLXXII. in Urbem evocavit, socium laborum suorum pro linguae Hispanicae provinciis assumpsit, addito Provincialis Graeciae titulo, et S. Theologiae Magistrum creavit. Laudato Magistro generali mox e vivis exempto, noster a Vicario generali Fr. Josepho Maria Sanvito non solum in consuetis Ordinis negotiis occupatus est, sed et pluries ejus vices expleturus in Hispaniam missus, qui Conventus antiquos restitueret, novos erigeret, et in gymnasiis cum Hispaniae, tum Provinciae Philippinarum studia refoveret, et ordinaret; annoque tandem MDCCCLXXIX. ad Insulas Philippinas Visitator ac Vicarius generalis de gravioribus negotiis, postulante provincia, ab eodem legatus. Dum autem ibi res sibi mandatas sedulo curaret, suae ad totius Ordinis Magisterium assumptionis, Romae V Nonas Octobris ratae, Manilae nuntium accepit.

« In Europam, Urbemque paulo post reversus, munus in templo S. Mariae super Minervam Kal. Februariis solemniter auspicatus est. Quod qua prudentia, quo vitae regularis studio, qua gravitate simul ac suavitate, necnon laboris tolerantia rexerit, testes sunt omnes qui cum eo versati sunt, sive hic Romae, sive in omnibus Ordinis provinciis. Ad canonicas enim peragendas visitationes indefessus, itinera longa, laboriosaque plurima instituit, non modo ad vicinas, sed ad remotiores Europae provincias, immovero ad disjunctissimas Americae regiones, quo earumdem provinciarum, et conventuum melius, testis oculatus, statum cognosceret, eorumque necessitatibus opportunius provideret, praesertim ubi de studiis agebatur, vel de regulari observantia, qua nil antiquius habuit quam ut in primo splendore floresceret: ubi vero, fracta valetudine, ab ejusmodi laboribus prohibitus est, nonnullas per idoneos visitatores inspiciendas provincias curavit. Quorum ut citius certiusque suorum laborum finem assequeretur, generalia Ordinis comitia anno MDCCCLXXXV. Lovanii celebravit, cujus acta nostri Magistri Generalis, cum sapientiae, tum in regularem disciplinam amoris, tum animi ad bona studia fovenda propensi, perenne testimonium exstabunt.

« Nec possumus quin commemoremus ea duo praeclare ac prospere in commune Ordinis bonum gesta, quibus vitae suae Magister noster generalis veluti coronam imposuit; instaurationem scilicet Ordinis in Terra sancta, a qua saeculorum quinque tractu exsulaverat, super basilicae Protomartyris Stephani ruinis erecto coenobio; et Universitatis studiorum Friburgi in Helvetiis institutionem, cui, praeeunte Summo Pontifice Leone XIII f. r. noster, una cum aliis nobilibus atque eruditis viris, praecipuam operam contulit, et cur S. Theologiae Facultas Ordini Praedicatorum crederetur auctor fuit.

« Et hanc praeterea singularem fortunam habuit, ut dum Ordinis clavum teneret, SS. D. N. Leo PP. XIII. Litteras plures ederet encyclicas, ad commune quidem Ecclesiae bonum spectantes, sed et ad Ordinis nostri decus magnopere conducentes, tum ad D. Thomae Aquinatis doctrinae cultum promovendum, cujus etiam Doctoris Angelici opera splendide typis edenda curavit; tum ad Rosarianarum precum devotionem magis, magisque per populos diffundendam, quae ad Ordinem nostrum haereditario jure a SS. Patriarcha Dominico, velut quoddam patrimonium devenit; auctorque noster Magister generalis fuit, supplicibus ad S. Pontificem Litteris porrectis, ut invocatio in Litaniis Lauretanis, *Regina Sacratissimi Rosarii,* antea Ordini nostro propria, ad universam Ecclesiam extenderetur.

« Laudabimus ne nunc in eo, praeter eas virtutes cum civiles, tum christianas ac religiosas quarum meminimus, etiam fidei spiritum atque orationis ad Deum, modestiam, morum comitatem, simulque gravitatem, benignitatem ad omnes, et alias quibus omnium non modo existimationem, sed et amorem, maxime sodalium Ordinis sibi conciliaverat? Cujus haud ambiguae ei significationes exhibitae sunt, quum anno MDCCCLXXXVI recurrente scilicet anno quinquagesimo postquam sacerdotio initiatus sacra primum fecerat, undique terra-

rum ubi Praedicatorum Ordo constituitur, confluxerunt epistolae amantissimae, cum a fratribus, tum sororibus scriptae, carmina, elogia, cujusque generis dona ac munera certatim missa, adeo ut filios carissimi patris festum laetanti animo agentes liquido videre fuerit.

« At quia DEO acceptus erat, necesse fuit ut a tentatione probaretur, et post triumphalem palmarum diem, calicem doloris et ipse biberet. Plures fortasse vestrum audierunt quibus animi sui molestiis postremis vitae annis confectus sit, vir sine fuco et dolo. At in hujusmodi positus angustiis, curam suam omnem in DOMINO projecit, in silentio et in spe reponens fortitudinem suam.

« His mentis non minus atque corporis cruciatibus, summa patientia et humilitate perlatis, ejus animam sat expiatam eamque in gaudium DOMINI jam introisse bona spe confidimus. Attamen, ne fortasse amantissimi Patris animae, aliquid propter fragilitatem humanam, in altera vita divinae justitiae solvendum contingat remanere, eam precibus vestris, et consuetis Ordinis suffragiis enixe commendamus: praecipientes insuper ut in Martyrologio Ordinis, sub die VIII Januarii, quotannis recitandus, inscribatur *Obitus venerabilis Fratris Josephi-Mariae Larroca Hispani, septuagesimiquarti Magistri Ordinis.*

« Et ut finem huic epistolae tandem imponamus, vobis notum facimus Nos, virtute Constitutionum nostrarum, Dist. II, Cap. IV, Text. II, uti Priorem Provincialem Provinciae Occitanae, ubi Capitulum generale electionis proxime celebrandum indictum est, vices Magistri Ordinis in omnibus, licet indignos, suscipere debuisse, onerique nos subjicere, quousque novus Magister Ordinis in dicto Capitulo fuerit electus, ad quod proxime a nobis convocandi estis.

« Datum Romae, ex Aedibus nostris ad S. Sebastiani, a. d. V Kal. Februarias D. Thomae Translationi sacram, MDCCCXCI.

(L. ✝ S.) « Conservus in Domino
« Fr. Jos. AMBROSIUS LABORÉ
« *Provincialis Occitan. et Vicarius Ord.*

Reg. pag. 125.

« Fr. JOSEPHUS DOM. MARTINEZ
« *Provincialis Graeciae et Socius* ».

Et nunc, dum haec de sancto viro Vobis annuntiamus, et commendatam vestris precibus Ejus animam volumus, DEUM exoremus, ut meritis et intercessione Beatorum Patrum Dominici et Francisci, detur Dominicianae Familiae, semper illustri, suo Patre et Pastore viduatae, Supremus Moderator et Magister, qui paternarum traditionum aemulator existens magis ac magis foveat sanctam unionem, fraternamque charitatem inter nostros Ordines, Praedicatorum nempe et Minorum. Hi enim cum difficillimis temporibus Divina Providentia prodierint, « *sanctae Ecclesiae ad catholicam religionem propugnandam maxime utiles fuerunt, ad omnes labores et pericula pro orthodoxa fide subeunda parati semper exstiterunt;... Petri naviculae, tot fluctibus agitatae, et Romano Pontifici, ejus clavum non sine magna sollicitudine tenenti, fortem et fidelem operam navarunt* (1) », quia unitis viribus incesserunt. Ergo et hodie, ac sequentibus saeculis usque ad consummationem temporum, sancto et indissolubili amicitiae vinculo, nos, Dominici et Francisci alumni, conjuncti, magno erimus emolumento Ecclesiae DEI, horribili tempestate convulsae; atque a nostris familiis, « *tamquam ex fertili et bene culto solo, quotidie per* DEI *gratiam foecundae et fructuosae plantae procreabuntur* (2) », Divinae gloriae, Religionisque incremento, bono societatis, errorum profligationi, veritatis triumpho, populorum saluti, atque aedificationi corporis CHRISTI. Pergamus itaque alacriter viam Patrum nostrorum, eorumque sectemur vestigia: Divinam exoremus clementiam, ut gemini Nostri Ordines prosequantur esse cor unum et anima una, unaque veluti acies in Ecclesia CHRISTI pro veritate et justitia. Experiemur utique, quod jam experti sunt Patres nostri, et nos ipsi, quod in unione stat virtus nostra et fortitudo.

Interim vestris in orationibus mementote quotidie *Sanctae Matris Ecclesiae,* ut destructis adversitatibus et erroribus universis, secura DOMINO serviat libertate; *Summi ejusdem Capitis,* LEONIS PP. XIII, ut DOMINUS conservet Eum, vivificet et beatum faciat in terra, ac non tradat in animam inimicorum Ejus; *inclyti nostri*

(1) Sixtus PP. V, Bulla *Triumphantis Hierusalem* 14 Martii 1588.

(2) Loc. cit.

Protectoris, S. R. E. Cardinalis Joannis Simeoni, ut Ordinis Nostri prosperitati Eum Deus ad plurimos sospitet annos; et *Nostrae denique infirmitatis,* ne supremi regiminis onere oppressa succumbat, aut Franciscali familiae Nobis subjectae damno sit ac detrimento. In pignus vero Nostri paterni affectus, Vobis omnibus Seraphicam Benedictionem peramanter impertimur in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Datum Romae, ad Sanctum Antonium in Via Merulana, die XXIX Januarii MDCCCXCI.

Fr. ALOYSIUS, *Minister Generalis.*

De mandato Pat. Suae Rmae
Fr. Petrus ab Arce Papae,
Secretarius Generalis Ordinis.

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

S. CONG. EPISC. ET REGUL.

I.

DECRETUM

De manifestatione conscientiae, et de jure Confessarii quoad Moniales et Instituta virorum penitus laicorum.

Quemadmodum omnium rerum humanarum, quantumvis honestae sanctaeque in se sint: ita et legum sapienter conditarum ea conditio est, ut ab hominibus ad impropria et aliena ex abusu traduci ac pertrahi valeant; ac propterea quandoque fit, ut intentum a legislatoribus finem haud amplius assequantur: imo et aliquando, ut contrarium sortiantur effectum.

Idque dolendum vel maxime est obtigisse quoad leges plurium Congregationum, Societatum aut Institutorum sive mulierum, quae vota simplicia aut solemnia nuncupant, sive virorum professione ac regimine penitus laicorum; quandoquidem aliquoties in illorum Constitutionibus conscientiae manifestatio permissa fuerat, ut facilius alumni arduam perfectionis viam ab expertis Superioribus in dubiis addiscerent: econtra a nonnullis ex his intima conscientiae scrutatio, quae unice Sacramento Poenitentiae reservata est, inducta fuit. Itidem in Constitutionibus ad tramitem SS. Canonum praescriptum fuit, ut Sacramentalis Confessio in hujusmodi Communitatibus fieret respectivis Confessariis ordinariis et extraordinariis; aliunde Superiorum arbitrium eo usque devenit, ut subditis aliquem extraordinarium Confessarium denegaverint, etiam in casu quo, ut propriae conscientiae consulerent, eo valde indigebant. Indita denique eis fuit discretionis ac prudentiae norma, ut suos subditos rite recteque quoad peculiares poenitentias ac alia pietatis opera dirigerent; sed et haec per abusionem extensa in id etiam exstitit, ut eis ad sacram Synaxim accedere vel pro lubitu permiserint, vel omnino interdum prohibuerint. Hinc factum est, ut hujusmodi dispositiones, quae ad spiritualem alumnorum profectum, et ad unitatis pacem et concordiam in Communitatibus servandam fovendamque salutariter ac sapienter constitutae jam fuerant, haud raro in animarum discrimen, in conscientiarum anxietatem, ac insuper in externae pacis turbationem versae fuerint, ceu subditorum recursus et querimoniae passim ad S. Sedem interjectae evidentissime comprobant.

Quare SSmus D. N. Leo divina providentia Papa XIII, pro ea qua praestat erga lectissimam hanc sui gregis portionem peculiari sollicitudine, in Audientia habita a me Cardinali Praefecto S. Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus praepositae die decimaquarta Decembris 1890, omnibus sedulo diligenterque perpensis, haec quae sequuntur voluit, constituit atque decrevit.

I. Sanctitas Sua irritat, abrogat, et nullius in posterum roboris declarat quascumque dispositiones Constitutionum, piarum Societatum, Institutorum mulierum sive votorum simplicium sive solemnium, nec non virorum omnimode laicorum, etsi dictae Constitutiones approbationem ab Apostolica Sede retulerint in forma quacumque etiam quam ajunt specialissimam, in eo scilicet, quod cordis et conscientiae intimam manifestationem quovis modo ac nomine respiciunt. Ita propterea serio injungit Moderatoribus ac Moderatricibus hujusmodi Institutorum, Congregationum ac Societatum, ut ex propriis Constitutionibus, Directoriis ac Manualibus praefatae dispositiones omnino deleantur penitusque expungantur. Irritat pariter

ac delet quoslibet ea de re usus et consuetudines etiam immemorabiles.

II. Districte insuper prohibet memoratis Superioribus ac Superiorissis, cujuscumque gradus et praeeminentiae sint, ne personas sibi subditas inducere pertentent directe aut indirecte, praecepto, consilio, timore, minis, aut blanditiis ad hujusmodi manifestationem conscientiae sibi peragendam; subditisque e converso praecipit, ut Superioribus majoribus denuncient Superiores minores, qui eos ad id inducere audeant: et, si agatur de Moderatore vel Moderatrice Generali, denunciatio huic S. Congregationi ab iis fieri debeat.

III. Hoc autem minime impedit, quominus subditi libere ac ultro aperire suum animum Superioribus valeant, ad effectum ab illorum prudentia in dubiis ac anxietatibus consilium et directionem obtinendi pro virtutum acquisitione ac perfectionis progressu.

IV. Praeterea, firmo remanente quoad Confessarios ordinarios et extraordinarios Communitatum quod a Sacrosancto Concilio Tridentino praescribitur in Sess. 25, cap. 10 de Regul., et a s. m. Benedicti XIV statuitur in Constitutione quae incipit « *Pastoralis curae* »: Sanctitas Sua Praesules Superioresque admonet, ne extraordinarium denegent subditis Confessarium, quoties ut propriae conscientiae consulant ad id subditi adigantur, quin iidem Superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut aegre id ferre demonstrent. Ac ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur, ut in locis propriae Dioeceseos, in quibus mulierum Communitates existunt, idoneos Sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro Sacramento Poenitentiae recurrere eae facile queant.

V. Quod vero attinet ad permissionem vel prohibitionem ad sacram Synaxim accedendi, Eadem Sanctitas Sua decernit, hujusmodi permissiones vel prohibitiones dumtaxat ad Confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare, quin Superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam Sacramentalem Confessionem Communitati scandalo fuerit, aut gravem externam culpam patraverit, donec ad Poenitentiae Sacramentum denuo accesserit.

VI. Monentur hinc omnes, ut ad sacram Synaxim curent diligenter se praeparare et accedere diebus in propriis Regulis statutis; et quoties ob fervorem et spiritualem alicujus profectum Confessarius expedire judicaverit ut frequentius accedat, id ei ab ipso Confessario permitti poterit. Verum qui licentiam a Confessario obtinuerit frequentioris ac etiam quotidianae Communionis, de hoc certiorem reddere Superiorem teneatur; quod si hic justas gravesque causas se habere reputet contra frequentiores hujusmodi Communiones, eas Confessario manifestare teneatur, cujus judicio acquiescendum omnino erit.

VII. Eadem Sanctitas Sua insuper mandat omnibus et singulis Superioribus Generalibus, Provincialibus et Localibus Institutorum de quibus supra sive virorum sive mulierum, ut studiose accurateque hujus Decreti dispositiones observent, sub poenis contra Superiores Apostolicae Sedis mandata violantes ipso facto incurrendis.

VIII. Denique mandat, ut praesentis Decreti exemplaria in vernaculum sermonem versa inserantur Constitutionibus praedictorum piorum Institutorum, et saltem semel in anno, stato tempore in unaquaque Domo, sive in publica mensa, sive in Capitulo ad hoc specialiter convocato, alta et intelligibili voce legantur.

Et ita Sanctitas Sua constituit atque decrevit, contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 17 Decembris 1890.

J. Card. VERGA, *Praefectus*.

Fr. ALOYSIUS Epus Callinicen., *Secret*.

—

II.

DECRETUM

De Sodalitatibus Sororum habitum religiosum non deferentium, quoad conditionem et jura.

Ecclesia catholica hoc omnino habet, ut cum ad christianam fovendam pietatem, tum ad vitia exstirpanda suas vires omnes jugiter in-

tendat. Hinc nostra fera aetate, nedum verae Congregationes religiosae in magnum christianae civilisque reipublicae bonum excrevere, verum etiam aliae atque aliae fidelium piae sunt formatae societates, quae et consilia evangelica sequerentur, et charitatis officia majori libertate obirent, a quibus per temporum nequitiam exercendis religiosae familiae aut pene aut omnino prohibentur. Cum autem piae istae fidelium societates, non secus ac verae religiosae Congregationes, a S. Sede laudatae fuerint, earumque Statuta approbata, ac novae insuper societates hujusmodi approbari postularent, de earumdem societatum natura, deque S. Sedis mente in illis approbandis coeptum est disputari.

Qua de causa in generali S. R. E. Cardinalium Congregatione EE. et RR. de mandato SSmi D. N. Leonis Pp. XIII duo haec quaesita sunt:

I. Utrum expediat, ut S. Congregatio Episcoporum et Regularium Decretum laudis aut approbationis concedat Institutis illis, quae praeter Sorores in Communitate viventes, habent obstrictas votis simplicibus sive temporaneis sive perpetuis alias Sorores, quae propriis in domibus vivunt, quin signum aliquod prae se ferant externum, per quod innotescat eas membra esse alicujus regularis Instituti.

II. Utrum expediat, ut eadem S. Congregatio concedat Decretum laudis aut approbationis Institutis illis, quorum membra, etiamsi in Communitate vivant, nullum tamen ejusdem Instituti signum prae se ferunt, quinimo student occultare tam Institutum ipsum quam ejus naturam.

Porro in plenaria Congregatione habita in Palatio Apostolico Vaticano die XXI mensis Junii anni MDCCCLXXXIX, Eminentissimi Patres decreverunt: — Sacra Congregatio quando laudat vel approbat hujusmodi Instituta, etiam sub expresso Congregationum nomine, ea intendit laudare aut approbare non quidem uti Religiones formales votorum solemnium, neque etiam ut formales seu veras religiosas Congregationes votorum simplicium, sed tantum uti pias sodalitates, in quibus praeter alia quae juxta hodiernam Ecclesiae disciplinam desiderantur, nec religiosa professio proprie dicta emittitur, sed vota, si quae fiant, privata censentur, non publica nomine Ecclesiae a legitimo Superiore accepta. Haec insuper sodalitia laudat vel approbat S. Congregatio sub essentiali conditione quod plene perfecteque respectivis Ordinariis innotescant, ac eorum omnino subsint jurisdictioni. Denique harum sodalitatum membra, quamvis nullum regularem habitum deferant, attamen satagant ut in seipsis non sit... *indumenti vestimentorum cultus* (I. Pet. III, 3.) nec aliquid quod cujusquam offendat adspectum, sed quod decet religiosas personas, *promittentes pietatem per opera bona* (I. Tim. II, 10); caveantque ne, quod per spiritus prudentiam occulitur, per prudentiam carnis in culpabilem simulationem degeneret.

Hoc autem Decretum Sanctitas Sua ratum habuit ac confirmavit, et in hujus generis Institutorum Statutis inseri praecepit, in Audientia habita a me Cardinali Praefecto praelaudatae S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die XI Augusti MDCCCLXXXIX.

J. Card. Verga, *Praefectus.*
Fr. Aloysius Epus Callinicen., *Secret.*

—

S. C. SUPER STATU REGULARIUM

RESCRIPTUM

Quo declaratur Professos votorum simplicium in Superiores valide eligi non posse.

Beatissime Pater,

Fr. Diomedes a Pescoconstantio, Procurator Generalis Minorum Reformatorum, ad pedes S. V. provolutus, ut e medio omne dubium in re gravis momenti tollatur, sequentia, pro opportuna declaratione, humillime submittit.

In Decreto a S. Congregatione super Statu Regularium, diei 12 Junii 1858, Apostolica auctoritate edito, circa jura, quae professis votorum simplicium competunt: ad n. VI. decernitur, quod *professi dictorum votorum simplicium participes erunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus professi votorum solemnium in memorando Ordine legitime utuntur, fruuntur et gaudent.* Immo in n. VIII. additur: — *anni professionis, qui in dicto Ordine requiruntur, ut quis voce activa et passiva gaudeat, et ad officia*

admitti possit, a die emissionis votorum simplicium computentur.

Hinc quaeritur:

Utrum professi votorum simplicium, qui ex allato Decreto, quoad jura tam gratiarum et privilegiorum, quam vocis activae et passivae professis votorum solemnium aequiparantur, ut professi votorum solemnium in Praelatos seu in Superiores in eodem Ordine licite et valide eligi possint et valeant.

Sacra Congregatio Emorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium super Statu Regularium, omnibus mature perpensis, super praemissis censuit rescribendum « *Negative* ».

Datum Romae, ex Secretaria praefatae Congregationis, hac die decima sexta Januarii 1891.

† Fr. Aloysius Epus Callinicen., *Secret.*

—

S. RITUUM CONGREGATIO

DECRETUM

De validitate processus Ordinarii Augustani super Ven. Servae Dei *Crescentiae Hoessin miraculis.*

AUGUSTANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVAE DEI

SOR. CRESCENTIAE HOESSIN

MONIALIS PROFESSAE TERTII ORDINIS S. FRANCISCI

IN MONASTERIO KAUFFBURANO

Quum per Decretum Sacrae Rituum Congregationis sub die 16 Junii MDCCCLXXXVII a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII jam indultum fuisset, ut in Ordinariis Sacrae ejusdem Congregationis Comitiis absque interventu et voto Consultorum agi valeret de validitate Processus Apostolica auctoritate in Curia ecclesiastica Augustana constructi super miraculis praefatae Ven. Servae Dei Crescentiae Hoessin; ideo ad instantiam Rev. Patris Fr. Candidi a Camerino, Sacerdotis Professi et Postulatoris Generalis Causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei Ordinis S. Francisci de Observantia, a me infrascripto Cardinali Sacrae eidem Congregationi Praefecto, loco et vice Emi et Rmi Dni Cardinalis Miecislai Ledochowski Causae ipsius Ponentis, in speciali Ordinario ejusdem Sacrae Congregationis Coetu juxta peculiares Sanctitatis Suae dispositiones die 20 Novembris 1878 editas constituto, subsignata die ad Vaticanum coadunato sequens dubium propositum fuit, nimirum: « *An constet de validitate Processus Apostolica Auctoritate Augustana in Curia constructi super Ven. Servae* Dei *miraculis; testes sint rite et recte examinati, ac jura producta legitime compulsata in casu, et ad effectum de quo agitur* »? Sacra porro eadem Congregatio, omnibus accurato examine perpensis, post auditum voce et scripto R. P. D. Augustinum Caprara S. Fidei Promotorem, rescribere rata est: *Affirmative, facto verbo cum Sanctissimo, praevia sanatione quorumdam defectuum et praecipue omissae inspectionis sanatae infirmae Rosae Heinberger; et attestatio doctoris Meyer de specie et gradu morbi Crescentiae Fichtel loco adminiculi habeatur.* Die 4 Decembris 1890.

Facta postmodum de praemissis per subscriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis in omnibus ratam habuit et confirmavit, expetita sanatione insimul impertita. Die 16 iisdem mense et anno.

C. Card. Aloisi-Masella, *S. R. C. Praef.*

L. † S.

Vincentius Nussi, *Secretarius.*

—

NOVUS EPISCOPUS EX ORDINE

Per Breve diei XXIII Decembris anni proxime elapsi 1890, electus est episcopus Ecclesiae Pulatensis in Albania Rmus P. Nicolaus Marconi, Ref. Prov. S. Vigilii in Tyrolo filius, qui a pluribus annis in Missionibus Albanensibus sacrum ministerium laudabiliter exercuit.

II.

ACTA ORDINIS

CAPITULA PROVINCIALIA

Anno 1890 celebrata.

XXVI.

Obs. Provincia SS. Trinitatis in Rep. Chilena.

Capitulum Provinciale nostrae Obs. Prov. SSmae Trinitatis, in Republica Chilena celebratum est die 15 Octobris 1890 in Conventu maximo B. M. V. de Succursu, Praesidente Adm. R. P. JOANNE BAPTISTA REINOSO, Visitatore Generali; in quo quidem electi fuerunt:

MINISTER PROVINCIALIS

Adm. R. P. Isaias Nardocci, Ref. Prov. Seraphicae filius et jam Commissarius Glis in Republica Chilena (1).

CUSTOS

R. P. Raymundus Carrera.

DEFINITORES

R. P. Michael Toro.
R. P. Joannes B. Labra.
R. P. Carolus Maria Bianchi.
R. P. Joannes B. Diaz S.

CAPITULA PROVINCIALIA

Hoc anno 1891 celebrata.

I.

Obs. Prov. Vallis Nethi in Sicilia.

Die 29 Januarii 1891 in Congressu Definitorii Generalis nominati et electi sunt:

(1) Exorto dubio de validitate praefatae electionis, quia Minister electus Observantis Provinciae Chilenae ad Reformatam Provinciam pertinebat, et responso accepto a S. C. de Propaganda Fide super interpretatione Num. CXIII Constitutionis Pianae « *Apostolica Sedes* », qua reguntur Collegia Missionariorum in America, quaesita fuit a S. Congregatione Episcoporum et Regularium ejusdem electionis sanatio; Sacra vero Congregatio benigne concessit Ministro Generali cum suis Definitoribus opportunas facultates ad effectum de quo agitur; et in Congressu diei 23 Januarii nuper elapsi Rmum Definitorium praefatam electionem sanavit ac confirmavit.

MINISTER PROVINCIALIS

Adm. R. P. Salvator a Melilli.

CUSTOS

Adm. R. P. Alexander Brancati.

DEFINITORES

R. P. Caelestinus a Licordia.
R. P. Aloysius Antonius ab Avola.
R. P. Jesualdus a Ragusio.
R. P. Seraphinus a Ragusio.

ELECTIO P. POSTULATORIS

Pro Causis servorum DEI *Fratrum Minorum Excalceatorum.*

Vacante officio Postulatoris in Causis Sanctorum Fratrum Minorum Excalceatorum, in Congressu Definitorii Generalis diei 8 Januarii proxime elapsi, electus est ad hujusmodi officium Adm. R. P. JULIUS A JESU ET MARIA, Disc. Provinciae Neapolitanae Ex-Minister et actu Definitor Generalis Ordinis.

CAUSAE SANCTORUM ORDINIS NOSTRI

XX.

Servi DEI P. PAULI A RECINETO *Sacer. Primi Ordinis.*

Recineti in Marchia Anconitana, die 26 Augusti anno 1761, DEI famulus ortum habuit ex catholicis piisque parentibus, qui ei in sacro regenerationis lavacro Pauli nomen imposuere. Placuit DEO, bonorum omnium largitori, puerulum hunc eximia venustate corporis exornare, certo ut vultus species animae simul pulchritudinem quodammodo referret. Pollebat enim egregia indole, suavitate morum atque ad studium aptitudine et proclivitate; nil ergo mirum si, factus adolescens, sub optima parentum disciplina ac Magistrorum solertia in schola tum virtutum, tum disciplinarum multum profecerit: vix enim expleto aetatis suae anno decimoquinto latinam graecamque linguam, nec non rethoricam probe noscebat. Inter ceteras virtutes, modestiam summopere excoluit: fertur enim inter alia quod, dum adhuc esset adolescentulus, Lauretum ductus ad Sanctuarium B. MARIAE Virginis, praetereun-

tium laudes fastidiens, flavam pulcherrimamque comam sibi abscidit. Unde etiam de eo dici potest, quod jam de S. Bernardino Senensi dictum est, nempe castitatem, egregia forma repugnante, sanctissime custodivisse.

Interea Recinetum venit Bartholomaeus Del Monte, vir doctrina et sanctitate conspicuus, qui, divino afflante Spiritu, verbum Dei tanto fervore praedicavit, ut uberrimos fructus ex suis laboribus collegerit. Quum illum Paulus noster audivisset, amore virtutis magis ac magis accensus, mundi illecebras omnino effugere statuit, et ad tranquillitatem alicujus Coenobii convolare; ubi, a terrenis curis semotus, omne studium impenderet, futuramque ac manentem civitatem sibi acquireret. Parentes vero, qui tenere Paulum adamabant, id aegre audiunt; ast tandem a pluribus, et quidem supernaturalibus signis Dei voluntate cognita, libentissime annuunt, et Religiosis plaudentibus, quibus adolescentis pietas, candor et sancta indoles nota erant, die 14 Novembris 1777, Coenobium Minorum de Observantia Fabriani ingressus est, in quo religiosum habitum assumpsit. Expleto Novitiatus anno, non sine maxima omnium laude et admiratione professionem emisit. Postea vero Anconae ex Superiorum obedientia philosophicis ac theologicis studiis animum mentemque adhibuit, ut divina et humana fultus scientia suo tempore ad sacerdotium ascendere ac sacerdotalia munia probe obire valeret. Profectui in scientiis spectatissimam vitae rationem semper consociabat; adeo ut ob assiduum virtutis et scientiae studium, ob perfectam Regulae observantiam ceteris omnibus exemplo esset. Sacerdotio initiatus, nullum pietatis ac religionis limitem admittere visus est, atque ad salutem animarum curandam totum se dedit.

Post aliquot annos, cum Ancona terra marique obsidione premeretur, factum fuit ut innocens P. Paulus a nefariis hominibus criminis cujusdam accusatus, ad arcem urbis captivus perduceretur. Durissimis laboribus subjectus, injuriis et contumeliis affectus, inimicorum fulmineis ictibus expositus, omnia patientissime tulit; donec Gallorum militum Dux de ejus innocentia certior factus, illi libertatem restituit. Ad suos reversus, per inceptum iter virtutum perrexit, quarum suavissimus odor per urbes finitimosque pagos adeo diffundebatur, ut complures eum inviserent, valetudinem corporis aliaque beneficia impetraturi, neque frustra. Paulo post Magister Novitiorum in Conventu Fabriani, ubi vitae religiosae cursum coeperat, electus est; quod quidem munus, etsi humilitatis gratia fortiter recusaret, obedientia tamen inductus suscepit: ibique vere dignus apparuit, ut tamquam lucidissimum virtutis exemplum juvenibus proponeretur. Interea cum jam seditiosi tumultus etiam per Italiam exarsissent, P. Paulus una cum aliis omnibus Religiosis e claustro expulsus est; unde in patriam reverti cogitur, semper tamen perfectioni suiipsius animarumque saluti intentus. Post hanc saevam procellam, religiosis Ordinibus in integrum restitutis, Servus Dei statim ad Coenobium convolavit, ac pristinum ministerium reassumpsit, non autem Fabriani, verum apud Podium Urceani, ubi per undecim integros annos permansit. Tandem Superiorum dispositione, quibus semper addictissimus fuit, Conventui Montis Cassiani prope Maceratam praeficitur. Quo munere paulo post resignato, eodem in loco Confessarius Monialium Clarissarum per plures annos exstitit; semper et ubique ejus animi candor, simplicitas, modestia et perfecta virtus enituit, ita ut sanctus ab omnibus jam haberetur; eo vel magis quod Deus ipse donis supernaturalibus Servum suum exornaverit.

Sed jam gravis aetate, laboribus fractus, ac crurum morbo, quo jam dudum laborabat, recrudescente, finem vitae suae praesensit. Ast, quo magis ob infirmitatem corpus consueta officia recusabat, eo magis animus velox ad Deum convolabat; et ab assidua cum Deo locutione tranquillitatem, et in rebus asperis fortitudinem hauriebat. Bellum assiduum passionibus indicens, de singulis usque triumphavit, et nihil in eo nisi rectum sanctumque repertum fuit. Mense Januarii anno 1842 adeo morbus saevit, ut eum in lectulo perpetuo defigeret; ipse vero, oculis ad caelum sublevatis, invicta animi fortitudine et patientia gravissimos morbi dolores perferebat. Die demum 2 Junii, cum jam octogesimum aetatis annum explesset, plenus meritis et virtutibus ad propositam sibi mercedem convolavit.

Vix vulgata Servi Dei morte, protinus magnus concursus ad ejus funus factus est. Omnes illum conspicere, tangere, manum tunicamque deosculari certatim quaerebant; ita ut vix daretur via ad venerabilis viri corpus ob confertam multitudinem capillos vel frustula vestis petentium. Neque solum rudes homines convenerunt, verum etiam clarissimi viri et Ecclesiastici, omnes uno verbo: ingens propterea pompa, extraordinarius concursus, magnaque devotio. Unde fama ejus sanctitatis, quae dum viveret grandis erat, post mortem mirum in modum aucta est, non solum penes vulgus, sed et apud homines doctos, nobiles, vel ecclesiastica dignitate conspicuos. Neque angustiis limitibus obstricta, verum per multos pagos, oppida civitatesque pervasit, et usque in praesens constans ac integra perseverat. Ita ut vere de eo dici potest: Immortalis est memoria illius, quoniam apud Deum nota est et apud homines.

Nihilominus Processus, quem *Informativum* vocant, super virtutibus et miraculis Servi Dei nonnisi anno 1875, in Curia Recinetensi-Lauretana inceptus est; atque post sex annos circiter ad finem feliciter adductus, Romam allatus et apud Sacrorum Rituum Congregationem depositus. Paulo post brevis Processus super *Non Cultu* ei praestito pariter confectus est. Nunc vero fit *Perquisitio Scriptorum* ejusdem illis in locis, ubi diu est immoratus; atque ut tandem Causa *introducatur,* pro viribus ab iis, ad quos spectat, curatur.

Jam ab anno 1880 exstat Compendium vitae Servi Dei ab Adm. R. P. Pacifico, concive suo, pie fideliterque conscriptum. Quod etiam apud Postulationem Generalem acquiri potest.

—

SYNOPSIS INDULGENTIARUM

IN COMMODUM FRATRUM ORDINIS NOSTRI.

In commodum et utilitatem nostrorum Fratrum agere proposuimus in his « *Actis Ordinis Minorum* » de caelesti thesauro Indulgentiarum, quibus, ut cuique notum est, fideles omnes uti ac juvari maxime possunt sive ad exsolvendum in hac vita temporalem suorum peccatorum poenae reatum, sive ad Defunctorum animas piacularibus poenis detentas sublevandas. Post lugendam enim Religiosorum Ordinum suppressionem et subsequentem amissionem ac dispersionem suarum Bibliothecarum, haud amplius pluribus ex nostris Consodalibus, praesertim in Italia, praesto sunt vel magna volumina, vel recentiores super re S. Sedis decisiones, vel media quibus sibi comparari queant sive libri, sive periodicae publicationes, quae de hac gravis momenti materia tractant.

Dum autem hujusmodi propositum patefacimus, Confratres nostros monemus, mentem nostram non esse, ut omnia quae de Indulgentiis dici possunt, exponamus (hoc enim nedum limites hujus periodici excedit, verum etiam longum studium magnumque laborem exigit); sed ea tantummodo colligere et veluti in unum congerere, quae scitu magis necessaria existimantur, vel propius ad Ordinem nostrum referuntur. Quod quidem non est ingenii opus, sed potius patientiae meritum, cum totus labor in eo sit positus, ut quaerantur ac insimul disponantur, in quantum ad rem nostram faciunt, decisiones SS. Congregationum. Ne cogamur quoad citationes eadem fere semper repetere, sufficiat hic ab initio monere, fontes, ex quibus ut plurimum decisiones S. Sedis deprompsimus, esse vel opus, cui titulus: *Decreta authentica, aut Rescripta authentica* S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae; — vel *Synopsis Canonico-Liturgica* Aloysii Adone; — vel *Collectanea* S. Sedis; — vel *La Raccolta;* vel, quatenus hae desunt, sententiae communes vel communiores probatorum Auctorum allegantur.

Tribus capitibus materiam absolvemus, in quorum primo de natura et partitione Indulgentiarum, ac de auctoritate eas concedendi et publicandi agemus. — In secundo de conditionibus ad eas lucrandas. — In tertio summarium exhibebimus illarum Indulgentiarum, quae Summorum Pontificum benignitate Ordini Minorum concessae sunt, vel aliquo modo ad eumdem referuntur. — Cum autem de Indulgentiarum natura, divisione, deque auctoritate eas concedendi omnes Theologi abunde tractent, nos haud putamus super re multum immorari. Ideo paucis primum caput expediemus.

Caput I.

De natura et partitione Indulgentiarum, deque auctoritate eas concedendi.

1. Ex doctrina catholica constat, peccatori poenitenti, post culpae remissionem et poenae aeternae condonationem, superesse ordinarie obligationem aliqua temporali poena divinae justitiae satisfaciendi vel in praesenti vel in altera vita; et poena temporalis, expianda quoque in hac vel in altera vita, debetur etiam cuilibet peccato veniali. Jam vero Dominus noster in sua infinita misericordia disposuit, ut fideles ab his temporalibus poenis liberari possint vel ex toto vel ex parte: *in praesenti vita,* tum operibus satisfactoriis, quae ipsi compleant; tum sanctis Indulgentiis, quas *per modum absolutionis* Ecclesia eisdem fidelibus concedit, ut ipsi lucrentur. — *In altera vero vita* per applicationem earumdem Indulgentiarum animabus Purgatorii *per modum suffragii* factam. Hinc patet quid sit Indulgentia.

2. *Definitio.* Indulgentia est remissio poenae temporalis Deo pro peccatis quoad culpam condonatis debitae, quam per applicationem thesauri Ecclesiae ecclesiastica auctoritas extra Sacramentum Poenitentiae fidelibus concedit. — Ex qua definitione pronum est colligere:

a) Effectum Indulgentiarum non esse remittere peccatum neque mortale, neque veniale, sed poenas temporales, quae saepe remanent luendae post earumdem culparum remissionem.

b) Subjectum Indulgentiarum esse fideles adultos rite dispositos, et etiam animas in Purgatorio degentes.

c) Ministrum legitimum pro universa Ecclesia esse Romanum Pontificem, ac Episcopos in propria Dioecesi intra limites sibi constitutos.

d) Ejusmodi remissionem fieri extra Sacramentum Poenitentiae, cum non eveniat virtute alicujus Sacramenti, sed per applicationem thesauri ecclesiastici.

e) Eamdem remissionem valere non solum in foro Ecclesiae, ut loquitur D. Thomas, sed etiam in foro Dei.

f) Indulgentias dari virtute clavium, quibus applicantur satisfactiones Christi, B. Mariae Virginis et Sanctorum, quae constituunt *Ecclesiae thesaurum* (1).

3. *Divisio.* Multipliciter Indulgentia distinguitur:

1.° Alia est *plenaria* seu *totalis,* quae ab omni poena temporali liberat. Alia *non plenaria* seu *partialis,* quae a parte tantum poenae liberat, ut sunt *septenae, quadragenae* etc., quibus intelligitur relaxari illam poenam, quae relaxaretur per jejunium septem annorum aut quadraginta dierum in pane et aqua juxta canones poenitentiales olim imponi solitum.

2.° Alia est *localis,* quae affixa est alicui loco, v. g. Ecclesiae, Oratorio etc. Alia *realis,* quae adnectitur alicui rei mobili seu portatili, v. g. cruci, coronae, numismati etc. Alia *personalis,* quae independenter a loco et re conceditur directe et immediate personis, v. g. orantibus, communicantibus, tali Confraternitati vel religiosae familiae etc. — Ut per se patet, Indulgentiae tam locales quam reales adnectuntur quidem *immediate* pio loco vel rei mobili, sed *mediate* conceduntur fidelibus, talem Ecclesiam v. g. visitantibus, aut tale objectum penes se devote habentibus. Realis insuper est fere semper etiam personalis, quatenus nempe plerumque solus dominus rei, cui adnexa est Indulgentia, eam lucrari valeat.

3.° Alia est *temporalis,* quae ad tempus determinatum; alia *perpetua,* quae in perpetuum vel sine ullo termino praefixo conceditur.

4. Inter Indulgentias celebris est illa, quae sub nomine *Jubilaei* venit. Jubilaeum idem est quoad effectum ac caeterae Indulgentiae ple-

(1) In omni opere bono justorum duplex inest valor sive pretium, *meriti* scilicet et *satisfactionis.* Meritum refertur ad consequendum *praemium;* satisfactio ad extinguendum *debitum.* Opus bonum, qua meritorium est, non potest aliis applicari; potest tamen, qua satisfactorium. Justorum opera, quatenus sunt *meritoria,* Deus superabundanti compensat *praemio.* Quatenus vero sunt *satisfactoria,* ea acceptat ad delendum *debitum.* Quod si debitum excedunt, ideoque superabundant, Deus non praemio illa compensat, cum satisfactio non referatur ad praemium, et eorum valori meritorio cumulatissime sit satisfactum, sed ea asservat ad extinguendum aliorum debitum. Ex hoc patet *satisfactionem* non idem esse, si proprie loqui velimus, ac *meritum.* Sed quia eadem opera solent esse meritoria simul et satisfactoria, ideo communiter nomina satisfactionis et meriti promiscue usurpantur, et dici solet, Indulgentias conferri per applicationem meritorum Christi et Sanctorum.

nariae, a quibus proinde *accidentaliter* tantum differt, ratione scilicet solemnitatis et privilegiorum, quae ipsi adnectuntur, ut sunt facultates Confessariis collatae absolvendi a quibusdam casibus reservatis, commutandi aliqua vota simplicia etc. Quare definitur: *Indulgentia plenaria solemnis cum privilegiis adnexis, a Summo Pontifice concessa fidelibus certa pia opera peragentibus.*

5. *Divisio.* Jubilaeum varie distinguitur:

a) Jubilaeum *majus,* seu *ordinarium,* quod regulariter occurrit omni anno vigesimo quinto, qui *Annus sanctus* vocatur.

b) Jubilaeum *minus,* seu *extraordinarium,* quod conceditur a Summis Pontificibus post uniuscujusque exaltationem, vel in aliis peculiaribus circumstantiis. — Jubilaeum majus concedi solet *Urbi,* seu *Romae soli,* per integrum annum, quo expleto, ad universum Orbem extenditur; secus Jubilaeum minus.

c) Jubilaeum *generale,* quod conceditur universo Orbi, ut Jubilaeum majus, ac saepe etiam Jubilaeum minus.

d) Jubilaeum *particulare,* seu in *forma Jubilaei,* quod conceditur alicui Provinciae, civitati, vel communitati etc.

6. Indulgentiae applicantur fidelibus vivis *per modum absolutionis,* quae tamen annexam habeat *solutionem* ex thesauro satisfactionum CHRISTI et Sanctorum. Defunctis autem *per modum suffragii,* seu simplicis solutionis, quatenus nempe rogatur DEUS, ut benigne velit eas acceptare et animabus Purgatorii applicare. Ratio discriminis est, quia animae defunctorum non amplius subduntur, sicut fideles viventes, jurisdictioni Ecclesiae; ideo Ecclesia nequit eas absolvere a poenis veluti per sententiam sive absolutionem judiciariam. Est communis cum Doct. Seraph. S. Bonaventura. (Lib. IV Sent. Dist. XX q. V).

7. Licet ex dictis tam viventes quam defuncti subjecta capacia sint Indulgentiarum, tamen hoc inter utrosque interponitur discrimen, quod respectu viventium Theologi communiter *infallibilem* dicant Indulgentiarum effectum, si nihil obstet aut ex parte dantis, aut ex parte recipientis, aut ex parte causae, cum illa vera sit absolutio ac solutio, quae ex vi clavium divinitus Ecclesiae collatarum provenit. Ast non ita cum de animabus Purgatorii agitur. Theologi enim in duplicem abeunt sententiam: alii affirmantes Indulgentias infallibiliter prodesse defunctis, alii negantes. Hoc tamen pro certo haberi debet, Indulgentias, saltem ut plurimum, prodesse defunctis; secus enim aliquid inutile ageret Ecclesia, eas illis applicando; quod sane absque impietate dici nequit.

8. Ut Indulgentiae applicari possint animabus Purgatorii, duae speciatim requiruntur conditiones: 1.° ut tamquam illis *applicabiles* in Rescripto Apostolico concedantur; 2.° ut adsit intentio talem applicationem faciendi, quae utique fieri potest vel uni aut pluribus defunctis, vel omnibus animabus Purgatorii, cum suffragia sint divisibilia, ac proinde in omnes animas distribui possint.

9. Cum effectus Indulgentiarum sit remittere non culpas, sed poenas temporales, consequitur, peccatum veniale non remissum quoad culpam, non posse remitti quoad poenam. Illud tamen veniale non impedit quominus remittatur poena debita aliis peccatis jam deletis. Sicut enim non repugnat culpam alicujus peccati venialis remitti, quin aliorum culpa remittatur; sic nec repugnat deleri poenam venialium aut mortalium remissorum, quamvis solvenda remaneat poena pro uno aut pluribus venialibus. Peccatum ergo veniale, quoad culpam non remissum, posset esse obex ad lucrandam Indulgentiam *omnino* plenariam, seu *plenissime* plenariam (Vid. S. Alph. l. 6, n. 534 etc.).

10. Ministris clavium tantum, iis nempe, qui jure divino Ecclesiae praesunt, competit *potestas concedendi Indulgentias.* « Et ideo, ad rem Doctor Angelicus (Suppl. q. 26. a. 3.), potestas faciendi Indulgentias plene residet in Papa, quia potest facere prout vult, causa tamen existente legitima; sed in Episcopis est taxata secundum ordinationem Papae, et ideo possunt facere secundum quod eis est taxatum, et non amplius ». Hinc

1.° Romanus Pontifex tantum, utpote qui solus habet in Ecclesia plenitudinem potestatis et jurisdictionem in fideles universos, concedere potest Indulgentias *plenarias,* vel *toti orbi* catholico. Eas tamen concedit vel per se, vel per suos delegatos. Item solus Papa concedit Indulgentias, quae sint defunctis applicabiles.

2.° Episcopi (non tamen titulares) possunt ex Lateranensi IV concedere suis subditis Dioe-

cesanis Indulgentiam 40 dierum; Indulgentiam autem *unius anni* in dedicatione Ecclesiae. Has etiam Religiosi exempti lucrari possunt, quia, ut ait Dens apud Scavini, et pluribus rationibus demonstrat Ferraris: de Indulg. art. 11. n. 11, non obstat privilegium exemptionis, quominus in re favorabili se subjiciant Episcopis.

3.° Cardinales elargiri possunt Indulgentias 100 dierum in Ecclesiis suorum titulorum (Ferraris a. 11. n. 23) Gury, Clemens Marc.

4.° Nuntiorum et Legatorum hac in re facultates ex litteris apostolicis dignosci debent.

5.° Praelati Episcopo inferiores non possunt ullas Indulgentias concedere, nisi ex expressa Pontificis vel Episcopi delegatione.

(Continuabitur).

III.
MISSIONES

—

CAPITULA COLLEGIORUM APOSTOLICORUM IN AMERICA

II.

Colleg. Apost. de Tarija in Rep. Boliviana.

Die 22 Nov. anni proxime elapsi 1890 celebratum est capitulum Guardianale Collegii ad S. Mariam Angelorum in civitate *Tarija*, praeside Adm. R. P. Josepho Giannelli, Commissario Generali pro Collegiis Boliviae, et canonice electi sunt:

Guardianus Collegii

R. P. Sebastianus Pifferi.

Praefectus Missionum

R. P. Nazarenus Dimeco.

Discreti

R. P. Zephyrinus Muzzani.
R. P. Dionysius Guerrini.
R. P. Dorotheus Gianecchini.
R. P. Gervasius Costa.

III.

Collegium de Ica in Rep. Peruana.

Die 15 Decembris nuper elapsi celebratum est guardianale Capitulum Collegii de Propaganda Fide civitatis *Ica* in Rep. Peruana, praeside Adm. R. P. Joseph Vidal, Commissario Generali, et canonice electi sunt:

Guardianus

R. P. Joseph Revull.

Discreti

R. P. Bernardinus Damaré.
R. P. Franciscus Usaola.
R. P. Joachim Estrach.
R. P. Antonius Falconi.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

—

Doctoris Seraphici S. Bonaventurae. — Opera omnia, jussu et auctoritate Rmi P. Aloysii a Parma, totius Ordinis Minorum S. P. Francisci Ministri Generalis, edita studio et cura PP. Collegii a S. Bonaventura, ad plurimos codices mss. emendata, anecdotis aucta, prolegomenis, scholiis notisque illustrata. Tomus V. In 4.° gr. pag. LXIV, 606. Fr. 20.

In quinto nostrae omnium operum S. Bonaventurae editionis volumine collecta sunt omnia diversi generis opuscula, quae ad ejusdem theologiam speculativam et scholasticam illustrandam servire possunt.

Praeter notissima et summis laudibus elata opuscula *Breviloquii, Itinerarii mentis in* Deum et *de Reductione artium ad theologiam*, quae ad normam antiquissimorum codicum castigata sunt, cetera ejusdem tomi opuscula vel penitus hucusque incognita erant, vel edita in solo parum divulgato Supplemento P. Benedicti Bonelli, vel denique in praecedentibus editionibus ita erant vitiis, interpolationibus lacunisque deformata et obscurata, ut absterrerent a lectione et ob caliginem eis offusam vix certum seraphici auctoris vestigium retinerent; unde factum est, ut a quibusdam eruditis viris inter opera spuria vel saltem dubia relegarentur. Hoc dicendum est imprimis quoad *Collationes in Hexaëmeron* a S. Bonaventura non scriptas, sed ex ore dicentis ab auditoribus exceptas, quae intolerandis vitiis in omnibus editionibus deformatae erant. Has igitur Collationes gravissimis sententiis refertas ad normam antiquorum codicum improbo labore ita correctas exhibemus, ut quasi nova forma indutae appareant.

Prorsus ignotae et a P. Fidele a Fanna b. m. primum detectae fuerunt *Quaestiones disputatae* a nobis hic integrae editae, quae tertiam hujus voluminis partem explent atque doctrinae excellentia valde eminent. His scriptis ineditis accedunt praeter tres Sermones novem *Collationes de septem donis Spiritus sancti*, quarum tantum *epitome* quaedam a praedicto Bonelli publicata erat.

Pleraque quinti voluminis opuscula tum copia doctrinae excellunt tum eminenti modo exprimunt indolem et spiritum seraphico Doctori proprium.

In Prolegomenis hujus tomi copiosis rationibus S. Bonaventurae vindicantur opuscula in ipso contenta, simulque probatur, plura alia de rebus theologicis scripta, quae in praecedentibus editionibus continentur, falso eidem tribui.

Tomus separatus, qui continet plures indices copiosos rerum, quae sunt in quatuor voluminibus magni Commentarii in libros Sententiarum, ex parte jam typis impressus est; sed ne accuratio laboriosi operis detrimentum patiatur, editionem non praecipitandam esse putavimus.

In sexto et septimo tomo publicabuntur Commentarii nostri Doctoris in plures libros sacrae Scripturae, in octavo opuscula ascetica et ad statum religiosum spectantia; ultimo loco ponentur Sermones, quorum magna pars est anecdota.

EDITORES.

Anonymus, Min. Obs. — Nozze d'Argento di Sua Eccell. Rma Mons. Amato Pagnucci Vescovo titolare d'Agatonica, Vicario apostolico del Chen-si settentrionale 1891. — Verona, tipolitografia Sordomuti, 1891. In 4, pag. 32.

Anonymus Capuccinus. — Catecismo de N. S. Regla, dedicado a los H. H. Coristas y Legos Capuchinos de las Provincias de España, por un Religioso Capuchino de la Provincia de la Madre de Dios. — Roma, tip. Vaticana, 1890. In 16, pag. 114.

Anonymus Capuc. — L'Araucania. Memorie inedite delle Missioni dei Frati Minori Cappuccini nel Chili. — Roma, tip. Vaticana, 1890. In-12, pag. 168.

Maria Antonius (P.) Min. Cap. — 1. Le Livre de la Douleur. Notre-Dame des Douleurs dans la Grande Grotte de Lourdes; par le R. P. Marie-Antoine, Missionnaire Capucin. Deuxième édition. — Limoges: Marc Barbou et C. Imp. Editeurs, Rue Puy-Vieille-Monnaie. 1890. In-18, pag. 413.

2. Petites Pages d'Or, ou Trésors de la Vie Chrétienne, des Missions et du Tiers-Ordre; par le P. Marie-Antoine, Missionnaire Capucin: avec l'approbation des Evêques et des Supérieurs de l'Ordre. — H. et L. Casterman, Editeurs Pontificaux, Imprimeurs de l'Evêché: Tournai, 1890. Paris, Lib. internationale-catholique, Rue Bonaparte, 66. Leipzig, L. A. Kittler, Commissionnaire, Sternwartenstrasse, 46. In-16, pag. 184.

V.
NECROLOGIA

Salutiis, in Subalpinis, die 9 Januarii vertentis anni 1891, pie sancteque in Domino obdormivit Illmus ac Revmus Dnus Gabriel Grioglio, Episcopus titularis Euriensis et jam Vicarius Apostolicus in Imperio Sinensi.

Natus Morettae, Archidioecesis Taurinensis oppidi, ex honestis piisque parentibus die 7 Octobris an. 1813, anno aetatis suae 17 Ordini Seraphico nomen dedit in Minorum Observantium Provincia S. Thomae Apostoli in Pedemontio, ita quidem ut cum habitu religioso copiosum Franciscalem spiritum induerit, quem constanter retinuit auxitque. Ingenio praestans non minus ac studio addictus, philosophiae ac theologiae lauream magna cum laude adeptus est. Ad Missiones vocatum se sentiens, a Superioribus ad Vicariatum Chan-si in Imperio Sinensi destinatus fuit et anno 1840 alacriter profectus est.

Quanto zelo ibi flagraverit, quam perfecte optimi Missionarii partes impleverit, ex hoc liquido patet, quod duobus vix a suo adventu transactis annis, Episcopus electus die 2 Martii an. 1844 a proprio Revmo Vicario Alphonso Donati consecratus fuerit, cum titulo Euriae ipsiusque Coadjutor designatus, cui postea successit.

Vicarius Apostolicus effectus, in difficillimis persecutionis temporibus, Vicariatum sibi concreditum mira patientia parique fortitudine rexit annos viginti, quo tempore etsi ex laboribus in infidelium conversione et Christianorum perseverantia exantlatis, mortem non invenerit, palmam tamen martyrii penitus non amisit. Uti enim ex quadam sua epistola ad intimum suum consodalem scripta eruitur, jam fune ad collum alligato ad supplicium trahebatur, cum disponente Dei providentia, inopinato fuerit ereptus; quod ei postea humilitatis argumentum semper fuit, dicere solitus, se tanta martyrii gratia dignum non fuisse.

Valetudinis causa in Europam redire coactus, et Vicariatu Apostolico in manus s. m. Pii Pp. IX resignato, nihil illi magis cordi fuit, quam ut ad suos Fratres rediret, et in unum ex Conventibus suae Provinciae se reciperet. Primo igitur Sanctuarium B. M. V. Pulchrimontis petiit, ubi jam Novitiatum peregerat; deinde in solitarium Sancti Bernardini Coenobium prope Civitatem Salutiarum secessit, in quo fere triginta annos vitam absconditam cum CHRISTO in DEO duxit, et ex quo nunquam exivit, nisi ut Concilio Vaticano interesset, orationi et studio assidue intentus, et, more Apostolorum, a labore manuum suarum non abhorrens. Ut hoc amoenissimum Coenobium peracta civili suppressione Ordini servaret, directionem Observatorii meteorologici assumere non recusavit, quo officio maxima diligentia ac peritia functus est.

Summa religione ac pietate in DEUM affectus, S. Missae Sacrificium, Horas Canonicas, aliasque orationes et omnia quae ad DEI cultum pertinent, tanta gravitate, diligentia, devotione peragebat, ut adstantes commoveret, tepidos excitaret et negligentes suo exemplo corrigeret. Ut devotionem erga CHRISTI passionem et Beatam Virginem promoveret, meditationes piissimas pro visitandis Stationibus Viae Crucis typis mandavit, et numismata incidi, necnon Imagines photographicas ejusdem B. MARIAE Virginis, quae in Sanctuario patriae suae colitur, fieri curavit.

Vere filius S. P. Francisci, sanctam Regulam quam professus fuerat, etiam dum Missiones ageret, saepissime perlegit et exactissime semper observavit. Spiritu pauper ordinario victu contentus fuit, ac religiosa cella, quam simplices Imagines chartaceae ornabant; atque aetate etiam provectus, nunquam culcitra pro lectulo usus est, sed vili stramine in quo et supremum diem clausit.

Erga pauperes charitate flagrans, ex modesta pensione sibi a S. Sede assignata partem subtrahebat, ut pauperibus tam pecunia quam vestimentis piisque libris succurreret. Ego ipse, qui haec scribo, in die mortis ejus viduas audivi plangentes, ejusque eleemosynas enarrantes.

Pulmonari infirmitate correptus, frequentissime vel orationes jaculatorias eliciebat, vel psalmos recitabat, vel fervide praesentes exhortabatur. Sacramentis devotissime susceptis, placidissime animam efflavit, et ejus funera, prout ipse testamento dictaverat, more Religiosorum peracta sunt a Patre Provinciali cum interventu Fratrum Coenobii S. Francisci, qui moerentes ejus exuvias in sepulcro majoribus ecclesiasticis reservato deposuerunt.

R. I. P.

Per telegraphum nuperrime infaustum accepimus nuntium ex Imperio Sinensi, Rmum P. MARTINUM POELL, Recol. Prov. Hollandiae filium, cujus in ultimo fasciculo electionem ad episcopalem dignitatem annuntiavimus, supremum diem clausisse in suo Vicariatu Chen-si meridionalis. Quum fusiores ad nos pervenerint informationes, easdem in *Actis* publicabimus; interim vero egregii defuncti animam Fratrum nostrorum precibus commendamus.

R. I. P.

R. P. DANIEL A MORANO, Ref. Provinciae Calabriae Citerioris, ab honestis parentibus natus, undevigesimo aetatis suae anno Ordinem ingressus, ordinario aliorum vivendi modo usus est usque dum ad subdiaconatum promotus fuit; at exinde mutatus, virtutibus omnibus assequendis operam dedit. Superiores eumdem postea Magistrum Novitiorum instituerunt, et qua talis insignis prorsus evasit. E Claustro S. Marci Argentani pulsus anno 1867 in parva domo prope Claustri Ecclesiam se recepit, nihil de sua vivendi ratione immutans et caritatis suae ministerium omnibus ad se accurrentibus exhibens. Anno 1883 Dipignanum ab obedientia accitus, in sacculo omnia secum portans eodem se contulit, ubi ejusdem virtutum fama ita percrebuit, ut undequaque ad eum accurrerent, confessionis vel consilii petendi causa. Die 14 Decembris 1890 subitanea sed non improvisa morte transiit ex hoc mundo ad patriam caelestem.

R. I. P.

Nihil obstat

FR. ALOYSIUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

Martii 1891.

SUMMARIUM: *Communicationes Curiae generalis.* — I. ACTA ROMANO-SERAPHICA: Ex S. R. et Univ. Inquisitione, *de facultate dispensandi, urgente mortis periculo, in impedimentis matrimonialibus cum civiliter junctis.* — Ex S. Rit. Cong. *1° Decretum quo in Breviario Romano-seraphico S. Joannis Damasceni ac S. Silvestri, Abb. festa inscribuntur. 2° De vexillis nationalibus in exequiis defunctorum. 3° Festum Apparitionis B. M. V. Immaculatae vulgo* de Lourdes *Obs. Prov. Galliae concessum.* — Epistola S. C. de Propaganda Fide, *qua Brevis* Salvatoris *pro Terra Sancta executio inculcatur, revocata quacumque dispensatione, et absolute prohibetur ne quis nova Sanctuaria uti authentica prodat absque ejusdem Cong. judicio.* — II. ACTA ORDINIS: *Capitula Provincialia nuper celebrata.* — *Causae Sanctorum Ordinis nostri: XXI. Servi* DEI *P. Magin Català, sacerdotis I. Ord.* — *Synopsis indulgentiarum (Contin.).* — III. VARIA: *Collegium S. Isidori in Urbe (Contin.).* — *Series Praelatorum Ref. Prov. Poloniae (Contin.).* — IV. BIBLIOGRAPHIA. — V. NECROLOGIA.

COMMUNICATIONES

CURIAE GENERALIS

A. R. P. AUGUSTINUS ZUBAC, Definitor Generalis Ord., sequentia dubia solvenda Reverendissimo Definitorio Generali proposuit:

1. In quadam Provincia consuetudo viget, ut Vocales omnes ante electionem Provincialis ac Patrum Definitorii insimul conveniant, et in absentia Visitatoris ac praesidis Capituli discutiant de meritis eligendorum, et facta discussione se singillatim praesidi praesentent pro scrutinio servando. An hujusmodi consuetudo toleranda?

2. In alia Provincia moris est, ut Definitorium in praesentia praesidis proponat tres Patres pro Provinciali, totidem pro Custode, ac octo pro Definitoribus. Praeses vero in scrutinio Patribus vocalibus notam facit propositionem Definitorii, salva libertate etiam alios non propositos eligendi. An hic mos consulendus?

3. Quidam ex neo-electis Definitoribus sibi jus vindicant acta antecapitularia (i. e. ante electionem Provincialis ac patrum Definitorii) facta sub praesidentia Visitatoris Generalis ac praesidis Capituli, examinandi ac approbandi vel reprobandi. An praeses teneatur submittere judicio novi Definitorii hujusmodi acta?

4. Cum ad Capitulum spectet condere leges ac statuta pro Provincia; quidam putant posse Definitorium una cum Guardianis sub praesidentia praesidis Capituli id facere ante electionem Provincialis ac Definitorii Patrum: alii vero negant, sed nomine Capituli intelligi debere utrumque Definitorium una cum Guardianis. Quid juris hac in re?

5. Cum vi Constitutionum Patres triginta annorum religionis majores eumdem titulum habeant, quem et Custodes ac Definitores Provinciae, scilicet titulum *Adm. Venerandi Patris:* quaeritur an possit et debeat Provincia eos tali titulo condecorare, inconsulto Reverendissimo Patre Ministro Generali?

Patres Reverendissimi Definitorii Generalis, mature examinatis propositis dubiis, et consultis auctoribus Ordinis nostri in jure canonico probatis, respondendum censuerunt:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Tolerari posse, sed non est consulendus.

Ad III. Negative omnino.

Ad IV. Esse verum Capitulum in sensu exposito tam ante, quam post electionem, dummodo fiat intra dies capitulares.

Ad V. Affirmative, id est posse, ad normam Num. 601 Constit. Gen.

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

EX S. R. ET U. INQUISITIONE

De facultate dispensandi, urgente mortis periculo, in impedimentis matrimonialibus cum civiliter junctis.

Beatissime Pater,

Vicarius generalis N., ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus, sequentium dubiorum solutionem perhumiliter expostulat, nempe:

Litteris S. Officii datis die 20 Februarii anno 1888, concessa est locorum Ordinariis facultas dispensandi, sive per se sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam, aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem, super impedimentis quantumvis publicis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus Ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente. Decreto vero lato fer. IV die 9 Januarii 1888, declaratum est, Ordinarios quibus memorata facultas praecitatis litteris diei 20 Februarii 1888 data fuit, posse illam subdelegare habitualiter parochis tantum, sed pro casibus in quibus desit tempus ad ipsos Ordinarios recurrendi et periculum sit in mora.

Jam igitur quaeritur:

1. Utrum S. Congregatio, per verba « super impedimentis quantumvis publicis », confirmare intenderit communem theologorum et praesertim S. Alphonsi sententiam, quae habet, posse Episcopos in casibus urgentis necessitatis dispensare super impedimentis occultis eamque facultatem veluti ordinariam probabiliter delegare etiam generaliter, ita ut mens Congregationis fuerit significare, Episcopos a fortiori ab impedimentis occultis in praedictis adjunctis dispensare posse?

2. Utrum in gravissimo mortis periculo coadjutores parochi, quando ob ingentem parochiarum illius dioecesis amplitudinem ad eum recurrere non possunt, nomine parochi ab impedimentis publicis dispensare valeant?

3. Utrum in decreto diei 9 Januarii 1889 nomine parochorum veniant etiam vicarii temporales, qui post obitum parochorum vel in eorum absentia sufficiuntur?

Feria IV, die 23 Aprilis 1890.

In Congregatione generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis, habita per Eminentissimos et Reverendissimos DD. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales, propositis suprascriptis dubiis, ac praehabito Rmorum DD. Consultorum voto, iidem Emi ac Revmi Patres rescribi mandarunt:

Ad I. Ex vi decreti, affirmative pro mortis articulo.

Ad II et III. Detur responsum hac eadem feria datum R. P. D. Abbati Sanctissimae Trinitatis Caven., quod est sequens, scilicet: Propositis a R. P. D. Abbate supra laudato sequentibus dubiis:

I. An sub nomine parochorum in subdelegatione facultatis, de qua in precibus, intelligendi sunt etiam vice-parochi vel oeconomi-curati ad nutum amovibiles, in quibus paroeciis parochi stricte sumpti ac vere nominis non sunt creati?

Et quatenus negative.

II. Utrum saltem in dioecesibus, in quibus, sicut et in abbatia Nullius Sanctissimae Trinitatis Caven., ex privilegio vel ex antiquissima ac immemorabili consuetudine, nonnullae sunt paroeciae quarum curati tamquam vicarii Abbatis sunt instituti sub nomine oeconomi vel archipresbyteri curati, ad nutum amovibiles, ad hos quoque possit extendi?

Eminentissimi Domini Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales praedicta die ac feria rescribi mandarunt:

Ad I. Comprehendi omnes, qui actu curam animarum exercent, exclusis vice-parochis et capellanis.

Ad II. Provisum in praecedenti.

Eadem feria ac die, facta de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatione, Sanctitas Sua resolutionem Emrum Patrum adprobavit et confirmavit.

F. Mancini, *S. R. et U. Inq. Not.*

—

EX S. RIT. CONGREGATIONE

I.

DECRETUM

Quo in Breviario Romano-Seraphico S. Joannis Damasceni, *Conf. et Doct. ac* S. Sylvestri, *Abbatis festa inscribuntur.*

ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI.

Per Decretum Urbis et Orbis die 19 Augusti 1890 in Kalendario universalis Ecclesiae sub ritu Duplici minori die 27 Martii festum inscriptum est S. Joannis Damasceni Conf. et Ecclesiae Doct., et die 26 Novembris festum S. Sylvestri Abbatis. Quum vero praefata die 27 Martii ab alumnis Ordinis Minorum Sancti Francisci agatur festum Beati Peregrini Conf. sub ritu semiduplici ad libitum et simplici de praecepto, dies vero 26 Novembris impedita occurrat Officio potioris ritus; hinc Rmus Pater Aloysius de Parma Minister Generalis totius Ordinis Minorum, SSmum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII humillime rogavit, ut memorata die 27 Martii fieri valeat in posterum de Beato Peregrino sub ritu simplici, festumque S. Sylvestri Abbatis diei 9 Decembris affigatur, redacto pariter ad ritum simplicem Officio hucusque semiduplici ad libitum et simplici de praecepto Beatae Joannae a Signa Virg. Tertii Ordinis, cum IX Lectione in breviorem formam contracta. Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem SSmo Domino Nostro tributis, benigne annuit in omnibus juxta preces; et supradictam Lectionem de Beata Joanna a Signa a Rmo ipsius Sacrorum Rituum Congregationis Assessore revisam uti in adnexo folio approbavit: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 21 Februarii 1891.

C. Card. Aloisi-Masella, *Praef.*
Vincentius Nussi, *Secret.*

—

Pro B. Joanna a Signa *Virgine Tertii Ordinis*
Lectio IX.

Joanna Virgo Signae prope Florentiam tertio decimo saeculo orta est. Ab ineunte aetate alendis ovium gregibus dedita, mirae simplicitatis et innocentiae specimina praebuit. Quam grata esset illi, cui cum simplicibus est sermocinatio, tum felix gregum suorum incolumitas, tum crebra per eam a Deo patrata miracula comprobarunt. Dum oriebatur quaedam caeli tempestas, ne gutta quidem ingruentis pluviae neque in eam, neque in pastores ad eam confugientes, neque in pecora incidebat. Arnum fluvium, strato super undas pallio, saepius transivit. Deo in solitudine totam sese mancipatura, aetate adhuc integra, assumpto prius habitu tertii Ordinis sancti Francisci, in exiguum conclave ad ripam Arni secessit. Ibi, eleemosynis sponte oblatis victitans, eremiticam vitam duxit. Caeco lumen oculorum restituit; quemdam infantem mortuum inter ulnas receptum nutrici vivum reddidit, aliaque plurima patravit miracula. Cum in aediculae angustiis per annos fere quadraginta vixisset, quinto idus Novembris anni millesimi tercentesimi septimi migravit ad Sponsum. Ejus mortem campanae trium proximarum ecclesiarum sponte sonantes patefecerunt. Cultum immemorabilem quinque saeculorum spatio eidem delatum et perpetuis miraculis confirmatum Pius Sextus Pontifex Maximus benigne approbavit.

—

II.

De vexillis nationalibus in exequiis defunctorum.

Fr... Sacerdos Ordinis Minorum Observantium... in Vicariatu Apostolico Alexandriae Aegypti, ad pedes S. V. provolutus humillime petit:

1.° An liceat in ecclesiasticis defunctorum exequiis feretrum obvolvere nationali vexillo? Et quatenus affirmative.

2.° An in locis ubi habitatores ad diversas nationes pertinent, liceat apponere diversa vexilla secundum varias nationes? Quatenus vero negative.

3.° An ubi usus invaluit, tolerari possit?

Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia.

Sacra Rituum Congregatio rescribendum censuit his precibus: — Detur Decretum in una Patavina (1) diei 14 Julii 1887. Atque rescripsit die 17 Januarii 1890.

C. Card. ALOISI-MASELLA, *Praef.*
VINCENTIUS NUSSI, *Secret.*

—

(1) PATAVINA

Rmus Dominus JOSEPHUS CALLEGARI Episcopus Patavinus exponens in Ecclesiis Parochialibus sibi commissae Dioeceseos usum invalescere in exequiis vel quibusdam festis ecclesiasticis, quibus laicae sodalitates intersunt, harum respectiva vexilla in templum afferuntur, et si mere civilia sint, neque benedicta, ad omnem animi sui anxietatem removendam, insequentia dubia, italico idiomate expressa, Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subjecit, nimirum:

Dubium I. È lecito ammettere nella chiesa in occasione di solennità, funerali ecc. le bandiere non benedette di Corpi in qualunque modo appartenenti allo Stato, come Municipio, Università, Ginnasi, Istituti ecc.?

Dubium II. È lecito ammettere nelle stesse circostanze le bandiere non benedette di Società private, come quelle dei Reduci delle patrie battaglie, dei Volontari del 1849, di Mutuo Soccorso tra membri di certe classi di cittadini, anche quando tali società facciano comparsa in manifestazioni anticattoliche, onorino uomini frammassoni ed irreligiosi, e si temano in qualche modo affigliate alla Massoneria?

Dubium III. E dato che la risposta al I e II o ad uno o all'altro dei proposti dubbi fosse negativa, è lecito al Parroco tollerare la presenza di tali bandiere nella chiesa, quando chiedendo che restino fuori ed opponendosi al loro entrare, teme possa darsi occasione a conflitti e disordini, a più formale ed evidente disprezzo della legge divina ed ecclesiastica?

Dubium IV. Se non è lecito di tollerare la presenza di tali bandiere nelle circostanze esposte al dubbio III, deve il Parroco in quei casi, dopo fatta l'intimazione sospendere le sacre funzioni, e ritirarsi ove non venga obbedito?

Sacra vero eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caerimoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit, videlicet.

Ad I. Non licere admittere nisi vexilla religiosa et pro quibus habeatur formula in Rituali Romano.

Ad II. Provisum in primo.

Ad III. et IV. Intimatione facta antecedenter juxta mentem Sacrae Congregationis, Parochus se abstineat.

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 14 Julii 1887. n. 5990.

III.

DECRETUM

Quo festum Apparitionis B. M. V. Immaculatae vulgo de LOURDES *ad Obs. Provinciam Galliae extenditur.*

Hodiernus Minister Provincialis praepositus Provinciae a S. Ludovico Episcopo Confessore in Gallia, Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, votis suorum Alumnorum libenter obsecundans, a Sanctissimo Domino Nostro LEONE Papa XIII humillime efflagitavit, ut in Kalendario ac Proprio in usum Coenobiorum ipsiusmet Provinciae sabbato, quod secundum accurrit in mense Februario, affigi valeat sub ritu Duplicis majoris festum Apparitionis Beatae MARIAE Virginis Immaculatae vulgo *de Lourdes,* cum Officio ac Missa nuperrime approbatis. Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, attento commendationis officio Rmi Patris Procuratoris Generalis Ordinis Minorum S. Francisci, benigne annuit pro gratia juxta preces: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 25 Februarii 1891.

C. Card. ALOISI-MASELLA, *Praef.*
VINCENTIUS NUSSI, *Secret.*

—

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

EPISTOLA

Qua necessitates Custodiae Terrae Sanctae universis episcopis denuo commendantur, Brevis Salvatoris *executio inculcatur, revocata quacumque dispensatione, et absolute prohibetur ne quis nova sanctuaria uti authentica prodat, absque ejusdem S. Cong. judicio et approbatione.*

Illme et Revme Domine,

Die 20 Februarii 1891.

Haud ita pridem hoc Sacrum Consilium Christiano Nomini propagando diligenter ad examen revocavit ea omnia quae ad necessitates Missionum Palaestinae, quaeque ad regi-

men et moderationem arcae a Fratribus Minoribus Franciscalibus in Locorum Sanctorum curam custodiamque administratae referuntur. Hac opportunitate petitiones Apostolicae Sedi porrectae circa eadem argumenta exhibitae sunt. Enimvero exploratum est, inspectis temporum nostrorum circumstantiis, auctaque itinerum facilitate, desiderium inter fideles quotidie magis exardescere ea loca visendi, quae Salvator Noster CHRISTUS Dominus praesentia sua, ac praedicatione, potissimum vero morte ac Sepulcro suo nobilissima imprimis reddidit, eaque de causa ingentes sane expensas ad peregrinos hospitio recipiendos exigi: insuper Sanctuariis conservandis, restaurandis, scholis erigendis, missionibus provehendis haud exiguam pecuniae vim requiri. Ad administrationem vero collectae stipis oculos convertens, eam reperit esse tanto ponderi plane imparem. Decennio quippe mox elapso diligenter inspecto, vim reddituum Custodiae Terrae Sanctae vix ad decies centena millia libellarum quotannis pervenire intellexit. Qui quidem ex triplici fonte derivantur. Pars siquidem illius summae ex oblationibus ad sanctuaria, ex juribus stolae, et eleemosynis missarum, quae a Franciscalibus celebrantur proveniunt: pars ex collectis, quas in universo orbe Fratres ipsi industria sua perficiunt: pars denique ex eleemosynis, quae Feria VI in Parasceve in omnium gentium ecclesiis colliguntur. Haec porro postrema pars non nisi exiguam portionem totius redditus, quae nimirum tertiam partem illius certe non excedit, complectitur. In ea vero conferenda stipe Americae et Europae gentes aeque concurrunt. Ad quam pecuniam diligenter ac studiose administrandam jam a pluribus saeculis benemerens Ordo Minorum magna cum laude incubuit; dum fidem Catholicam duris exantlatis laboribus, fusoque sanguine, praeclari sui Fundatoris vestigiis inhaerens, per totam Palaestinam, Syriam, atque Aegyptum amplificavit. Quapropter Apostolica Sedes nedum religiosos hujusmodi viros benevolentia ac beneficiis suis nullo non tempore cumulavit, verum ipsum Terrae Sanctae Pium Opus non unius nationis proprium sed internationale constituit, quo ea, quae illius intersunt, vigilantiae religiosorum virorum ex diversis nationibus credita communi veluti praecipuarum Europae gentium studio procurentur: tantumque administrationis negotium sibi obnoxium declaravit.

Ea itaque omnia considerans S. Congregatio, et curam prorsus singularem rerum ad Terram Sanctam pertinentium sibi a Summo Pontifice commissam esse sciens, Eodem adprobante, declarandum censuit, uti per praesentes declarat, administrationem arcae Custodiae Terrae Sanctae sub sua speciali tutela esse constitutam, sibique negotiorum quoad eam gestorum uti antea ita in posterum esse quotannis reddendam rationem, ut a se examinetur et a Summo Pontifice adprobetur. Hoc scilicet modo debita oblationum ratio habebitur, quaeque ad nova aedificia extruenda, vetera amplificanda, caeteraque gravia in quoscumque usus dispendia pertinent, S. Consilium accuratae disceptationi subjiciet, ipsisque religiosis viris, SSmo D. N. sanciente, perficienda committet.

Ut vero commodius oblationum collectae fiant, mandatur ut apostolicae litterae die 26 Decembris 1888 datae, quae incipiunt *Salvatoris*, ab universis ad quos pertinent omnino ad executionem mittantur, collectaeque eleemosynarum una vice singulis annis Feria VI in Parasceve, vel alio quolibet intra annum die pro Terra Sancta faciendae, non debeant quomodolibet ad alios usus converti atque applicari, sed integrae ad Revmum P. Custodem Terrae Sanctae per Commissarios Ordinis S. Francisci ex omnibus orbis regionibus diligenter transmitti, quacumque dispensatione exinde revocata.

Quoniam vero studiosissime satagendum est ne in Palaestinae regione praeter ea quae ab antiquo recognita sunt, nova Sanctuaria aut recenter inventa, aut in posterum detegenda inconsiderate adstruantur, absolute vetat hoc S. Consilium ne quis uti authentica prodat ejusmodi Sanctuaria vel eorum cultum permittat, quin idem Consilium ea super re judicium edat, ac sententia sua ut talia recognoscat ac probet.

Haec A. T. gravissima hac super re significanda erant: interea vero D. O. M. vehementer adprecor ut omnia fausta felicia tibi fidelibusque curae tuae creditis concedat.

Addictissimus uti frater
J. Card. SIMEONI, *Praefectus*.
✠ D. Archiep. TYRENSIS, *a Secretis*.

II.

ACTA ORDINIS

—

CAPITULA PROVINCIALIA
Anno 1890 celebrata.

XXVII.

Obs. Prov. S. Joannis Baptistae S. Fidei de Bogota in Columbia.

Die 13 Septembris 1890 electi fuerunt Superiores Nostrae Obs. Provinciae S. Joannis Baptistae in Columbia.

MINISTER PROVINCIALIS

R. P. Marianus Barros.

CUSTOS

A. V. P. Rufinus Ruiz.

DEFINITORES

A. V. P. Hyacinthus Avila.
A. V. P. Jesus Becerra.
A. V. P. Marcellinus Bernal.
A. V. P. Virgilius Rodriguez.

—

CAPITULA PROVINCIALIA
Hoc anno 1891 celebrata.

II.

Obs. Prov. SS. MARIAE *Assumptae Fluvii Platensis in Rep. Argentina.*

Die 18 Januarii 1891, celebratum est Capitulum Obs. Prov. Fluvii Platensis, in Conventu S. Francisci civitatis *Buenos Ayres,* Praesidente Adm. R. P. JOANNE JUNES, Visitatore Generali, et canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

R. P. Josephus R. Quiroga, reelectus.

CUSTOS

A. V. P. Joannes Baptista Reinoso.

DEFINITORES

A. V. P. Joseph L. Chapo.
A. V. P. Benedictus Perez.
A. V. P. Carolus Ramallo.
A. V. P. Michael Garcia.

III.

Obs. Prov. S. Jacobi de Xalisco in Rep. Mexicana.

Die 23 Januarii celebratum est Capitulum Provinciale Obs. Provinciae S. Jacobi de Xalisco in Mexico ab Adm. R. P. ISIDORO M.ª CAMACHO Commissario Generali, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

R. P. Petrus M.ª SS. Angelorum Espinosa.

CUSTOS

A. V. P. Justinus Madrigal.

DEFINITORES

A. V. P. Joannes Gallegos.
A. V. P. Petrus C. Camacho.
A. V. P. Antonius Salazar.
A. V. P. Michael Rodriguez.

IV.

Recoll. Custodiae S. Elisabeth Thuringiae.

Facultate ab Apostolica Sede sub die 14 Februarii 1891 concessa Rmo P. Ministro Generali et Rmi Definitorii Patribus, in Congressu diei 12 Martii, visis praefatae Custodiae Vocalium schedis, sequentes Patres electi declarati sunt:

CUSTOS REGIMINIS

R. P. Damasus Rusing.

DISCRETI CUSTODIAE

A. V. P. Venantius Eder.
A. V. P. Gregorius Schlitt.
A. V. P. Dionysius Schuler.
A. V. P. Lambertus Boerger.

—

CAUSAE SANCTORUM ORDINIS NOSTRI

XXI.

Servi DEI P. MAGIN CATALÀ, *Sacer. Prof. Primi Ordinis.*

De hoc perinsigni Californiae Missionario, cujus *Causa Beatificationis et Canonizationis* ut apud Sacrorum Rituum Congregationem quamcitius *introducatur* hic et nunc pro viribus agitur, praeter ea, quae in *Processu In-*

formativo jam expleto a testibus secreto deposita fuere, fere nihil habemus!... Attamen, ut lectores nostri penitus eum non ignorent, brevem ipsius vitae notitiam, quem in Archivo hujus Postulationis Generalis invenimus, ad verbum hic transcribimus, licet et haec sit res parvi momenti. Speramus tamen ut aliquis Fratrum nostrorum, praesertim inter eos, qui in ipsa California Venerabili Viro in ministerio Apostolico successerunt, in posterum curam impendat sparsas de eo notitias in unum colligere, easque publicare: uno verbo vitam Servi Dei brevi facilique stylo conscribere. Id enim exigit tum decus Ordinis nostri, tum *Causa* ipsa *Beatificationis* et *Canonizationis*, tum denique fidelium utilitas, quibus nos intendere procul dubio omni tempore, et in omni loco debemus.

« Collegium S. Clarae in California possidet reliquias Servi Dei R. P. Magini Català, nati Monteblanchi Archidioecesis Tarraconensis in Hispania, mense Januario anno 1761. Sexdecim annos natus Barcinone ingressus est Ordinem S. Francisci de Observantia; in quo studia sua ecclesiastica peroptime absolvit, et Sacerdos ordinatus est. Ductus desiderio pro bono proximi sese dedicandi vitae Missionariorum in America, a Superioribus suis obtinuit licentiam eundi ad Collegium Apostolicum S. Ferdinandi in ditione Mexicana; ex quo primus christianae fidei praedicator in California P. Juniperus Serra, et multi alii Apostolici Missionarii Franciscani missi sunt ad varias partes Mexici, Texas, Novi Mexici et Californiae ad annuntiandum pauperibus Evangelium Christi.

« P. Maginus missus fuit in Californiam ad continuandum opus a P. Junipero inchoatum, scilicet christianam instructionem Indorum. Anno 1784, incepit sacrum suum ministerium in Missione S. Clarae, ibique incessanter laboravit usque ad mortem in bonum omnium, peculiariter autem dilectorum sibi Indorum. Instruxit enim eos constanter de doctrina christiana, praedicavit illis assidue legem Evangelii. Mulieres artem nendi et suendi, aliasque ejusmodi occupationes edocuit; viros autem ut terram colerent, et variis mechanicis laboribus se occuparent. Omnes ducebant quamdam primaevam et patriarchalem vivendi rationem, formantes magnam communitatem duorum vel trium millium, sub directione Missionarii, participantes abundanter terrae, et eorum industriae fructus. Plusquam centum pecora qualibet hebdomada mactabantur pro hujus amplae S. Clarae familiae membris, quae antea grano plantarum agrestium, et pinibus nutriebantur.

« Cibus autem spiritualis datus illis a P. Magino magis ipsis profuit, magisque placuit. Indi non minus quam populus Hispanus agnoscebant in ipso virum, qui die noctuque sese dicabat ipsorum emolumento, semper paratus ad solandum eos, ad visitandum eorum infirmos, et ad sublevandum eos in necessitatibus suis. Amabant eum ejusque doctrinam, et libenter ab ejus labiis perceperunt christianae religionis instructionem. Matricula baptizatorum in S. Clara demonstrat ipsum baptizasse 3067, qui magna ex parte erant adulti.

« Quod autem maxime attraxit Indos ad vitam civilem religiosamque ducendam, erant procul dubio ejus humilitas, abnegatio sui ipsius, et evidens charitas; quas virtutes didicerat praesertim ad pedes Crucifixi in ecclesia Missionis, ubi tempus, quod ipsi supererat, genuflexus transegit. Insuper Indi saepe observabant et videbant eum absorptum in sancta oratione usque ad majorem partem noctis saepe protracta, et obliviscentem collationem suam vespertinam. Plura etiam facta mirabilia de ipso referunt, verbi gratia, se vidisse eum orantem cum ipsis in ecclesia eo tempore, quo se in cellam jam receperat ad sumendum quietem nocturnam; docuisse Indos longe distantes, et eodem tempore simul in Missione remansisse; annuntiasse ex pulpito mortem alicujus in loco distanti accidentem, vel mortem alterius infra hebdomadam eventuram esse, indicando peculiares mortis circumstantias, et petendo a fidelibus preces pro levamine hujusmodi victimae. Plures Californiae homines adhuc viventes istis factis erant praesentes, eaque proprio testimonio confirmant; quibus tamen testimoniis nullam auctoritatem attribuere intendimus priusquam a S. Sede fuerint examinata, et approbata. Quae facta mirabilia, et praesertim ejus vitae sanctitas, effecerunt, ut omnes eum venerarentur et aestimarent tamquam sanctum, atque saepe hoc nomine vocarent.

« Haec universalis veneratio erga DEI Servum speciali modo testificata fuit in die funeris ipsius, celebrati 22 Novembris anno 1830, in ecclesia ipsa Missionis S. Clarae, quae hac occasione ne dimidiam quidem partem populi potuit continere, qui convenerat ex omnibus circuitus partibus. Omnes indiscriminatim sentiebant, et copiosis lacrymis exprimebant, se Patrem suum perdidisse; domum repleverunt lamentationibus ac gemitibus; et sedulo studuerunt recipere, imo et surripere parvam partem habitus ipsius, quam tamquam pretiosam reliquiam habebant.

« Quapropter visum est decere, ut non solum conservaretur memoria hujus veri Apostolici Missionarii, sed etiam ut ordinarii gressus fierent pro ejus Beatificatione aliquando obtinenda, si S. Sedes, praevio maturo examine, hoc expedire censuerit. Ad hunc finem *Primus Processus* institutus est, et omnes gressus praeliminares ab auctoritate dioecesana fere ad terminum ducti. Acta istius *Processus Ordinarii* Romam mittentur pro eorum accurato examine; quo peracto, speramus fore ut Beatificatio nostrae Californiae Missionarii sequatur. — Pius IX felicis et sanctae memoriae aliquando dixisse perhibetur, Status Unitos Americae non habere multos Sanctos. — Speramus fore, ut DOMINUS unum nobis concedat in R. P. Magino Català ». Faxit DEUS, ut haec pia vota adimpleantur!

—

SYNOPSIS INDULGENTIARUM

IN COMMODUM FRATRUM ORDINIS NOSTRI

CAPUT I.

De auctoritate indulgentias concedendi.

(Continuatio)

11. Quoad Episcoporum potestatem in elargiendis Indulgentiis, sequentia decisa sunt a S. Cong. Indulgentiarum.

a) Episcopus Ordinarius tantum potest concedere Indulgentiam quadraginta dierum, minime vero alii Episcopi per eam Dioecesim transeuntes; et si concedant, nullius roboris sunt ac momenti (Decr. 17 Dec. 1838).

Idem dicendum de Archiepiscopis, qui post benedictionem cum Ven. Sacramento, seu post quascumque alias peractas functiones, non octoginta, sed solummodo quadraginta dierum Indulgentiam impertiri possunt fidelibus (Decr. 22 Febr. 1847).

b) Servatis apostolicis ordinationibus circa fragilitatem objectorum, quibus non sunt adnectendae Indulgentiae, possunt Episcopi adnectere Indulgentiam quadraginta dierum aliquibus imaginibus seu statuis, ab ipsis designandis, lucrandam a visitantibus, seu recitantibus ante eas nonnullas praescribendas orationes (Decr. 24 Januarii 1846).

c) Nequit Episcopus vel alius quicumque Praelatus eidem actui pietatis, sive eidem pio Sodalitio, cui a Romano Pontifice jam Indulgentiae sive plenariae sive partiales concessae sunt, alias Indulgentias adjungere; neque crucibus, coronis, sacris imaginibus a Papa vel Sacerdote legitima facultate munito, benedictis, novas adnectere Indulgentias, *nisi novae conditiones adimplendae praescribantur* (Decr. 12 Jan. 1878).

d) Nequit Episcopus eidem rei vel eidem actui pietatis, cui jam Antecessor Indulgentias adnexuit, *novas Indulgentias applicare* (Decr. eod.).

e) Non potest Episcopus, quin limites sui juris excedat, eumdem actum pietatis in partes dividere, et ex. gr. pro omni verbo Salutationis Angelicae quadraginta dies Indulgentiarum concedere (Decr. eod.).

f) Nequit Episcopus fidelibus non suae Dioecesis Indulgentias concedere, etiamsi Ordinarius loci consentiat (Decr. eod.).

g) Episcopus *Titularis,* quamvis Auxiliator Ordinarii alicujus Dioecesis, Indulgentiam quadraginta dierum concedere non potest sicut Dioecesanus (Decr. eod.).

h) Delegatus Apostolicus consultius se abstineat a concurrendo cum uno vel altero Episcopo territorii Delegationis suae, ut idem objectum vel eumdem actum pietatis Indulgentiis ditet (Decr. eod.).

i) Praelati, quibus privilegio apostolico data est facultas concedendi in quibusdam solemnibus festivitatibus per annum Indulgentias plenarias, debent hac facultate uti per modum actus toties quoties talis solemnitas occurrit, quin possint unica concessione eamdem Indulgentiam extendere ad omnes solemnitates pe-

riodo annorum recurrentium, aut in perpetuum (Decr. eod.).

k) Vicarii Apostolici, cum non sint veri Ordinarii, nequeunt concedere regulariter et per se Indulgentias quadraginta dierum. — Colligitur ex dictis, et etiam ex Decreto S. C. de Propag. Fide, 16 Januarii 1797. — Zitelli, Apparatus Juris Ecclesiast. De Privilegijs Vicariorum Apostolicorum.

l) Tandem sciendum est quod Praelatus, sive qui elargitur Indulgentiam, etsi non possit sibi tantum eam facere (nempe concedere), potest tamen Indulgentiam jam aliis concessam lucrari. Si enim non posset pro se uti thesauro Ecclesiae, quem aliis dispensat, ipse pejoris conditionis esset, quam alii (S. Thomas q. XXVII, art. IV).

12. Ut Indulgentiarum concessio sit *valida* requiritur, praeter auctoritatem concedentis, *justa et legitima causa*. Est communis sententia, praeeuntibus Doctoribus Seraphico et S. Alphonso. Ratio est, quia Praelati Ecclesiae non sunt domini, sed dispensatores bonorum ecclesiasticorum. Dispensatio autem sine causa facta non valet, cum sit potius dissipatio, ut ait S. Ligorius. Caeterum non est fidelium judicare de sufficientia causae, ob quam Indulgentia conceditur: debent enim simpliciter existimare justam esse.

13. Tenendum omnino est, Indulgentiis remitti poenas temporales non solum *coram Ecclesia,* sed etiam *coram* Deo. Constat ex contrariis propositionibus a Summis Pontificibus damnatis, ut videre est apud Theologos. Si secus esset, « Ecclesia, ut optime advertit D. Thomas (Suppl. q. 25. a. 1.), hujusmodi Indulgentias faciens, magis damnificaret quam adjuvaret, quia remitteret ad graviores poenas, scilicet Purgatorii, absolvendo a poenitentiis injunctis ».

14. Tam ex definitione S. Concilii Trid. sess. XXV in Decreto de Indulgentiis, quam ex ipsa rei natura clare patet: *Indulgentiarum usum christiano populo maxime salutarem esse.* Conandum est igitur fidelibus cunctis, maximeque Confratribus nostris, utpote qui statum perfectionis amplexi sunt et sanctam Deoque placentem ducere debent vitam, ut de tanto salutari thesauro, omni qua par est sollicitudine, participes fieri velint.

15. Quoad Indulgentiarum *recognitionem* et *promulgationem ex parte Ordinariorum* in propriis Dioecesibus, sequentia habentur authentice decisa:

1.° Quando Summus Pontifex Indulgentiam quamlibet concedit Urbi et Orbi, ut fideles talem Indulgentiam in variis Dioecesibus lucrari possint, non requiritur ut haec Indulgentia ab Ordinariis locorum promulgetur, sed sufficit ut certi sint praedictam Indulgentiam a Summo Pontifice fuisse concessam (S. C. Indulg. 1 Julii 1839).

2.° Indulgentias, quas Summi Pontifices omnibus totius Orbis fidelibus concessere in Bullis seu Rescriptis jam publicatis, et ab Auctoribus probatissimis citatis, fideles lucrari valent, etiamsi antea ab Ordinariis locorum in suis respectivis Dioecesibus promulgatae non fuerint. Possunt tamen Episcopi eas in suis Dioecesibus promulgare, modo eas reperiant relatas apud Auctores fide dignos, v. g. apud Ferraris vel in *La Raccolta* (S. C. Ind. Decr. 31 Aug. 1844).

3.° Indulgentiae *locales*, id est, quae cuidam loco, v. g. ecclesiae, altari, affiguntur, nullae dici nequeunt ex eo, quod Episcopus Ordinarius eas non recognoverit aut publicari non permiserit. Expectanda tamen erit publicatio Ordinarii, postquam illas recognoverit, ut sciant fideles, an sint Indulgentiae plenariae vel partiales, et quae sint conditiones assignatae ad illas acquirendas (Decr. eod.).

4.° Item, Indulgentiae, privilegia et facultates *personales,* id est, quae alicui personae privatae conceduntur, v. g. Indulgentia concessa alicui pro articulo mortis, Indultum personale altaris privilegiati, facultas benedicendi Coronas B. M. V. cum applicatione Indulgentiarum, nullae dici nequeunt, quamdiu Episcopus illas non recognovit et executioni mandari non permisit (Decr. eod.). Imo, excepta facultate quoad erectionem Viae Crucis, qui dictas facultates obtinuit, non tenetur eas exhibere Ordinario, nisi aliter disponatur in obtentis concessionibus (Decr. 5 Feb. 1841).

16. S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, juxta institutionem a Clemente Pp. IX peractam, facultate instructa est omnem difficultatem ac dubietatem in Sanctorum Reliquiis aut Indulgentiis emergentem ex-

pediendi, ac si qui abusus in eis irrepserint, illos corrigendi et emendandi, falsas, apocryphas, indiscretasque Indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi et examinandi, ac ubi Romano Pontifici retulerit, illius auctoritate rejiciendi. (Clemens IX, Const. *In ipsis Pontificatus primordiis,* die 6 Julii 1669).

17. Monentur fideles ut sint cauti ad adhibendam fidem foliis, diariis, libellis, in quibus adnotantur orationes vel pia opera, Indulgentiis, uti dicitur, ditata, et videant an hujusmodi impressiones (vulgo *stampe*) munitae sint approbatione S. C. Indulgentiarum *(Raccolta).*

18. Siquidem pluries Indulgentiae typis impressae delatae sunt S. C. Indulg., quae licet falsae omnino, apocryphae et indiscretae, attamen huc illuc, sive hominum malitia, sive incuria, et absque ulla prorsus auctoritate typis mandantur et circumferuntur... Quapropter S. C. plures hujusmodi Indulgentias typis excusas, tamquam apocryphas, nullas et indiscretas habendas esse declaravit, et locorum Ordinariis, per quorum Dioeceses Indulgentiae ejusmodi circumferuntur, commendandum censuit, ut S. C. Decreta in hanc rem edita omni studio observari curent (Decr. 14 Apr. 1856).

19. In primis vero observari oportet Decretum super earumdem Indulgentiarum *publicatione* et *impressione,* sub die 19 Januarii 1756 latum, et a Benedicto Pp. XIV adprobatum, quod ita se habet: *Cum experientia quotidie comperiatur complures Indulgentiarum concessiones generales expediri, inscia ipsa S. C., ex quo multi promanant abusus ac confusiones, re mature perpensa, praesenti Decreto declaravit, impetrantes posthac hujusmodi generales concessiones, teneri,* SUB NULLITATIS POENA *gratiae obtentae, exemplar earumdem concessionum ad Secretariam ejusdem S. C. deferre.* Cujus Decreti observantia iterum praescripta est a Summo Pont. Pio Pp. IX in Audientia diei 14 Aprilis 1856.

20. *Preces in publico recitandae,* pro quibus petitur Indulgentia, exhibeantur prius S. Congregationi Rituum; quibus, si ita ei visum fuerit, probatis, tunc a S. Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita examinetur utrum expediat iisdem applicare aliquas Indulgentias (Decr. 9 Julii 1777).

21. S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, cum nonnulli abusus super publicatione Indulgentiarum etiam novissime irrepserint, inhaerendo Decretis alias editis, censuit renovandam esse, prout expresse renovat, prohibitionem quorumcumque librorum continentium concessiones, summaria et diaria Indulgentiarum, et quocumque alio nomine vel titulo nuncupentur, absque praevia approbatione ejusdem S. Congregationis (Decr. 17 Martii 1738).

22. In Decretis de libris prohibitis, quae post regulas Indicis addita sunt, haec leguntur § III, n.° 12: *Indulgentiarum libri omnes, diaria, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessiones continentur, non edantur absque licentia S. Cong. Indulgentiarum.* Exorto dubio circa hujus regulae interpretationem, sequens responsum prodiit:

Articulus 12 § III etc. ita intelligendus est et in praxim deducendus, ut si agatur de edenda concessione alicujus Indulgentiae vel Summarii Indulgentiarum, quod ex Brevi Apostolico vel Rescripto desumendum est, aut de Summario ex auctoritate S. C. jam vulgato, in potestate Ordinarii sit licentiam concedere earumdem Indulgentiarum concessiones typis imprimendi (dummodo pro aliquo elencho non sit specialis et expressa prohibitio); econtra vero si sermo sit de Summario vel antea collecto, sed nunquam approbato, vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendo, requiritur expressa S. C. Indulgentiarum licentia; addita tamen conditione: facto verbo cum Sanctissimo (S. C. Indulg. 22 Januarii 1858).

23. Hic meminisse juvat, quod S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, ut communi Fidelium utilitati consuleret, opportunum duxit, opus, cui titulus: *Raccolta di orazioni e pie opere per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici le SS. Indulgenze,* jam pluries editum, iterum typis imprimi, et in vulgus edi, additis piis precibus piisque operibus, quae in editione anni 1877, ob non exhibita tempore documenta aut non relata, aut postea Indulgentiis ditata fuerunt. — Hujusmodi *Collectionem,* quae typis S. Congregationis *de Propaganda Fide* in lucem et usum prodiit anno 1886, Summus Pontifex LEO PP. XIII Apostolica sua Auctoritate approbavit, quae ut genuina et authentica Indulgentiarum hactenus concessarum Sylloge ab

omnibus habenda sit. Hinc etiam ad decidenda dubia, quae forte de sensu concessionis aut de conditionibus lucrandarum Indulgentiarum oriantur, eamdem hanc Syllogen normae instar esse debere, Sanctitas Sua mandavit (Decr. 24 Maji 1886).

24. Omnes et singulae Indulgentiae in praefato opere *(Raccolta)* recensitae, fidelibus etiam defunctis sunt applicabiles. — Si vero contigerit eamdem Collectionem in aliud verti idioma, hujusmodi versio, absque S. C. Indulgentiarum approbatione, typis publicari non potest (Decr. 30 Sept. 1852).

(Continuabitur)

III.

VARIA

SERIES PRAELATORUM

Ref. Provinciae Poloniae Minoris sub Titulo Beatissimae Virginis MARIAE *Angelorum in Imperio Russico.*

(Continuatio)

46. A. R. P. Prosper Klimecius (Klimecki) sub praes. A. R. P. Callisti Sulkovscii (Sulkowski) Ex-Definitoris, Conv. Varsoviensis Guardiani act. Commissarii Generalis; in Cap. Vielicii die 14 Augusti 1774 electus Ex-Definitor Provinciae et Magister Novitiorum in Conventu Vielicensi a. D. 1773; vir strictissimae observantiae, Commissarius ac Visitator Generalis Provinciae Russiae et Custos Provinciae. Primam Congreg. Defin. celebravit Premisliae die 23 Junii 1775, secundam in Conv. Zakcrynensi die 14 Julii 1776. Fuit Romae pro variis negotiis Provinciae. Obiit piissime Cracoviae die 21 Maji 1784.

47. A. R. P. Augustinus Szczechorscius (Szczechorski) sub praes. A. R. P. Ludovici Polinscii (Polinski) Commissarii et Visitatoris Generalis ex Provincia Mariana Prussiae in Conv. Ressoviae die 29 Junii 1777 electus Defin. Prov. et L. S. T. Primam Defin. Congr. celebravit Vielicii die 29 Junii et alteram Cracoviae die 26 Junii 1779. Venerabil. Def. statuit, quod si quis ter ex uno Conventu ad alium apostataverit, suffragiis post mortem omnino privabitur. Obiit Sandomiriae die 27 Decembris 1800.

48. A. R. P. Bonaventura Dunikovscius (Dunikowski). Ante susceptionem habitus egit Officium Procuratoris causarum civilium et duas personas judicio tradidit, quae probata causa decapitatae sunt; hinc incurrit Irregularitatem; obtinuit autem dispensationem ad quodcumque officium et dignitatem, excepto Generalatu Romae. S. Poenitentiaria die 27 Nov. 1773. Electus in Cap. Cracoviae die 25 Junii 1780 sub praesid. A. R. P. Kowalkievicii (Kowalkiewicz) Prov. Maj. Poloniae Def. act. S. T. L. Commis. ac Visitat. Generalis. His temporibus Provincia haec multis malis afflicta fuit. Hucusque etenim quamvis Regnum Poloniae dismembratum fuit, nexui attamen Conventuum licet diversa sub potestate civili, ab uno Ministro manutenebatur. Sed eheu! mortua Maria Theresia Imperatrice Austriae, filius ejus Josephus II regimen gubernationis suscepit, qui die 24 Martii 1781 tristissimum acerbissimumque Edictum fecit promulgari, Regularibus omnino adversum. *a)* Prohibuit Regularibus omnem nexum cum S. Sede Apost. et cum Superioribus Generalibus; Conventus Provinciae juxta limites regni dismembrari demandat. *b)* Eodem anno 1781 die 26 Martii edidit Viennae Decretum, quo Archiepiscopis, Episcopis aliisque Ecclesiae Praelatis, acceptare a S. Apost. Sede Brevia, Decreta, Bullas etc. strictissime prohibuit, sine praevia revisione horum a potestate civili. *c)* Edictum prohibens Religiosis discessum ad Capitula extra Regna, praecipiens conscriptionem Inventariorum et ut superior Regularis indigena eligatur ac pro acceleratione hujus negotii i. e. conscriptione Inventariorum, Parochi locorum aut Decani foranei qua commissarii erant delegati; Leopoli 4 Maji 1781. Exemptiones Regularium et Privilegia eorum invalidavit ac potestati Episcoporum eos subegit. Decr. Viennae 11 Sept. 1782. Insuper Gubernium, trutinatis Statutis Generalibus et Provincialibus, in eorum multis observantiam limitavit, multa abolevit, charta alba cooperuit etc. Decr. 12 Oct. 1782.

Duae intermediae Congr. Defin. celebratae sunt. Prima Vielicii die 15 Julii 1781 et altera Cracoviae die 7 Aug. 1782, in quibus multa saluberrima pro conservanda regulari disciplina stabilita sunt. Obiit Pinczoviae 11 Oct. 1792.

49. A. R. P. Nepomucenus Wielowiejscius (Wielowiejski) in Cap. Solecii die 29 Sept. 1783 sub praesidentia A. R. P. Laurentii Karniewscii (Karniewski) Prov. Marianae in Prussia Pater, Ex-Minister et Commiss. ac Visitator Generalis electus fuit antea Def. Prov. act. S. T. L. Congregationem primam intermediam Cracoviae die 25 Iulii 1784 et secundam Stopnicii die 3 Julii 1785 celebravit.

50. A. R. P. Joachimus Majkievius (Majkiewicz) sub praesidentia A. R. P. Antonii Hutter S. T. L. Def. Provinciae Roxolanae, in Cap. Stopnicii die 2 Julii 1786, electus. Vir profundae humilitatis et pietatis, Guard. Conv. Glivicensis, Magister Novitiorum S. T. Mist. in Conventu Stopnicensi. Primam Def. Congregationem celebravit Pinczoviae die 15 Julii 1787, et secundam Cracoviae die 29 Junii 1788. Obiit Stopnicii die 3 Aprilis 1803. Vir meritis, pietate, zelo, exemplaritate, virtutibus conspicuus.

51. A. R. P. Nepomucenus Wielowiejscius (Wielowiejski) 2.° sub praesidentia A. R. P. Epiphanii Garbovscii (Garbowski) Custodiae Russiae Polonae Ex-Custodis, S. T. L. in Capitulo Stopnicii die 2 Julii 1789 Definitor in Provincialem electus est. Primam Congregationem Definitorialem Glivicii die 2 Julii 1790; secundam autem Sandomiriae die 2 Julii 1791 celebravit.

52. A. R. P. Christophorus Dobrakovscius (Dobrakowski) electus sub praesidentia A. R. P. Ignatii Warszawscii (Warszawski) Custodiae Russiae Polonae ex-Definitoris ac Guardiani act. Dedercaliensis, in Capit. Sandomiriae die 24 Junii 1792. Primam Congr. celebravit Pinczoviae die 24 Junii 1793, secundam Pilicii die 24 Junii 1794. Obiit Pinczoviae die 10 Januarii 1801. Vir meritis pietate, exemplaritate vitae, doctrina ac zelo observantiae seraphico plenus.

53. A. R. P. Alcantara Wierzbiccius (Wierzbichi) electus sub praesidentia A. R. P. Sigismundi Mezenscii (Mezenski) Custodiae Russiae Polonae ex Custodis Regiminis, in Cap. Pinczoviae die 29 Junii 1795. Primam Congregationem celebravit Cracoviae 19 Junii 1796 et secundam Pinczoviae die 25 Junii 1797. Obiit die 7 Novembris 1809 Sandomiriae.

54. A. R. P. Eustachius Adamovscius (Adamowski) electus sub praesidentia A. R. P. Christophori Dobrakovscii (Dobrakowski) Ex-Ministri hujus Provinciae, in Capitulo Pinczoviae 25 Junii 1798 celebrato. Primam Congregationem Stopnicii die 30 Junii 1799 celebravit; et secundam 13 Junii 1800 in Conv. Sandomiriensi. Fuit Magister Novitiorum, Custos Provinciae, S. T. L. Cracoviae die 22 Augusti 1801 obiit.

55. A. R. P. Nepomucenus Vieloviejscius (Wielowiejski) 3.° electus sub praes. A. R. P. Joachimi Maykievicii (Maykiewicz) Ex-ministri hujus Provinciae in Cap. Stopnicii die 2 Julii 1801. Primam Congr. in Conventu Stopnicensi die 20 Junii 1802 celebravit. Anno 1803 A. R. P. Nepomucenus Min. Provincialis lethali a Deo percussus est infirmitate duorum ultra mensium cum inexplicabilibus pedis dextri doloribus agnoscens se impotentem et incapacem ad satisfaciendum oneri et muneri suo ministeriali, resignationem Officii sui per Litteras ad manus Rmi Commissarii Generalis totius cismontanae familiae, Hilarii de Monte Magno, transmisisset die 19 Martii 1803 committendo interim regimen Provinciae A. R. P. Joachim Maykovio, primario Patri Provinciae et tertia die post hoc i. e. 21 Martii 1803, fatis cessit Cracoviae cum ingenti moerore, dolore et planctu non solum totius orphanae Provinciae, sed etiam optimorum Benefactorum nostrorum qui eum propter summam religiositatem, affabilitatem, exemplaritatem vitae ac alias naturae et gratiae dotes specialissime venerabantur. Et dum A. R. P. Joachimus juxta statuta cogitat convocare V. Definitorium ad electionem Vicarii Provincialis, post aliquot dies aegrae suae valetitudinis vehementibus ventriculi doloribus angustiatus, die 3 Aprilis ultimam vitae periodum finivit Stopnicii 1803, omnibus Sacramentis munitus tempestive. Regimen Provinciae devolutum fuit in personam A. R. P. Alcantarae Vierzbicii (Wierzbicki) subsequentis Patris Provinciae qui ad Conv. Stopnicensem pro die 20 Aprilis 1803 V. Definitorium ad electionem Vicarii Provincialis convocat; in qua Congregatione:

A. R. P. Josephus Mecinscius (Mecinski) Custos Prov. act. sub praesid. A. R. P. Alcantarae Vierzbicii (Wierzbichi) in Vicarium Provincialem electus est 20 Aprilis 1803 Stopnicii. Facta electione Vicarii Provincialis tradidit illi sigilla qua rite et canonice electo, ac confirmato Superiori suo praesens Definitorium una cum Communitate Stopnicensi praestitit obedientiam et soluta est praesens sessio. A. R. P. Josephus Mecinscius (Mecinski) meritissimus in Provincia Pater, Praedicator egregius, auctor Concionum valde famosus. Ultimam diem vitae suae Cracoviae 19 Decembris 1814 anno clausit.

56. A. R. P. Josephus Drochojovscius (Drochojowski) electus sub praeside A. R. P. Alcantarae Vierzbicii (Wierzbicki) Prov. Pater, S. T. L. emer. exemplaritati virtutum conspicui; quia leges civiles prohibebant ex aliena Provincia visitatores conducere et quidem electus in Cap. Stopnicii die 2 Julii 1804. Primam Congreg. Definit. celebravit Stopnicii die 23 Junii 1805. Diebus cujus facta est unio Conventuum orientalis Galiciae nempe: Visnensis, Ravensis, Kryloviensis et Bukaczoviensis, cum Provincia Min. Poloniae. Qua de causa ad instantiam Regiminis et Episcoporum Leopolitani et Premislien. hoc anno Congregatio Defin. secunda non intermedia sicut decebat, sed Capitulum Provinciale celebratum fuit; ut acta Provincialatus A. R. P. Josephi Drochojewski et A. R. P. Felicis Fanovscii (Fanowski) testantur. Josephus Drochojevscius mortuus est Cracoviae d. 13 Decembris 1811.

(Continuabitur)

—

FUNDATIO
COLLEGII S. ISIDORI IN URBE
A P. LUCA WADDINGO
CAP. XIX (LXV)
(Continuatio)

Quamquam autem Lucas percuperet, ut ex instituto Collegii Fratres diligentissime litterarum studiis incumberent, sic tamen id factum voluit, ut regularis et Recollectae domus ritibus, aut officiis nihil inde decideret, quae vel professionis Regula, vel generalia Ordinis statuta decernunt, propterea domesticarum constitutionum caput, quo studiorum ratio praescribitur, ita orsus est: *Studentes ita studiis incumbant, ut pietati magis; nec devotionis spiritum extinguant, tempus quod studiis conceditur, iis impendant; orationis vero tempus, orationi et non aliis.* Ita Lucas Waddingus, ut usu vitae suae, sic in aliorum gubernio usus est regula, quam sanctus Pater noster Franciscus sancto Antonio Ulyssiponensi sacram Theologiam Fratribus praelecturo, et alibi saepius aliis, qui studiorum curam haberent, praescripsit. Proinde Lucas tametsi Urbani VIII Pontificis in nostros ubique proclivi benignitate illi oblatum fuerit,

ut Fratres sancti Isidori, utpote Collegii ad litterarum studia pro Catholicae fidei negotio fundati, ab Officio divino in Choro cantando liberi omnino, et immunes essent eo penso horarum, quas Ordinis leges aliis conventibus, vel sacri Canones conventualibus Ecclesiis constituerunt; nihilominus retento nomine et re Collegii, iis tantum contentus favoribus, per quos Fratres a studiis aliisque domesticis exercitiis non distraherentur, reliquam Religionis disciplinam a Collegialibus integre observari voluit, praesertim quae ad publicum orationis tam vocalis quam mentalis cultum pertinent; indecorum existimans, eos magno studio quotidianis precibus non insistere, qui precum praesertim intuitu quotidianis fidelium largitionibus aluntur. Et sane religiosam juventutem ad Chori et alia religiosae communitatis exercitia professam, absque his ritibus usuque officiorum recte educari posse, Lucae semper paradoxum fuit.

Imo vero quod alibi fit, ut Fratres litterarum studiis intenti, per vices inserviant Choro, ita ut qui nocturnis horis intersunt a diurnis excusentur, hoc ille in Collegio sancti Isidori nunquam admittere voluit, idque absque ullo detrimento studiorum: sic enim diei noctisque horas in singula exercitia distribuit, ut ordo ab ipso positus, quamdiu observatus fuerit, nulli exercitio, non somno, non religiosae animi relaxationi satis temporis defuturum sit; cum ex adverso experientia nos docet, si quis illum transgreditur huic non satis temporis, vel tranquillae mentis illo die ad ullum opus exsequendum suppeteret. Nec fructuosius unquam floruerunt studia Collegii, quam dum ille rigorosissime servabatur. Genesis quaedam est ab abundantia temporis et otii ad confidentiam semper futurae opportunitatis, a confidentia ad negligentiam, a negligentia ad indigentiam, atque hinc denique ad nihilum. Deinde ne error aliquis in Officio divino publice celebrando accideret, exacte servari curabat Lucas, ut singulis diebus a prandio, dato signo campanae, omnes Chori ministri convenirent, et quisque partem suam officii sequentis diei praevideret et praelegeret; quod sancti Bonaventurae exemplo suadebat, qui cum tantus esset Ecclesiae Doctor et in sacris ritibus optime versatus, quidquid tamen in publico legere vel canere debebat, id totum prius apud se privatim praevidisse legitur.

Neque vero solos illos, qui Breviarii Romani ritibus obligantur, hac districtione continebat Lucas, sed Laicos Fratres, quos omnibus communitatis, non scholasticis exercitiis, praesertim tam orationi mentali, quam nocturnis diurnisque Chori horis in Choro assistere faciebat: nec ulli labores aut laborum fatigatio eos ipsi excusare sufficiebat, praeter tales, qui eadem ipsa orationis hora incommutabiliter subeundi essent; in hoc etiam observans normam Seraphici Patris, qui hujusmodi Fratrum laboribus modum his verbis posuit: *Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter et devote, ita ut excluso otio, animae inimico, sanctae orationis ac devotionis spiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deservire.* Praeterea Beatissimae Virginis parvum Officium, quoniam in communi Choro, nonnisi diebus in Breviario Romano constitutis ab omnibus recitatur, saltem a junioribus tam novitiis, quam professis nunquam intermitti permittebat, quin singulis diebus post finitum canonicum Officium, abeuntibus aliis, ipsi simul cum suo Magistro totum persolverent. Deinde singulis diebus a prandio statim, post actas in Templo gratias, ad culinam pergitur et lotioni patellarum assistitur, a qua nemo non legitime impeditus excusatur, et interim recitantur Psalmi aliaeque preces pro vivis defunctisque benefactoribus. Statui quoque ab initio curavit Lucas, et continuo deinceps observari antiquissimum Ordinis morem, sed non passim nunc observatum, ut diebus Veneris post Completorium recitentur Deiparae preces, quas *Benedicta* vocamus, ac singulis Sabbatis, solemniori officio non impeditis, habeatur Missa solemnis de Immaculata ejusdem Virginis Conceptione. *Et quoniam sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur,* Lucas noster juste et religiose de resurrectione cogitans ab initio pariter statuit, ut praeter varia Defunctorum officia, quae per annum fiunt, singulis diebus Lunae, similiter non impeditis, mane finitis horis, omnes ad publicum Sacrum pro Defunctis benefactoribus cantandum conveniant. Et quod Statuta generalia decernunt stricte observabat, et invigilabat, ut alii domus Guar-

diani, nunquam omitterent, quod pro singulis nostrae Provinciae Fratribus ubicumque terrarum decedentibus, quamprimum nuncius obitus adveniebat, tot legerentur Sacra, quot essent Sacerdotes Guardiano subditi, sive isti domi essent, aut sani, sive infirmi, vel absentes.

Denique non contentus Lucas perpetuis his et quotidianis utriusque orationis exercitiis, ulterius etiam Collegii legibus caveri curavit, et exacte hactenus observari, ut Religiosi studentes constitutis diebus bis in anno, hoc est a festo sanctae Luciae ad Nativitatis Domini, et a Dominica Passionis usque ad Dominicam Resurrectionis sanctiori recessui vacarent, quibus diebus, nec sibi mutuo, neque cum aliis etiam domesticis loqui licet: et in tota domo singulare et perpetuum debet esse silentium. Habent autem ex Patribus aliquem iisdem legibus obstrictum, ipsis ac sibi exercitandis praefectum, qui singulis diei horis singulae religiosae perfectionis exercitia praescribit ac dirigit, eorumque rationem a singulis requirit. Omnibus enim certa diei hora insimul convenientibus, Praefectus brevi sermone, et quam fieri potest submisso spiritus fervorem nutrit, nunc hunc, nunc illum, de exercitii profectu interrogat, et breve responsum ipse prosequitur, singula in communem omnium aedificationem convertens, variosque proficiendi modos, eorumque impedimenta, atque horum remedia exponit. Concurrunt etiam omnes cum reliqua communitate ad actus omnes, qui non alium sermonem, quam preces, aut sacram lectionem requirunt, et ad mensam communem: sed hic mortificandi magis, quam reficiendi, qui bolum ori porrectum tacitis lacrymis condiunt, qui spiritu Dei pleni, quandoque abstinent omnino, qui genibus flexis e nuda humo panem siccum et frigidam aquam ad victum suscipiunt, qui se saturant flagris, aliisque castigationibus in Ordine nostro consuetis. Nec etiam si dissimulent, possunt tamen celare quod gustent, et videant in his exercitiis quam suavis sit Dominus. Ea demum absolvunt pia peregrinatione, qua omnes simul cum Praefecto procedentes, Scalae Sanctae gradus flexis poplitibus ascendendo, Christi in eis vestigia venerantur: deinde Lateranensis Basilicae Sanctuaria visitant ac demum redeuntes, Christi Cunabula et Beatissimae Matris Sacellum, Sanctorumque reliquias in Basilica Liberiana, fusis precibus, honorant in Domino laetantes; quod praeter alios ejusmodi exercitiorum fructus, vere confidant se lucratos illas indulgentias, quas Romani Pontifices, tum ipsa tot dierum exercitia prosequutis, tum illa Sanctuaria devote visitantibus concesserunt; adeoque se ad sacras solemnitates Natalium Domini, et Paschae Resurrectionis ejus rite celebrandas religiose dispositos esse.

Ut insuper ad totius anni decursum feliciter currendum speciali praesidio juvetur unusquisque, et in omni casu advocatum haberet in coelo, Lucas ab initio morem induxit, semper deinceps observatum, quod ipso primo cujusque anni die post coenam, sacro et solemni ritu, proponerentur schedulae, in quibus describuntur nomina Sancti vel Sanctae quos Religiosus toto anno peculiariter colat; deinde certa virtus, cui praecipue studeat, adscripta cujuspiam Sancti Patris, aut Sacrae Scripturae sententia, qua ad ejus virtutis cultum incitetur: et ex his coram positis quilibet flexis genibus schedam, quae prius occurrit, tanquam sorte sibi sumit, deinde Ministro sacris induto publice legendam praebet, quatenus etiam verecundia magis accendatur ad ejus virtutis studium, quam omnes norunt ipsum toto anno specialiter profiteri. Jejunia vero, ut nulli privato, discreta et rara, pro cujusque devotione, prohibita sunt, sic nulla ex instituto Lucae indicta praeter omnes Immaculatae Virginis vigilias, et quadragesimam illam, quam S. Franciscus, impertita jejunantibus benedictione, nobis commendavit, quam communitas S. Isidori in omni rigore servat, nisi gravis aliqua causa dispensationem postulet.

(Continuabitur)

IV.

BIBLIOGRAPHIA

—

Anonymus Min. Obs. — *Ricordo* du Pélerinage Franciscain à Rome, Assise, etc., à l'occasion du Jubilé sacerdotal de sa Sainteté

le Pape Léon XIII, par le Directeur du Pèlerinage. — Vanves, près Paris, Imp. Franciscaine Missionnaire, Route de Clamart, 16. In 26, pag. 207. — Le volume 1, 75.

P. Antonius Zuavo, Min. Obs. — Novena dedicada al glorioso Taumaturgo S. Antonio di Padua: Compuesta por el P. Antonio Zuavo, M. O. de la Serafica Orden, y misionero de la santa Custodia de Jerusalem. — Bolivia-Tarija 1891. — Imprenta de *« El Trabajo »* Por Aurelio Nieva. In 32, pag. 48.

P. Chrisogonus Majar, Ref. Prov. S. Crucis in Carniolia et Croatia. — Edidit lingua croatica librum, qui inscribitur « Svetiste Majke Božje na Trsatu » i. e. « Sanctuarium Matris Dei Tersatense ». In eo enarrantur: translatio sanctae domus B. Mariae Nazaretho Tersatum et hinc Lauretum, et ceterae posthaec hujus sanctuarii historiae, in primis favores a Sancta Sede eidem impensi, et gratiae per intercessionem B. Virginis fidelibus collatae; interpositis 32 imaginibus enarrata clarius illustrantur. Adjunguntur piae preces et devotae cantiones in laudem « Matris Gratiarum » compositae. 1890.

P. Gonzalvus a Reeth, Min. Cap. — Manuale Theologiae Dogmaticae, quod in usum studiosorum elaboravit Fr. Gonzalvus a Reeth, Ordinis Frat. Min. S. Francisci Capucinorum, Prov. Belgicae Definitor ac S. Theologiae Dogm. Lector. — H. et L. Casterman, Summi Pontificis et Episcopatus Tornacensis Typographi. Tornaci, 1890. — Parisiis, Libraria internat. catholica, via vulgo Bonaparte, 66. — Lipsiae, apud L. A. Kittler, mandatarium, via Sternwartenstrasse, 46. — Volumina 2 in 4, pro libellis 8, 50. Tomus I, pag. 540; tomus II, pag. 454.

P. Marcellinus a Civetia, Min. Obs. — Nel Trentesimo dalla morte del Rmo P. Giuseppe M. Larroca, Maestro Generale dell'Ordine de' Predicatori. Orazione funebre detta nella Ven. Chiesa di S. Maria sopra Minerva il dì 9 Febbraio 1891 dal P. Marcellino da Civezza, M. O. — Roma, Tip. Artigianelli di S. Giuseppe, Via Monserrato, 149 — 1891.

P. Paulinus Bufalieri, Min. Obs. — La Basilica Apostolorum e la Critta Apostolica dell' Appia. Ragionamento del P. Paolino Bufalieri da Montecelio, Min. Oss. — Roma, Tipografia Guerra e Mirri, 1891. In 16, pag. 30.

V.

NECROLOGIA

—

Provincia de Observantia Divi Bernardini in Aprutiis, die 25 Novembris anni transacti, magno affecta fuit dolore propter inopinatam mortem R. P. Augustini de Liberato, actualis Definitoris. Pater amantissimus ortum habuit ex honestis divitibusque parentibus Gypsi, perillustris Theatinae Dioecesis oppidi, die 10 Maji 1823. In Baptismo Justini nomen illi fuit. Et in aetate duodeviginti annorum, ducente Spiritu, Ordini nostro nomen dedit in Conventu SS. Annuntiationis apud Ursuneam: ubi, tyrocinio pie sancteque peracto, vota solemnia emisit et Deo patrique nostro Francisco peramanter se obstrinxit. Missus postea, studiorum causa, Palenam et Anxanum, formam Instituti sui ex animo se exhibuit; sacerdotio insignitus, studiorum curriculo expleto, multis in Coenobiis nostris Superior efficitur et semper pater suorum visus est. Maxime autem adlaboravit in erigendo coenobio Sanctae Mariae Boni Consilii apud Castrum-Frentanum. Quod certe, opera praecipue sua, extruitur; ubi nocturno diurnoque labore praesto semper aderat. Anno vero 1860 morabatur ex obedientia, una cum Fratre germano A. R. P. Bernardo e Gypso, Lectore Jubilato et Ex-Ministro Provinciali, in Conventu Lamae in Pelignis; ibique, calamitosis illis temporibus, sua dexteritate, prudentia, et benevolentia qua apud omnes pollebat, multos nobiles loci ipsius, qui amore erga neapolitanum Gubernium accusabantur, e periculo certae mortis liberavit. Postea e conventu pulsus, non otiosum se praebuit; sed multis in locis officium Vice-Parochi cum laude omnium tenuit. Tandem anno 1878 revocatus in coenobium S. Bernardini apud Camplum, in dioecesi Apru-

tina, post 12 annos in virtutibus laboribusque religiosis exactos, diem obiit supremum, ibique in osculo DOMINI obdormivit. O amantissime Pater, fruere nunc DEO in coelo, pro cujus gloria maxime in hac lacrymarum valle adlaborasti!

R. I. P.

Frater HYACINTHUS A MARTINA, Laicus Professus Reformatae Provinciae Lyciensis, ortus anno 1816. — Anno 1851 uti collector eleemosynarum pro Terra Sancta Commissariatui Neapolis addictus est.

Indolem nactus vere placidam, benignam, solo visu, in quo refulgebant animi simplicitas et candor, omnium animos ad se devinciebat. — Zelantissimus ac indefessus in obeundo collectoris munere, quod per quadraginta annos omnium admiratione et exemplo laudabiliter exercuit.

Gravi pulmonario morbo correptus, Sacramentis pie devoteque susceptis, obiit in osculo DOMINI die 15 Febr. 1891.

R. I. P.

Frater PAULINUS A CARAMANICO, Laicus Professus Observantis Provinciae S. Bernardini in Aprutiis, ortus die 26 Sept. 1826. — Anno 1863 profectus est Jerusalem, inde valetudinis causa redire coactus, Superiorum jussu ad Commissariatum Neapolis, in servitium Terrae Sanctae se contulit anno 1872.

Ob singulares et eximias dotes, quibus praeditus erat, Fratres nedum, sed et saeculares quotquot illum agnoscebant, ejus amore capti erant. Tanta inerat ei familiaritas, ut omnes cum ipso conversari in deliciis haberent. In secundis aeque ac adversis ita DEI voluntati se conformabat, ut etiam extrinsecus id pateret ob illam quam praeseferebat vultus hilaritatem, quae certo significabat animi sui dulcedinem et aequitatem. Charitate erga omnes flagrabat, praesertim erga Fratres infirmos, pro quibus et medelas conficere et illis praebere maxime satagebat, et erga Religiosos Missionarios, quos comitari ac utcumque juvare valde gestiebat. Cum Superioribus nedum, sed et aequalibus et inferioribus semper humilem se praebuit, et objurgationes omnes sine questu, imo libens pertulit. Patientia vero summa toleratis diutinis doloribus quibus afflictabatur, eorum causa non plus quam tres vel ad summum quatuor horas in lecto manere potuit. In omnibus pene artibus expertus, solo nutu sui Superioris, cui erat summopere dilectus, totam civitatem lustrabat ad mandata explenda.

Die 27 Februarii 1891 morbo pulmonario violentissime correptus, die sequenti mortem sibi imminere praesentiens, confessarium accivit, et sacramentali confessione persoluta, cum ob frequentem excreationem nequisset recipere sacrosanctam Communionem, maximo omnium dolore hora 5. p. m. placidissime obiit.

R. I. P.

P. ANDREAS A FRAGNETO, Ref. Prov. S. Angeli filius, anno 1812 natus est, die 31 Augusti. Tyrocinio in Ordine expleto, religiosa vota nuncupavit die 26 Junii 1837. Anno 1847, occasione visitationis Ministri Generalis Aloysii a Laureto, licentiam obtinuit ad Missiones pergendi. Romam accitus, linguarum studio vacavit et in Albaniam missus est, ubi usque ad annum 1853 allaboravit. Deinde ad Missiones Superioris Aegypti destinatus, ad hanc regionem se contulit, in qua animarum saluti ac propriae perfectioni strenue incubuit. Die tandem septima Februarii nuper elapsi, longa infirmitate patienter tolerata ac Sacramentis pie receptis, animam suam DEO exhalavit.

R. I. P.

Nihil obstat

FR. ALOYSIUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

Aprilis 1891.

SUMMARIUM: *Communicationes Curiae generalis.* — I. ACTA ROMANO-SERAPHICA: *Breve Summi Pontificis, quo Festum S. Joseph sub utroque praecepto celebrandum est in regionibus Pedemontanis, Liguriae, Sardiniae et Longobardiae.* — Ex S. Congr. Episc. et Regul.: *De manifestatione conscientiae etc. Epistola, quae cum noto Decreto ad Ordinarios missa est.* — Ex S. Congr. Concilii: *Ex infamia juris irregulares fiunt duellantes eorumque patrini in duello, quod fieri solet inter alumnos Universitatum Germaniae.* — Ex S. Rit. Congr.: *Indulgetur ut deinceps Processus, gallico idiomate exarati, prout jacent valeant admitti.* — Ex S. Poenitentiaria: *De poenitentia in dispensationibus matrimonialibus praecepta.* — II. ACTA ORDINIS: *Decretum erectionis Recollectae Provinciae in Anglia.* — *Capitula Provincialia nuper celebrata.* — *Synopsis indulgentiarum in commodum Fratrum Ordinis nostri (Contin.).* — III. VARIA: *Brevis conspectus Kalendarii pro anno Domini 1892.* — *Series Praelatorum Ref. Prov. Poloniae (Contin.).* — IV. BIBLIOGRAPHIA. — V. NECROLOGIA.

COMMUNICATIONES CURIAE GENERALIS.

1. — Multi Provinciales Ministri, Rmi P. Generalis mandato obtemperantes, de quo sermo fuit in fasciculo Januarii proxime elapsi, (pag. 1), elenchum Provinciae typis impressum ad Curiam Generalem transmiserunt; alios vero qui nondum responderunt, denuo exhortamur ut praefatum elenchum, juxta formularium singulis transmissum, sine mora mittere velint.

2. — Ad normam Constitutionum Generalium N.° 493, monentur omnes, quod « nulli Fratri licet facultates aut Indulta per Agentes Ordini extraneos procurare. Illi qui hoc facere ausus fuerit, usum facultatis obtentae prohibemus ». Omnes igitur, qui ad Sanctam Sedem recurrere debent, ad respectivum Procuratorem Generalem litteras dirigant.

3. — Rmus P. Minister Generalis ab Urbe discessurus, ad nonnullas Ordinis Provincias visitandas, singulorum Fratrum precibus semetipsum ac negotia in bonum Ordinis tractanda enixe commendat.

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

Breve quo Festum S. Joseph sub utroque praecepto celebrandum est in regionibus Pedemontis, Liguriae, Sardiniae et Longobardiae.

LEO PAPA XIII

Ad perpetuam rei memoriam.

Quod erat maxime optandum, ut nimium apud omnes quibus continetur Italia regiones dies sacer Sancto Josepho immaculato Deiparae Sponso tanta cultus observantia ageretur, quanto apud eas omnes studio in Eumdem Sanctum pietas colitur, id optima opportunitate per hos ipsos dies Nobis datum esse laetamur. Supplices enim a Venerabilibus Fratribus Pedemontis, Liguriae et Sardiniae Episcopis perlatae sunt ad Nos litterae, quibus ipsi votorum etiam cleri populique interpretes petunt a Nobis, ut dies undevigesimus mensis Martii memoriae Sancti Patriarchae recolendae addictus, quemadmodum in aliis Italiae regionibus, ita in suis Dioecesibus sub duplici praecepto celebretur. Laeto quidem animo lubentique excepimus ea vota, quae cum digna sunt pietate rogantium, tum diutino desiderio Nostro apprime respondent. Siquidem vestigia sequuti Decessoris Nostri sanctae memoriae Pii PP. IX, qui singulari studio cultum Sancti Dei Genitricis Sponsi provexit, Illumque coelestem totius Ecclesiae Patronum designavit, Nos die VIII Kalendas Septembris anno MDCCCLXXXIX datis ad universum orbem Apostolicis Litteris, Christianos omnes ad fovendum in se augendumque erga castissimum Deiparae Sponsum piae mentis affectum, Ejusque cultum ubique magis dilatandum efficacibus verbis cohortati sumus. Iis vero hortatibus praeceptisque Nostris tanta animorum alacritate ubique locorum obtemperatum est, ut luculenter apparuerit quanta et quam penitus insideat in Christianorum animis erga Sanctum Patriarcham pietas, et quantam in coelesti Illius patrocinio spem universi reponant. Excitatis ita ubique pietatis studiis, auctoque fervore, sibi quidem deesse non poterant Itali, apud quos non minus certe quam apud ullam ex gentibus ceteris in Sanctum Josephum pietas viget et floret. Ex hoc evenit ut, nulla habita ratione regionum, nunc per Italiam totam ex ipsa populorum voluntate pari Sancti Josephi cultui instituendo solerter detur opera. Certe nulla pietatis, nulla christiani cujuslibet officii debet esse laus, quam sibi prae ceteris gentibus adipisci non contendant regiones Italiae, in qua Deus singulari beneficio et Sedem sui in terris Vicarii, et divinae veritatis cathedram, et catholicae unitatis centrum collocavit. Nos, qui dum populos universos et singulos paterna benevolentia pariter complectimur, singulari caritatis sensu ad Italos respicimus, spem bonam fovemus fore ut novum hoc pietatis pignus, quod in supra dictis regionibus Beato Mariae Virginis Sponso tribuendum est, acceptum Illi sit, cui defertur, iis vero qui deferunt fructuosum. Nihil enim est difficilius hisce temporibus ad servandum patrimonium fidei, et ad vitam christiane agendam efficacius, quam patrocinium sancti Josephi demereri, atque adeo gratiam Mariae Dei Matris castissimi sui sponsi clientibus conciliare. Quare admotis ad Nos precibus votisque benigne obsecundare volentes, moti suffragiis Sacrorum Antistitum, qui supra memoratis Dioecesibus praesunt, Apostolica Auctoritate Nostra, harum Litterarum vi, praecipimus, decernimus ut dies undevigesimus mensis Martii memoriae Beatissimi Patriarchae Josephi recolendae sacer, in omnibus et singulis Pedemontis, Liguriae, Sardiniae nec non Longobardiae regionibus in dierum festorum numero rite censeatur. Propterea christiani omnes, quum Sancto Missae Sacrificio adesse, tum ab iis operibus, quae servilia dici solent, abstinere praecepto debent. Non obstantibus, quamvis speciali atque individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur, ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die III Martii MDCCCXCI, Pontificatus Nostri anno Decimoquarto.

M. Card. Ledochowski.

EX S. CONG. EPISC. ET REGUL.

DE MANIFESTATIONE CONSCIENTIAE ETC.

EPISTOLA

Quae cum noto Decreto ad Ordinarios missa est.

Perillustris ac R.[me] Domine uti Frater.

De mandato SSmi D. N. Leonis PP. XIII praesentibus litteris adnexum transmitto Amplitudini Tuae Decretum, jussu ejusdem Sanctitatis Suae ab hac Sacra Congregatione Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita nuper latum, quo manifestatio conscientiae, quocumque nomine veniat, omnino prohibetur, tum pro Monasteriis Monialium, etiam Votorum solemnium, tum pro Institutis Votorum simplicium utriusque Sexus, iis dumtaxat virorum Institutis exceptis natura ac regimine prorsus Ecclesiasticis.

Declarationes insuper et dispositiones dantur de moderatione communionum, et de confessariis extraordinariis facilius concedendis.

Ad hoc autem Sanctitas Sua Mihi commisit Amplitudini Tuae, uti Metropolitae, praefatum Decretum transmittendum, ut illius exemplaria cum Episcopis ab eadem Amplitudine Tua dependentibus communicare curet; qui vicissim cum singulis Superioribus ac Superiorissis Monasteriorum piarumque Domorum respectivarum Dioecesum, ejusdem Decreti exemplaria communicent. Praecipit denique Sanctitas Sua omnibus Locorum Ordinariis ut enunciati Decreti plenam exequutionem sedulo diligenterque vigilare et procurare non intermittant, etiam vi specialis Apostolicae Sedis delegationis.

Haec erant a Me significanda atque declaranda Amplitudini Tuae, cui omnia fausta deprecor a Domino.

Amplitudinis Tuae

Romae die 20 Januarii 1891.

Addictissimus uti Frater
J. Cardinalis Verga, *Praefectus.*
Fr. Aloysius Epus Callinicen., *Secretarius.*

—

EX S. CONG. CONCILII

Ex infamia juris irregulares fiunt duellantes, eorumque patrini in duello, quod fieri solet inter alumnos Universitatum Germaniae.

WRATISLAVIEN. — IRREGULARITATIS.

Episcopus Wratislaviensis, his litteris nuper ad S. Sedem recurrit: « Exponitur humillime Sanctitati Vestrae ex parte devotorum illius oratorum Henrici Bienau, Edmundi Hotthoff, Francisci Forsche, Joseph Golenia, Bernardi Joppich, Antonii Bugiel, Dioecesis Wratislaviensis sub ditione borussica in Seminario meo clericali degentium, quod ipsi sacra tonsura et Ordinibus summopere cupiunt initiari. Sed quoniam dicti oratores, in Universitate litterarum Wratislaviensi quondam studiosi, duellorum complices exstiterunt, nempe Henricus Bienau semel duellum perpetrando, et centies quinquagies vel cooperando vel spectando; deinde tanquam spectatores Josephus Golenia semel, Franciscus Forsche bis, Edmundus Hotthoff et Bernardus Joppich pluries, Antonius Bugiel denique quater vel quinquies ad monomachiam provocando vel provocationem acceptando, omnes irregularitate irretiti videntur. Attamen quaestio exorta est, utrum ex defectu famae secundum S. Conc. Trid. 24, cap. 19, De ref., an ex defectu lenitatis irregulares sint. In tali enim casu hucusque, secundum communem opinionem et usum in civitate ac Dioecesi Wratislaviensi vigentem, defectum lenitatis abesse statuebatur; cum duellum, ut fere his temporibus inter Universitatis studiosos committitur, ludus potius temerarius vitaeque periculo carens, quam res magni momenti existimetur, et spectatores mera curiositate, non consensu plerumque adducti sint. A defectu lenitatis absolvendi Sanctitas Vestra, ut praedecessoribus meis, sic mihi quoque facultatem die 13 Junii a. pr. benignissime impertita est. Sed ut in hac re in posterum quodvis dubium tollatur, Sanctitati Vestrae humillime supplico, ut Ipsa gratiosissime velit declarare, a quanam irregularitate in tali casu dispensandum sit ».

Unde propositum fuit diluendum

Dubium: An, a quibus et ex quonam titulo irregularitas contrahatur, quando duellum

ea ratione committitur, qua his temporibus inter Germaniae Universitatis alumnos fieri solet in casu?

Resolutio. Sacra Cong. Concilii, re disceptata sub die 9 Augusti 1890, censuit respondere: *Affirmative, a duellantibus eorumque patrinis, ex infamia juris.*

Ex quibus colliges:

I. Irregularitatem quoad Ordines suscipiendos aut in eisdem ministrandum enasci vel ex defectu lenitatis vel ex infamia juris.

II. Ex defectu lenitatis irregularitatem enasci quoties humanus sanguis, juste vel in bello vel in causa capitali, funditur, effectu sequuto.

III. Ex infamia juris irregulares fieri duellantes, eorumque patrinos; qui ideo Ordines sacros suscipere prohibentur, absque dispensatione pontificia.

IV. Duellum proprie dictum esse pugnam initam inter duos vel plures in pari numero, privata auctoritate, vel ex condicto, statuto loco et tempore cum armis ad occidendum sive graviter vulnerandum aptis, cum periculo occisionis, mutilationis, vel vulneris.

V. Ex jure pro duello habetur et duelli poenis subjicitur, pugna illa in qua tantum sit periculum vulneris; quaeque initur cum pacto de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem fuderit.

VI. Duellis in themate omnia esse elementa, quae veris duellis conveniunt, haud dubitari posse videtur; nam effera sunt certamina, quae rectae rationi et legibus Ecclesiae repugnant ex iis motivis, ac si cum periculo occisionis aut mutilationis instituerentur.

VII. Nihil referre, ad verum duellum constituendum, an initum fuit spectaculi, ut olim, aut virtutis ostendendae causa; sed tantum requiri, ut sit singulare certamen, susceptum ex condicto, et armis lethalibus, ut duellantes et patrini censuris subjiciantur.

VIII. Ex haeresi quoque enasci infamia juris certum est; ita ut haereticorum filii irregulares habendi sint, si eorum patres in haeresi persistant, aut in eadem demortui fuerint.

—

EX S. RIT. CONGREGATIONE

Indulgetur ut deinceps Processus gallico idiomate exarati prout jacent valeant admitti.

Beatissime Pater,

Complures causarum Beatificationis et Canonizationis Postulatores, ad osculum Sacri Pedis provoluti, supplicant humillime, quatenus Sanctitas Vestra, attendens quantum apud omnes S. Romanae Ecclesiae Congregationes, usus linguae Gallicae communior in dies evaserit et facilior, dignetur indulgere, ut deinceps ita in usum et trutinam Sacrorum Rituum Congregationis cedat, ut ea quae in Processibus originalibus gallico fuerint idiomate exarata, rite valeant genuina ut jacent admitti, quin debeant cum nimia temporis jactura et expensarum onere, nec sine naevorum periculo, in alium sive latinum, sive italicum traduci sermonem. — Quod Deus etc.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, attentis ac perpensis expositis a R. P. D. Augustino Caprara sanctae Fidei Promotore, dispensationem a versione e gallico idiomate Processuum, tam Ordinariorum quam Apostolicorum, nec non jurium, quae illis adjecta fuerint pro singulis casibus, cum opportunis facultatibus remisit prudenti arbitrio Emi Cardinalis Sacrae Rituum Congregationis Praefecti, audito prius Sanctae Fidei Promotore. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 19 Januarii 1891.

C. Card. Aloisi-Masella, *Praef.*

Vincentius Nussi, *Secret.*

—

EX S. POENITENTIARIA

De poenitentia in dispensationibus matrimonialibus praescripta.

Eminentissime Princeps

Infrascriptus Nicotrien. et Tropien. Ordinarius, pro quiete et pace conscientiae suae,

Eminentiae Vestrae Revmae humiliter exponere praesumit quae sequuntur.

In dispensationibus matrimonialibus ab S. Poenitentiaria expeditis, saepe, juxta causas expositas, inseritur clausula: *cum gravi et diuturna poenitentia salutari,* et in quibusdam aliis legitur haecce praescriptis; *cum gravi poenitentia salutari.* Attenta hodie dominante corruptione, pessimaque dispensandorum voluntate, qui quidem labiis promittunt, ac deinde promissa non exequuntur, atque etiam aliquoties impotentia eorum, eo quod a mane ad Vesperam labori incumbere debeant, ut sibi victum comparent, quaeritur:

Potestne injungi poenitentia per tres tantum menses, verum pluribus per hebdomadam vicibus adimplenda, quando praescripta est gravis et diuturna, ac per unum solum mensem, cum statuta fuit gravis poenitentia salutaris, idque ad evitandum novum sponsorum peccatum, stante firma certitudine, quod celebrato semel matrimonio, jam nihil amplius curent, cum gravi propriae conscientiae damno?

Dignetur Eminentia Vestra Revma etc. — Nicoterae, 25 Februarii 1890.

Sacra Poenitentiaria, mature perpensis quae ab Ordinario Nicoteren. proponuntur, ita respondet:

In praefinienda poenitentiae qualitate, gravitate, duratione, etc., quae dispensantis aut delegati arbitrio juri conformi remittuntur, neque severitatis, neque humanitatis fines esse excedendos, rationemque habendam conditionis, aetatis, infirmitatis, officii, sexus, etc., eorum quibus poena irrogari injungitur.

Datum Romae, in S. Poenitentiaria, die 8 Aprilis 1890.

F. Segna, *S. P. Regens.*

A. Cus. Anastini, *S. P. Secret.*

II.

ACTA ORDINIS

DECRETUM ERECTIONIS

RECOLLECTAE PROVINCIAE IN ANGLIA

FR. ALOYSIUS DE PARMA

ORDINIS MIN. REGUL. OBSERVANTIAE

SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI

LECTOR JUBILATUS IN S. THEOLOGIA

JAM MINISTER OBS. PROV. BONONIENSIS

TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTER GENERALIS

ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS.

DECRETUM

In regimine universi Ordinis Minorum S. P. N. Francisci, ratio ministerii nostri expostulat, ut Seraphicam Familiam, quacumque ea maneat in dominatione, omni qua possimus sollicitudine, paterno prorsus affectu et providentia prosequamur, Conventibus equidem atque Provinciis legitimis Superioribus regundis, Regulari disciplina ubique excolenda, divino cultu tuendo ampliandoque, fidelium aedificatione in Spiritu Sancto totis viribus omnique studio fovenda. Inter autem officii nostri curas ea profecto adnumerari perspicuum est, ex speciali Apostolica facultate, sive Conventus de novo erigendi, sive Custodias ex Conventibus erectis, erigendisque instituendi, institutasque Provincias declarandi, prout in Domino melius expedire videatur.

Hinc cum RR. PP. Custos et Discreti Custodiae Angliae, desiderium omnium Custodiae Religiosorum satisfacturi, sub die 29 Junii 1890 enixe Nobis supplicassent, quatenus Custodia Angliae titulo Provinciae, quo per plura saecula et etiam inter atrocissimas persecutiones gaudebat, denuo benigne condecoretur; cumque aequum ac religionis amplitudini proficuum sit, ut perspectum habemus ex relatione Ad. R. P. Aloysii Lauer, ex-Def. Glis, actualis Discalceatorum et Recollectorum Procuratoris Generalis, nuperque in Anglia Com-

missarii Nostri, praedictam Custodiam ex quinque Conventibus et duabus Residentiis constitutam, in Provinciam evehere; cumque ad hoc facultas Rescripto Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium sub die 28 Januarii 1891 impertita Nobis fuerit, Nos, in Congressu diei 12 Februarii 1891, audito voto Rmi Definitorii Generalis, facultatibus Apostolicis utentes, ut supplicantibus animus augeatur ad aemulanda charismata meliora, ad splendentia pristinae Provinciae Patrum vestigia sectanda, ad Spiritum Seraphicum Ordinis Nostri magis magisque in dies concipiendum et in Anglia alacrius propagandum, eorum preces et vota exaudire et Custodiam Anglicam titulo Provinciae decorare decrevimus.

Quapropter iisdem facultatibus Apostolicis, quas superius commemoravimus, hanc circa rem, nobis communicatis, pollentes, praefatam Custodiam ex Conventibus Mancuniensi, Killarneyensi, Glasguano, Stratfordiensi, Londinensi, et Residentiis Bristoliensi ac Chilworthensi et qui in futurum erunt in Anglia, in veram et formalem Provinciam sub appellatione Provinciae Strictioris Observantiae Recollectorum Immaculatae Conceptionis B. Virginis Mariae Angliae, erigimus, nominamus et decernimus, et ita erectam, nominatam et decretam, sancimus, declaramus et annuntiamus una cum omnibus juribus, praerogativis ac privilegiis, unicuique Ordinis Provinciae competentibus, unde ex nunc et deinceps in posterum haec nova Provincia, Ministrum Provincialem cum Custode et Definitoribus habere possit et habeat.

Deinde cum Superiorum electio juxta Ordinis Constitutiones, quoties Provinciam erigi contigerit, ad Ministrum Generalem, de consensu sui Definitorii pro prima vice sit devoluta, Nos ad Ministri Provincialis, Custodis et Definitorum electionem praefatae Provinciae devenire censuimus, sicut reapse devenimus, ac praevio consilio et consensu Rmi Definitorii Generalis canonice congregati, instituimus et elegimus ad triennium:

Ministrum Provincialem: R. Patrem David Fleming,

Custodem: A. V. P. Polycarpum Vervoort,
Definitores: Ad. VV. PP. Brendanum Butti, Franciscum Verhagen, Aidanum Mac Carthy et Cuthbertum Wood, et quidem cum omnibus facultatibus atque privilegiis, quod Ministris, Custodibus, Definitoribus juxta Ordinis Statuta competunt vel competere possunt.

Mandamus insuper, ut omnes praefatae Provinciae Patres ac Fratres, R. Patrem David Fleming tamquam legitimum Superiorem seu Ministrum Provincialem a Nobis electum teneant atque venerentur, ejusque mandatis, in iis omnibus, quae non sunt contra Regulam et animam, obtemperare satagant sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, sicut volumus ut dignoscant tamquam legitimos Custodem et Definitores Patres nuper electos et declaratos.

Ea tandem qua pollemus auctoritate Apostolica, omnibus et singulis Nostrae curae subjectis ad quos spectat praecipimus et mandamus, virtute sanctae obedientiae, ut Provinciae Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis in Anglia, quae inter Recollectas post SS. Cordis in America Septen. locum habebit, Ministrum Provincialem, Custodem et Definitores uti tales recognoscant et revereantur, quales Nos, hisce nostris litteris decernimus et declaramus, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

Deus autem, novam Provinciam a Nobis erectam, sua Benedictione repleat, eique incrementum dare dignetur; Virgo Immaculata sospitet semper atque defendat; Seraphicus Patriarcha continua protectione custodiat.

Datum Romae e Collegio Nostro S. Antonii ad Lateranum die 12 Februarii 1891.

Fr. Aloysius de Parma,
Minister Generalis

De mandato Paternitatis Suae Rmae
F. Joseph Maria a Tridento
Strict. Obs. Secret. Glis.

—

CAPITULA PROVINCIALIA
Hoc anno celebrata.

V.

Custodia Recol. Immaculatae Conceptionis B. Mariae *Virginis in Anglia, titulo Provinciae nunc decorata.*

In Congressu diei 12 Februarii 1891 a Rmo Ministro Generali et suo Definitorio rite et canonice electi sunt:

Minister Provincialis

R. P. David Fleming.

Custos Provinciae

A. V. P. Polycarpus Vervoort.

Definitores

A. V. P. Brendanus Butti.
A. V. P. Franciscus Verhagen.
A. V. P. Aidanus Mac Carthy.
A. V. P. Cuthbertus Wood.

—

VI.

Obs. Prov. Vallis Daemonis in Sicilia.

In Congressu Definitoriali diei 12 Martii vertentis anni, a Rmo P. Ministro Generali ejusque Definitorio electi sunt:

Minister Provincialis

R. P. Aloysius a Castrolucii.

Custos Vocalis

V. P. Ludovicus a Ficarra, ex Def.

Definitores

V. P. Aloysius a Bronte.
V. P. Franciscus a S. Stephano.
V. P. Seraphinus a Melia.
V. P. Franciscus a Bronte.

—

VII.

Refor. Prov. Lycien.

Die 16 Martii 1891 rite celebratum est Capitulum Provinciae Lyciensis a S. Joseph nuncup. in Conventu S. Mariae Hydriae, Praeside Adm. R. P. Diomede a Pescoconstantio, Visitatore ac Procuratore Gli Refor. Electi sunt:

Minister Provincialis

R. P. Joseph. a Cisternino.

Custos

A. V. P. Joannes Aloysius a Martina.

Definitores

A. V. P. Alexander a Francavilla.
A. V. P. Pacificus a Martina.
A. V. P. Antoninus a Francavilla.
A. V. P. Seraphinus a S. Georgio.

—

VIII.

Refor. Prov. Siciliae.

In Congressu diei 9 Aprilis 1891 a Rmo P. Ministro Generali ejusque Definitorio electi sunt:

Minister Provincialis

R. P. Salvator ab Acicatena.

Custos Provinciae

A. V. P. Dominicus a Catania.

Definitores

A. V. P. Bernardus a Messana.
A. V. P. Franciscus a Mongiuffo.
A. V. P. Marianus a Mistretta.
A. V. P. Antoninus a Roccella.

—

IX.

Ref. Prov. Vallis Neti.

A Rmo P. Ministro Generali cum suo Definitorio in Congressu habito die 9 Aprilis 1891 electi sunt:

Minister Provincialis

R. P. Ludovicus a Mazzareno.

Custos Provinciae

R. P. Angelus a Barrafranca ex Min. im.

Definitores

A. V. P. Bonaventura a Castrojoannis.
A. V. P. Benedictus a Paliconia.
A. V. P. Philippus a Claramonte.
A. V. P. Bonaventura a Niscemi.

—

SYNOPSIS INDULGENTIARUM

IN COMMODUM FRATRUM ORDINIS NOSTRI

Caput II.

De conditionibus pro lucrandis indulgentiis.

(Continuatio)

25. In concessionibus Indulgentiarum nonnullae pro earum consecutione generaliter apponi solent conditiones, juxta veterem praxim et intentionem Summi Pontificis concedentis, quibus non adimpletis, Indulgentiae praefatae lucrari nullatenus possunt. (Decr. 21 Martii 1820).

§ *1. De conditionibus in genere et in specie.*

26. Conditiones *generales* ad lucrandas Indulgentias tam partiales quam plenarias sex recensentur ex parte *subjecti.*

1.° Ut sit *baptizatus,* quia Ecclesiae thesaurus infidelibus dispensari nequit.

2.° Ut sit *concedentis subditus,* quia concessio Indulgentiae est actus jurisdictionis, qui solos subditos afficit. Ab Indulgentiis tamen localibus, quae adnexae sunt, v. g. Ecclesiae, Altari, Cruci etc. non excluduntur extranei, ut communis fert sententia.

3.° Ut *non sit innodatus excommunicatione majori,* quia haec privat communione bonorum spiritualium.

4.° Ut sit *in statu gratiae,* immunis scilicet a culpa gravi, saltem quando opus praescriptum completur; quia poena temporalis non potest ante condonationem culpae et poenae aeternae remitti. Optandum ergo, maximeque conandum, ut omnia opera injuncta fiant in gratia, incipiendo a Confessione.

5.° Ut habeat *intentionem, saltem generalem,* lucrandi Indulgentias. Hinc optima et valde salutaris praxis illa dicenda est ac omnibus consulenda, qua quis *quolibet mane* intentionem elicit lucrandi omnes per diem occurrentes Indulgentias. Et quia plurimae ex his applicari possunt per modum suffragii animabus Purgatorii, laudandi maxime sunt, qui alteram eliciunt intentionem applicandi Indulgentias in earum levamen. Hujusmodi applicatio fieri potest sive uni, sive pluribus determinatis defunctis, sive omnibus indiscriminatim animabus Purgatorii (Raccolta).

6.° Ut opera injuncta, *loco, tempore, modo* et *fine* praescripto *integre* compleat, de quibus suis locis plura dicentur.

27. *Conditiones speciales,* quae *ordinarie* pro lucranda Indulgentia plenaria requiruntur, sunt: *Confessio, Communio, Visitatio alicujus Ecclesiae sive Oratorii publici,* et *piae Preces.* Constat ex Clausula, quae juxta Apostolicae Sedis praxim, in *plenariae* Indulgentiae concessionibus, variis Rescriptis apponi solet, quae ita vel simili modo sonat: S.S. D. N. N. P.P.... omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, *Confessis ac sacra Communione* refectis, qui aliquam Ecclesiam... *devote visitaverint,* vel expositioni SS. Eucharistiae Sacramenti interfuerint, ibiquae juxta mentem Sanctitatis Suae *pie oraverint,* etc.

Dictum est *ordinarie,* quia aliquae sunt Indulgentiae, pro quibus lucrandis non praescribitur Confessio, ut sunt Indulgentiae Viae Crucis et aliae paucae.

In Indultis autem, quibus *partiales* Indulgentiae conceduntur, nulla ordinarie fit mentio de sacramentali confessione, sed adhibetur Clausula: *corde saltem contrito.* Jam vero haec praescripta contritio non inducit veram conditionem, quasi scilicet habenda sit tamquam pars oneris injuncti, sed indicat necessitatem status gratiae ad lucrandam Indulgentiam. Requiritur proinde ut *mera dispositio,* quatenus nempe si quis in statu peccati mortalis reperiatur, ac propterea incapax sit lucrandae cujusvis Indulgentiae, per perfectam contritionem cum proposito Confessionis, ad statum gratiae restituatur, et capax fiat Indulgentias assequendi. Unde consequitur, ut qui jam in statu gratiae reperiuntur, non teneantur actum contritionis elicere. (Decr. 17 Dec. 1870).

Confessio et Communio.

28. *Confessio* sacramentalis, quando in Brevibus apponitur pro Indulgentiarum consecutione, peragi omnino debet etiam ab iis, qui sibi lethalis peccati conscii non sunt (Decr. 19 Maji 1759). Clausula enim in Indulgentiarum concessionibus apposita, qua praescribitur Confessio, exprimit conditionem, ita ut Confessio inter opera injuncta recensenda sit, et nemo Indulgentiam plenariam, etsi in statu gratiae reperiatur, lucrari possit, nisi sacramentalem Confessionem faciat, et cetera injuncta opera adimpleat. (Decr. 17 Dec. 1870).

29. Quum in Bulla vel Brevi, quo conceditur Indulgentia, Confessio tanquam conditio *sine qua non* praescribitur, necesse non est ut sacramentalis absolutio poenitentibus detur ad Indulgentiam lucrandam (Decr. 15 Dec. 1841 et 20 Aug. 1822). Quod si Christifidelis culpae certae immemor est ex ultima absolutione, tenetur quidem ad Confessionem peragendam, non vero ad absolutionem recipiendam, ut lucrari possit Indulgentias, pro quibus Confessio sacramentalis praescribitur (Decr. 6 Maji 1852).

30. Praefata Confessio pro Indulgentiarum consecutione suffragari etiam potest si expleatur in vigilia festivitatis, pro qua concessa est Indulgentia (Decr. 19 Maji 1759). Ex hoc Indulto nullus relinquitur dubitandi locus circa eas Indulgentias, quae *pro festivitatibus proprie dictis* conceduntur, incipientibus nempe a primis Vesperis usque ad occasum solis ejusdem diei festi, ita ut liberum sit fideli, vel in vigilia vel in ipso die festo confiteri, et sacra Synaxi refici. Plures tamen exinde dubitationes obortae fuerunt, an idem dicendum foret de aliis Indulgentiis *spatio unius diei* lucrandis, et ab initio diei naturalis incipientibus, quae videlicet concederentur, non ratione festivitatis occurrentis, sed alia qualibet ex causa, quemadmodum usuvenire solet pro sextis feriis mensis Martii, diebus Dominicis festum S. Aloysii praecedentibus, oratione quadraginta horarum, aliisque casibus similibus quibuscumque.

Summus Pontifex Pius PP. IX, ad removendam omnem dubitandi rationem, et ad commodius reddendum Confessionis et Communionis adimplementum, sic benigne decerni mandavit: « Tum Confessionem dumtaxat, tum Confessionem et Communionem peragi posse die, qui immediate praecedit sequentem, pro quo concessa fuerit *Indulgentia quaelibet,* non solum ratione festivitatis occurrentis, *verum etiam quacumque alia ex causa,* vel devotionis, vel pii exercitii, aut solemnitatis, uti esset pro memoratis, et ceteris hujusmodi diebus, pro quibus Indulgentia cum conditione Confessionis et Communionis concessa jam fuerit, vel in posterum concedatur, *licet tempus ad eam acquirendam ab initio diei naturalis, et non a primis Vesperis* sit computandum, servata tamen in adimplendis aliis operibus injunctis regula generali circa modum et tempus in concessionibus praescriptum (Decr. 6 Octobris 1870).

31. Christifideles omnes, qui frequenti peccatorum confessione animum studentes expiare, *semel saltem in hebdomada* ad Sacramentum Poenitentiae accedere, nisi legitime impediantur, *consueverunt* et nullius lethalis culpae a se post praedictam ultimam Confessionem commissae sibi conscii sunt, *omnes* et *quascumque Indulgentias* consequi possunt, etiam sine actuali Confessione, quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria esset. Nihil tamen innovando circa Indulgentias Jubilaei, tam ordinarii quam extraordinarii, aliasque ad instar Jubilaei concessas, pro quibus assequendis, sicut et alia opera injuncta, ita et sacramentalis Confessio, tempore in earum concessione praescripto, peragantur (Decr. 9 Dec. 1763).

32. Declaratum est: 1.° Confessionem hebdomadalem valere et extendi etiam pro lucranda Indulgentia, vulgo de Portiuncula 2 Augusti. — 2.° Non valere pro lucranda Indulgentia *in forma Jubilaei.* — 3.° Non suffragari illis, *qui non assolent* confiteri semel saltem in hebdomada, sed rarius; licet confessi sint intra hebdomadam ante festivitatem, cui est annexa Indulgentia (Decr. 12 Martii 1855).

33. Ad dubium: Utrum Confessio praescripta per *singulas hebdomadas* peragi debeat infra septem vel potius infra octo dies? S. Congregatio respondit: Affirmative ad primam partem, id est, praescriptam Confessionem peragi debere *quolibet decurrente septem dierum spatio;* Negative ad secundum partem (Decr. 23 Nov. 1878). Hinc fidelis, qui sacramentalem Confessionem peragit, ex gr. quolibet Sabbato, satisfacit proculdubio obligationi praescriptae Confessionis (Decr. 25 Febr. 1886 — Raccolta).

34. S. Congregatio Indulgentiarum (Decr. 12 Junii 1822) statuit, in locis, in quibus *ob inopiam Confessariorum* nequeunt fideles frequenter Confessione sacramentali expiari, Confessionem peractam *infra hebdomadam* ante festivitatem, cui adnexa est aliqua Indulgentia plenaria, suffragari ad eam lucrandam, expletis aliis conditionibus injunctis, et dummodo nullius lethalis culpae post peractam Confessionem commissae conscii sint, nihil innovando circa Indulgentias ad formam Jubilaei concessas, ut in Decr. 9 Dec. 1763 n.° 31 relato. Ubi notandum maxime est: 1.° Praefatum privilegium concedi solere illis Dioecesibus, quarum Rmi Ordinarii, attenta inopia Confessariorum, illud *postulant.* Requiritur ergo speciale Indultum. 2.° Verba *infra hebdomadam* significare *octo dies* tantum quae festivitatem immediate praecedunt, non autem hebdomadam illam totam et integram, quae ante festum decurrit. 3.° Confessionem octava die ante festivitatem peractam suffragari etiam ad lucrandas

omnes alias Indulgentias, quae infra praedictum tempus occurrunt, et ad quas lucrandas sacramentalis Confessio caeteroquin requireretur (Decr. 28 Sept. 1838 et 15 Dec. 1841. Raccolta, pag. XVIII).

35. Ob eamdem rationem scilicet *inopiae Confessariorum,* solet Apostolica Sedes concedere, ut fidelibus illarum Dioecesum, quarum Rmi Ordinarii Indulti *petitionem faciunt,* Confessio habitualiter facta *infra duas hebdomadas,* sufficiat ad acquirendas Indulgentias eo temporis intervallo occurrentes. — Verba autem *infra duas hebdomadas* stricte interpretanda sunt, ita ut praescripta Confessio peragi debeat *quolibet decurrente quatuordecim dierum spatio,* nec sufficit bina Confessio in mense (Decr. 23 Nov. 1878).

Unde consequitur, oneri praescriptae Confessionis satisfacere Christifideles, qui iis in locis pro quibus viget Indultum, *alternis hebdomadis* et *stato die,* e. g. Sabbato, Confessionem peragere solent (Decr. 25 Febr. 1886, et Raccolta).

36. *Communio,* prout etiam Confessio, *potest anticipari* pridie ejus diei, pro quo concessa est Indulgentia quaelibet, juxta Decretum supra allatum n. 30.

37. Per Confessionem et Communionem die Paschatis Resurrectionis peractam, et Indulgentia plenaria Papali Benedictioni adnexa lucratur, et satis praecepto Paschatis fit (Decr. 19 Martii 1841).

38. Christifideles suscipientes tempore paschali S. Communionem, et satisfaciunt praecepto paschali, et lucrari possunt Indulgentiam, pro qua praescripta est S. Communio, dummodo Indulgentia lucrifacienda non sit in forma Jubilaei, pro qua tantum requiritur peculiaris Confessio atque Communio (nisi tamen aliter constet ex Bulla indictionis ejusdem). (Decr. 10 Maji 1844).

39. *Eodem die lucrari possunt plures Indulgentiae plenariae,* etiamsi pro unaquaque praescripta sit perceptio divinae Eucharistiae (Decr. 29 Maji 1841). Et proposito dubio « an hujusmodi Decretum respiciat solas Indulgentias in una die occurrentes propter festivitatem, vel potius etiam illas, quas unusquisque ob suam devotionem tali diei per hebdomadam aut mensem adfixerit ». S. Congregatio respondit: *Affirmative,* nempe utrasque respicere. (Decr. 29 Febr. 1864). Hinc infertur:

1.° Sacerdos, qui Missam celebrat, e. g. pro defuncto, eidemque applicat Indulgentiam plenariam Altaris privilegiati, potest eodem die, vi sacrae Communionis in Missae Sacrificio peractae, lucrari aliam Indulgentiam plenariam vel sibi vel defunctis applicabilem, si ad hanc lucrandam praescribitur sacra Communio (Decr. 10 Maji 1844).

2.° Sacerdos, in honorem B. Mariae V. Missam celebrans pro accepta eleemosyna, potest per sacram Communionem Missae Sacrificio peractam, lucrari Indulgentiam vel sibi vel defunctis applicandam, si ad hanc lucrandam praescribitur sacra Communio. (Decr. eod.).

40. Si iisdem piis operibus, quae a fidelibus iterari non possunt, variis titulis Indulgentiae sint adnexae, possunt omnes lucrifieri; dummodo opera injuncta vere iterari nequeant (v. g. jejunium, Communio) vel non soleant, sicuti Confessio, nisi sit aliunde necessaria, nempe in casu relapsus (Decr. 12 Jan. 1878).

41. Pius PP. IX, spiritualis gregis sibi crediti utilitati prospiciens, clementer indulsit, ut Christifideles habitualiter *infirmi chronici,* exceptis tamen illis qui in Communitate morantur, acquirere possint omnes et singulas Indulgentias plenarias, jam concessas, vel in posterum concedendas, quasque alias acquirere possent in locis, in quibus vivunt, si in eo physico statu non essent, pro quarum acquisitione praescripta sit sacra Communio et visitatio alicujus Ecclesiae vel publici Oratorii in locis iisdem; dummodo vere poenitentes confessi, ac ceteris omnibus absolutis conditionibus, si quae injunctae fuerint, loco S. Communionis et visitationis, *alia opera* a respectivo Confessario injungenda, fideliter adimpleant. (Decr. 18 Sep. 1862).

42. Quoad *Surdo-Mutos* propositum fuit dubium: An et quomodo Surdo-Muti supplere valeant impotentiae, qua detinentur, preces recitandi pro Indulgentiis acquirendis injunctis? S. Congregatio statuit, et Pius IX approbavit sequentia: 1.° Si inter opera pro lucranda indulgentia praescripta sit visitatio alicujus Ecclesiae, Surdo-Muti Ecclesiam ipsam devote visitare teneantur, licet mentem tantum in

Deum elevent et pios affectus. 2.° Si inter opera sint publicae preces, Surdo-Muti possint lucrari Indulgentias iis adnexas, corpore quidem conjuncti ceteris fidelibus in eodem loco orantibus, sed pariter mente tantum in Deum elevata et piis cordis affectibus. 3.° Si agatur tandem de privatis orationibus, proprii Mutorum et Surdorum Confessarii valeant easdem orationes commutare in alia pia opera aliquo modo manifestata, prout in Domino expedire judicaverint (Decr. 15 Martii 1852).

(Continuabitur)

III.

VARIA

BREVIS CONSPECTUS

Kalendarii pro anno Domini 1892.

Litter. Dominic. *C. B.*; Litter. Martyrol. *a.*; Epact. *I.*; Aur. numer. *12.*; Cycl. solar. *25.*; Indict. Roman. *5.*

Jan. 1. Fer. 6. Circumcisio Domini.
» 3. Dom. (vac.) Octav. S. Joann. Evang.
» 6. Fer. 4. Epiphania Domini.
» 10. Dom. inf. oct. et 1. p. Epiph. Inc. Epist. 1. ad Corinth. 9. l. et com. B. Aegidii C. 1. O.
» 11. Fer. 2. De 4. die inf. oct. com. S. Hygini P. M.
» 17. Dom. 2. p. Epiph. S. Antonii Abb. Incip. Epist. 2. ad Corinth.
» 24. Dom. 3. p. Epiph. S. Timothei E. M. Inc. Epist. ad Galat.
» 27. Fer. 4.... Inc. Epist. ad Ephes.
» 31. Dom. 4. p. Epiph. B. Ludovicae Vid. Inc. Epist. ad Philippens.
Febr. 3. Fer. 4.... Inc. Epist. ad Colossens. et 1. et 2. ad Thessalonic.
» 7. Dom. 5. p. Epiph. B. Antonii a Stronc. C.
» 8. Fer. 2.... Inc. Epist. 1. ad Timoth.
» 9. Fer. 3. B. Aegidii a S. Jos. C. 1. O. Inc. Epist. 2. ad Timoth. 9. l. et com. S. Apolloniae V. M.
» 12. Fer. 6.... Inc. Epist. ad Titum.
» 13. Sab. SS. VII. Fundatorum. Inc. Epist. ad Philemon. 9. l. com. et ult. Evang. Dom. 6. p. Epiph., ac com. B. Viridianae V.
» 14. Dom. Septuagesimae. Inc. lib. Genesis.
» 16. Fer. 3. Orationis Domini.
» 18. Fer. 5.... Officium Defunctorum.
» 21. Dom. Sexagesimae.
» 23. Fer. 3. Passionis Domini.
» 24. Fer. 4. (Vigilia) Cathedra S. Petri Antioch. (f. heri).
Febr. 25. Fer. 5. S. Mathiae Ap.
» 26. Fer. 6. B. Sebastiani ab Appar. C.
» 27. Sab. S. Ignatii E. M.
» 28. Dom. Quinquagesimae, com. B. Eustochii V.
» 29. Fer. 2. B. Thomae a Cor. C.
Mart. 2. Fer. 4. Cinerum.
» 4. Fer. 6. Spineae coronae Domini.
» 6. Dom. 1. Quadrag. (Ind. plen.).
» 7. Fer. 2. S. Coletae V, (f. heri.) (1)
» 9. Fer. 4.... Quat. Temp.
» 11. Fer. 6. Lanceae et clavor. Domini. — Quat. Temp.
» 12. Sab.... Quat. Temp.
» 13. Dom. 2. Quadrag.
» 18. Fer. 6. SS. Sindonis Domini.
» 20. Dom. 3. Quadrag.
» 25. Fer. 6. Annuntiatio B. M. V.
» 27. Dom. 4. Quadrag., com. B. Peregrini C.
April. 1. Fer. 6. SS. Sanguinis Domini.
» 3. Dom. Passionis. (Ind. plen.).
» 4. Fer. 2. S. Benedicti a S. Phil. dup. 2. cl. (f. heri). (2)
» 8. Fer. 6. VII. Dolorum B. M. V.
» 10. Dom. Palmarum.
» 11. Fer. 2. maj. hebd.
» 12. Fer. 3. » »
» 13. Fer. 4. » »
» 14. Fer. 5. Coena Domini.
» 15. Fer. 6. Parasceve Domini.
» 16. Sab. sancto.
» 17. Dom. Resurrect. D. N. J. C.
» 18. Fer. 2. Pasch.
» 19. Fer. 3. Pasch.
» 20. Fer. 4. inf. oct. Pasch.
» 21. Fer. 5. » » »
» 22. Fer. 6. » » »
» 23. Sab. » » »
» 24. Dom. in Albis.
» 25. Fer. 2. S. Marci Ev. Litan. omn. Sanct. O. N., process. et Miss. Rogat.
» 26. Fer. 3. S. Raphaelis Archang. dup. 2. cl. (f. 16. huj.) (3)
» 27. Fer. 4.... Inc. lib. Act. Apostolor.
Maj. 1. Dom. 2. p. Pasch. SS. Philippi et Jacobi Ap. (4)
» 4. Fer. 4. S. Monicae Vid. dup. 9. l. et com. B. Christophori a Milano C. 1. O.
» 8. Dom. 3. p. Pasch. Patrocinium S. Joseph dup. 2. cl.
» 9. Fer 2.... Inc. Apocalyps. B. Joann. Ap.
» 15. Dom. 4. p. Pasch. De ea. — Inc. Epist. B. Jacobi Ap.
» 22. Dom. 5. p. Pasch. B. Joannis Forest M. dup. maj. 9. l. et ult. Evang. Dom. com. Dom. et B. Humilianae Vid.

(1) Festum S. Thomae Aquin. transferendum est.
(2) Festum S. Isidori transferendum est.
(3) Festum B. M. V. de bono consilio transferendum est.
(4) Secundum Decretum Rmi P. Min. Glis diei 16. Jun. 1873 festum SS. Sepulchri, ubi Dom. 2. p. Pasch. *perpetuo* est impeditum, Dom. 4. p. Pasch. celebrari debet, si vero *accidentaliter* sit impeditum, eo anno omittendum est.

Maj. 23. Fer. 2. (Rog.)... Inc. Epist. 1. B. Petri Ap. 9. l. com. et ult. Evang. fer.
» 24. Fer. 3. (Rog.)... In Miss. orat. de Rog.
» 25. Fer. 4.... 9. l. com. et ult. Evang. vig., in Miss. or. 4. de Rogat.
» 26. Fer. 5. Ascensio Domini.
» 27. Fer. 6. S. Mariae Magd. de Pazz. V. Inc. Epist. 2. S. Petri Ap. [*In Prov. Rom.* S. Philippi Ner. C. dup. 2. cl.].
» 29. Dom. inf. oct. et 6. p. Pasch. B. Joann. de Prado M.
» 31. Fer. 3.... Inc. Epist. 1. B. Joann. Ap.
Iun. 1. Fer. 4.... Inc. Epist. 2. B. Joann. Ap.
» 2. Fer. 5. Octava Ascens. Domini.
» 3. Fer. 6.... Inc. Epist. 3. B. Joann. Ap. — com. fer.
» 4. Sab. Vigilia Pent. — Inc. Epist. B. Judae Ap.
» 5. Dom. Pentecostes.
» 6. Fer. 2. Pent..
» 7. Fer. 3. Pent.
» 8. Fer. 4. inf. oct. Pent. (Quat. Temp.).
» 9. Fer. 5. » » »
» 10. Fer. 6. » » » (Quat. Temp.).
» 11. Sab. » » » (Quat. Temp.).
» 12. Dom. SS. Trinitatis.
» 14. Fer. 3.... Inc. lib. 1. Regum. [*In Germania* S. Bonifacii E. M. dup. 2. cl. (f. 5. huj.)].
» 16. Fer. 5. SS. Corporis Christi.
» 17. Fer. 6. inf. oct. Corp. Chr.
» 18. Sab. » » » »
» 19. Dom. 2. p. Pent. De Dom. inf. oct. Corp. Chr.
» 20. Fer. 2. inf. oct. Corp. Chr.
» 21. Fer. 3. » » » »
» 22. Fer. 4. » » » »
» 23. Fer. 5. Octava SS. Corp. Chr. 9. l. com. et ult. Evang. vig. Vesp. seq. com. praec. tant.
» 24. Fer. 6. Nativitas S. Joannis Bapt. — Vesp. seq. com. praec. tant. (1).
» 25. Sab. SS. Cordis Jesu dup. 1. cl. (additio ad 6. lection.).
» 26. Dom. 3. p. Pent SS. Joannis et Pauli Mm.
Jul. 3. Dom. 4. p. Pent. Pretiosiss. Sanguin. Chr.
» 10. Dom. 5. p. Pent. De ea. Inc. lib. 2. Regum. — col. alb.
» 13. Fer. 4.... Officium Defunctorum.
» 17. Dom. 6. p. Pent. S. Alexii C.
» 23. Sab.... 9. l. com. et ult. Evang. vig.
» 24. Dom. 7. p. Pent. (Ind. plen.) S. Francisci Sol. C.
» 27. Fer. 4.... Inc. lib. 3. Regum.
» 31. Dom. 8. p. Pent. (1. Aug.) S. Ignatii C. — Inc. Parabol. Salomon.
Aug. 7. Dom. 9. p. Pent. (2. Aug.) S. Cajetani C. — Inc. lib. Eccle.
» 13. Sab.... 9. l. com. et ult. Evang. vig.
» 14. Dom. 10. p. Pent. (3. Aug.) B. Sanctes C. — Inc. lib. Sapient.
» 21. Dom. 11. p. Pent. (4. Aug.) S. Joachim C. dup. 2. cl.
» 23. Fer. 3.... Inc. lib. Eccli.

(1) Cfr. Rubr. n. pecul. n. 127. Ephem. liturg. ann. V. pag. 186.

Aug. 28. Dom. 12. p. Pent. (5. Aug.) Puriss. Cordis B. M. V.
Sept. 4. Dom. 13. p. Pent. (1. Sept.) (Ind. plen.) S. Rosae Vit. V. dup. 2. cl.
» 5. Fer. 2.... Inc. lib. Job.
» 11. Dom. 14. p. Pent. (2. Sept.) SS. Nominis B. M. V.
» 16. Fer. 6.... Officium Defunctorum.
» 18. Dom. 15. p. Pent. (3. Sept.) VII. Dolorum B. M. V.
» 19. Fer. 2.... Inc. lib. Tobiae.
» 21. Fer. 4.... (Quat. Temp.)
» 23. Fer. 6.... (Quat. Temp.)
» 24. Sab.... (Ind. plen.) (Quat. Temp.)
» 25. Dom. 16. p. Pent. (4. Sept.) B. M. V. de Mercede.
» 26. Fer. 2.... Inc. lib. Judith.
Oct. 1. Sab.... Inc. lib. Esther, ex Dom. 5. Sept.
» 2. Dom. 17. p. Pent. (1. Oct.) SS. Rosarii B. M. V. dup. 2. cl.
» 3. Fer. 2.... Inc. lib. 1. Machabaeor.
» 9. Dom. 18. p. Pent. (2. Oct.) Maternitat. B. M. V.
» 16. Dom. 19. p. Pent. (3. Oct.) Puritat. B. M. V.
» 23. Dom. 20. p. Pent. (4. Oct.) (Ind. plen.) S. Joann. a Capistr. C. dup. 2. cl.
» 24. Fer. 2.... Inc. lib. 2. Machabaeor.
» 26. Fer. 4.... Officium Defunctorum.
» 27. Fer. 5.... Ll. 1. Noct. ex Dom. 5. Oct.
» 30. Dom. 21. p. Pent. (1. Nov.) De ea. col. virid. Inc. Ezechiel.
Nov. 2. Fer. 4. De octava. — Commem. omn. fidel. Defunctorum.
» 6. Dom. 22. p. Pent. (3. Nov. — 2. cum sua hebd. omitt.) De ea. Inc. Daniel. — col. alb.
» 13. Dom. 23. p. Pent. (4. Nov.) Patrocinium B. M. V.
» 14. Fer. 2.... Inc. Oseas.
» 15. Fer. 3.... Inc. Joel.
» 17. Fer. 5.... Inc. Amos, Abdias, Jonas.
» 20. Dom. 24. et ult. p. Pent. (5. Nov.) S. Felicis C. Inc. Michaeas.
» 22. Fer. 3. S. Caeciliae V. M. Inc. Nahum, Habacuc, Sophonias.
» 24. Fer. 5.... Inc. Aggaeus, Zacharias, Malachias.
» 27. Dom. 1. Adventus.
Dec. 2. Fer. 6.... Commem. omn. Defunctorum trium Ordinum S. P. N. F.
» 4. Dom. 2. Adventus.
» 9. Fer. 6. S. Silvestri Abb. dup. 9. l. B. Joannae a Signa V. com. oct. fer. et simp.
» 11. Dom. 3. Adventus.
» 14. Fer. 4.... (Quat. Temp.).
» 16. Fer. 6.... (Quat. Temp.)
» 17. Sab.... (Quat. Temp.)
» 18. Dom. 4. Adventus.
» 25. Dom. (vac.) Nativitas D. N. J. Chr.
» 30. Fer. 6. De Dom. inf. oct. Nativ. — Inc. Epist. ad Roman.

Festa duplicia majora et sanctorum Ecclesiae Doctorum, quae hoc anno propria die celebrari nequeunt, in sequentes dies sunt transferenda, nisi alicubi isti dies ad hoc vacui non sint:

Ex 23. Febr: Cathedr. S. Petri Antioch. — ad 24. Febr.
» 7. Mart: S. Thomae Aqu. C. D. — ad 16. Mart.
» 20. Mart: B. Joannis a Parma C. — ad 31. Mart.
» 25. Mart: SS. V Vulner. Dni — ad 26. Mart.
» 27. Mart: S. Joannis Damasceni C. D. — ad 6. April.
» 4. April: S. Isidori E. D. — ad 7. April.
» 24. April: S. Fidelis M. — ad 22. Decemb.
» 26. April: B. M. V. de Bono Consilio — ad 29. Octob.
» 22. Maj: Dedic. basil. Assis. — ad 6. Septemb.
» 11. Jun: S. Barnabae Ap. — ad 1. Decemb.
» 16. Jun: B. M. V. de Succursu — ad 31. Octob.
» 2. Octob: SS. Angelor. Custod. — ad 3. Novemb.
» 18. Decemb: Exspectatio partus B. M. V. — ad 19. Decemb.

—

Ubique hoc anno ad instar simplicis celebrantur sequentia festa duplicia majora et sanctorum Ecclesiae Doctorum:

Die 11. April: S. Leonis P. D.
» 21. April: S. Anselmi E. D.
» 8. Maj: Apparitio S. Michaelis Archang.
» 12. Jun: B. Guidi C.
» 28. Aug: S. Augustini E. D.
» 11. Sept: S. Alphonsi E. D.
» 4. Dec: S. Petri Chrysologi E. D.

—

Hoc anno ubique nihil fit de sequentibus festis:

Die 14. April. de S. Justino M.
» 15. April. de S. Cyrillo Alexandr. E. D.
» 17. April. de S. Cyrillo Hierosolym. E. D.
» 18. April. de B. Andrea Hibern. C.
» 19. April. de B. Conrado ab Asc. C.
» 1. Maj. de SS. Sepulchro Dni.
» 26. Maj. de S. Philippo Ner. C. (exc. Prov. Rom.)
» 5. Jun. de B. Pacifico a Cered. C.
» 6. Jun. de S. Norberto E.
» 7. Jun. de Bb. Stephano et Raymundo Mm.
» 25. Jun. de S. Gulielmo Abb.

—

SERIES PRAELATORUM

Ref. Provinciae Poloniae Minoris sub Titulo Beatissimae Virginis MARIAE *Angelorum in Imperio Russico.*

(Continuatio)

57. A. R. P. Felix Janovscius electus sub praesidentia A. R. P. Josephi Drochojevscii (Drochojewski) Commissarii Episcopalis et Generalis 20 Julii 1806, Jaroslaviae S. T. L. Primam Congreg. interm. celebravit Stopnicii die 16 Augusti 1807 et alteram etiam Stopnicii die 17 Julii 1808. Obiit Stopnicii die 17 Aprilis 1815.

58. A. R. P. Lucianus Novosielecius (Nowosielecki) sub praeside A. R. P. Josephi Mencinscii (Mencinski) Commis. ac Visitatoris ab Illustrissimo Episcopo Andrea Gavronscii (Gawronski) delegati in Capit. Stopnicii die 22 Octobr. 1809; electus est prius Def. hab. Mag. Novit. Custos Provinciae. Diebus ejus facta est divisio Conventuum Galiciae occidentalis a Provincia Angelorum Min. Poloniae videlicet Conventus Kentensis, Zaktierynensis, Becensis, Jaroslaviensis, Premisliensis, Visnensis et Ravensis; quorum Rector et Commissarius ab Archiepiscopo ad instantiam Gubernii constitutus est, R. P. Innocentius Broniewski Def. act. ac Conventus Becensis Praesidens. Primam intermed. Congreg. celebravit Stopnicii die 15 Aug. 1810. Secunda Congreg. Def. celebrata iterum Stopnicii die 29 Junii 1811.

59. A. R. P. Prosper Burzynscius (Burzynski) Expraefectus Mi sionum Apost. in Aegypto, sub praeside A. R. P. Archangeli Gajevscii (Gajewski) Prov. Definitoris habit. Praedic. emer. electus in Capit. Stopnicii die 28 Junii 1812. S. T. et Phil. L. piissimus et observantissimus. Primam Congreg. Cracoviae die 21 Julii 1813 celebravit. Secundam Congr. Def. Cracoviae die 29 Junii 1814. A. R. P. Prosper Burzynski, absoluto Provincialatu, Episcopus Sandomiriensis est nominatus. Illustrissimus et Reverendissimus P. Prosper Burzynski, natus fuit 1755 ingressus in Ordinem 1772. Missionarius factus 1790 reversus 1810. Episcopus Sandom. consecr. 1820 mortuus 1830. Sandomiriae aetatis annor. 75. Religionis 58. Episc. 10, die 9 Septembris.

60. A. R. P. Stephanus de Medem sub praesid. A. R. P. Desiderii Klein S. T. L. Ex-Custodis Regiminis Silesiae electus in Cap. Sandomiriae d. 29 Junii 1815. S. T. L. Mag. Novit. Vir doctissimus, ac observantissimus. Primam interm. Congreg. Definitorialem celebravit Sandomiriae die 30 Junii 1816; secundam autem 2 Julii 1817 iterum Sandomiriae.

61. A. R. P. Crescentianus Kasprzycius (Kasprzycki) S. T. L. ac Philosophiae, Mag. Novitior. Guardianus ac Custos Provinciae; sub praesid. A. R. P. Archangeli Gajevscii (Gajewski) Conv. Vielicensi Guardiani in Cap. Sandomiriae die 2 Julii 1818 celebrato electus. Primam intermed. Congreg. Def. convocavit ad conventum Stopnicensem die 29 Junii 1819. Secundam in Conv. Pinczoviensem d. 24 Junii 1820. Obiit qua Guardianus et Mag. Nov. Stopnicii d. 27 Decembris 1824.

62. A. R. P. Stephanus de Medem 2° sub praesid. A. R. P. Caroli Suroviecii (Surowiecki) Prov. S. Antonii Maj. Poloniae Custodis S. T. L. Commis. ac Visitat. Generalis in Cap. Sandomiriae d. 8 Julii 1821 electus. In hoc Capitulo, quoniam Conventus in Galicia sub Ditione Austriaca positi diversas experti sunt vicissitudines, nam anno Domini 1806 coadunati sunt Provinciae huic B. V. MARIAE Angelorum, sicque manserunt usque ad annum 1810 quo tandem rescissi sunt, distinctam formant Provinciam. — Hinc visum est Patribus utriusque Definitorii Provinciarum tum Galicianae tum Minoris Poloniae B. V. MARIAE Angelorum mutuam inter se facere combinationem quoad suffragia post mortem patrum ac fratrum in utraque Provincia decedentium absolvenda. — Et quidem ab anno 1806 ad annum 1810 in utraque

Provincia Professi post mortem gaudebant integris suffragiis. Jamvero, qui ab anno ultimae Provinciarum dismembrationis, videlicet 1810 ad diem 14 Julii 1819, Religionem sunt ingressi ac tandem professi in sua respectiva Provincia integris in Prov. Angelorum Galiciani unius dumtaxat diei suffragiis potientur. Post annum autem 1819, die 14 Julii, ingressi et professi in sua tantum Provincia quisque jus ad suffragia habebit.

Primam Congr. Def. celebravit Sandomiriae d. 30 Junii 1822. et alteram Stopnicii die 29 Junii 1823.

63. A. R. P. Liborius Paluchovius (Paluchowicz) S. T. L. sub praesid. A. R. P. Crescentiani Kaspczycii (Kaspczycki) Ex-Min. ac Prov. Commiss. et Visitatoris Generalis in Capitulo Stopnicii 4 Julii 1824 electus. Primam Congr. convocat ad Conv. Cracoviensem 29 Junii 1825. Secundam vero Sandomiriae 29 Junii 1826. In qua observantia voti paupertatis summopere commendatur et observari omnino praecipitur, Statuta et Regulam in memoriam revocando. Obiit Pinczoviae 10 Januarii 1819.

64. A. R. P. Antonius Kaczorkievius (Kaczorkiewicz) S. T. L. sub praesid. A. R. P. Stephani de Medem Ex-Provincialis S. T. L. electus in Conv. Stopnicensi 25 Julii 1827. Tempore magni Jubilaei Romae S. Papae Leonis XII et Sacrosanctae Basilicae Lateranensis Poenitentiarius Apostolicus. Primam interm. Congreg. celebravit in Conventu Pilicensi 29 Junii 1828. Alteram autem in Conventu Cracoviensi et quidem die 30 Junii 1829. Obiit Cracovia aetatis anno 74 Religionis 58 anno 1840.

65. A. R. P. Stephanus de Medem 3° sub praesid. A. R. P. Liborii Palochovii (Paluchowicz) Ex-Min. Prov. S. T. L. actualis in Cap. Pilicii 29 Junii 1830 electus, Ex-Def. Generalis, decus Provinciae hujus. Primam interm. Congr. celebravit 24 Junii 1831 Pilicii. Secundam autem Sandomiriae 8 Julii 1832. Obiit Cracoviae 5 Julii 1843 an. aetatis 81 Relig. 64 sepultus in tumulo famil. Manczynskri in publico coemeterio.

66. A. R. P. Paulus Fedrzejevius (Fedrzejewicz) S. T. L. Custos Provinciae, vir magnae prudentiae et observantiae sub praesid. A. R. P. Antonii Kaczorhievii (Kaczorkiewicz) S. T. L. et Ex-Provincialis hujus Provinciae electus in Capitulo Sandomiriae die 30 Junii 1833. Provincia hocce tempore erat in deplorabili statu. Ideo jam prima Congreg. Defin. Pinczoviae die 13 Julii 1834 celebrata opportunas sancivit ordinationes. Anno 1835 celebravit secundam Congregationem, sed qua die et quo loco, non adnotatur.

67. A. R. P. Joachimus Majevscius (Majewski) Custos et Secretarius Provinciae omnibus charus, sub praes. A. R. P. Liborii Patuchovii (Patuchowioz) Ex-Min. Prov. s. Theologiae Lector Commissarii ac Visitatoris, electus in Cap. in Conv. Chermensi die 20 Junii 1836. Primam Congr. Def. habuit die 27 Junii 1837 et quidem in Conv. Stopnicensi. Secundam Congr. iterum in Conv. Stopnicensi die 2 Julii 1838 absolvit. Post brevem, infirmitatem Sacramentis provisus piissime obiit Cracoviae die 25 Decembris 1838, aetatis suae annor. 45, religionis 30.

(Continuabitur)

IV.

BIBLIOGRAPHIA

Anonymus, Min. Obs. — Petit Manuel du Tiers-Ordre de Saint-François publié par les Franciscains ou Frères Mineurs de l'Observance. Se trouve chez les Soeurs Franciscaines 34. Rue de la Teste à Bordeaux 1889. In-32. Pag. 178 — 37.

Anonymus, Min. Obs. — Le chemin de la Croix, guide théorique et pratique par un Frère Mineur. Nouvelle édition. Vanves près Paris, Imprimerie Franciscaine-Missionnaire, 16 route de Clamart. 1891. In-32. Page 64.

Antonius a Lovera, Min. Ref. — 1. Archeologiae Biblicae compendium exaratum studio et opera P. Josephi Antonii a Lovera, Ord. Min. Strict. Observ. Missionarii Apostolici in Patriarchatu Hierosolymitano. Mediolani, Typis Vallardianis MDCCCXC. In-16. Pag. 117. (Pretium lib. 1).

2. Exegeticae Introductionis in S. Scripturam Epitome, exarata studio et opera P. Josephi Antonii a Lovera Ord. Min. Strict. Observ. Missionarii Apostolici in Patriarchatu Hierosolymitano. Mediolani, Typis Vallardianis MDCCCXCI. In-16. Pag. 138. (Pretium Lib. 1).

P. Joseph Coll, Min. Obs. — Colón y la Rábida, con un estudio acerca de los Franciscanos en el Nuevo Mundo, por el M. R. P. Fr. José Coll, Definidor General de la Orden de San Francisco. Con las licencias necesarias. — Madrid, Libreria Católica de Gregorio del Amo, Calle de la Paz, núm. 6. — 1891.

P. Henricus a Grèzes, Min. Cap. — 1. Le Sacré Cœur de Jésus: Etudes franciscaines, publiées à l'occasion du deuxième centenaire de la Bienheureuse Marguerite-Marie, par le R. P. Henri de Grèzes des FF. MM. Capucins. — In-12. Pag. VI-408.

2. Vie du Bienheureux Félix de Nicosie, de l'Ordre des FF. Mineurs Capucins: par le

R. P. Henri de Grèzes du même Ordre. *Nouvelle édition* revue et augmentée. — In-12. Pag. XXII-331. Prix: 2 fr. 50.

Ambo: Delhomme et Briguet, éditeurs: Lyon, 3, avenue de l'Archevêché; Paris, 13, rue de l'Abbaye. — 1890.

Periodicum. — El Eco Franciscano, revista mensual, bendecida por el Summo Pontefice Leon XIII, consagrada á fomentar la devoción al Seráfico Patriarca S. Francisco de Asis, á propagar sus tres Ordenes y á promover en ellas la imitácion del Santo Fundador, publicada por los PP. Franciscanos del Colegio de Misioneros para Tierra Santa y Marruecos, establecido en Santiago (Hispania).

Fascic. mens. 48 pag. Pretium associat. *quinque franci* singulis annis intra Hispaniam et *decem franci* in aliis regionibus.

Enixe hoc franciscale periodicum omnibus nostris Consodalibus, maxime Tertiariis, linguam hispanicam callentibus, commendamus, non dubitantes quin ex ejusdem lectione, tum in bonis moribus instruendis, tum in utilibus cognitionibus acquirendis quamplurimum proficiant. Plurima in hocce periodico ad trium Ordinum historiam Missionumque Franciscalium progressum spectantia traduntur, ideoque non immerito inter primarias ejusdem generis ephemerides adnumeratur. Siquidem, nostri Observ. Compostellani Collegii Patres, pietate simul ác scientia praecellentes, SSmi D. Nostri Leonis Papae XIII consiliis inhaerentes, totis viribus adlaborant in spiritu seraphico restituendo ac in nostra societate diffundendo, ad quod maximopere confert majorum nostrorum exempla imitanda proponere. Non raro etiam praecipuorum Ordinis nostri virorum imagines exhibent.

Nuper SSmus D. Noster Leo Papa XIII hoc periodicum benedicere dignabatur ejusque redactores ut in suo proposito prosequerentur his hortabatur verbis: *Pergite alacres in suscepto opere ad Ecclesiae catholicae decus et honorem.*

Quapropter enixe nostros Consodales hortamur ut praelaudatum folium pro viribus propagare studeant ad *decus et honorem Sanctae Matris Ecclesiae,* nostrique Seraphici Ordinis.

In sectione bibliographica omnia opera quorum unum exemplar transmittitur, commendantur.

Pro associatione facienda sic scribatur: *R. P. Administrador de El Eco franciscano Colegio de PP. Franciscanos* Santiago, Coruña, España.

V.

NECROLOGIA

Divinae Providentiae consilio factum est ut Missio Chan-si meridionalis in Imperio Sinensi gravissimam iacturam fecerit, maximos in luctus inciderit ob mortem eheu immaturam Illmi ac Revmi Domini Martini Poell, qui quot aerumnas per plures annos sustinuerit, quot pericula obierit, quo labore, qua sedulitate ad Dei gloriam amplificandam, animarum saluti consulendum sit enixus, profecto neminem nostrûm latet.

Illmus et Revmus Pater ortum habuit 20 Martii anni 1845 Werthae, in oppido Provinciae Limburgi Germaniae Inferioris et piis atque honestissimis parentibus, qui ei in baptismo Michaelis nomen dedere.

In ipso oppido natali prima litterarum elementa atque humanitatis studia cum successu felicissimo absolvit. Divina voce ad Ordinem seraphicum amplectendum vocatus, annos natus vix sexdecim, habitum religiosum induit in Conventu Mosaetrajectensi anno 1861, ubi anno sequenti 1862, votis simplicibus emissis, studia philosophiae honorifice absolvit. Professionem solemnem emisit in Conventu Werthensi anno 1865, ubi dedit operam studiis theologicis atque ut erat praeclaro ingenio, rara diligentia, atque firmo constantique animo praeditus, in utraque disciplina progressus tulit sane singulares.

Illmus et Revmus defunctus, sacerdotalis dignitatis gradum ascendit anno 1869; quum optimarum artium studiis apprime esset eruditus, ad Gymnasium nostrum Venradiense jam fuerat missus ubi iis, in quibus aetas puerilis atque adolescens instrui solet artibus, summa laude erudivit alumnos, quos omnes affectu complectebatur vere paterno, diligebat et quasi in sinu gestabat; ipsi vero non minore suum magistrum observantia atque amore prosequebantur. Neque solum in oculis alumnorum et civium magnus, sed intus domique inter Fratres praestantior evasit, fuit etenim ad labores semper impiger, ad pericula fortis, ad usum et disciplinam peritus, ad consilia prudens, ad omnes casus Superiorum nutu fe-

rendos semper paratus; imprimis vero fuit cunctis Fratribus in amore et deliciis ob animi submissionem et modestiam, ob charitatem, ob gravitatem conditam comitate, denique quod caput est ob vitam vere religiosam, tenerrimam in DEUM ac B. MARIAM Virginem pietatem atque spiritus seraphici plenitudinem. Neque mirum, sic enim in pueritia fuerat a parentibus institutus ut disceret DEUM timere atque amare, sapientia et gratia proficere apud DEUM et homines.

Quatuor vix annis in Gymnasii magisterio ad excolendos adolescentium animos transactis, summa ope niti coepit ut id, quod a pueris in votis habuerat, adolescens exarserat, religiosus nihil antiquius unquam habuerat, missionem ad exteras nationes infideles impetraret. Itaque anno 1873 a Revmo P. Bernardino a Portu Romatino eundi inter infideles licentiam petiit, qua impetrata voti compos factus ad Sinensem Provinciam Hu-pé Orientalem destinatus est, ubi neque labori parcens, neque operae omne studium, omnem industriam in infidelium conversione ponere coepit et perseveravit, donec anno 1877 cum Illmo et Revmo Dno Eustachio Zanoli in patriam fuit redux ad stipem colligendam, apud nationis suae CHRISTI fideles et amicos, atque hinc sequenti anno ad Missionem rediit ibique hucusque mansit.

Quanta animi alacritate Sinensem ingressus palaestram quemvis laborem pertulerit, quam feliciter infidelium saluti semper consuluerit, quam semper invictus a labore itinerum, quam impiger in Evangelio annuntiando, in invitandis, erudiendis atque exhortandis infidelibus extiterit, ut paulum abfuerit quin vitam pro ipsa fide profunderet, noverunt laborum illius socii et administri, testantur fructus perennes ejus apostolatus. Postquam strenuus in vinea DOMINI operarius per 15 annos tot ac tanta prudentiae et dexteritatis in agendis rebus specimina dedisset, dignus est habitus qui anno 1888 transferretur ad Vicariatum Chan-si atque a suo Vicario Apostolico 8 Julii 1889 Provicarius Generalis totius partis meridionalis hujus Missionis designaretur.

Paulo post Summo Pontifici placuit hanc Missionis partem, quae ad meridiem vergit, curis committere Patrum Franciscalium Provinciae Germaniae Inferioris atque 20 Junii 1890 Illmum et Revmum Dnum Martinum Poell renunciare episcopum Cybistrensem et Vicarium Chan-si meridionalis. Die 14 Septembris Episcopus consecratus ab Illmo et Revmo Dno Gregorio Grassi, ad gregem sibi creditum pascendum se contulit, ubi a die consecrationis tertia hebdomade, stipatus corona Fratrum suorum, in festo S. P. N. Francisci primam in suo Vicariatu Missam Pontificalem DEO obtulit.

At quam repente, divino disponente consilio, extrema gaudii luctus occupavit! Illmus et Revmus Pater quem zelus domus DOMINI comederat, semper infidelium saluti intentus aeternae, majoribus quam corpus ferret, laboribus se dedisse docuit eventus. Quod enim initio ob firmam Illmi et Revmi Patris valetudinem parum angebamur, die 23 Decembris, quum, ut erat solitus, in sede confessionali multorum confessiones audisset ac praeter modum lassitudine gravatum se esse diceret, majorem coepit omnibus incutere timorem.

In festo Nativitatis DOMINI postquam summa pietate solemne Missae Sacrificium celebrasset, quum denuo gravi lassitudine affectus esset, Illmus aegrotus quieti sese dabat, quem haud multo post et nobis et medicis febri tiphica laborare facile constabat. In dies sic ingravescebat morbus, sic aestu febrique jactabatur ut die 1 Januarii Illmum Praesulem exeuntium sacramentis munientes, inter spem metumque suspensi, supplices atque assiduas preces DEO et B. MARIAE Virgini adhiberemus.

At quod placuit nobis, id non divinae placuit Providentiae. Placide obdormivit in DOMINO IV Nonas Jan. hora undecima Vespertina.

Sit in pace locus ejus et habitatio ejus in sancta Jerusalem.

R. I. P.

Nihil obstat

FR. ALOYSIUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

Maji 1891.

SUMMARIUM: *Communicationes Curiae generalis.* — I. ACTA ROMANO-SERAPHICA: S. C. R. U. Inquisitionis *Instructio ad Orientales Ordinarios de status libertate ante nuptias probanda.* — S. C. Indicis, *libri prohibentur.* — Ex S. R. Cong. *Privilegia occasione tertii Centenarii S. Aloysii Gonzagae concessa.* — S. C. Negot. ecclesiastic. extraord. *Institutio novi Commissarii et Reformatoris apostolici in Prov. S. Antonii de Charcas (Bolivia).* — *Novi Ordinis nostri Episcopi Consecratio.* — II. ACTA ORDINIS: *Capitula Provincialia hoc anno celebrata.* — *Synopsis indulgentiarum (Continuatio).* — III. MISSIONES: *Capitula Collegiorum Apostol. in America.* — *1.* S. C. de Propaganda Fide *Collegio S. Laurentii facultatem tribuit erigendi hospitium in* Rosario de Santa Fè. — *2. Decretum ejusdem S. C. quo dividuntur Missiones pertinentes ad Collegia* Castro et Chillan *in Chilena regione.* — IV. VARIA: *Series Praelatorum Ref. Prov. Poloniae Minoris.* — V. BIBLIOGRAPHIA. — VI. NECROLOGIA.

COMMUNICATIONES CURIAE GENERALIS

Die XX. Aprilis MDCCCXCI.

Ad privatam audientiam Sanctissimi in Christo Patris LEONIS Papae XIII, fel. regn., Rmus P. Aloysius de Parma, Minister Generalis totius Ordinis Minorum, admissus, Eidem Sanctissimo obtulit V. Volumen novae editionis omnium Operum Sancti Bonaventurae. Summus Pontifex, occasione accepta, laudibus extulit maximis tum hujusmodi editionem, tum viros egregios qui ad Claras Aquas, prope Florentiam, in ea adornanda summa cura et diligentia adlaborant. Quibus, nominatim vero P. Ignatio Jeiler Praefecto, peramanter impertitus est Apostolicam Benedictionem, omniaque fausta ominatus.

Pariter in eadem audientia idem Generalis Minister porrexit Summo Pontifici primum annum periodici *« L'Oriente Serafico »*, quod publicatur ad S. Mariam Angelorum prope Assisium; et vitam Sancti Antonii Patavini, conscriptam a quadam Sanctae Clarae Sanctimoniali, in Coenobio Gratianopolitano degente; cujus titulus *« Poème de Saint Antoine de Padoue »*, Parisiis typis editam. Utrumque donum summopere gratum habuit, atque in pignus suae benevolentiae, illius Directori ac scriptoribus, hujus vero auctrici piissimae specialiter benedixit.

Demum Ministro Generali ipsi omnibusque suae jurisdictioni subjectis apostolicam benedictionem toto cordis affectu est impertitus.

Ne Fratres nostri trepidi sint, audita explosione pulveris tormentarii prope moenia Urbis die 23 Aprilis p. e. producta, laetanter annuntiamus, Religiosos nostros, Dei misericordia, incolumes evasisse; Basilicas tamen Urbis ceterasque Ecclesias et Conventus nostros damna non modica passos esse. In hoc Collegio S. Antonii ultra duo francorum millia computantur damna illata, quae Divina Providentia et etiam Ordinis benefactorum largitionibus confisi, brevi resarcienda speramus.

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

S. C. R. U. INQUISITIONIS

Instructio ad Orientales locorum Ordinarios, de status libertate ante nuptias probanda.

Ut sua Christifidelium nuptiis stet unitas, utque in iis contrahendis nullitas vitetur, Suprema Congregatio Eminentissimorum Patrum una mecum Generalium Inquisitorum, auctorante SSmo D. N. Leone XIII, sequentem Instructionem exarandam et cum Episcopis Orientalibus communicandam mandavit, quae inter difficultates, quibus undique premuntur, magno illis usui et adjumento foret ad probandam status libertatem eorum, qui matrimonio jungi desiderant.

1. Status libertas triplici via detegi et juridice probari potest: 1.° publicationibus in ecclesia faciendis; 2.° documentis; 3.° examine testium.

2. Publicationes faciendae sunt in loco domicilii, vel quasi-domicilii. Expedit etiam, ut fiant in loco originis, si contrahentes ibidem morati fuerint post adeptam aetatem ad matrimonium contrahendum idoneam; atque insuper in locis ubi saltem per decem menses commorati fuerint, nisi jam a pluribus annis domicilium fixerint in loco, ubi matrimonium contrahendum est.

3. Testium examini, si in civitate episcopali fiat, praesit Vicarius generalis, si in aliis locis Dioecesis, parochus. Interrogationes vero et responsiones scripto diligenter mandentur, praemisso singulorum testium juramento de veritate dicenda.

4. Ad testimonium ferendum in hac materia etiam feminae possunt admitti, et recipiuntur magis consanguinei, nempe parentes, fratres, sorores etc., quam externi, quia praesumuntur melius informati; et cives magis quam exteri.

5. Fides, aliaque documenta quae a partibus vel de partibus producuntur, munita sint sigillo non parochi tantum, sed unde manarunt. Semper autem attente providendum erit, ut fides, seu testimonia bene et concludenter identificent personas de quibus agitur.

6. Si post probatam status libertatem duo, aut tres menses transierint, quin matrimonium fuerit celebratum, regulariter novus processus pro hoc temporis spatio fieri deberet; ast pro casuum varietate res relinquitur prudenti arbitrio Ordinariorum.

7. Si quis ex contrahentibus fuerit in articulo mortis, intra quem probabiliter tempus non suppetat instituendi diligentias necessarias, processus praescriptus poterit omitti, ita tamen, ut si infirmus convaluerit, debeant fieri diligentiae, seu processus antequam simul conveniant.

8. Si contrahentes sint vagi, non concedatur licentia contrahendi, nisi doceant per documenta Ordinariorum suorum, se esse liberos; quod si fides singulorum Ordinariorum, in quorum Dioecesibus per aliquod temporis spatium, annum non excedens, commorati sunt, haberi non possit, Ordinarius loci, in quo matrimonium est contrahendum, eos ad juramentum suppletorium admittere poterit, pro illis tantum locis, ex quibus fides authentica haberi non poterit. Insistendum tamen erit semper, ut contrahentes inducant testes fide dignos in respectivis locis examinandos. Si tamen id difficulter admodum fieri possit, admitti poterunt in Curia loci, ubi contrahitur matrimonium, te-

stes fide digni, qui status libertatem tempore vagationis concludenter probent; et si Ordinario opportunum videatur, admitti etiam poterit sponsus ad juramentum suppletorium, constito tamen sibi ipsum esse fide dignum.

9. Quod si dubium circa status libertatem contrahentium oriatur vel ex matrimonio, catholico modo, a catholicis celebrato: vel ex connubio ab haereticis aut schismaticis juxta diversarum sectarum statuta contracto, et postea per sententiam talium tribunalium dissoluto; aut ex contractu inter infideles, qui postea rescissus, aut nullus declaratus fuerit; standum Instructioni hujus Supremae Congregationis Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis, datae die 20 Septembris 1884, art. 4.

10. Testis examinandus moneatur de gravitate juramenti in hoc negotio ferendi, ac deinde interrogetur de nomine, cognomine, patre, patria, aetate, conditione et habitatione: tum an sit civis vel exterus; et quatenus exterus, a quo tempore sit in loco, in quo deponit. An ad examen accesserit sponte vel requisitus. Si dicat se accessisse sponte a nemine requisitum, dimittatur, quia praesumitur mendax; si requisitum, interrogetur a quo, vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, et quoties fuerit requisitus, et an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes. An sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine. An cognoscat contrahere volentes, ipsorum indolem, mores, conditionem, et a quo tempore, in quo loco, qua occasione. Si responderit negative, testis dimittatur, si vero affirmative, interrogetur, an iidem sint cives, vel exteri. Si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per litteras Ordinarii ipsorum doceatur de eorum libero statu, pro eo tempore quo in ejus Dioecesi morati sunt.

11. Ad probandum vero eorumdem statum liberum pro tempore reliquo, scilicet usque ad tempus, quo volunt contrahere, admitti poterunt testes idonei, qui si concludenter probent rationem reddendo propriae scientiae, necesse non erit deferre attestationes Ordinariorum locorum, in quibus contracturi moram duxerint. Si vero responderint eos esse cives, interrogentur sub qua Parochia hactenus habitaverint vel habitent, an sciant alterutrum vel utrumque quandoque matrimonio copulatum fuisse, aut professum in aliqua religione approbata, vel suscepisse aliquem ex Ordinibus, cui adnexa sit lex coelibatus, vel alio impedimento matrimonium dirimente esse obstrictum. Si ad haec negative responderint, interrogentur de causa scientiae, et an sit saltem possibile ut alteruter habuerit uxorem, vel maritum, aut aliud impedimentum, quod ab ipsis testibus ignoretur. Si responderint affirmative, supersedeatur, nisi ex aliis testibus contrarium concludenter probetur. Si vero responderint negative, interrogentur de causa scientiae, ex qua deinde colligere poterit, an hujusmodi testibus fides sit adhibenda. Si responderint, nupturientes habuisse uxorem vel maritum, sed esse mortuos, interrogentur de loco et tempore, quo sunt mortui, et quomodo et unde sciant eos fuisse conjunctos et respectivam eorum uxorem vel maritum esse mortuos. Si respondeant mortuos esse in aliquo hospitali, vel se vidisse eos sepeliri in aliqua certa ecclesia, aut coemeterio, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico a rectore hospitalis, in quo praedicti decesserunt, vel a rectore ecclesiae aut coemeterii, in quo humata fuerunt eorum cadavera. Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, non excluduntur aliae probationes, quae de jure communi possunt admitti, dummodo sint legitimae et sufficientes. Interrogentur insuper, an post mortem alterutrius conjugis ad secunda vota transierint; et quatenus negative, an fieri potuerit, ut aliquis ex illis transierit ad secunda vota, quae ab ipsis testibus ignorentur; et quatenus affirmative, supersedeatur a licentia, donec producantur testes, per quos negativa coarctetur concludenter. Si vero negative, interrogentur de causa scientiae; qua perpensa, judex poterit judicare, an sit concedenda licentia, necne.

Datum Romae, die 29 Augusti anno Domini 1890.

R. Card. Monaco.

—

S. CONGREG. INDICIS

DECRETUM

Sabbato die 25 Aprilis 1891.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 24 Aprilis 1891, mandavit et mandat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

Explicações ao Publico a proposito do incidente occorrido entre o Excellentissimo e Reverendissimo Senhor Bispo Conde e a Faculdade de Theologia da Universidade de Coimbra, pelo Dr. Manuel de Azevedo Araujo a Gama. — Coimbra 1886 (28 Febbraio). — *Decr. S. Off. Feria IV, 2 Julii 1890.*

A Faculdade de Theologia e as doctrinas que ella ensina, pelo Padre José Maria Ragrigues quintannista de Theologia. — Coimbra 1886. — *Eod. Decr.*

Analyse critica do libello accusatorio que o Excellentissimo e Reverendissimo Sr. Bispo Conde redigiu contra a Faculdade de Theologia da Universidade de Coimbra, pelo Manuel de Azevedo Araujo e Gama. — Coimbra 1888. — *Eod. Decr.*

A Sagrada Congregaçâo do Concilio e os direitos do Senhor Bispo Conde sobre a Universidade de Coimbra. Nova ediçâo de um documento recente, precedida de algumas consideraçoes pelo Dr. José Maria Rodrigues Lente substituto de Faculdade de Theologia da Universidade de Coimbra, 1889 (Ottobre). — *Eod. Decr.*

Auctores laudabiliter se subjecerunt.

Giuseppe Toscanelli, Deputato al Parlamento. — Religione e Patria osteggiate dal Papa; l'Italia si deve difendere. — Firenze, Fratelli Bocca editori, Torino-Roma; 1890. — *Decr. 13 Aug. 1890.*

Itaque nemo cujuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae, die 25 Aprilis 1891.

CAMILLUS Card. MAZZELLA, *Praef.*

Fr. HYACINTHUS FRATI, *Ord. Praed.*
S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

Die 25 Aprilis 1891 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia, *Mag. Curs.*

—

EX S. R. CONGR.

Privilegia concessa, recurrente tercentesimo anno a morte S. ALOYSII GONZAGAE.

ROMANA

18 Jan. 1890

Tertio jam labente saeculo, ex quo Angelicus Juvenis ALOYSIUS GONZAGA, ob miram vitae innocentiam pari cum poenitentia sociatam, pretiose moriens in conspectu DOMINI ad caelestia regna feliciter migravit, tanti diei natalis centenaria solemnia in Urbe ad Sancti Ignatii per octo continenter dies instituentur, ubi virginales sancti Juvenis cineres summa religione asservantur. Ut vero extrinsecae solemnitati ecclesiasticus quoque ritus accedat, et magis magisque pietas foveatur erga hunc caelestem studiosae juventutis Patronum Emus et Rmus Dnus Lucidus Maria Parocchi, Episcopus Albanensis, in alma Urbe Sanctissimi Domini Nostri LEONIS XIII Vicarius, ab eodem Sanctissimo Domino Nostro humillime expetivit, ut singulis enuntiatae Octavae diebus,

nempe a die vigesima prima ad diem vigesimam octavam Junii inclusive hoc anno in praedicta ecclesia Missae omnes de sancto Aloysio Gonzaga propriae celebrari valeant. Insuper Emus et Rmus Dnus eumdem Sanctissimum Dominum Nostrum supplex rogavit, ut ejusmodi privilegium cuilibet Ecclesiae vel Oratorio concedere dignaretur, ubi triduana solemnia vel die vigesima prima Junii cum duabus sequentibus vel alia die aut tribus aliis diebus a Revmo loci Ordinario designandis in honorem ipsius angelici Juvenis peragentur.

Sanctitas porro Sua has preces a me infrascripto Cardinale Sacrae Rituum Congregationi Praefecto relatas peramanter excipiens, petitum Missarum privilegium benigne indulgere dignata est, excepta quoad memoratam Octavam die Nativitatis S. Joannis Baptistae, in qua Commemoratio de sancto Aloysio addi poterit in cunctis Missis pro Ecclesia tantum S. Ignatii: pro ceteris vero Ecclesiis sive Oratoriis ubi vel die vigesima prima Junii cum duabus insequentibus, aut alia die vel tribus aliis diebus post praefatam diem vigesimam primam Junii a respectivo Ordinario designandis triduana memorata agantur solemnia, exceptis Dominica prima sacri Adventus, Duplicibus primae classis quoad Missam solemnem, ac Duplicibus secundae classis quoad lectas; Missa Conventuali vel Parochiali officio diei respondente nunquam omissa, quatenus onus adsit eam celebrandi: servatis Rubricis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. 18 Januarii 1891.

C. Card. A. Masella, *Praef. S. R. C.*
Vincentius Nussi, *Secretarius.*

—

EX S. C. NEGOTIORUM ECCL. EXTR.

RESCRIPTUM

Quo novus instituitur Commissarius et Reformator Apostolicus pro Conventibus Bolivianis ad antiquam Provinciam S. Antonii de Charcas pertinentibus.

Beatissime Pater,

Fr. Aloysius a Parma, Minister Generalis totius Ordinis Minorum, ad Pedes S. V. provolutus humiliter exponit; sub die 25 Januarii 1884 Sanctitatem Vestram per S. Congregationem Ecclesiasticis Extraordinariis Negotiis tractandis praepositam, dignatam fuisse nominare et constituere Commissarium Generalem, Visitatorem et Reformatorem Apostolicum Conventuum Obs. Prov. S. Antonii de Charcas existentium in Republicis Peruana et Boliviana Americae meridionalis Patrem Joseph Mariam Gago, filium Collegii Miss. Arequipae. Ast, post sex annos ex quo dictus Pater Commissarius renuntiatus fuit, licet non parum adlaboraverit pro Conventibus Peruanis, ubi habitualiter moratur, nihil fere agere potuit in bonum Conventuum Boliviae, neque futurum est arbitror, ut agere possit in posterum propter longe dissita loca, in quibus iter carpi nequit nisi equitando; accedit quod cum jam senescere coeperit infirmaque prematur valetudine, deficit animus arripiendi tam longum et molestum iter: interim Conventus Boliviani derelicti inveniuntur, tamdiu ea conditione mansuri quamdiu aliter non provideatur. Ideo humilis orator ardenter supplicat S. V., ut Apostolica auctoritate definiat Patris Josephi Mariae Gago jurisdictionem limitari ad solos conventus Peruanae Reipublicae; pro conventibus vero Boliviae velit nominare et constituere *ad nutum* Commissarium Generalem Visitatorem et Reformatorem Apostolicum, cum omnibus et singulis facultatibus ordinariis et extraordinariis usque modo dicto Patri Joseph Mariae Gago a S. Sede concessis, Patrem Jacobum Lardani Ex-Definitorem Generalem Ordinis, filium Obs. Provinciae Picenae et jam ab anno 1859 apostolici Collegii Taricensis in Bolivia Missionarium, quem multis notum esse et dilectum in illa Republica, semperque cordi habuisse resurrectionem illius Provinciae mihi compertum est.

Verum quia dictus P. Lardani, cui res aperta fuit, nullum non movit lapidem ad onus evitandum et ad se quam citius restituendum suo Collegio Taricensi, humilis orator supplicat S. V., ut ad majorem Dei gloriam, Ordinis honorem et bonum animarum, velit illud onus ipsi imponere sub praecepto Sanctae Obedientiae, certus quod ipse acquiescet Apostolicae jussioni, cum sit aliunde bonus et probus religiosus Sanctaeque Sedi et speciatim veneratae personae S. V. addictissimus.

Si res ita componantur, sperat humilis Orator P. JOSEPHUM M. GAGO in Peruana et P. JACOBUM LARDANI in Boliviana Republica magno emolumento futuros et non longe abesse diem, qua Ordo antiquam illam vastamque Provinciam conspiciat reviviscentem; quinimo confidit in duas distinctas Provincias illam dividi posse, ut omnia quae in praesens bonam vetant administrationem tollantur impedimenta, ex eo praesertim nata quod Conventus inveniantur in duabus distinctis Nationibus unicum olim Regnum efformantibus.

Ob quam gratiam etc.

Ex Audientia Sanctissimi die 16 Decembris 1890.

SSmus Dominus Noster LEO divina providentia Papa XIII, referente me infrascripto Secretario S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae, Visitatoris et Reformatoris Apostolici munus, quod per Decretum ejusdem S. Congregationis die 25 Januarii 1884 R. P. JOSEPHO MARIAE GAGO collatum est, pro Coenobiis tantum in Peruana Republica existentibus coarctavit, et R. P. JACOBUM LARDANI Regularis Observantiae S. Francisci Sacerdotem Professum Visitatorem et Reformatorem Apostolicum renuntiare ac constituere benigne dignatus est, *ad nutum S. Sedis,* pro omnibus et singulis Coenobiis seu Communitatibus (exceptis Missionum Collegiis domibusque ab iis dependentibus), quae in Bolivia reperiuntur et ad religiosam Provinciam S. Antonii *de las Charcas* pertinebant et pertinent; eidemque omnes et singulas facultates, una cum attributionibus et privilegiis in supradicto Decreto contentis (1), quoad eadem Coenobia seu Communitates concedere dignatus est. Contrariis quibuscumque minime obfuturis.

Datum Romae, e Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis, die, mense et anno praedictis.

Loco ✠ Sigilli

✠ DOMINICUS Arch. Thess. *Secret.*

(1) Operae pretium ducimus hic ex integro referre praelaudatum decretum diei 25 Januarii 1884:

Pastorali sollicitudine qua Summus Pontifex universam complectitur Ecclesiam, singulari quodam modo Religiosas Familias prosequitur; probe enim noscit de re Catholica et de Apostolica Sede optime meritas esse. Et sane, semper ex iis floruerunt viri, qui splendidissima Fundatorum aemulantes exempla, virtutum splendore doctrinaeque gloria Domum DEI suffulserunt, Ejusque Nomen ac regnum propagarunt, pro CHRISTO et animarum salute strenue perfuncti laboribus. — Quum itaque SSmo Patri ac Domino Nostro LEONI divina providentia Papae XIII innotuerit in Peruana ac Boliviana Republica Franciscalium Regularis Observantiae Provinciam Sancti Antonii de las Charcas a primaevis defecisse institutis, maximeque conducere ad Catholicae Religionis conservationem et incrementum, si illa in pristinam conditionem et disciplinam restauraretur, omnem curam et sollicitudinem in id intendere non praetermisit. — Interim vero, referente me infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae, auditis et attentis omnibus quae super hanc rem Sibi fuerunt exposita, nec non quae per Ministrum Generalem totius Ordinis Seraphici animadversa sunt, ut facilius ad ejusmodi restaurationem devenire liceat, indeque uberius perenniusque, divino adjuvante Numine, ad majorem Sui gloriam animarumque bonum salutares percipiantur fructus, in id consilii venit ut opportunioribus, quo fieri potest, mediis prudentique ratione praedictae religiosae Provinciae restaurationi paretur via.

Quapropter de plenitudine Apostolicae potestatis renuntiavit ac constituit Commissarium Visitatorem et Reformatorem Apostolicum religiosum virum F. Josephum Mariam Gago Regularis observantiae Sancti Francisci Sacerdotem Professum, Apostolici Collegii Sancti Januarii *Arequipae* Missionarium, similibus muneribus alias laudabiliter perfunctum, pro omnibus et singulis Coenobiis seu Communitatibus (exceptis Missionum Collegiis, domibusque ab iis dependentibus), quae ad praefatam Provinciam Sancti Antonii de las Charcas pertinebant ac pertinent: Eidemque omnes et singulas opportunas ac necessarias facultates ad hujusmodi officium rite explendum concedi solitas, deferre et impertiri dignatus est. Igitur ad Franciscalium in illis regionibus degentium populique Christiani spiritualem aedificationem et salutem procurandam, Apostolici Commissarii sic nominati et constituti munus erit ac potestas, dispersis religiosis ea qua par est charitate et prudentia ad Coenobia revocatis, sive per se sive per alium ejusdem Ordinis Religiosum virum sibi bene visum, tam in temporalibus et oeconomicis, quam in spiritualibus eadem visitare; super regularis disciplinae observantiam et super abusus qui irrepserint inquirere; eamdemque disciplinam reparare et ad Regulas seu Constitutiones Ordinis et Decreta a RR. Pontificibus vel a Sacris Congregationibus eorum jussu ad rem edita reformare: vitam communem in iisdem Coenobiis vicissim restituere, Conventum pro Novitiatu erigere seu deputare, ubi tyrones omnes Novitiatum perficere teneantur, servatis omnibus quae tum relate ad Magistrum Novitiis praeficiendum, tum ad Regulae seu disciplinae observantiam canonice praescripta ac constituta sunt.

Insuper Idem SSmus potestatem fecit praelaudato Commissario eos juvenes recipiendi, qui certa vocatio-

NOVI ORDINIS NOSTRI EPISCOPI CONSECRATIO.

In festo Ascensionis D. N. J. C. in Ecclesia S. Montis Alvernae, Illmus ac Rmus NICOLAUS MARCONI, Ref. Prov. S. Vigilii Tirolensis filius, Missionarius Apostolicus in Albania, solemnibus Ecclesiae ritibus, Episcopus est consecratus. Sacrae supplicationis proximo fasciculo fusiorem notitiam dabimus.

II.
ACTA ORDINIS

—

CAPITULA PROVINCIALIA
Hoc anno celebrata.

X.

Obs. Provincia Bosnae Argentinae.

Die 11 Aprilis 1891 in Conventu S. Spiritus Fojnicae Nostrae Obs. Provinciae Bosnae Argentinae, celebratum fuit Capitulum Provinciale sub praesidentia Adm. R. P. MARCI ANTONII BARAĆ, Visit. Generalis, in quo quidem electi fuere:

MINISTER PROVINCIALIS

R. P. Andreas Buzuk.

CUSTOS

Adm. V. P. Stephanus Čičak.

DEFINITORES

Adm. V. P. Franciscus Komadanović.
Adm. V. P. Hieronymus Vladić.
Adm. V. P. Vitus Miljanović.
Adm. V. P. Philippus Jurišić.

—

SYNOPSIS INDULGENTIARUM
IN COMMODUM FRATRUM ORDINIS NOSTRI

CAPUT II.

De conditionibus pro lucrandis Indulgentiis.

(Continuatio)

43. Quamvis Indulgentia sit localis, adnexa scilicet alicui determinatae Ecclesiae, non

nis argumenta praebentes, inter Novitios adscribi mereantur, nec non fideliter advigilandi atque efficiendi, ut in Novitiatus domo omnia adamussim serventur, quae per SS. Canones seu Decreta Ordinisque Constitutiones sancita sunt, praesertim vero quoad canonicae clausurae vitaeque communis observantiam, ac demum ad votorum professionem statuto tempore et modo, servatisque quoad cetera de jure servandis, admittendi.

Cum vero ea sit hodiernae societatis conditio, ut operarios multos in vinea DOMINI non solum virtute, sed etiam doctrina praefulgentes postulare videatur, idem Commissarius omni ope contendet, ut Clerici, qui religiosae vitae institutum amplexi sunt, litterarum et scientiarum addiscendarum studio incensi, in aptis locis ac domibus, humanioribus litteris, philosophicis ac theologicis suo quoque tempore et duratione juxta morem seu praescriptiones, rite imbuantur, magistris plane idoneis docendi munus demandando.

Ast quia in Conventibus memoratae Provinciae religiosorum, qui ad munera Guardiani, Magistri Novitiorum et Clericorum, nec non Lectoris, ut par est, obeunda, sint idonei, necessarius numerus in praesentiarum minime reperiri potest, Sanctitas Sua de Apostolicae facultatis plenitudine praefato Patri Commissario Visitatori ac Reformatori Apostolico licentiam concessit, non obstante Constitutione Pii IX f. r. incipiente — *Apostolica Sedes* — die 12 Junii 1877, extrahendi e Collegiis Missionum tam in Peruana quam in Boliviana Republica existentibus *sex* Religiosos, non tamen invitos, praesertim nationis Americanae, doctrina, zelo, pietate regularique observantia praestantes, eosque Conventibus ejusdem Provinciae in perpetuum vel ad certum tempus aggregandi, prout magis expedire censuerit.

Omnia haec praelaudatus Commissarius Apostolicus caelesti confisus praesidio fideliter alacriterque praestare sataget et curabit, ceteris non omissis, quae concrediti sibi muneris erunt et quae ad faustum felicemque exitum rem adductura in Domino judicaverit; interim quidquid pro Religiosae Provinciae restauratione opportunum et necessarium duxerit, et a Ministro Generali probatum fuerit, disponat atque constituat.

Praecipit autem Sanctitas Sua et mandat in virtute Sanctae Obedientiae universis supradicti Ordinis Religiosis, omnibusque et singulis ad quos spectat vel spectabit, ut praelaudatum Religiosum virum Fr. Josephum Mariam Gago in Commissarium, Visitatorem ac Reformatorem Apostolicum agnoscant et excipiant, Eique in omnibus quae ad hujusmodi officium pertinent praesto sint, diligenter obediant, debitumque praebeant obsequium, sublata idcirco, eodem officio perdurante, Superioribus Coenobiorum, seu Communitatum ad Provinciam Sancti Antonii pertinentium, potestate quidpiam per se vel per alios sive scriptis sive voce mandandi, consulendi vel decernendi, quod retardare ac imminuere quomodolibet possit commissi muneris effectus. Super quibus omnibus, contrariis quibuscumque minime obfuturis, SSmus Dominus Noster mandavit hoc edi Decretum et in Acta referri praelaudatae Sacrae Congregationis.

Datum Romae, e Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 25 Januarii 1884.

Loco ✠ Sigilli.

(Signatus) ALOYSIUS PALLOTTI, *Secret.*

est tamen necesse, ut S. Communio peragatur in tali Ecclesia, excepto casu, quo ejusmodi conditio exprimatur in Brevi sive Rescripto concessionis (*Raccolta*, quae citat Decretum 19 Maji 1759).

Visitatio Ecclesiae et Preces vocales.

44. Pro lucranda Indulgentia, haec est *saepe* conditio, ut aliqua *Ecclesia* vel *publicum Oratorium* visitetur. Nomine *Visitationis* in praesenti intelligitur accessus ad locum sacrum ob motivum fidei et religionis cum intentione honorandi DEUM sive in se, sive in aliquo suo Sancto. Advertendum tamen est, « *publicum non esse censendum Oratorium sive in Monasteriis, sive in Seminariis, aut aliis Conventibus* », canonice dedicatum, ad quod christiana plebs publice non solet accedere (Decr. 22 Aug. 1842). — Ubi etiam notandum, quod si determinata Ecclesia praescribatur, v. g. parochialis, non potest loco ejus alia Ecclesia eligi, nisi hoc speciali privilegio vel legitima commutatione fiat. Secus (si nempe nullus sacer locus determinetur) praescripta visitatio fieri potest in qualibet Ecclesia vel publico Oratorio (*Raccolta*). Ceterum « docent plures graves Auctores, ait Dr. S. Ligorius, quod pro visitatione Ecclesiae praescripta, sufficit ad lucrandam Indulgentiam orare ante ostium vel in coemeterio, si prae hominum multitudine illam nequeas ingredi: ita Suarez, Bonacina etc. Imo addunt Mazzotta et Croix cum Lugo, si ores ante ostium Ecclesiae, quando illud est clausum » (Lib. VI. 538, q. 10 in fine).

45. Visitatio Ecclesiae impleri potest sive *ante* sive *post* aliorum piorum operum implementum (Decr. 19 Maji 1759), dummodo fiat intra tempus praefinitum ad lucrandas Indulgentias.

46. Quando Indulgentia plenaria concessa est iis, qui certis diebus Ecclesiam visitant, vel aliud pium opus peragunt, eamdem fideles *semel tantum in die* lucrari possunt (Decr. 7 Martii 1678). — Ab hac tamen regula generali excipienda est Indulgentia *Portiunculae*, vel quae sit ad instar Portiunculae, quae, ut omnibus notum est, pluries eadem die acquiri potest. Est etiam notandum, in praefato Decreto agi de *eadem* Indulgentia plenaria, non vero de *distinctis* Indulgentiis, quae sint concessae distinctis pietatis operibus. Hae siquidem lucrari possunt eadem die, ut patet ex Decretis a nobis citatis nn. 39. 40.

47. Perpendantur duae sequentes decisiones: 1.° Quando pro lucrandis Indulgentiis praescripta est visitatio Ecclesiae, debet quis totidem vicibus Ecclesiam visitare, quot Indulgentias vult lucrari. 2.° Quando plures visitationes Ecclesiae pro lucrandis Indulgentiis praescriptae sunt, non sufficit ut in una eademque Ecclesia tot preces seu visitationes repetantur, quot Indulgentiae sunt lucrandae, sed post quamlibet visitationem debet quis egredi, et denuo in Ecclesiam ingredi (Decr. 29 Febr. 1864).

48. Indulgentia *plenaria quotidiana perpetua* vel ad tempus concessa visitantibus aliquam Ecclesiam, seu publicum Oratorium, ita semper intelligenda est, ut semel tantum in anno ab unoquoque Fideli acquiri possit; excepto solummodo casu, quo in Decreto, Rescripto, Brevi etc. concessionis, favore alicujus Ecclesiae, seu publici Oratorii, clare et explicite expressum sit, Indulgentiam plenariam reapse quotidie ab unoquoque Christifideli rite disposito acquiri posse (Decr. 15 Martii 1852). Sensus ergo dictorum verborum est, quod quilibet fidelis illam lucrari poterit die, quo vult quidem, sed tantum semel in anno.

49. Summus Pontifex Benedictus XIV benigne concessit, ut Fratres et Moniales, Ministri Generalis Ordinis Minorum Observantium jurisdictioni subjecti, qui ex causis senectutis, infirmitatis, et imbecillitatis in valetudinario diversantur, *visitato oratorio aut sacello in eodem valetudinario existente*, Indulgentias lucrari possint et valeant, ac si Ecclesias ejusdem Ordinis visitaverint, reliquis expletis juxta praescriptum explendis (Decr. 11 Sept. 1755 apud Ferraris, verb. *Indulg.* art. V. n.° 81).

Imo Religiosi et Moniales infirmi et convalescentes in cubiculo aut infirmitorio, et etiam in lecto, si commode aliter facere non possint, dicendo quinque *Pater noster* et quinque *Ave Maria*, et orando pro exaltatione S. Matris Ecclesiae etc. lucrabuntur easdem Indulgentias, quas lucrati fuissent, visitando propriam suam Ecclesiam (Rescripta authent. Summar. Indulg. n. 15, ubi citatur Ferraris).

50. PRECES a Summo Pontifice praescriptae ad lucrandam Indulgentiam plenariam re-

citari debent intra tempus designatum pro Indulgentiarum acquisitione (Decr. 29 Maji 1841).

51. Per preces *jam obligatorias* (v. g. per Horas canonicas, vel orationes a Confessario injunctas) satisfieri nequit precibus a Summo Pontifice praescriptis ob lucrandam Indulgentiam plenariam (Decr. eod.).

52. Interrogata S. C. Indulgentiarum « an sufficiant *quinque Pater et Ave,* quae recitari solent ob adimplendam Summi Pontificis intentionem, quando praescriptum est, ut visitetur Ecclesia vel altare, *ibique fundantur preces* » respondit: Preces requisitae in Indulgentiarum concessionibus ad adimplendam Summi Pontificis intentionem, *sunt ad uniuscujusque fidelis libitum,* nisi peculiariter adsignentur (Decr. eod.).

53. Quoad *modum* recitandi preces, sequentia notentur:

1.° Opera injuncta fieri debent ab eo, qui Indulgentiam lucrari intendit, excepta eleemosyna, quae per alium valide datur.

2.° Ut per se intelligitur, non sufficit actus mere materialis, sed requiritur humanus. Imo preces sunt *devote* recitandae, cui ceterum non officit distractio involuntaria.

3.° Nisi aliter praescriptum sit in documento, *non est necesse* ad lucrandas Indulgentias sive plenarias sive partiales, *recitare flexis genibus* preces praescriptas (Decr. 18 Sept. 1862).

4.° Recitans *alternatim* cum socio orationem, cui applicatae sunt Indulgentiae, lucrari potest Indulgentias huic orationi applicatas (Decr. 29 Febr. 1820).

5.° Opera injuncta *integre* perfici debent, quia Indulgentiae sub tali conditione conceduntur. Unde ex communi Doctorum cum S. Alphonso (Lib. VI. n. 534) est resolvendum:

a) Qui ex impotentia vel ignorantia, sive totum opus, sive notabilem ejus partem omittit, v. g. si puer vel senex non jejunet, is non lucratur Indulgentiam, nisi hoc opus, ob gravem difficultatem, ex legitima Pontificis concessione, ei in aliud commutatum fuerit.

b) Non officit, si parva pars operis injuncti omittatur, quia opus censetur adhuc perfici quoad substantiam. Pars autem parva sive minima sumenda est *respective* ad totum opus. Sic in Rosario omissio *unius Pater* et *Ave* minima videtur; secus vero, si quinque *Pater* et *Ave* ad Indulgentiam requirantur, et *unum Pater* et *Ave* omittantur.

c) Generatim in materia Indulgentiarum, hae *tantum valent, quantum verba sonant;* unde hic non licet argumentari; nec eam supplet error communis, si nempe communiter existimatur tali operi adnexam esse Indulgentiam, cum tamen de facto nulla sit. Ita passim auctores (Scavini Vol. IV.).

54. Summus Pontifex Pius PP. IX declaravit, Indulgentias adnexas precibus valere *quocumque idiomate recitentur,* dummodo versiones sint fideles. Licet autem pro lucranda Indulgentia requiratur versionis fidelitas, nihilominus, ut constet de fidelitate versionis, sufficit declaratio S. Congregationis per Emum Praefectum, vel unius ex Ordinariis loci, ubi vulgaris est lingua, in quam vertitur oratio, cujus recitationi primitus Indulgentia concessa fuit (Decr. 29 Dec. 1864). — Quoad *preces in publico recitandas,* pro quibus petitur Indulgentia iuxta dicta n. 20, exhiberi debent S. Congregationi Indulgentiarum, quae examinat utrum expediat iisdem applicare aliquas Indulgentias.

55. Ceterum, *quoad preces visitationi adnexas* ob oculos habeantur, quae de eadem *visitatione* dicta sunt. Hinc si ad lucrandas Indulgentias praescripta sit visitatio alicujus determinatae Ecclesiae, et insimul recitatio in eadem Ecclesia specialium precum, praeter visitationem, recitari ibi debent praefatae preces. Si quis autem vellet eodem die acquirere plures Indulgentias plenarias, pro quarum qualibet injuncta foret visitatio una simul *cum designatis precibus,* tunc repetendo visitationes, debet etiam totis vicibus repetere preces, quot sunt Indulgentiae, quas lucrari cupit *(Raccolta* pag. XXIV... Vid. sup. n. 47).

56. Fideles, qui eodem die sacra Synaxi reficiuntur in Ecclesia, quae visitari debet, ibique pias preces effundunt, jam satisfecerunt obligationi Communionis, Visitationis et piarum Precum, quae pro lucranda Indulgentia injunctae sunt *(Raccolta* pag. XXV).

57. Summus Pontifex Pius VI per Rescriptum diei 2 Januarii 1792 concessit Indulgentiam *septem annorum totidemque Quadragenarum* Christifidelibus, qui cum debitis dispositionibus « templum, oratorium, seu altare, ubi *sacra Cordis D. N. J. C. imago* publicae vene-

rationi decenti forma, quae convenit, ut moris est, exposita habeatur, pie visitaverint, necnon per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae Deum oraverint ».

Hinc S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, infrascriptum dubium fuit propositum:

Utrum Redemptoris imaginibus, *in quibus SSmi Cordis imago extrinsecus non appareat,* applicari possit concessio Indulgentiae a s. m. Pio VI facta *pro qualibet oratione,* quae fiat coram imagine aliqua SSmi Cordis Jesu publicae venerationi exposita?

Emi Patres responderunt: *Negative,* quam resolutionem benigne approbavit Summus Pontifex Pius IX (Decr. 12 Jan. 1878).

58. Quando ad Indulgentias lucrandas praescribitur oratio pro fine determinato, v. g. pro exstirpatione haeresum etc., *non requiritur intentio explicita,* expressa singulis vicibus (Decr. 12 Julii 1847).

59. Quamvis *uni et eidem rei,* v. g. orationi, coronae, cruci etc. applicari possint Indulgentiae diversae, nequeunt tamen hae omnes lucrifieri *cumulatim,* sed necesse est, ut pro qualibet Indulgentia renoventur opera injuncta, excepto casu, quo haec vere iterari nequeant, vel non soleant, sicut Confessio, nisi sit aliunde necessaria (Decr. 29 Febr. 1820, et 12 Jan. 1878. Vid. n. 40). Hinc deducitur, quod si quis e. g. *una eademque corona,* quae fuerit benedicta cum applicatione Indulgentiarum Rosarii et S. Birgittae, vellet utramque lucrari, deberet recitare, praeter coronam ordinariam Rosarii, etiam alteram, quae a S. Birgitta nuncupatur (*Raccolta* pag. XV.).

60. Plurimae a Summis Pontificibus concessae sunt Indulgentiae recitantibus devotas preces, vel alia pia opera peragentibus, ut videre quisque potest in libro *La Raccolta.* Jam quaerunt Theologi, an fideles possint eadem die Indulgentias *diversas,* aut pluries *easdem* lucrari? De Indulgentiis plenariis jam supra dictum est quid sit sentiendum (Vid. nn. 39. 40 etc.). Agendo de *partialibus,* respondemus cum Gury (Tom. II. n. 1053): 1°. « Quoad Indulgentias *diversas,* generatim eas possunt fideles eadem die lucrari, saltem si sint adnexae operibus diversis, vel eisdem operibus, quae pluries in die repeti possunt. Ita communiter Theologi, idque ex Ecclesiae et fidelium praxi confirmatur. 2°. Quoad Indulgentias *easdem,* id pendet a mente Pontificis Indulgentias concedentis. Unde ad Litteras concessionis attendendum est, quae si nihil determinent, standum est interpretationi et praxi communi Ecclesiae ». In laudato libro *La Raccolta* aliae sunt preces sive pia opera, quibus adnexae sunt Indulgentiae *semel in die,* aliae *toties quoties* etc. lucrandae, ut cuilibet legenti patet.

(Continuabitur)

III.

MISSIONES

—

CAPITULA COLLEGIORUM APOSTOLICORUM

IN AMERICA

IV.

Colleg. Apost. de Cali, in Columbia.

Die 25 Februarii currentis anni sub praesidentia R. P. Joseph Vidal, Com. Glis Reipub. Peruanae habitum est Capitulum Guardianale, in quo quidem electi sunt:

Guardianus

R. P. Bernardinus Arana.

Discreti

Adm. V. P. Ignatius M. Sans.
Adm. V. P. Bonaventura Insnasti.
Adm. V. P. Joannis Gimbernat.

—

EX S. C. DE PROPAGANDA FIDE

I.

RESCRIPTUM

Quo Collegio civitatis S. Laurentii in Rep. Argentina tribuitur facultas hospitium erigendi in civitate vulgo Rosario de Santa Fe.

Beatissime Pater,

Discretorium Collegii de Propaganda Fide ad S. Carolum in civitate S. Laurentii Reip. Argentinae, ad pedes Sanctitatis Tuae humiliter provolutus exponit quod civitas *Rosario de Santa Fe,* quae a praefato Collegio viginti quinque kilometris distat, et in qua animarum quadraginta fere millia numerantur, religioso

privatur auxilio, propter penuriam Cleri saecularis. Qua de causa Discretorium consilium iniit hospitium in dicta civitate erigendi sub dependentia tamen Collegii; sed quum ad id operis requiratur, praeter consensum Ministri Generalis Ordinis, facultas apostolica, ex Constitutione *Apostolica Sedes*, art. LXXIX, ideo per Commissarium Generalem P. Quiricum Porreca, Sanctitatem Tuam enixe exorat, ut petitam licentiam concedere dignetur, et quam primum erigatur hospitium, ex quo et ipse Episcopus dioecesanus multa sperat emolumenta ad Religionis incrementum animarumque salutem.

Pro qua gratia etc.

Ex audientia SSmi habita die 22 Februarii an. 1891. SSmus Dominus Noster Leo Divina Providentia PP. XIII, referente me infrascripto archiepiscopo Tyren. S. Congr. de Propaganda Fide Secretario, facultatem benigne concessit erigendi praedictum hospitium, dummodo tamen in ipso juxta Regulam et Statuta Ordinis ex eleemosynis et sub regulari disciplina vivere possint, et cetera serventur, quae in articulo septuagesimo nono Constitutionis *Apostolica Sedes* praescribuntur.

Datum Romae, ex aedibus dictae Sacrae Congregationis, die et anno ut supra.

Pro R. P. P. *Secr.*
Donatus Sbarretti, *off.*

—

II.

DECRETUM

Quo Missiones pertinentes ad Collegia Apostolica Castro et Chillan, hucusque communes, dividuntur.

Collegia Apostolica PP. Franciscalium a locis Castro et Chillan nuncupata in Chilena regione communem hucusque curam gesserunt missionum penes sylvaticos in Araucania degentes. Nunc vero Superior Generalis Franciscalium magis prosperitati missionum opportunum fore exposuit, si missiones actualiter existentes ac territoria, ubi in posterum novae fundari queant, inter duo Collegia dividerentur. Ideoque servatis servandis ad tramites Constit. Apostolicae fel. rec. Pii Papae IX, quae incipit « Apostolica Sedes », ab hac Sacra Congregatione de Propaganda Fide humiliter petiit, ut deinceps unumquodque ex praedictis collegiis suum haberet Praefectum. Missiones autem seu missionum territoria ita dividerentur, ut Collegio a Castro nuncupato pars regionis occidentalis attribueretur cum missione Cholchol nomine: Collegio autem Chillan pars orientalis cum missione a Nacimiento vocata. Cetera autem territoria utriusque missionis propria dividerentur a linea, quae a loco Collme ad septentrionalem plagam fluminis Rio Renaico transiens per locum Chiguaigue, ac deinde inter loca Traiguen et Victoria, attingit Cantin.

Cum igitur Emi ac Rmi Patres huic Sacro Consilio Christiano nomini propagando praepositi in Comitiis Generalibus habitis die 13 Februarii 1891 hac de re agerent, re mature perpensa, provisionem uti proponitur probandam esse censuerunt et executioni mandandam.

Datum Romae, ex aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 13 Martii 1891.

J. Card. Simeoni, *Praefectus.*

L. ✠ S.

✠ D. Archiep. Tyrensis, *Secret.*

IV.

VARIA

—

SERIES PRAELATORUM

Ref. Provinciae Poloniae Minoris sub Titulo Beatissimae Virginis Mariae *Angelorum in Imperio Russico.*

(Finis)

68. A. R. P. Joannes Cartius Kaczorkievius (Kaczorkiewics) s. Theologiae Lector, Concionator egregius censor librorum pro Dioec. Cracoviensi, antea Guardianus Cracoviensis, qui Conventum et Ecclesiam intus et foris penitus restaurari fecit. Viam Crucis in Coemeterio Conventuali prout modo videtur, ordinavit sub praes. A. R. P. Pauli Fedrzejovii (Fedrzejewicz) Ex-Min. hujus Provinciae ac Commis. et Visitatoris Generalis electus die 2 Julii 1839 Solecii. Primam interm. Congreg. celebravit Stopnicii die 26 Julii 1840. Secundam 1 Julii 1841 in Conventu Chelmensi. Obiit Solecii die 14 Octobris 1852.

69. A. R. P. Paulus Fedrzejevius (Fedrzejewicz) 2.° Ex-Prov. Ex-Commissarius Generalis s. Theologiae

Lector 2.º sub praes. A. R. P. Liborii Patuchovii (Patuchowicz) Ex-Prov. s. Theologiae Lect. ac Commissarii Generalis et Visitatoris electus in Capitulo Stopnicii die 29 Junii 1842. Primam Congr. celebravit in Conventu Sandomiriensi die 2 Julii 1843. Secundam Congr. Definitorialem in Conventu Stopniciensi die 27 Junii 1844. Obiit Cracoviae die 14 Junii 1849.

70. A. R. P. Narcissus Siekierscius (Siekierski) s. Theologiae Lector sub praes. A. R. P. Joannis Cantii Kaczorkievii (Kaczorkiecvicz) Ex-Provinc. Def. actualis Provinciae Angelorum electus die 22 Julii 1845. Et ob politicas circumstantias constitutus est A. R. P. Paulus Fedrzejovius (Fedrzejewicz) Ex-Prov. et s. Theologiae Lector Commissarius Provincialis pro Conventu Cracoviensi. Prima Congregatio Definitorialis celebrata est anno Domini 1847, de die et loco non constat. Altera vel non fuit vel potius non adnotata. Obiit in Choro tempore Matutini ad « *Te Deum Laudamus* », vir observantiae et pietatis anno Domini 1854 Pilicii die 25 Octobris.

71. A. R. P. Julianus Górnik s. Theologiae Lector sub praesid. A. R. P. Bartholomaei Rutkovscii (Rutkowski) electus Sandomiriae die 27 Augusti 1848. In quo receptio pecuniae strictissime prohibetur. Anno 1849 Congr. Def. deerat ob difficultates ex parte Regiminis; vi tamen Compromissi A. R. P. Minister Provincialis ordinationes et mutationes necessarias etiam anno 1850 ipse solus perfecit. Obiit Pilicii die 30 Octobris 1854.

72. A. R. P. Jucundinus Czerwonka s. Theologiae Lector, sub praes. A. R. P. Mansueti Aulich Missionarii Apostolici, Commissarii ac Visitatoris Generalis electus in Capitulo Stopnicii die 13 Julii 1851. Nulla Congregatio toto hoc triennio aderat; solummodo ipse A. R. P. ordinationes pro bono Provinciae fecit. Vir enim fuit re et nomine religiosus; obdormivit in Domino Solecii 1870 die 14 Octobris.

73. A. R. P. Bartholomaeus Rutkovscius (Rutkowski) s. Theologiae Lector sub praes. A. R. P. Narcissi Siekierscii (Siekierski) Ex-Provincialis, Def. habitualis electus Stopnicii die 4 Junii 1854. Antea Custos Provinciae hujus ac Commissarius et Visitator Generalis. Ob defectum valetudinis in prima interm. Congregatione Definitoriali Stopnicii habita die 27 Junii 1855 Provincialatum in manibus VV. Definitorii resignavit, et electus est eadem die Vicarius Provincialis, qui fuit primus actualis Definitor. Obiit autem die 1 Augusti Pilicii 1866.

A. R. P. Franciscus Wendrogovscius (Wendrogowski) Vic. Provincialis in Congregatione Definitoriali Stopnicii die 27 Junii 1855 electus; secundam Congreg. interm. celebravit Stopnicii die 30 Junii 1856.

74. A. R. P. Conradus Piramowicz, s. Theologiae Lector, sub praes. A. R. P. Cyriaci Sobczynscii (Sobczynski) in Cap. Stopnicii die 8 Julii 1857 electus. Ex multis ordinationibus per litteras encyclicas per Conventus publicatis patet eum multa laudabilia et spiritui religioso consona introduxisse, e. g. vitam communem in unoquoque Conventu, cantum choralem, ordinem in devotionibus. Absoluto munere, constitutus est Guardianus Conventus Cracoviensis 1860; sed post annum Guardianatus, abiit Romam h. e. anno videlicet 1861 qua Definitor Generalis. Absoluto Definitoriatu fuit Bucaresti in Rumenia qua Missionarius per 12 annos; post haec Viennae apud PP. Observantes habitavit et bis Commissarius ac Visitator Generalis Prov. Transylvaniae et Capituli Praeses fuit. Anno 1884 fuit Commissarius ac Visitator Generalis Provinciae B. V. Mariae Dolorosae PP. Reformatorum in Galicia Austriae et ipse Reverendissimus Pater Bernardinus a Portu Romatino Minister Generalis capitulum Jaroslaviae celebravit. Anno 1887 et 1888, erat iterum in Rumenia qua Missionarius et Brailae habitabat; sed jam senex, viribus decrescentibus, iterum Viennam reversus, ubi ad praesentem diem habitat. Qua die, quonam loco primam Congr. interm. celebravit non constat. Secundam enim Sandomiriae die 13 Julii 1859 habuit.

75. A. R. P. Franciscus Wendrogovscius (Wendrogowski) in Capitulo Solecii die 11 Julii 1860 celebrato electus sub praes. A. R. P. Patricii Przyhipscii (Przyhipski) s. Theologiae Lect. Commissarii ac Visitatoris Generalis. Primam interm. Congr. Definitorialem Stopnicii die 26 Junii 1861 celebravit. Altera autem Congregatio Definitorialis defuit, quia A. R. P. Provincialis Romam pro Capitulo Generali abiit. Ultimam diem vitae suae Stopnicii die 8 Septembris 1868 clausit.

76. A. R. P. Dionysius Milewczyk, s. Theologiae Lector sub praes. A. R. P. Jucundini Czerwonka Ex-Min. Provincialis in Cap. Pinczoviae die 25 Augusti 1863 electus est. Obiit Stopnicii, Congregationes Definitoriales a Regimine penitus prohibitae. Decr. aut. 8 Novembris 1864 Superiores constituuntur per leges civiles et mutationes individuorum per singulos Conventus, dempta quacumque jurisdictione Superiorum Ordinis, a Regimine instituuntur et fiunt. Hic Minister huius Provinciae ultimus fuit; nam Provincia haec supradicto Decreto 8 Novembris 1864 sublata extitit, quam Deus misericors quamprimum resuscitare dignetur.

Haec omnia desumpta sunt ex Archivo Provinciali Cracoviae, in quo authentica documenta asservantur ab initio hujus Provinciae usque ad haec nostra tempora.

Ita est Fr. Joachimus Maciejczk,
Min. Provinc. B. V. Mariae *Dolorosae*
in Galicia Austr.

V.
BIBLIOGRAPHIA

Constitutiones Generales Ordinis Minorum, a Capitulo Generali Romae in Collegio S. Antonii Patavini anno 1889 celebrato revisae et approbatae, jussu et auctoritate Rmi P. Aloysii a Parma, Ministri Generalis totius Ordinis Minorum, publicatae. Editio altera. — Ad Claras Aquas (Quaracchi), prope Florentiam, ex Typographia Collegii S. Bonaventurae, 1891. In 8 gr. Pag. XV-110. Pretium L. 1,50.

P. GASPARE DA MONTE SANTO della Osservante Provincia delle Marche. — Il Novello Religioso Francescano istruito nei suoi doveri. — Seconda edizione emendata da un Padre della stessa Provincia. — Quaracchi, tipografia del Collegio di S. Bonaventura 1891. In 16. Vol.[1] due. Pretium L. 3,50.

De hoc utili libro attendendum est sequens DECRETUM Rmi nostri P. Generalis Aloysii a Parma: « Cum Nobis experientia compertum sit, opus quod inscribitur: *Il Novello Religioso* etc., a P. Fr. Gaspare a Montesancto Obs. Prov. Picenae, felicis recordationis, exaratum, valde utile esse Religiosis omnibus, praesertim vero B. P. N. Francisci asseclis, ut spiritu religionis sancto, viam evangelicae perfectionis arripiant, atque ascensiones in corde suo disponant, procedantque de virtute in virtutem; et cum ejusdem operis exhausta sint exemplaria, editoribus Collegii Sancti Bonaventurae ad Claras Aquas, prope Florentiam, mandavimus novam hujus operis editionem. Isthaec perfecta et emendata nunc in duo volumina distributa exit in lucem. Omnibus nostrae jurisdictioni subjectis eam quammaxime commendamus, atque omnes Provinciales Ministros exoramus enixe, ut omnes eorum Novitios ac juvenes, qui studiis dediti crescunt in spem Ordinis et Ecclesiae, muniant hujusmodi opere, cujus sana doctrina, salutaribusque documentis informati, spiritu seraphico imbuentur, eruntque veri Franciscani, propriam operabuntur sanctificationem et proximi, ad majorem DEI gloriam ».

P. ADOLPHUS VAN PUYMBROUCK, Min. Rec. — 1. Eenige bladzijden uit de geschiedenis van het voormalig Franciscanerklooster te Gent, door Fr. Adolphus Van Puymbrouck, Minderbroeder-Recollect. 1224-1888. Gent, I. B. D. Hemelsoet, Boek-en Steendrukker, bij S. Baass. (Pag. 352 in 8°).

2. Fransiscus' Zonen te Sint-Truiden, door P. Fr. Adolphus Van Puymbrouck, Minderbroeder-Recollect. 1220-1890. Gent, I. B. D. Hemelsoet, Boek-en Steendrukker, bij S. Baass. (Pag. 403 in 8°).

P. BENJAMINUS CAMENZIUD, Cap. Prov. Helveticae. — Lob und Leben Unserer Lieben Frau. Betrachtungen fuer die Mai-Andacht. Nebst einem Anhange, enthaltend die gewoehnlichen Gebete eines Kath. Christen. — Appenzell: 1891. Verlag von Oskar Broger. Pag. 114.
Latine: Meditationes pro mense Mariano.

P. IRENAEUS BIERBAUM, Min. Rec. — Theologia Moralis per modum Conferentiarum, auctore clarissimo P. Benjamin Elbel O. S. F. Novis curis edidit P. F. Irenaeus Bierbaum O. S. F., Provinciae Saxoniae S. Crucis Lector Jubilatus, cum approbatione Superiorum. Volumen secundum, continens partes quatuor. Pars IV De sex ultimis praeceptis decalogi. — Paderbornae MDCCCXCI. Ex typographia Bonifaciana. (J. W. Schroeder). In-16. Pag. 151.

Novam hanc editionem theologiae Elbelianae jam annuntiavimus (Confr. *Acta Ord.* elapsi anni, pag. 196) iterumque commendamus.

P. MATHIAS A BREMSCHEID, Cap. Prov. Rheno-Westphalicae. — Die christliche Iungfrau in ihrem Tugendschmucke. — Mainz: Verlag von Franz Kirchheim 1891. Pag. 103.
Latine: Virgo christiana virtutibus ornata.

NOVUM FRANCISCALE PERIODICUM. — Saint François et la Terre Sainte, écho mensuel de la Custodie Franciscaine de Terre Sainte 1 Mai 1891. — Vanves (près Paris). Imp. Franciscaine Missionnaire, Route de Clamart, 16. Pag. 32.

Novum hoc periodicum, a Rmo P. Ministro Generali Ordinis nostri approbatum, maximopere commendamus. Superiores locales ac Praedicatores rogamus, praesertim in regionibus in quibus viget lingua gallica, ut praelaudatum folium cunctis Custodiae Terrae Sanctae amicis ac benefactoribus manifestare studeant.

Associationis pretium Fr. 3 pro Gallia et Fr. 4 pro unione postali. Scribendum est: *R. P. Victor Bernardin de Rouen, Commissariat de la Terre Sainte, rue des Fourneaux 83, Paris.*

P. RAYMUNDUS LUGIN, Min. Obs. — Coleccion N.° 1 (Mariana) escogida y completa de 8 Salves, 21 himnos, 18 Benedicamus Domino etc., recorriendo los 8 tonos del Canto llano; con Coros, Trios y Duos y Organo en las Salves. Obra expresamente compuesta para toda la Orden Franciscana, por I. I. S. y el M. R. P. Fr. R. A. Lugin, Lector Gral Franciscano, en el año 1883, en Orihuela; Quienes là dedican a los Rmos Ministros y Comisarios Grales de la misma (Propriedad del P. Lugin). Prezzo netto L. 7 — 4597 Genesio Venturini, Firenze Via de' Martelli 4: 9. Roma Via del Corso 387. Tutti i diritti di riproduzione, trascrizione, traduzione sono riservati.

VI.

NECROLOGIA

—

Kalendis Decembris anni superioris ad S. Crucis (in America Merid. Bolivia) admissis expiatus, sacro epulo pastus extremaque unctione perunctus e vita concessit R. P. Cherubinus Francescangeli, Seraphicae Provinciae Alumnus. Primas vitae auras Spoleti pridie Idus octobris anno 1820 hauserat atque annum decimum sextum vix ingressus XVII kal. Sept. an. 1836 habitum franciscalem inter Min. Observantes induit. Si ex his quae matura atque ad senectam vergente aetate praeclara gessit pueritiam ac adolescentiam conjicere fas est, puer in pietatem pronus ac adolescens virtutum cultor eximius extitisse debuit. Quamdiu Missionarium vel ab anno 1844 egit et Praefectus Miss. in Taratensi Collegio fuit, incredibile dictu est, quanta sollicitudine quantoque zelo animarum id officii exercuerit, quare eum et sodales et cives et Indi apud quos catholicum nomen per maximos labores invexerat, summopere diligebant. Cum extremo morbo lecto decumberet, plura eaque patientiae documenta dedit, diutina quatuor mensium tentatus infirmitate. Cum rumor de ejus obitu est diffusus, universos lugere sibi abreptum, commemorare merita virtutum, precibus ejus, jam nunc caelestis sese addicere.

R. I. P.

R. P. Antonius Riccius, Observantis Provinciae Picenae, Definitoris provincialis titulo ob sacras hic illic habitas conciones honestatus, ortus est obscuro honestoque loco Carticeti in territorio Fanestri XVI kalendas Novembres anno 1808. Adolescens septemdecim annorum, vitaeque puriter actae, VI kalendas Novembres anno 1826 ad nostrum accessit Ordinem. Annis, virium debilitate, et bronchiorum aegritudine oppressus, Sacramentis Ecclesiae susceptis, pientissimus excessit e vivis in Coenobio Montismadii dioeceseos Feretranae, tertio idus hujusce anni 1891. Religiosus hic vir pulcherrimum reliquit exemplum pietatis in Coelites, spiritalis charitatis in Christifideles, observantiae seraphici Instituti, et fortitudinis suavitati prudentiaeque conjunctae. Nihil proinde mirum, si ad exitum vitae rexerit optime Coenobia, suique, praesertim subditi patris potius atque amici, quam superioris funus pervehementer etiam nunc doleant.

R. I. P.

Adm. R. P. Rogerius, Lector Jubilatus de numero, Soleri in Pedemontio genitus, prima ab adolescentia inter Fratres Veteris Observantiae vitam franciscalem duxit in Provincia S. Francisci. Lectoris laurea, datis publicis experimentis, auctus, utramque facultatem, Philosophiam scilicet et Theologiam, viginti sex annos nostrates et exteros docuit.

Tum in nostro generali ephebeo ad Typhernates, tum in alio ad Perusinos, munus Praefecti studiorum, non nomine, sed potestate exercuit. Seraphicam juventutem suis curis creditam semper fovit, plurimumque dilexit. Nec senectute cunctatior, rebus in Provincia compositis, iterum cathedram conscendit, junioribus Lectoribus annos, non juvenilem invidens redundantem animum.

Summo mane e lecto surgens, reliquum tempus quod a schola, aut a praedicatione ipsi supererat, vel scriptioni vel lectioni impendebat. Otii hostis infensissimus, gravissimis verbis *fratres muscas* carpebat juvenesque exemplo magis quam verbo allicere non sinebat ad capessendam amoenam quidem, sed laboriosam sapientiae vitam.

Ob hanc temporis usuram plura tum latina tum vernacula lingua scripsit (equidem non injucunda) vel ad usum scholae, ut cursus philosophicus et theologicus, vel ad habendas conciones, vel denique ad fragmenta historica colligenda.

Inclyta reliquit duo volumina in folio, in quibus totam Soleri patriae suae dulcissimae historiam complexus est; insuper collectionem « *Memorie del Convento francescano di Città di Castello* »; aliaque plura minoris momenti, quae hic silentio praeterimus, exaravit.

Seraphicam edidit opellam Fulginei cusam typis Sgarillianis, cui titulus « *Rytonomia Viae Crucis* », quam amplissimis laudibus Aequ. et Doctor Scavinius, et Ephemerid. « *La Civiltà*

Cattolica » cumularunt. Edidit etiam Ferrariae aliam opellam Inscriptionum, quibus Ducum Estensium gesta nitido atque conciso stylo illustravit. In quo epigraphica arte magnam laudem sibi promeruit tum penes litteratos viros, tum penes optimates ferrarienses, qui civicos honores benemerentiae ipsi decreverunt.

Sed et ipsa urbs Alexandriae Statiellorum, ad quam Soleriense municipium pertinet, civilibus honoribus tamquam benemeritum historicum auxit: immo Academia illius Civitatis pro Historia, Arte et Archeologia constituta Rogerium nostrum publico diplomate socium et adjutorem adcivit. Praeterea Academia Floridana in Urbe Typherno ipsi diploma relaxavit, pluribusque vicibus nova academia ob concinnas inscriptiones gratulata est.

Dum Ferrariae ageret, Theologi privati Em. Card. Vannicelli munere functus fuit, et ultimis temporibus in Archidioecesi Perusina cooptari meruit inter Examinatores pro-synodales.

Ob haec egregia facinora cunctis multum desiderabilis, nobis desiderabilior, ejus mortem die 12 Martii currentis anni fratres et amici lamentati sunt. Vixit annos 73, monasticae vitae 57. Ad ejus exequias animam boni P. Rogerii Archiepiscopus Perusinus, Illmus ac Revmus Jeremias Brunellius, Praelatus Domesticus Ss. Pp. Leonis XIII, duo Canonici Ecclesiae Cathedralis et duo Professores Seminarii archiepiscopalis una cum Fratribus parentati sunt.

Ejus memoria typis tradita est in Diariis *Il Paese, Il Vecchio Grifo, La Verità e Fede* et in nostro *L' Oriente Serafico.*

R. I. P.

R. P. Antonius Cuguinius, Observantis Provinciae Picenae filius, vidit primitus lucem in oppidulo Sappanici ditionis anconitanae idibus Januariis anno 1821. Exacta novemdecim annorum aetate, cogitavit de s. nostro Instituto profitendo; quod ei feliciter cessit anno 1841, V nonas Martias. Pietate, humanitate, prudentia ornatus in exemplum; muneris praeterea sui diligens in primis, ut dici nequeat quantum boni spiritalis attulerit christianae sapientiae cultoribus. Cantus praecipue *gregoriani* peritus adeo, ut secundus esset nemini; quem complures etiam annos Camerini et in templo Coenobii nostri excoluit eximie et Alumnis sacrorum illius ven. Seminarii quam diligentissime tradidit. Valde dilectus acceptusque fuit Camertibus, quibuscum pleramque vixit vitam; maxime sodalibus, qui penitissime noverunt eum virtutum omnium praedivitem, dignumque existimarunt, qui pluries diuque memoratum nuper Coenobium moderaretur. VI nonas Martias hujus anni 1891, percussus tu denuo apoplexi, vix ut admissis absolverere, ex nostra domo Camerti religiosa evolasti, fortunate Senex, ad caelestia; quo, te orante, speramus fore, ut nos olim veniamus, aeterno istic Bono perfruituri.

R. I. P.

R. P. Raphael Girius, Observantis Provinciae Picenae, ortum habuit Murrovalle, quod est oppidum in territorio firmano anno 1821 idibus Januariis. Jam tum a puero singulari deditus pietati, Ordinem nostrum professus est solemniter tertio nonas Januarias anno 1827. Emenso philosophiae, theologiae, sacrae eloquentiae curriculo, in id totus incubuit, ut animas Christo Domino lucrifaceret e sacro poenitentiae tribunali, e suggestu, prece, alloquio familiari et exemplo; unde non parum boni spiritalis in fideles promanavit. Mitis, benignus, prudens, sanctissimis praeterea moribus quum esset, nil mirum, si Antistites quidam agri piceni, quos inter magnus ille pater Purpuratus Philippus De-Angelis, saepe praefecerint eum Virginibus Deo devotis, et Provinciae Optimates suae identidem destinarint moderandis Coenobiis, et adolescentulis nostrum Sodalitium perpetuo amplexuris. Quae sane munera, pudet equidem postulatu, an is sanctissime obierit. At, eheu! vir hic tam religiosus, tamque Deo carus, dum animi recreandi causa sexto nonas Martias hujus anni 1891 deambularet extra Coenobium Colfanianum prope Calderolam, ictus fulminea pene apoplexi, sacrisque, ut ferebant tempora, expiatus, ad semihoram pientissimam efflavit animam, moerentibus incredibiliter populo calderolensi, universaque Observantium Provincia, a quibus erat dilectus eximie.

R. I. P.

DEUS qui fortiter et suaviter attingit omnia, magno affecit dolore Provinciam Min. Obs. Basilicatae ob mortem perillustris et Adm. Revdi P. VENANTII A LACULIBERO (vulgo Lagonegro), qui, prope octogenarius apoplectico morbo correptus, ubi cunabula habuit, ibi supremum diem obiit, pridie nonas Februarii 1891 post celebrationem sacrosancti Missae sacrificii et recitationem horarum canonicarum illius diei.

Non facile est omnes enumerare virtutes hujus clarissimi religiosi; sufficit tantum de illo repetere cum Apostolo: in omnibus se ipsum praebebat exemplum in doctrina, in integritate, in gravitate; non erat superbus, non iracundus, sed humilis, hospitalis, benignus ac continens, et quod satis est mente et corpore castus.

Semper hilaris et pacatus, ita ut aequo perferebat animo omnia prospera et adversa. Consodalibus e suis pacificis domibus expulsis ob civilem suppressionem dicere solebat: « suppressio est bonum apparens discolis, sed damnum pergrande et manifestum ».

Laureatus in philosophia et theologia, in quibus eminebat ita, ut Neapoli dum specimina daret in Conventu S. MARIAE Novae, praesidente Rmo Mro Gle P. Josepho ab Alexandria, inter nonaginta Religiosos concurrentes ad Cathedram Theologiae tertium locum obtinuerit.

Memoria praeditus admirabili retinebat fere omnia, quae legebat. Conversatio ejus sancta et in caelis erat. Ob cujus praeclara merita Illmo ac Rmo Episcopo Policastrensi acceptissimus erat, cujus mandato Venantius in saeculo Vitus Antonius Falabella Evangelium explanabat fidelibus in capella SS. Rosarii, ubi quotidie Omnipotenti DEO Missae sacrificium offerebat. Et ut erat praedicator disertus, verbum DEI in variis civitatibus Lucaniae et finitimarum Provinciarum disseminavit.

Pluries Custos Provinciae electus. Erat pariter corde simplex et ingenuus, orationi semper intentus, spe gaudens, charitate fervens, seraphicae paupertatis amantissimus.

R. I. P.

Die 11 Martii Sibenici in Conventu S. Laurentii pie in DOMINO obiit P. STEPHANUS ZLATOVIĆ, alumnus Observantis Dalmatae Provinciae SSmi Redemptoris: ibidem anno 1831 natus, et ad eumdem Conventum, juxta morem Provinciae, adhuc puerulus litteris moribusque informandus admissus et ante susceptum habitum jamjam maturus religione erat. Emenso tyrocinio votisque DEO nuncupatis, et vix primitiis DEO oblatis renuntiatus fuit Parochus Vice-Decanus. Ea summa ejus curae fuit ut populum sibi concreditum religiosae conversationis exemplo et catholicae veritatis verbo pasceret. Indefessus fuit in populi moribus ad normam divinorum mandatorum conformandis, quae ad exemplum Divini Pastoris gnaris et rudioribus omni ratione ad capessendam gloriae coronam insinuabat. Ejus negotio postmodum uti voluit Provincia in administranda Decanali Paroecia Dernisii. Saepe Guardianatus munere functus est, semper et ubique laudabiliter sese gessit. Fuit Definitor et Custos Provinciae ac ob morum castimoniam et operum ubertatem titularis Ex-Provincialis. Fastorum nationalium peritissimus et a litterariis societatibus plurimi habitus, ac tandem adlectus fuit societati illustrandae Monarchiae Austro-Hungaricae verbo et typo « *in Wort und Bild* ». Locorum Ordinariis multum praestitit, qua conferentiarum pastoralium consultor et pro-synodalis judex. Spiritualis vitae moderamine enituit in excipiendis confessionibus et suppeditandis consiliis assiduus. Anno 1888 Zagabriae edidit volumen historiae franciscanae hujus Provinciae; cui in promptu erant subsequi: *Monographiae* Conventuum et Paroeciarum, ac tertio loco volum. *Documentorum.* Ultimo biennio male affecta valetudine praenovit finem sibi vitae instare, cui candore conscientiae et aegritudinis patientissima tolerantia laetus obviavit.

R. I. P.

Nihil obstat

FR. ALOYSIUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

Junii 1891.

SUMMARIUM: — I. ACTA ROMANO-SERAPHICA: S. S. D. N. Leonis Pp. XIII *litterae encyclicae — De conditione opificum.* — *Decretum* S. C. Indicis. — *Novi Episcopi ex Ordine.* — II. ACTA ORDINIS: *Capitula Provincialia hoc anno celebrata.* — III. VARIA: *De consecratione episcopali Illmi ac Rmi P. Nicolai Marconi a Tridento.* — *Fundatio Collegii S. Isidori.* — IV. BIBLIOGRAPHIA. — V. NECROLOGIA.

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII.

LITTERAE ENCYCLICAE

AD PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS
ET EPISCOPOS
UNIVERSOS CATHOLICI ORBIS
GRATIAM ET COMMUNIONEM
CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES

DE CONDITIONE OPIFICUM

VENERABILIBUS FRATRIBUS
PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS
ET EPISCOPIS
UNIVERSIS CATHOLICI ORBIS
GRATIAM ET COMMUNIONEM
CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Rerum novarum semel excitatâ cupidine, quae diu quidem commovet civitates, illud erat consecuturum ut commutationum studia a rationibus politicis in oeconomicarum cognatum genus aliquando defluerent. — Revera nova industriae incrementa novisque euntes itineribus artes: mutatae dominorum et mercenariorum rationes mutuae: divitiarum in exiguo numero affluentia, in multitudine inopia: opificum cum de se confidentia major, tum inter se necessitudo conjunctior, praeterea versi in deteriora mores, effecere, ut certamen erumperet. In quo quanta rerum momenta vertantur, ex hoc apparet, quod animos habet acri expectatione suspensos: idemque ingenia exercet doctorum, concilia prudentum, conciones populi, legumlatorum judicium, consilia principum, ut jam caussa nulla reperiatur tanta, quae teneat hominum studia vehementius. — Itaque, proposita Nobis Ecclesiae caussâ et salute communi, quod alias consuevimus, Venerabiles Fratres, datis ad vos Litteris de imperio politico, de libertate humana, de civitatum constitutione christiana, aliisque non dissimili genere, quae ad refutandas opinionum fallacias opportuna videbantur, idem nunc faciendum *de conditione opificum* iisdem de caussis duximus. — Genus hoc argumenti non semel jam per occasionem attigimus: in his tamen litteris totam data opera tractare quaestionem apostolici muneris conscientia monet, ut principia emineant, quorum ope, uti veritas atque aequitas postulant, dimicatio di-

rimatur. Caussa est ad expediendum difficilis, nec vacua periculo. Arduum siquidem metiri jura et officia, quibus locupletes et proletarios, eos qui rem, et eos qui operam conferant, inter se oportet contineri. Periculosa vero contentio, quippe quae ab hominibus turbulentis et callidis ad pervertendum judicium veri concitandamque seditiose multitudinem passim detorquetur. Utcumque sit, plane videmus, quod consentiunt universi, infimae sortis hominibus celeriter esse atque opportune consulendum, cum pars maxima in misera calamitosaque fortuna indigne versentur. Nam veteribus artificum collegiis superiore saeculo deletis, nulloque in eorum locum suffecto praesidio, cum ipsa instituta legesque publicae avitam religionem exuissent, sensim factum est ut opifices inhumanitati dominorum effrenataeque competitorum cupiditati solitarios atque indefensos tempus tradiderit. — Malum auxit usura vorax, quae non semel Ecclesiae judicio damnata, tamen ab hominibus avidis et quaestuosis per aliam speciem exercetur eadem: huc accedunt et conductio operum et rerum omnium commercia fere in paucorum redacta potestatem, ita ut opulenti ac praedivites perpauci prope servile jugum infinitae proletariorum multitudini imposuerint.

Ad hujus sanationem mali *Socialistae* quidem, sollicitatâ egentium in locupletes invidiâ, evertere privatas bonorum possessiones contendunt oportere, earumque loco communia universis singulorum bona facere, procurantibus viris qui aut municipio praesint, aut totam rempublicam gerant. Ejusmodi tralatione bonorum a privatis ad commune, mederi se posse praesenti malo arbitrantur, res et commoda inter cives aequabiliter partiendo. Sed est adeo eorum ratio ad contentionem dirimendam inepta, ut ipsum opificum genus afficiat incommodo: eademque praeterea est valde injusta, quia vim possessoribus legitimis affert, pervertit officia reipublicae, penitusque miscet civitates.

Sane, quod facile est pervidere, ipsius operae, quam suscipiunt qui in arte aliqua quaestuosa versantur, haec per se caussa est, atque hic finis quo proxime spectat artifex, rem sibi quaerere privatoque jure possidere uti suam ac propriam. Is enim si vires, si industriam suam alteri commodat, hanc ob caussam commodat ut res adipiscatur ad victum cultumque necessarias: ideoque ex opera data jus verum perfectumque sibi quaerit non modo exigendae mercedis, sed et collocandae uti velit. Ergo si tenuitate sumptuum quicquam ipse comparsit, fructumque parsimoniae suae, quo tutior esse custodia possit, in praedio collocavit, profecto praedium istiusmodi nihil est aliud, quam merces ipsa aliam induta speciem: propterea que coemptus sic opifici fundus tam est in ejus potestate futurus, quam parta labore merces. Sed in hoc plane, ut facile intelligitur, rerum dominium vel moventium vel solidarum consistit. In eo igitur quod bona privatorum transferre *Socialistae* ad commune nituntur, omnium mercenariorum faciunt conditionem deteriorem, quippe quos, collocandae mercedis libertate sublata, hoc ipso augendae rei familiaris utilitatumque sibi comparandarum spe et facultate despoliant.

Verum, quod majus est, remedium proponunt cum justitia aperte pugnans, quia possidere res privatim ut suas, jus est homini a natura datum. — Revera hac etiam in re maxime inter hominem et genus interest animantium ceterorum. Non enim se ipsae regunt belluae, sed reguntur gubernanturque duplici naturae instinctu: qui tum custodiunt experrectam in eis facultatem agendi, viresque opportune evolvunt, tum etiam singulos earum motus exsuscitant iidem et determinant. Altero instinctu ad se vitamque tuendam, altero ad conservationem generis ducuntur sui. Utrumque vero commode assequuntur earum rerum usu quae adsunt, quaeque praesentes sunt: nec sane progredi longius possent, quia solo sensu moventur rebusque singularibus sensu perceptis. — Longe alia hominis natura. Inest in eo tota simul ac perfecta vis naturae animantis, ideoque tributum ex hac parte homini est, certe non minus quam generi animantium omni, ut rerum corporearum fruatur bonis. Sed natura animans quantumvis cumulate possessa, tantum abest ut naturam circumscribat humanam, ut multo sit humanâ naturâ inferior, et ad parendum huic obediendumque nata. Quod eminet atque excellit in nobis, quod homini tribuit ut homo sit, et a belluis diffe-

rat genere toto, mens seu ratio est. Et ob hanc caussam quod solum hoc animal est rationis particeps, bona homini tribuere necesse est non utenda solum, quod est omnium animantium commune, sed stabili perpetuoque jure possidenda, neque ea dumtaxat quae usu consumuntur, sed etiam quae, nobis utentibus, permanent.

Quod magis etiam apparet, si hominum in se natura altius spectetur. — Homo enim cum innumerabilia ratione comprehendat, rebusque praesentibus adjungat atque annectat futuras, cumque actionum suarum sit ipse dominus, propterea sub lege aeterna, sub potestate omnia providentissime gubernantis Dei, se ipse gubernat providentia consilii sui: quamobrem in ejus est potestate res eligere quas ad consulendum sibi non modo in praesens, sed etiam in reliquum tempus, maxime judicet idoneas. Ex quo consequitur, ut in homine esse non modo terrenorum fructuum, sed ipsius terrae dominatum oporteat, quia e terrae fetu sibi res suppeditari videt ad futurum tempus necessarias. Habent cujusque hominis necessitates velut perpetuos reditus, ita ut hodie expletae, in crastinum nova imperent. Igitur rem quamdam debet homini natura dedisse stabilem perpetuoque mansuram, unde perennitas subsidii expectari posset. Atqui istiusmodi perennitatem nulla res praestare, nisi cum ubertatibus suis terra, potest.

Neque est, cur providentia introducatur reipublicae: est enim homo, quam respublica, senior: quocirca jus ille suum ad vitam corpusque tuendum habere naturâ ante debuit quam civitas ulla coïsset. — Quod vero terram Deus universo generi hominum utendam, fruendam dederit, id quidem non potest ullo pacto privatis possessionibus obesse. Deus enim generi hominum donavisse terram in commune dicitur, non quod ejus promiscuum apud omnes dominatum voluerit, sed quia partem nullam cuique assignavit possidendam, industriae hominum institutisque populorum permissa privatarum possessionum descriptione. — Ceterum utcumque inter privatos distributa, inservire communi omnium utilitati terra non cessat, quoniam nemo est mortalium, quin alatur eo, quod agri efferunt. Qui re carent, supplent operâ: ita ut vere affirmari possit, universam comparandi victus cultusque rationem in labore consistere, quem quis vel in fundo insumat suo, vel in arte aliqua operosa, cujus merces tandem non aliunde, quam a multiplici terrae fetu ducitur, cum eoque permutatur.

Qua ex re rursus efficitur, privatas possessiones plane esse secundum naturam. Res enim eas, quae ad conservandam vitam maximeque ad perficiendam requiruntur, terra quidem cum magna largitate fundit, sed fundere ex se sine hominum cultu et curatione non posset. Jamvero cum in parandis naturae bonis industriam mentis viresque corporis homo insumat, hoc ipso applicat ad sese eam naturae corporeae partem, quam ipse percoluit, in qua velut formam quamdam personae suae impressam reliquit; ut omnino rectum esse oporteat, eam partem ab eo possideri uti suam, nec ullo modo jus ipsius violare cuiquam licere.

Horum tam perspicua vis est argumentorum, ut mirabile videatur, dissentire quosdam exoletarum opinionum restitutores: qui usum quidem soli, variosque praediorum fructus homini privato concedunt: at possideri ab eo ut domino vel solum, in quo aedificavit, vel praedium quod excoluit, plane jus esse negant. Quod cum negant, fraudatum iri partis suo labore rebus hominem, non vident. Ager quippe cultoris manu atque arte subactus habitum longe mutat: e silvestri frugifer, ex infecundo ferax efficitur. Quibus autem rebus est melior factus, illae sic solo inhaerent miscenturque penitus, ut maximam partem nullo pacto sint separabiles a solo. Atqui id quemquam potiri illoque perfrui, in quo alius desudavit, utrumne justitia patiatur? Quo modo effectae res caussam sequuntur a qua effectae sunt, sic operae fructum ad eos ipsos qui operam dederint, rectum est pertinere. Merito igitur universitas generis humani, dissentientibus paucorum opinionibus nihil admodum mota, studioseque naturam intuens, in ipsius lege naturae fundamentum reperit partitionis bonorum, possessionesque privatas, ut quae cum hominum natura pacatoque et tranquillo convictu maxime congruant, omnium saeculorum usu consecravit. — Leges autem civiles, quae, cum justae sunt, virtutem suam ab ipsa natu-

rali lege ducunt, id jus, de quo loquimur, confirmant ac vi etiam adhibenda tuentur. — Idem divinarum legum sanxit auctoritas, quae vel appetere alienum gravissime vetant. *Non concupisces uxorem proximi tui: non domum, non agrum, non ancillam, non bovem, non asinum, et universa quae illius sunt* (1).

Jura vero istiusmodi, quae in hominibus insunt singulis, multo validiora intelliguntur esse si cum officiis hominum in convictu domestico apta et connexa spectentur. — In deligendo genere vitae non est dubium, quin in potestate sit arbitrioque singulorum alterutrum malle, aut Jesu Christi sectari de virginitate consilium, aut maritali se vinclo obligare. Jus conjugii naturale ac primigenum homini adimere, caussamve nuptiarum praecipuam, Dei auctoritate initio constitutam, quoquo modo circumscribere lex hominum nulla potest. *Crescite et multiplicamini* (2). En igitur familia, seu societas domestica, perparva illa quidem, sed vera societas, eademque omni civitate antiquior; cui propterea sua quaedam jura officiaque esse necesse est, quae minime pendeant a republica. Quod igitur demonstravimus, jus dominii personis singularibus naturâ tributum, id transferri in hominem, qua caput est familiae, oportet: immo tanto jus est illud validius, quanto persona humana in convictu domestico plura complectitur. Sanctissima naturae lex est, ut victu omnique cultu paterfamilias tueatur, quos ipse procrearit: idemque illuc a natura ipsa deducitur, ut velit liberis suis, quippe qui paternam referunt et quodam modo producunt personam, anquirere et parare, unde se honeste possint in ancipiti vitae cursu a misera fortuna defendere. Id vero efficere non alia ratione potest, nisi fructuosarum possessione rerum, quas ad liberos hereditate transmittat. — Quemadmodum civitas, eodem modo familia, ut memoravimus, veri nominis societas est, quae potestate propria, hoc est paterna, regitur. Quamobrem, servatis utique finibus quos proxima ejus caussa praescripserit, in deligendis adhibendisque rebus incolumitati ac justae libertati suae necessariis, familia quidem paria saltem cum societate civili jura obtinet. Paria saltem diximus, quia cum convictus domesticus et cogitatione sit et re prior, quam civilis conjunctio, priora quoque esse magisque naturalia jura ejus officiaque consequitur. Quod si cives, si familiae, convictus humani societatisque participes factae, pro adjumento offensionem, pro tutela deminutionem juris sui in republica reperirent, fastidienda citius, quam optanda societas esset.

Velle igitur ut pervadat civile imperium arbitratu suo usque ad intima domorum, magnus ac perniciosus est error. — Certe si qua forte familia in summa rerum difficultate consiliique inopia versetur, ut inde se ipsa expedire nullo pacto possit, rectum est subveniri publice rebus extremis: sunt enim familiae singulae pars quaedam civitatis. Ac pari modo sicubi intra domesticos parietes gravis extiterit perturbatio jurium mutuorum, suum cuique jus potestas publica vindicato: neque enim hoc est ad se rapere jura civium, sed munire atque firmare justâ debitâque tutelâ. Hic tamen consistant necesse est, qui praesint rebus publicis: hos excedere fines natura non patitur. Patria potestas est ejusmodi, ut nec extingui, neque absorberi a republica possit, quia idem et commune habet cum ipsa hominum vita principium. *Filii sunt aliquid patris,* et velut paternae amplificatio quaedam personae: proprieque loqui si volumus, non ipsi per se, sed per communitatem domesticam, in qua generati sunt, civilem ineunt ac participant societatem. Atque hac ipsa de caussa, quod filii sunt *naturaliter aliquid patris.... antequam usum liberi arbitrii habeant, continentur sub parentum cura* (1). Quod igitur *Socialistae,* posthabitâ providentiâ parentum, introducunt providentiam reipublicae, faciunt *contra justitiam naturalem,* ac domorum compaginem dissolvunt.

Ac praeter injustitiam, nimis etiam apparet qualis esset omnium ordinum commutatio perturbatioque, quam dura et odiosa servitus civium consecutura. Aditus ad invidentiam mutuam, ad obtrectationes et discordias patefieret: ademptis ingenio singulorum sollertiaeque stimulis, ipsi divitiarum fontes necessario exarescerent: eaque, quam fingunt cogitatione, aequabilitas, aliud revera non esset nisi omnium hominum aeque misera atque ignobilis, nullo discrimine, conditio. — Ex quibus omnibus

(1) Deut. V, 21.
(2) Gen. I, 28.

(1) S. Thom. II-II. Quaest. x art. xii.

perspicitur, illud *Socialismi* placitum de possessionibus in commune redigendis omnino repudiari oportere, quia iis ipsis, quibus est opitulandum, nocet; naturalibus singulorum juribus repugnat, officia reipublicae tranquillitatemque communem perturbat. Maneat ergo, cum plebi sublevatio quaeritur, hoc in primis haberi fundamenti instar oportere, privatas possessiones inviolate servandas. Quo posito, remedium, quod exquiritur, unde petendum sit, explicabimus.

Confidenter ad argumentum aggredimur ac plane jure Nostro, propterea quod caussa agitur ea, cujus exitus probabilis quidem nullus, nisi advocatâ religione Ecclesiaque, reperietur. Cum vero et religionis custodia, et earum rerum, quae in Ecclesiae potestate sunt, penes Nos potissimum dispensatio sit, neglexisse officium taciturnitate videremur. — Profecto aliorum quoque operam et contentionem tanta haec caussa desiderat: principum reipublicae intelligimus, dominorum ac locupletium, denique ipsorum, pro quibus contentio est, proletariorum: illud tamen sine dubitatione affirmamus, inania conata hominum futura, Ecclesiâ posthabitâ. Videlicet Ecclesia est, quae promit ex Evangelio doctrinas, quarum virtute aut plane componi certamen potest, aut certe fieri, detracta asperitate, mollius: eademque est, quae non instruere mentem tantummodo, sed regere vitam et mores singulorum praeceptis suis contendit: quae statum ipsum proletariorum ad meliora promovet pluribus utilissime institutis: quae vult atque expetit omnium ordinum consilia viresque in id consociari, ut opificum rationibus, quam commodissime potest, consulatur: ad eamque rem adhiberi leges ipsas auctoritatemque reipublicae, utique ratione ac modo, putat oportere.

Illud itaque statuatur primo loco, ferendam esse conditionem humanam: ima summis paria fieri in civili societate non posse. Agitant id quidem *Socialistae:* sed omnis est contra rerum naturam vana contentio. Sunt enim in hominibus maximae plurimaeque naturâ dissimilitudines: non omnium paria ingenia sunt, non sollertia, non valetudo, non vires: quarum rerum necessarium discrimen sua sponte sequitur fortuna dispar. Idque plane ad usus cum privatorum tum communitatis accommodate; indiget enim varia ad res gerendas facultate diversisque muneribus vita communis; ad quae fungenda munera potissimum impelluntur homines differentiâ rei cujusque familiaris. — Et ad corporis laborem quod attinet, in ipso *statu innocentiae* non iners omnino erat homo futurus: at vero quod ad animi delectationem tunc libere optavisset voluntas, idem postea in expiationem culpae subire non sine molestiae sensu coegit necessitas. *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae* (1). — Similique modo finis acerbitatum reliquarum in terris nullus est futurus, quia mala peccati consectaria aspera ad tolerandum sunt, dura, difficilia: eaque homini usque ad ultimum vitae comitari est necesse. Itaque pati et perpeti humanum est, et ut homines experiantur ac tentent omnia, istiusmodi incommoda evellere ab humano convictu penitus nulla vi, nulla arte poterunt. Siqui id se profiteantur posse, si miserae plebi vitam polliceantur omni dolore molestiaque vacantem, et refertam quiete ac perpetuis voluptatibus, nae illi populo imponunt, fraudemque struunt, in mala aliquando erupturam majora praesentibus. Optimum factu res humanas, ut se habent, ita contueri, simulque opportunum incommodis levamentum, ut diximus, aliunde petere.

Est illud in caussa, de qua dicimus, capitale malum, opinione fingere alterum ordinem sua sponte infensum alteri, quasi locupletes et proletarios ad digladiandum inter se pertinaci duello natura comparaverit. Quod adeo a ratione abhorret et a veritate, ut contra verissimum sit, quo modo in corpore diversa inter se membra conveniunt, unde illud existit temperamentum habitudinis, quam symmetriam recte dixeris, eodem modo naturam in civitate praecepisse ut geminae illae classes congruant inter se concorditer, sibique convenienter ad aequilibritatem respondeant. Omnino altera alterius indiget: non res sine operâ, nec sine re potest opera consistere. Concordia gignit pulcritudinem rerum atque ordinem: contra ex perpetuitate certaminis oriatur necesse est cum agresti immanitate confusio. Nunc

(1) Gen. III, 17.

vero ad dirimendum certamen, ipsasque ejus radices amputandas, mira vis est institutorum christianorum, eaque multiplex. — Ac primum tota disciplina religionis, cujus est interpres et custos Ecclesia, magnopere potest locupletes et proletarios componere invicem et conjungere, scilicet utroque ordine ad officia mutua revocando, in primisque ad ea quae a justitia ducuntur. Quibus ex officiis illa proletarium atque opificem attingunt; quod libere et cum aequitate pactum operae sit, id integre et fideliter reddere: non rei ullo modo nocere, non personam violare dominorum: in ipsis tuendis rationibus suis abstinere a vi, nec seditionem induere unquam: nec commisceri cum hominibus flagitiosis, immodicas spes et promissa ingentia artificiose jactantibus, quod fere habet poenitentiam inutilem et fortunarum ruinas consequentes. — Ista vero ad divites spectant ac dominos: non habendos mancipiorum loco opifices: vereri in eis aequum esse dignitatem personae, utique nobilitatam ab eo, character christianus qui dicitur. Quaestuosas artes, si naturae ratio, si christiana philosophia audiatur, non pudori homini esse, sed decori, quia vitae sustentandae praebent honestam potestatem. Illud vere turpe et inhumanum, abuti hominibus pro rebus ad quaestum, nec facere eos pluris, quam quantum nervis polleant viribusque. Similiter praecipitur, religionis et bonorum animi haberi rationem in proletariis oportere. Quare dominorum partes esse, efficere ut idoneo temporis spatio pietati vacet opifex: non hominem dare obvium lenociniis corruptelarum illecebrisque peccandi: neque ullo pacto a cura domestica parsimoniaeque studio abducere. Item non plus imponere operis, quam vires ferre queant, nec id genus, quod cum aetate sexuque dissideat. In maximis autem officiis dominorum illud eminet, justa unicuique praebere. Profecto ut mercedis statuatur ex aequitate modus, caussae sunt considerandae plures: sed generatim locupletes atque heri meminerint, premere emolumenti sui caussa indigentes ac miseros, alienâque ex inopia captare quaestum, non divina, non humana jura sinere. Fraudare vero quemquam mercede debita grande piaculum est, quod iras e caelo ultrices clamore devocat. *Ecce merces operariorum... quae fraudata est a vobis, clamat: et clamor eorum in aures* Domini *Sabaoth introivit* (1). Postremo religiose cavendum locupletibus ne proletariorum compendiis quicquam noceant nec vi, nec dolo, nec fenebribus artibus: idque eo vel magis quod non satis illi sunt contra injurias atque impotentiam muniti, eorumque res, quo exilior, hoc sanctior habenda.

His obtemperatio legibus non posset vim caussasque dissidii vel sola restinguere? — Sed Ecclesia tamen, Jesu Christo magistro et duce, persequitur majora: videlicet perfectius quiddam praecipiendo, illuc spectat, ut alterum ordinem vicinitate proxima amicitiaque alteri conjungat. — Intelligere atque aestimare mortalia ex veritate non possumus, nisi dispexerit animus vitam alteram eamque immortalem: qua quidem dempta, continuo forma ac vera notio honesti interiret: immo tota haec rerum universitas in arcanum abiret nulli hominum investigationi pervium. Igitur, quod naturâ ipsa admonente didicimus, idem dogma est christianum, quo ratio et constitutio tota religionis tamquam fundamento principe nititur, cum ex hac vita excesserimus, tum vere nos esse victuros. Neque enim Deus hominem ad haec fragilia et caduca, sed ad caelestia atque aeterna generavit, terramque nobis ut exulandi locum, non ut sedem habitandi dedit. Divitiis ceterisque rebus, quae appellantur bona, affluas, careas, ad aeternam beatitudinem nihil interest: quemadmodum utare, id vero maxime interest. Acerbitates varias, quibus vita mortalis fere contexitur, Jesus Christus *copiosa redemptione* sua nequaquam sustulit, sed in virtutum incitamenta, materiamque bene merendi traduxit: ita plane ut nemo mortalium queat praemia sempiterna capessere, nisi cruentis Jesu Christi vestigiis ingrediatur. *Si sustinebimus, et conregnabimus* (2). Laboribus ille et cruciatibus sponte susceptis, cruciatuum et laborum mirifice vim delenivit: nec solum exemplo, sed gratia sua perpetuaeque mercedis spe proposita, perpessionem dolorum effecit faciliorem: *id enim, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in caelis* (3).

(1) Jac. v, 4.
(2) II ad Tim. II, 12.
(3) II Corinth. IV, 17.

Itaque fortunati monentur, non vacuitatem doloris afferre, nec ad felicitatem aevi sempiterni quicquam prodesse divitias, sed potius obesse (1): terrori locupletibus esse debere JESU CHRISTI insuetas minas (2): rationem de usu fortunarum DEO judici severissime aliquando reddendam. De ipsis opibus utendis excellens ac maximi momenti doctrina est, quam si philosophia inchoatam, at Ecclesia tradidit perfectam plane, eademque efficit ut non cognitione tantum, sed moribus teneatur. Cujus doctrinae in eo est fundamentum positum, quod justa possessio pecuniarum a justo pecuniarum usu distinguitur. Bona privatim possidere, quod paulo ante vidimus, jus est homini naturale: eoque uti jure, maxime in societate vitae, non fas modo est, sed plane necessarium. *Licitum est, quod homo propria possideat. Et est etiam necessarium ad humanam vitam* (3). At vero si illud quaeratur, qualem esse usum bonorum necesse sit, Ecclesia quidem sine ulla dubitatione respondet: *quantum ad hoc, non debet homo habere res exteriores ut proprias, sed ut communes, ut scilicet de facili aliquis eas communicet in necessitate aliorum. Unde Apostolus dicit: divitibus hujus saeculi praecipe.... facile tribuere, communicare* (4). Nemo certe opitulari aliis de eo jubetur, quod ad usus pertineat cum suos tum suorum necessarios: immo nec tradere aliis quo ipse egeat ad id servandum quod personae conveniat, quodque deceat: *nullus enim inconvenienter vivere debet* (5). Sed ubi necessitati satis et decoro datum, officium est de eo quod superat gratificari indigentibus. *Quod superest, date eleemosynam* (6). Non justitiae, excepto in rebus extremis, officia ista sunt, sed caritatis christianae, quam profecto lege agendo petere jus non est. Sed legibus judiciisque hominum lex antecedit judiciumque CHRISTI DEI, qui multis modis suadet consuetudinem largiendi; *beatius est magis dare, quam accipere* (7): et collatam negatamve pauperibus beneficentiam perinde est ac sibi collatam negatamve judicaturus. *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis* (1). — Quarum rerum haec summa est; quicumque majorem copiam bonorum DEI munere accepit, sive corporis et externa sint, sive animi, ob hanc caussam accepisse, ut ad perfectionem sui pariterque, velut minister providentiae divinae, ad utilitates adhibeat ceterorum. *Habens ergo talentum, curet omnino ne taceat: habens rerum affluentiam, vigilet ne a misericordiae largitate torpescat: habens artem qua regitur, magnopere studeat ut usum atque utilitatem illius cum proximo partiatur* (2).

Bonis autem fortunae qui careant, ii ab Ecclesia perdocentur, non probro haberi, DEO judice, paupertatem, nec eo pudendum, quod victus labore quaeratur. Idque confirmavit re et facto CHRISTUS Dominus, qui pro salute hominum *egenus factus est, cum esset dives* (3): cumque esset filius DEI ac DEUS ipsemet, videri tamen ac putari fabri filius voluit: quin etiam magnam vitae partem in opere fabrili consumere non recusavit. *Nonne hic est faber, filius* MARIAE (4)? Hujus divinitatem exempli intuentibus, ea facilius intelliguntur: veram hominis dignitatem atque excellentiam in moribus esse, hoc est in virtute, positam: virtutem vero commune mortalibus patrimonium, imis et summis, divitibus et proletariis aeque parabile: nec aliud quippiam quam virtutes et merita, in quocumque reperiantur, mercedem beatitudinis aeternae sequuturam. Immo vero in calamitosorum genus propensior DEI ipsius videtur voluntas: beatos enim JESUS CHRISTUS nuncupat pauperes (5): invitat peramanter ad se, solatii caussa, quicumque in labore sint ac luctu (6): infimos et injuria vexatos complectitur caritate praecipua. Quarum cognitione rerum facile in fortunatis deprimitur tumens animus, in aerumnosis demissus extollitur: alteri ad facilitatem, alteri ad modestiam flectuntur. Sic cupitum superbiae intervallum efficitur brevius, nec difficulter impetrabitur ut

(1) Matth. XIX, 23-24.
(2) Luc. VI, 24-25.
(3) II-II Quaest. LXVI, a. II.
(4) II-II Quaest. LXV, a. II.
(5) II-II Quaest. XXXII, a. VI.
(6) Luc. XI, 41.
(7) Actor. XX, 35.

(1) Matth. XXV, 40.
(2) S. Greg. Magn. in Evang. *Hom.* IX, n. 7.
(3) II Corinth. VIII, 9.
(4) Marc. VI, 3.
(5) Matth. V, 3: *Beati pauperes spiritu.*
(6) Matth. XI, 28: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.*

ordinis utriusque, junctis amice dextris, copulentur voluntates.

Quos tamen, si christianis praeceptis paruerint, parum est amicitia, amor etiam fraternus inter se conjugabit. Sentient enim et intelligent, omnes plane homines a communi parente DEO procreatos: omnes ad eumdem finem bonorum tendere, qui DEUS est ipse, qui afficere beatitudine perfecta atque absoluta et homines et Angelos unus potest: singulos item pariter esse JESU CHRISTI beneficio redemptos et in dignitatem filiorum DEI vindicatos, ut plane necessitudine fraterna cum inter se tum etiam cum CHRISTO Domino, *primogenito in multis fratribus,* contineantur. Item naturae bona, munera gratiae divinae pertinere communiter et promiscue ad genus hominum universum, nec quemquam, nisi indignum, bonorum caelestium fieri exheredem. *Si autem filii, et heredes: heredes quidem* DEI, *coheredes autem* CHRISTI (1).

Talis est forma officiorum ac jurium, quam christiana philosophia profitetur. Nonne quieturum perbrevi tempore certamen omne videatur, ubi illa in civili convictu valeret?

Denique nec satis habet Ecclesia viam inveniendae curationis ostendere, sed admovet sua manu medicinam. Nam tota in eo est ut ad disciplinam doctrinamque suam excolat homines atque instituat: cujus doctrinae saluberrimos rivos, Episcoporum et Cleri operâ, quam latissime potest, curat deducendos. Deinde pervadere in animos nititur flectereque voluntates, ut divinorum disciplina praeceptorum regi se gubernarique patiantur. Atque in hac parte, quae princeps est ac permagni momenti, quia summa utilitatum caussaque tota in ipsa consistit, Ecclesia quidem una potest maxime. Quibus enim instrumentis ad permovendos animos utitur, ea sibi hanc ipsam ob caussam tradita a JESU CHRISTO sunt, virtutemque habent divinitus insitam. Istiusmodi instrumenta sola sunt, quae cordis attingere penetrales sinus apte queant, hominemque adducere ut obedientem se praebeat officio, motus animi appetentis regat, DEUM et proximos caritate diligat singulari ac summa, omniaque animose perrumpat, quae virtutis impediunt cursum. — Satis est in hoc genere exempla veterum paulisper cogitatione repetere. Res et facta commemoramus, quae dubitationem nullam habent: scilicet civilem hominum communitatem funditus esse institutis christianis renovatam: hujusce virtute renovationis ad meliora promotum genus humanum, immo revocatum ab interitu ad vitam, auctumque perfectione tanta, ut nec extiterit ulla antea, nec sit in omnes consequentes aetates futura major. Denique JESUM CHRISTUM horum esse beneficiorum principium eumdem et finem: ut ab eo profecta, sic ad eum omnia referenda. Nimirum accepta Evangelii luce, cum incarnationis Verbi hominumque redemptionis grande mysterium orbis terrarum didicisset, vita JESU CHRISTI DEI et hominis pervasit civitates, ejusque fide et praeceptis et legibus totas imbuit. Quare si societati generis humani medendum est, revocatio vitae institutorumque christianorum sola medebitur. De societatibus enim dilabentibus illud rectissime praecipitur, revocari ad origines suas, cum restitui volunt, oportere. Haec enim omnium consociationum perfectio est, de eo laborare idque assequi, cujus gratia institutae sunt: ita ut motus actusque sociales eadem caussa pariat, quae peperit societatem. Quamobrem declinare ab instituto, corruptio est: ad institutum redire, sanatio. Verissimeque id quemadmodum de toto reipublicae corpore, eodem modo de illo ordine civium dicimus, qui vitam sustentant opere, quae est longe maxima multitudo.

Nec tamen putandum, in colendis animis totas esse Ecclesiae curas ita defixas, ut ea negligat quae ad vitam pertinent mortalem ac terrenam. — De proletariis nominatim vult et contendit ut emergant e miserrimo statu fortunamque meliorem adipiscantur. Atque in id confert hoc ipso operam non mediocrem, quod vocat et instituit homines ad virtutem. Mores enim christiani, ubi serventur integri, partem aliquam prosperitatis sua sponte pariunt rebus externis, quia conciliant principium ac fontem omnium bonorum DEUM: coercent geminas vitae pestes, quae nimium saepe hominem efficiunt in ipsa opum abundantia miserum, rerum appetentiam nimiam et voluptatum sitim (1): contenti denique cultu victuque

(1) Rom. VIII, 17.

(1) *Radix omnium malorum est cupiditas.* I Tim. VI, 10.

frugi, vectigal parsimonia supplent, procul a vitiis, quae non modo exiguas pecunias, sed maximas etiam copias exhauriunt, et lauta patrimonia dissipant. Sed praeterea, ut bene habeant proletarii, recta providet, instituendis fovendisque rebus, quas ad sublevandam eorum inopiam intelligat conducibiles. Quin in hoc etiam genere beneficiorum ita semper excelluit, ut ab ipsis inimicis praedicatione efferatur. Ea vis erat apud vetustissimos christianos caritatis mutuae, ut persaepe sua se re privarent, opitulandi caussâ, divitiores: quamobrem *neque.... quisquam egens erat inter illos* (1). Diaconis, in id nominatim ordine instituto, datum ab Apostolis negotium, ut quotidianae beneficentiae exercerent munia: ac Paulus Apostolus, etsi sollicitudine districtus omnium Ecclesiarum, nihilominus dare se in laboriosa itinera non dubitavit, quo ad tenuiores christianos stipem praesens afferret. Cujus generis pecunias, a christianis in unoquoque conventu ultro collatas, *deposita pietatis* nuncupat Tertullianus, quod scilicet insumerentur *egenis alendis humandisque, et pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, inque domesticis senibus, item naufragis* (2). — Hinc sensim illud extitit patrimonium, quod religiosâ curâ tamquam rem familiarem indigentium Ecclesia custodivit. Immo vero subsidia miserae plebi, remissâ rogandi verecundiâ, comparavit. Nam et locupletium et indigentium communis parens, excitatâ ubique ad excellentem magnitudinem caritate, collegia condidit sodalium religiosorum, aliaque utiliter permulta instituit, quibus opem ferentibus, genus miseriarum prope nullum esset, quod solatio careret. Hodie quidem multi, quod eodem modo fecere olim ethnici, ad arguendam transgrediuntur Ecclesiam hujus etiam tam egregiae caritatis: cujus in locum subrogare visum est constitutam legibus publicis beneficientiam. Sed quae christianam caritatem suppleant, totam se ad alienas porrigentem utilitates, artes humanae nullae reperientur. Ecclesiae solius est illa virtus, quia nisi a sacratissimo JESU CHRISTI corde ducitur, nulla est uspiam: vagatur autem a CHRISTO longius, quicumque ab Ecclesia discesserit.

(1) Act. IV, 34.
(2) Apol. II, XXXIX.

At vero non potest esse dubium quin, ad id quod est propositum, ea quoque, quae in hominum potestate sunt, adjumenta requirantur. Omnino omnes, ad quos caussa pertinet, eodem intendant idemque laborent pro rata parte necesse est. Quod habet quamdam cum moderatrice mundi providentia similitudinem: fere enim videmus rerum exitus a quibus caussis pendent, ex earum omnium conspiratione procedere.

Jamvero quota pars remedii a republica expectanda sit, praestat exquirere. — Rempublicam hoc loco intelligimus non quali populus utitur unus vel alter, sed qualem et vult recta ratio naturae congruens, et probant divinae documenta sapientiae, quae Nos ipsi nominatim in litteris Encyclicis de civitatum constitutione christiana explicavimus. Itaque per quos civitas regitur, primum conferre operam generatim atque universe debent totâ ratione legum atque institutorum, scilicet efficiendo ut ex ipsa conformatione atque administratione reipublicae ultro prosperitas tam communitatis quam privatorum efflorescat. Id est enim civilis prudentiae munus, propriumque eorum, qui praesunt, officium. Nunc vero illa maxime efficiunt prosperas civitates, morum probitas, recte atque ordine constitutae familiae, custodia religionis ac justitiae, onerum publicorum cum moderata irrogatio, tum aequa partitio, incrementa artium et mercaturae, florens agrorum cultura, et si qua sunt alia generis ejusdem, quae quo majore studio provehuntur, eo melius sunt victuri cives et beatius. — Harum igitur virtute rerum in potestate rectorum civitatis est, ut ceteris prodesse ordinibus, sic et proletariorum conditionem juvare plurimum: idque jure suo optimo, neque ulla cum importunitatis suspicione: debet enim respublica ex lege muneris sui in commune consulere. Quo autem commodorum copia provenerit ex hac generali providentia major, eo minus oportebit alias ad opificum salutem experiri vias.

Sed illud praeterea considerandum, quod rem altius attingit, unam civitatis esse rationem, communem summorum atque infimorum. Sunt nimirum proletarii pari jure cum locupletibus naturâ cives, hoc est partes verae vitamque viventes, unde constat, interjectis familiis, corpus reipublicae: ut ne illud adjun-

gatur, in omni urbe eos esse numero longe maximo. Cum igitur illud sit perabsurdum, parti civium consulere, partem negligere, consequitur, in salute commodisque ordinis proletariorum tuendis curas debitas collocari publice oportere : ni fiat, violatum iri justitiam, suum cuique tribuere praecipientem. Qua de re sapienter S. Thomas : *sicut pars et totum quodammodo sunt idem, ita id, quod est totius, quodammodo est partis* (1). Proinde in officiis non paucis neque levibus populo bene consulentium principum, illud in primis eminet, ut unumquemque civium ordinem aequabiliter tueantur, eâ nimirum, quae *distributiva* appellatur, justitiâ inviolate servandâ.

Quamvis autem cives universos, nemine excepto, conferre aliquid in summam bonorum communium necesse sit, quorum aliqua pars virilis sponte recidit in singulos, tamen idem et ex aequo conferre nequaquam possunt. Qualescumque sint in imperii generibus vicissitudines, perpetua futura sunt ea in civium statu discrimina, sine quibus nec esse, nec cogitari societas ulla posset. Omnino necesse est quosdam reperiri, qui se reipublicae dedant, qui leges condant, qui jus dicant, denique quorum consilio atque auctoritate negotia urbana, res bellicae administrentur. Quorum virorum priores esse partes, eosque habendos in omni populo primarios, nemo non videt, propterea quod communi bono dant operam proxime atque excellenti ratione. Contra vero qui in arte aliqua exercentur, non eâ, qua illi, ratione nec iisdem muneribus prosunt civitati : sed tamen plurimum et ipsi, quamquam minus directe, utilitati publicae inserviunt. Sane sociale bonum cum debeat esse ejusmodi, ut homines ejus fiant adeptione meliores, est profecto in virtute praecipue collocandum. Nihilominus ad bene constitutam civitatem suppeditatio quoque pertinet bonorum corporis atque externorum, *quorum usus est necessarius ad actum virtutis* (2). Jamvero his pariendis bonis est proletariorum maxime efficax ac necessarius labor, sive in agris artem atque manum, sive in officinis exerceant. Immo eorum in hoc genere vis est atque efficientia tanta, ut illud verissimum sit, non aliunde quam ex opificum labore gigni divitias civitatum. Jubet igitur aequitas, curam de proletario publice geri, ut ex eo, quod in communem affert utilitatem, percipiat ipse aliquid, ut tectus, ut vestitus, ut salvus vitam tolerare minus aegre possit. Unde consequitur, favendum rebus omnibus esse quae conditioni opificum quoquo modo videantur profuturae. Quae cura tantum abest ut noceat cuiquam, ut potius profutura sit universis, quia non esse omnibus modis eos miseros, a quibus tam necessaria bona proficiscuntur, prorsus interest reipublicae.

Non civem, ut diximus, non familiam absorberi a republica rectum est: suam utrique facultatem agendi cum libertate permittere aequum est, quantum incolumi bono communi et sine cujusquam injuria potest. Nihilominus eis, qui imperant, videndum ut communitatem ejusque partes tueantur. Communitatem quidem, quippe quam summae potestati conservandam natura commisit usque eo, ut publicae custodia salutis non modo suprema lex sed tota caussa sit ratioque principatus: partes vero, quia procurationem reipublicae non ad utilitatem eorum, quibus commissa est, sed ad eorum, qui commissi sunt, naturâ pertinere, philosophia pariter et fides christiana consentiunt. Cumque imperandi facultas proficiscatur a Deo, ejusque sit communicatio quaedam summi principatus, gerenda ad exemplar est potestatis divinae, non minus rebus singulis quam universis cura paterna consulentis. Si quid igitur detrimenti allatum sit aut impendeat rebus communibus, aut singulorum ordinum rationibus, quod sanari aut prohiberi alia ratione non possit, obviam iri auctoritate publica necesse est. — Atqui interest salutis cum publicae, tum privatae pacatas esse res et compositas: item dirigi ad Dei jussa naturaeque principia omnem convictus domestici disciplinam: observari et coli religionem: florere privatim ac publice mores integros: sanctam retineri justitiam, nec alteros ab alteris impune violari: validos adolescere cives, juvandae tutandaeque, si res postulet, civitati idoneos. Quamobrem si quando fiat, ut quippiam turbarum impendeat ob secessionem opificum, aut intermissas ex composito operas: ut naturalia familiae nexa apud proletarios relaxentur: ut religio in opificibus violetur non satis impertiendo com-

(1) II-II Quaest. LXI, a. I ad 2.
(2) S. Thom., De reg. Princip. I, c. XV.

modi ad officia pietatis: si periculum in officinis integritati morum ingruit a sexu promiscuo, aliisve perniciosis invitamentis peccandi: aut opificum ordinem herilis ordo iniquis premat oneribus, vel alienis a persona ac dignitate humana conditionibus affligat: si valetudini noceatur opere immodico, nec ad sexum aetatemve accommodato, his in caussis plane adhibenda, certos intra fines, vis et auctoritas legum. Quos fines eadem, quae legum poscit opem, caussa determinat: videlicet non plura suscipienda legibus, nec ultra progrediendum, quam incommodorum sanatio, vel periculi depulsio requirat.

Jura quidem, in quocumque sint, sancte servanda sunt: atque ut suum singuli teneant, debet potestas publica providere, propulsandis atque ulciscendis injuriis. Nisi quod in ipsis protegendis privatorum juribus, praecipue est infimorum atque inopum habenda ratio. Siquidem natio divitum, suis septa praesidiis, minus eget tutelâ publicâ: miserum vulgus, nullis opibus suis tutum, in patrocinio reipublicae maxime nititur. Quocirca mercenarios, cum in multitudine egena numerentur, debet curâ providentiâque singulari complecti respublica.

Sed quaedam majoris momenti praestat nominatim perstringere. — Caput autem est, imperio ac munimento legum tutari privatas possessiones oportere. Potissimumque, in tanto jam cupiditatum ardore, continenda in officio plebs: nam si ad meliora contendere concessum est non repugnante justitia, at alteri, quod suum est, detrahere, ac per speciem absurdae cujusdam aequabilitatis in fortunas alienas involare, justitia vetat, nec ipsa communis utilitatis ratio sinit. Utique pars opificum longe maxima res meliores honesto labore comparare sine cujusquam injuria malunt: verumtamen non pauci numerantur pravis imbuti opinionibus rerumque novarum cupidi, qui id agunt omni ratione ut turbas moveant, ac ceteros ad vim impellant. Intersit igitur reipublicae auctoritas, injectoque concitatoribus freno, ab opificum moribus corruptrices artes, a legitimis dominis periculum rapinarum coerceat.

Longinquior vel operosior labor, atque opinatio curtae mercedis caussam non raro dant artificibus quamobrem opere se solvant ex composito, otioque dedant voluntario. Cui quidem incommodo usitato et gravi medendum publice, quia genus istud cessationis non heros dumtaxat, atque opifices ipsos afficit damno, sed mercaturis obest reique publicae utilitatibus: cumque haud procul esse a vi turbisque soleat, saepenumero tranquillitatem publicam in discrimen adducit. Qua in re illud magis efficax ac salubre, antevertere auctoritate legum, malumque ne erumpere possit prohibere, amotis mature caussis, unde dominorum atque operariorum conflictus videatur extiturus.

Similique modo plura sunt in opifice, praesidio munienda reipublicae: ac primum animi bona. Siquidem vita mortalis quantumvis bona et optabilis, non ipsa tamen illud est ultimum, ad quod nati sumus: sed via tantummodo atque instrumentum ad animi vitam perspicientia veri et amore boni complendam. Animus est, qui expressam gerit imaginem similitudinemque divinam, et in quo principatus ille residet, per quem dominari jussus est homo in inferiores naturas, atque efficere utilitati suae terras omnes et maria parentia. *Replete terram et subjicite eam: et dominamini piscibus maris et volatilibus caeli et universis animantibus, quae moventur super terram* (1). Sunt omnes homines hac in re pares, nec quippiam est quod inter divites atque inopes, inter dominos et famulos, inter principes privatosque differat: *nam idem dominus omnium* (2). Nemini licet hominis dignitatem, de qua Deus ipse disponit *cum magna reverentia,* impune violare, neque ad eam perfectionem impedire cursum, quae sit vitae in caelis sempiternae consentanea. Quin etiam in hoc genere tractari se non convenienter naturae suae, animique servitutem servire velle, ne sua quidem sponte homo potest: neque enim de juribus agitur, de quibus sit integrum homini, verum de officiis adversus Deum, quae necesse est sancte servari. — Hinc consequitur requies operum et laborum per festos dies necessaria. Id tamen nemo intelligat de majore quadam inertis otii usura, multoque minus de cessatione, qualem multi expetunt, fautrice vitiorum et ad effusiones pecuniarum adjutrice, sed

(1) Gen. I, 28.
(2) Rom. X, 12.

omnino de requiete operum per religionem consecrata. Conjuncta cum religione quies sevocat hominem a laboribus negotiisque vitae quotidianae ut ad cogitanda revocet bona caelestia, tribuendumque cultum numini aeterno justum ac debitum. Haec maxime natura atque haec caussa quietis est in dies festos capiendae: quod DEUS et in Testamento veteri praecipua lege sanxit: *memento ut diem sabbati sanctifices* (1); et facto ipse suo docuit, arcana requiete, statim posteaquam fabricatus hominem erat, sumptâ: *requievit die septimo ab universo opere quod patrarat* (2).

Quod ad tutelam bonorum corporis et externorum, primum omnium eripere miseros opifices e saevitia oportet hominum cupidorum, personis pro rebus ad quaestum intemperanter abutentium. Scilicet tantum exigi operis, ut hebescat animus labore nimio, unâque corpus defatigationi succumbat, non justitia, non humanitas patitur. In homine, sicut omnis natura sua, ita et vis efficiens certis est circumscripta finibus, extra quos egredi non potest. Acuitur illa quidem exercitatione atque usu, sed hac tamen lege ut agere intermittat identidem et acquiescat. De quotidiano igitur opere videndum ne in plures extrahatur horas, quam vires sinant. Intervalla vero quiescendi quanta esse oporteat, ex vario genere operis ex adjunctis temporum et locorum, ex ipsa opificum valetudine judicandum. Quorum est opus lapidem e terra excindere, aut ferrum, aes, aliaque id genus effodere penitus abdita, eorum labor, quia multo major est idemque valetudini gravis, cum brevitate temporis est compensandus. Anni quoque dispicienda tempora: quia non raro idem operae genus alio tempore facile est ad tolerandum, alio aut tolerari nulla ratione potest, aut sine summa difficultate non potest. — Denique quod facere enitique vir adulta aetate beneque validus potest, id a femina puerove non est aequum postulare. Immo de pueris valde cavendum, ne prius officina capiat, quam corpus, ingenium, animum satis firmaverit aetas. Erumpentes enim in pueritia vires, velut herbescentem viriditatem, agitatio praecox elidit: qua ex re omnis est institutio puerilis interitura.

(1) Exod. XX, 8.
(2) Gen. II, 2.

Sic certa quaedam artificia minus apte conveniunt in feminas ad opera domestica natas: quae quidem opera et tuentur magnopere in muliebri genere decus, et liberorum institutioni prosperitatique familiae naturâ respondent. Universe autem statuatur, tantum esse opificibus tribuendum otii quantum cum viribus compensentur labore consumptis; quia detritas usu vires debet cessatio restituere. In omni obligatione, quae dominis atque artificibus invicem contrahatur, haec semper aut adscripta aut tacita conditio inest, utrique generi quiescendi ut cautum sit: neque enim honestum esset convenire secus, quia nec postulare cuiquam fas est nec spondere neglectum officiorum, quae vel DEO vel sibimetipsi hominem obstringunt.

Rem hoc loco attingimus sat magni momenti: quae recte intelligatur necesse est, in alterutram partem ne peccetur. Videlicet salarii definitur libero consensu modus: itaque dominus rei, pacta mercede persoluta, liberavisse fidem, nec ultra debere quidquam videatur. Tunc solum fieri injuste, si vel pretium dominus solidum, vel obligatas artifex operas reddere totas recusaret: his caussis rectum esse potestatem politicam intercedere, ut suum cuique jus incolume sit, sed praeterea nullis. — Cui argumentationi aequus rerum judex non facile, neque in totum assentiatur, quia non est absoluta omnibus partibus: momentum quoddam rationis abest maximi ponderis. Hoc est enim operari, exercere se rerum comparandarum caussâ, quae sint ad varios vitae usus, potissimumque ad tuitionem sui necessariae. *In sudore vultus tui vesceris pane* (1). Itaque duas velut notas habet in homine labor naturâ insitas, nimirum ut *personalis* sit, quia vis agens adhaeret personae, atque ejus omnino est propria, a quo exercetur, et cujus est utilitati nata: deinde ut sit *necessarius,* ob hanc caussam, quod fructus laborum est homini opus ad vitam tuendam: vitam autem tueri ipsa rerum, cui maxime parendum, natura jubet. Jamvero si ex ea dumtaxat parte spectetur quod personalis est, non est dubium quin integrum opifici sit pactae mercedis angustius finire modum: quemadmodum enim operas dat ille voluntate, sic et operarum mercede

(1) Gen. III, 19.

vel tenui vel plane nulla contentus esse voluntate potest. Sed longe aliter judicandum si cum ratione *personalitatis* ratio conjungitur *necessitatis,* cogitatione quidem non re ab illa inseparabilis. Reapse manere in vita, commune singulis officium est, cui scelus est deesse. Hinc jus reperiendarum rerum, quibus vita sustentatur, necessario nascitur: quarum rerum facultatem infimo cuique non nisi quaesita labore merces suppeditat. Esto igitur, ut opifex atque herus libere in idem placitum, ac nominatim in salarii modum consentiant: subest tamen semper aliquid ex justitia naturali, idque libera paciscentium voluntate majus et antiquius, scilicet alendo opifici, frugi quidem et bene morato, haud imparem esse mercedem oportere. Quod si necessitate opifex coactus, aut mali pejoris metu permotus duriorem conditionem accipiat, quae, etiamsi nolit, accipienda sit, quod a domino vel a redemptore operum imponitur, istud quidem est subire vim, cui justitia reclamat. — Verumtamen in his similibusque caussis, quales illae sunt in unoquoque genere artificii quotâ sit elaborandum horâ, quibus praesidiis valetudini maxime in officinis cavendum, ne magistratus inferat sese importunius, praesertim cum adjuncta tam varia sint rerum, temporum, locorum, satius erit eas res judicio reservare collegiorum, de quibus infra dicturi sumus, aut aliam inire viam, qua rationes mercenariorum, uti par est, salvae sint, accedente, si res postulaverit, tutela praesidioque reipublicae.

Mercedem si ferat opifex satis amplam ut ea se uxoremque et liberos tueri commodum queat, facile studebit parsimoniae, si sapit, efficietque, quod ipsa videtur natura monere, ut detractis sumptibus, aliquid etiam redundet, quo sibi liceat ad modicum censum pervenire. Neque enim efficaci ratione dirimi caussam, de qua agitur, posse vidimus, nisi hoc sumpto et constituto, jus privatorum bonorum sanctum esse oportere. Quamobrem favere huic juri leges debent, et, quoad potest, providere ut quamplurimi ex multitudine rem habere malint. Quo facto, praeclarae utilitates consecuturae sunt: ac primum certe aequior partitio bonorum. Vis enim commutationum civilium in duas civium classes divisit urbes, immenso inter utramque discrimine interjecto. Ex una parte factio praepotens, quia praedives: quae cum operum et mercaturae universum genus sola potiatur, facultatem omnem copiarum effectricem ad sua commoda ac rationes trahit, atque in ipsa administratione reipublicae non parum potest. Ex altera inops atque infirma multitudo, exulcerato animo et ad turbas semper parato. Jamvero si plebis excitetur industria in spem adipiscendi quippiam, quod solo contineatur, sensim fiet ut alter ordo evadat finitimus alteri, sublato inter summas divitias summamque egestatem discrimine. — Praeterea rerum, quas terra gignit, major est abundantia futura. Homines enim, cum se elaborare sciunt in suo, alacritatem adhibent studiumque longe majus: immo prorsus adamare terram instituunt sua manu percultam, unde non alimenta tantum, sed etiam quamdam copiam et sibi et suis expectant. Ista voluntatis alacritas, nemo non videt quam valde conferat ad ubertatem fructuum, augendasque divitias civitatis. — Ex quo illud tertio loco manabit commodi, ut qua in civitate homines editi susceptique in lucem sint, ad eam facile retineantur: neque enim patriam cum externa regione commutarent, si vitae degendae tolerabilem daret patria facultatem. Non tamen ad haec commoda perveniri nisi ea conditione potest, ut privatus census ne exhauriatur immanitate tributorum et vectigalium. Jus enim possidendi privatim bona cum non sit lege hominum sed natura datum, non ipsum abolere, sed tantummodo ipsius usum temperare et cum communi bono componere auctoritas publica potest. Faciat igitur injuste atque inhumane, si de bonis privatorum plus aequo, tributorum nomine, detraxerit.

Postremo domini ipsique opifices multum hac in caussa possunt, iis videlicet institutis, quorum ope et opportune subveniatur indigentibus, et ordo alter propius accedat ad alterum. Numeranda in hoc genere sodalitia ad suppetias mutuo ferendas: res varias, privatorum providentiâ constitutas, ad cavendum opifici, itemque orbitati uxoris et liberorum, si quid subitum ingruat, si debilitas afflixerit, si quid humanitus accidat: instituti patronatus pueris, puellis, adolescentibus natuque majoribus tutandis. Sed principem locum obtinent sodalitia artificum,

quorum complexu fere cetera continentur. Fabrum corporatorum apud majores nostros diu bene facta constitere. Revera non modo utilitates praeclaras artificibus, sed artibus ipsis, quod perplura monumenta testantur, decus atque incrementum peperere. Eruditiore nunc aetate, moribus novis, auctis etiam rebus quas vita quotidiana desiderat, profecto sodalitia opificum flecti ad praesentem usum necesse est. Vulgo coiri ejus generis societates, sive totas ex opificibus conflatas, sive ex utroque ordine mixtas, gratum est: optandum vero ut numero et actuosa virtute crescant. Etsi vero de iis non semel verba fecimus, placet tamen hoc loco ostendere, eas esse valde opportunas, et jure suo coalescere: item qua illas disciplina uti, et quid agere oporteat.

Virium suarum explorata exiguitas impellit hominem atque hortatur, ut opem sibi alienam velit adjungere. Sacrarum litterarum est illa sententia: *melius est duos esse simul, quam unum: habent enim emolumentum societatis suae. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Vae soli: quia cum ceciderit, non habet sublevantem se* (1). Atque illa quoque: *frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma* (2). Hac homo propensione naturali sicut ad conjunctionem ducitur congregationemque civilem, sic et alias cum civibus inire societates expetit, exiguas illas quidem nec perfectas, sed societates tamen. Inter has et magnam illam societatem ob differentes caussas proximas interest plurimum. Finis enim societati civili propositus pertinet ad universos, quoniam communi continetur bono: cujus omnes et singulos pro portione compotes esse jus est. Quare appellatur *publica* quia per eam *homines sibi invicem communicant in una republica constituenda* (3). Contra vero, quae in ejus velut sinu junguntur societates, privatae habentur et sunt, quia videlicet illud, quo proxime spectant, privata utilitas est, ad solos pertinens consociatos. *Privata autem societas est, quae ad aliquod negotium privatum exercendum conjungitur, sicut quod duo vel tres societatem ineunt, ut simul negotientur* (4). Nunc vero quamquam societates privatae existunt in civitate, ejusque sunt velut partes totidem, tamen universe ac per se non est in potestate reipublicae ne existant prohibere. Privatas enim societates inire concessum est homini jure naturae: est autem ad praesidium juris naturalis instituta civitas, non ad interitum: eaque si civium coetus sociari vetuerit, plane secum pugnantia agat, propterea quod tam ipsa quam coetus privati uno hoc e principio nascuntur, quod homines sunt natura congregabiles. — Incidunt aliquando tempora cum ei generi communitatum rectum sit leges obsistere: scilicet si quidquam ex instituto persequantur, quod cum probitate, cum justitia, cum reipublicae salute aperte dissideat. Quibus in caussis jure quidem potestas publica, quo minus illae coalescant, impediet: jure etiam dissolvet coalitas: summam tamen adhibeat cautionem necesse est, ne jura civium migrare videatur, neu quidquam per speciem utilitatis publicae statuat, quod ratio non probet. Eatenus enim obtemperandum legibus, quoad cum recta ratione adeoque cum lege Dei sempiterna consentiant (1).

Sodalitates varias hic reputamus animo et collegia et ordines religiosos, quos Ecclesiae auctoritas et pia christianorum voluntas genuerant: quanta vero cum salute gentis humanae, usque ad nostram memoriam historia loquitur. Societates ejusmodi, si ratio sola dijudicet, cum initae honestâ caussâ sint, jure naturali initas apparet fuisse. Qua vero parte religionem attingunt, sola est Ecclesia cui juste pareant. Non igitur in eas quicquam sibi arrogare juris, nec earum ad se traducere administrationem recte possunt qui praesint civitati: eas potius officium est reipublicae vereri, conservare, et, ubi res postulaverint, injuriâ prohibere. Quod tamen longe aliter fieri hoc praesertim tempore vidimus. Multis locis communitates hujus generis respublica violavit, ac multiplici quidem injuria: cum et civilium legum nexo devinxerit, et legitimo jure perso-

(1) Eccl. IV, 9-12.

(2) Prov. XVIII, 19.

(3) S. Thom. *Contra impugnantes Dei cultum et religionem*, cap. II.

(4) Ib.

(1) *Lex humana in tantum habet rationem legis, in quantum est secundum rationem rectam, et secundum hoc manifestum est quod a lege aeterna derivatur. In quantum vero a ratione recedit, sic dicitur lex iniqua, et sic non habet rationem legis, sed magis violentiae cujusdam* (S. Thom. Summ. Theol. I-II, Quaest. XIII, a. III).

nae moralis exuerit, et fortunis suis despoliarit. Quibus in fortunis suum habebat Ecclesia jus, suum singuli sodales, item qui eas certae cuidam caussae addixerant, et quorum essent commodo ac solatio addictae. Quamobrem temperare animo non possumus quin spoliationes ejusmodi tam injustas ac perniciosas conqueramur, eo vel magis quod societatibus catholicorum virorum, pacatis iis quidem et in omnes partes utilibus, iter praecludi videmus, quo tempore edicitur, utique coire in societatem per leges licere: eaque facultas large revera hominibus permittitur consilia agitantibus religioni simul ac reipublicae perniciosa.

Profecto consociationum diversissimarum, maxime ex opificibus, longe nunc major, quam alias frequentia. Plures unde ortum ducant, quid velint, qua grassentur via, non est hujus loci quaerere. Opinio tamen est, multis confirmata rebus, praeesse ut plurimum occultiores auctores, eosdemque disciplinam adhibere non christiano nomini, non saluti civitatum consentaneam: occupataque efficiendorum operum universitate, id agere ut qui secum consociari recusarint, luere poenas egestate cogantur. — Hoc rerum statu, alterutrum malint artifices christiani oportet, aut nomen collegiis dare, unde periculum religioni extimescendum: aut sua inter se sodalitia condere, viresque hoc pacto conjungere, quo se animose queant ab illa injusta ac non ferenda oppressione redimere. Omnino optari hoc alterum necesse esse, quam potest dubitationem apud eos habere, qui nolint summum hominis bonum in praesentissimum discrimen conjicere?

Valde quidem laudandi complures ex nostris, qui probe perspecto quid a se tempora postulent, experiuntur ac tentant qua ratione proletarios ad meliora adducere honestis artibus possint. Quorum patrocinio suscepto, prosperitatem augere cum domesticam tum singulorum student: item moderari cum aequitate vincula, quibus invicem artifices et domini continentur: alere et confirmare in utrisque memoriam officii atque evangelicorum custodiam praeceptorum; quae quidem praecepta, hominem ab intemperantia revocando, excedere modum vetant, personarumque et rerum dissimillimo statu harmoniam in civitate tuentur. Hac de caussa unum in locum saepe convenire videmus viros egregios, quo communicent consilia invicem, viresque jungant, et quid maxime expedire videatur, consultent. Alii varium genus artificum opportuna copulare societate student; consilio ac re juvant, opus ne desit honestum ac fructuosum, provident. Alacritatem addunt ac patrocinium impertiunt Episcopi: quorum auctoritate auspiciisque plures ex utroque ordine Cleri, quae ad excolendum animum pertinent, in consociatis sedulo curant. Denique catholici non desunt copiosis divitiis, sed mercenariorum velut consortes voluntarii, qui constituere lateque fundere grandi pecunia consociationes adnitantur: quibus adjuvantibus facile opifici liceat non modo commoda praesentia, sed etiam honestae quietis futurae fiduciam sibi labore quaerere. Tam multiplex tamque alacris industria quantum attulerit rebus communibus boni plus est cognitum, quam ut attineat dicere. Hinc jam bene de reliquo tempore sperandi auspicia sumimus, modo societate istiusmodi constanter incrementa capiant, ac prudenti temperatione constituantur. Tutetur hos respublica civium coetus jure sociatos: ne trudat tamen sese in eorum intimam rationem ordinemque vitae: vitalis enim motus cietur ab interiore principio, ac facillime sane pulsu eliditur externo.

Est profecto temperatio ac disciplina prudens ad eam rem necessaria ut consensus in agendo fiat conspiratioque voluntatum. Proinde si libera civibus coeundi facultas est, ut profecto est, jus quoque esse oportet eam libere optare disciplinam easque leges, quae maxime conducere ad id, quod propositum est, judicentur. Eam, quae memorata est temperationem disciplinamque collegiorum qualem esse in partibus suis singulis oporteat, decerni certis definitisque regulis non censemus posse, cum id potius statuendum sit ex ingenio cujusque gentis, ex periclitatione et usu, ex genere atque efficientia operum, ex amplitudine commerciorum, aliisque rerum ac temporum adjunctis, quae sunt prudenter ponderanda. Ad summam rem quod spectat, haec tamquam lex generalis ac perpetua sanciatur, ita constitui itaque gubernari opificum collegia oportere, ut instrumenta suppeditent aptissima maximeque expedita ad id, quod est propositum, quodque in eo consistit ut singuli e societate incremen-

tum bonorum corporis, animi, rei familiaris, quoad potest, assequantur. Perspicuum vero est, ad perfectionem pietatis et morum tamquam ad caussam praecipuam spectari oportere: eâque potissimum caussâ disciplinam socialem penitus dirigendam. Secus enim degenerarent in aliam formam, eique generi collegiorum, in quibus nulla ratio religionis haberi solet, haud sane multum praestarent. Ceterum quid prosit opifici rerum copiam societate quaesisse, si ob inopiam cibi sui de salute periclitetur anima? *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur* (1)? Hanc quidem docet CHRISTUS Dominus velut notam habendam, qua ab ethnico distinguatur homo christianus: *haec omnia gentes inquirunt... quaerite primum regnum* DEI, *et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis* (2). Sumptis igitur a DEO principiis, plurimum eruditioni religiosae tribuatur loci, ut sua singuli adversus DEUM officia cognoscant: quid credere oporteat, quid sperare atque agere salutis sempiternae caussâ, probe sciant: curâque praecipuâ adversus opinionum errores variasque corruptelas muniantur. Ad DEI cultum studiumque pietatis excitetur opifex, nominatim ad religionem dierum festorum colendam. Vereri diligereque communem omnium parentem Ecclesiam condiscat: itemque ejus et obtemperare praeceptis et sacramenta frequentare, quae sunt ad expiandas animi labes sanctitatemque comparandam instrumenta divina.

Socialium legum posito in religione fundamento, pronum est iter ad stabiliendas sociorum rationes mutuas, ut convictus quietus ac res florentes consequantur. Munia sodalitatum dispartienda sunt ad communes rationes accommodate, atque ita quidem ut consensum ne minuat dissimilitudo. Officia partiri intelligenter, perspicueque definiri, plurimum ob hanc caussam interest, ne cui fiat injuria. Commune administretur integre, ut ex indigentia singulorum praefiniatur opitulandi modus: jura officiaque dominorum cum juribus officiisque opificum apte conveniant. Si qui ex alterutro ordine violatum se ulla re putarit, nihil optandum magis, quam adesse ejusdem corporis viros prudentes atque integros, quorum arbitrio litem dirimi leges ipsae sociales jubeant. Illud quoque magnopere providendum ut copia operis nullo tempore deficiat opificem, utque vectigal suppeditet, unde necessitati singulorum subveniatur nec solum in subitis ac fortuitis industriae casibus, sed etiam cum valetudo, aut senectus, aut infortunium quemquam oppressit. — His legibus, si modo voluntate accipiantur, satis erit tenuiorum commodis ac saluti consultum: consociationes autem catholicorum non minimum ad prosperitatem momenti in civitate sunt habiturae. Ex eventis praeteritis non temere providemus futura. Truditur enim aetas aetate, sed rerum gestarum mirae sunt similitudines, quia reguntur providentia DEI, qui continuationem seriemque rerum ad eam caussam moderatur ac flectit, quam sibi in procreatione generis humani praestituit. — Christianis in prisca Ecclesiae adolescentis aetate probro datum accepimus, quod maxima pars stipe precaria aut opere faciendo victitarent. Sed destituti ab opibus potentiaque, pervicere tamen ut gratiam sibi locupletium, ac patrocinium potentium adjungerent. Cernere licebat impigros, laboriosos, pacificos, justitiae maximeque caritatis in exemplum retinentes. Ad ejusmodi vitae morumque spectaculum, evanuit omnis praejudicata opinio, obtrectatio obmutuit malevolorum, atque inveteratae superstitionis commenta veritati christianae paullatim cessere. — De statu opificum certatur in praesens: quae certatio ratione dirimatur an secus, plurimum interest reipublicae in utramque partem. Ratione autem facile dirimetur ab artificibus christianis, si societate conjuncti ac prudentibus auctoribus usi, viam inierint eamdem, quam patres ac majores singulari cum salute et sua et publica tenuerunt. Etenim quantumvis magna in homine vis opinionum praejudicatarum cupiditatumque sit, tamen nisi sensum honesti prava voluntas obstupefecerit, futura est benevolentia civium in eos sponte propensior, quos industrios ac modestos cognoverint, quos aequitatem lucro, religionem officii rebus omnibus constiterit anteponere. Ex quo illud etiam consequetur commodi, quod spes et facultas sanitatis non minima suppeditabitur opificibus iis, qui vel omnino despecta fide christiana, vel alienis a professione moribus vivant. Isti quidem se plerum-

(1) Matth. XVI, 26.
(2) Matth. VI, 32-33.

que intelligunt falsa spe simulataque rerum specie deceptos. Sentiunt enim, sese apud cupidos dominos valde inhumane tractari, nec fieri fere pluris quam quantum pariant operando lucri: quibus autem sodalitatibus implicati sunt, in iis pro caritate atque amore intestinas discordias existere, petulantis atque incredulae paupertatis perpetuas comites. Fracto animo, extenuato corpore, quam valde se multi vellent e servitute tam humili vindicare: nec tamen audent, seu quod hominum pudor, seu metus inopiae prohibeat. Jamvero his omnibus mirum quantum prodesse ad salutem collegia catholicorum possunt, si haesitantes ad sinum suum, expediendis difficultatibus, invitarint, si resipiscentes in fidem tutelamque suam acceperint.

Habetis, Venerabiles Fratres, quos et qua ratione elaborare in caussa perdifficili necesse sit. — Accingendum ad suas cuique partes, et maturrime quidem, ne tantae jam molis incommodum fiat insanabilius cunctatione medicinae. Adhibeant legum institutorumque providentiam, qui gerunt respublicas: sua meminerint officia locupletes et domini: enitantur ratione, quorum res agitur, proletarii: cumque religio, ut initio diximus, malum pellere funditus sola possit, illud reputent universi, in primis instaurari mores christianos oportere, sine quibus ea ipsa arma prudentiae, quae maxime putantur idonea, parum sunt ad salutem valitura. — Ad Ecclesiam quod spectat, desiderari operam suam nullo tempore nulloque modo sinet, tanto plus allatura adjumenti, quanto sibi major in agendo libertas contigerit: idque nominatim intelligant, quorum munus est saluti publicae consulere. Intendant omnes animi industriaeque vires ministri sacrorum: vobisque, Venerabiles Fratres, auctoritate praeeuntibus et exemplo, sumpta ex evangelio documenta vitae hominibus ex omni ordine inculcare ne desinant: omni qua possunt ope pro salute populorum contendant, potissimumque studeant et tueri in se, et excitare in aliis, summis juxta atque infimis, omnium dominam ac reginam virtutum, caritem. Optata quippe salus expectanda praecipue est ex magna effusione caritatis: christianae caritatis intelligimus, quae totius Evangelii compendiaria lex est, quaeque semetipsam pro aliorum commodis semper devovere parata, contra saeculi insolentiam atque immoderatum amorem sui certissima est homini antidotus: cujus virtutis partes ac lineamenta divina Paulus Apostolus iis verbis expressit: *Caritas patiens est, benigna est, non quaerit quae sua sunt: omnia suffert: omnia sustinet* (1).

Divinorum munerum auspicem ac benevolentiae Nostrae testem vobis singulis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque vestro apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XV Maji anno MDCCCXCI, Pontificatus Nostri Decimoquarto.

LEO PP. XIII.

—

DECRETUM

S. CONG. INDICIS.

Feria V die 14 Maji 1891.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 14 Maji 1891, mandavit et mandat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

I Criteri Teologici. — La storia de' Dommi e la libertà delle Affermazioni. Lavoro scientifico del Can. Salvatore di Bartolo. — Torino, tip. S. Giuseppe, Collegio degli Artigianelli, Corso Palestro n. 14. 1888. *Auctor laudabiliter se subjecit et Opus reprobavit.*

Filosofia della Rivelazione. Saggio del Sac. Francesco Giovanzana, 2ª ediz. rifatta ed accresciuta. — Milano presso Ramellini Andrea, 1881-1882.

Una rivista della Civiltà Cattolica e la filosofia della Rivelazione del Sac. Francesco Giovanzana. — Bergamo, dalla tipografia Cattaneo, 1871.

(1) I Corinth. XIII, 4-7.

Del primato e dell' Infallibilità pontificia. Dissertazione del Parroco Francesco Giovanzana. — Bergamo, tip. Gaffuri e Gatti, 1874.

Sulla esposizione di un punto capitalissimo di dottrina Tomistica, Scolastica, Patristica, Scritturale. Osservazioni del Sacerdote Francesco Giovanzana. — Bergamo, Stab. tipografico fratelli Bolis, 1885.

Il dogma dell' Immacolata Concezione di Maria SS. propugnato nel suo senso ovvio e letterale contro certi cattolici che osano alterarlo. Appunti e spiegazioni del Sac. F. Giovanzana. — Bergamo, Stabilimento tip. fratelli Bolis, 1888.

S. F. G. *Proposizioni da condannarsi.* — Bergamo, Stab. tipo-litografico frat. Bolis, 1890.

Sull' origine delle anime umane. Argomenti a rovescio e testimonianze a vanvera di un Articolista della Scuola Cattolica. — Bergamo, Stab. tipografico fratelli Bolis, 1883.

Appunti alle riflessioni critiche di un Critico che manca affatto di criterio. — Bergamo, Stabilimento tip. fratelli Bolis, 1886.

L' Amico sincero dei Giovani. — Cremona, Tip. Giovanni Foroni, 1890.

Guida Morale e Pratica per le Madri del Popolo, di Virginia Paganini. Seconda edizione riveduta e corretta. — Firenze, Tipografia cooperativa, Via Monalda n. 1, 1889.

Histoire du Peuple d' Israël, par Ernest Renan, membre de *l' Institut,* Professeur au Collège de France 1, 2 e 3 Tomo. — Paris, Calmann Lévy éditeur, Rue Auber, 3, et Boulevard des Italiens 15 à la Librairie Nouvelle, 1889-1891.

L' Initiation, Revue philosophique indépendante des Hautes Etudes, Hypnotisme, Théosophie, Kabbale, Franc-Maçonnerie, Sciences occultes. — Rédaction, 29 rue de Trévise, Paris.

Cours élémentaire de Philosophie rédigé conformément au programme du Baccalauréat ès Lettres du 22 janvier 1885, par M. Théodore Delmont, Licencié ès Lettres. Deuxième édition revue, corrigée et considérablement augmentée. — Paris, Putois-Cretté, Libraire éditeur, Rue de Rennes 90, 1888. *Decreto die 13 Aprilis 1889. Auctor laudabiliter se subjecit et Opus reprobavit.*

Les Congrégations Romaines, guide historique et pratique par Félix Grimaldi. — Sienne, imprimerie San Bernardino, 1890. *Decreto S. Officii Feria IV die 29 Aprilis 1891.*

Itaque nemo cujuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae, die 14 Maji 1891.

CAMILLUS Card. MAZZELLA, *Praef.*

Fr. HYACINTHUS FRATI, *Ord. Praed. S. Ind. Congreg. a Secretis.*

Loco ✠ Sigilli.

Die 21 Maji 1891 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

VINCENTIUS BENAGLIA, *Mag. Curs.*

—

NOVI EPISCOPI EX ORDINE

In consistorio diei 1 Junii anni vertentis ad ecclesiam cathedralem Pacensem seu Badajocensem (Badajoz) in Hispania, evectus est Rmus P. FRANCISCUS SAENZ DE URTURI Y CRESPO, Obs. Prov. Cantabriae filius, olim Missionarius apostolicus in Bolivia et nuperrime Commissarius apostolicus Ordinis in Hispania.

In consistorio diei 4 Junii, sequentes Praelati ex Ordine nostro sive nuperrime electi, vel ad aliam sedem translati publicati sunt:

Ecclesia cathedralis Trojana (Troja) pro Rmo DANIELE TEMPESTA, Ord. Min. Reform. translato a sede episcopali Triventina.

Ecclesia titularis archiepiscopalis Cabasorum (Cabasa) pro Rmo GAUDENTIO BONFIGLI, Ord. Min. Obs. promoto a sede titulari Casien., Delegato Apostolico Syriae et Vicario Apost. Alepensi pro Latinis.

Ecclesia titularis episcopalis Antigonensis pro Rmo ALPHONSO MARIA FERDINANDO SAR-

DINAS, ejusdem dioecesis, Ord. Min. Obs. Collegii apostolici Limensis.

Ecclesia cathedralis Pulatensis in Albania pro Rmo NICOLAO MARCONI, Ord. Min. Ref. et jam Missionario apostolico.

Ecclesia titularis episcopalis Telmissensis pro Rmo JOANNE HOFMAN, Ord. Min. Recol. Vicario apostolico Chan-si meridionalis.

In eodem consistorio postulatum fuit sacrum Pallium pro ecclesia Trojana, quae hoc privilegio a Sancta Sede olim decorata fuit.

II.

ACTA ORDINIS

—

CAPITULA PROVINCIALIA
hoc anno celebrata.

XI.

Ref. Prov. Neapolis et Terrae Laboris.

Die 27 Maji 1891, in Conventu S. MARIAE Immaculatae Palmae Neapoli, praeside Adm. R. P. LADISLAO A CANEPINA, Definitore Generali et Generali Visitatore, celebratum est hujus Provinciae Capitulum, in quo canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

R. P. Antonius a Casauria.

CUSTOS VOCALIS

R. P. Aloysius a Casanova.

DEFINITORES

Adm. V. P. Bonaventura a Casalinovo.
Adm. V. P. Augustinus a Martisanisio.
Adm. V. P. Cherubinus a Casalinovo.
Adm. V. P. Joannes Franciscus a Caserta.

—

XII.

Observ. Prov. S. Hieronymi in Dalmatia.

Die 3 Junii 1891 in Conventu S. Francisci Iaderae celebratum fuit Capitulum Provinciale Nostrae Observantis Provinciae S. Hieronymi in Dalmatia, praeside Adm. R. P. AUGUSTINI ZUBAĆ, Definitore Generali Ordinis ac Visitatore Generali: in quo electi fuere:

MINISTER PROVINCIALIS

R. P. Seraphinus Ivasović, reelectus.

CUSTOS

Adm. V. P. Ioannes Chietul.

DEFINITORES

R. P. Hieronymus Maroević.
Adm. V. P. Vincentius Tomasić.
Adm. V. P. Leonardus Matković.
Adm. V. P. Cajetanus Letić.

—

XIII.

Obs. Prov. S. Ludovici in Gallia.

Die XIII Junii vertentis anni in Conventu Parisiensi ad S. Annam (rue des Fourneaux 83), rite celebratum est Capitulum Obs. Prov. S. Ludovici, praeside Reverendissimo P. ALOYSIO A PARMA, Ministro Generali Ordinis nostri, et canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

R. P. Petrus Baptista ab Orthesio.

CUSTOS VOCALIS

R. P. Otho a Pavia, Ex-Provincialis.

DEFINITORES

Adm. V. P. Thomas a Rupe.
Adm. V. P. Ludovicus a Burdigala.
Adm. V. P. Coelestinus a Biterris.
Adm. V. P. Thaddaeus a Corneilhan.

III.

VARIA

—

DE CONSECRATIONE EPISCOPALI

Illmi ac Rmi P. Nicolai Marconi a Tridento.

Ad sacrum celeberrimumque Alverniae montem, qui septem abhinc saeculis ob sacrorum Stigmatum in corpore Seraphici Patriarchae Nostri Francisci impressionem, maxima habetur in veneratione, solemnis caeremonia nuper peracta fuit, Nostratum sane memoriae prodenda.

Die siquidem septima mensis proxime elapsi Maji, qua Domini Ascensio recolebatur episcopalem accepit consecrationem Rmus P. Nicolaus Marconi a Tridento, Reformatae S. Vigilii Provinciae Filius, ad Sedem evectus Pulatensem in Albania, ubi jam inde ab inito sacerdotio Missionarii munere quamsedulo perfunctus est. Ipse revera ferventissimus Missionarius, amplissimam hanc Episcopalem dignitatem, Angelis etiam formidabilem, inopinanter adeptus, pro maximo duxit, non posse quidem spiritum abnegationis et sacrificii, ad Pastoralia munera strenue obeunda magnopere necessarium, melius poscere magisque adipisci, quam ad Seraphicum Calvarium; unde, intima voce Dilecti saepius audita, amoris illius igne saucius et incensus discesserat beatus Pater Franciscus. Hoc autem suum consilium humillime patefecit neo-electus Episcopus Summo Pontifici Leoni XIII, qui benignissimam adprobationem et commendationem illi quamlibentius concessit, quippe qui sacrum idem templum sacrumque coenobium singulari reverentia et amore, praecipuaque religione et pietate semper prosequutus est. Praefata igitur Ascensionis die, augusta haec caeremonia, nova illic et forsitan difficillime renovanda, absoluta est; Episcopo consecrante Illmo ac Rmo D. P. Stephano Maria Potron a Brest, Ord. Min. Obs. Commissario Generali Terrae Sanctae ac Franciscalium Missionum Procuratore in Civitate Parisiensi, et Hiericuntino titulari; adsistentibus vero Illmo ac Rmo D. P. Vincentio-Epiphanio Carlassare, Ord. Min. Reformatae Provinciae Venetiarum, Vicario Apostolico Hu-pe Orientalis in Sinensi imperio ac Madaurensi titulari; nec non Illmo ac Rmo D. D. Felice Gialdini, Montis Politiani Episcopo observantissimo.

Solemnis revera hic ritus memorandus perpetuo erit Alvernicolis illis Fratribus et accolis, non tantum ex magnifico templi apparatu, ac devotis canticis et musicalibus concentibus, verum etiam ex pontificalibus insignibusque paramentis, quibus induti erant Episcopi, aliique Ministri Regulares; quos inter eminebant ipsi Novitii Franciscani ob eam, qua forte illic dumtaxat utuntur Religiosi nostri, vestis liturgicae formam singularem, quae augustis ecclesiasticis functionibus tantum addit decoris ac reverentiae. Ad tres autem horas perductus fuit sacer idem ritus; cui aderat religiosa fidelium multitudo, pia quidem, et visibiliter ad lacrymas permota. Post meridiem vero ad Vesperarum cantum se contulit neoconsecratus Episcopus, qui post consuetam ad Sacrorum Stigmatum sacellum processionem, trinam impertitus est Benedictionem.

Tertio post die ab Alvernia discessit Episcopus moerens, eam forte non amplius revisurus; memoria tamen haud peritura manebit episcopalis ipsius consecrationis apud nostros sacri illius Montis Confratres; quibus personaliter adfuerant nonnulli ex Ordine nostro Religiosi, tum ad Romanam Curiam tum ad Tridentinam Provinciam pertinentes; spectante quoque summa perfuso laetitia, peroptimo viro Simeone Marconi, ejusdem Episcopi germano fratre.

Antequam tandem huic relationi finem imponamus, unum adhuc nobis adjiciendum est; quod nempe neo-consecratus Episcopus, tribus aliis Praelatis subscribentibus, verbis quoque adstantium Fratrum ad Summum Pontificem Leonem de consecratione peracta, deque cujuslibet in eum et sanctam Sedem obsequio et studio, acu telegraphico retulit; cui eadem vi electrica, respondit illico Sanctitas ipsa Sua, et ad solemnitatis complementum Apostolicam impertiit Benedictionem.

—

FUNDATIO
COLLEGII S. ISIDORI IN URBE
A P. LUCA WADDINGO
CAP. XXI (LXVI)
(Continuatio)

In reliqua regulari disciplina primam curam gerebat Lucas illius virtutis, quam primam, post religiosi status essentialia vota collocarunt, omnes omnino Religiosorum Ordinum Fundatores, absque qua nec Religio vera dici potest, nec esse vel perfectio vel profectus litterarum, dico solitudinis et silentii: *Nam si quis putat se Religiosum esse, non refraenans linguam suam, hujus vana est Religio.* Haec enim est virtus, quae Sanctorum Patrum censura est *profectus Monachorum, Coeli scala, via regni Coelorum, mater compunctionis, cujus studiosus appropriat* Deo, *ipsique jugiter in ab-*

dito cordis assistens illustratur ab eo. Silentium enim est mentis illustratio, schola lectionis et orationis, omnisque virtutis cooperatrix, quae purificat mentem, et perspicaciorem reddit. Hinc Lucas noster in Collegio S. Isidori, quod lectionis et orationis gymnasium esse peroptabat, Pytagoricum quodammodo suis locis et horis volebat esse silentium: solitus dicere, linguam loquacem, vel aurem rumoribus apertam, et mentem ad pietatem et litteras recollectam simul consistere non posse.

In Choro coram tremenda Christi majestate, etiam extra tempus officii, loqui crimen reputabat, quo et orantium devotio turbatur, et audientis forsitan populi opinio de re Ecclesiastica et Regulari minuitur; proinde nec exercitii, seu addiscendi cantus gratia, Fratres extra tempus officii in Choro canere sustinebat, sed in aula capitulari, vel alio loco ab Ecclesia et populi auribus remoto.

Eadem districtio in Sacrario fuit, ejusque Praefecto, seu ut vocant Sacristae, mandatum, ut in Ecclesia et Sacristia ab omnibus servetur perpetuum et rigorosum silentium, tanquam locis specialiter Deo consecratis, quos decet in sanctitudine custodiri. Eadem districtio fuit ad portam, et ea parte Claustri, unde vox in Templum, vel ad portam penetrare posset, mandatumque similiter janitori ne altiora colloquia, et minus mortificata circa portam misceri permittat; procuretque in se et aliis, ut cum reverentia, et submissa voce omnia transigantur. Aliis autem ad portam vocatis, ut procurent cum saecularibus tractare, quae sunt salutis, non futilia vel nugas; abstineant etiam a salibus et jocis, et multiloquio, a curiosis quaestionibus saeculi interrogandis, ut alterationibus bellorum, hujusmodi, quae magis expedit nescire, ne mentis perturbent quietem. Juniores vero, seu scholares absque speciali Superioris licentia ad portam vocari, vel in locis illi vicinis, aut saecularibus perviis impune haerere non permittebat; et si quempiam, etiam obtenta facultate, prolixius persistere deprehendebat, huic vel ipse tunc nutu recessum imperabat, vel tamquam ad opus aliquod avocabat, vel forte plane dissimulans monebat Lectorem, ut ab eo discipulo proxima scholarum hora specialem exigeret rationem studiorum, et reddere non potentem ad ipsum remitteret castigandum: sciens etiam quam periculosa sit *ad prunas* confabulatio, *ubi usitatum est honesti homines seducere; ubi Dominum sprevit Rex Joachim, negavit Petrus.* Ideo perpetuum in calefactorio volebat esse silentium, brevemque moram, et solis senioribus sessionem, atque hanc non nimis commodam, ne superfluus ignis turbaret caput, aut protracta confabulatione difflueret tum acquisitus orationis, aut studii fructus, tum tempus et opportunitas acquirendi majoris.

In Refectorio vero non solum verbis, sed nec ullo nutu, vel insolito motu, perpetuae lectionis musicam impedire licebat. Et si in secunda mensa quisquam elevaret vocem, aut aliquis in prima pransus ad colloquendum subsisteret, vel post gratiarum actionem, aut lotionem utensilium rediret, hic Fratris coenaculo Praefecti jussu desistere, vel opportuna Superioris correptione luere debebat; praeterquam in raris solemnitatibus, aut diebus Fratrum recreationi constitutis, quos voluit Superioris, et Patrum discretorum judicio decerni; his enim incepta lectio, et aliquandiu continuata, jubente tandem Superiore cessat, et cum proximo quoque, quiete et modeste colloqui licet. Eadem fuit disciplina tonstrinae, in qua tam continua erat lectio pii libri, et stricta observantia silentii, quam exercitium rasurae. Ut vero Dormitorii et cubiculorum quies ab omni sonitu pura esset, non solum colloquia, certis praesertim horis, prohibebat; sed et omnem portarum et pedum strepitum, ut proinde numquam permiserit, ut Collegii Fratres calepodiis ligneis uterentur, sed simplicibus soleis ex corio, domestici Fratris manu confectis: haec enim dicebat Collegii Instituto magis convenire, joco etiam adjungens, illis minus teri lateres pavimenti. Interiora quoque domus forensibus pervia esse non permittebat sine petita Superioris licentia, quam non promiscue concedi statuit, sed Praelatis, et viris gravibus; rationem reddens, quoniam quae pervia sunt vilescunt, *et ubi omnibus omnia patent non est Religio.*

CAP. XXII (LXVII).

Circa morum disciplinam.

Post silentium proxime invigilabat universae domui, rerumque Ordini et nitori, tam

accurate, ut si festucam in pavimento, si pulverem in pariete, si telam araneae in angulo si gramen in viis horti conspiceret, non prius inde recederet, quam vel propriis manibus, aut palii fimbria locum purgaret, vel vocatum Fratrem loci Praefectum leniter objurgaret. Neque id solum in Choro, in Templo, in Sacrario, in Scholis, in Claustro, in Dormitorio, aut Fratrum cubiculis observabat, in quibus omnibus locis nihil extra tempus expositum, nihil inordinatum, nihil non recte dispositum, et opportune promptum, honestum et politum esse patiebatur; sed etiam in vilioribus officinis et obscurioribus recessibus totius Conventus. Nec vehementiori argumento ad haec persuadendum utebatur quam ut diceret Collegium S. Isidori dedecere sordes, aut rerum confusionem, tali nos opinione apud exteros esse, nobilium personarum gratia eos frequenter accedere, tali nos etiam ab inopinate advenientibus deprehendi debere. Innatum erat Lucae, et nunquam non oculatum, et vigilans, quod vocant punctum honoris; absque quo frustra requires in aliquo curam honestatis. Hinc in omni Fratrum actione, gestuque religiosam compositionem, et aspicientium aedificationem desiderabat, suadebatque verbis, quibus S. P. N. Franciscus boni exempli curam Fratribus commendabat: *Commercium est inter mundum et Fratres; debent enim ipsi mundo bonum exemplum, debet eis mundus provisionem necessitatum; quando autem ipsi retraxerint bonum exemplum, fide mentita, retrahet mundus manum juxta censura (Tom. 3 Opusc. coll. 5).* Propterea si quem ille Fratrem notabat vocem immoderantius efferre, si velociorem gressum, si pendulas manus, si oculum elatum aut vagum, si vestem non apte compositam; si quidquam demum, quod proximi oculum vel aures offendere posset, nihil absque monitione transibat.

Quem vero fructum inde referrent, placet subnectere auctoris nobis externi, sed Romani, et Romae tunc, et hodie viventis, et res ipsas videntis testimonio de moribus ac disciplina Fratrum Collegii S. Isidori gubernante Waddingo. Sic autem ille eisdem fere verbis, sed eodem omnino sensu loquitur sermone vernaculo, quo liber typis vulgatus est. « *Antiquae Religionis Hibernorum domesticum exemplum Romae habemus in duabus Coloniis illius nationis, quorum alterum fundavit Ludovicus Ludovisius Gregorii XV. Nepos Cardinalis Protector Hiberniae, qui Collegium Romae fundavit etc. Alterum quoque Collegium est Hibernorum sub Urbano VIII in Monte Pincio fundatum, sed Regularium austerioris disciplinae Seraphici Instituti, cujus numerosa multitudo in Hibernia est. Atque inde ex magis tenera juventute Romam transmittuntur, qui in hoc Collegio nobiliores scientias addiscant. Sunt numero circiter quinquaginta, quos piorum Romanorum caritas magno applausu sustentat. De illis aliud non dico, quam quod qui cupiat Coelum in terris clausum videre, non opus habeat alarum vi stellis inniti, sed ut montis summo pedem inferat in illo sacro diversorio visurus; divinum radium ex vultu illius eremiticae juventutis prodeuntem, qui mentem illuminat, et caritatem inflammat. Nativus candor puritatis morum splendore adauctus blandum vibrat fulgorem, qui et aspicientium pupillas perstringit, et simul facit reverenter sequaces cujusdam heroicae virtutis, quam regnare conspicit in solitariis illis alumnis, in quorum frontibus innocentia sedem fixit, pudicitia thronum in oculis collocavit, silentium in labiis residet, quod nunquam solvitur, nisi in Lyceo, cum veritas verbis quaerenda est; extra cujus cancellos tam muta est lingua, quam loquax modestia corporis, cujus omnis motus vox est, quae persuadet honestatem, et accendit amorem excelsae illius christianae Philosophiae, quae docet mundi contemptum, cordis quietem, et mentis tranquillitatem* ». *(Luald. to. 1 de Origine Christianae Rel. l. 1 c. 36).* Haec ille, quae quanto suo bono servabunt posteri nostri, tanto suo pudore, majorique damno transgredientur.

(Continuabitur)

IV.

BIBLIOGRAPHIA

Anonymus, Tertii Ordinis Sacerdos. — Pace e bene. Miscellanea popolare Francescana. Firenze, Tipografia Editrice di A. Ciardi. Borgo degli Albizi, 21. 1891. In-16, pag. VIII-180.

P. Bernardinus ab Appiano Thuille, Cap. Prov. Tyrolis septentr. — Predigten fuer alle Sonntage des Kirchenjahres. Brixen. Druck

und Verlag von A. Weger's Buchhandlung. 1891. Pag. 442. — *Latine:* Conciones pro singulis Dominicis per annum.

P. Emidio Cardini, M. O. — Dei supremi principii della Teologia Morale. *Parte I.* Dell' attuazione del bene nel soggetto umano *(seguito e fine). Parte II.* Del male morale in genere e in specie. — Quaracchi 1891. Vol. 4°. In 16° di pag. 486. Pretium L. 3.

Giuseppe Moreni. — Da Firenze all'Incontro. Pensieri e ricordi da servire per la storia del ritiro di San Leonardo. — Firenze, Tipografia editrice di A. Ciardi. Borgo degli Albizi, 21. 1891. Pag. VII-97.

P. Marcellinus a Civetia, Min. Obs. — La Vergine della Valle solennemente incoronata dal Capitolo Vaticano la seconda domenica dopo Pasqua del 1891 in Catamarca città della Repubblica Argentina nell'America del Sud. Parole improvvisate nella Chiesa di Sant'Antonio in Via Merulana dal P. Marcellino da Civezza M. O. Firenze, Tipografia di Enrico Ariani, Via Ghibellina 53-55. 1891. Pag. 31.

V.

NECROLOGIA

Romae in Collegio S. Antonii Patavini, die 23 Maji anni currentis omnibus moribundorum sacramentis rite provisus, piissime in Domino obiit Fr. Antonius (Laurentius) Marchi, Laicus professus, Observ. Provinciae Bononiensis filius.

Natus est in oppido Plancandoli, dioecesis Florentinae, die 1. Martii 1807.

Adolescentulus adhuc solitudinis amans, quidquid temporis domesticis supererat laboribus piae orationi et rerum divinarum meditationi sacrabat; et quum decursu temporis experiretur se ad statum religiosum amplectendum a Deo vocari, consulto sacrorum curione, adversis licet parentibus, et iis qui contraria suadebant non auditis, Ordini seraphico, ut supra, nomen dedit, die 15 Februarii 1852. Novitiatu in Conventu Arriminensi ad S. Mariam Gratiarum peracto, vota solemnia die 15 Februarii 1853 Domino nuncupavit.

Aliquot annos a professione in Conventibus Ferrariensi et Regiensi coquinae curam gerebat sollicitam; anno vero 1866, ne, mutata reipublicae forma, sacrum habitum exuere cogeretur, in Terram Sanctam a superioribus mitti rogavit; verum altiori dispositione Romam evocatus, primum in Conventu S. Bartholomaei in insula, dein 1886 ad Ss. Quadraginta Martyres Transtiberim et demum in hoc Collegio S. Antonii prope Lateranum vitam egit religiosis virtutibus refertam.

Humilitatem vitae religiosae fundamentum reputans, ad eam excolendam omnes vires suas contulit, ei mores suos conformare anxie studebat; paupertatis franciscanae amantissimus ex quo Romae fuit, nunquam vestimentis novis uti voluit, sed sandalia semper vetera et abiecta, pannos obtritos, tunicas laceratas refectasque usui suo ipse adaptabat; imo novissimis vitae diebus nonnisi ex obedientia admisit, ut sibi, seni et infirmo, lectulus sterneretur aliquanto commodior.

Orationi adprime fuit deditus, in meditandis dominicae Passionis mysteriis, tamquam in schola vere seraphica assiduus, viam crucis frequentissime peragebat; erga augustissimum altaris Sacramentum, exemplo sancti Patriarchae Francisci, peculiari devotionis affectu ferebatur; cujus lampadem ne aliquando extingueretur diu noctuque curare in deliciis habuit; a coena nunquam, nisi eodem Sanctissimo devote salutato, in cellam se recipiebat. Manuum laborem tanquam defectuum suorum expiationem considerabat; quapropter indesinenter fuit in motu, semper occupatus nunquam quietus, ut merito putares eum nescium fuisse fatigari; huic piae industriae adscribi debuit, quod Conventus S. Bartholomaei necessariis lignis, quae ipse Tiberis undis eripiebat, semper fuit abunde provisus.

Antonius litterarum omnino rudis, legendi scribendique nescius, tamen ita pius et devotus passiones suas rationi subdidit, ut in eo mirus quidam omnium virium concentus observaretur; hinc fuit illi propria mentis se-

renitas, in expendendis rerum adjunctis rectum judicium, et alta quarumdam rerum intelligentia qua et in remotiora tempora quandoque clare prospexisse passim visus est; quum enim sanctae memoriae Pius PP. IX jam prope celebraturus esset 25 annum pontificatus sui et nonnulli nuperrimi genii viri, mortem ipsi juxta illud « non videbis dies Petri » imminere laeti praenuntiarent, Fr. Antonius, quid sentiat, a malevolis interrogatus respondit: « *Pius IX vivet usque ad trigesimum et ultra pontificatus sui annum* », nec eum eventus fefellit.

Fr. Antonius noster vita et virtutibus prisca patrum nostrorum exempla in memoriam revocavit et nobis ob oculos posuit.

R. I. P.

Adm. Reverendus P. Aloysius Manciati, Marci Antonii, et Franciscae Piegaiae filius, Cortonensis. Parentes nactus est neque pauperes neque agrorum multorum divites, utpote qui ex iis quae sibi ex praediis paternis redibant, vitam commode alerent. Qui cum in puerulo indolem ad pietatem pronam suspexissent, ita domi instituerunt, ut annum agens duodevigesimum mundo nuntium remiserit, et, quo liberius Deo vacaret, inter sodales nostros cooptari postulaverit. Itaque Senis, in Conventu S. Bernardini, ad Observantiam, novitiatum exercuit; quo absoluto, in Conventu Nemoris, quem vocant, in Mugellana regione, studiorum causa missus, P. Cosimo Ferrinio, viro in re philosophica praeclarissimo, usus est Lectore; adeoque in ea disciplina profecit, ut non solum jam de eo bene sperare, sed etiam confidere Superiores possent sui talem eum futurum qualem cognitum judicarunt. Namque inerat optimae spei adolescenti incredibilis studendi cupiditas, acre ingenium, subtilium rerum investigandarum perspicacia singularis. Florentiae Theologiam aggressus est, in disciplinam conveniens PP. Lectorum Testii et Risalitii, qui pietatem, humilitatem juxta ac ingenium alumni sui vehementer mirabantur. Sacerdotio initiatus, Praesulibus visum est eum Labronem mittere periculum in re philosophica facturum ad magisterium ineundum; quod quidem obtinuit et Ancisae ac in Coenobio Nemoris cum laude exercuit. Romam post tertium magisterii sui annum, ad periclitandum in re theologica adscitus fuit, isque non solum sodalium exspectationi respondit, sed admiratio expectationem ipsam superavit. Pisis et Florentiae S. Theologiam ea professus est laude, quae sanae doctrinae magistros rerumque difficillimarum explanatores comitari consuevit: quare apud superstites, olim disciplinae suae alumnos, magistri optimi, incomparabilis, dulcis exstat exstabitque memoria.

Nec quis sodali nostro succenseat, quod aviculis, noctua aucupante, visco fallendis tempus quandoque impenderet; id enim in Conventu Montisfullonici praecipue praestitit, ubi quadraginta annis moratus est, nemoroso loco atque infrequenti, quin tamen Choro aliisve actibus in communi ponendis unquam deesset; contra, ceteris assiduitate atque exemplo praeibat. Vir regularum Instituti tenax, pedes nudoque capite, jamdiu canitie plurima venerando, semper incessit, sive cum imbrium profluentium excessu limosa compita peteret, sive candenti nive constrata esset via sibi carpenda, sive a locis, ad quae pergeret, grandi intervallo prohiberetur. Ubi ad paroeciam, ad quam advocatus fuisset, perveniebat, sacrum tribunal subibat, exomologeses auditurus usque ad horam Missae solemnis, quam ipse caneret; post quam, exhorrens alienae accumbere mensae, in Conventum illico remeabat. Ex quo factum est, ut omnibus venerationi esset, atque vulgo *Sanctus* appellaretur.

Die denique tertia Martii, novem et septuaginta annorum aetate senex, admissa confessus, sacris de mensa pastus, oleoque inunctus, in pace quievit. Utinam in pace sit locus tuus, sodalis dulcissime! Quotquot ad S. Marci sub Cortonensi urbe degunt, teque vivo sibique populari gloriabantur, te modo abreptum lugent simulque Primogenitum mortuorum expiatoria prece lacessunt.

R. I. P.

Nihil obstat

Fr. Aloysius, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA

ORDINIS MINORUM

Julii 1891.

SUMMARIUM: *Communicationes Curiae Generalis.* — I. ACTA ROMANO-SERAPHICA: Ex S. Cong. S. R. U. Inquisitionis, *de vino utendo in sacrificio Missae.* — Ex S. Rit. Cong. *1. Extensio officii B. M. a Valle ad Fratres nostros in Rep. Argentina.* — *2. Decretum introductionis causae Ven. servi* DEI *Fr. Modestini a* JESU *et* MARIA, *sacerdotis Min. Excalceator.* — Ex S. Cong. Indulg. *1. Indulg. 100 dierum recitantibus orationem in honorem S. Joannis Ev.* — *2. Indulg. 50 dierum recitantibus quamdam jaculatoriam.* — Exorcismus in Satanam et angelos apostaticos jussu LEONIS XIII editus. — II. ACTA ORDINIS: *Synopsis indulgentiarum (Continuatio).* — *Capitula Provincialia hoc anno celebrata.* — III. MISSIONES: *Ex Rep. Argentina.* — *Capitula Collegiorum apostol. in America.* — IV. BIBLIOGRAPHIA. — V. NECROLOGIA.

COMMUNICATIONES CURIAE GENERALIS.

I. Expleta Provinciae S. Ludovici in Gallia sacra Visitatione, Rmus P. Minister Generalis ad Urbem rediit, incipiente mense Julio, ut Collegii S. Antonii Studentibus examinandis praeesset; usque ad festum S. P. Dominici Romae remanebit, ut cum Fratribus inclyti Ordinis Praedicatorum eamdem solemnitatem in Ecclesia S. Mariae super Minervam de more celebret.

II. Quum praelaudatus Ordo Praedicatorum Comitia sua generalia in civitate Lugdunensi die 19 proximi mensis Septembris habeat, ad eligendum novum Generalem Magistrum, Rmus Pater Minister Generalis omnes hortatur seraphici Ordinis alumnos, ut pro fraterna caritate qua devinciuntur filii S. P. Francisci atque filii S. Patriachae Dominici, fervidas ad DEUM preces effundant, per intercessionem B. MARIAE Virginis, ad obtinendum Rmi P. Josephi Mariae Larroca dignum successorem, qui Generali nostro ex corde addictus, SS. Patrum Dominici et Francisci osculum renovet ac perenne reddat.

III. Peractis S. P. Dominici solemniis, Rmus P. Generalis iterum ab Urbe discedet, utriusque Provinciae Bononiensis Observantis et Reformatae Capitula celebraturus.

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

De Vino utendo in Sancto Sacrificio Missae, dubia exhibita a Rmo P. D. Episcopo Carcassonen. (Ex Actis S. Sedis, *vol. XXIII pag. 699.* — Cfr. *etiam* Acta Ordinis, *anno 1890, pag. 161).*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Litteris datis die 8 Februarii currentis anni exponebas:

Ad vini corruptionis periculum praecavendum duo remedia proponuntur:

1. Vino naturali addatur parvâ quantitas *d' eau-de-vie;*

2. Ebulliatur vinum usque ad sexaginta et quinque altitudinis gradus.

Atque inde quaerebas utrum haec remedia licita in vino pro sacrificio Missae, et quodnam praeferendum.

Feria IV die 4 currentis mensis Emi DD. Cardinales Inquisitores generales respondendum mandarunt: *Praeferendum vinum prout secundo loco exponitur.*

Et fausta quaeque Tibi precor a Domino.

Amplitudinis Tuae.

Romae, die 8 Maji 1887.

Devotissimus et addictissimus,
J. D'Annibale.

—

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

I.

Extensio officii B. Mariae V. a Valle, *ad Fratres Minores in Republica Argentina commorantes.*

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA.

Hodiernus Definitor Generalis Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia pro Republica Argentina (P. Bernardinus Orellana), votis obsecundans alumnorum ipsius Ordinis in eadem Republica commorantium, a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII humillime expetivit, ut in Kalendario ad eorumdem usum, diei XVI Decembris affigi valeat festum Beatae Mariae Virginis titulo *del Valle,* sub eodem ritu et cum Officio ac Missa, quae Clero saeculari Dioeceseos Saltensis concessa sunt.

Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino tributis, benigne annuit pro gratia in omnibus juxta preces: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 13 Januarii 1891.

Cajetanus Cardinalis Aloisi-Masella,
S. R. C. Praefectus.

Vincentius Nussi, *Secretarius.*

Visum: Romae ad S. Antonium 16 Januarii 1891.

Fr. Aloysius de Parma, *Min. Generalis.*

—

II.

DECRETUM

Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Fr. Modestini a Jesu et Maria, *sacerdotis professi Ordinis Minorum Excalceatorum Strictioris Observantiae S. Petri de Alcantara Provinciae Neapolitanae.*

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur?

Eximia sanctitatis fama, qua Dei Famulus Modestinus a Jesu et Maria, Sacerdos Professus ex Ordine Alcantarensium, vivens inclaruit, post ejus obitum, qui Neapoli accidit anno 1854, adeo aucta ac longe lateque diffusa est, ut ad Ordinariam Inquisitionem super eadem sanctitatis fama, nec non Virtutum et Miraculorum in Curia Ecclesiastica Neapolitana deventum sit. Qua rite expleta ad Sacram Rituum Congregationem delata, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII indulsit, ut dubium de signatura commissionis introductionis Causae ejusdem Servi Dei agi possit in ordinariis ipsius Sacrae Congregationis Comitiis absque interventu et voto Consultorum. Hinc a me infrascripto Cardinale Sacrae eidem Con-

gregationi Praefecto, loco et vice Emi et Rmi Dni Cardinalis Thomae Zigliara Causae Relatoris, instante Rev. Patre Fr. Simpliciano a Nativitate, Sacerdote Professo Ordinis S. Petri de Alcantara ejusdem Causae postulatore, attentisque Postulatoriis litteris plurium Emorum S. R. E. Cardinalium, Rmorum Sacrorum Antistitum aliorumque Virorum, tam ecclesiastica, quam civili dignitate illustrium, in ordinario Sacrorum Rituum Congregationis coetu subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens Dubium discutiendum propositum est, nimirum: *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur?* Et Sacra eadem Congregatio, omnibus mature perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara, Sanctae Fidei promotore, rescribendum censuit: *Affirmative, seu signandam esse commissionem, si Sanctissimo placuerit.*

Die 14 Februarii 1891.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per subscriptum Secretarium fideliter relatis, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis ratum habens propria manu signare dignata est commissionem introductionis Causae ven. Servi Dei Fr. Modestini a Jesu et Maria praedicti, die 11 Martii anno eodem.

C. Card. Aloisi-Masella, *Praef.*

L. ✠ S.

Vincentius Nussi, *Secret.*

—

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

I.

Ind. 100 dierum concessa orationem recitantibus in honorem S. Joannis Apostoli.

Beatissime Pater,

Joannes Ponzi, Sacerdos Romanus ad pedes S. V. humiliter provolutus, S. V. exorat, ut universis Christifidelibus, qui infrascriptam orationem in honorem S. Joannis Apostoli et Evangelistae recitaverint, aliquam Indulgentiam benigne tribuere dignetur.

ORAZIONE.

« O glorioso Apostolo, che per la vostra « verginale purità foste cotanto amato da Gesù, « da meritarvi di posare il vostro capo sul « suo divin Petto, e di essere lasciato in sua « vece qual figlio alla sua santissima Madre; « io vi supplico ad accendermi del più vivo « amore verso Gesù, e verso Maria. Ottenetemi, vi prego, dal Signore che ancor io, « col cuore scevro da mondani affetti, sia fatto « degno di star sempre unito a Gesù, qual « fedele discepolo, ed a Maria, qual figlio di« voto quì in terra per rimanervi poi eterna« mente nel Cielo. Così sia ».

SSmus Dnus Noster Leo Pp. XIII in audientia habita die 21 Martii 1891 ab infrascripto Secretario S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne concessit omnibus utriusque sexus Christifidelibus, corde saltem contrito, ac devote recitantibus supradictam orationem, Indulgentiam, defunctis quoque applicabilem, centum dierum semel in die lucrandam. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 21 Martii 1891.

J. Card. D' Annibale, *Praef.*

Al. Archiep. Nicop. *Secret.*

(Versio latina)

« Inclyte Apostole, qui ob tuam virginalem puritatem Jesu tam carus extitisti, ut supra Pectus ejus reclinares caput, quique dignus es habitus quem, loco sui, Matri beatissimae uti filium relinqueret; da mihi, supplex oro, ut Jesum et Mariam flagrantissima caritate complectar. Fac, quaeso, tua ad Deum prece, ut ego quoque, corde ab omni terrena affectione emundato, Jesu fidelis discipulus, Mariae filius amans, semper adhaeream in terris, ut eis in sempiternum conjungi merear in caelis. Amen ».

—

II.

Indulg. 50 dierum concessa recitantibus sequentem jaculatoriam.

Beatissimo Padre,

Il Sacerdote Romano Emanuele Latuile, umilmente prostrato al bacio del S. Piede,

supplica la S. V. affinchè si degni di annettere una qualche Indulgenza alla seguente giaculatoria:

Salvator mundi, Miserere nobis,

che trovasi comunemente posta sotto l' Immagine del SS. Salvatore, che si venera in quest'Alma città nell' insigne Santuario che chiamasi *Sancta Sanctorum.*

SSmus D. N. LEO Pp. XIII in Audientia habita die 21 Februarii 1891 ab infrascripto Secretario S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae omnibus utriusque sexus Christifidelibus corde saltem contrito ac devote recitantibus praefatam jaculatoriam precem Indulgentiam quinquaginta dierum semel tantum in die lucrandam, defunctis quoque applicabilem, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro abque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 21 Februarii 1891.

† J. Card. D' ANNIBALE, *Praef.*

Loco ✠ Sigilli.

† A. Archiep. NICOPOLIT., *Secret.*

—

EXORCISMUS

in Satanam et Angelos Apostaticos jussu Leonis XIII P. M. editus.

In nomine PATRIS, et FILII, et SPIRITUS sancti. Amen.

Ps. LXVII.

Exurgat DEUS et dissipentur inimici ejus: et fugiant qui oderunt eum a facie ejus.

Sicut deficit fumus, deficiant; sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie DEI.

Ps. XXXIV.

Judica, DOMINE, nocentes me; expugna impugnantes me.

Confundantur et revereantur quaerentes animam meam.

Avertantur retrorsum, et confundantur cogitantes mihi mala.

Fiant tamquam pulvis ante faciem venti: et angelus DOMINI coarctans eos.

Fiat via illorum tenebrae, et lubricum: et angelus DOMINI persequens eos.

Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui: supervacue exprobraverunt animam meam.

Veniat illi laqueus quem ignorat; et captio quam abscondit, apprehendat eum: et in laqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exsultabit in DOMINO: et delectabitur super salutari suo.

Gloria PATRI, et FILIO, et SPIRITUI sancto:

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Ad S. Michaelem Archangelum.

PRECATIO.

Princeps gloriosissime caelestis militiae, sancte MICHAËL Archangele, defende nos in praelio et colluctatione, quae nobis est adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in caelestibus (Ephes. VI). Veni in auxilium hominum, quos DEUS creavit inexterminabiles, et ad imaginem similitudinis suae fecit, et a tyrannide diaboli emit pretio magno (Sap. II-I. Cor. VI.). Praeliare hodie cum beatorum Angelorum exercitu praelia DOMINI, sicut pugnasti olim contra ducem superbiae Luciferum, et angelos ejus apostaticos; et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in caelo. Sed projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas, qui seducit universum orbem; et projectus est in terram, et angeli ejus cum illo missi sunt (Apoc. XII). En antiquus inimicus et homicida vehementer erectus est. Transfiguratus in angelum lucis, cum tota malignorum spirituum caterva late circuit et invadit terram, ut in ea deleat nomen DEI et CHRISTI ejus, animasque ad aeternae gloriae coronam destinatas furetur, mactet ac perdat in sempiternum interitum. Virus nequitiae suae, tamquam flumen immundissimum, draco maleficus transfundit in homines depravatos et corruptos corde; spiritum mendacii, impietatis et blasphemiae; halitumque mortiferum luxuriae, vitiorum omnium et iniquitatum. — Ecclesiam, Agni immaculati sponsam, vaferrimi hostes repleverunt amaritudinibus, inebriarunt absinthio; ad omnia desiderabilia ejus

impias miserunt manus. Ubi sedes beatissimi Petri et Cathedra veritatis ad lucem gentium constituta est, ibi thronum posuerunt abominationis impietatis suae; ut, percusso Pastore, et gregem disperdere valeant. — Adesto itaque, Dux invictissime, populo DEI contra irrumpentes spiritales nequitias, et fac victoriam. Te custodem et patronum sancta veneratur Ecclesia; te gloriatur defensore adversus terrestrium et infernorum nefarias potestates; tibi tradidit DOMINUS animas redemptorum in superna felicitate locandas. Deprecare DEUM pacis, ut conterat satanam sub pedibus nostris, ne ultra valeat captivos tenere homines, et Ecclesiae nocere. Offer nostras preces in conspectu Altissimi, ut cito anticipent nos misericordiae DOMINI, et apprehendas draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et satanas, ac ligatum mittas in abyssum, ut non seducat amplius gentes (Apoc. XX).

Hinc tuo confisi praesidio ac tutela, sacra ministerii nostri auctoritate, ad infestationes diabolicae fraudis repellendas in nomine JESU CHRISTI DEI et Domini nostri fidentes et securi aggredimur.

℣. Ecce Crucem DOMINI, fugite partes adversae.

℟. Vicit Leo de tribu Juda, radix David.

℣. Fiat misericordia tua, DOMINE, super nos.

℟. Quemadmodum speravimus in te.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DEUS, et Pater Domini nostri JESU CHRISTI, invocamus nomen sanctum tuum, et clementiam tuam supplices exposcimus ut, per intercessionem immaculatae semper virginis DEI Genitricis MARIAE, beati Michaëlis Archangeli, beati Joseph ejusdem beatae Virginis sponsi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli et omnium Sanctorum adversus satanam, omnesque alios immundos spiritus, qui ad nocendum humano generi animasque perdendas pervagantur in mundo, nobis auxilium praestare digneris. Per eumdem CHRISTUM Dominum nostrum. Amen.

EXORCISMUS.

Exorcizamus te, omnis immunde spiritus, omnis satanica potestas, omnis incursio infernalis adversarii, omnis legio, omnis congregatio et secta diabolica, in nomine et virtute Domini nostri JESU ✝ CHRISTI, eradicare et effugare a DEI Ecclesia, ab animabus ad imaginem DEI conditis ac pretioso divini Agni SANGUINE redemptis ✝. Non ultra audeas, serpens callidissime, decipere humanum genus, DEI Ecclesiam persequi, ac DEI electos excutere et cribrare sicut triticum ✝. Imperat tibi DEUS altissimus ✝, cui in magna tua superbia te similem haberi adhuc praesumis; qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire (I. Tim. II.). Imperat tibi DEUS Pater ✝; imperat tibi DEUS Filius ✝; imperat tibi DEUS Spiritus sanctus ✝. Imperat tibi majestas CHRISTI, aeternum DEI Verbum caro factum ✝, qui pro salute generis nostri tua invidia perditi, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem (Phil. II.); qui Ecclesiam suam aedificavit supra firmam petram, et portas inferi adversus eam numquam esse praevalituras edixit, cum ea ipse permansurus omnibus diebus usque ad consummationem saeculi (Matth. XXVII. 20.). Imperat tibi sacramentum Crucis ✝, omniumque christianae fidei Mysteriorum virtus ✝. Imperat tibi excelsa DEI Genitrix Virgo MARIA ✝, quae superbissimum caput tuum a primo instanti immaculatae suae conceptionis in sua humilitate contrivit. Imperat tibi fides sanctorum Apostolorum ✝. Imperat tibi Martyrum sanguis, ac pia sanctorum et sanctarum omnium intercessio ✝.

Ergo, draco maledicte et omnis legio diabolica, adjuramus te per DEUM ✝ vivum, per DEUM ✝ verum, per DEUM ✝ sanctum, per DEUM, qui sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam (Jo. III.): cessa decipere humanas creaturas, eisque aeternae perditionis venenum propinare: desine Ecclesiae nocere, et ejus libertati laqueos injicere. Vade, satana, inventor et magister omnis fallaciae, hostis humanae salutis. Da locum CHRISTO, in quo nihil invenisti de operibus tuis; da locum Ecclesiae uni, san-

ctae, catholicae, et Apostolicae, quam CHRISTUS ipsi acquisivit sanguine suo. Humiliare sub potenti manu DEI; contremisce et effuge, invocato a nobis sancto et terribili nomine JESU, quem inferi tremunt, cui Virtutes caelorum et Potestates et Dominationes subjectae sunt; quem Cherubim et Seraphim indefessis vocibus laudant, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEUS Sabaoth.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DEUS caeli, DEUS terrae, DEUS Angelorum, DEUS Archangelorum, DEUS Patriarcharum, DEUS Prophetarum, DEUS Apostolorum, DEUS Martyrum, DEUS Confessorum, DEUS Virginum, DEUS, qui potestatem habes donare vitam post mortem, requiem post laborem; quia non est DEUS praeter te, nec esse potest nisi tu, creator omnium visibilium et invisibilium, cujus regni non erit finis: humiliter majestati gloriae tuae supplicamus, ut ab omni infernalium spirituum potestate, laqueo, deceptione et nequitia nos potenter liberare, et incolumes custodire digneris. Per CHRISTUM Dominum nostrum. Amen.

Ab insidiis diaboli; Libera nos, Domine.

Ut Ecclesiam tuam secura tibi facias libertate servire; Te rogamus, audi nos.

Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris; Te rogamus, audi nos.

(Et aspergatur locus aqua benedicta).

Ex Audientia SSmi, die 18 Maji 1890.

SSmus D. N. LEO divina providentia Pp. XIII omnibus Rmis Episcopis, nec non Sacerdotibus ab Ordinariis suis legitime ad id auctoritatem habentibus, qui exorcismum supra expressum devote semel in die recitaverint, partialem tercentum dierum indulgentiam singulis diebus lucrandam: iisdem vero per totum mensem id peragentibus, confessis, ac sacra Eucharistia refectis, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam semel in mense, die eorum arbitrio designanda, pariter lucrandam impertitus est: quam etiam animabus Christifidelium in purgatorio detentis applicari posse declaravit.

Praesentibus in perpetuum valituris.

† D. Archiepiscopus TYRENSIS,
S. C. de Propaganda Fide Secretarius.

II.

ACTA ORDINIS

—

SYNOPSIS INDULGENTIARUM

IN COMMODUM FRATRUM ORDINIS NOSTRI

CAPUT II.

Tempus acquirendi Indulgentias, etiam in translatione Festorum.

(Continuatio)

61. Quoad *tempus* pro Indulgentiis lucrandis, praeter regulas, quas supra n. 29 et seq. indicavimus, sequentia scire maxime interest:

1.° Nisi aliud expressum habeatur in In dultis, Indulgentiae non lucrantur a primis Vesperis, sed a media nocte ad mediam noctem (Decr. 12 Jan. 1878). Ideo

2.° Si quis utens recenti privilegio (n. 29) Confessionem et Communionem pridie ejus diei peragat, cui affixa est Indulgentia, reliqua pia opera praescripta pridie fieri non debent, adeoque pridie Indulgentia lucrifieri non potest (Decr. eod.). Ast

3.° Indulgentiae, quae *pro festivitatibus* proprie dictis conceduntur, v. g. intuitu mysterii vel Sancti illo die colendi, incipiunt *a primis Vesperis,* a tempore nempe, quo Vesperae in Choro recitari solent, usque ad solis occasum, idest vespertinum crepusculum ipsius diei festi (cf. Decr. 6 Oct. 1870 n. 30 relat.; *Raccolta* pag. XXII edit. 1886). Unde P. Lucius Ferraris scribit: « Tempus lucrandi Indulgentiam in festis extra Quadragesimam (nisi aliud in Bulla concessionis caveatur) communiter nunc incipit *a primis Vesperis* usque ad occasum solis sequentis diei », quam sententiam *communem* appellat (De Indulg. a. III. n. 37).

4.° Cum Indulgentia *semel in mense,* vel *in anno,* lucranda conceditur iis, qui quaedam

opera vel quasdam preces per mensem vel per annum (praevie) perfecerint; mensis non necessario a primo die ad ultimum computandus est, nec annus a 1 Januarii usque ad diem 31 Decembris; sed a quolibet die computari poterunt 30 dies, et 12 menses a quolibet mense. Ita cl. Clemens Marc, in suis Institut. moral. Tom. II. de Indulg., qui etiam citat M. Ulrich. Huic tamen sententiae opportune forsan addi posset: nisi aliter sit dispositum in concessionibus Indulgentiarum. Quandoque enim vera esse posset sententia aliter exposita a Scavini Vol. IV. Quaestiones de Indulg. n. VIII, quae sic se habet: « Quando conceditur Indulgentia ei, qui tale opus egerit per mensem, mensis erit usualis, non dimidium unius et dimidium alterius ».

62. Paroeciae, quae gaudent Indulgentia plenaria *propria festivitati respectivi patroni*, lucrari nequeunt Indulgentiam plenariam concessam per Dioecesim die festivo patronali *omnium paroeciarum*. Ratio est, quia in tali Indulgentiarum concessione mens est concedentis, ut una tantum acquiratur Indulgentia plenaria, minime vero duae (Decr. 15 Dec. 1841).

63. Decisum est « Indulgentiam acquiri a Christifidelibus die fixa et rite constituta in sua Dioecesi; a regularibus Ordinibus die rite constituta in suo kalendario; ab hominibus, qui Sodalitati nomen dederint, quae ad Regularem Ordinem attineat, Indulgentiam acquiri die rite constituta in kalendario Dioecesis, vel in kalendario Ordinis, si istiusmodi privilegio gaudeant, *non tamen in utraque die* » (Decr. 29 Aug. 1864).

64. Quod attinet ad *Festorum translationem*, hoc habetur authentice statutum: Translata *solemnitate* Festi (sive in perpetuum, sive ad tempus, modo legitimo) translata intelligitur Indulgentia. « Summus enim Pontifex Pius Pp. IX benigne mandavit, ut omnes Indulgentiae, quae hucusque quibusdam festis concessae fuerunt, ac in posterum concedentur, vel quae pro iisdem festis aliquibus Ecclesiis et publicis oratoriis pariter concessae fuerunt, et in posterum concedentur, vel etiam si libuerit, de consensu Ordinarii, illae concessae in sacris supplicationibus, aut in novendialibus, vel septenariis, sive triduanis precibus ante vel post festum, vel ejus octavario perdurante, translatae intelligantur pro eo die, quo festa hujusmodi etiam quoad solemnitatem tantum et externam celebrationem, non vero quoad officium et missam in aliquibus locis, vel Ecclesiis, publicisque oratoriis, sive in perpetuum, sive aliqua occasione, sive ad tempus, eoque durante, legitime transferuntur. Cum vero transfertur *tantum Officium cum Missa, non autem solemnitas et exterior celebratio* festi, Indulgentiarum nullam fieri translationem decrevit » (Decr. 9 Aug. 1852). Ut quae in hoc Decreto continentur clariora fiant, sequentia adjungimus:

1.° Rite translato festo in perpetuum ad aliam diem, transfertur Indulgentia eidem festo concessa, licet festum celebretur sine solemnitate et publica functione (Decr. 12 Jan. 1878).

2.° Praedicta translatio Indulgentiae fit tam in casu, quo perpetua translatio festi sit pro toto Ordine (Regulari), quam in casu perpetuae translationis festi pro sola regulari Provincia (Decr. eod.).

3.° Indulgentiae tributae alicui festo pro universis fidelibus cum conditione visitandi Ecclesias determinatas Regularium, lucrari possunt ab omnibus Christifidelibus, etiamsi ejusdem festi celebratio cum Indulgentia alia die in Dioecesi locum habeat. Hoc tamen juxta modum, nempe Indulgentia semel tantum a singulis respective lucrari potest (Decr. eod.).

4.° Indulgentiae quibusdam majoribus festis adnexae, eo ipso quod solemnitas hujusmodi festorum canonice translata sit ad Dominicam sequentem, ex speciali Indulto pro Gallia concesso, translatae sunt (Decr. 12 Julii 1847).

5.° Translata solemnitate Epiphaniae etc. in regno Galliarum, translatae sunt pariter Indulgentiae diei proprio adnexae, ita ut fideles eas lucrari possint Dominica sequenti, ad quam solemnitas translata est (Decr. 12 Julii 1847).

Clausulae explicativae et restrictivae.

65. Quando Indulgentia plenaria conceditur *in Festis*, vel *in omnibus festis*, vel *in omnibus et singulis festis Domini*, aut etiam *in festis D. N. J. C.*, semper intelligenda sunt tantum festa praecipua, scilicet Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Dominicae Paschatis Resurrectionis, Ascensionis, et Corporis CHRISTI.

Pariter, quando in plenariae Indulgentiae concessione inveniuntur verba *in festis*, vel *in omnibus festis*, vel *in omnibus et singulis festis B. M. V.*, semper intelligantur dumtaxat festa Immaculatae Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, et Assumptionis.

Quando vero invenitur concessa Indulgentia partialis *in reliquis omnibus festivitatibus Domini* vel *B. M. V.*, intelligendum est de omnibus festis Domini vel B. M. V., quae celebrantur ab universa Ecclesia (Decr. 11 Aug. 1862).

66. Quando invenitur concessa Indulgentia plenaria vel partialis *in omnibus et singulis festis Apostolorum*, intelligenda sunt festa *Natalis* uniuscujusque Apostoli, non vero etiam festa secundaria (Decr. eod.).

67. Apostolica Sedes nunquam Indulgentiam plenariam largitur intuitu *Beatorum*. Et sane, Rector Collegii PP. Societatis Jesu civitatis Januensis petebat Indulgentiam plenariam pro visitantibus Altare *Beati* Aloysii Gonzagae; sed responderunt Patres: *Beatis id nunquam indulgere Apostolicam Sedem*, adeoque preces rejecerunt (Decr. 19 Junii 1668). Etiam Procurator Generalis Ordinis Minorum postulavit Indulgentiam plenariam pro die 29 Augusti, quo celebrabatur (tunc temporis) festum *Beatorum* Martyrum Joannis a Perusia et Petri a Saxoferrato; sed S. Congregatio respondit: *negative* (Decr. 30 Aug. 1738).

68. Non solum non conceduntur Indulgentiae pro Beatis nondum solemniter canonizatis, sed nec etiam pro Sanctis, *quorum nomina adhuc recensita non sunt in Romano Martyrologio;* quam quidem praxim constanter amplexa est S. Congregatio (Decr. eod.).

69. Quod si interdum concessa reperitur Indulgentia diebus, in quibus festum alicujus Beati celebratur, ut ex gr. apud Fratres Minores die 31 Januarii, in quam incidit festum B. Ludovicae de Albertonibus, die 19 Junii, in qua recolitur festum B. Michelinae a Pisauro, vel quandoque etiam occasione anniversarii alicujus Beati, tunc Indulgentia non conceditur praecise intuitu Beati vel Beatae, sed adnectitur diei ratione concursus populi. Unde fit, ut Beatus nec nominari soleat in Indulto concessionis.

70. Brevibus Indulgentiarum apponi solet haec clausula: « *Volumus autem, ut si alias Christifidelibus dictam Ecclesiam qualibet anni die visitantibus, aliqua alia Indulgentia perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, praesentes litterae nullae sint* ». Cum autem pro ejusdem clausulae explicatione supplicatum fuerit, S. Congregatio Indulgentiarum declaravit « ea nullatenus comprehendi altaria privilegiata pro defunctis, neque Indulgentias aut certo personarum generi concessas, ut Confraternitatibus, Regularibus et Capitulo, aut certum pium opus in ipsa Ecclesia peragentibus, ut Litanias aliasque hujusmodi recitantibus, ac iis, qui christiana doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt, et qui SS. Eucharistiae Sacramenti expositioni cum Oratione quadraginta horarum intersunt, neque Stationum Urbis et septem altarium Indulgentias ad instar septem altarium Basilicae Vaticanae concessas, neque demum, quae pro unica vice conceduntur. Ceterum, si alia Indulgentia sive plenaria sive non plenaria in perpetuum vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice generatim Christifidelibus Ecclesiam vel aliquod ejus altare, seu capellam *visitantibus*, eodem die vel diverso concessa fuerit, de qua non fiat in Litteris Apostolicis mentio, has Litteras ob dictam clausulam esse prorsus irritas ac nullas » (Decr. 18 Mart. 1677 et 11 Sept. 1716). Ex quo sane consequitur, ut si pro Ecclesia, e. g., parochiali, pro qua duae Indulgentiae concedi solent, una scilicet plenaria, altera vero septem annorum et totidem Quadragenarum, Indulgentia alia plenaria, nulla facta mentione de priori jam obtenta, concederetur, ea quae ultimo loco concessa esset, nulla foret (Decr. 28 Apr. 1716). Sciendum quoque est, Indulgentias feriarum sextarum mensis Martii seu Quadragesimae, quae in aliqua Ecclesia concessae reperiuntur, excipiendas esse (quidquid alias in contrarium decretum fuerit), ita ut alias quaslibet Indulgentias ob praefatam clausulam « *Volumus autem* » impedire nequeant (Decr. 13 Febr. 1745).

71. Postulatum fuit: An indultum Apostolicum, quod specificat quasdam Indulgentias cuidam Sodalitati concessas, excludat alias Indulgentias non specificatas in praefato indulto, quarum tamen mentionem faciunt nonnulli auctores de Indulgentiis pertractantes? S. C. respondit: Standum esse verbis indulti, ex quo, si nulla sit expressa conditio, v. g. *dummodo*

nulla alia Indulgentia reperiatur concessa, aut similia etc., eruitur, firmas remanere singulas Indulgentias etiam praecedenti tempore elargitas, de quibus mentio quoque fit apud auctores de Indulgentiis pertractantes (Decr. 30 Jan. 1843).

72. Cum Episcopis in regionibus Americae, Indiarum orientalium, Africae, et in Europa sub ditione Principum infidelium in mari Aegaeo et in Albania, ea inter ceteras a Sancta Sede, S. Congregationis Universalis Inquisitionis decreto, facultas tribuatur *largiendi ter in anno Indulgentiam plenariam contritis, confessis ac sacra Communione refectis,* exortum est dubium, quod ita fuit expositum: An indulgentiae, quae ex facultate S. Sedis Apostolicae ab enuntiatis Episcopis assignantur benevisis suae dioecesis Ecclesiis, comprehendantur sub clausulis (restrictivis) in Brevibus indulgentiarum expressis? S. C. respondit: *Negative,* seu non comprehendi (Decr. 16 Dec. 1760).

73. Quando in concessionibus Indulgentiarum apponuntur haec verba, *quam etiam,* aut similia, ut intelligatur easdem Indulgentias applicabiles esse etiam animabus in Purgatorio detentis, *exclusive* tantum accipienda sunt, ita ut Christifidelis ad libitum *aut* pro se, *aut* pro defunctis *tantum* lucrari possit et valeat (Decr. 15 Jan. 1839).

74. In Brevibus Indulgentiarum pro Ecclesiis saecularibus cum juxta praxim soleat apponi clausula, *non tamen Regularium,* non raro contingit, ut hujusmodi Brevia expedita pro Ecclesiis et Parochiis, quae dumtaxat dependent et administrantur sive a rectore, sive *a parocho regulari,* nonnulli Episcopi Germaniae, attenta praefata clausula, renuant exsequi. Ideo supplicatum fuit pro opportuna declaratione, quae est sequens: Vi clausulae, *non tamen Regularium,* quae solet apponi in Brevibus Indulgentiarum, excluduntur dumtaxat Ecclesiae Regularium *vere conventuales* (Decr. 23 Nov. 1750).

75. Indulgentiae concessae tam pro concursu populi ac peregrinorum, quam pro novendialibus ante Natale Domini, nec non pro privilegio altaris, non sunt impedimento concessioni Indulgentiarum cum clausula *Dummodo,* aliisque restrictivis (Decr. 5 Febr. 1748). Ideo ex praefatis clausulis non sunt revocatae aliae Indulgentiae, si quae forte concessae jam fuerint alicui Ecclesiae.

76. Et quia de peregrinis mentio facta est, hic referre putamus sequentem decisionem, videlicet: Indulgentiam, quae concedi solet pro *peregrinantibus* ad aliquam insignem Ecclesiam, consequi non valent incolae oppidi ejusdem Ecclesiae (Decr. 3 Julii 1754).

77. Quum in Brevibus Indulgentiarum verba illa apponuntur: *Praesentibus ad septennium tantum valituris:* idem septennium computandum est a die datae, non a die publicationis (Decr. 18 Martii 1771).

78. Indulgentia concessa cum clausula: *ad beneplacitum nostrum,* vel *ad beneplacitum concedentis,* non est perpetua, sed si non fuerit revocata, expirat morte Pontificis. Quae autem conceditur cum clausula: *ad beneplacitum Sedis apostolicae,* vel *ad beneplacitum nostrum et Sedis Apostolicae,* vel etiam *dum Sedes Apostolica voluerit,* non cessat morte Pontificis concedentis, sed durabit perpetuo, nisi ab aliquo successore fuerit revocata, quia Sedes Apostolica nunquam perit. Quod si Indulgentia simpliciter et absolute, seu sine appositione determinati temporis fuerit concessa, durat perpetuo per se loquendo, quia cum Superior concedens eam non limitaverit, nec nos limitare debemus (Vid. S. Alphons. et Ferraris). Et sciendum, quod Indulgentiae a S. Sede *in perpetuum* concessae *non debent renovari* (Decr. 14 Febr. 1842).

79. Indulgentia *perpetuis futuris temporibus* concessa alicui Ecclesiae pro certis anni diebus, adhuc viget, etiamsi deinceps eadem Indulgentia ad septennium data sit, nulla facta mentione de praecedenti perpetua concessione (Decr. 10 Julii 1838).

80. Quando in Indulto existit clausula: *in forma Ecclesiae consueta,* sufficit signum crucis manu efformare super res benedicendas absque pronuntiatione formulae benedictionis, et sine aspersione aquae benedictae (Decr. 7 Jan. 1843).

81. Quoad *finem,* a Summis Pontificibus saepe intentum in praescribendis precibus pro acquisitione Indulgentiae praesertim plenariae, his vel similibus formulis exprimi solet « omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui aliquam Ecclesiam devote visitaverint, ibique *pro*

christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam etc. concedimus » (Cf. Rescripta authentica).

82. Quia contingere quandoque potest ut quis legitime impediatur ad implendum aliquod opus injunctum pro consecutione Indulgentiarum, ideo benignitate Summi Pontificis conceditur aliquando *facultas* illud *commutandi.* Jam vero, quaerunt Theologi utrum, data hujusmodi facultate, commutatio necessario fieri debeat in confessione? Non una est hac super re Theologorum sententia. Gury absolute affirmat, innixus regula, quam tradit Benedictus XIV Const. *Inter praeteritos,* § 63, ubi Pontifex statuit, hujusmodi commutationes in sola confessione faciendas esse. Ballerini negat, dicens, Benedictum XIV loco citato loqui de facultatibus concessis ac modo iis utendi occasione Jubilaei anni 1750, minime vero statuere legem generalem; quod ipse probat auctoritate laudati Pontificis (Adnotatio ad Gury n. 1056). Busembaum, a S. Alphonso non correctus, scribit: Quando datur potestas commutandi opera praescripta in alia, *id non necessario fit in confessione* et a confessario qui audit confitentem, sed potest fieri *extra et ab alio idoneo.* Ita enim declarat Gregor. XIII apud Henriq. etc. Affirmandum tamen videtur, quod scilicet commutatio fieri debeat in confessione, cum agitur de Jubilaeo, ex citata Constitutione Benedicti XIV, nisi alia facultas expresse concedatur. Revera enim specialis facultas concessa fuit pro Jubilaeo indicto 8 Decemb. 1864. Proposito enim dubio: An eveniente justa causa commutandi opera injuncta praescripta in Bulla praesentis Jubilaei, ejusmodi commutatio fieri possit *extra actum sacramentalis confessionis?* R. *Ex declaratione* facta a SSmo Dno Pio Pp. IX *Affirmative* (S. Poenit. 16 Mart. 1865).

Anno vero 1886 quidam orator supplicavit, ut opera injuncta commutare, et super communione cum pueris, communionis nondum capacibus, Confessarius dispensare valeat, etiam *extra actum sacramentalis confessionis.* R. *Non expedire* (S. Poenit. 30 Jan. 1886. Vid. Enchiridion morale cl. P. Bucceroni S. J.).

83. Jam vidimus n. 41, quomodo pia mater Ecclesia providerit *infirmis chronicis* pro acquisitione Indulgentiarum. In illa tamen dispositione excipiuntur illi, qui in communitate morantur. Ast, ad petitionem Illmi ac Rmi Gasparis Mermillod, nunc S. R. E. amplissimi Cardinalis, concessum est « ut infirmi aut senio confecti *in communitate et sub regula viventes,* qui Ecclesias aut oratoria visitare, aliave pro Indulgentiis praescripta exequi non possunt, Indulgentias nihilominus lucrari valeant, adimplendo alia pia opera, Confessarii arbitrio, praescribenda » (Decr. 16 Jan. 1886 apud Acta Ord. Min. ann. V. pag. 118). Ceterum Regulares hujusmodi privilegio jam gaudebant, ut demonstrat P. Ferraris (Verb. *Indulg.* art. IV n. 10).

Concessiones speciales pro Missionariis in regionibus Sinarum, Tunkini etc. commorantibus.

84. Quum privilegio, quo olim ex concessione Clementis XII fruebantur Missionarii in regionibus Infidelium degentes, acquirendi scilicet Indulgentias plenarias cum solo actu contritionis et confessione in voto, quoties Confessariorum copia desit, ab Apostolica Sede derogatum fuerit, Clemens XIV Episcopis, Vicariis Apostolicis et Missionariis *in imperio Sinarum, necnon in regnis Tunkini, Siami, Cocincinae, Ciampae et Cambodiae commorantibus,* benigne eisdem eorumque in perpetuum successoribus, impertitus est plenariam Indulgentiam, *quater in anno lucrandam, in quacumque die,* qua peccata sua fuerint confessi, missam celebraverint, vel saltem sacram susceperint Communionem; dummodo tamen eadem die ferventes ad DEUM pro sanctae fidei propagatione preces effuderint.

Christifidelibus vero utriusque sexus in dictis regnis existentibus, idem Summus Pontifex praefatam plenariam Indulgentiam *bis in anno* in perpetuum concessit; quatenus et ipsi suprascripta opera fideliter religioseque adimpleant.

Per hanc autem Indulgentiarum concessionem eadem S. Sedes non intendit aut revocare, aut irritas declarare alias quascumque Indulgentias antea concessas etc. (Decr. S. C. de Prop. Fid. 24 Maji 1772 apud Collectanea S. Sedis n. 630).

85. Quia Missionarii tum Sacerdotes tum Laici primi et tertii Ordinis S. Francisci, *qui Missionibus Sinensibus inserviunt*, raro possunt lucrari Indulgentias plenarias, Absolutiones et Benedictiones Ordinis recipere, quia propter locorum distantiam adimplere nequeunt conditionem praeviae Confessionis, SSmus D. N. Leo Pp. XIII, ad preces Rmi P. Bernardini a Portu Romatino Ministri Glis totius Ordinis Minorum, dignatus est eos *super praefata conditione praeviae Confessionis dispensare*, ipsi concedendo (praesenti *in perpetuum* valituro), ut ad lucrandas Indulgentias, et Absolutiones ac Benedictiones Ordinis recipiendas, sufficiat prima Confessio, quam post diem in Ordinis kalendario statutam peragere poterunt (Ex Aud. SSmi die 7 Martii 1888. Vid. Acta Ord. An. 7. fasc. V).

Ad lectorum notitiam, et ut magis patescat Ecclesiae praxis et benignitas, sequentia subnectimus, specialiter concessa quibusdam particularibus Missionibus.

86. Postulatum fuit, ut Missionarii in regionibus Sinarum, Tonking etc., *licet non confessi*, peracto tamen contritionis actu cum proposito prima occasione confitendi, lucrari valeant Indulgentias, juxta concessionem a Pio VI Catholicis Galliarum factam sub die 1 Aprilis 1794. — SSmus (Pius VII) *annuit* 11 Jan. 1801 (Collectanea Sanctae Sedis n. 542).

87. Gregorius Pp. XVI, ad preces R. P. D. Vic. Ap. Coreae benigne indulsit tum Sacerdotibus in ejus Vicariatu existentibus, tum omnibus fidelibus suae jurisdictioni subjectis, ut, quoties iisdem pro consequendis Indulgentiis desit copia Confessarii, ideoque actualem Confessionem praemittere nequeant, *sufficiat contritionis actus et confessio in voto* (Greg. XVI, 31 Augusti 1834, Collect. S. Sedis n. 544).

88. Vicarius Apostolicus Maissurii obtinuit a Pio Pp. IX (19 Nov. 1854) privilegium, jam plurimis Galliarum Dioecesibus concessum, intra *quindennium* confessis et sacra Communione refectis, quascumque Indulgentias etiam plenarias lucrandi, quia in Missionibus singulos intra octo dies plurimi confitendi facultate aut commoditate non gaudent (ibid. n. 546). Eadem gratia ab eodem Summo Pontifice concessa fuit sub die 9 Dec. 1855 pro toto Vicariatu Pondicheriensi et Coimbatourensi (ibid. n. 547).

89. Pro Vicariatu Cocincinae Septentrionalis laudatus Pontifex clementer indulsit, ut Sacerdotes, perdurante exercitio Missionis, per sacramentalem Confessionem *semel in mense* peractam, si ad illam commode nequeant frequentius accedere, lucrari possint omnes et quascumque Indulgentias etiam sine actuali Confessione, quae ad ipsas lucrandas ceteroquin necessaria esset, dummodo nullius lethalis culpae a postrema Confessione commissae sibi conscii fuerint (die 31 Julii 1870 apud Collectanea S. Sedis n. 548).

Quaestiones quaedam circa Indulgentias.

90. Quaerunt Theologi, an Indulgentiae acquiri possint *pro alio quolibet christiano vivente?* Gury absolute affirmat, non quidem *per modum absolutionis, sed solutionis seu satisfactionis*. Quamvis enim, ait ipse, fructus meriti non sit applicabilis alteri, fructus tamen satisfactionis applicabilis est, modo ille sit in statu gratiae. In confirmationem suae sententiae citat Suarez, Lugo, Lacroix etc.

Verum haec sententia cl. P. Gury sic absolute sumpta, haud potest valide sustineri. Indulgentia enim non plus operatur, quam sonat. Si ergo voluntate Pontificis ipsa non declaratur applicabilis pro alio vivente, huic perperam applicaretur. Auctores autem a Gury citati *non absolute* asserunt, Indulgentias applicari posse cuilibet christiano viventi, *sed conditionate*, dummodo scilicet Papa *expresse concesserit*. Unde Lugo scribit: *Posset* homo justus *ex facultate Pontificis* lucrari Indulgentiam pro aliis baptizatis, quicumque illi sint. Communiter tamen non conceditur facultas lucrandi Indulgentiam pro aliis viventibus: quia cum ipsi possint sibi etiam subvenire, non expedit fovere eorum pigritiam, ut neque satisfacere, neque etiam Indulgentias pro se lucrari curent. Et revera non videtur citari posse exemplum, quod Indulgentia concessa fuerit pro aliis viventibus (Cf. Ballerini in Adnot. ad Gury de Indulg.).

91. Alia quaestio movetur a Theologis: utrum scilicet ad implendas preces pro Jubilaeo (et sic pro aliis Indulgentiis) injunctas

sufficiat oratio *mentalis?* Doctores discrepant. Alii enim necessario requirunt orationem vocalem, quia Ecclesia cum sit sensibilis et externa, quando injungit suo nomine orare, externam intendit orationem. Alii putant, saltem ut probabile, sufficere orationem mentalem, quia, ut ait Lugo, oratio mentalis est vera oratio; et licet Ecclesia praecipere nequeat actus mere internos, potest tamen eam (orationem mentalem) injungere ut medium ad Jubilaeum lucrandum (Vid. S. Alph. Lib. VI. de Indulg. n. 10). — Prima sententia est proculdubio communior, et sensui fidelium conformior. Ideo tenendum (quoties in concessionibus Indulgentiarum aliud clare expressum non habeatur), preces debere esse vocales. Excipiuntur tamen Surdo-muti ex Indulto Pii Pp. IX (Vid. n. 42).

92. Sed sufficitne *modica* oratio vocalis? Etiam quoad hoc controvertitur inter Theologos, quorum alii affirmant, hac ducti ratione, quia quaelibet oratio jam satis est ad implendam conditionem pro Indulgentia acquirenda; alii longiorem exquirunt orationem. Juxta Mazzotta sufficit recitare quinque *Pater* et *Ave;* vel sex cum *Gloria* et *Credo,* ut dicit Sporer; vel septem *Pater* et *Ave,* ut vult Holzman (Cf. S. Alph. loco citato). — Ceterum, ut superius diximus n. 52, preces requisitae in Indulgentiarum concessionibus ad implendam Summi Pontificis intentionem, sunt ad uniuscujusque fidelis libitum, nisi peculiariter adsignentur; et videtur nullum posse esse dubium, quod recitatio devota quinque *Pater* et *Ave* sufficiat pro consecutione Indulgentiae.

Praefatae duae quaestiones modo dici possunt resolutae per sequentes decisiones S. C. Indulgentiarum. En quaesita:

93. Cum ad lucrandas Indulgentias, sive plenarias sive partiales, praescribitur ad mentem seu intentionem Summi Pontificis orare, sufficitne, ut nonnulli docent, orare *mentaliter?* Sacra Congregatio Indulg. respondit: *Laudabile quidem est mentaliter orare; orationi tamen mentali aliqua semper adjungatur oratio vocalis* (Decr. 13 Sept. 1888).

94. An sit rejicienda opinio docens recitationem devotissimam etiam *unius Pater et Ave cum Gloria Patri* sufficere ad explendam conditionem orandi pro Summi Pontificis intentione, vel potius admittenda opinio illorum, qui requirunt recitationem *quinque Pater et Ave,* aut orationes aequivalentes?

S. Congreg. respondit: *Detur Decretum in una Briocensi sub die 29 Maji 1841 ad dubium III* (Decr. eod.)

Jam vero in una Briocensi ad dubium III, quaerebatur: An sufficiant *quinque Pater et Ave* ad implendam Summi Pontificis intentionem etc. — Et S. C. respondit: Preces requisitae in Indulgentiarum concessionibus ad implendum Summi Pontificis intentionem *sunt ad uniuscujusque fidelis libitum,* nisi peculiariter assignentur (Vid. n. 52).

(Continuabitur)

—

CAPITULA PROVINCIALIA

hoc anno celebrata.

XIV.

Reformata Prov. Seraphica.

Praeside Generali Visitatore, A. R. P. Desiderio a Bononia, celebratum est Capitulum Provinciale in Conventu S. Damiani apud Assisium die 17 Junii 1891, in quo canonice electi sunt:

Minister Provincialis

R. P. Salvator ab Assisio.

Custos Provinciae

R. P. Elpidius a Montejovio.

Definitores

R. P. Gaudentius a Capite Aquae, Ex-Min.
A. V. P. Joseph a Tresio.
A. V. P. Fabritius ab Aquipendio.
A. V. P. Candidus ab Abbatia SS. Salvatoris.

XV.

Ref. Prov. Picena.

Celebratum est Provinciale Capitulum, praeside A. R. P. Pacifico a Vicetia, Ref. Prov. Venetiarum Ministro, Generali Visit., die 18 Junii 1891 in Ven. Conventu S. Jacobi apud Cingulum. Canonice electi sunt:

Minister Provincialis

R. P. Sanctes a Sanctamarianova.

CUSTOS PROVINCIAE

R. P. Alexius ab Arquata, Ex-Min.

DEFINITORES

A. V. P. Carolus a Monteappone.
A. V. P. Hyginus a Cingulo.
A. V. P. Pacificus a Murro Albae.
A. V. P. Joseph a Cariano.

XVI.

Obs. Prov. Genuensis.

Die 2 Julii 1891 in Conventu S. Francisci Recchi, rite celebratum fuit Capitulum Provinciale Obs. Prov. Genuae, Praeside Adm. R. P. HENRICO ROSA, Visitatore Generali, et canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

R. P. Aloysius a Vectiano.

CUSTOS VOCALIS

R. P. Odoricus a Genua.

DEFINITORES

A. V. P. Aloysius a Marassio.
A. V. P. Joannes Carolus a Civetia.
A. V. P. Henricus ab Aquata.
A. V. P. Joannes Maria a Vocemola.

III.

MISSIONES

—

TABULA SYNOPTICA

Laborum et operum, quae Missionarii Collegii S. Didaci in Civitate de Salta, Reipublicae Argentinae, ad DEI *gloriam pro animarum salute perfecerunt a die 21 Septembris 1888 usque ad 16 Aprilis 1891.*

Directio spiritualis Seminarii cum Alumnis 50 et amplius	50.
» » Monialium Ordinis Carmeli	28.
» » Sororum Tertii Ordinis (a Stigmatibus) . .	8.
» » Puellarum quas educandas acceperunt . . .	130.
» » Sororum B. Mariae V. ab Horto	10.
» » Puellarum quas susceperunt educandas. . .	220.
» » Sororum Adorationis perpetuae	12.
» » Pupillarum, et puellarum scholae externae .	85.
» » Hospitalis cum 7 Sororibus (ab Horto) et infirmis	150.
Directio oeconomica operariorum et aedificii novi Collegii pro Sororibus a Stigmatibus per duos annos cum dimidio. .	
Parochia principalis Civitatis administrata, per sex menses.	
Parochia de « Camposanto » (ad 8 leucas) administrata duobus annis	
Cursus Missionum inter fideles .	5.
» spiritualium Exercitiorum.	11.
Panegyrici, Sermones, Catecheses.	624.
Communiones in nostra Ecclesia.	156.000
Missionarii ad parochias etiam dissitas missi ad parochos juvandos et Sacramenta Fidelibus ministranda, frequenter .	
Confessiones et assistentia praestita infirmis Civitatis in eorum domibus, die noctuque.	
Protestantes ad veram fidem reducti ac baptizati	2.
Doctrina christiana 30 et etiam 40 pueris quotidie tradita, exceptis tribus mensibus aestivis. Pueri in hoc triennio doctrina christiana imbuti . .	223.
In Reductione de « Miraflores »:	
Baptismus filiis christianorum administratus	101.
» » infidelium in articulo mortis.	4.
Doctrina christiana infidelibus tradita, quotidie.	
Diebus Dominicis ac festis solemnioribus Sermones ad populum cum aliis piis Exercitiis.	
Confessiones in sacello Reductionis	346.

Communiones . . . . 329.
Confessiones infirmorum in magna distantia (vulgo « al campo »). 16.
Spiritualium Exercitiorum cursus publice datus. . . . . . 1.
Ecclesia pro-parochialis in pago vulgo « Galpon » per aliquot menses administrata . . .

Fr. JOACHIM REMEDI, *Guardianus.*

—

CAPITULA COLLEGIORUM APOSTOLICORUM

IN AMERICA

V.

Apost. Collegii S. Didaci Civitatis Saltensis in Republica Argentina.

Die 16 Aprilis 1891 canonice celebratum fuit Guardianale Capitulum supradicti Collegii, Praeside Adm. R. P. QUIRICO PORRECA Commissario Generali Reipublicae Argentinae, in quo electi sunt:

GUARDIANUS

R. P. Franciscus Maria Manelli.

DISCRETI

R. P. Salvator Mazza.
A. V. P. Daniel Michelini.
A. V. P. Melchiades Bertocchini.
A. V. P. L. Pius Boccassi.

IV.

BIBLIOGRAPHIA

—

P. ANASTASIO BOCCI, Min. Oss. — Il Vangelo in famiglia, Letture Domenicali del P. Anastasio Bocci. — In Livorno, dalla Tipografia Franc. Vigo. 1891. In 16. Pag. XVI-271.

P. ANTONIO M.ª PALLOTTA DA GENZANO, M. R. — Orazioni sacre in lode di nostro Signore Gesù Cristo, di Maria Santissima, di varii Santi. — II edizione migliorata ed accresciuta di altre orazioni. — Siena, Tip. edit. S. Bernardino. 1891. In 8. Pag. VIII-528. Pretium L. 5.

(Haberi etiam potest a Curia Generalitia).

P. ANASTASIUS SZPREGE, Min. Ref. — Regula trzeciego Zabonu s. O. Franciszka serai zlagodzona przez Konstytucya Ojca s. LEONA XIII, z dodatkiem niektórych stósownych nabozenstw. III. poprawne wydanie (Wlasnosć prawna zastrzega sobie Wydawca). Poznan. Czcionkami Drukarni Kuryera Poznanskiego, 1890. (In 18, pag. 279).

Latine: Regula III Ordinis S. P. N. Francisci a LEONE PP. XIII correcta, et nonnullis annotationibus additis, edita a P. Anastasio Szprege Ordinis S. Franc. Provinciae Immaculatae Conceptionis in Posnania Sacerdote. Posnaniae 1890.

P. CARLO DE CASTRIS DA FERENTINO, Min. Oss. — Triduo in preparazione alla Festa del gloriosissimo Taumaturgo S. Antonio di Padova, che si venera nella Chiesa di S. Lorenzo in Velletri, stampato per cura del P. Antonio Orlandi di Corchiano, Minore Osservante. — Velletri, Stab. Tip. di Andrea De Lazzaro, 1891. In 16. Pag. 31.

P. ERMENEGILDO DA CHITIGNIANO, Min. Rif. — Guida spirituale pei Giovani Francescani che aspirano all'Ordine Sacro, per Fr. Ermenegildo da Chitignano Min. Rif. II edizione. — Prato, Stefano Belli, Editore-Libraio, 1891. In 16. Pag. 360.

P. LUIGI TASSI, M. O. — Memorie relative al B. Francesco Piani da Caldarola, Sacerdote M. O. della Provincia Picena. Fabriano, tip. Gentile, 1891. In 8. pag. 53.

P. NORBERTUS A TUX, Min. Cap. — Compendium Theologiae Fundamentalis, ope scriptorum Rmi P. Alberti a Bulsano, aliquando Lectoris, Definitoris Generalis etc. Ord. Capuc. Prov. Tyrol. septentr., aliorumque probatorum Auctorum concinnavit et in usum praeprimis scholae adaptavit P. Norbertus a Tux, Ord. Cap. Prov. Tyrol. septentr. Theol. Lector. Vol. II: De Ecclesia. — Brixinae (Tyrol.) typis et sumptibus C. P. Societatis Typographicae. 1891. Pag. 416.

P. PIE DE LANGOGNE, des FF. Mineurs Capucins. — L'Ouverture de Conscience, les Confessions et Communions dans les Com-

munautés. Texte et commentaire du Décret de la Sacrée Congrégation des Evêques et Réguliers du 17 Décembre 1890. — Paris, Librairie Ch. Poussielgue, rue Cassette, 15. 1891. In 16. Pag. 112.

JOANNIS DUNS SCOTI, Doctoris subtilis, Ordinis Minorum Opera Omnia. Editio nova (juxta editionem Waddingi XII tomos continentem) a Patribus Franciscanis de Observantia accurate recognita. Circiter 26 vol. in-4°, veneunt: 600 fr. Sex volumina per annum edere nobis propositum est. Mense Januario cujuslibet anni pretium solvetur voluminum elapso anno editorum. A decimo volumine, totum opus 800 fr. veniet. Apud L. Vivès, editorem, via Delambre 13, Parisiis.

Plures jam doctores scholasticos edidimus. Nunc autem de S. theologia nos bene merituros existimavimus, si illius scholae Principem in lucem revocaremus quae tot fulgoribus Ecclesiam irradiavit adversariosque ad profundius exactiusque scrutandum adduxit: Subtilem Doctorem dicimus, Joannem Duns Scotum, Immaculatae B. M. V. Conceptionis et Incarnationis sine peccato defensorem.

Visum est quid de Scoto sentiant scriptores gravissimi (multis omissis, ne sit nimis longum) in medium proferre.

Constantinus Sarnanus, S. R. E. Cardinalis.

« Inter quos Joannes Duns Scotus, velut sol, lucidissimum inter radiantia sidera astrum, acerrimo ingenii acumine, subtilitate, ac profunditate abditae et mire reconditae doctrinae, prae ceteris omnibus subtilissimus doctor coruscat; nemini, mea quidem sententia, qui in hoc scientiae genere ulla aetate floruerit, secundus. Cujus ingenii monumenta (quae non sine maxima doctorum hominum admiratione diligentissime leguntur), cum et doctrinae genere, et subtilitate ejusmodi sint, ut optima quaeque ingenia exerceant, excitent, acuantque ad sublimiorem quamdam divinarum rerum cognitionem; mirandum non est gravissimos viros in ea sententia fuisse, ut dicerent Scotum unum, non solum coaevos suos, sed et priorum posteriorumque saeculorum summos theologos ingenii magnitudine, doctrinaeque sublimitate sine controversia superasse. Fuit subtilis hic doctor, nobilissimae Scoticae scholae auctor, et dux longe clarissimus; quae doctrinam suam complexa constanter docet, defendit, amplificat, et ubique sic diffundit, ut jam per universum orbem disseminata, nulla ea sit illustrior. Ex hac schola tamquam ex equo trojano plurimi postmodum prodierunt illius scientiae laudatissimi principes, quorum et in dicendo labor innumera doctis viris commoda attulit, et in scribendo industria sacram theologorum scholam ita exornavit, auxitque, majorem ut eruditionis accessionem videatur non posse recipere ».

Paulinus Berti, Prior Ord. Eremit. Sancti Augustini.

« Conscripsit Scotus quam plurima volumina in utraque philosophia et theologia sacra, quibus litteratorum schola magnum sumpsit incrementum. Nam cum investigandae veritatis studio mentis aciem paulo altius quam alii intenderet, novas rationes et argumenta invenit, peculiares difficultates excogitavit, alias opiniones praeter communem certissime tuetur, et aliorum dicta atque rationes subinde carpit. Haec fere omnia disputationis gratia ut inde veritatis amatores disserendi periti haberent, in quo felicissime exercerentur. Nam si a scholis auferas peculiares Scoti opiniones, reliquum est, ut ipsius plane disserendi usus, et occasio langueat ».

Petrus Labbe, Bituricus theologus.

« Philosophiam sic excoluit (Scotus) ut ejus inventor esse posset, nisi natam invenisset: ita Aristotelis discipulus, ut doceri ab eo Aristoteles vellet si viveret.

In theologia aequavit D. Thomam, dum superare non potuit, et ne unicus esset theologiae princeps, eam in duo regna divisit. Mysteria Fidei ita scivit ut pene non crederet, extinxisset scientia Fidem nisi caeca simul et oculata esse posset. Naturam DEI ita descripsit, quasi aspexisset; arcana sapientiae divinae, quasi penetrasset; delicias alterius vitae, quasi expertus esset ».

Leonardus Lessius, Soc. JESU.

. . . . . « Nemo enim est qui nesciat Scotum esse cotem ingeniorum et limam subtilioris theologiae ac philosophiae, quae in scholis et eruditis disputationibus maxime triumphare consuevit ».

Antonius Possevinus (in suo apparatu...).

« In scripturis divinis ac in philosophia Aristotelis adeo praestitit, ut in disputationibus palmam ceteris praeriperet, atque ob id Doctor Subtilis fuerit appellatus. Hic primum in Anglia, Oxonii sententias interpretatus, deinde in Schola Parisiensi primum locum assecutus, academiam illam multum illustravit, theologia scholastica multis subtilitatibus aucta; in quibus, quod multa, quae non ita patebant, eruerit, factum est, ut qui ejus doctrinam sectantur Scotistae vocentur ».

Pater Salazar (de Immaculata Concept. c. 13).

« Longe alia est subtilissimi Doctoris (Scoti) mens, qui quemadmodum omnibus theologis Immaculatae Conceptionis propugnandae auctor extitit, ita etiam nihil praetermisit, quod in hac re ad majorem Virginis gloriam facere posset... etc. c. 42. Joannes Duns Scotus praecipuus ac maximus purae Conceptionis vindex, qui tantam huic doctrinae sua auctoritate fidem comparavit, quantam nullus alius ante vel post ipsum ».

Cornelius a Lapide (in sap. 7 v. 22)... « Dubitat Cardanus, lib. 16. de subtil. quis subtilior, an Aristoteles, an Euclides, an Scotus? Porro haec subtilitas partim ei naturalis fuit a subtilitate ingenii qua excelluit; partim supernaturalis opusque gratiae et Spiritus sancti, cujus ipse utpote Religiosus fuit instrumentum et organum ».

Ambrosius Catharinus, dominicanus (de Immacul. Concept.).

« Scoti laus quanta sit in Ecclesia et merito, soli prava affecti mente non conspiciunt ».

Sixtus Senen. (l. 4. biblioth. sanctae, fo. 2850).

« Joannes Dunsius, etc... vir admirandae eruditionis subtilitate praeditus...

Trithem. (de scriptor. Ecclesiae).

« Vir in divinis scripturis studiosus et eruditus, et in Philosophia Aristotelica doctissimus... »

Bellarminus (de scriptor. Ecclesiae).

« Joannes Duns Scotus, Ord. Min., vir fuit acutissimo ingenio praeditus ».

Nemo nescit doctum Suarez, in quo asserit Bossuetius totam audiri scholam, etsi D. Thomae Summam exponat, pluries franciscanis opinionibus adhaerere.

In Basileensi concilio Joannes Ragusinus, Ordinis Praedicatorum, ad Scoti praesidium recurrit, ut catholicam doctrinam de communione sub unica specie adversus haereticos in tuto poneret.

In Tridentino, Dominicanus alius illustris, Ambrosius Catharinus, Scoticas conclusiones propugnavit; et Camillus Musso, de Ordine Minorum, orthodoxam de justificatione doctrinam ad perfectum ordinem redegit atque firmioribus argumentis munivit, adeo ut Concilii Patres Spiritum sanctum per os Scotici discipuli locutum una voce conclamarent. Alii Scotistae, F. Andreae de Navarro, eadem synodus insigne munus Fidei nostrae conclusiones de Justificatione contra Calvinum atque ceteros haereticos tuendi commisit (v. Mich. Oyero, Aug. — Scoti laus. p. 24).

A. 1439, Florentini Patres, cum ineundae unionis catholicorum cum Graecis et Armenis fundamenta perquirerent, prae ceteris Doctoribus Scotum et S. Bonaventuram, a quibus hujusmodi firmissimas conclusiones mutuarentur, elegerunt.

Waddingi pulcherrimam editionem sequemur. Addentur opera Doctoris Subtilis hucusque inedita, quae nobis certe authentica indicabuntur. Vita Scoti documentis historicis magis accommodata, praefatioque generalis cum rerum notabilium tabula minutissima, ultimum et specialem tomum component.

Antequam deveniamus ad finem hujus praemonitionis, RR. PP. Franciscani gratitudinis nostrae pignus excipere velint; nobis siquidem proponentibus, litterarios operis editores fieri benigne annuentes, in hanc Ordine ipsorum dignam editionem concinnandam, perutile nobis juvamen contulerunt.

V.

NECROLOGIA

—

Die octava Aprilis nuper elapsi gravem jacturam passa est Reformata Provincia Lyciensis, filio suo Raphaele a Foggiano orbata, ex alumnis ejusdem Provinciae piissimo doctissimoque.

Quindecim annos vix natus, habitum induit Seraphicum, et statim ac vota emiserit, scientiarum studio ac pietate emicuit. Philosophiae Lectoris munere laudabiliter functus, ecclesiasticas disciplinas veluti fundamenta futurae suae eloquentiae adhibuit.

Orator eximius factus, Apostolus evasit Provinciae tum Barensis tum Lyciensis multasque animas Deo lucrifecit.

Ab anno 1866, peracta Ordinum Regularium civili suppressione, ad annum usque 1884, privatam ducere vitam coactus, paupertatem seraphicam non dereliquit, sed paucis contentus more pauperum, cetera omnia indigentibus distribuit. Pauper ingrediens civitates ad verbum Dei praedicandum, pauperrimus exinde proficiscebatur, benedictione caelesti ditatus et animarum quibus profuerat gratitudine ac laudibus cumulatus.

Ejus eloquentiam mirati sunt Lycienses, praesertim in novendialibus sermonibus ad festum B. M. V. de Rosario, in panegyrica oratione S. Orontii aliaque in honorem S. Vincentii a Paulo, protectoris operum caritatis recens electi.

Vicarius Provincialis renuntiatus, laudabili cum zelo et caritate hujusmodi munus exercuit, et Generali Capitulo anni 1889 Romae interfuit. Celebrato ultimo Provinciali Capitulo, ad Conventum Lequilensem destinatus, ibidem piissime supremum diem clausit.

Fidelium turma, ex omni civium coetu, defuncti cellam statim invisere coepit, consiliarii amicique, immo et Patris exuvias veneratura: alii manus et alii pedes deosculabantur, lacrymis rigabant, beatosque se ostentabant, si vel tenuem rudis vestimenti partem obtinere potuissent, quam uti reliquiam habebant.

Utinam tanti Patris exempla et virtutes inter Reformatae Provinciae asseclas, praesertim juniores, multos suscitent imitatores!

R. I. P.

Nihil obstat

Fr. Aloysius, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

Augusti 1891.

SUMMARIUM: *Communicationes Curiae Generalis.* — I. ACTA ROMANO-SERAPHICA: E suprema Cong. S. Officii: *circa nova SS. Cordis* JESU *in Eucharistia emblemata.* — *Novus qualificator supremae Inquisitionis.* — E S. Cong. Episc. et Reg.: *Professi votorum simpl. rite dispensati non possunt ab episcopo originis recusari.* — E S. Rit. Cong.: *Confirmatio cultus B. Hadriani Papae III.* — E S. Cong. Indulg.: *De modo adhibendae formulae in impositione scapularium.* — E S. Cong. Caeremonialis: *Episcopi quoad usum pileoli.* — II. ACTA ORDINIS: *Epist. Rmi P. Glis quoad dispensationem abstinentiae in proxima regulari Quadragesima.* — *Capitula Provincialia* — *Fructus spirituales Ref. Prov. Transylvaniae.* — *Synopsis Indulgentiarum (Continuatio).* — III. MISSIONES: *Decretum Min. Generalis circa Collectores Missionariorum.* — IV. VARIA: Fundatio Collegii S. Isidori *(Continuatio).* — V. BIBLIOGRAPHIA: *Periodicum cui titulus: Le Missioni francescane.* — VI. NECROLOGIA.

COMMUNICATIONES CURIAE GENERALIS.

I. Reverendissimus P. Minister Generalis gratias agit quammaximas singulis Provinciarum Moderatoribus, qui debitis a Collegio S. Antonii solvendis opem suam conferre conati sunt.

Ex stipe undique collata et praesertim ex Missarum stipendiis ad nos transmissis, non mediocris summa hoc anno et anno elapso S. Congregationi de Propaganda fide restituta fuit. Sed quanta adhuc persolvenda remanet! Ideo singulorum Provincialium zelus non lassescat, eo vel magis quod crescente in Collegio S. Antonii studentium numero, creverunt simul et expensae. Adjuvante DEI Providentia, uti confidimus, caritas seraphica dilatabitur, et indigentiis hujus Collegii generalis providere non desinet, ad DEI gloriam promovendam, studiorum progressum, Missionum nostrarum utilitatem totiusque Ordinis incrementum.

II. Dispensatio abstinentiae in proxima regulari Quadragesima et hoc anno concessa fuit. In praesenti fasciculo insertum indultum attente perlegant praesertim Superiores Provinciales, quorum prudentiae relinquitur ejusdem executio.

Monita de epistolis.

III. Monentur omnes Religiosi, ut in singulis epistolis ad Curiam Generalem transmittendis, non solum proprium nomen subscribant, sed patriam (vel

cognomen, secundum Provinciarum consuetudinem), ac familiam regularem (v. g. *Min. Obs.*, *Min. Ref.*, *Min. Disc.*, aut *Min. Rec.*) et Provinciam indicare non negligant.

Praeterea, si diversa sint negotia, ad Procuratores Generales, vel Secretarios Generales spectantia, aut librorum mittendorum petitionem concernentia, in *distinctis* epistolis exarentur, licet sub eodem involucro omnes istae epistolae inseri valeant.

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

E SUPREMA CONGR. S. INQUISIT.

Circa nova SS. Cordis JESU *in Eucharistia emblemata non approbanda.*

Feria IV, die 3 Junii 1891.

Nova emblemata Sacratissimi Cordis JESU in Eucharistia non esse ab Apostolica Sede adprobanda. Ad fovendam fidelium pietatem satis esse imagines SSmi Cordis in Ecclesia jam usitatas et adprobatas; quia cultus erga SSmum Cor JESU in Eucharistia non est perfectior cultu erga ipsam Eucharistiam neque alius a cultu erga SSmum Cor JESU. Insuper iidem Emi Patres communicandam mandarunt mentem ab hac Sacra Congregatione jussu Pii Pp. IX sac. mem. panditam feria IV die 13 Januarii 1875, nempe monendos esse alios etiam scriptores, qui ingenia sua acuunt super iis aliisque id generis argumentis quae novitatem sapiunt, ac sub pietatis specie insuetos cultus titulos etiam per ephemerides promovere student, ut ab eorum proposito desistant, ac perpendant periculum quod subest pertrahendi fideles in errorem etiam circa fidei dogmata et ansam praebendi Religionis osoribus ad detrahendum puritati doctrinae catholicae ac verae pietati.

R. Card. MONACO.

—

NOVUS QUALIFICATOR SUPR. INQUIS.

Sanctissimus Dominus Noster LEO Pp. XIII in audientia data more solito Rmo Domino Seraphino Cretoni S. Officii adsessori, die sexta hujus mensis Augusti, titulum munusque Qualificatoris Supremae Universalis Inquisitionis R. Patri Theophilo Domenichelli, Obs. Prov. Thusciae, S. Theologiae Lectori Generali, plurium operum tum circa historicas tum circa philosophicas disciplinas auctori clarissimo, conferre dignatus est. Praelaudatus Dominus Seraphinus Cretoni, eadem die, R. Patri Domenichelli voluntatem Sanctitatis Suae notam fecit, transmissis de more S. Congregationis S. Officii litteris.

—

E S. CONG. EPISC. ET REGUL.

Professi votorum simplicium rite dispensati vel dimissi non possunt ab Episcopo originis recusari.

RHEDONEN. — JURISDICTIONIS.

Compendium facti. Sacerdos E. Garnier e dioecesi Rhedonen., supplici libello S. C. Episcoporum et Regularium die 26 Aprilis porrecto, enarrat sese a teneris unguiculis Dioecesim Rhedonen. reliquisse, ut alibi humanioribus litteris vacaret; deinde inter Societatis JESU novitios cooptatum fuisse, ubi philosophicis ac theologicis studiis incubuit; quibus expletis, magistri munere per plures annos functum fuisse, ac demum, vertente mense Augusto anni 1870, a Rmo Zanquillot, Episcopo ejusdem Societatis ad SS. Missiones delegato, sacerdotio insignitum fuisse. Praeter haec refert quidem Societati JESU die 8 Septembris 1879 valedixisse, et ex hac die ad clerum saecularem jugiter pertinuisse. — Verum cum ab Archiepiscopo originis neque officium aliquod in Dioecesi, neque litteras testimoniales, imo neque facultatem celebrandi

obtinere valuerit, ab H. S. C. efflagitavit, ut declarare haud dedignaretur, num sibi applicari valeret H. S. C. decretum diei 6 Martii 1864, quo ad Episcopum Tarvisinum responsum fuit: « Presbyterum Instituti Charitatis per indultum saecularizationis perpetuae redire sub potestate Episcopi originis »: ac proinde num ipse ex regressu a Societate Jesu sub Episcopi originis jurisdictionem ipso facto reciderit.

Hisce praenotatis, sapientissimo Emorum Patrum judicio dirimendum propositum fuit sequens Dubium: — An et quomodo sacerdos Garnier Archiepiscopi Rhedonen. jurisdictioni subjiciatur?

S. Congregatio Episcoporum et Regularium, re mature perpensa, die 27 Februarii 1891 proposito dubio respondere censuit: Affirmative, uti Ordinario originis (1).

(1) Haec tamen non valent pro professis votorum solemnium saecularizatis. Equidem in *Tarvisina*, ad quartum dubium: An in casu egressus ab Instituto per dimissionem vel dispensationem iidem ad jurisdictionem Episcopi loci pertineant, ubi domus cui nomen dederunt sita est, vel potius ad Episcopum cui subjecti erant antequam Instituto adscripti essent; merito H. S. C. respondisse: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* — Verum, quia mox citata resolutio falsis interpretationibus locum dederat, quas cl. Bizzarri in sua Collectanea pag. 712 praecidere curavit, hinc in medium ejusdem verba allata fuerunt, quae sic sonant: « Ex hac resolutione ad quartum dubium apparet haud juri conformem esse illorum Antistitum agendi rationem, qua renuunt recipere in suas dioeceses alumnos alicujus Instituti votorum simplicium, qui ad easdem Dioeceses ante professionem pertinebant, quique deinde ab Instituto seu Congregatione dimissi sunt, vel ab iisdem votis dispensationem obtinuerint, ea tantum de causa, quod in aliquo instituto professionem emiserint, licet antea eorum jurisdictioni subjicerentur. — Nec opponi potest praxis S. C. quae servatur in concedendis indultis saecularizationis Professis votorum solemnium, pro quibus ordinarie loquendo requirit S. C. acceptationem Episcopi benevoli receptoris; nam Professi votorum solemnium ob statum permanentem, quem amplexi sunt, in perpetuum a jurisdictione Episcoporum omnino subtrahuntur, quod locum non habet quoad Professos votorum simplicium, qui dimitti et dispensari solent. — Dixi *ordinarie loquendo,* quia S. C. aliquando, si gravis causa concurrat, cogit Episcopos ad recipiendos in suas dioeceses saecularizatos, qui ante solemnem professionem eorum jurisdictioni subjiciebantur. Id tamen raro admodum durante meo munere factum est, licet S. C. *super statu Regularium* declaraverit posse, ad effectum reformationis Ordinum Regularium obtinendae, etiam invitis Episcopis saecularizationes concedi, caute tamen et prudenter perpensis peculiaribus rerum adjunctis ».

E S. CONG. RITUUM

DECRETUM

NULLIUS SEU NONANTOLEN.

CONFIRMATIONIS CULTUS

AB IMMEMORABILI TEMPORE PRAESTITI

HADRIANO PAPAE III

SANCTO NUNCUPATO.

Rmus Dominus Carolus Borgognoni, hodiernus Archiepiscopus Mutinensis atque Abbatiae Nonantolensis Sancti Silvestri Abbas Commendatarius, autumans ope monumentorum, quae satis authentica et perspicua existimavit, demonstrare se posse ab immemorabili tempore ac longe ante Decreta sa. me. Urbani Pp. VIII praefato Summo Pontifici Hadriano III tributum fuisse publicum cultum ecclesiasticum, obtinuit a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII per decretum Sacrae Rituum Congregationis sub die 18 Januarii vertentis anni, ut in ejusmodi Causa ab Ordinaria et juridica inquisitione dispensaretur, cujus vices plane supplebat documentorum series cura et studio ipsius Rmi Archiepiscopi collecta, quae deinceps in Actis ejusdem Sacrae Congregationis in authentica forma exhibita sunt; praevia tamen exegesi a R. P. D. Promotore Sanctae Fidei, loco animadversionum, exaranda.

Quare quum ad instantiam Rmi Domini Julii ex Marchionibus Campori, Antistitis Urbani hujusce Causae Postulatoris constituti, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, a me infrascripto Sacrae eidem Congregationi Praefecto et Causae Relatore propositum sit dubium: *An constet de casu excepto a Decretis s. m. Urbani Pp. VIII in casu, et ad effectum de quo agitur?*

Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, adductis monumentis rite perpensis, auditoque R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative, seu constare de casu excepto a decretis s. m. Urbani Pp. VIII; die 2 Junii 1891.*

De quibus, facta postmodum per subscriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideli relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis ratum ha-

bens, confirmavit cultum publicum ecclesiasticum ab immemorabili tempore praestitum praefato Sancto Hadriano Papae III.

Die 10 iisdem mense et anno.

C. Card. ALOISI-MASELLA, *Praef.*

L. ✠ S.

VINCENTIUS NUSSI, *Secret.*

—

E S. CONG. INDULGENTIARUM

De modo adhibendae Formulae in impositione Scapularium.

PICTAVIENSIS.

Rector Decanus Ecclesiae B. MARIAE V. a Berchorio, Dioec. Pictaviensis, huic S. Congregationi Indulgentiarum haec quae sequuntur exponit:

Aliquando impositio Scapularium ab Ecclesia approbatorum ita pro frequentia populi protrahitur, ut fiat cum assistentium taedio et Sacerdotis defatigatione, praesertim post primam puerorum Communionem vel exercitia Missionum, quia tunc permulti accedunt ad hos sacros habitos suscipiendos; quae praecaverentur incommoda, si Sacerdoti liceret una tantum vice dicere formulam numero plurali, imponendo successive, sed nulla interposita mora, Scapulare fidelibus praesentibus; quod quidem licitum videtur, cum adsit unio moralis inter formulae prolationem et impositionem Scapularium, et sic efficeretur unicus et completus actus.

Unde supradictus Rector sequens dubium dirimendum proponit: — Utrum liceat Sacerdoti, in impositione Scapularium ab Ecclesia approbatorum, omnibus rite peractis, dicere semel numero plurali formulam: *Accipite, fratres,* vel *sorores* etc., imponendo successive et sine interruptione Scapulare omnibus praesentibus; vel potius formula numero singulari pro singulis sit repetenda?

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita exhibito dubio respondit: — *Affirmative quoad primam partem; negative quoad secundam,* uti decretum est in una Valentinensi die 5 Februarii 1841 ad dubium IV.

Datum ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 18 Aprilis 1891.

Jos. Card. D'ANNIBALE, *Praef.*

L. ✠ S.

ALEXANDER, Archiep. Nicopolit., *Secret.*

—

E S. CONG. CAEREMONIALIS.

Episcopi quoad usum pileoli.

In comitiis ad Vaticanum habitis die 20 Maji 1890, inter ceteras quaestiones Sac. Congr. Caeremoniali ad dirimendum propositas actum est etiam, an Emi et Rmi DD. Cardinales, sive Rmi Episcopi et quotquot ex Indulto Apostolico gaudent usu pileoli, sacro adsistentes, sive seorsim sive collegialiter, teneantur detegere caput ad cantum sacri Evangelii et dum thurificantur. — Emi Patres, re mature discussa, rescripserunt: *Affirmative,* atque ita omnino observari mandarunt.

RAPH. MONACO LA VALLETTA, *Praef.*

L. ✠ S.

ALOYSIUS SINISTRI, *a Secretis.*

II.

ACTA ORDINIS

—

EPISTOLA

RMI P. GENERALIS

Ad omnes Provinciales et Custodes de indulto a Summo Pontifice concesso in proxima regulari S. Adventus quadragesima.

RNDE PATER PROVINCIALIS OBSME,

Praesentibus litteris Paternitati Tuae notum facimus SS. D. N. LEONEM Divina Providentia Papam XIII etiam in proxima regulari S. Adventus quadragesima hujus anni, arbitrio et conscientiae nostrae petitam dispensationem ab abstinentia indulsisse. Vigore hujus indulti diei 17 Augusti currentis, Pat. Tuae prudentiae remittimus, ut singulis utriusque sexus Religiosis Tuae jurisdictioni subjectis indulgere valeas:

I. *Usum carnium* primis quinque cujusdam hebdomadae diebus, in unica tamen comestione, vetita carnium et piscium promiscuitate in eadem refectione, et exceptis feria IV quatuor Temporum, ac vigiliis Immaculatae Conceptionis B. MARIAE Virginis, et Nativitatis D. N. JESU CHRISTI.

II. *Usum ovorum et lacticiniorum* in omnibus sextis feriis et sabbatis, in unica pariter comestione, et exclusis semper diebus quatuor Temporum, ac praefatis vigiliis: nisi forte alicubi, etiam in his diebus exceptis, vigeat privilegium vel legitima consuetudo utendi ovis et lacticiniis in jejuniis ecclesiasticis: tunc enim Religiosi quoque huic indulto seu consuetudini in jejuniis Regulae sese conformare possunt. *(Vide Corduba in Expos. Regulae).*

Verumtamen hortamur hujus Apostolici Indulti favore usuros, ut nedum piis compensationibus mortificationem CHRISTI in corpore circumferre studeant, sed singulis quibusdam sextis feriis, post mensam in communi, ut mos est, vel privatim, qui tunc sunt impediti, sanctissimum Eucharistiae Sacramentum devote visitent, et sequentibus precibus, id est: *O Sacrum Convivium etc.*, sex *Pater, Ave* et *Gloria* ac semel *Salve Regina,* divinae misericordiae, B. V. MARIAE intercessione, praesentes Catholicae Religionis et Seraphici Ordinis Nostri necessitates commendent, ut gratiam et consolationem, quam P. T. et Provinciae Tibi commissae humiliter adprecamur, a DOMINO tandem recipere possimus.

P. T. R.

Parmae, in Sacra Visitatione, die 21 Augusti 1891.

Humillimus in CHRISTO *Servus*
FR. ALOYSIUS DE PARMA, *Min. Generalis.*

—

CAPITULA PROVINCIALIA
hoc anno celebrata.

XVII.

Ref. Prov. Genuensis.

Die 8 Julii 1891 in Conventu S. MARIAE Montis Genuae, praeside R. P. BONAVENTURA A SILVANO ORBAE, Generali Visitatore, celebratum est Provinciale Capitulum, in quo canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS
R. P. Basilius a Neirone.
CUSTOS VOCALIS
R. P. Petrus a Riparolio.
DEFINITORES
A. V. P. Callistus a Voragine.
A. V. P. Venantius a Biassa.
A. V. P. Julius a Sigetro Orae Orientalis
A. V. P. Seraphinus a Sarzana.

XVIII.

Rec. Prov. SS. Cordis JESU *in America.*

Praeside Generali Visitatore R. P. VINCENTIO HALBFAS, celebratum est Capitulum Provinciale Recollectae Provinciae SS. Cordis JESU in America Sept. in Conventu S. Ludovici ad S. Antonium Paduanum, die 8 Julii 1891, in quo canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS
R. P. Michaël Richardt.
CUSTOS PROVINCIAE
A. V. P. Nicolaus Leonard.
DEFINITORES
A. V. P. Eustachius Brueggemann.
A. V. P. Clementinus Deymann.
A. V. P. Maximilianus Neumann.
A. V. P. Bernardinus Weis.

XIX.

Obs. Prov. S. Bernardini.

In Capitulo Obs. Prov. S. Bernardini Aprutiorum, die 15 Julii celebrato in Conventu S. MARIAE Paradisi Tocci, Praeside Adm. R. P. PETRO A MONSANO, Visitatore ac Def. Gli., canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS
R. P. Lucianus a Castronovo.
CUSTOS
A. V. P. Vincentius a Forcilla.
DEFINITORES
A. V. P. Marianus a Millianico.
A. V. P. Hippolytus a Revisondolis.
R. P. Marcellinus ab Anxano.
R. P. Franciscus ab Ariscula.

XX.

Ref. Prov. Romanae.

Praeside Rmo P. ALOYSIO A PARMA, Ministro Generali, die 21 Julii 1891 rite celebratum est Prov. Capitulum in Conventu S. MARIAE a JESU Artenae, in quo canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

R. P. Benedictus a Sublacu.

CUSTOS PROVINCIAE

R. P. Stephanus a Meate.

DEFINITORES

R. P. Maximus a Scurcula.
A. V. P. Caesarius a Setia.
A. V. P. Cherubinus ab Arcano.
A. V. P. Antonius a Praeneste.

XXI.

Obs. Prov. Picenae.

Die 23 Julii vertentis anni in Conventu S. Martini Arceviae celebratum fuit Capitulum Provinciale Obs. Prov. Picenae, praeside Adm. R. P. CANDIDO MARIOTTI, Visitatore Generali, et canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

R. P. Hilarius a Mucia.

CUSTOS VOCALIS

R. P. Aloysius a Fabriano.

DEFINITORES

A. V. P. Vincentius a Recineto.
A. V. P. Antonius ab Ophida.
A. V. P. Aloysius a Firmo.
A. V. P. Pacificus a Murrovallium.

XXII.

Obs. Provinciae Galicianae.

Die 28 Julii jam elapsi praeside Adm. R. P. AUGUSTINO ZUBAC, Visitatore et Definitore Generali, in Conventu Calvariensi ad S. MARIAM Angelorum celebratum est Capitulum Obs. Prov. Galicianae, et rite electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

R. P. Apollinaris Gargulinski.

CUSTOS

R. P. Lucas Dankiewicz.

DEFINITORES

A. V. P. Elzearius Widzisz.
A. V. P. Pius Mianowski.
A. V. P. Methodius Stupek.
A. V. P. Sabinus Figus.

XXIII.

Ref. Prov. Longobardiae.

Die 29 Julii vertentis anni in Conventu S. MARIAE Sabbioncelli rite celebratum est Capitulum Ref. Prov. Longobardiae, praeside A. R. P. IRENAEO A TORCENIO, Def. ac Visitatore Generali, et canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

R. P. Seraphinus a Modoetia.

CUSTOS PROVINCIAE

R. P. Joannes Petrus a Bergomo.

DEFINITORES

A. V. P. Bonaventura a Calcinate.
A. V. P. Alexander a Martinengo.
A. V. P. Hieronymus a Mediolano.
A. V. P. Arsenius ab Herbanno.

XXIV.

Ref. Prov. S. Bernardini in Aprutiis.

Die 6 Augusti 1891 in Conventu Aquilae ad S. Julianum rite celebratum fuit Provinciale Capitulum Ref. Prov. S. Bernardini in Aprutiis, Praeside R. P. NICOLAO A CIVITELLA, Generali Visitatore, et canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

R. P. Christophorus a Gallinaro, jam Vic. Prov.

CUSTOS VOCALIS

R. P. Livius a Cerchio, Ex-Min.

DEFINITORES

A. V. P. Nuntius a Scanno.
A. V. P. Amadaeus a Capistrano.
A. V. P. Caelestinus a Lauretis.
A. V. P. Bernardinus a Pescocostantio.

—

FRUCTUS SPIRITUALES

Ref. Prov. Transsilvaniae a die 15 Julii 1890, ad 15 Julii 1891.

Infantes ex christianis parentibus baptizati 501

Sacramentum Poenitentiae administratum sanis	33523
Sacramentum Poenitentiae administratum infirmis	473
Sacramentum Eucharistiae administratum sanis et infirmis	32087
Sacramentum Eucharistiae administratum per modum viatici	473
Sacramentum Extremae Unctionis administratum	455
Adsistentiae matrimonialiter copulatis.	110
Conciones productae	1408
Catecheses	3468
Sepulturae mandati.	386
Conversi e Calvinismo	23
» e Lutheranismo	2
» e Schismate.	2
» ex Arianismo	2
» ex Judaismo	1
Numerus animarum in parochiis a nobis administratae	8625
Scholares per nos instituti et catechizati	2725

Signatum Vajda-Hunyad 1891.

Fr. Eugenius Simon,
Min. Provlis.

—

SYNOPSIS INDULGENTIARUM

IN COMMODUM FRATRUM ORDINIS NOSTRI

Caput II.

(Continuatio)

Litterae filiationis.

95. Placet hic aliquid innuere de litteris *filiationis,* quae concedi solent insignibus benefactoribus.

Praelati Regulares concedere possunt specialibus benefactoribus suae respectivae Religionis *Filiantias,* seu *Litteras filiationis,* eis communicando suffragia, indulgentias, orationes et bona spiritualia, tamquam filiis propriae Religionis, ex concessione Urbani V, facta Praelatis totius Ordinis Minorum (Ferraris verb. *Regularis Praelatus* n. 74). Casarubios in compendio nostrorum privilegiorum, verb. *Indulgentia* quoad Saeculares c. 4. n. 6, idem testatur, scribens: « Urbanus V concessit, ut Generalis et Provincialis totius Ordinis Minorum possint communicare suffragia, indulgentias, orationes et bona spiritualia benefactoribus suis ». Lezana ex Ordine Carmelitarum, iisdem verbis ac Casarubios rem affirmat, et quoad communicationem Indulgentiarum benefactoribus Ordinum Regularium, haec habet: « Possunt autem dicti Praelati communicare suis benefactoribus indulgentias (intellige sui Ordinis) multipliciter. Primo quidem praecipiendo suis subditis, ut pro illis indulgentias lucrentur. Quod fieri potest, supposita sententia Suarez (supra disp. 52 sect. 7. n. 6) Bonacinae (supra punct. 6. n. 12), et aliorum asserentium posse unum hominem viventem pro alio etiam vivente lucrari indulgentias, *si Pontifex concedat,* prout contingere videtur in hoc casu. — Secundo, uniendo et aggregando praedictos benefactores cum suis Religiosis, ac ita faciendo, quod quemadmodum Religiosi dictas indulgentias consequuntur, faciendo opus a Papa praescriptum, ita et illi benefactores, si illud fecerint. Quo casu Praelati nihilominus non dicuntur concedere indulgentias, sed solum Papa. Hoc enim modo intelligunt hoc privilegium Suarez (supra disput. 55. sect. 5. n. 13 etc.) et Peyrinus (tom. 2. de Prael. quaest. 3. c. 6. n. 9), qui etiam addit id fieri posse, applicando fructum dictarum indulgentiarum modo, quo applicantur defunctis. Quod tamen coincidere videtur cum primo modo assignato ». Hucusque Lezana (verb. *Indulgentia* quoad Regulares n. 15).

Primus modus communicandi benefactoribus Indulgentias, nullam, ut nobis videtur, probabilitatem praesefert, cum Ecclesia nunquam soleat Indulgentias elargiri, quae sint applicabiles pro aliis viventibus. Secundus modus videtur saltem rationabilior. Benefactores enim, si per *filiantias* Ordini aggregentur, vel ut aggregati habeantur, facile intelligitur, eos quoque frui posse Indulgentiis ipsi Ordini concessis.

Verum, quid revera communicetur per sic dictas *filiantias,* erui debet ex ipsis litteris filiationis. Jam vero apud nos Fratres Minores, in hujusmodi litteris haec habentur « ... tenore praesentium vos admittimus et accipimus inter Confratres nostros, quatenus tam in vita, quam in morte, et post mortem, plena-

riam participationem obtinere possitis omnium meritorum, quae suffragiis, missis, jejuniis, meditationibus, praedicationibus, missionibus, aliisque piis operibus in universo nostro Ordine per Fratres Observantes, Reformatos, Excalceatos, Recollectos, Tertii Ordinis, necnon per Moniales S. Clarae, Annuntiationis, Conceptionis, aliosque nostrae Jurisdictioni subjectos, die noctuque acquiruntur ».

Ex his clare patet, quod per litteras *filiationis,* insignibus benefactoribus *non fit largitio Indulgentiarum, sed communicatio et participatio meritorum Ordinis.*

§ II.

DE NONNULLIS INDULGENTIIS PERSONALIBUS IN PARTICULARI.

Benedictio in articulo mortis, Benedictio Apostolica super populum, et Absolutio Generalis.

96. Benedictio in articulo mortis, Benedictio Apostolica super populum, et Absolutio generalis non videntur *quoad substantiam* differre. Cuilibet enim ex ipsis est adnexa Indulgentia plenaria. Differunt vero *quoad ritum* eas impertiendi et *quoad formulas.*

Quoad ritum, Benedictio Apostolica solemnior est, praesertim si ab Episcopo impertiatur; solemnissima si ab ipso Summo Pontifice. Qui felicioribus temporibus interfuit Benedictioni, quae a Pio Pp. IX s. m. e superiori porticu S. Petri vel alterius Urbis Basilicae super frequentissimum populum omnium nationum solemniter effundebatur, probe noscit, et forsan ipse quoque expertus est, intimum devotionis sensum ac animi commotionem, quae tunc in fidelibus excitabatur.

Quoad formulas, omnes fere verba absolutoria continent, si illa excipiatur benedicendi populo pro Regularibus assignata. In formula vero Absolutionis generalis pro Regularibus inveniuntur etiam verba absolutoria ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, interdicti, ab omni transgressione regulae, ab omnibus poenitentiis oblitis etc., quae quidem desunt in ceteris formulis.

Tractationi de hujusmodi Absolutionibus et Benedictionibus, quibus adnexa est Indulgentia plenaria, praemittimus ordinationes Summi Pontificis Leonis Pp. XIII quoad *formulas* in his impertiendis adhibendas.

Absolutio Generalis et Benedictio Papalis pro Regularibus Ordinibus et Tertiariis ad eos pertinentibus.

97. SSmus D. N. Leo Pp. XIII per Breve Apostolicum « *Quo universi* » sub die 7 Julii 1882, circa Absolutionis tum generalis, tum in articulo mortis, tum papalis Benedictionis *formulas,* sequentia decrevit:

1.° Pro Absolutione in articulo mortis retineatur in omnibus formula praescripta in Constitutione s. m. Benedicti Pp. XIV « *Pia Mater* », addito tantum ad *Confiteor* nomine sancti proprii Fundatoris.

2.° Benedictio Summi Pontificis nomine impertienda detur cum formula approbata in Constitutione ejusdem s. m. Benedicti Pp. XIV. « *Exemplis Praedecessorum* », sed nonnisi *bis* in anno, et sub conditione, quod haec Benedictio nunquam detur eodem die et in eodem loco ubi Episcopus eas impertiat.

3.° In Absolutione generali pro Regularibus cujuscumque Ordinis, atque in Benedictione cum Indulgentia plenaria pro Tertiariis saecularibus adhibeantur omnino formulae a Rmo Assessore Sacrae Rituum Congregationis propositae atque ab eadem approbatae, abrogatis penitus et suppressis quibuscumque aliis formulis hucusque usitatis ».

Omnes praefatae formulae inveniuntur tum in novissimis editionibus Ritualis Romani, tum in nostro Rituali Romano-Seraphico, anno 1889 edito, tum etiam in recentioribus editionibus nostri *Diurnalis* (Horae Diurnae) circa finem.

Absolutio Generalis.

98. Absolutiones generales, quas Praelati Regulares in quibusdam anni solemnitatibus et in fine Visitationis canonicae dare consueverunt suis subditis Religiosis, cadunt super excommunicationibus, suspensionibus et irregularitatibus, quas subditi forte ignoranter contraxerunt vel obliti sunt, ita ut si postea recordentur et cognoscant, se aliquam censuram vel poenam reservatam incurrisse, non teneantur amplius pro absolutione ab illis censuris vel poenis recurrere ad Superiorem habentem facultatem, sed sufficiat quod confiteantur communi Confessario peccata, ob quae illas incur-

rerunt. Nam illa peccata, ut supponitur, erant solum reservata ratione censurae, qua sublata, cessat reservatio peccati (Ferraris, verb. *Regularis Praelatus,* n. 67. — Ita etiam Matthaeucci Off. Cur. c. 38. n. 30). Lezana super re scribit: « Absolutiones et dispensationes a censuris et irregularitatibus, quae communiter solent dari a Praelatis Regularium tam in Visitationibus, quam in aliquibus festivitatibus solemnioribus, prosunt Religiosis in foro interno animae, saltem pro censuris et irregularitatibus dubiis et oblitis seu ignoranter incursis. *Alias prorsus vanae et inutiles essent tales absolutiones et dispensationes* » (Tom. I. c. XVIII. n. 93).

99. Praefatae tamen Absolutiones minime sunt *sacramentales,* nec per eas absolvitur *a culpa peccati,* cum tunc non fiat confessio specifica peccatorum, sed sunt quaedam absolutiones deprecativae, per quas subditi absolvuntur a censuris etc. et a poena debita pro peccatis jam quoad culpam dimissis, adhuc in hac vel altera vita exsolvenda. Unde cum in talibus absolutionibus dicitur: *Absolvo vos ab omnibus peccatis vestris* (haec tamen verba in novissima formula sublata sunt), idem est ac *ab omnibus poenis debitis pro iisdem,* juxta illud Machab. XII: « Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, *ut a peccatis solvantur* »; ubi, ut vides, peccata sumuntur pro poenis debitis pro iisdem (Ferraris loc. cit. Kerckhove, Sporer etc.).

100. Non est confundenda absolutio, de qua agimus, cum altera absolutione, quae dari solet a Praelato regulari seu a Praeside ante electionem capitularem. Huic enim, ut patet ex ipsa formula quae prostat in Rituali nostro Seraphico, nulla est adnexa Indulgentia. Ipsa cadit super censuras et irregularitates, quae possunt esse impedimentum inhabilitatis ad *eligi* et *eligere;* impertitur nempe « *ad effectum electionis canonice et rite celebrandae, quatenus opus sit* » (Cfr. Ferraris loc. cit. n. 70 etc.).

101. Fatendum est, quoad praedictas absolutiones generales, quaedam adhuc esse vel obscura vel non satis clare decisa. Ex probatis Auctoribus, praesertim ex Ferraris, sequentia excerpimus:

1.° Supradictae Absolutiones generales et Indulgentiae acquiri debent de consensu suorum Superiorum. Ita affirmant Casarubios et Ferraris.

2.° Confessores electi et ad id deputati debent Religiosis aliquam salutarem poenitentiam injungere.

3.° Licet adhuc subsistat Indultum quantum ad Absolutionem plenariam et Benedictionem papalem, *videtur* tamen revocatum per Const. Pauli V « *Romanus Pontifex* » quantum ad consecutionem Indulgentiae plenariae *pro seipsis* (nempe pro vivis).

4.° *Non videtur* tamen revocatum tale Indultum quantum ad consecutionem Indulgentiae plenariae pro animabus Purgatorii, ut tradit eruditissimus P. Viva in Appendice Indulgentiarum, et est communis sententia Theologorum (Cf. Ferraris, verb. *Indulg.* n. 69).

5.° P. Ferraris utitur verbo *videtur,* sed ex responsione, quam inferius dabimus, S. Congregationis Indulgentiarum, certum est, Indultum, de quo agitur, adhuc subsistere, et Indulgentiam adnexam Absolutioni generali tantummodo animabus Purgatorii esse applicabilem.

102. Ad lucrandam Indulgentiam plenariam Absolutioni generali adnexam impleri debent opera injuncta, quae sunt *Confessio, Communio et Preces.* Colligitur ex Constitutione « *Misericors Dei Filius* » cap. I. de Indulgentiis plenariis, ubi SS. D. N. Leo Pp. XIII huiusmodi conditiones praescripsit pro Absolutione accipienda a Tertiariis saecularibus.

103. Proposito dubio: An Absolutiones generales dari debeant aut possint *intra vel extra Sacramentum Poenitentiae?*

S. C. Respondit: *Servetur pro Regularibus consuetudo* (Decr. 22 Martii 1879). Et quia hujusmodi generalibus Absolutionibus magnum spirituale bonum est adnexum, qualis est Indulgentia plenaria, ideo rogantur Praelati regulares ad has suis subditis in choro vel alibi coadunatis impertiendas diebus omnibus et festivitatibus, quibus id per specialia privilegia est eis a Sede Apostolica concessum, ne secus tanto spirituali bono fraudentur.

104. Quod si Praelati ab ea impertienda fuerint impediti, vel quomodocumque eam elargiri omittant, curent Religiosi a proprio respectivo Confessario eam accipere. Juxta enim responsionem S. C. superius allatam absolutiones generales pro Regularibus dari pos-

sunt tam *intra* quam *extra* Sacramentum Poenitentiae, *juxta consuetudinem*. Jam vero consuetudo apud Nostrates non est nec constans nec uniformis in omnibus Ordinis Provinciis. In quibusdam enim ex his, si excipiatur feria V in Coena Domini, rarissime aliis festivitatibus assignatis Absolutio generalis impertiri solet universae Communitati, seu toti religiosae familiae. Advertendum tamen in hujusmodi Absolutionibus excipi casus Superioribus reservatos.

105. Dies autem et festivitates, in quibus *Fratres Minores* accipere possunt, cum licentia suorum Superiorum, Absolutionem generalem cum Indulgentia plenaria, ex concessione Leonis Pp. X, sunt: *in omnibus solemnitatibus Domini, B. M. Virginis, SS. Apostolorum Petri et Pauli, S. P. N. Francisci, S. Clarae, S. Catharinae V. et M., Omnium Sanctorum,* et insuper *per totam Hebdomadam Sanctam* (Vid. Rescript. auth. Summ. Indulg. Francisc. n. 15. — Ferraris v. *Indulg.* art. V. n. 67).

106. Ulterius, omnes personae trium Ordinum S. P. N. Francisci (nunc tamen excipiendi sunt, vi Constitutionis « *Misericors Dei Filius* », Tertiarii saeculares, de quibus postea) ex concessione Leonis X consequi possunt eamdem plenariam Absolutionem et Indulgengentiam, ac insuper papalem Benedictionem *quater in anno,* diebus quibus maluerint (Ferraris loc. cit. n. 66. et Casarubios in Compend. nostrorum Privileg.).

107. Quoad praefatas Absolutiones generales *quater in anno,* in Rescript. Auth. n. 50 loc. cit. haec habentur speciatim expressa pro Monialibus: « Moniales S. Clarae, et per communicationem omnes Moniales Tertii Ordinis quae vivunt sub directione Fratrum Minorum, a Leone X habent privilegium accipiendi *quater in anno* a Superioribus dicti Ordinis Fratrum Minorum, aut ab aliis Religiosis confessariis ejusdem Ordinis, ad hoc a dictis Superioribus specialiter deputatis, Absolutionem omnium suorum peccatorum quocumquemodo commissorum ».

Cum autem pluries a S. Sede declaratum fuerit quod « Moniales a cura et gubernio Fratrum suorum Ordinum sub immediatam jurisdictionem Ordinarii translatae, non amiserunt privilegia et Indulgentias » (Decr. 22. Apr. 1711), consequitur, etiam Moniales Ordinis S. Francisci, quae non amplius subsunt directioni Fratrum Minorum, gaudere supradictis gratiis et Indulgentiis.

(Continuabitur)

III.
MISSIONES

—

DECRETUM

RMI P. GENERALIS

Quoad Collectores Missionariorum e Collegiis Americae in Europam mittendos.

———

FR. ALOYSIUS DE PARMA
ORDINIS MIN. REGUL. OBSERVANTIAE
SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI
LECTOR JUBILATUS IN S. THEOLOGIA
JAM MINISTER OBS. PROV. BONONIENSIS
TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTER GENERALIS
ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS.

———

DECRETUM

Licet in articulo LII Brevis Pii Pp. IX incipientis « *Apostolica Sedes* » dicatur Collectores a Collegiis in Europam missos ad Missionarios eligendos, teneri in primis a Ministro Generali assensum obtinere; tamen ex eo quod praedicti Collectores, inconsulto Ministro Generali, mitti possunt et reipsa vi supradicti Brevis mittantur; plura enascuntur incommoda, inter quae maximum, quod fere eodem tempore plures Collectores adveniunt, cum detrimento Provinciarum et ipsorum Collegiorum.

Ad hoc igitur praecavendum, auctoritate a S. Congregatione de Propaganda Fide Nobis concessa per suas litteras diei 3 Julii hujusce anni 1891, sub n.° 2465 volumus et jubemus nullum Collegiorum posse in posterum Patres Collectores in Europam mittere *absque consensu Ministri Generalis toties quoties primum obtinendo ac designata persona, quae erit mittenda.*

Datum Romae, e Collegio S. Antonii, die 10 Julii 1891.

Fr. Aloysius a Parma, *Min. Glis.*

IV.

VARIA

FUNDATIO

COLLEGII S. ISIDORI IN URBE

A P. LUCA WADDINGO

CAP. XXII (LXVII)

(Continuatio)

Erat autem Lucae vigilantia tam nota Fratribus, ut dicere solerent, ipsum oculos etiam in occipite habere, et aures in omni angulo; nihil enim ipsum latere poterat, eratque tam tenacis et promptae in omnibus memoriae, ut si praesens occasio non daret correctioni locum, negligentiam tamen praeteritam exprobrabat, ubi alterius tunc praesentis aggravandae utilitas id postulabat. Erat ejus zelus tam reverendus, ut non multis verbis ipse opus esset, quin vel sola praesentiâ, vel sola recordatio ipsius aliis sufficeret ad observantiam disciplinae, cum alius alii diceret, care Frater, P. Lucas est domi; si te videret P. Lucas; nec raro aderat lupus in fabula, et gratioso aliquo verbo, vel dulci monitione, aut simulata tussi solvebat circulum colloquentium: si quem defectum in communibus exercitiis intervenisse sentiebat, non solum culpabiles, sed et Superiores ipsos, et exercitiorum Praefectos, privatim tamen et reverenter arguebat, ut quibus incumbit, vel praevenire, ut omnia rite succederent, vel actionem praesentem dirigere et gubernare. Quamdiu ipse ex officio regebat, quaecumque majori reprehensione digna judicabat, ea sibi (notata) in schedula servabat in diem Capituli, quod singulis septimanis semel ad minus celebrabat, praemissa memoria et suffragiis benefactorum.

CAP. XXIII (LXXIII).

Quis illi correctionis modus.

Ille vero dum reprehenderet, suum cuique servabat honorem, cui ingenii vel profectus studiorum, cui in aliis diligentiae et laboris, cui sanguinis, aut domesticae educationis, cuique alicujus virtutis, vel innati talenti, aut qualitatis personae peculiaris; atque haec ipsa ulterioris profectus, et perfectionis incitamenta convertebat: non despiciebat minus habentem, non irritabat animosum, non opprimebat pusillanimem, non excogitabat viles mortificandi modos, quibus exasperantur, non emendantur correpti; sed dulci nomine filii cunctos compellabat, et evidenti ratione convincebat, ut clare perciperent omnes, Lucam non subditorum poenam, sed virtutis profectum atque adeo propriam cujusque utilitatem desiderare. Et quando invehi maximopere videbatur, aut provocatus absque injuria irasci posset, ita ut moto sanguine totus aliquando ruberet; nunquam tamen indignari visus est, vel dominanter, aut praecipitanter agere, vel ullum contumeliae, vel injuriae verbum in fratrem proferre; sed erumpentem disciplinae zelum, et justam Praelati severitatem, magna potentia sui ipsius, et religiosa clementia, et caritate plane paterna comprimebat, si quempiam objurgatione turbatum dubitaret, hunc deinde seorsim vel per se, vel per alium solabatur, et ad errorem ultro et humiliter agnoscendum reducebat, in qua re utillimus illi fuit Antonius Hiquaeus, vir natura et virtute ad conciliandos, et sedandos animos comparatus, ceterique Patres, qui quod omnes unanimi zelo in commune bonum arderent, juniores ubique solabantur quidem; sed in officiis et reverentia majoribus ac praecipue Superioribus debita continebant.

Lucas vicissim Patres ipsos honore praeveniebat, et omni favore prosequebatur, et quidquid solatii pro junioribus peterent, concedebat. Ipse quoque extra locum ordinariae correctionis cum omnibus comiter, mansuete, et familiariter agebat; sicubi occurrentes humili salutatione et benevolentiae signo afficiebat; accedentes hilari vultu, et amico verbo, ac filii nomine excipiebat. Non sicut leo in domo sua, sed ut agnus mansuetus, quando aliquid jubendum erat, non dabat fastuosa mandata; sed vocato fratri rei necessitatem et convenientiam humiliter exponebat: dicebat non videri sibi, aut Patribus, qui eam exequi posset magis idonee, quam ipse, se proinde rogare, ut vellet facere: si alter se excusabat, Lucas iterum vel suaviter monstrabat excusationem non sufficere, vel ne contentioni locum relinqueret, humiliter denuo rogabat, ut saltem ipsius amore subiret incommodum, et

privatae convenientiae praeferret rem publico honorificam, utilem, et necessariam; scire se illum posse haec et illa simul et plura praestare; nec se vel Patres illi defuturos opportuno auxilio. Ubi vero majorem renitentiam inveniebat, non illico minabatur, aut peremptorie praecipiebat, sed placide replicabat: fili mi? Ego tibi quod honestum, et justum est, Patribus placitum, tibique conveniens propono, si non vis facere modo nostro, facias tuo, ipse videris; vade in pace. Quo telo et acuto et mellito penetrabat corda;. et cum amore et summa sui et subditi tranquillitate, multo magis dominabatur, quam imperio et potentia, quibus non raro suscitantur crabrones. Quando in communibus exercitiis aliquid prohibendum vel dirigendum occurrebat, non id voce procul elata, vel indignabundo strepitu faciebat Lucas, sed quieto mitique signo, aut misso internuncio, vel quandoque propriis manibus.

Et cum id permitteret qualitas exercitii, etiam faceto et molli verbo, quo recreabat potius, quam confundebat monitum; ut cum verbi gratia dicebat, pudere Theologum vel Philosophum, si onus apte portare, si fratrem novacula radere, si domum dextre scopis verrere, vel serram recte ducere nesciret, et his similia: quae quanto remotius aberant a Theologi vel Philosophi professione, tanto gratiosior erat inde petita exprobratio: cum interim subesset, Fratrem sancti Francisci sic Theologum, aut Philosophum esse debere, ut etiam caritatis et humilitatis operibus in Ordine consuetis, pro occasione subeundis, nec ineptus, nec imparatus inveniatur. Alterum etiam alteri exemplo subinde proponebat, quo et illius virtus laudata cresceret, et istius provocaretur aemulatio, atque hoc identidem etiam, praesertim in levioribus, cum lepore; ut si parvo aliquid sinistre facienti diceret, pudeat hominem ad lineam et libram compositum, quidquam tam inepte moliri, cum rem suam tam apte peragat iste longurio, cui vel sui moles regenda sufficeret. Et iterum procero; proh gigantem ignavo dorso succumbere oneri, quod parvulus iste tam strenue sustentat! Qua hinc pastorali vigilantia et severitate, qua inde paterna cura et condescensione, cum subditorum solatio et prompta obedientia Lucas auctoritatem suam fortiter suaviterque sustinebat, duobus omnino necessariis fulcris magistratus, timore pariter et amore subditorum; quorum alterutro subsidente corruit potestas. Nam qui solummodo timentur tyranni sunt, ac perpetuo subditorum odio et insidiis obnoxii; qui solum amantur familiares sunt, ac deinde contempti.

(Continuabitur)

V.

BIBLIOGRAPHIA

Jam annus integer et dimidius est, ex quo ephemeris mensilis *La Palestina e le rimanenti Missioni Francescane* (pag. 64, in-8) suum sumpsit humile quidem, at communi expectatione et plausu, non infelix exordium; denuo resurgens novo nomine novisque viribus, at animo antiquo, post dormitionem longioribus forsan quam par erat annis productam. Nunc humanitate et egregia voluntate freti multorum, quorum in nos et in nostram ephemeridem benignitatem multiplicia testantur documenta, ad opus, si non optime saltem optima voluntate inceptum, alacrius perficiendum toto animo incumbimus; eas modificationes et meliorationes introducturi, quas experientia, facultas nobis data, amicae animadversiones, quarum memores et grati semper erimus, nobis suaserunt.

Et primitus duximus praestare, ut titulus ephemeridis rei conceptae exactius responderet. Hinc *Le Missioni Francescane in Palestina ed in altre regioni della terra*, ephemeridis *La Palestina*, methodum substantialiter sequens, longe melius rem pingat putamus. Deinde, ut ad compilationem accuratius intendere nobis fas sit, eam ab administratione sejungere decrevimus, postremam ad Arturum Venturi totaliter commendantes, cujus honestas vitae, animus in Franciscanos optime affectus quum nobis indubiis testimoniis perspecti sint, fideliter et exacte, longe etiam perfectius quam nos in tot distracti, ea quae sunt officii concrediti perfuncturum esse non dubitamus. Hinc incommodis et occupationibus non parvis hujus administrationis liberati, compilationem accuratiorem, paucioribus scatentem erroribus, vobis praesentare posse speramus.

Ea de causa ex nunc admonitos volumus omnes, ad quos ephemeris pervenit, ut quoad res ad ejus administrationem pertinentes, videlicet, emissiones fasciculorum, solutiones pretii associationum, postulationes novarum associationum et alia similia, ad praefatum Arturum Venturi Florentiae (1) se dirigere velint. Et cum in hanc rem sermo inciderit, dum gratulanti animo gra-

(1) Via Ghibellina 53-55.

tes reddimus iis, qui laudabili diligentia initio currentis anni totum pretium associationis decem libellarum persolverunt, etiam enixe rogamus ut alii, quamprimum poterunt, idem faciant; ut et nos non parvas expensas impressionis et alias jure justitiae solvendas satisfacere valeamus: quae quidem solutio vel pecunia, vel, si praestat, certo Missarum numero celebratione, praevia denunciatione ad praefatum Dominum Arturum Venturi, fieri ad libitum potest.

Nunc autem, ut unde est orsa, in eodem terminetur oratio, vobis, laeti et libentes, quibus adnitentibus debetur initium et profectus ephemeridis *Palaestinae,* ex qua non pauca praeter nostrum meritum, opitulante Deo, bona fluxerunt, annuntiamus pauca additamenta, quibus nova ephemeris, respectu antiquae, proximo ineunte semestre, locupletata prodibit.

Ante omnia, impressio longe accuratior, charta melior, artis lenocinio gratior: selectio documentorum exquisitior, ut nihil eorum quae majoris sunt ponderis desideretur, nihil quod vel inutile, vel parvi faciendum sit, admittatur. Quod ut facilius fiat, rogamus Franciscanos omnes et Franciscanas quod nobis communicent notitias, quas forte possident, circa Missiones Ordinis. Item, singulis mensibus illorum nomina, qui pretium associationis jam solverunt, ad praemium unius imaginis vulgo Oleographiae vocatae concurrere poterunt; ita ut anno integro duodecim praemia distribuentur associatis sorte determinandis. Illi omnes qui duas associationes novas procurare satagent, pulchro volumine de sancto Francisco, vel ejus Ordine, vel de alia materia, quantum fieri potest recipientis desideriis gratiore, donabuntur.

Articula, quae circa res Missionariarum Franciscanarum Mariae versantur, italico sermone exarata, in postremo folio ephemeridis colligentur; et distribuentur etiam separatim, cum proprio indice et sub titulo *Le Suore Francescane Missionarie di Maria,* pretio associationis quatuor libellarum, vel congruo celebrationis Missarum numero.

Singulis fasciculis tum ephemeridis *Le Suore Francescane Missionarie di Maria,* cum *Le Missioni Francescane in Palestina,* ecc. quae utrasque complectitur, additur una imago in *Fototipia.*

Pretium associationis illud *Palaestinae* adamussim aequabit; nempe decem libellarum pro anno integro, additis expensis pro exteris expeditionis. Hi autem omnes qui pretium associationis *Palaestinae* pro anno 1891 jam persolverunt aut persoluturi sunt, proximo in semestre fasciculos novae ephemeridis longe ditiores recipient.

His additamentis non modicum huic ephemeridi profuturos, et lectorum voluntatibus obsecundavisse censemus. Valete.

Die 1 Julii 1891.

Fr. Marcellinus de Civetia, *Min. Oss.*
Fr. Theophilus Domenichelli, *Min. Oss.*

Praefatum mensile Periodicum in melius immutatum et a Patribus Marcellino a Civetia et Theophilo Domenichelli Regularis Observantiae redactum, utpote in maximam utilitatem et decorem Ordinis nostri Seraphici redundans, omnibus Fratribus Nobis subjectis commendamus, et locorum Superiores enixe adhortamur, ut illius associationi se subscribant, ac suis subditis legendum tradant.

Datum Romae, ad S. Ant. 17 Julii 1891.

Fr. Aloysius de Parma, *Min. Glis.*

P. Aemilius Crivelli, Min. Obs. — Gli splendori di Terra Santa, cioè i Santuari e i loro Custodi, per M. Sodar de Vaulx, Traduzione dal Francese del P. Emilio Crivelli, M. Oss. — Milano, Libreria Religiosa Giuseppe Palma, Via Lupetta, 12, 1891. — In 16. Pag. XVIII-580.

P. Bernardinus Gonzalez, Min. Obs. — 1. Nuevo Manual del Religioso Menor, por el R. P. Fray Bernardino González Religioso Franciscano y Misionero Apostólico. Con licencia de la autoridad eclesiástica. — Lima, Tipografia Católica, Calle de Azángaro, Negreigos, 121. 1890. In-16. Pag. 468.

2. Instrucción sobre el Oficio Divino y algunas nociones de cómputo eclesiástico. Con licencia de la autoridad eclesiástica. — Lima, Tipografia Católica, Calle de Azángaro, Negreiros, 121. 1890.

3. Lira Religiosa Americana. — Esta preciosa colección de cánticos sagrados á dos y tres voces, con acompañamiento de órgano y harmonio.

Un ejemplar en rústica vale 3 soles; en percalina, 3,50: 12 ejemplares en rústica, 30 soles; en percalina, 36.

Colección de versos de dichos cánticos en cuaderno á 20 centavos.

4. Nociones de Música, en nueve lecciones para uso de los establecimientos de instrucción. A 25 centavas ejemplar y 2 soles 50 centanos docena.

5. Canticos para los niños, al entrar y salir de la escuela. Música y verso ocupan una elegante hoja de 4 páginas que se expende á 5 centavos.

6. Cantoral ó sea colección de himnos, antifonas, etc., en canto llano para uso de las comunidades religiosas y parroquias, 80 centavos.

7. Via Crucis. — Tan recomendable por la redacción de las estaciones y cántico puesto en música, como por los 14 hermosos cromos que adornan la obrita. Vale 40 centavos el ejemplar y 4 soles la docena.

8. Excelencias y deberes del estado religioso para instrucción de novicias y profesas y otras personas que desean tomar este estado. Dos tomos en rústica á un sol sesenta centavos.

Constituciones Generales de la Orden de los Frailes Menores Revisadas y Aprobadas por el Capitulo General celebrado en Roma el Año de 1889, en el Colegio de San Antonio de Padua y publicadas por mandado y autoridad del Rmo Padre Fr. Luis de Parma, Ministro General de toda la Orden. Traducidas al Castellano por disposicion del M. R. P. Fr. Isidoro M. Camacho, Comisario General de la misma Orden Serafica, en toda la República Mexicana, con licencia de la Autoridad Ecclesiástica. — Querétaro, Imp. de Luciano Frias y Soto, Flor-baja núm. 12. 1891.

Fr. Liévin de Hamme, Min. Rec. — Guide Indicateur des Sanctuaires et Lieux historiques de la Terre-Sainte par le Frère Liévin de Hamme, Franciscain résidant à Jérusalem. Troisième édition revue, augmentée et accompagnée de cartes, de plans et de vues. — Jérusalem. Imprimerie des PP. Franciscains. 1887. Droits de traduction et de reproduction réservés. In 16. Vol. III.

P. Piatus Montensis, Min. Cap. — Praelectiones Juris Regularis ad usum FF. Minorum Ordinis S. Francisci Capucinorum Provinciae Belgicae. Auctore F. Piato Montensi, Ex-Provinciali Ord. FF. Minor. S. Francisci Capucinorum Prov. Belgicae. *Tomus secundus.* — H. et L. Casterman, Summi Pontificis et Episcopatus Tornacensis Typographi: Tornaci, 1890. In 8, pag. 561. Parisiis: Libraria internat. cathol., via vulgo Bonaparte, 66. Lipsiae: apud L. A. Kittler, Mandatarium, via Sternwartenstrasse, 46. — Pretium L. 5.

VI.

NECROLOGIA

Fr. Joannes Baptista Migliore die 22 Maji anni currentis, 1891, in Conventu S. Antonii Fabariae, Provinciae Observantium Vallis Mazariae in Sicilia, omnibus Sacramentis piissime refectus cum fama sanctitatis obiit, quae optandum foret ut judicio Ecclesiae aliquando confirmaretur.

In oppido Oris-falci ad tria milliaria ad occidentem Panormi natus humilibus catholicisque parentibus Joanne Baptista et Josepha Lo-Piccolo, Baptismate ablutus 19 Novembris 1822, nomen ei fuit Joseph-Salvator. Egregiam sortitus indolem, specialique gratia a Deo vocatus, statim apparuit.

Puerulus licet pascendis capellis addictus, meditationi tamen ac Virginis Rosarii recitationi vacare non destitit, persaepe flexis genibus, semperque devotione summa ac pari innocentia et puritate. Non raro dum ita ageret accidit, ut irrequietus grex nonnullorum praedia damnificaret; hoc domini aegre ferentes, incensi, in Josephum Salvatorem debacchari contendunt, quem vero totum inter orandum reperientes, lenes, confusi et ipsi ignoscentes redibant.

Factus sui juris, venumdatis capris, vitam Minorum Observantium, quam ab initio concupierat capessere statuit. Quapropter anno circiter 1851, ad vicinum Baidae S. *Joannis* Baptistae Conventum adit, Ministrum Provincialem et Definitorem Generalem Benedictum La Vecchia rogaturus ut vocationi suae faceret satis. Cui Minister: Quanto tempore tibi vocatio ista? At ipse, elevatis tantisper oculis in caelum, respondisse fertur: « Antequam nascerer ». Huic admirandae responsioni iterum Minister: « O alter S. Joannes Baptista hic! » Statim inter ejusdem Conventus oblatos cooptatus, dein comes datur laicis professis optime probis (1), in eleemosynas pro Conventu Baidae colligendas Panormi. Qua humilitate, qua sui abnegatione et aliis submissione, qua patientia et hilaritate in irrisionibus, contemptibusque nonnullorum sustinendis, qua caritate omnibus praesto esset, facile non est dictu, factus magistrorum exemplar. Tempus quod ei supererat in Ecclesiis coram SS. Sacramento, praesertim ubi ad publicam adorationem inveniebat expositum, per plures horas immobilis supra genua erectus cernebatur, mi-

(1) Fratri Bonaventurae a Sicari et Fr. Dominico a Cinisi, qui adhuc in solitudinis Conventu Baidae octogenarius conversatur inter vivos.

scens dulcia colloquia lacrymis; prorsus a sensibus alienus ita CHRISTO intime conjunctus, ut ab eo divelli nisi obedientiae vi poterat. Spectaculum hujusmodi Panormitani cives adhuc testantur, quibus quinque fere annis in illo humili officio ob oculos fuit. Dignus propterea qui anno 1856 die 8 Decembris inter Novitios Laicos admitteretur.

Anno vero 1858 mense Januario solemnia vota nuncupanda tamquam Sponsus ad regales Agni Nuptias cucurrit. Hinc vigilias, jejunia, flagella, cilicia, multiplicare visus est. Legem statuit, corpori suo nullam requiem concedere, nulla nisi ex obedientia medicamina adhibere, licet valetudine infirma. Dum corpus in servitutem redigebat, spiritui libera relaxabat frena ad Majestatem contemplandam, sui paupertatem, CHRISTI Domini cruciatus et in peccatores amorem. Pro istis exorabat quamferventissime, nec quisquam benefactorum, vel eorum qui sibi commendabantur ab ejus oratione effugiebat. Vitam perpetuo in CHRISTO absconditam ita agebat, ut Angelus merito diceretur in carne mortali.

Lege Cadorniana, anno 1866, in Siciliam saeviente, kalendis Novembris ejusdem anni, Fr. Joannes Baptista Franciscalia insignia extrinsecus commutare quamvis coactus, intrinsecus attamen habitum non mutavit, splendidioribus auxit imo et corporis poenitentiis et spiritus ascensionibus. Porro Ecclesiis inserviendis, sub veste Clericorum saecularium se addicit Panormi, jugi sui mortificatione, supplicationeque DEI iram placare, flagella suspendere studebat.

Cum primum audit restaurari Cameratae 1882 Conventum, eo convolat, Seraphici Patris indumenta resumpturus, dein Fabariae ad novum ibi Observantium Conventum S. Antonii vocatus permansit: DEO ita disponente, ut hinc inde odor virtutum servi sui multos aedificaret, et CHRISTO lucrifaceret. Paupertatem ita coluit, ut nihil sibi retinere voluerit, nec quae pro suo usu oblata fuissent, viliora indumenta ut sibi pretiosiora reputabat. Constitutam ei post suppressionem ad mortem usque a pio ac nobili benefactore Panormitano quamdam assignationem pro sustentatione, nunquam quaesivit. Sine obedientiae merito nec minimum opus incipere assuetus, ea fretus ad omnia paratus ac potens inveniebatur, ipsumque Apostolatum caritatis alacriter suscepit. Ac proinde in afflictis sublevandis, rudibus in doctrina christiana et pietate, tum domibus, tum in agris, magnam diei partem consumebat, eo exitu, ut ab eo omnes spiritum reciperent et vitam, eo zelo, ut ipse in eis vivere et ipsi in eo viderentur. Quotidie a devotis Fabariae Dominis ad prandium invitatus, ne voluntati Superioris resisteret, adesse eum oportebat. Sed tanta erat ejus modestia, ciborum parsimonia, tanta caelestium sermocinatio, et praesentium dulcedo, ut potius ceteri recreari ejus conversatione tenerentur. Coronabatur prandium Coronae Beatissimae Virginis recitatione cum commensalibus in aliquo Oratorio domi, ipso praeeunte. Contemplatio animaeque elevationes ita jam ipsi habituales factae sunt, ut amplius nullo temporis momento ab eis distrahi pateretur.

Lacessitus tandem, poenitentia gravibusque fractus doloribus, nullum invenit solatium nisi in recolendis doloribus Amoris Crucifixi. Mortem praesentiens, vultu hilari Fratribus nuntiavit, quam pretiosissimam obtinuit inter dulcissima JESU et MARIAE nomina. Universus populus Fabariensis ceu verum benefactorem et patrem parentatus est. Fere sex millia comitabantur cadaver ad publicum coemeterium. Alii eum lugebant, alii invocabant. Indumenta in reliquias prorsus surripuissent, nisi voce Superioris continerentur. Una erat omnium confessio: « Mortuus est Sanctus; Sanctus mortuus est! »

Novem et sexaginta annorum aetate cursum consummavit (1).

R. I. P.

Adm. R. P. BONAVENTURA A SORIANO, Ref. Prov. septem SS. Martyrum Ex-Provincialis et Custos, dilectus DEO et hominibus,

(1) In libris qui supersunt Baidae et in praeteritis catalogis Provinciae ponitur baptismus Fr. Joa. Baptistae ad annum 1832. Sed occasione hujus Necrologiae extracta attestatione Baptismi ex Arch. R. Paroeciae Altarelli, ad quam pertinet Oppidum Oris-falci, Joseph-Salvator (qui modo Joseph tantum, modo tantum Salvator dicebatur) baptizatus contestatur anno millesimo octingentesimo vigesimo secundo, 1822.

annos 65 natus, duro morbo patienter tolerato, et Ecclesiae sacramentis rite susceptis, in Coenobio ab ipso in suburbio Tropeae aedificato, cum plangore universali ad IX. kalendas Julias hujus anni, hanc terram reliquit et in caelum evolavit.

Ipse in saeculo Antoninus de Nardo vocatus, Soriani, Mileti dioecesis die 17 Aprilis an. 1826 ex honestis parentibus ortus est, et usque ad an. 20 domi commoratus est; cum sortitus esset animam bonam, fallacis undas saeculi declinans, religionem Min. Reformat. in Conventu Badulati, mense Octobri 1846, cum summo gaudio animae suae, amplexus est. Tyrocinio jam expleto, mense Novembri 1847, professionem emisit. Postea, sacerdotio initiatus, in secretarium a duobus Ministris Provincialibus selectus fuit, usquedum an. 1867 ipsemet in ministrum Provincialem, cum gratulatione omnium, electus fuit, et usque ad an. 1890 confirmatus est.

Raro ingenio, prudentia, omnique doctrina praeditus, de salute hominum sollicitus, zelo Dei succensus, pluribus annis, cum magno lucro animarum, maxime in cathedralibus Ecclesiis verbum Dei disseminavit, et quamvis, heu! per suppressionem ab claustris exturbatus, attamen nunquam praedicationem intermisit; et per an. 20 Tropeae in privata domo, sicut passer solitarius in tecto, sancte et laboriose vixit.

De venia Superiorum, Deo ita volente, Coenobium dirutum Patrum Capucinorum prope Tropeae civitatem emit, propriis magnisque sumptibus a fundamentis refecit, et religioni legavit. Religiosos vocavit fratres, ecclesiam magnifice exornavit, et ampliavit.

Sed de charitate ejus quid proloqui? Ipse Deum amabat et proximum. Cum timore et tremore incolatus sui Deo servivit, et in ipso proximis; ideoque esurientibus et indigentibus quotidie panem frangebat, quotidie verbum divinum et Sacramenta, maxime Poenitentiae, cum omni sedulitate petentibus administrabat. Verba salutis nemini subtrahebat, et opera misericordiae omnibus inculcabat.

Pluries congregationem tenuit, semper cum hoste pugnavit, donec refulsit dies, quo meritis plenus, Deus ab exilio in patriam evocavit.

Exuviae vero mortalitatis suae, magna turba populi comitante, Eccmo Dmo jubente Episcopo, ab aede sanitatis, in Cathedralem, humili feretro, more religiosorum, translatae fuere, ut ibi animam parentarent.

R. I. P.

Fr. Michael de Montesantangelo, Laicus Prof. Obs. Prov. S. Angeli in Apulia, ortus est die 3 Aprilis 1826.

Ab anno 1861 addictus servitio Terrae Sanctae, in Commissariatu Neapolis eleemosynarum colligendarum munus maxima sollicitudine ac solertia explevit. Optimis moribus praeditus, omnibus, Superiori praesertim, erat acceptissimus. Ejus religiosae virtutes eluxerunt maxime in infirmitate quae ipsius obitum antecessit. Etenim, jampridem hydropisi correptus, hujus molesti ac diutini morbi incommoda constanter patienterque tulit. Morbo ipso ingravescente, die solemnitati Corporis Christi sacro se omnibus expoliari voluit et postea refici Sacramentis, quibus devotissime susceptis, vi morbi aliquantulum remissa ita convalescere coepit, ut sanationis spes omnibus affulserit.

At quadraginta post dies, novo ac inopinato casu morbus ipse ita recruduit, ut imminentis mortis prodromi clare paterent. In tali statu suam animi quietem minime amittens, oculos ad caelum continuo levabat divinum implorans auxilium; cum voces emittere vix posset, manus protendebat versus Crucifixum, quem sibi traditum fervidis osculis replere non desistebat. Demum post haec et alia suae sincerae devotionis necnon contritionis indicia, sero diei 8 Julii 1891, Religiosis omnibus adstantibus, flentibus, orantibus, mortem justorum oppetiit, quam vere pretiosam in conspectu Domini fuisse evidentia signa ostenderunt.

R. I. P.

Nihil obstat

Fr. Aloysius, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

Septembris 1891.

SUMMARIUM: I. ACTA ROMANO-SERAPHICA: *Epistola SS. Domini nostri* LEONIS XIII *ad episcopos regni Lusitani.* — E S. C. Episcop. et Reg.: *Decretum quo deputatur in Hispania novus Vice-Com. Apostolicus.* — E S. C. Indulgentiarum: *Quoad Tertiarios saeculares sejunctim ab aliqua Congregatione receptos.* — E S. C. Propagandae Fidei: *Vicariatus Apostolicus Hu-pe meridionalis in Sinis Recol. Prov. Belgii confiditur.* — II. ACTA ORDINIS: *Capitula Provincialia hoc anno celebrata.* — *Synopsis Indulgentiarum (Continuatio).* — III. MISSIONES: *Status Custodiae Terrae Sanctae anno 1890.* — *Capitula Collegiorum.* — IV. BIBLIOGRAPHIA. — V. NECROLOGIA.

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
LEONIS
DIVINA PROVIDENTIA
PAPAE XIII
EPISTOLA

AD ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS
REGNI LUSITANI

DILECTIS FILIIS NOSTRIS
JOSEPHO SEBASTIANO
S. R. E. CARD. NETO
PATRIARCHAE OLISSIPONENSI
AMERICO S. R. E. CARD. DOS SANTOS SILVA
EPISCOPO PORTUS CALENSIS
AC VENERABILIBUS FRATRIBUS
ANTONIO ARCHIEPISCOPO BRACARENSI
ALIISQUE ARCHIEPISCOPIS
ET EPISCOPIS LUSITANIAE

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII NOSTRI,
VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Pastoralis vigilantiae, qua ad tuendam fovendamque religionem vires intenditis, novum ac praeclarum Nobis argumentum praebuit conventus illustris Bracarae Augustae nuper actus, quem feliciter absolutum renunciavit Nobis gratissima epistola ab iis ex Vobis data qui in eo consessu adfuere. Equidem in ea perlegenda delectati sumus tum zelo et sedulitate Pastoris civitatis quae congredientes excepit, quippe qui rei gerendae praecipuus auctor fuit coetuique sic praefuit ut optatos haberet exitus, tum studiis et pietate Antistitum qui sese eidem adjunxere socios, vel graves misere viros vice sua perfuncturos in ea congressione, tum denique frequentia ingenti lectissimorum hominum e clero populoque fideli, doctrina, virtute et auctoritate praestantium. — Eo gratior autem conventus iste Nobis accidit quod mira fuerit animorum consensio in iis decernendis quae conferrent summopere ad Ecclesiae amplitudinem et rei catholicae profectum. Neque reticere volumus, inter alia quae opportune scita sunt suffragiis concordibus pro temporis locique ratione, non mediocre Nobis attulisse solatium ea capita quae devotam prorsus huic Apostolicae Sedi declarabant voluntatem coëuntium et studium quo flagrant, ut debitus illi pro dignitate habeatur honor, neve quid de majestate et juribus ejus minuatur.

Bona profecto Nobis spes inest fore ut ea quae conscita in eo coetu et constituta

sunt, quum naviter constanterque peracta fuerint, largam effundant salutarium fructuum ubertatem; at facere non possumus quin memoremus amplam adhuc prostare segetem quae operam poscit et industriam vestram. Ob eam rem etsi non ita pridem datis litteris Vos alloquuti sumus de statu rei catholicae ejusque necessitatibus in Lusitano regno deque ratione ineunda ut iis commode prospiciatur, placet tamen iisdem litteris nonnulla adjicere, quae pretium esse ducimus communicare Vobiscum, ne, quum ultro oblata Vobis sit scribendi occasio, videamur segniter officio Nostro defuisse.

Haud vos praeterit, dilecti filii Nostri, Venerabiles Fratres, quod Bracarensi coetui optime compertum fuit, eo deventum esse ut fides ipsa apud plures in discrimen vocetur, adeoque cavendum pro viribus sit ne ignorantia vel socordia ex animis excidat aut elanguescat, sed curandum ut haereat alte defixa cordibus et in bonis operibus cultuque virtutum laetam gignat copiam et dulcedinem frugum optimarum. Certandum est adversus conatus hostium veritatis ne latius serpat mala labes quae ex eorum exemplis, pravisque doctrinis passim effusis promanat. Multa sunt consananda vulnera, quae istorum labor improbus et calamitas temporum gregibus intulit curationi vestrae commissis, multa sunt excitanda quae jacent, multae adhuc animas fidelium premunt necessitudines, quas, si penitus tolli nequeunt, leniri saltem oportet.

Haec, quae, uti diximus, curas flagitant et industriam vestram plenius et commodius effici poterunt si arctior in dies inter sacrorum Antistites concordia fiat, eorumque sit conjunctior in necessitatibus cleri et fidelium explorandis, in conferendis iis, quae communiter visa fuerint expedire cum singularum dioecesium rationibus, tum iis quae latius patent et altius eminent, quippe quibus gentis universae prosperitas et salus continetur. Arctioris hujus consociationis inter sacrorum Antistites opportunitas minime latuit eorum prudentiam qui Bracaram Augustam convenêre: quare probatissima Nobis ea scita fuerunt illustris coetus quae ad hanc conjunctionem fovendam spectabant, per quam fidelis populus ampliora expectat eaque diuturna benefacta a praesulibus suis, quibus ducibus et rectoribus utitur.

Atqui ad summam hanc diuque duraturam conjunctionem afficiendam nihil praestabilius est more et instituto in aliis regionibus jam recepto, ut praeter congressiones quibus etiam laici fideles intersunt (cujusmodi coetus Bracarensis fuit) agantur quotannis peculiares Episcoporum conventus, quem morem penes vos etiam induci et Vobis in votis esse novimus et Ipsi magnopere optamus, quum bona ejus ope religioni parta, multiplici et constanti eluceant experientiae testimonio. Sane ex hujusmodi conventuum frequentia primum ea sequitur, quam diximus, summa consensio et consociatio virium, quae una magnis inceptis faustos dare potest exitus, tum coëuntium Antistitum magis magisque incenduntur ad agendum animi, confirmatur fiducia, collustrantur mentes collatis luminibus communicatis. Ad haec per hosce coetus sternitur via quodammodo cum ad dioecesanas et provinciales habendas Synodos, tum ad cogendum nationale concilium, cujus celebrationem Vobis in optatis esse magnopere gaudemus, eam namque diuturna experientia utilitatis e similibus praegressis captae vehementer suadet, et sacrorum canonum praescripta majorem in modum commendant. Porro ex annuis, quos diximus Antistitum conventibus illud etiam optimum sequitur ut laici fideles novis veluti stimulis admotis alacrius gradientes ea quam iniere via pergant et ipsi conventus agere, consilia conferre, junctisque viribus conniti ad communem tuendam religionis causam, ac dicto audientes Pastoribus suis ea studiose peragere quae ab ipsis docentibus et cohortantibus exceperint. Neque vero congredientibus Vobis in coetibus annuis negotiorum copia defutura est, quibus vos oporteat studium operamque navare. Nam praeter peculiaria negotia quae forte in singulis dioecesibus inciderint, quaeque rectius expediri potuerint adhibitis communis experientiae luminibus, amplam praebebit segetem prudentiae et consultationi vestrae deliberatio et constitutio eorum quae maxime profutura sint ad incendenda sacerdotum studia qui modo operantur in vinea Domini, atque ad alumnos excolendos quos enitere aliquando oportebit in Domo Dei, solidae scientiae lumine, germani spiritus

ecclesiastici laude, omni demum sacerdotalium virtutum ornatu. Item paternam vigilantiam vestram exercebit diligens inquisitio eorum quae plurimum conferant ut fidei rudimentis populus recte imbuatur, eisque corrigantur mores, ut scripta vulgentur quae sanam doctrinam serant, et virtutum germina foveant, ut opera instituantur quae benefacta caritatis effundant, et quae jam condita sunt novis floreant incrementis. Gravissimum denique argumentum deliberantibus Vobis datura erit opportunitas constituendi recipiendique in Lusitano regno religiosas sodalitates, cujus rei perjucunde vidimus summam fuisse curam omnibus qui Bracarae Augustae congressi sunt. Scilicet haec sodalitia non modo auxiliares quasi copias suggerent clero qui in dioecesibus vestris sacram CHRISTI militiam colit, sed etiam, quod plurimi est, sufficere poterunt Apostolicos viros qui sacrarum missionum obeant ministerium in regionibus transmarinis Lusitanae ditioni subjectis. Hujus autem perfunctio muneris cum ad amplificandum CHRISTI regnum in terris erit profutura, tum ad Lusitani nominis ornamentum et decus. Sane perennem adepti sunt gloriam Principes et majores vestri, quum, amplis quae latuerunt regionibus detectis, evangelicae doctrinae lumen una cum politiori humanitatis cultu, favente ac juvante Apostolica Sede, iis attulere. Verum ut praeclaris hisce inceptis sua constet natura et vis, neque ea a pristina gloria et stabilitate decidant, nitantur oportet constanti praesidio et virtute praestantium virorum, qui divino spiritu oppleti et contra adversos acatholicorum conatus obnitentes, studium omne suum et operam conferent ne omnino intercidant, sed novo indito vigore reviviscant ea bona quae in eas oras e Lusitana regione fluxerunt. Horumce virorum erit contendere ut qui jam crediderunt in DEUM confirmentur in fide; hanc qui firmiter tenent, prae se ferant etiam honestate morum, religionis cultu, summa in servandis officiis diligentia, demum ut qui jacent adhuc in tenebris sese ad cognitionem veri DEI et ad evangelii lucem accipiendam convertant.

Jamvero plures hujusmodi viros sancto flagrantes zelo large praebere poterunt religiosae sodalitates quorum alumni, prudentium virorum judicio, cui aetatum omnium suffragatur experientia, non minus feliciter quam laboriose perfungi consueverunt hoc ministerio salutis. Hos enim cum societatum quibus addicti sunt ratio et disciplina, tum sua cujusque virtus constanti exercitatione exculta tanto pares operi prae ceteris solet efficere.

Nobis profecto persuasum est fore ut Lusitanum Gubernium prona excipiens aure consilia vestra eaque bona plurimi faciens quae ceteris antecellunt, ultro amoliatur obices omnes qui religiosarum sodalitatum libertatem intercipiunt, ac potestate sua faveat studiis vestris quae eo spectant ut pleno robore vigeat lateque floreat cum avita gloria catholica religio in Lusitania locisque omnibus ditioni ejusdem adjectis.

Hanc autem persuasionem eo facilius induimus quod jam neminem latet, prout et vobis compertum est, quaenam Nostra sint hac super re consilia et vota. Haec scilicet, dum ad religionis bonum feruntur, intendunt pariter solidam Lusitanae gentis prosperitatem. Hoc enim munus, hae partes Ecclesiae a divino Conditore datae sunt ut in communi hominum societate vinculum pacis sit et salutis praesidium. Quare nihil detrahit Ecclesia de potestate eorum qui civitatibus cum imperio praesunt, illam imo tuetur ac roborat, dum legibus ab ea manantibus sanctionem religionis addit, debitam magistratibus observantiam inter officia a DEO imposita recenset, commonet cives ut a seditione et quavis rei publicae perturbatione abstineant, docet omnes virtutem colere et munia sedulo obire quae cujusque statui et conditioni cohaerent. Est itaque Ecclesia morum magisterium optimum cujus salutaris disciplina cives praestat probos, honestos, pios in patriam, fideles principibus iisque addictissimos, tales demum qui publici civitatum ordinis stabile firmamentum constituant, iisque vires praebeant invictas ad ardua quaeque et praeclara aggredienda facinora. Eapropter rei publicae salubriter utiliterque consulitur quum Ecclesiae sinitur ea uti agendi libertate quam jure vindicat, eique amice via sternitur ut late explicare beneficas vires suas et omnem quo praedita est instructum in commune bonum valeat adhibere.

Quae quidem sententia licet ad gentes omnes pertineat, aptissime tamen cadit in Lu-

sitanum populum, penes quem catholica religionis pars tanta fuit jampridem in fingendis hominum moribus et ingenio, in fovendis scientiarum, litterarum et artium studiis, in inflammandis animis ad egregia quaeque domi militiaeque gerenda, ita et videatur quasi parens et altrix divinitus data ad pariendum fovendumque quidquid in ea gente enituit humanitatis, dignitatis et gloriae.

Fusius hac de re vobiscum egimus in memoratis litteris encyclicis quas dudum ad vos dedimus: hoc unum modo praestat recolere, religionis vim et virtutem nullum pati interitum, quia ea quae tradit principia doctrinae, Deo auctore, nullis temporum locorumve finibus coërcentur, quippe ad salutem et solatium pertinent populorum omnium. Quare ea beneficia maxima, et valida praesidia quae alias attulit praenobili genti vestrae potis est adhuc praestare ad ejus salutem, prosperitatem et decus. Hoc praesertim tam iniquo tempore, quo tanta est animorum infirmitas vel perturbatio ut oppugnentur audacter, nedum in incertum revocentur, summa principia quibus humanae societatis ordo et tranquillitas continentur, nemo est quin intelligat quam necesse sit religionis uti praesidio et sanctis quae ab ea traduntur praeceptis ac documentis.

Convenit enimvero inter cordatos omnes honestosque viros nullum certius esse aptiusque remedium adversus mala, quibus nostra premitur aetas et pericula quae impendent, quam doctrinam catholicam, si integra excipiatur et incorrupta, eumque teneant homines vitae cursum qui ad normam ejus exigatur.

Quamobrem non ambigimus, Dilecti Filii Nostri, Venerabiles Fratres, quin eo quo praestatis pastorali zelo, animi vi et constantia manum admovere properetis operi quod Vobis commendavimus. Ita Vobis agentibus erit summae laudi justaeque gratulationi quod optime mereri potueritis de religione, cui studetis summopere, ac de patria et gente vestra, cui vehementer optatis non minus quam cupimus Ipsi, ut constet immota tranquillitas et cuncta ex sententia procedant.

Deum interea adprecantes ut Vos suis muneribus cumulet et vestra propitius incepta secundet, Apostolicam benedictionem, paternae caritatis testem Vobis, Clero et fidelibus vigilantiae vestrae concreditis, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXV Junii anno MDCCCLXXXXI, Pontificatus Nostri decimo quarto.

LEO PP. XIII.

—

E S. CONG. EPISC. ET REGULARIUM

N. $\frac{13297}{13}$

DECRETUM

Quo deputatur novus in Hispania Vice-Commissarius Apostolicus.

Attentis difficillimis conditionibus in quibus Regulares Ordines post eorum civilem suppressionem in Hispania versabantur, Sancta Sedes in eam sententiam devenit ut eorumdem regimini per Apostolicos Commissarios Religiosos ipsius nationis provideret. Hinc factum est ut anno 1884 Decreto S. Congregationis Episcoporum et Regularium Patrem Franciscum Saenz de Orturi ad Vice-Commissarii munus Fratrum Minorum de Observantia et Reformatorum S. Petri de Alcantara et Tertii Ordinis S. Francisci ad nutum et beneplacitum S. Sedis nominaverit atque deputaverit cum omnibus facultatibus, quibus antea Vicarii generales fruebantur.

Cum praelaudatus Religiosus vir ad Sedem Episcopalem Pacensem electus fuerit atque inde vacaverit munus Vice-Commissarii Apostolici, SSmus Dominus Noster Leo Papa XIII in Audientia habita ab infrascripto Domino Secretario S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 29 Maji 1891, ad idem munus pariter ad nutum et beneplacitum S. Sedis dignatus est deputare atque constituere Patrem Seraphinum Linares, Ex-Provincialem in Insulis Philippinis et Definitorem Generalem, cum facultatibus hujusmodi Vice-Commissariis Apostolicis in Hispania competentibus. Constitutionibus Apostolicis ac proprii Ordinis aliisque contrariis etiam speciali ac individua mentione dignis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 1ª Junii 1891.

L. ✠ S.

J. Cardinalis Verga, *Praefectus.*
Fr. Aloysius Epus Callinicen., *Secretarius.*

—

RESPONSUM

S. C. INDULGENTIARUM

Quoad Tertiarios saeculares ad Tertium Ordinem sejunctim admissos, quin ad aliquam Congregationem pertineant.

Beatissime Pater,

A saeculis imo a tempore S. Francisci usus invaluit ut Episcopi, Sacerdotes, Nobiles et plebeji a Sacerdotibus Franciscanis vel aliis facultatem habentibus privatim et sejunctim admittantur ad habitum et professionem Tertii Ordinis Saecularis S. Francisci, quin ad aliquam Congregationem pertineant. Auctores hac de re tractantes, censent quidem praeferendum esse ut Tertiarii, qui possunt, alicui Congregationi adscribantur eique statutis diebus interveniant propter commoda spiritualia quae inde consequuntur, simul tamen admittunt vestitiones et professiones privatim factas esse validas et hanc sententiam Superiores majores Ordinis S. Francisci etiamnum tuentur. Post constitutionem *Misericors* Dei *Filius* nonnulli Sacerdotes Archidioecesis Mechliniensis hac de re dubitare coeperunt et subest periculum ut ex hac incertitudine zelus amplectendi Tertium Ordinem paulatim tepescat, praesertim apud Sacerdotes qui Ordini adscripti Congregationi interesse raro possunt. Quapropter sequens dubium S. Congregationi enodandum proponitur: Utrum valida sit vestitio et professio ejus, qui a Sacerdote habente facultatem sejunctim ad Tertium Ordinem Saecularem S. Francisci admittitur quin alicui Congregationi adscribatur.

Quam gratiam etc.

S. C. Indulgentiis et Reliquiis praeposita respondit: *Affirmative.*

Die 14 Julii 1891.

S. J. Card. D'Annibale, *Praef.*
† A. Archiepiscopus Nicopol., *Secret.*

—

E S. C. PROPAGANDAE FIDEI

DECRETUM

Quo Vicariatus Apostolicus Hu-pé meridionalis in Sinis Recollectae Provinciae Belgii confiditur.

Cum Pater Minister Generalis Ordinis Sancti Francisci exposuerit ad majus Religionis bonum ac animarum salutem conferre, si Vicariatus Apostolicus Hu-pé occiduo-meridionalis (1) in Sinis curae Recollectae Provinciae Sancti Josephi in Belgio committeretur, ac proinde Sacrae Congregationi de Propaganda Fide, de consensu etiam Revmi Benjamini Christiaens, Vicarii Apostolici et Episcopi Colophoniensis, hac super re supplices preces exhibuerit, re mature perpensa, diligenterque rationibus consideratis, quibus supplicatio innititur, precibus dicti Ministri Generalis adnuitur, ac exinde praefatus Vicariatus sollicitudini Provinciae Recollectae Sancti Josephi in Belgio confiditur.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. de Propaganda Fide, die 24 Augusti anno 1891.

Signatum: Joannes Card. Simeoni, *Praef.*
† Jgnatius, Archiep. Tamiathen. *Secret.*

II.

ACTA ORDINIS

—

CAPITULA PROVINCIALIA
hoc anno celebrata.

XXV.

Ref. Prov. Insubriae.

Die 12 Augusti 1891 in Conventu S. Francisci prope Amenum rite celebratum est Capitulum, Adm. R. P. Irenaeo a Torcenio, Definitore Gli. Visitatore et Praeside. In quo quidem electi sunt:

Minister Provincialis

R. P. Bonaventura a Silvano Orbae.

(1) Ex telegrammate habito die 7 mensis Septembris decurrentis residentia tam Missionariorum quam Sororum Franciscalium Missionariarum Mariae hujus Vicariatus in I-tchang-fu, a rebellibus Sinensibus igni tradita fuit; omnes tamen fuga salvari potuerunt.

CUSTOS

A. V. P. Desiderius a Castronovo.

DEFINITORES

A. V. P. Lucas a Massino.
A. V. P. Aegidius a Clastidio.
A. V. P. Ludovicus a Trobasco.
A. V. P. Dominicus a Cameri.

XXVI.

Ref. Prov. Bononiae.

Die 13 Augusti 1891 in Conventu S. Pauli in Monte prope Bononiam, Praeside Rmo P. ALOYSIO A PARMA, Min. Gli, rite celebratum est Capitulum, in quo electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

R. P. Ferdinandus a Broni.

CUSTOS

R. P. Desiderius a Bononia.

DEFINITORES

R. P. Aloysius a Placentia.
R. P. Raphaëlangelus a Faventia.
A. V. P. Petrus Dominicus a Bononia.
A. V. P. Gulielmus a Mutina.

XXVII.

Ref. Prov. S. Vigilii.

In Conventu S. Bernardini C. ad Tridentum die 19 Augusti 1891 rite celebratum est Capitulum, Adm. R. P. THOMA A VALLIBUS DOMINORUM Visitatore et Praeside. Electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

R. P. Seraphicus a Vallearsia.

CUSTOS

R. P. Constantinus a Cimbria.

DEFINITORES

R. P. Pacificus a Mohena.
A. V. P. Ludovicus a Varineano.
A. V. P. Valerianus a Fundo.
A. V. P. Marcellus a Tassullo.

XXVIII.

Obs. Prov. Bononiae.

Die 20 Augusti vertentis anni in Conventu SS. Annuntiatae de Parma, rite celebratum est Capitulum Provinciale Obs. Prov. Bononiae, Praeside Rmo P. ALOYSIO A PARMA, Ministro Generali Ordinis nostri, et canonice electi sunt:

MINISTER PROVINCIALIS

R. P. Seraphinus de Fresonara.

CUSTOS VOCALIS

R. P. Archangelus de Vigarano.

DEFINITORES

A. V. P. Cherubinus de Castellucio.
A. V. P. Hyacinthus de Cantalupo.
A. V. P. Gabriel de Nemore.
A. V. P. Eustachius de Brisighella.

—

SYNOPSIS INDULGENTIARUM

IN COMMODUM FRATRUM ORDINIS NOSTRI

CAPUT II.

§ II.

DE NONNULLIS INDULGENTIIS PERSONALIBUS IN PARTICULARI.

Absolutio Generalis.

(Continuatio)

108. Ut ea quae supra diximus, clariora ac firmiora evadant, maxime juvat nonnullas authenticas decisiones hic afferre.

Moniales Clarissae civitatis Massiliensis in Gallia haec exposuerunt S. C. Indulgentiarum:

« Ferraris (Bibliot. Canon. v. *Indulg.)* ait: Ex concessione Leonis X (Clarissae) possunt consequi plenariam absolutionem et indulgentiam, ac insuper papalem Benedictionem quater in anno, diebus quibus maluerint, et traditur formula (nos eam transcribere omittimus. Jacet ibi art. V n. 66).

« Item ex concessione ejusdem Leonis X possunt consequi plenariam Absolutionem et Indulgentiam in omnibus solemnitatibus seu festis DOMINI Sabaoth, et B. M. Virginis, omniumque Sanctorum, et Apostolorum Petri et Pauli, ac S. P. Francisci, et S. Clarae, et per totam majorem hebdomadam, ac insuper in festo S. Catharinae Virginis et Martyris, et traditur formula (hanc etiam formulam, modo abrogatam et suppressam, nos omittimus. Jacet

apud Ferraris loc. cit. n. 67). Hucusque praedictus Auctor, de quibus enixe quaeritur:

1.° An gratiae praedictae sint adhuc annexae his formulis, non obstante Bulla Pauli V de Indulgentiis Regularium?

Resp. *Affirmative, excepta Indulgentia plenaria pro vivis.*

2.° An retineri vel introduci possit usus illas impertiendi?

Resp. *Affirmative juxta modum ut in primo.*

3.° An per festa DOMINI Sabaoth intelligenda sint: Nativitas, Circumcisio, Epiphania, Pascha, Ascensio, Pentecostes, et etiam festum Trinitatis, et SS. Corporis CHRISTI?

Resp. *Affirmative juxta consuetudinem.*

4.° An per festa B. MARIAE Virginis intelligenda sint: Purificatio, Annuntiatio, Visitatio, Assumptio, Nativitas, Praesentatio, et Conceptio?

Resp. *Affirmative juxta consuetudinem.*

5.° Quia de priori formula dicitur quod debeat recipi de consensu Confessarii, an sufficiat ut Abbatissa illam ab eo expostulet quibusdam diebus ante, nomine Sororum?

Resp. *Affirmative.*

6.° An Confessarius, et Capellanus qui non esset Confessarius, possint illas impertire ex delegatione Ordinarii, cui Clarissae subjiciuntur?

Resp. *Affirmative.* — (Decr. 12 Martii 1855)

109. Ex datis responsionibus certum est igitur:

a) Privilegium concernens Absolutiones generales et Benedictionem papalem adhuc subsistere, non obstante Bulla Pauli V, *Romanus Pontifex.*

b) Indulgentias hujusmodi Absolutionibus et Benedictioni annexas, animabus tantum Purgatorii (loquendo de Regularibus) esse applicabiles.

c) Benedictionem apostolicam, quam quater in anno ex privilegio accipere possunt Religiosi et Religiosae Ordinis S. P. N. Francisci, esse ad eorum libitum *quoad dies* pro ea impertienda et recipienda.

d) Distincte scimus, quibus festivitatibus Absolutiones generales impertiri possunt.

e) Certi sumus, retineri vel introduci posse usum illas impertiendi.

f) Exhibetur norma kalendaristis nostri Ordinis pro adnotandis in kalendario diebus, quibus dare liceat praefatas absolutiones generales.

110. Item ex concessione Sixti Pp. IV Fratres et Moniales Ordinis S. P. N. Francisci, *semel in vita et semel in articulo mortis* accipere possunt Absolutionem generalem, et plenariam suorum peccatorum remissionem consequi; et hoc etiamsi ante factam professionem decedere contigerit (Ferraris loc. cit. n. 65. Cfr. etiam Rescript. auth. n. 49).

111. Meminerint Fratres nostri sequentis concessionis: Leo Pp. X concessit Monialibus S. Clarae omnes gratias et indulgentias, quibus gaudent Fratres Minores, et vicissim Fratribus illas, quae a Romanis Pontificibus concessae sunt Monialibus (Ita Rescr. auth. loc. cit. n. 46). — Idem dicendum de Sororibus Tertii Ordinis cum votis substantialibus idest solemnibus (Cf. Ferraris n. 65, 66 etc.).

112. Vi Constitutionis MISERICORS DEI FILIUS, *Tertiariis Saecularibus* Ordinis S. Francisci « *qui admissorum confessione ritu christiano expiati, sacram Eucharistiam sumpserint, et ad mentem ipsius Pontificis* DEO *aliquandiu supplicaverint, jus est accipiendi Absolutionem generalem, hoc est Benedictionem cum Indulgentia plenaria, per hos dies qui infra scripti sunt:*

1.° Natali D. N. JESU CHRISTI: 2.° die solemni Paschatis Resurrectionis: 3.° die solemni Pentecostes: 4.° in festo SS. Cordis JESU: 5.° item Immaculatae Conceptionis B. M. Virginis: 6.° S. Josephi sponsi ejus, die 19 Martii: 7.° Impressionis SS. Stigmatum Francisci Patris, die 17 Septembris: 8.° S. Ludovici Regis Galliarum, Patroni caelestis salutaris Sodalium ex Tertio Ordine, die 25 Augusti: 9°. S. Elisabeth Hungariae, die 19 Novembris.

113. Praefatae Absolutioni generali pro *Tertiariis* adnexa est Indulgentia plenaria applicabilis tam pro vivis, quam pro defunctis (Decr. 22 Martii 1879, ad 9. et 10. apud Decr. auth. n. 444).

114. Benedictiones cum Indulgentia plenaria (Absolutiones generales nuncupatae) *publice impertiendae,* dari debent ab ecclesiastico viro, qui Tertiariis in id coadunatis praeest (Caeremoniale Tertii Ord. S. Francisci a S. Rit C. approb. die 18 Jun. 1883, art. 8. et 9).

Benedictiones vero cum Indulgentia plenaria *privatim et immediate post sacramentalem Absolutionem* dari possunt ab uniuscujusque Tertiarii Confessario (Decr. 10 Jun. 1886 apud Acta Ord. Ann. V fasc. xii).

115. Quaesitum est: An poenitens in sacramentali Confessione suscipiat illico Indulgentiam, pronuntiato verbo « *impertior* », an vero haec suspensa maneat, donec ipse ad sacram Synaxim accedat?

S. C. Resp. *Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam, si Communio est postremum opus ex injunctis, quod expletur* (Decr. eod.).

116. Quoniam dies, quibus *Absolutio* seu *Benedictio cum Indulgentia plenaria* (pro Tertiariis saecularibus) fuit adnexa, non omnes festi de praecepto sunt, quibus proinde Tertiarii saeculares haud facile in Ecclesias convenire possunt, ceteraque praestare, quae ad *Absolutionem* seu *Benedictionem* rite accipiendam fuerunt constituta, SS. D. N. Leo Pp. XIII clementer indulsit, ut praefati Tertiarii, si forte legitima causa impediantur, quominus Ecclesias adeant, *Absolutionem* seu *Benedictionem* diebus adsignatis, qui profesti sunt, accepturi, eamdem *Absolutionem* seu *Benedictionem* accipere valeant aliquo die festo de praecepto, qui infra octavam eorumdem profestorum dierum occurret, dummodo cetera exequantur, quae pro rite accipienda *Absolutione* seu *Benedictione* praescripta sunt. Praesenti *in perpetuum* valituro etc. (Decr. 16 Jan. 1886. Vid. Acta Ord. Ann. V fasc. 11).

Benedictio Apostolica super populum.

117. Clemens XIII per suam Constitutionem « *Inexhaustum Indulgentiarum thesaurum* » sub die 3 Sept. 1762, omnibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis concessit facultatem solemniter impertiendi, *duabus anni solemnitatibus, nimirum Paschate Resurrectionis* Domini, *alioque die festo solemni,* eorum respective arbitrio designando, *Benedictionem Apostolicam* populo in Ecclesia congregato. Idem concessit, *sed semel in anno tantum,* Praelatis inferioribus, mitrae et Pontificalium usum, territoriumque separatum cum vera qualitate *Nullius Dioecesis* habentibus. Quam tamen facultatem Episcopi et Praelati debent postulare (Vid. Constit. apud Decr. auth. Append. n. VII, vel apud Ferraris, verb. *Benedictio* n. 63).

Quinam ritus sit adhibendus et quaenam formula a dictis Episcopis et Praelatis pro impertienda Benedictione, una cum plenaria Indulgentia *post Missarum solemnia* (quod est tempus praefinitum), in memorata Bulla vel in Caeremoniali Episc. videri potest.

118. In ritu et formula Benedictionis papalis praescribitur inter cetera, ut legantur Litterae Apostolicae ad hoc concessae, ante benedictionem impertiendam, atque etiam post benedictionem impertitam publicetur latino et vernaculo idiomate concessio plenariae Indulgentiae. Mos autem in Ecclesia Lemovici a multis annis est, ut lectio Litterarum Apostolicarum supprimatur, ne diutius populus in Ecclesia retineatur; loco vero Litterarum Apostolicarum legitur latino et vernaculo idiomate formula: *Attentis facultatibus* etc., ut de delegatione constet. Episcopus Lemovicensis modo quaerit:

An hic ritus et forma sufficiat ad lucrandam Indulgentiam plenariam? S. C. Resp. *Ritum et formam, de quibus in precibus, attenta rationabili causa supra exposita, revera sufficere ad lucrifaciendam Indulgentiam Apostolicae Benedictionis,* dummodo per formulam: *Attentis facultatibus* etc. fidelibus constet, ex Pontificia delegatione tantum impertitam fuisse (Decr. 30 Junii 1840).

119. Benedictio Papalis impertiri nequit bis in die (S. R. C. Decr. 1 Sept. 1790, apud Aloysium Adone).

120. Indulgentia plenaria occasione Benedictionis solemnis ab Episcopis impertiri solitae in aliquibus diebus solemnioribus (nomine Summi Pontificis) *suspenditur in Jubilaeo universali* (Decr. 22 Dec. 1824).

121. Sacrae Congregationi Indulgentiarum propositum fuit dubium, quod hic ad litteram transcribimus:

Titius suum habet domicilium prope plateam, ubi quibusdam solemnioribus anni diebus coadunatur populus pro Papali Benedictione accipienda, quam Episcopus dioecesanus solet impertiri. Idem Titius per fenestras domus suae, quae plateam respiciunt, accipit praefatam Benedictionem simul cum tota familia et nonnullis extraneis, qui hac de causa ad praedictam

domum accedunt. At vero, cum Moniales ejusdem loci in monasterio non longe distanti ab ipsa platea degentes, Apostolicam dispensationem impetrarunt pro dictae Papalis Benedictionis consequutione, dubitatur a Titio:

Utrum ipse quoque dispensatione indigeat, an potius in plateam descendere sit obligatus?

S. C. respondit: Titius ejusque familia, necnon et omnes, qui apud ipsum actu inveniuntur, habita ratione localitatis ipsius, vere praesentes considerandi, et Indulgentiam, quae in Episcopali benedictione populo impertitur, reapse consequuntur; minime vero Moniales, quae etiamsi non longe distent, tamen *ut absentes ex earum localitate merito sunt habendae* (Decr. 7. Jan. 1839).

122. Fratres et Moniales Ordinis Minorum S. P. N. Francisci consequi possunt ex concessione Leonis Pp. X, ut jam diximus n. 106 et 108, *Benedictionem Papalem quater in anno,* diebus quibus maluerint.

123. *Tertiariis* autem *Saecularibus,* juxta Constitutionem *Misericors* Dei *Filius* SSmi D. N. Leonis Pp. XIII sub die 30 Maji 1883, *bis tantum in anno* impertiri potest, et quidem *non singulis Tertiariis separatim, sed Congregationi adunatae,* neque a quolibet Sacerdote, sed ab eo qui Congregationi praeest, cum ipsi intelligatur commissa facultas impertiendi Benedictionem nomine Summi Pontificis (Caeremoniale Tertii Ordinis).

124. Item Benedictio Apostolica nunquam impertiri potest eodem die et in eodem loco, ubi Episcopus eam impertit (S. R. C. 7 Maji 1882).

125. Certum est, nonnullis Ordinibus Regularibus ex speciali privilegio concessam fuisse facultatem, pro certis anni solemnitatibus, effundendi super populum, Romani Pontificis nomine, Apostolicam Benedictionem. Constat ex Bulla « *Inexhaustum Indulgentiarum thesaurum* » ubi Summus Pontifex Clemens XIII, dum revocat omnia *particularia* indulta usque tunc elargita Sacerdotibus sive saecularibus sive regularibus, impertiendi populo Pontificiam Benedictionem, vult tamen *salvas et illaesas praeservare hujusmodi facultates aliquibus regularibus Ordinibus jam concessas.*

126. Regulares facultate ipsis a S. Sede concessa dandi Pontificiam Benedictionem, uti dumtaxat possunt *in Ecclesiis suorum Conventuum,* non autem in Ecclesiis Monialium tam Ordini quam Ordinario loci subjectarum, neque in Ecclesiis, in quibus Confraternitates Ordinum suorum sunt erectae (Decr. 4 Febr. 1754).

127. Ad formam supradictae Constitutionis Clementis XIII non manet facultas nomine Summi Pontificis benedicendi populo *Concionatoribus die postrema Quadragesimae,* necnon aliis Sacerdotibus Ordinum Regularium pro exercitiis spiritualibus sive Missionibus (Decr. 6 Nov. 1764).

128. Attamen Sacerdotibus tum saecularibus tum regularibus *supplicantibus,* conceditur aliquando facultas impertiendi populo Papalem Benedictionem in fine quadragesimalis praedicationis, vel spiritualium exercitiorum sive Missionum, adjecta conditione ut qui Indulgentiam plenariam lucrari cupiunt, quemdam concionum numerum audire debeant.

129. Quae sint observanda occasione Benedictionis Apostolicae, habentur descripta in Rituali Romano et etiam in Rituali nostro Franciscano. Praecipue admonendus est populus de Indulgentia a S. Sede concessa, de praeceptis operibus pro ea lucrifacienda, quae ordinarie sunt *Confessio, Communio, Ecclesiae visitatio et preces,* de die quo visitanda est designata Ecclesia, et de hora qua dabitur Pontificia Benedictio.

Coadunato in Ecclesia populo, alta voce legantur Apostolicae litterae seu Decreta, quibus Indulgentia conceditur, una cum potestate Benedictionem apostolicam super populum effundendi, ut de delegatione audientibus constet; et concessio ex latino sermone in vulgarem conversa pronuncietur. Brevi sermone excitetur populus ad suorum scelerum detestationem; post quae Sacerdos, *nullis circumstantibus ministris, stola et superpelliceo indutus,* ante altare genuflectitur, et ibi ea peragit quae in Rituali Romano praescribuntur.

130. Ad lectorum notitiam et eruditionem innuere volumus praecipua capita, quae continentur in Litteris Encyclicis Benedicti XIV, *Exemplis Praedecessorum.* Hujusmodi Litterae datae sunt ad Superiores Generales Ordinum, quibus praescribitur ritus impertiendi Pontificiam Benedictionem super populum, servandus a Regularibus eorum Ordinum, quibus facultas

hujusmodi, statis diebus, a S. Sede indulta fuit. Formula et normae pro impertienda praefata Benedictione, prout jacent in Rituali Romano, desumptae sunt ex eisdem Litteris Encyclicis. — Sequentia igitur breviter indicamus:

1.° Nonnullis familiis Regularium permissum est, ut Monasterii Praeses, vel alius Sacerdos a P. Provinciali designandus, populo congregato Summi Pontificis nomine Benedictionem statis diebus impertiret.

2.° Nullus unquam ritus ad hanc rem peragendam praescriptus fuit.

3.° Ritus enim, qui Urbani VIII probatus asseritur, ad eam Benedictionem, de qua est sermo, minime pertinet, sed illam complectitur, quae, aliqua urgente legitima causa, populis et agris tribui consuevit, et pro qua certus Delegatus apostolicus semper constituitur etc.

4.° Cum haec ita sint, tamen Summus Pontifex Benedictus XIV deprehendit, quemdam ritum temere et inconsulto excogitatum esse pro supradicta Benedictione Pontificia invocativa:

5.° Nam simplex Sacerdos in medio Altaris collocatus, ministris circumadstantibus, et sacris indumentis ornatis, trinam benedictionem populo impertit, et alia plura gerit, quae enumerare hoc loco supervacaneum Pontifex existimavit.

6.° Postea laudatus Pontifex de *Benedictione super populum* historice tractat.

7.° *Benedictio super populum,* ait ipse, solemnis est, eamque in quacumque orbis terrae parte Romanus Pontifex elargiri potest; Episcopus autem in sua Dioecesi et locis ipsius etiam exemptis; Archiepiscopus in sua Provincia et locis ejus exemptis eamdem exercere valet potestatem... Abbatibus praefata facultas conceditur in Ecclesiis, quae ipsis plene subjiciuntur, modo tamen Apostolicum privilegium ad id necessarium obtinuerint; quo sane uti nequeunt, nisi postquam Sacrum solemne aut Vesperas in Ecclesia peregerint. Nam *populo in via passim occurrenti benedicere ipsis non licet,* nisi id clare in eodem privilegio declaretur.

8.° Simplex ergo Sacerdos nequit benedictionem super populum elargiri.

9.° Modo tamen eidem Sacerdoti permittitur, *postquam divinum Sacrificium absolvit.*

10.° Dictum est: *modo permitti:* si enim sacram antiquitatem inquiramus, neque id presbytero licitum olim fuisse cognoscemus... Etsi quidem in usu semper fuerit, ut, re divina peracta, populus ab Ecclesia benedictione dimitteretur; id tamen non a Sacerdote celebrante, sed vel ab Episcopo, si praesens aderat, vel, si aberat, ab Archipresbytero ejus jussu praestabatur.

11.° Ast, temporum decursu, contraria praevaluit disciplina, quae Sacerdoti celebranti potestatem fuit *benedictionem super populum in fine Missae effundendi.* Haec benedictio, ait Bellotus, ad Missae perfectionem pertinet hodie, sine qua fas non est ab incepto Sacro recedere, nec jure queat populus ante ipsam benedictionem Ecclesiam egredi.

12.° Ergo hodie simplex Sacerdos post ea verba: *Ite Missa est; jure suo* dimittit populum eique benedicit, sive absit, sive intersit Episcopus; ea tamen lege, ut, si intersit et in sua sit Dioecesi, ad eum prius se convertat, eique caput inclinet, veluti facultatem populo benedicendi postulans; quod ab eodem Sacerdote praetermittitur, si Episcopus Missae intersit, sed extra suam Dioecesim versetur.

13.° Cum jam perspectum sit, quo tempore et loco simplex Sacerdos populo possit *jure suo* benedicere, necessario consequitur, nullam aliam benedictionem *super populo* ab ipso impertiri licite, nisi *jure delegato.*

14.° Hujus naturae, nempe *juris delegati,* est *benedictio Apostolica* de qua agitur, quae cum unice concedatur per delegationem Apostolicam, « Nostrum est omnino, ait praelaudatus Summus Pontifex, ritum praescribere, quem inferius pro norma in posterum servanda subjiciemus, quo sane uti volumus ac decernimus eos Ordines Regulares, sive Mendicantes, sive non Mendicantes, Monasticos vel Clericorum Regularium, quibus Nos ipsi, vel Praedecessores Nostri, vel futuri Romani Pontifices facultatem tribuendae populis benedictionis permiserint ».

15.° Exinde Pontifex gradum facit ad normas statuendas quae in impertienda *Benedictione Apostolica* observari debent, formulamque praescribit omnino a Regularibus usurpandam in hujusmodi sacra functione peragenda, quae omnia inveniuntur in Rituali Ro-

mano, et de quibus supra n. 129 aliquid nos tetigimus.

16.° Tandem mandat Summus Pontifex, ut Sacerdos ad impertiendam Pontificiam Benedictionem delegatus, stans in cornu epistolae, *non trina, hoc est triplici signo Crucis, sed una benedictione, uno videlicet signo Crucis, benedicat, proferens alta voce haec verba :*

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. ℟. Amen.

Trina siquidem benedictio Episcopo competit, non Sacerdoti. Etiam Abbates usu Pontificalium praediti, ritu solemni celebrantes, trinam benedictionem impertire possunt; quod iisdem penitus interdicitur, cum rem divinam privatim conficiunt. Haec sunt potiora, quae continentur in memoratis Litteris Encyclicis « *Exemplis Praedecessorum* » editae sub die 19 Martii 1748. Qui eas cupit integre perlegere, adeat Bullarium vel Decreta auth. Appendix n. XVI.

Benedictio cum Indulgentia plenaria in articulo mortis.

131. Ut lectoribus clarius pateat dispositio Ecclesiae circa Apostolicam Benedictionem fidelibus in articulo mortis constitutis impertiendam, praecipua puncta adnotamus, quae Summus Pontifex Benedictus XIV in sua celebri Constitutione *Pia Mater,* edita sub die 9 Aprilis 1747, docuit ac decrevit; eo prorsus modo, quo id fecimus de altera ejusdem Pontificis Constitutione, *Exemplis Praedecessorum.*

En igitur potiora, prout ad rem nostram faciunt.

1.° Facultas impertiendi Benedictionem cum Indulgentia plenaria fidelibus in articulo mortis constitutis, ante Benedictinam Constitutionem *Pia Mater* Episcopis concedi consuevit per privatas Epistolas Secretarii Brevium *ad triennium proximum,* et hac lege, ut quilibet Episcopus uteretur *per se ipsum immediate,* vel quatenus Episcopum suffraganeum haberet, *per Dominum suffraganeum suum;* nec, *nisi necessitate urgente, et quidem nocturno tempore,* alium Sacerdotem in singulis peculiaribus casibus subdelegare posset. Quo vero *ad Moniales,* ordinarii eorum Confessarii opera in eum finem uteretur.

2°. Hanc porro facultatem, prout in hujusmodi Litteris concedebatur, Ecclesiarum Pastores jamdudum judicarunt angustiis nimium limitibus circumscriptam ; non solum ob breve triennii spatium ipsi praefinitum, verum etiam quia, propter relatas leges circa illius usum praescriptas, ab hujusmodi Indulgentiae plenariae beneficio excludi videbant plerosque fideles sibi subjectos, praesertim vero eos, quos extra ipsorum residentiae locum, et in remotis dioecesum regionibus infirmari contingeret.

3.° Ut his incommodis mederetur, S. Congregatio Indulgentiarum non semel egit *pro ampliatione facultatum* in memoratis Epistolis contentarum, idque dum Summus Pontifex Benedictus XIV in minoribus esset constitutus. Ob tamen specialia adjuncta, res in priori statu relicta fuit.

4.° Cum autem doctissimus Prosper Lambertini in Collegium S. R. E. Cardinalium fuerit cooptatus, indeque ad regendam Episcopalem Anconitanam Ecclesiam se contulisset, ex qua biennio post ad Metropolitanam Bononiensem fuit translatus; ipso statim usu et propria experientia, in eas incidit difficultates, quae a se, dum esset pariter in minoribus, propositae fuerant S. Congregationi : animadvertit scilicet, ob interdictam Episcopis praefatae facultatis subdelegationem, omnes plerumque dioecesis habitatores hoc tanto spirituali beneficio in extremo vitae momento orbatos manere.

5.° Ad summum Pontificatus apicem evectus, Benedictus XIV, sua perpetuo valitura Constitutione, *Pia Mater,* novas in hac materia regulas praefinire constituit. *Decrevit scilicet :*

a) Ut facultates impertiendi benedictionem cum Indulgentia plenaria fidelibus in articulo mortis constitutis, ab Episcopis tunc existentibus jam obtentae, sive ad triennium dumtaxat, sive ad aliud definitum tempus, in suo robore manerent, *quoad iidem Antistites Dioecesum regimen obtinebunt.*

b) Ut tam Antistitibus ad aliarum Ecclesiarum regimen translatis, quam novis Episcopis, qui catholicis gregibus in posterum praeficientur, dictam facultatem *postulantibus,* Apostolicae Litterae in forma Brevis gratis per omnia expedirentur, eisque memorata facultas

concederetur *non ad triennium, sed ad omne tempus, quo adeptum semel Ecclesiae regimen obtinebunt.*

c) Tam Episcopis tunc propriam Dioecesim habentibus, quam illis qui in posterum catholicis gregibus praeficientur, concessit facultatem subdelegandi tam pro civitate quam pro Dioecesi absque distinctione temporis, nocturni vel diurni, alios pios Sacerdotes sive saeculares, sive regulares, prout necessarium fore judicassent.

d) Easdem facultates indulsit Praelatis inferioribus territorium separatum habentibus, cum vera qualitate *Nullius* et activa in Clerum et populum jurisdictione; dummodo et ipsi has gratias postulent, sacra Apostolorum limina praescriptis temporibus visitent, relationem status Ecclesiarum sibi subjectarum Apostolicae Sedi exhibeant etc.

e) Declaravit, hujusmodi Indulta nequaquam morte concedentis expirare, quum jurisdictio delegata in iis, quae non justitiam, sed gratiam concernunt, etiam post obitum delegantis manere debeat.

f) Decrevit etiam, praefatas subdelegationes per subdelegantis cessum aut decessum, similiter non expirare, sed potestatem Sacerdotibus tributam perseverare usque ad superventum novi Praesulis, cujus arbitrio relinquitur, eosdem in hujusmodi officio confirmare vel ab eo removere.

g) Hinc 1.° Summo Pontifice decedente, Antistites, qui memoratam facultatem jam obtinuerant, opus non habent pro illius confirmatione ad Apostolicae Cathedrae Successorem recurrere.

Hinc 2.° cedente vel decedente Episcopo seu Praelato, a quo eadem facultas in sua dioecesi aut territorio subdelegata fuerat, nova concessione opus non erit pro temporaneo Vicariorum Capitularium aut Apostolicorum regimine; quum subdelegatorum auctoritas semper manere debeat, quamdiu vel Episcopus ipse, aut Praelatus, vel illius successor eamdem ipsis non ademerit.

h) Declaratum tamen voluit praelaudatus Pontifex Maximus, non id propositum sibi fuisse, ut Episcopos sive Praelatos prorsus eximeret ab hoc paternae charitatis officio, per seipsos adeundi miseros aegrotos, plenariae absolutionis in extremo articulo adipiscendae cupidos; imo hortatur, ut quoties Praesules legitime impediti non fuerint, exercere gaudeant per semetipsos tam pium opus, non tantum erga nobiliores et potentes hujus saeculi, sed erga pauperes quoque et abjectae sortis homines.

6.° Postea Summus Pontifex, Sacerdotibus qui fideles in extremo agone laborantes pie adjuvant, vel Ecclesiae Sacramenta ipsis ministrant, mandat ut in mentem illis reducant, quid ad consequendam Indulgentiam agere debeant, atque omni ratione studeant moribundos fideles excitare *ad novos* de admissis *doloris actus eliciendos, concipiendosque ferventissimae in* Deum *charitatis affectus; praesertim vero ad ipsam mortem aequo ac libenti animo de manu Domini suscipiendam.* « Hoc enim praecipue opus in hujusmodi articulo constitutis, imponimus et injungimus, verba sunt Pontificis, quo se ad plenariae Indulgentiae fructum consequendum se praeparent atque disponant ».

7.° Cum autem pro impertienda moribundis praefata Benedictione applicandaque ipsis plenaria Indulgentia, *nulla certa formula* olim praescripta fuerit, et Benedictus XIII anno *1726* pias quasdam preces et orationes ad hunc effectum adhibendas publicari mandaverit, Benedictus XIV *aliam de novo formulam* in Constitutione, de qua est sermo, magis congruentem confecit, *quam ab omnibus in posterum usurpari praecepit.* Quae formula una simul cum respectiva rubrica, cum reperiatur in Rituali tum Romano tum Seraphico, necnon in Diurnalibus nostri Ordinis, supervacaneum ducimus hic eam transcribere. Si quis integram Constitutionem perlegere cupit, adeat Bullarium Romanum, vel Decreta auth. in Append. n. XV.

132. Fideles in articulo mortis constituti possunt *variis titulis* lucrari plures Indulgentias cum partiales tum plenarias, etiam sine Sacerdotis ministerio, videlicet:

1.° Si possideant *res sacras,* v. g. cruces, numismata, coronas, apostolicis Indulgentiis ditatas.

2.° Si gestent aliquod scapulare approbatum, cui fuerit applicata Indulgentia.

3.° Si sint Sodales alicujus Ordinis religiosi vel Confraternitatis, puta, SS. Rosarii.

4.° Si frequenter in vita elicuerint actus virtutum theologalium etc.

5.° Si devote receperint benedictionem cum aliqua imagine vel reliquia, quibus privilegio apostolico adnexa fuerit Indulgentia pro articulo mortis.

Si Indulgentiae adnexae sint rebus sacris, e. g. crucifixo, coronae etc. requiritur ut aegrotus has res secum, vel prope lectum habeat, quamvis eas nec videat, nec tangat, et *SS. Nomen* Jesu tot vicibus invocet (si hoc praescribitur) quot sunt Indulgentiae lucrandae (Cf. S. Alph. lib. VI. n. 534).

133. Optima proinde et valde commendanda fidelibus est praxis, qua quisque mortis horam frequenter animo recogitans, non solum adprecetur Deum ut sit propitius in aeternitatis transitu, sed etiam propositum saepe renovet recipiendi, quantum in se est, in illo extremo momento, omnia Religionis subsidia omnesque, quoad licet, Indulgentias.

134. Inter Indulgentias quae, adveniente supremo migrationis die, per ministerium Sacerdotis lucrifieri possunt, maxime eminet *Benedictio Apostolica,* seu absolutio Generalis, de qua plura adhuc dicenda sunt.

135. Ad hanc Indulgentiam *valide* impertiendam duo requiruntur *ex parte Sacerdotis*: *1.° Ut sit ad hoc delegatus: 2.° Ut adhibeat formulam a Benedicto XIV praescriptam,* quae si omittatur, etiam ob libri deficientiam, Indulgentia non confertur, quia formula non est tantum directiva, sed praeceptiva (Decr. 5 Febr. 1841, et 22 Martii 1879). Praefata formula igitur est omnino observanda *sub nullitatis poena.*

136. *Ex parte infirmi* haec de regula generali et juxta tenorem Benedictinae Constitutionis requiruntur:

a) Intentio, saltem interpretativa, lucrandi Indulgentiam, ut patet ex verbis Rubricae. Dicitur enim, eam impertiendam esse illis « *qui vel illam petierint... seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis* ».

b) Ut infirmus sit confessus ac sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus *Nomen* Jesu ore, si potuerit, sin minus corde devote invocaverit (Ita in Brevibus ad Episcopos expeditos).

c) Actus contritionis et charitatis (Constit. *Pia Mater).*

d) Actus, quo aegrotus mortem aequo ac libenti animo de manu Domini suscipiat, ut constat ex memorata Constitutione. Notant Auctores, *rem prudentiae esse,* adhortationem in Rituali Romano praescriptam ita observari et moderari, ut aegroti perturbatio vel adstantium indignatio evitetur. Hujusmodi adhortatio liberius et commodius fieri potest praecipue in Confessione.

137. Rubrica Ritualis Romani dicit « Benedictio in articulo mortis *cum soleat impertiri post Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae, et Extremae Unctionis* ». His verbis indicatur tum tempus magis congruum, tum praxis quae ordinarie observatur in dicta Benedictione moribundis impertienda, nisi tamen necessitas urgeat, aliudque expostulet.

138. *Invocatio saltem mentalis* SS. Nominis Jesu, de qua fit mentio in Brevibus ad Episcopos de hac Benedictione missis, praescribitur, quamdiu aegrotus suae mentis est compos, *ut conditio sine qua non,* ad Indulgentiam vi istius Benedictionis lucrandam (Decr. 23 Septembris 1775).

139. Indulgentia plenaria in articulo mortis *cunctis petentibus* est concedenda (Decr. 23 Apr. 1675).

140. Eamdem Indulgentiam lucrantur etiam *simpliciter contriti* (ideo neque confessi, neque SS. Communione refecti), nisi Pontifex in sua concessione Confessionem, vel aliud simile requirat (Decr. eod.).

141. Ad formam Bullae Benedicti XIV, Benedictio in articulo mortis cum applicatione Indulgentiae plenariae potest, si sit periculum in mora, concedi tum valide, tum licite, iis qui etiam culpabiliter non fuerunt ab incepto morbo Sacramentis refecti vel Poenitentiae, vel Eucharistiae, vel Extremae Unctionis, vel nullo horum, subitoque vergunt ad interitum (Decr. 23. Sept. 1775).

142. Indulgentia plenaria in articulo mortis, accipitur *in vero tantum mortis articulo, non in praesumpto* (Decr. 23 Apr. 1675). Praesumptus articulus *sive periculum mortis* esset in eo, qui periculosae navigationi se committeret, vel aliquod opus sive actionem esset peracturus, cui periculum inest amittendi vitam.

143. Benedictio in articulo mortis cum applicatione Indulgentiae *semel tantum in eodem*

statu morbi, etsi diuturni, impertiri potest. Potest autem pluries impertiri, si infirmi convaluerint, ac deinde quacumque de causa in novum mortis periculum redeant (Decr. 23 Sept. 1775, et 24 Sept. 1838).

144. Non potest infirmus, in eodem mortis articulo, pluries lucrari Indulgentiam plenariam in articulo mortis *a pluribus Sacerdotibus* facultatem habentibus impertiendam (Decr. 5 Febr. 1841 in una Valentinen.).

145. Hac resolutione praejacta, duo sequentia dubia proposita sunt enodanda Sacrae Congregationi Indulgentiarum:

1.° Utrum vi praecedentis resolutionis *prohibitum sit,* infirmo, in eodem mortis periculo permanenti, impertiri pluries ab eodem vel a pluribus Sacerdotibus hanc facultatem habentibus, Indulgentiam plenariam in articulo mortis, quae vulgo *Benedictio Papalis* dicitur?

2.° Utrum vi ejusdem resolutionis *item prohibitum sit,* impertiri pluries infirmo in iisdem circumstantiis ac supra constituto, Indulgentiam plenariam in articulo mortis a pluribus Sacerdotibus hanc facultatem *ex diverso capite* habentibus, puta, ratione aggregationis Confraternitati SS. Rosarii, sacri Scapularis de Monte Carmelo, SS. Trinitatis etc.

S. C. resp. *Affirmative ad utrumque,* firma remanente resolutione in una Valentinen. sub die 5 Febr. 1841 (Decr. 12 Martii 1855).

146. Item, non licet Benedictionem Papalem iterare, eo quod aegrotus eam acceperit in statu peccati mortalis, vel relapsus fuerit in peccatum, vel Extremam Unctionem aut absolutionem denuo receperit (Decr. 20 Jun. 1836).

Nec pariter Benedictio apostolica reiterari potest, quoties aegrotus, in peccata saltem venialia relapsus, ab eis absolvitur (Decr. 12 Febr. 1842).

147. Notentur resolutiones dubiorum, quae sequuntur:

1.° Utrum Benedictio Apostolica cum Indulgentia plenaria in articulo mortis dari possit post collata extrema Sacramenta, quum periculum quidem mortis adest, *non tamen imminens?*

S. C. Resp. *Affirmative.* — Quam responsionem *ex rei natura* pro omnibus aegrotis Christifidelibus, in mortis periculo constitutis, valere dixerunt Emi Patres (Decr. 19 Dec. 1885). Hujusmodi enim dubium propositum fuit a Missionariis.

2.° An Benedictio cum Indulgentia plenaria, juxta Const. Benedicti XIV, *Pia Mater,* impertienda sit *pueris,* qui defectu aetatis primam Communionem necdum instituerunt?

Resp. *Affirmative* (S. R. C. 16 Dec. 1826 apud Collectanea S. Sedis).

3.° Utrum Indulgentia plenaria in articulo mortis concedi possit *damnatis ad mortem,* dum ad illam subeundam ducuntur, vel eadem die qua eam subituri sunt?

Resp. *Affirmative, cum fieri poterit* (S. C. de Prop. Fid. 10 Aug. 1841 apud Collectanea S. Sedis).

148. Juxta Constit. Benedictinam, *Pia Mater,* Episcopus *subdelegare potest ad Benedictionem Papalem* cum Indulgentiae plenariae applicatione in articulo mortis, suis dioecesanis impertiendam, unum vel plures Sacerdotes saeculares aut regulares, *quotquot pro numero animarum necessarios esse prudenter judicaverit.* Nunc consultius est, si subdelegatio fiat singulis *speciatim et in scriptis* (Decr. 23 Nov. 1878).

149. Potest Episcopus subdelegare omnes Parochos speciatim ruri degentes, non autem *omnes suae Dioecesis Confessarios* (Decr. 23 Sept. 1775).

150. Quoad *Moniales,* facultas ipsis impertiendi Benedictionem in articulo mortis spectat ad solum ipsorum Confessarium ordinarium (Decr. 23 Sept. 1775).

151. In impertienda Benedictione cum Indulgentia plenaria in articulo mortis debet recitari, juxta praxim et rubricas, *Confiteor,* licet recitatum jam sit in praecedenti Sacramento Poenitentiae, nisi necessitas urgeat (Decr. 5 Febr. 1841).

152. Item, necesse est tribus vicibus recitare *Confiteor* etc. quando administratur Viaticum, Extrema Unctio, ac Indulgentia in mortis articulo impertitur, et hoc juxta praxim et rubricas (Decr. eod.).

(Continuabitur)

III.

MISSIONES

—

STATUS

Custodiae et Missionum Terrae Sanctae a die 1 Januarii usque ad finem Decembris anni 1890.

Conventus		9
Hospitia		36
Ecclesiae		41
Sanctuaria		45
Sacella		35
Sacerdotes	Missionarii	58
	Non Missionarii	109
Clerici		31
Laici		145
Novitii	Clerici	7
	Laici	5
Tertiarii		52
Postulantes		17
	Universim	424
Famuli		116
Interpretes		24
Operarii		124
Parochiae		31
Succursales		9
Domus pro egenis		437
Familiae indigentes		923
Individui ipsarum familiarum		4297
Orphani		260
Eleemosynae	in materia	87224
	in pecunia	31295.85
Catholici	Ritus Latini	79243
	Aliorum Rituum	1893
Baptismi	Puerorum	1688
	Adultorum	16
Abjurationes		41
Reconciliationes		24
Matrimonia		407
Defuncti		1329
Scholae	Puerorum	37
	Puellarum	14
Magistri	Religiosi	48
	Saeculares	67
Magistrae	Religiosae	21
	Saeculares	10
Alumni	pueri	2576
	puellae	959
	Tot.	3535
Peregrini		8376
Dies eorum mansionis		24689
Expensae pro seipsis		98756

Summarium secundum nationes.

Sacerdotes Missionarii:	
Ex Italia	26
Ex Gallia	4
Ex Hispania	4
Ex aliis nationibus	12
Ex Custodia T. S.	12
	58
Sacerdotes non Missionarii:	
Ex Italia	34
Ex Gallia	13
Ex Hispania	27
Ex aliis nationibus	11
Ex Custodia T. S.	24
	109
Clerici professi:	
Ex Italia	8
Ex Gallia	3
Ex Custodia T. S.	20
	31
Novitii Clerici:	
Ex Custodia T. S.	7
Laici Professi:	
Ex Italia	55
Ex Gallia	12
Ex Hispania	23
Ex aliis nationibus	20
Ex Custodia T. S.	35
	145
Novitii Laici:	
Ex Custodia T. S.	5
Tertiarii	52
Aspirantes	17

—

CAPITULA COLLEGIORUM APOSTOLICORUM IN AMERICA.

VI.

Collegii de Cuzco in Peruana Rep.

Die 4 Junii currentis anni, praeside R. P. Josepho Vidal, Commissario Generali

celebratum est Guardianale Capitulum dicti Collegii, in quo quidem electi prodierunt:

GUARDIANUS

R. P. Leonardus Diaz.

DISCRETI

A. V. P. Antonius Laurel.
A. V. P. Ignatius Leturia.
A. V. P. Bernardinus Jsasi.
A. V. P. Pacificus Ibieta.

VII.

Collegii Arequipae in Peruana Rep.

In Capitulo hujus Collegii, praeside praelaudato Commissario Generali Adm. R. P. JOSEPHO VIDAL die 30 Junii, electi sunt:

GUARDIANUS

R. P. Marianus Alguin.

DISCRETI

A. V. P. Elias Pasarell.
A. V. P. Joannes Marti.
A. V. P. Antonius Larrea.
A. V. P. Aloysius Bouroncle.

V.
BIBLIOGRAPHIA

P. AUGUSTINUS A SIGNA, Min. Ref. — La Beata Giovanna di Signa, vergine romita, Terziaria francescana, con l' aggiunta di un triduo in onore della medesima. — Firenze, Tipografia editrice di A. Ciardi 1891. In 16 pic. di pag. VIII-141. Prezzo L. 0,50.

P. JACOBUS LARDANI, Min. Obs. — Due viaggi del Padre Giacomo Lardani in Bolivia insieme con altri Missionari. — Firenze, Tipografia di E. Ariani, Via Ghibellina 53-55. 1891. In 16 di pag. 99.

P. ILLIDIO J. V. DA COSTA. — Breves soliloquios da Alma com S. José, divididos em 31 visitas, triduo e novena: dedicados a Nossa Senhora do Loreto, pelo P. J. C. de Llevaneras, Capuchinho. Versào do castelhano pelo P. Illidio J. V. da Costa, Capellào honorario da S. Basilica do Loreto. — Recanati: Typographia R. Simboli. 1890. In 24. Pag. 73.

J. L. S. — Veracidade das Trasladaçoès da S. Casa do Loreto, confirmada pela Tradiçào: pelo P. J. C. de Llevaneras da Ordem dos Capuchinhos: Traduzida do latim por J. L. S., Alumno de Theologia do Seminario do Porto. — Recanati: Typographia R. Simboli. 1889. In 24. Pag. 157.

P. PAULUS MARIA, Min. Obs. — Cérémonial Romano-Séraphique à l' usage des Frères Mineurs de l' Observance de la Province de St. Louis Evêque. — Vanves, (près Paris) Imp. Franciscaine Missionnaire, 16, Route de Clamart 1891. In 16. Pag. VI-404. (Pret. 3 Franc. 50).

P. ROBERTUS RAZZÒLI, Min. Obs. — La novella Chiesa di San Leone Magno presso Firenze e l' arte Cristiano-Italica. — Quaracchi presso Firenze. Tipografia del Collegio di S. Bonaventura. 1891.

UFIZI E PRECI che sogliono recitare le Terziarie francescane, povere figlie delle sacre Stimate. — Quaracchi, Tipografia del Collegio di S. Bonaventura 1891. In 16 di pag. XXIV-519.

VI.
NECROLOGIA

Medio telegrammate die 5 vertentis mensis Septembris ad nos pervenit infaustum nuntium mortis Rmi P. ALOYSII MOCCAGATTA, Episcopi tit. Zenopolitani et Vicarii apostolici Chan-si in Imperio Sinensi. Fusiores notitias in posterum dabimus et interim defunctum Praelatum omnium Fratrum suffragiis commendamus.

Nihil obstat

FR. ALOYSIUS, MIN. GEN.

SACERDOS HENRICUS LANZETTA, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

Octobris 1891.

SUMMARIUM: I. Acta Romano-Seraphica: S. S. D. N. Leonis Pp. XIII *Litterae encyclicae.* — E S. Congr. S. R. U. Inquisitionis. *De vi obligatoria decreti* Tametsi *ex sola consuetudine.* — II. Acta Ordinis: *Capitula Provincialia hoc anno celebrata.* — *Synopsis Indulgentiarum (Continuatio).* — III. Varia: *Collegium S. Isidori in urbe (Continuatio).* — *Adm. R. P. Danieli a Bassano congratulatio.* — IV. Bibliographia. — V. Necrologia.

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII

EPISTOLA ENCYCLICA

AD PATRIARCHAS PRIMATES
ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS
ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM
ET COMMUNIONEM
CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES

DE MARIAE VIRGINIS ROSARIO

VENERABILIBUS FRATRIBUS
PATRIARCHIS PRIMATIBUS
ARCHIEPISCOPIS EPISCOPIS
ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS
PACEM ET COMMUNIONEM
CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Octobri mense adventante, qui sacer Virgini beatissimae a Rosario dicatusque habetur, gratissima Nobis recordatione succurrit, quantopere hoc vobis, Venerabiles Fratres, superioribus annis commendaverimus, ut fidelium ubique greges, auctoritate sollertiaque vestra excitati, pietatem intenderent et augerent suam erga magnam Dei Matrem, potentem christiani populi adjutricem, ad eam toto ipso mense adirent suppliciter, eamque invocarent sanctissimo Rosarii ritu, quem Ecclesia, in dubiis praesertim rebus difficillimisque temporibus, adhibere et celebrare, optato semper exitu, consuevit. — Eamdem voluntatem Nostram, hoc rursus anno, curae est patefacere, easdemque ad vos mittere atque etiam duplicare hortationes; id quod suadet urgetque Ecclesiae caritas, cujus labores, potius quam levamentum acceperint, et numero in dies et acerbitate ingravescunt. Mala omnibus cognita deploramus: quae custodit Ecclesia et tradit dogmata sacrosancta, oppugnata, confixa; integritas quam tuetur christianae virtutis, derisui habita; in sacrorum antistitum ordinem, maxime autem in romanum Pontificem, multis modis obtrectatio instructa, invidia conflata; in ipsumque Christum Deum, per impudentissimam audaciam et nefarium scelus, impetus factus, quasi conantium redemptionis ejus divinum opus, quod numquam vis ulla tollat et deleat, tollere funditus et delere. — Ista quidem haud nova accidunt militanti Ecclesiae: quae, praemonente apostolos Jesu, ut homines veritatem edoceat atque ad salutem

provehat sempiternam, in aciem quotidie dimicationemque venire debet; quaeque reapse per saeculorum tractus animosa ad martyrium depugnat, nulla re laetata et gloriata magis, quam quod suum possit cum Auctoris sui sanguine consecrare, in quo sibi promissae victoriae spes exploratissima continetur. — Neque tamen diffitendum, quam gravi tristitia optimum quemque afficiat haec assidua dimicandi contentio. Magnae nimirum tristitiae causa, tam esse multos, quos pravitates errorum et in DEUM protervia longe abducant agantque praecipites; tam multos, qui ad quamlibet religionis formam se aeque habentes, divinam jamjam exuere fidem videantur; neque ita paucos esse homines catholicos, qui religionem nomine tenus retineant, non re debitisque colant officiis. Id praeterea multo gravius angit et vexat animum, reputare, tam luctuosam malorum perniciem inde potissimum ortam, quod in temperatione civitatum vel nullo jam loco Ecclesia censetur, vel saluberrimae virtuti ejus deditâ opera repugnatur; qua in re apparet magna quidem et justa vindicis DEI animadversio, qui recedentes a se nationes miserrima mentium caecitate sinat hebescere.

Quapropter res ipsa clamat, vehementius clamat in dies, necesse omnino catholicos homines precibus ad DEUM et obsecrationibus uti alacres perseverantes, *sine intermissione* (1): idque non apud se quisque tantum, sed eo magis publice faciant oportet, sacris in aedibus congregati, enixe flagitantes, ut Ecclesiam providentissimus DEUS *ab importunis et malis hominibus* (2) liberet, perturbatasque gentes ad sanitatem et mentem luce et caritate CHRISTI reducat. — Res enimvero supra hominum fidem mirabilis! Viam suam laboris plenam saeculum quidem insistit, fretum opibus, vi, armis, ingenio: securo Ecclesia plenoque gradu aetates decurrit, confisa unice DEO, ad quem diurna et nocturna prece oculos et manus attollit. Ipsa enim, quamquam cetera, quaecumque ex DEI cura tempus affert humana praesidia, prudens non negligit, non in iis tamen sed potius in orando, comprecando, obsecrandoque DEO, praecipuam sui spem reponit. Inde

(1) I. Thes. V, 17.
(2) II. Thes. III, 2.

habet quo vitalem spiritum alat et roboret, quia sibi assiduitate precandi contingit feliciter, ut, ab humanarum rerum vicissitudine intacta et in perpetua divini Numinis conjunctione, vitam ipsam CHRISTI DOMINI hauriat ac tranquille placideque traducat; fere ad CHRISTI ipsius similitudinem, cui cruciatuum diritas, quos in commune est bonum perpessus, nihil admodum de proprio sibi beatissimo lumine et gaudio neque minuit neque ademit.

Quae quidem magna christianae sapientiae documenta tenuere semper religioseque coluerunt quotquot christianum nomen digna sunt virtute professi: quorum ad DEUM preces majores crebrioresque esse solebant, siqua Ecclesiae sanctae vel summo ejus rectori calamitas ab nequissimorum hominum fraudibus et violentia incidisset. — Extat hujus rei exemplum insigne in fidelibus exorientis Ecclesiae, dignum plane quod omnibus deinceps futuris ad imitandum proponeretur. Petrus, vicarius CHRISTI DOMINI, summus Ecclesiae antistes, in vincula, Herodis scelesti jussu, traditus erat certaeque destinatus morti; illinc ut evaderet nihil in quoquam erat opis, nihil auxilii. At illud vero auxilii non deerat quod precatio sancta a DEO conciliat: scilicet Ecclesia, quod divina refert historia, impensissimas pro illo preces fundebat: *Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad* DEUM *pro eo* (1): agebatque omnes eo ardentius precandi studium, quo acrior aerumnae tantae sollicitudo mordebat. Ut vero orantibus vota successerint, comperta res est: Petrum mirifice liberatum christianus populus memori semper laetitia concelebrat. — Insignius autem exemplum divinumque edidit CHRISTUS, quo Ecclesiam suam, non solum praeceptis, verum etiam de se ipse ad omnem erudiret et formaret sanctitatem. Qui namque in omni vita tam frequentem et effusam precando operam dederat, ipsemet sub horas extremas quum in Gethsemani horto, perfuso immensa amaritie animo, oblangueret ad mortem, tum vero Patrem, non orabat modo, sed *prolixius orabat* (2). Neque sibi profecto id fecit nihil timenti nihil egenti, DEO; sed fecit nobis, fecit Ecclesiae suae; cujus futuras preces et lacrimas jam tum

(1) Act. XII, 5.
(2) Luc. XXII, 43.

libens volensque in se recipiens fecundas gratiae efficiebat.

Ubi vero per mysterium Crucis generis nostri salus peracta, atque ejusdem administra salutis, Ecclesia, triumphante CHRISTO, condita in terris riteque constituta est, novus ex eo tempore in populum novum ordo providentis DEI incepit valuitque. — Divina consilia addecet magna cum religione intueri. Filius DEI aeternus, quum, ad hominis redemptionem et decus, hominis naturam vellet suscipere, eaque re mysticum quoddam cum universo humano genere initurus esset connubium, non id ante perfecit quam liberrima consensio accessisset designatae Matris, quae ipsius generis humani personam quodammodo agebat, ad eam illustrem verissimamque Aquinatis sententiam: *Per annuntiationem expectabatur consensus Virginis, loco totius humanae naturae* (1). Ex quo non minus vere proprieque affirmare licet, nihil prorsus de permagno illo omnis gratiae thesauro, quem attulit Dominus, siquidem *gratia et veritas per* JESUM CHRISTUM *facta est* (2), nihil nobis, nisi per MARIAM, DEO sic volente, impertiri: ut, quo modo ad summum Patrem, nisi per Filium, nemo potest accedere, ita fere, nisi per Matrem, accedere nemo possit ad CHRISTUM. — Quantum in hoc DEI consilio et sapientiae et misericordiae elucet! quanta ad imbecillitatem fragilitatemque hominis convenientia! Cujus namque bonitatem credimus laudamusque infinitam, ejusdem infinitam credimus et veremur justitiam; et quem amantissimum Servatorem, sanguinis animaeque prodigum, redamamus, eumdem non exorabilem judicem pertimescimus: quare factorum conscientia trepidis opus omnino deprecatore ac patrono, qui et magna ad DEUM polleat gratia, et benignitate sit animi tanta, nullius ut recuset desperatissimi patrocinium, afflictosque jacentesque in spem erigat clementiae divinae. Ipsa praeclarissime MARIA: potens ea quidem, DEI parens omnipotentis, sed, quod sapit dulcius, facilis, perbenigna, indulgentissima. Talem nobis praestitit DEUS, cui, hoc ipso quod Unigenae sui matrem elegit, maternos plane indidit sensus, aliud nihil spirantes nisi amorem et veniam; talem facto suo JESUS CHRISTUS ostendit, quum MARIAE subesse et obtemperare ut matri filius sponte voluit: talem de cruce praedicavit, quum universitatem humani generis, in Joanne discipulo, curandam ei fovendamque commisit; talem denique se dedit ipsa, quae eam immensi laboris haereditatem, a moriente Filio relictam, magno complexa animo, materna in omnes officia confestim coepit impendere. — Tam carae misericordiae consilium in MARIA divinitus institutum et CHRISTI testamento ratum, inde ab initio sancti apostoli priscique fideles summa cum laetitia senserunt; senserunt item et docuerunt venerabiles Ecclesiae Patres, omnesque in omni aetate christianae gentes unanimae consensere: idque ipsum, vel memoria omni litterisque silentibus, vox quaedam e cujusque christiani hominis pectore erumpens, loquitur disertissima. Non aliunde est sane quam ex divina fide, quod praepotenti quodam impulsu agimur blandissimeque rapimur ad MARIAM; quod nihil est antiquius vel optatius, quam ut nos in ejus tutelam fidemque recipiamus, cui consilia et opera, integritatem et poenitentiam, angores et gaudia, preces et vota, nostra omnia plene credamus; quod omnes jucunda spes et fiducia tenet, fore ut, quae DEO minus grata a nobis exhiberentur indignis, ea, Matri sanctissimae commendata, sint grata quam maxime et accepta. Quarum veritate et suavitate rerum, quantam animus capit consolationem, tanta eos aegritudine dolet qui, divina fide carentes, MARIAM neque salutant neque habent matrem: eorumque amplius dolet miseriam qui, fidei sanctae quum sint participes, bonos tamen nimii in MARIAM profusique cultus audent arguere: qua re pietatem, quae liberorum est, magnopere laedunt.

Per hanc igitur, qua Ecclesia asperrime conflictatur, malorum procellam, omnes filii ejus pii facile vident quam sancto officio adstringantur supplicandi vehementius DEO, et qua praecipue ratione niti debeant, ut eaedem supplicationes maximam efficacitatem sint habiturae. Religiosissimorum patrum et majorum persecuti exempla, ad MARIAM sanctam Dominam nostram perfugiamus; MARIAM Matrem CHRISTI et nostram appellemus concordesque obtestemur: *Monstra te esse matrem, sumat per*

(1) III. q. XXX, a. 1.
(2) Joan, I, 17.

te preces qui pro nobis natus, tulit esse tuus(1). — Jamvero, de variis divinae Matris colendae formulis et rationibus, quum eae sint praeoptandae quas et per se ipsas potiores et illi gratiores esse noverimus, Rosarium idcirco nominatim indicare placet impenseque inculcare. Huic precandi ritui nomen *coronae* communi sermone adhaesit, hac etiam causa quod magna Jesu et Matris mysteria, gaudia, dolores, triumphos felicibus reddat sertis connexa. Quae fideles mysteria augusta si pia commentatione ex ordine recolant et contemplentur, mirum quantum adjumenti trahere sibi possunt tum ad fidem alendam et ab ignorantia aut errorum peste tutandam, tum etiam ad virtutem animi relevandam et sustinendam. Hoc etenim modo orantis cogitatio et memoria, fidei lumine praelucente, ad ea mysteria jucundissimo studio feruntur, in eisque et defixae et discurrentes, satis admirari non queunt restitutae humanae salutis inenarrabile opus, tam largo pretio rerumque tantarum serie confectum: tum vero animus super his caritatis divinae argumentis amore et gratia exardescit, spem confirmat et auget, cupidus arrectusque ad caelestia praemia, iis a Christo parata qui se ad ipsum imitatione exempli et communione dolorum adjunxerint. Haec inter funditur verbis precatio, ab ipso Domino, a Gabriele Archangelo, ab Ecclesia tradita: quae, plena laudum et salutarium votorum, certo varioque ordine iterata continuata, novos usque habet dulcesque fructus pietatis.

Magnam autem hujusmodi precationi caelestis ipsa Regina adjecisse virtutem ideo credenda est, quod suo numine et instinctu ab inclito patre Dominico invecta sit et propagata, per aetatem catholico nomini adversissimam, eamdemque huic nostrae parum dissimilem, quasi bellicum instrumentum ad hostes fidei debellandos praevalidum. — Secta enim Albigensium haereticorum, qua clandestina qua manifesta, in regiones invaserat multas; teterrima Manichaeorum progenies, quorum immanes excitabat errores, simulationesque et caedes et capitale in Ecclesiam odium nimis multum referebat. Hominum praesidiis contra perniciosissimam turbam et insolentem vix jam erat fidendum, quum praesens a Deo venit, Rosarii marialis ope, subsidium. Sic, favente Virgine, gloriosa haeresum omnium victrice, vires impiorum labefactatae et perfractae, salva quam plurimis et incolumis fides. Similia multa apud quasque gentes vel depulsa pericula vel beneficia impetrata, satis pervagata sunt, quae vetus aeque recensque historia luculentissimis testimoniis commemorat. — Id quoque illustre argumentum accedit, quemadmodum, statim ab instituta Rosarii prece, ejus passim apud omnes civium ordines usurpata sit et frequentata consuetudo. Enimvero divinae Matri, quae tot tantisque laudibus una omnium praecellentissima nitet, religio christiani populi titulis quidem insignibus modisque multis habet honorem: hunc tamen Rosarii titulum, hunc modum orandi, in quo tamquam fidei tessera et summa debiti ei cultus inesse videtur, semper adamavit singulariter, eoque privatim et publice, in domo et familia, sodalitatibus constitutis, altaribus dedicatis, circumductis pompis, usa praecipue est, rata, nullo se posse meliore pacto ipsius vel sacra sollemnia ornare vel patrocinium et gratias demereri.

Neque illud silentio praetermittendum, quod singularem quamdam Dominae nostrae providentiam in hac re illustrat. Nempe, quum diuturnitate temporis, studium pietatis in quapiam gente deferbuisse visum est et nonnihil de hac ipsa precandi consuetudine esse remissum, quam mire postea, sive re publica in formidolosum discrimen adducta, sive qua necessitate premente, Rosarii institutum, prae ceteris religionis auxiliis, communibus votis revocatum atque in suum honoris locum restitutum est lateque rursus viguit salutare. Ejus rei exempla nihil opus a praeterita aetate petisse, praeclarum hac nostra in promptu habentibus. Hac namque aetate, quae, uti principio monuimus, acerba adeo Ecclesiae est, Nobis autem, ad gubernacula ejus divino consilio sedentibus, acerbissima, spectare et admirari licet quam erectis incensisque studiis, in omni loco et gente catholici nominis, mariale Rosarium colatur et celebretur: quod facti quum Deo verius, moderanti agentique homines, quam ulli hominum prudentiae et nativitati recte sit tribuendum, animum Nostrum admodum solatur et reficit, magnaque

(1) *Ex sacr. liturg.*

complet fiducia de renovandis Ecclesiae amplificandisque, auspice MARIA, triumphis.

Sunt autem qui haec ipsa a Nobis commemorata probe ii quidem sentiant, sed quia nihil adhuc de speratis rebus, de pace in primis et tranquillitate Ecclesiae, impetratum, immo fortasse tempora deterius misceri vident, eam idcirco diligentiam et affectionem precandi velut defatigati et diffisi intermittant. Homines istiusmodi videant ipsi ante et laborent, ut quas DEO adhibeant preces, aptis virtutibus, ex CHRISTI DOMINI praeceptione, ornentur: quae si tales fuerint, considerent porro, indignum esse et nefas, velle se tempus subveniendi modumque constituere DEO, nobis nihil quidquam debenti, ita ut quum audit orantes et *coronat merita nostra, nihil aliud coronet quam munera sua* (1), et quum minus sententiae nostrae obsecundat, providenter agat cum filiis pater bonus, eorum miserans insipientiam, consulens utilitati. — Quas vero preces, ut propitiemus Ecclesiae DEUM, cum suffragiis conjunctas Caelitum sanctorum, supplices deferimus, eas ipse numquam non benignissime admittit et explet DEUS, tum quae bona Ecclesiae attingunt maxima et immortalia, tum quae attingunt minora et hujus temporis, opportuna tamen ad illa. Quippe istis precibus pondus et gratiam, sane plurimam, precibus addit meritisque suis CHRISTUS DOMINUS, qui *dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret... ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam* (2), idem summus ejusdem Pontifex, sanctus, innocens, *semper vivens ad interpellandum pro nobis,* cujus deprecationem supplicationemque semper evenire divina fide tenemus. — Quod enim spectat ad bona Ecclesiae externa et hujus vitae, palam est, rem ipsi saepius esse cum adversariis malevolentia et potentia acerrimis; ab eis nimium sibi dolendum facultates direptas, libertatem deminutam et oppressam, lacessitam, et despectam auctoritatem, damna postremo et hostilia omne genus multa. Quorum improbitas si quaeritur cur non eo usque injuriae, quo deliberatum habent et connituntur, re tandem plena procedat; Ecclesia contra tot inter rerum casus, eadem illa sua amplitudine et gloria, vario quamquam modo, emineat semper atque adeo increscat; utriusque rei praecipuam causam rectum est a virtute arcessere comprecantis DEUM Ecclesiae; nec enim satis assequitur humana ratio quomodo restrictis ita finibus imperiosa nequitia consistat, Ecclesia vero, in angustum compulsa, nihilominus tam magnifice vincat. Idem eo rectius existit in eo bonorum genere, quibus Ecclesia homines ad ultimi boni adeptionem proxime adducit. Ad hoc enim munus quum nata sit, precibus suis posse multum debet ut divinae in illos providentiae misericordiaeque ordo exitum habeat et perfectionem: atque ita homines cum Ecclesia et per Ecclesiam orantes, ea demum impetrant atque obtinent quae DEUS *omnipotens ante saecula disposuit donare* (1). Ad alta providentis DEI consilia mentis humanae acies in praesentia deficit: sed aliquando erit, quum causas consecutionesque rerum DEO ipso apertas pro benignitate sua monstrante, dilucidum patebit, orandi munus quantam in hoc rerum genere vim habuerit utilitatemque impetrandi. Inde effectum patebit, quod sese multi, in tanta depravati saeculi corruptela, integros praestiterint atque inviolatos *ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore* DEI (2); quod alii, in eo dum essent ut flagitio indulgerent, illico sibi temperaverint, ex ipsoque periculo et tentamine bonos ceperint auctus virtutis; quod prolapsis aliis impulsio quaedam permoverit animos ut erigerent se et in complexum DEI miserentis occurrerent. — Haec igitur omnes apud se perpendentes, fallaciis antiqui hostis etiam atque etiam obsecramus ne cedant, neve ulla omnino causa a studio cessent orandi, verum in eo perseveranter consistant, *sine intermissione* consistant. Prima sit illis cura de summo bono, aeterna omnium salute, deque incolumitate Ecclesiae exposcenda: tum licet cetera bona ad usum commoditatemque vitae petant a DEO, modo voluntatis ejus aequissimae acquiescant, eidem pariter, optata vel concesserit vel abnuerit, agentes gratias, beneficentissimo patri: ea denique religione et pietate cum DEO versentur, qua decet maxima

(1) S. August. Ep. CXCIV al. 105 ad Sixtum, c. v. n. 19.

(2) Ephes. V, 25-27.

(1) S. Th. II-II, q. LXXXIII, a. 2, ex *S. Greg. M.*

(2) II. Corinth. VII, 1.

et oportet, qua viri sancti consueverunt et ipse egit sanctissimus Redemptor et Magister noster, *cum clamore valido et lacrimis* (1).

Hic officium et paterna caritas postulat, ut in universos Ecclesiae filios non precum modo, sed etiam poenitentiae sanctae a largitore bonorum Deo spiritum imploremus: quod dum toto animo facimus, omnes et singulos ad hanc ipsam virtutem, cum altera conjunctissimam, pari studio adhortamur. Scilicet facit precatio ut animus sustentetur, instruatur ad fortia, ad divina conscendat: facit poenitentia ut nobismetipsis imperemus, corpori maxime, gravissimo, ex veteri noxa, rationis legisque evangelicae inimico. Quae virtutes, perspicuum est, aptissime inter se cohaerent, inter se adjuvant, eodemque una conspirant, ut hominem, caelo natum, a rebus caducis abstrahant evehantque propemodum ad caelestem cum Deo consuetudinem: fit contra, ut cujus animus cupiditatibus aestuet illecebrisque sit emollitus, jejunus ille fastidiat suavitates rerum caelestium, neque alia sit precatio ejus nisi frigida vox et languida, indigna sane quam Deus excipiat. — Sunt ante oculos exempla poenitentiae hominum sanctorum, quorum preces et obsecrationes, ea ipsa causa, magnopere Deo placuisse atque etiam ad prodigia valuisse sacris fastis docemur. Mentem illi et animum libidinesque assidue regebant domabant: doctrinae Christi Ecclesiaeque ejus documentis ac praeceptis summa solebant consensione et demissione adhaerescere; velle nolle nihil, nisi Dei numine explorato, nihil quidquam agendo spectare, nisi ejus gloriae incrementa; cupiditates acriter coërcere et frangere, corpus dure inclementerque habere, jucundis rebus neque iis noxiis virtutis gratia abstinere. Quare merito poterant, quod Paulus Apostolus de se, idem ipsi usurpare: *nostra autem conversatio in caelis est* (2): eamdemque ob caussam tantum inerat in eorum obsecrationibus ad propitiandum exorandumque Deum efficacitatis. — Non omnes omnino posse adeo nec debere apparet; attamen ut consentanea sibi afflictatione vitam moresque suos unusquisque castiget, rationes id exigunt justitiae divinae, cui satis de commissis faciendum restricte est; praestat autem voluntariis, dum vita sit, id fecisse poenis, unde virtutis praemium accedat. — Ad haec, quando in mystico Christi corpore, quae est Ecclesia, omnes tamquam membra coalescimus et vigemus, hoc, Paulo auctore, consequitur, ut, quemadmodum laetanti qua de re membro membra cetera collaetantur, ita pariter dolenti condoleant, hoc est christianis fratribus, vel animo aegris vel corpore, fratres ultro subveniant, et, quantum in ipsis est, curationem adhibeant: *Pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus* Christi *et membra de membro* (1). In hoc autem caritatis specimine, ut quis Christi exemplo insistens, qui vitam ad omnium nostrum redimenda peccata immenso amore profudit, luenda sibi aliorum admissa suscipiat, in hoc demum illud continetur magnum vinculum perfectionis, quo fideles inter sese et cum caelestibus civibus arctissimeque cum Deo junguntur. — Ad summam, sanctae poenitentiae actio tam varia atque industria est tamque late pertinet, ut eam quisque, pia modo et alacri voluntate, perfrequenti possit nec laboriosa facultate exercere.

Restat, Venerabiles Fratres, ut, quae vestra et singularis et eximia quum in Sanctissimam Dei Matrem pietas tum in christianum gregem caritas et sollertia, commonitionis hortationisque Nostrae exitum, opera vestra, perquam optimum, Nobis polliceamur; gestitque animus fructus eos, quos pluries splendide declarata catholicorum in Mariam religio tulit, jam nunc laetissimos uberrimosque praecipere. Vobis igitur et vocantibus et excitantibus et praeeuntibus, fideles, hoc praesertim proximo mense, ad aras sollemnes augustae Reginae et benignissimae Matris conveniant concurrant, atque mystica ei serta, acceptissimo Rosarii ritu, filiorum more contexant et praebeant: integris per Nos atque ratis, quae antehac in hac re a Nobismetipsis praescripta edita et dona indulgentiae sacrae concessa (2) — Quam

(1) Hebr. V, 7.
(2) Philip. III, 20.

(1) I Corinth. XII, 25-27.
(2) Cfr. Ep. Encycl. *Supremi Apostolatus*, die 1 sept. an. MDCCCLXXXIII: Ep. Encycl. *Superiore anno*, die XXX Aug. an. MDCCCLXXXIV: Decret. S. R. C. *Inter plurimos*, die XX Aug. an. MDCCCLXXXV: Ep. Encycl. *Quamquam pluries*, die XV Aug. an. MDCCCLXXXIX.

praeclarum et quanti erit, in urbibus in pagis in villis, terra marique, quacumque patet catholicus orbis, multa piorum centena millia, sociatis laudibus foederatisque precibus, una mente et voce singulis horis Mariam consalutare, Mariam implorare, per Mariam sperare omnia! Ab ipsa omnes fidentes contendant ut, exorato Filio, aberrantes nationes ad christiana redeant instituta et praecepta, in quibus salutis publicae firmamentum consistit, unde et expetitae pacis et verae beatitatis copia efflorescit. Ab ipsa eo impensius contendant, quod bonis omnibus exoptatissimum esse debet, ut Ecclesia Mater libertate potiatur tranquilleque fruatur sua; quam non alio illa refert nisi ad summas hominum procurandas rationes, a qua singulis et civitates nulla usquam damna, plurima omni tempore et maxima beneficia senserunt.

Jam vobis, Venerabiles Fratres, adprecante sacratissimi Rosarii Regina, largiatur Deus munera bonorum caelestium, unde ad partes pastoralis officii sancte obeundas auxilia et vires suppetant in dies ampliora: cujus rei esto auspicium et pignus Apostolica Benedictio, quam vobis ipsis et clero et populis cujusque vestrum curae concreditis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII Septembris an. MDCCCXCI, Pontificatus Nostri decimoquarto.

LEO PP. XIII.

—

EX S. CONGR. S. R. U. INQUISITIONIS.

De vi obligatoria decreti Tametsi *ex sola consuetudine.*

Acta S. Sedis, Vol. XXI, 648, quaestionem retulerunt, Limburgen. dubia circa matrimonia clandestina; ex qua deprehendi facile est principium hoc: nempe Tridentini decretum *Tametsi* obligare, si per longam consuetudinem observatum sit; quamvis de ejus publicatione certum non fuerit. Ejusmodi vero jurisprudentiam confirmari per responsum datum a S. C. S. Officii dubio exhibito eidem S. Congregationi; quodque sic expositum fuit:

Beatissime Pater,

Titius catholicus, postquam plurimis abhinc annis cum Bertha item catholica, cujus hodie domicilium ignorat, matrimonium civile in civitate Mulhausen, hujus Dioecesis, contraxerit, coram judice divortium petit, quo ad novas nuptias cum alia concubina convolare possit.

Jamvero civitas Mulhausen, a principio sic dictae Reformationis ad initium usque hujus saeculi, ex integro erat protestantica, decretumque Tridentinum in ea publicari non potuerat.

Initio hujus saeculi, advenientibus catholicis, erecta fuit in memorata civitate parochia catholica, ac crescente paulatim numero catholicorum, extant in ea hodie tres parochiae cum catholicis 47,000, dum haeretici numerum 14,000 non excedant. Decretum Tridentinum tamquam Decretum Conciliare sub nullitatis poena obligans a tempore erectionis prioris parochiae semper a catholicis observatum fuit, sed de publicatione dicti Decreti minime constat. Quare humillime expostulo sequentium solutionem dubiorum:

1. Utrum, non obstante regula a Benedicto XIV tradita de Syn. dioec., l. 12, c. 5, n. 6, clandestina matrimonia inter catholicos in civitate Mulhausen inita, tamquam valida censeri debeant?

2. Utrum, remanente aliquo dubio de ipsorum validitate, praedicto Titio liceat solutionem vinculi apud judices laicos implorare, novumque cum sua concubina actuali coram Ecclesia inire matrimonium?

Et Deus, etc.

Argentinae, die 17 Februarii 1887.

P. Paulus, *Ep. Caesarop., C.*

Illme ac Revme Domine,

Litteris datis 17 Februarii nuper elapsi, exposito casu cujusdam Titii catholici, qui postquam plurimis abhinc annis cum Bertha item catholica matrimonium civile in civitate Mulhausen istius dioecesis contraxerit, nunc coram judice divortium petit, ut ad novas nu-

ptias convolare possit, sequentia dubia proponebas, scilicet:

1. Utrum, non obstante regula a Benedicto XIV tradita de Syn. dioec., l. 12, c. 5, n. 6, clandestina matrimonia inter catholicos in civitate Mulhausen inita, tamquam valida censeri debeant?

2. Utrum, remanente aliquo dubio de ipsorum validitate, praedicto Titio liceat solutionem vinculi apud judices laicos implorare, novumque cum sua concubina actuali coram Ecclesia inire matrimonium?

Antequam quidquam decernatur, sacer hic Consessus ad Te scribendum censuit, ut exponere velis rationes dubitandi.

Et interim fausta quaeque Tibi precor a Domino.

Amplitudinis Tuae.

Romae, die 16 Martii 1887.

Addictissimus in Domino.

R. Card. Monaco.

Eme ac Revme Domine,

Relate ad quaestionem de validitate matrimoniorum clandestine inter catholicos initorum in civitate Mulhausen, hujus dioecesis, Eminentia Vestra per litteras de die 16 currentis mensis rescribere mihi dignata est ut rationes dubitandi exponam.

Cui mandato ut pro mea erga Sedem Apostolicam veneratione satisfaciam, sequentia adnotare debeo:

Titius de quo in precibus, relicto domicilio in Mulhausen aliud domicilium una cum concubina sibi elegit in civitate Colmar, ubi, conscientiae suae consulere volens, parochum adiit, quaerens an sibi liceat super matrimonio civiliter tantum contracto divortium civile petere, ac cum concubina in facie Ecclesiae matrimonium inire? Parochus vero, cum rescivisset a parocho ad S. Stephanum in Mulhausen, Decretum Tridentinum quidem observantia diuturna in usu esse, minime vero constare de ejusdem Decreti publicatione, imo probabilius Decretum nunquam fuisse promulgatum, rem totam — concinnatis duobus dubiis de die 17 Februarii adnexis — ad Ordinariatum remisit.

Scio siquidem, ex Benedicto XIV de Syn. dioec., l. 12, c. 5, n. 6, quod « ibi facta praesumatur ejusdem Decreti publicatio, ubicumque constet jam usu receptum esse, ut matrimonia coram parocho et duobus vel tribus testibus, tamquam in executionem Decreti Conc. Trid. celebrentur »; reapse Decreti observantia, in memorata civitate Mulhausen supralaudatos characteres prae se ferre videtur. Cum autem probabilius Decretum publicatum non fuerit, ac praelaudatus usus ex fidelium aestimatione, — Matrimonia scilicet nonnisi coram parocho et duobus testibus valide contrahi posse — exordium sumpsisse videatur, de vi obligandi memoratae consuetudinis sententiam ferre nolui, opportunumque duxi hac de re Apostolicae Sedis judicium exquirere.

Interea, etc.

Argentinae, die 30 Martii 1887.

P. Paulus, *Ep. Caesarop., C.*

Illme ac Revme Domine,

Rationibus dubitandi ab Amplitudine Tua expositis, litteris datis die 29 praeteriti Martii, circa validitatem matrimoniorum clandestine inter catholicos initorum in civitate Mulhausen, istius dioecesis, mature perpensis, Emi D. D. Card. una mecum Inquisitores generales feria IV die 27 nuper elapsi Aprilis decreverunt: Juxta exposita, matrimonia inter catholicos in civitate Mulhausen contracta, non servata forma Tridentina, esse nulla; ideoque virum Titium, de quo in tuis litteris diei 17 praeteriti Februarii, declarata prius ab Episcopo nullitate matrimonii permitti posse prosequi causam ad civile divortium obtinendum. Curae autem Tuae erit invenire mulierem (Bertham) eique significare sui status libertatem, ut licite, si velit, ad alias nuptias transire valeat.

Et fausta quaeque Tibi precor a Domino.

Amplitudinis Tuae,

Romae, die 1 Maji 1887.

Addictissimus in Domino.

R. Card. Monaco.

II.
ACTA ORDINIS

—

CAPITULA PROVINCIALIA
hoc anno celebrata.

XXIX.

Discalceata Provincia S. Paschalis Neapolis.

In Capitulo celebrato in Conventu S. Mariae Galatoris die 27 Maji 1891, praesidente in eo Adm. R. P. Julio a Jesu et Maria, Def. Gli et Commissario Visitatore, electi sunt:

Minister Provincialis

R. P. Romualdus a Maria Perdolente.

Custos Provinciae

R. P. Fridericus a Purificatione.

Definitores Provinciae

M. V. P. Fridericus a SSma Trinitate.
M. V. P. Bernardus a Nomine Mariae.
M. V. P. Daniel a S. Michaële Archangelo.
M. V. P. Josephus a S. Aloysio.

XXX.

Ref. Prov. Cincinnatensis S. Joan. Baptistae in America septentr.

Die 28 Julii 1891 in Conventu ad S. Antonium prope Cincinnati canonice et rite celebratum est Capitulum, Adm. R. P. Michaele Richardt Visitatore Generali ac Praeside. In quo quidem electi sunt:

Minister Provincialis

R. P. Petrus Baptista Englert.

Custos Provinciae

A. V. P. Ubaldus Webersinhe.

Definitores

A. V. P. Lucas Gottbehaede.
A. V. P. David Kersting.
A. V. P. Athanasius Lingemann.
A. V. P. Philibertus Allstaetter.

XXXI.

Ref. Provincia S. Antonii Bavaricae.

In Conventu S. Annae Monachii die 6 Augusti 1891 rite celebratum fuit Capitulum sub praesidentia Adm. R. P. Petri de Alc· Dudziak Definit. Glis et Commissarii Visitatoris, et in eo electi sunt:

Minister Provincialis

R. P. Petrus de Alcantara Hötzl.

Custos Provinciae

M. V. P. Bertrandus Egger.

Definitores Provinciae

M. V. P. Helladius Biberger.
M. V. P. Remigius Stadler.
M. V. P. Caelestinus Haunschild.
M. V. P. Jacobus de Marchia Leitner.

—

SYNOPSIS INDULGENTIARUM
IN COMMODUM FRATRUM ORDINIS NOSTRI

Caput II.

§ II.

DE NONNULLIS INDULGENTIIS PERSONALIBUS IN PARTICULARI.

Benedictio cum Indulgentia plenaria in articulo mortis.

(Continuatio)

153. Ne Christifidelibus, *in locis Missionum* in qualibet orbis parte degentibus, et in ultimo vitae discrimine constitutis, ea spiritualia auxilia desint, quae Catholica pia mater Ecclesia filiis suis a saeculo recedentibus solet misericorditer impertiri, Summus Pontifex Clemens Pp. XIV, omnibus et singulis *Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Vicariis Apostolicis, necnon Praefectis seu Superioribus Missionum,* tam Cleri saecularis quam regularis, in dictis locis Missionum modo existentibus, seu quocumque tempore exstituris, peramanter concessit facultatem impertiendi Benedictionem cum Indulgentia plenaria fidelibus praedictis ad extremum agonem redactis, *cum ea etiam extensione, ut facultatem hujusmodi Sacerdotibus et respectivis missionariis* eorum jurisdictioni subjectis, pro locis tamen suarum Dioecesium, vel pro Missionum districtibus tantum *communicare possint et valeant,* dummodo in hac Benedictione impertienda servetur formula praescripta a s.m. Benedicto XIV in Const. data 9 Apr.

1747, quae incipit, *Pia Mater* (S. C. de Prop. Fid. 5 Apr. 1772).

154. Quoniam autem facile continget, ut aliqui ex praedictis Christifidelibus ex hac vita decedant, quin Ecclesiae Sacramentis fuerint muniti, et absque Sacerdotis cujuslibet assistentia, ideo Sanctitas Sua, ex ubere apostolicae benignitatis fonte, etiam illis plenariam Indulgentiam elargitur, *si contriti Nomen* Jesu *corde saltem invocaverint,* et mortem de manu Domini, ea qua decet christiana animi demissione et spiritus humilitate, susceperint, animamque in manus Creatoris sui commendaverint. Quae postrema Decreti pars, ut Christifidelibus omnibus innotescat, eam in suis Dioecesibus ac Missionibus Antistites et Superiores memorati, identidem, et praesertim sanctae Visitationis tempore, publicare curent ac satagant (Decr. eod.).

155. « Juxta Indultum a S. Sede concessum, *Missionarii omnes* habent per communicationem facultatem elargiendi Indulgentiam plenariam in articulo mortis constitutis. Verum cum raro inveniant fideles praecise in articulo mortis constitutos, *inde fit ut alii dictam Indulgentiam elargiantur ubi tantum est mortis periculum,* licet proxime admodum non videatur imminere; *alii vero juxta rigorem verborum non applicant, nisi quo tempore agonia videtur proxima;* et tunc, quando non observant tam proximum mortis periculum, sive ope medalliorum quibus, auctoritate S. Sedis, hujusmodi Indulgentiae adnexae sunt, quae fidelibus dant, sive invocatione SS. Nominis Jesu, prout concessum est a pluribus Summis Pontificibus, monent fideles ut conditiones apponant, quibus tantum beneficium consequi mereantur. Si S. C. determinare censeat cui pacto potius adhaerendum, omnes quotquot sumus praesto erimus S. Sedis judicio.

Resp. Ad id quod inter Missionarios controvertitur de tempore impertiendae Indulgentiae plenariae constitutis in mortis articulo, S. C. censuit *eam temporis circumstantiam satis esse ut rite conferatur, quae sufficit Extremae ipsi Unctioni conferendae,* cum nempe infirmus vi morbi cernitur ad interitum vergere. Neque proximius agoni tempus expectandum esse quo aegrotus vix sui compos, ad eos plane animi motus edendos impar est quos Rituale Romanum efflagitat, ut tanti beneficii, sicut Extremae Unctionis, fructus uberius percipiatur. Quamobrem Missionariorum debito fore, post adhibitam infirmo sacramentalem Unctionem, eumdem excitare ad ea animo concipienda, quae in eodem Rituali libro leguntur, mox vero tam insigni beneficio plenariae remissionis eumdem communire; *idque tunc potissimum praestare, cum se haud reversuros praevident* » (S. C. S. Off. Jan. 1780 apud Collectanea S. Sedis et Bucceroni, *Enchiridion morale).*

Statio SS. Sacramenti.

156. De hoc singulari privilegio agentes, primum videamus quid de eo dicant Auctores, praesertim Franciscani Ordinis, quorum sententiae congestae reperiuntur in Bibliotheca canonica P. Lucii Ferraris, verb. *Indulg.* art. V, n. 1 et seq. Postea auctoritatem S. Sedis in medium afferemus.

Leo X, ita P. Ferraris, concessit omnibus Fratribus Minoribus Regularis Observantiae ac Monialibus S. Clarae et Tertii Ordinis (hodie de Tertio Ordine aliter decretum est) quod dicendo quinquies *Pater noster* cum *Ave Maria,* et in fine cujuslibet *Gloria Patri,* ad intentionem Pontificis, et aliud *Pater,* et *Ave Maria,* et *Gloria Patri* pro Indulgentias concedente, *lucrentur Indulgentias omnes, tam plenarias, quam non plenarias* concessas Ecclesiis Romanis, Hierosolymitanis, Compostellanis, et Portiunculae, quacumque hora diei vel noctis praedicta sex *Pater, Ave Maria* et *Gloria Patri* recitaverint. In confirmationem veritatis adducit auctoritatem plurium auctorum, inter quos cl. P. Viva S. J. qui in Appendice Indulgentiarum testatur, hoc etiam haberi in Compendio privilegiorum Societatis § 3.

157. Istae Indulgentiae non fuerunt revocatae a Paulo V. Nam hic Pontifex:

a) Non revocavit Indulgentias Ecclesiis Regularium concessas, seu locales, sed tantum personales, ut declaravit S. C. Indulg. 7 Sept. 1607 apud Vivam.

b) Non revocavit Indulgentias pro animabus Purgatorii Regularibus concessas, ut idemmet Pontifex anno 1609 testatus est, prout referunt Auctores.

c) Nec etiam revocavit pro Regularibus Indulgentias concessas indiscriminatim pro omni-

bus Christifidelibus, de quo nullum dubium. Unde cum praedictae Indulgentiae Stationum *non fuerint primitus concessae personis regularibus,* sed certis Ecclesiis et locis, et indiscriminatim pro omnibus Christifidelibus, et ipsarum multae fuerint concessae etiam pro animabus Purgatorii, sequitur hujusmodi Indulgentias non fuisse revocatas, et ideo Regulares privilegiatos posse eas adhuc lucrari. Revera Summus Pontifex in hoc casu solum dispensavit *in modo lucrandi* memoratas Indulgentias, videlicet, ut praedictae personae, absque eo quod se Hierosolymam, Romam, Compostellam et Portiunculam conferrent, et ibidem personaliter Ecclesias seu loca visitarent, praefatas Indulgentias lucrari possent visitando proprias Ecclesias, et ibi recitando praedicta sex *Pater, Ave* et *Gloria,* sicut Romae etiam saeculares lucrantur Indulgentias, visitantes Ecclesias Stationum. Hinc cum hujusmodi non sit revera Indulgentia, eo quod solum spectet *ad modum lucrandi Indulgentias,* ideo in revocatione facta a Paulo V non intelligitur revocatum hoc Indultum. Ita passim Scriptores Ordinis nostri et Viva.

158. P. Ferraris rem roborat auctoritate antiquarum Rubricarum particularium nostri Breviarii Franciscani ab Innocentio XII confirmatarum, in quibus commendatur Fratribus quotidianum exercitium Stationum SS. Sacramenti ex sex *Pater, Ave* et *Gloria,* et praesertim die Sabbati (ita in praefatis Rubricis) observandum est statutum Julii III, cap. 5 sic decernens : In omnibus etiam Conventibus statim post *Ave Maria,* Fratres omnes ad Ecclesiam vadant, et ante SS. Sacramentum dicant *brachiis extensis* sex *Pater noster,* et totidem *Ave Maria,* et *Gloria Patri.*

159. Hujusmodi Indulgentia obtinuit denominationem *Stationis SS. Sacramenti,* quia, ut jam innuimus, acquiritur recitando sex *Pater noster, Ave Maria* et *Gloria Patri, ante venerabile Altaris Sacramentum* juxta adductas rubricas, et primam concessionem Leonis X apud Casarubios in Compend. privileg. verb. *Indulgentiae Stationum* n. 11, et juxta concessionem Pauli V, ab Urbano VIII confirmatam apud Hieronym. Rodriguez in Compend. resolut. 47, et apud alios Auctores.

160. Juxta plurimos non spernendos Doctores *talis cumulus Indulgentiarum* acquiri potest a Regularibus privilegiariis, etiamsi praedicta sex *Pater, Ave* et *Gloria,* recitent *extra Ecclesiam* in propriis cellis et in quocumque alio loco, quacumque hora diei vel noctis; et hoc, juxta Casarubios loc. cit. n. 15, ex concessione laudati Pontificis Leonis Pp. X, facta « omnibus Fratribus Minoribus Regularis observantiae, ac Monialibus S. Clarae, et Tertii Ordinis » (Tertiarii autem hodie excipiendi sunt).

161. Quod revera tales Indulgentias lucrentur *quotidie* Regulares privilegiarii, ubicumque recitent dictas orationes, ab Auctoribus refertur, id de novo fuisse concessum a Paulo III. Vid. Rodriguez, tom. 11, quaest. 84. Unde Doctores haec duo statuunt :

1.° Qui ex privilegiariis recitant sex *Pater, Ave* et *Gloria ante sanctissimum Altaris Sacramentum* lucrantur Indulgentias Stationum *ex tribus concessionibus,* scilicet Leonis X, Pauli III et Urbani VIII.

2.° Qui vero easdem orationes recitant *in aliis locis,* lucrantur ipsas Indulgentias *ex duabus concessionibus,* nempe Leonis X et Pauli III.

162. Kilianus Kazenberger pluribus rationibus demonstrat, ad praefatas Indulgentias lucrandas *minime requiri ut* dicta sex *Pater, Ave* et *Gloria recitentur brachiis extensis* (In Supplem. Theolog. Patritii Sporer. Cap. 3. de Indulg. n. 90).

163. Ex quo Religiosi nostri Ordinis, recitantes sex *Pater, Ave* et *Gloria,* lucrifaciunt stationes, indulgentias, remissiones tum Urbis, tum etiam Portiunculae, sive Jerusalem et S. Jacobi de Compostella, quaerere quis posset :

Quae et quot sunt hujusmodi Indulgentiae ? Resp.

1.° Quoad Indulgentias *Stationum Urbis,* extat decretum S. Congregationis Indulgentiarum, quod ita se habet :

S. Congregatio Stationum dies ita populo proponendas esse die 10 Martii 1676 censuit, ut cum descriptis in Romano Missali omnino conveniant, earumque Indulgentias simpliciter enuntiandas, non addendo, an plenariae illae sint, aut partiales (Decr. auth. n. 12).

2.° Qui tamen scire cupit, quae et quot sint Indulgentiae *pro qualibet Urbis Statione,* recurrat ad pretiosum libellum, cui titulus *Rac-*

colta, uti authenticum recognitum et approbatum a S. C. I. anno 1886, ubi ad pag. 466 invenitur elenchus tum *Dierum,* tum *Ecclesiarum Urbis* in quibus est Statio, tum etiam *Indulgentiarum,* quae inibi acquiruntur.

3.° Consequitur, non amplius attendendum esse ad elenchum, quem de Indulgentiis Stationum Urbis confecit P. Angelus Auda a Lantusca Ordinis nostri, quique refertur in sua Bibliotheca a P. Ferraris, verb. *Indulg.* art. IV, n. 16, quamvis *liber regulae Tertii Ordinis,* in quo laudatus P. a Lantusca inseruit dictum elenchum, fuerit approbatus a P. Hyacintho Libello O. P. Magistro sacri Palatii Apostolici anno 1665. Talis enim elenchus, ut nos observavimus, minime cohaeret cum elencho memoratae collectionis seu *Raccolta.*

4.° In praefata Biblioteca P. Ferraris loc. cit. art. V, n. 8 jacet etiam catalogus Indulgentiarum nedum Hierusalem, sed etiam aliorum sanctorum locorum totius Terrae Sanctae. Edidit Neapoli anno 1706 P. Joseph a Neapoli. Nos nescimus, an authenticis documentis hujusmodi elenchus fulciatur, ideo auctoritate ejus uti non putamus.

5.° Ad quaesitum ergo: *quae et quot Indulgentiae Stationis SS. Sacramenti,* respondemus *generatim eas plures esse,* sed haud posse certum et determinatum numerum exhiberi. Videtur ad rem facere *monitum* quod S. C. I. dedit sub die 3 Aprilis 1731 (Decr. auth. n. 100) *quoad Indulgentias Stationum Viae Crucis,* vetans publicari ex pulpitis aut alia qualibet forma, certum et determinatum numerum Indulgentiarum lucrandarum « quia, ait S. Congregatio, pluries innotuit Indulgentiarum veritatem sive ex inadvertentia aut aequivocatione, sive ex devotionis impetu alterari et confundi ». Propterea satis erit dicere, quemcumque Religiosum sive Religiosam Ordinis Minorum, rite et devote recitantem antedicta sex *Pater, Ave* et *Gloria,* ex concessione Summorum Pontificum consecuturum vel consecuturam easdem Indulgentias, quas consequeretur, si personaliter visitaret Ecclesias Urbis, Hierosolymae, S. Jacobi de Galitia, et Portiunculae.

164. Hucusque ea tantum in compendio retulimus, quae Auctores nostri Ordinis tradunt quoad praefatas Indulgentias.

(Continuabitur)

III.

VARIA

—

FUNDATIO

COLLEGII S. ISIDORI IN URBE

A P. LUCA WADDINGO

(Continuatio)

CAP. XXIV (LXIX)

Suos verbo pascebat.

Solebat autem Lucas culparum, ut vocant, Capitulis praemittere breves quasdam, piasque collationes, per quas ita disponebat animos, ut iidem ipsi, qui reprehendendi essent, intime compuncti, et errorem ultro agnoscentes appeterent, potius quam abnuerent correctionem. Solebat etiam curare, ut in majorum solemnitatum vigiliis, illi tabulae, quae suum cuique in celebranda festivitate Officium assignat, ex sub meridiana refectione coram omnibus cantari solet, devota praecineretur oratiuncula, et ipsis plerumque Missalis Romani, et Breviarii verbis ab aliquo Patrum graviter composita: cui ipse deinde in Capitulo, si vicinum esset, vel post collationem in Refectorio, seu post Matutinum in Choro succinens, brevi sermone, Fratrum animos ad Mysteriorum cultum ac devotionem, et ad Sanctorum imitationem elevabat. Neque in illis aërem verberabat, non titubabat lingua, non claudicabat memoria, nihil insulsum, nihil ridiculum, nihil quod ullum offendere, vel ab ullo contemni posset, proferebat; sed notatis prius paucis aliquot, et praegnantibus locis Patrum et sacrae Scripturae, quibus per selecta exempla, rationesque declaratis, et ad propositum suum quam aptissime applicatis, non simiarum ludos agebat, sed magistraliter, docte pariter et pie persuadebat quae vellet. Habeo hujusmodi collationum, seu collectarum sententiarum manipulum in laceris pagellis propria ipsius manu descriptum, quae forsitan cum aliis ejus fragmentis lucem aliquando videbunt.

CAP. XXV (LXX)

Et firmabat exemplo.

Nunc vero quod in aliorum gubernio caput est, et observandarum legum fortissima persuasio, quoniam

> . . . . *Nec sic inflectere sensus*
> *Humanos edicta valent, quam vita regentis* (1).

Et superioris vita censura est, eaque perpetua: ad hanc convertimur, ad hanc dirigimur, nec tam imperio nobis opus est quam exemplo (2). Praeterea hoc maxime observabat Lucas, ut actu suo prius ostenderet quod faciendum esset, quam subditis imperabat, ut facerent. Mirum sane ac divinae providentiae peculiari dono tribuendum est, quanta distinctione, et quam prolixa pertinacia zeli et observantiae se adstringebat communi vitae, et recollectae domus disciplinae homo studiis et negotiis perpetuo immersus, et vix non continua valetudinis adversitate vexatus. Etenim, etsi semper, dum infirmitas gravis, vel ullatenus evitabilis occupatio permitteret, communium rituum, et exercitiorum observantissimus esset, sed praecipue, et ultra obligationem quando ex officio praeesse, et Conventum regere debebat, vestis illi ex eodem cum ceteris crasso, vilique panno, nec raro trita laceraque, vel petiis resarcita, et si quando, ob ipsius reverentiam, pannus melior ipsi ab aliquo mittebatur, eum alicui Religioso indigenti dabat, contentus ipse veteri vestimento. Cumque familiaris ille morbus capitis ipsum eo deduxit, ut capiti fovendo non amplius sufficeret commune capucium, non prius voluit palam uti pileolo quam a superiore coactus, deinde in Capitulo Conventus, veniam ab omnibus petiit, et gravi sermone hortatus est rogavitque, ne quisquam ad relaxationis exemplum, vel excusationem assumeret, quod ille manifesta necessitate compulsus admittebat. Sciebat enim vir prudens, quam sensim insinuet se Satanas relaxando rigori veteris disciplinae: serpens est, nec optat nisi rostri extremum immittere, ut serpat totus, a cujus proinde veneno non meliori remedio, quam antidoto liberamur, a quo qui ante non cavet, post dolebit.

(*Continuabitur*)

CONGRATULATIO

Facta Adm. R. P. Danieli a Bassano, Ex Def. Gli occasione 50 anniversarii professionis religiosae.

IDIBUS JULII MDCCCXCI.

O PATER OPTIME O SODALIS AMANTISSIME

DANIEL A BASSANO

UNIVERSA REFORM. PROVINCIA SERAPHICA

QUAE

CEU TE PRIUS SUBLIMIORES SCIENTIAS

SUIS CLERICIS ADOLESCENTIBUS TRADENTEM

PRAECLARAQUE OBEUNTEM MUNIA

FILIUM BENEMERITUM HABUIT

SIC DEIN TE ROMAE OB MORUM CANDOREM OMNIGENAMQUE ERUDITIONEM

IN GENERALES ORDINIS DEFINITORES COOPTATUM

IBIQUE NUNC

COLLEGII POENITENTIARIORUM AD LATERANENSEM ARCHIBASILICAM

(1) Claud. de Consul. Honorii.
(2) Plin. in paneg. Trajan.

PRAESIDIS MUNERE FUNGENTEM
ET SAPIENTISS. PONTIF. LEONIS XIII. CONFESSARIUM AGENTEM
ASPICIENS
SUUM MAXIMUM DECUS VENERATUR CONCLAMAT
TE HODIE LAETABUNDA SALUTAT IN SINUM SUUM REDEUNTEM
DENUO AD ARAM HUJUS SACRI MONTIS-LUCI RECESSUS
NUNCUPATURUM DOMINO SUMMA TUI CORDIS LAETITIA FRATRUMQUE PLAUSU
EA RELLIGIOSA VOTA QUAE QUINQUAGINTA ABHINC ANNIS
PUER INHIANS CAELESTIA
EMITTEBAS.

EJA IGITUR PATER
INTER TUI SPIRITUS GAUDIA HYMNOSQUE CONFRATRUM
PACTUM SOLLEMNE AUSPICE PATRE LEGIFERO JESU DOMINO RENOVA
TALIQUE DONO TIBI AUSPICATO CONCESSO
PERFRUITOR
DUMQUE VENERABILIS SODALIS PATER LEOPOLDUS A GAICHIS
CUJUS OSSA HEIC REQUIESCUNT
GESTIENS E CAELO TE RESPICIT
EXCIPITO VOTA
QUIBUS HUJUS PROVINCIAE SUPERIOR
SALVATOR AB ASSISIO
SUO SUORUMQUE SPIRITUALIUM FILIORUM NOMINE
TIBI
UT TUA VELUT AQUILAE RENOVATA JUVENTA
QUINQUENNIA MULTA FELICITER VIVAS
EXOPTAT.

IV.
BIBLIOGRAPHIA

ANONIMO, M. O. — Novene e Tridui che si praticano nelle Chiese Francescane dell' Osservante Provincia di Bologna. — Parma, Tip. della Santissima Nunziata, 1891. Pag. 139.

P. EMILIO CRIVELLI, M. O. — Vita di S. Caterina da Siena. — Siena, Tip. Arciv. S. Bernardino edit. 1889. In 16. pag. 226. L. 1,50.

P. GIULIO DI GESÙ E MARIA, Def. Gen. Alcant. — Il mese di Ottobre consacrato al glorioso Apostolo S. Giuda Taddeo. — Napoli, Alfonso Cristarelli Editore. Seconda edizione, 1891. Un Vol. di pag. 176 Pretium L. 1.

Prostat Romae in Collegio S. Antonii, et in pia domo S. Balbinae.

P. MARCELLINO DA CIVEZZA, M. O. — 1. Saggio di quel che hanno fatto e fanno i Missionari Francescani in Terra Santa. Abiure e riconciliazioni ottenute e battesimi conferiti ad adulti dall' anno 1768 a tutto il 1855. Memorie estratte dagli Archivi di quella Missione dal P. Marcellino da Civezza. M. O. — Firenze, Tip. di Enrico Ariani. Via Ghibellina 53-55. 1891. In 8 gr. pag. XIII-78.

2. Storia Universale delle Missioni Francescane, vol. VII, parte II, pag. 1083. — Prato, Tip. Giachetti, Figlio e C., 1891, prezzo L. 7.

3. Per cura del medesimo (Cura ejusdem). Solenne Ambasceria del Giappone al Sommo Pontefice Paolo V affidata al Francescano P. Luigi Sotelo, eletto poi Vescovo della parte orientale di quell' Impero, e Martire ultimamente annoverato dalla Chiesa tra i Beati del Cielo. Appendice alla II Parte del VII vol. della Storia ecc. — Prato ecc. prezzo L. 1.

Haec secunda Pars VII vol. nostrarum Missionum Historiae, quae diu expectata est eo quod clar. Auctor aliis elucubrationibus non minoris momenti, et quidem ex obedientia susceptis eodem tempore incumbebat, excedit paginarum numero primam Partem, imo omnia alia volumina usque nunc in lucem edita; et dici potest quod excedit etiam materiae gravitate. Agit enim de rebus a Nostris praeclare gestis, praesertim a S. Francisco Solano apud Americae gentes, et a S. Petro Baptista ejusque Sociis apud Japoniam saeculo ineunte decimo sexto. Ideoque etiam hoc volumen speciali modo Fratribus nostris acquirendum proponimus una cum sua Appendice.

Interim occasionem sumimus ad memoriam revocandi, omnia alia hujus praeclarae Historiae praecedentia volumina, quae etiam separatim acquiri possunt, prout opportunitas vel necessitas requirit, apud hanc Curiam Generalem extare, pretio jam alibi satis declarato.

P. Simpliciano della Natività, Ex-Provinciale Alcant. — 1. Vita dell' Apostolo S. Giuda Taddeo speciale Patrono nelle umane sventure. Terza Edizione. — Napoli, Alfonso Cristarelli Editore 1889. Un Vol. di pag. 228. Pretium L. 1, 50.

2. Disciplina Regolare proposta alle Suore Terziarie Margheritine. — Roma, Tip. Poliglotta della S. C. della Propaganda Fide, 1890. Un Vol. di pag. 82. Pretium L. 1.

Prostant Romae in Collegio S. Antonii, et in pia domo S. Balbinae.

P. Anacleto Sonsini. — Discurso em Louvor de N. S. da Piedade proferido na Egreja da Piedade dos Padres Capuchinhos na Cidade da Bahia em 14 de Outubro de 1888 pelo P. Anacleto Sonsini Missionario Apostolico dos Menores Reformados, Vice-Commissario da Terra Santa no Brazil. — Manaos, Typographia Religiosa.

NECROLOGIA

Quam jamdiu Ref. Provincia Thusciae timebat, die 17 Augusti currentis anni, ingentem jacturam perpessa est morte Rev. P. Damiani in S. Alvernae monte a pulsandis Organis magistri. Natus est pius hic et eximius vir die 20 Julii 1851 in Arce S. Cassiani Prov. Florentinae ac Dioecesis Mutilanensis oppido illustri. Vel puerulus magno in artem musicam rapiebatur amore: primaque hujus artis elementa didicit duce P. Raymundo a Luicciana ejusdem Sanctuarii organorum celebri moderatore, in quem semper postea grata memoria affectus est. Ingenua ac ad pietatem prona indole praeditus, mundum ejusque blandimenta negligens sacris abdi recessibus unique virtuti ac scientiae integra adhuc aetate vacare magnopere concupivit; cui desiderio sanctioris vitae in claustro ducendae cum statim satisfacere ob temporum nequitiam non posset, diu illud corde fovit et aluit: et primus Collegium Seraphicum quod pro juvenibus probandis qui Ordini Franciscano cooptari postulant praeclarae memoriae vir deque Provincia optime meritus P. Andreas a Quarata excitandum curavit, ingressus est. Acri, ut erat, promptoque ditatus ingenio in re litteraria admodum profecit, disciplina praesertim usus P. Ermenegildi a Chitiniano peritissimi humaniorum literarum doctoris. Anno 1872 seraphicum habitum indutus, in sequenti anno magna laetitia cordis sui votorum simplicium professionem emisit studiorum Philosophiae ac Theologiae curriculum postea emensurus. In quibus licet sedulo incumberet, nunquam tamen sibi plurimum dilectae musicae artis studium intermisit, donec ad sacerdotii dignitatem evectus, Romam petiit Superiorum cura, quo sub optimorum magistrorum disciplina in ea arte expoliretur. Fere biennio ibi permansit tantumque Cajetano Capoccio magistro profecit, ut eum inter meliores discipulos clarissimus hic vir omnino accensuerit, maximamque de illo spem conceperit. Hoc autem jure dictum fuisse vel ex eo constat quod re musicae peritissimi praesertim Florentini magistri ejus singularem in pulsandis organis artem suspiciebant nec ex ipsis deerant qui hac praecipue de causa aspera Alvernae juga conscenderent ut ejus dulcissimas ac paene divinas harmonias audirent, ac maxima voluptate exciperent. Neque id solum probi; sed etiam increduli et impii homines, qui in-

terdum ad pios affectus vel invitos suavissimis suis organi modulationibus excitari, verbo scriptoque confessi sunt (1). Nec mirum. Ipse enim summopere abhorrebat sonos qui vel levissime Domum Dei dedecerent totusque in eo erat ut arte sua Deum coleret, atque ad Deum audientium mentes elevaret. Nonnulli etiam magni nominis critici de eo scripserunt et laudibus non uno nomine cumularunt (2). Pichi eum inter eminentiores organorum moderatores et rerum musicarum scriptores adnumerat, eoque praecipue laudat quod sublimia simul atque ad apices artis composita polleat scribendi atque organa modulandi vi. Nec vero quis arbitretur P. Damianum sic se artis musicae penetralibus conjecisse, ut quae Provinciae, cui addictissimus erat honori ac utilitati conferrent, non curaret. Licet enim debili semper ac adversa valetudine uteretur vehementi ardore, ac certe plus quam vires ejus ferrent, se dedit ut undique conquisitis monumentis historiam Provinciae suae conficeret, immo verius extrueret, quam tamen morte praeventus imperfectam reliquit. Sanctuarii Montis Alvernae, quod plane in deliciis habebat, incolumitate et decori maxime prospexit, nulli parcens labori ac sollicitudini. Nec minus ut Regularis disciplina firmaretur et augeretur ad extremum usque vitae spiritum adlaboravit. Testes habeo hujusce rei inter ceteros complures Provinciae juvenes, quos assiduis monitis, efficacissimis rationibus ad seraphicae perfectionis culmen arripiendum provehebat. Ipse vero Regulae et Constitutionum solertissimus cultor, aliis in quantum suppetebant vires, exemplo praeibat. Hae autem egregiae virtutes praesertim enituerunt, cum Deus extremo morbo tentavit eum, ut magis ac magis redderet dignum se. Licet enim morbi vi nonnullis in rebus aliquatenus se morosum praeberet, semper tamen singularis pietas et patientia in eo eluxit. Cum vero certo novit se moriturum, dulce videre erat quo spiritus ardore ab amore terrenarum omnium rerum divulsus, divino placito plene submissus, multiplices virtutis actus eliceret. Ejus mors lamentabilis omnibus, sed item omnium judicio pretiosa in conspectu Domini fuit, quia ad similitudinem mortis sanctorum ejus. Trigesimo ab obitu die, in sacro Alvernae monte solemne funus ad ejus animae parentandum instauratum fuit, in quo eximii viri laudes facili verborum copia divite affectus vena complexus est P. Theodosius a S. Digito ejus consodalis, ut religiosi et exteri ad lacrymas commoverentur. — Vivas in Deo, dulcissime Pater, non immemor nostrum, tui non immemorum, dum vita manebit.

(1) V. Canzoniere del Foresi. Sonetto al P. Damiano della Verna.

(2) Biagi, *Nazione* di Firenze, Pichi, *Gazzetta Musicale* di Milano, P. Capanna etc. Anno 46, 19 Aprile 1891.

R. I. P.

Adm. R. P. Marianus a S. Marco in Lamis natus die 3 Augusti 1824 jam a pueritia pietati ac litteris addictus, anno 1843 die 2 Julii ab Adm. R. P. Antonio a Sora tunc Ref. Provinciae S. Angeli in Apulia Minister ad Ordinem nostrum admissus, in eo sincerae devotionis, scientiae ac prudentiae suae plura specimina dedit. Ad Philosophiae cathedram primo, dein concursu generali peracto anno 1855 ad S. Eloquentiam docendam destinatus, discipulorum animos ad B. Virginem Marialis Rosarii recitatione colendam accendebat, et ad eorumdem fidem firmandam Symbolum Athanasianum « *Quicumque* » ut memoriae imprimerent exponebat.

Nec tantum inter suos S. Eloquentiae magisterio incubuit, sed et ejusdem scientiae publicus Professor fuit in Seminario Tudertino. In Capitulo Provinciali anni 1859 Minister suae Provinciae electus, tribulationes multas, exiliumque passus est eo quod denuntiatus fuerat qua gubernii hostis, ejus tamen innocentia tandem comperta fuit. Tandem Examinator Prosynodalis Dioecesis Ausculanae et Ceriniolae, ac Episcopi confessarius justorum morte occubuit die 9 Julii 1891. Reliquit manuscriptas poeses varias quae forsan publici juris fient. Funebria ejus solemnissima evaserunt, ceu testimonium aestimationis qua omnes eum prosequebantur.

R. I. P.

Nihil obstat

Fr. Aloysius, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

Novembris 1891.

SUMMARIUM: I. ACTA ROMANO-SERAPHICA: *Litterae Apostolicae quibus Hierarchia episcopalis in Japonia constituitur.* — S. R. U. Inquisitionis: *De irregularitate haereticorum eorumque filiorum.* — S. R. Cong. *Dubia.* — II. ACTA ORDINIS: *Restauratio Obs. Prov. Portugalliae.* — *Erectio novae Ref. Prov. Lucensis.* — *Capitula Provincialia hoc anno celebrata.* — *Synopsis Indulgentiarum (Continuatio).* — III. MISSIONES: *Epistola Rmi P. Benjamini Christiaens, Vic. Ap. Hu-pe Meridionalis, circa recentes persecutiones.* — *Capitula Collegiorum in America.* — IV. BIBLIOGRAPHIA. — V. NECROLOGIA.

I.

ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

LITTERAE APOSTOLICAE

Quibus hierarchia episcopalis in Japonia constituitur.

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Non majus Nobis neque optabilius solatium esse potest, in hoc turbulento et aerumnoso rerum humanarum cursu, quam ut catholicae religionis lumen apud dissitos populos ignarosque veritatis late propagari, iisque cum CHRISTI doctrina et libertate, veram prosperitatem et salutem feliciter afferri videamus. In hoc praecipui momenti opus gratissimum est Nobis curas omnes et studia conferre, omnique ope adniti, ut praesto sint omnibus gentibus ad catholicam pietatem praesidia, ad christianae vitae disciplinam ministeria, eaque recte constituta suam vim et virtutem expromant, unde illud nos assequi gaudemus, ut divinae serviamus gloriae, ac pro munere Nostro adjutores divinae erga homines bonitatis simus.

Hoc animo comparati magno sane cum gaudio conspicimus in Japonico Imperio christiana instituta et sacra hoc tempore, divini Numinis ope reviviscere, atque in hac extrema et illustri orientis solis regione liberum patere campum Evangelicae veritatis praeconibus ad fidem catholicam serendam et propagandam, quam apostolici viri saeculo XVI, ad omnia discrimina impavidi, in eas oras intulere, suisque sudoribus et sanguine irrigarunt.

Quo enim tempore schismatum et haeresum labes plures Europae urbes infecerat, strenui catholicae veritatis ministri ignotas et inexploratas terras, quas paulo ante versis in altum proris fortes et experientes navitae patefecerant, adire non dubitarunt, non aliud operae pretium petentes, quam ut CHRISTI nomine adlato, ad Ipsum in quo est vita, salus et resurrectio nostra, nescias mentes et devia corda converterent. Hisce veritatis nuntiis faustus aditus in Japonicam regionem patuit anno supra sesquimillesimum quadragesimo secundo, cum Lusitani, quorum ingens animus et praestans virtus in maritimis expeditionibus merita ad posteros gloria fulget, ad eas oras multis perfuncti periculis appulissent; anno deinde ejusdem saeculi nono et quadragesimo ad faustitatem Japoniae gentis contigit, ut S. Franciscus Xaverius Apostolorum veterum virtutis heres, opere et sermone potens Japo-

niorum insulas, ad monstrandum gentibus rectum salutis iter ingrederetur. Quo pollebat Dei spiritu magnus hic sospitator orientis, nullis parcens laboribus, innumerabilem hominum vim Christo lucrifecit; ejusque vestigia illustres sodales ejus deinde sequuti, in plures Imperii magni provincias successere, ea felicitate curarum, ut brevi tempore centena plura hominum millia baptismate sancto abluerint, qui ab inanium deorum cultu, ad laeta Domini pascua caulasque transierunt. Horum porro aemulatores praeclari viri e Franciscali, e Dominiciana familia et Augustiniani sodales ex ordine Eremitarum extitere, qui in patentes Japoniae partes effusi, magno ubique ministerii sui fructu, Christi regnum amplificarunt.

Auspicatissimis hisce rei christianae incrementis permotus S. Pius V decessor Noster anno MDLXVI cum Patriarcha Aethiopiae egit, ut in Japoniam ad catholici ministerii opera adjuvanda migraret, ac deinde Episcopalem Sedem (quod Lusitaniae Regi Fidelissimo in votis erat) apostolica auctoritate constituit, ejusque procurationi Japonicas insulas, quas hac occasione a dioecesi Macaonensi, in cujus ditione erant, sejunxit, addictas omnes creditasque voluit. Novo sacrorum Antistiti sedes in civitate de Funay attributa fuit, collatis eidem facultatibus et juribus omnibus, quae ad rem christianam bene gerendam usui esse posse viderentur. Haudquaquam tenues aut ignobiles et obscuri fuere fructus, qui ex providis S. Pii V curis manarunt, ut successores ejus latere possent: viderunt enim verae fidei lucem in Japonia ab infimis primum hominibus, mox Deo incrementum afferente a nobilioribus receptam, tandem ad Principes, ad Dynastas, ad Reges ipsos pervenisse. Splendidum hujus rei argumentum praebuere anno MDLXXXV tres nobilissimi Principes, Rex scilicet Bungi, Rex Arimanorum et Princeps Omuranorum, qui ad Pontificem Maximum Gregorium XIII (is enim S. Pio V in Romana Sede successerat) lectissimorum virorum legationem, ad obsequium, fidem, pietatem suam erga Apostolicam Sedem declarandam mittere non dubitarunt, quae legatio ex ultima Orientis regione profecta, nullis ante saeculis visa, genere suo amplissima, magnam in hac Urbe apud omnes ordines admirationem habuit, celebritatem, gratulationem. Clarissimos viros summo loco natos Pontifex Maximus in amplissimo S. E. R. Cardinalium conventu, in magna Principum Antistitumque frequentia, summo omnium ordinum studio et celeberrimo comitatu, praecipua cum significatione benevolentiae et existimationis accepit, omni quo par erat officio prosecutus est: eosdemque Sixtus V, cui Pontificatus Maximus post Gregorium delatus est, summo in honore habuit, et in patriciam Urbis nobilitatem, qua erant fidei et generis claritate, cooptatos voluit.

Sed tantam hanc rei christianae in Japonia prosperitatem, gravis admodum exceptis insequutis temporibus et foeda tempestas, Taicosama aliisque deinceps Principibus imperantibus catholicae religioni infensis, et ab ea humanitate longe abhorrentibus, ex qua non exigua hoc aevo, Japonico Imperio gloria redundat.

Ejus enim acerbitate temporis non in externos solum sacerdotes et religiosos viros, sed in ipsos Japonios cives catholicae fidei excindendae causa, usque adeo saevitum est, ut fideles turmatim carnificibus objicerentur: at cruciatus, caedes, terrores non ad labefactandam eorum constantiam, sed ad illustrandam martyrii palma ipsorum virtutem valuere. Tandem fidelibus qui cladi superfuerant tum civibus tum exteris e Japonia ejectis exturbatis, publicoque edicto proposito ne cui catholicam religionem exercere jus fasque esset, quantum christiani nominis in ea regione erat, deletum penitus et extinctum visum est.

Verumtamen cum plures post annos adversorum temporum flamma remisisset, nihil antiquius fuit Decessoribus Nostris, quam pro suo munere operam dare collapsis in Japonia religionis rebus restituendis, et evangelicis operariis excitandis ad capessendum apostolicum munus, et Christi militum qui mactati fuerant copias redintegrandas. In hac re enituit in primis Urbani VIII magnitudo animi; is enim non modo quae a Decessoribus suis Gregorio XIII, Clemente VIII et Paulo V constituta fuerant in usum revocavit, sed providentiae suae curas latius etiam manare voluit. Studio ejus obsequutum sacrum Consilium fidei propagandae, a primoribus coepti sui ministerii annis, repa-

randis in Japonia religionis detrimentis suam opem conferendam censuit, atque ex Apostolica auctoritate decreta edidit, quae ad perfectam voluntatum et animorum concordiam inter sacrarum expeditionum viros, statuendam tuendamque, ad Seminarium Japoniorum in Urbe Manila situm, in suo statu et vestigio conservandum, ad novum Episcopum Japoniae fidelibus praeficiendum, pertinebant. Nec porro insequentibus temporibus destitit Vicariis Apostolicis et sacrorum administris finitimarum Japoniae regionum, ad ministerium inter Japonios aggrediendum stimulos admovere: sed conantibus ab incepto absistere necesse fuit, iis impedimentis et difficultatibus oblatis, quae nullum eorum operae locum potestatemque relinquerent. Interea obsepta licet Christi religioni omnis via esset, effusus tamen a veteribus christianis sanguis effecerat, ut plurium christianorum vigeret in Japonia seges, quippe fides catholica olim publice consita, deinde exagitata et ejecta, pluribus in familiis, quae eam studiose fovebant, privatim diuque latuit occulta. Non semel enim, non superiore modo, sed hoc ipso ineunte saeculo ad divinae providentiae gloriam compertum fuit, non exiguum fidelium numerum in Japoniae vicis praesertim et oppidis versari, qui traditam a veteribus Evangelii praeconibus fidei doctrinam religiose apud se retinerent, et vero Deo cultum ex catholica disciplina persolverent.

Novissimis autem hisce temporibus divinae clementiae placuit fauste illud et feliciter evenire, ut Catholicis ex Europa advenis veterum Japoniae fidelium ex insperato occurreret obvia progenies, et religio Catholica in pristinas sedes aperta semita remearet. Expeditiones quippe, quas Gallicum Imperium nostrorum memoria temporum in Japoniam destinavit, laetam opportunitatem et facultatem praebuere Evangelii nunciis, ut in Legatorum qui ad publicas pactiones ineundas missi fuerant clientela et fide, regionem ipsam veterum sodalium vestigiis impressam attingerent. Rerum quidem initia ipsis plena negotii et aspera difficultatibus extitere, sed haec tanti non fuerunt apud decessorem Nostrum Gregorium XVI, ut eum a Vicariatu Apostolico ex sententia sacri Consilii fidei propagandae, apud Japonios constituendo deterrerent. Haec vicaria procuratio, simulque Episcopalis dignitas Augustino Forcade Sacerdoti e Seminario Parisiensi ab exteris expeditionibus anno MDCCCXLVI demandata fuit, eique munus datum, ut una cum adjutoribus suis non modo in Japonia insulisque conterminis, sed etiam in Liou-Kou (id insulae nomen) rem christianam administraret. Plures obstitere causae quominus ipse delato munere fungi posset, sed collegae ejus Seminarii Parisiensis sacerdotes, propositam suae virtuti occasionem alacriter arripuere, atque in hac, uti in aliis expeditionibus ita plures annos versati sunt, ut praeclara prorsus ediderint suae pietatis et constantiae magnis in laboribus argumenta. Praecipue vero divinae benignitatis gratia effulsit in illustri alumno Seminarii Parisiensis presbytero Girard, qui stabili sede inter Japonios posita, iis ad Christum adjungendis superiorum omnium primus feliciter adlaborare potuit, cujus rei causa ab Apostolica hac Sede provicarii nomen et potestatem accepit. Faustis ille quidem, tum sibi tum Japoniae genti, Japonicum solum attigit auspiciis; namque ut olim S. Franciscus Xaverius die receptae in caelum Deiparae sacro, sic ipse Japonem ingressus est anno hujus saeculi quarto et quinquagesimo, quo immaculati Deiparae conceptus gloria supremo magisterio decessoris Nostri Pii IX consecrata et catholico orbi promulgata, universi christiani populi animos in unius fidei pietate et obsequio conjunxit. Nec longe ab eo tempore, quo ipse in Japonia constitit, ritus et sacra catholicae religionis in sedibus legationis Gallicae obire publice coepit: deinde in urbe Yokoama primum Deo vero templum, quod Japonicae pietati gratissimum accidit, dedicatum est, tribus poene saeculis elapsis ex quo catholica religio e Japonia exulare jussa fuerat, nec multo post alterum in civitate Nagasaki honori sex et viginti Martyrum Japonensium excitatum est, quibus decessor Noster Pius IX sanctorum caelitum honores decreverat. Qua sunt Japoni naturae indole ad honestatem et humanitatem in primis propensa, nequaquam inertes et segnes ad Christi religionem suscipiendam se praebuere, et confestim e fertili campo uberrima messis emicuit catechumenorum ad decem millia, qui sese instituendos in catholica doctrina obtulere, ut deinde salutari

lavacro expiarentur. Quamquam autem hoc ipso tempore antiquus humani generis hostis novas irarum faces in catholicum nomen incendere aggressus esset, et gravia pericula viderentur imminere, brevi tamen propitia divini numinis ope, hostilis resedit furor, ac tranquillitate reddita, fidei germina, quae diu in Japonia latuerant, Evangelii ministris illic versantibus palam se prodiderunt. Veterum enim fidelium posteris fidenter in lucem publicam prodeuntibus, plus decem millia hominum reperta sunt, in quos catholicae fidei hereditas a patribus integra et incorrupta manaverat. Scilicet divina Providentia servaverat prisca renascenti in Japonia Ecclesiae fundamenta, super quae ipsa iterum aedificata consurgeret, servaverat decus, ut novi fideles non veluti hospites et advenae, sed cives et domestici veterum Japoniae Martyrum, in unam cum ipsis compagem coalescerent.

Cum haec ita se haberent de sententia Consilii Nostri fidei propagandae anno hujus saeculi sexagesimo sexto, novus Japoniae Vicarius Bernardus Petitjean, idemque Episcopus titularis Myriophytensis auctoritate Apostolica renunciatus est, qui magna cum sollicitudine rei christianae ordinandae animum et vires intendit. Decem exinde post annos vicaria procuratio bifariam divisa et distributa fuit, Japonia scilicet septentrionali ab australi sejuncta, ac in utriusque regionis partes Apostolicis viris confluentibus plurima ubique magisteria ad catholicam institutionem tradendam, confestim Japoniorum utilitati patuerunt. Tres autem ante annos novis praesidiis rei sacrae administrationem Nos instrui oportere intelligentes, novum Vicariatum in ipso Imperii gremio, centralem appellantes constituimus; hoc autem anno Vicariatum alterum excitavimus in ea Japonis plaga, quae propius septentriones spectat.

Cum vero postremis hisce temporibus humanitate et aequitate Japonici Imperii erga catholicae veritatis magistros, satis prospero res christiana cursu frueretur, haudquaquam praetermittendum duximus, quin litteris Nostris Supremo Imperanti grati animi sensus ederemus, significatione adjecta, quantum propensae ejusdem in Christifideles voluntati et constantiae confidamus. His litteris datis plenum humanitatis et officii responsum a Majestate Ejus accepimus, per virum spectatissimum legationis nomine in Urbem ad Nos missum, cum solemnia anni quinquagesimi a sacerdotali Nostra consecratione ageremus.

Nunc itaque religionis in Japonico Imperio rationibus uberiores Nostrae providentiae curas feliciter postulantibus, justisque causis animum Nostrum ad optimam spem erigentibus, maturum tempus adesse arbitramur, quo hierarchicam rei sacrae administrationem ad canonicarum legum praescripta in eodem Imperio constituamus, eaque constituenda efficiamus, ut praesidia omnia et beneficia e catholica religione promanantia, abunde et opportune a Japoniis fidelibus, uti cuique opus et studium fuerit, percipiantur.

Quamobrem rogatis uti par erat VV. FF. Nostrorum S. E. R. Cardinalium e sacro Consilio Fidei propagandae sententiis, fusis ad Omnipotentem Deum precibus, imploratаque ope Deiparae Virginis, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Francisci Xaverii qui ministerium veritatis et salutis in Japonia gessit, nec non et inclitorum Martyrum quorum olim triumphali sanguine Japonicum solum perfusum est, motu proprio, certa scientia et matura deliberatione Nostra, de Apostolicae potestatis plenitudine, ad majorem divinae Majestatis gloriam fideique catholicae incrementum, his litteris Nostris Episcopalem Hierarchiam in Japonico Imperio excitamus et constituimus, atque illustrem urbem Tokio, quae Imperii caput et Serenissimi Imperatoris sedes est, ad Metropolitanae seu Archiepiscopalis Sedis dignitatem evehimus, ditioni ejus attribuentes, ad septentriones totum eum tractum qui Provinciarum Itchigo Iwatshiro Iwaki fines australes attingit, ad austrum totam plagam quae integras Provincias Ietchidjen, Mino et Owari complectens, usque ad lacum Biwa patet, ad ortum et occasum regionem totam utrimque patentem, usque ad oras quae mari alluuntur.

Huic autem Metropolitanae Ecclesiae tres Episcopales seu suffraganeas Sedes adjicimus, quarum alteram in urbe Nagasaki, Japonensium Martyrum nobilitata trophaeis, alteram in civitate Osaka, tertiam in urbe Hakodate erigimus et constituimus. Nagasakiensis sedes Japoniae regionem quae magis in austrum ver-

git complectetur, insulas scilicet Kiou-Chiou, Hirado, Goto, Tsuchima, Lioukou, nec non minores alias, quas circumfusas pelagus ambit.

Osakensis sedes centralem Japoniae partem obtinebit, nempe totum eum tractum, qui a lacu Biwa et a finibus Provinciarum Imperii Ietchidyen, Mino et Owari, ad occidentales usque oras magnae Insulae de Nippon pertinet, adjecta insula Chicocou, aliisque objacentibus, quae sub potestate Magistratuum Provinciarum, quas supra diximus, continentur.

Hakodatensis tandem Dioecesis regionem totam habebit, quae propius septentriones subit, scilicet ad boream totum territorium Jezo et insulas Kouriles complectetur, et ad austrum integras Provincias Itchigo, Iwatshiro, Iwaki, quas supra memoravimus.

Quo vero Sedibus quas constituimus de idoneis Pastoribus provideamus, Vicarios Apostolicos qui antehac suas curas Catholicae Religioni in Japonia provehendae sedulo contulere, his Nostris litteris Ordinariorum Episcoporum jure ac nomine insignimus,

Scilicet Venerabiles Fratres Petrum Osouf ab titulari Ecclesia Arsinoite ad Metropolitanam Sedem Tokiensem,

Julium Alphonsum Cousin a titulari Ecclesia Acmoniensi ad Sedem Episcopalem Nagasakiensem,

Felicem Midon a titulari Ecclesia Caesaropolitana ad Episcopalem Sedem Osakensem,

Demum Alexandrum Berlioz a titulari Ecclesia Calyndensi ad Episcopalem Sedem Hacodatensem,

transferimus et promovemus.

Archiepiscopi autem et Episcoporum munus erit, conjunctis animis et studiis rite ordinandis Ecclesiae rebus, et Christi Domini regno amplificando operam navare, itemque rectae rerum sacrarum administrationi accurate consulere. Nobis autem nihil unquam antiquius futurum, quam auctoritate, consilio, ope Nostra iisdem praesto esse in omnibus, quae ad divini nominis gloriam et animarum salutem pertinere intellexerimus.

Cum porro Japonici Imperii studium luculenter eniteat in iis peragendis, quae ad utilitatem, prosperitatem, decus Japonici nominis potissimum spectant, nihil dubitamus auctoritate publica cautum fore, ut novis Pastoribus plena ea libertas ministerii constet, cujus ope non modo christiana sapientia, sed verae etiam humanitatis laus in populos propagatur. Annuat dives in misericordia Deus, qui facit mirabilia magna solus, ut suae bonitatis divitiis in unius fidei confessione, et in catholicae Ecclesiae gremio, Japoniae cives universi late perfruantur.

Decernimus tandem has Nostras litteras nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis vitio sive intentionis Nostrae, alioque quovis defectu notari vel impugnari posse, et semper validas ac firmas fore, suosque effectus in omnibus obtinere, ac inviolabiliter observari debere.

Non obstantibus apostolicis atque in synodalibus provincialibus et universalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus sanctionibus, nec non veterum Sedium existentium olim in Japone, et Missionum ac Vicariatuum Apostolicorum ibi constitutorum, et quarumcumque Ecclesiarum ac piorum locorum juribus aut privilegiis, juramento etiam confirmatione Apostolica, aut alia quacumque firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. His enim omnibus tametsi pro illorum derogatione specialis mentio facienda esset, aut alia quantumvis exquisita forma servanda, quatenus supradictis obstant expresse derogamus. Irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter aut ignoranter contigerit attentari. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, manuque publici Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum suo sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi, ipso hoc diplomate ostenso haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XV Junii anno MDCCCXCI, Pontificatus Nostri XIV.

M. Card. Ledóchowski.

EX S. R. ET U. INQUISITIONE

De irregularitate haereticorum et eorumdem filiorum.

Illme et Rme Domine,

Supplicibus litteris Fulda datis die 21 Augusti anni currentis, Amplitudo Tua una cum aliis Episcopis ad SS. Reliquias S. Bonifacii congregatis, haec postulata proponebat:

I. Scilicet, ut declararetur num et quatenus irregularitates, quibus subjacent haeretici eorumque descendentes, istis in regionibus obtinere censendum esset; et quatenus affirmative,

II. Ut tum Ordinationes absque harum irregularitatum dispensatione, a quopiam ex petentibus usque adhuc impertitae, beneficio sanationis munirentur, tum ut cuivis ex ipsis super hujusmodi irregularitatibus dispensandi facultas in posterum impertiretur.

Re ad examen vocata in Congregatione habita feria V loco IV, die 24 Novembris p. p., Emi Dni Cardinales una mecum Inquisitores Generales decreverunt:

Quoad I.m Affirmative; et haereticos ad fidem catholicam conversos ac filios haereticorum, qui in haeresi persistunt vel mortui sunt, ad primum et secundum gradum per lineam paternam, per maternam vero ad primum dumtaxat, esse irregulares, etiam in Germania et in aliis locis, de quibus petitur; ideoque dispensatione indigere, ut ad tonsuram et Ordines promoveantur.

Quoad II.m: Ad praeteritum quod spectat, supplicandum SSmo pro sanatione; quod spectat ad futurum, supplicandum SSmo pro facultate dispensandi ad quinquennium, facta in singulis dispensationibus expressa mentione Apostolicae delegationis.

Sequenti vero feria VI 5 Decembris, facta de his SSmo D. N. relatione, eadem Sanctitas Sua Emorum Patrum suffragium approbare ac petitas gratias benigne concedere dignata est.

Quae dum Amplitudini Tuae significo cum aliis Praesulibus oratoribus communicanda, fausta quaeque Tibi precor a Domino.

Romae, die 14 Decembris 1890.

Rmo Archiep. Colonien.
Amplit. Tuae addictmus in Domino
R. Card. Monaco.

—

EX S. CONGR. RITUUM

NITRIEN.

Rmus Dnus Augustinus Roshavanyi, Episcopus Nitrien. Sacrae Rituum Congregationi sequentia Dubia pro opportuna declaratione humillime subjecit, nimirum:

Dubium I. An concurrente commemoratione festi ritus duplicis simplificati cum commemoratione Dominicae privilegiatae, hujus commemoratio praecedere debeat alteram de festo duplici simplificato, vel viceversa?

Dubium II. An juxta Decretum *Urbis et Orbis* diei 28 Junii 1889, secundae Vesperae diei octavae Corporis Christi integrae de eadem octava fieri debeant; vel juxta alias decreta a S. Rituum Congregatione illae Vesperae integrae de sequenti Festo Sacri Cordis Jesu dicendae sint, absque octavae Corporis Christi commemoratione?

Dubium III. An sacra paramenta coloris albi in Missa de sacro Corde Jesu adhibenda sint, tum in locis ubi Missa *Egredimini* cum Praefatione de Nativitate celebratur, tum reliquis in locis ubi Missa *Miserebitur* cum Praefatione de Cruce usurpari debet?

Sacra vero eadem Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam;

Ad II. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam;

Ad III. Affirmative.

Atque ita rescripsit et servari mandavit die 15 Novembris 1890.

C. Card. Aloisi-Masella, *Praef. S. R. C.*
Vincentius Nussi, *Secret.*

II.
ACTA ORDINIS

RESTAURATIO
OBS. PROVINCIAE PORTUGALLIAE

FR. ALOYSIUS DE PARMA
ORDINIS MINORUM REGUL. OBSERVANTIAE
SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI
LECT. JUBIL. IN S. THEOLOGIA
JAM MINISTER OBS. PROV. BONONIENSIS
TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTER GENERALIS
ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS.

Dilectis Nobis plurimum in CHRISTO *Patribus ac Fratribus in Lusitano Regno degentibus, Salutem et Seraphicam Benedictionem.*

DECRETUM

Inter Regularis Observantiae Provincias, quae antiquitate, sanctitate et fecunditate eminent, jure merito illa recensetur quae in Regno fidelissimo Lusitaniae, Provincia Portugalliae denominatur: hanc enim omnes aliae Provinciae et Custodiae, in Lusitana dominatione positae, veluti communem Matrem semper veneratae sunt. At cum anno 1833, temporum et hominum nequitia, bellum jamdiu praeparatum et intentatum, consummatum fuerit adversus Ecclesiam CHRISTI et specialiter contra Ordines Regulares, Provincia ipsa Portugalliae ad nihilum redacta fuit, ac ideo unusquisque Religiosorum vitam privatam degere necesse habuit. At DEUS, qui neminem deserit nisi deseratur, in medio inimicorum suorum hucusque maxime furentium, excitavit nonnullos superstites Religiosos ad vitam vere franciscanam resumendam, qui reapse in antiquo Varatoji Conventu collecti, sub regimine P. Joachim a SPIRITU SANCTO, principium posuere restaurationis ejusdem Provinciae, ita alacriter ut intra brevissimum tempus quatuor ad sex Coenobia erecta haberentur, quae, uti firmiter in DOMINO confidimus, erunt veluti fertilissima semina quae majores copiosioresque sanctitatis fructus ac Ordinis ulterius incrementum, quamprimum, gratia DEI et protectione Patriarchae Nostri, datura, minime dubitamus.

Hinc, attentis petitionibus Patrum Discretorum cum Commissario Generali eorumdem Conventuum Nobis porrectis sub die 29 Junii 1891: obtentis et inde ponderatis privatis et momentosis informationibus quas repetite exquisivimus apud viros hac in re peritissimos et omni exceptione majores; opportunis et necessariis facultatibus a S. Cong. Ep. et Reg. receptis sub die 1 Septembris anni currentis: habito consensu et voto Rmi Definitorii Generalis in Congressu diei 16 Septembris proxime elapsi: praemissis aliis quae praemittenda erant, in Congressu Generali die 15 Octobris currentis habito, Conventus Regularis Observantiae S. Francisci in Regno Lusitano ad formalem veramque Obs. Provinciam erecti sunt, retento antiquo nomine *Provinciae Portugalliae* cum omnibus juribus, honoribus et privilegiis quae de jure vel legitima consuetudine nostris Provinciis competunt.

Iis omnibus praejactis, suprema qua in Ordine Seraphico pollemus auctoritate, Conventus praefatos in Provinciam erigimus, et erectam praesentibus litteris declaramus juxta Constitutiones Apostolicas, et Ordinis nostri Statuta Generalia. Volumus autem et praecipimus ut Provincia Portugalliae regatur et gubernetur secundum Constitutiones Ordinis in ultimo Capitulo Generali adprobatas et a Nobis confirmatas et promulgatas.

Insuper praefatis Constitutionibus aliisque Ordinis nostri legibus inhaerentes, cum Minister Generalis cum suo Definitorio pro prima vice nominare et eligere possit ac debeat Min. Provincialem, Custodem et Definitores: Nos vigore praesentium regimen et gubernium Provinciae Portugalliae jam instauratae et erectae ita instituimus et institutum declaramus, prout jam in Congressu Generali diei 15 Octobris currentis decretum fuit; scilicet instituti sunt:

In Ministrum Provincialem:

R. P. DOMINICUS A CORDIBUS JESU ET MARIAE.

In Custodem:

R. P. Joseph a Matre DEI.

In Definitores:

Adm. VV. Patres Joachim a Purificatione,
Emmanuel a S. Angelo,
Hyacinthus a S. Familia,
et Joannes Petrus Deambrogi.

Hos omnes sic electos confirmamus, et qua tales revereri et recognosci a Provincia Portugalliae rigorose mandamus.

Tandem omnibus ac singulis Patribus ac Fratribus cujuscumque gradus et conditionis praefatae Provinciae in virtute S. Obedientiae et sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda aliisque poenis ad nostrum arbitrium infligendis, praecipimus ut R. P. DOMINICUM A SS. CORDIBUS JESU ET MARIAE in Min. Provincialem cum summa reverentia excipiant, eique tanquam eorum vero legitimoque Provinciae Superiori subjiciant, pareant et obediant in omnibus quae non sunt contraria animae suae et Regulae nostrae.

Valete, ac pro Nobis exorare mementote.

Dat. Romae ad S. Antonium, 18 Octobris 1891.

Fr. ALOYSIUS, *Min. Genlis.*

L. ✠ S.

De mandato Paternitatis Suae Rmae
Fr. PETRUS AB ARCE PAPAE,
Secret. Generalis Ordinis.

—

II.

ERECTIO

NOVAE REF. PROVINCIAE LUCENSIS

FR. ALOYSIUS DE PARMA
ORDINIS MIN. REGUL. OBSERVANTIAE
SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI
LECT. JUBILATUS IN S. THEOLOGIA
JAM MINISTER OBS. PROV. BONONIENSIS
TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTER GENERALIS
ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS.

DECRETUM

Auctoritate Apostolica vi Indulti S. Congregationis negotiis et consultationibus Episcopor. et Regularium praepositae die 23 Septembris 1891, concessa utentes, praevio consensu Definitorii Generalis die 15 Octobris 1891 canonice congregati in hoc Nostro Collegio S. Antonii ad Lateranum, Custodiam Lucensem Ordinis Nostri Strictioris Observantiae sub titulo S. Joseph ex Conventibus Burgi ad Mozzanum, Camajoris, Viaregii, Boviani et Lucensis, in Provinciam sub eodem titulo erigimus et erectam declaramus.

Deinde cum juxta Ordinis Nostri Constitutiones in prima Provinciarum institutione ac erectione, Superiorum electio ad Ministrum Generalem sit devoluta, Nos ad electionem Ministri Provincialis, Custodis, Definitorum praefatae Provinciae devenire censuimus, sicut reapse devenimus et, praevio consilio et consensu Definitorii Generalis canonice congregati, ut memoravimus, instituimus et eligimus ad triennium:

R. P. Joseph a Burgo ad Mozzanum, Ministrum Provincialem;

R. P. Benignum a Plebe Camajoris, Custodem;

A. V. P. Jucundum a Bozzano;

A. V. P. Honoratum a Bozzano;

A. V. P. Angelum a Camajore;

A. V. P. Eustachium a Plebe Camajoris, Definitores;

Cum omnibus facultatibus ac privilegiis, quae Ministris Provincialibus, Custodibus, Definitoribus juxta Constitutiones competunt vel competere possunt.

Mandamus insuper, ut omnes praefatae Provinciae Patres ac Fratres R. Patrem Joseph a Burgo ad Mozzanum, quem supra memoravimus tamquam legitimum Superiorem seu Provincialem a Nobis electum teneant atque venerentur ejusque mandatis in omnibus, quae non sunt contra animam et Regulam nostram, obtemperare satagant et quidem sub poena excommunicationis et aliis arbitrio nostro infligendis, sicut volumus, ut dignoscant tamquam legitimum Custodem et Definitores laudatos Patres.

DEUS autem sua benignitate benedictione repleat novam Provinciam a nobis erectam eique incrementum dare dignetur.

Datum Romae, e Collegio Nostro S. Antonii ad Lateranum, die 15 Octobris 1891.

FR. ALOYSIUS DE PARMA, *Min. Generalis.*

L. ✠ S.

De mandato Paternitatis Suae Rmae
Fr. JOSEPH MARIA A TRIDENTO,
Strict. Obs. Secret. Glis.

Reg. Luc.
N.° 59

—

CAPITULA PROVINCIALIA
hoc anno celebrata.

—

XXXII.

Recol. Prov. S. Crucis in Saxonia.

In Conventu Paderbornensi ad S. Josephum Sponsum B. M. V. die 24 Septembris anni 1891, legitime celebratum est Capitulum Provinciale, Praeside Adm. R. P. F. Othmaro Maasmann ejusdem Provinciae Ex-Ministro et pro hac vice Commissario Generali. Rite et canonice electi sunt:

Minister Provincialis

A. R. P. Othmarus Maasmann.

Custos

R. P. Benedictus Bechte.

Definitores

A. V. P. Cassianus Greiwe.
A. V. P. Felix Hosbach.
A. V. P. Aurelius Dreves.
A. V. P. Lucius Buchholz.

—

XXXIII.

In Congressu, die 15 Octobris habito, a Rmo Ministro Generali cum suo Definitorio, ad tramitem Constitutionum Ordinis, sequentes electi sunt Patres Minister et Definitores restauratae Provinciae Portugalliae.

Minister Provincialis

R. P. Dominicus a SS. Cordibus Jesu *et* Mariae.

Custos

R. P. Joseph a Matre Dei.

Definitores

A. V. P. Joachim a Purificatione.
A. V. P. Emmanuel a S.to Angelo.
A. V. P. Hyacinthus a S. Familia.
A. V. P. Joannes Petrus Deambrogi.

—

XXXIV.

In Congressu diei 15 Octobris, de consensu Rmi Definitorii Generalis, neo-erectae Reformatae Provinciae Lucensis sequentes Patres electi sunt, ad tramitem Constitutionum Ordinis:

Minister Provincialis

R. P. Joseph a Burgo ad Mozzanum.

Custos

A. V. P. Benignus a Plebe Camajoris.

Definitores

A. V. P. Jucundus a Bozzano.
A. V. P. Honoratus a Bozzano.
A. V. P. Angelus a Camajore.
A. V. P. Eustachius a Plebe Camajoris.

—

XXXV.

Obs. Prov. Barensis.

Minister Provincialis

R. P. Raphaël de Andria.

Custos

R. P. Augustinus de Barletta.

Definitores

A. V. P. Bartholomaeus de Andria.
A. V. P. Raphaël de Bitonto.
A. V. P. Jacobus de Atella.
A. V. P. Nicolaus de Andria.

—

XXXVI.

Obs. Prov. S. Ferdinandi in Molisio.

Minister Provincialis

R. P. Anselmus a Saxinoro.

Custos

R. P. Conradus de S. Joanne in Galdo.

Definitores

A. V. P. Bartholomaeus de Arcemandolfi.
A. V. P. Mariangelus de Domocalenda.
A. V. P. Augustinus de Arcemandolfi.
A. V. P. Isidorus de Castropignano.

—

XXXVII.

Obs. Prov. S. Martyrum Calabriae.

MINISTER PROVINCIALIS

R. P. Augustinus Converti.

CUSTOS

R. P. Aloysius de Amendolaro.

DEFINITORES

A. V. P. Daniel de Scyblicano.
A. V. P. Bonaventura de Rose.
A. V. P. Franciscus de Trebisacce.
A. V. P. Laurentius de Cerisano.

—

XXXVIII.

Obs. Custodiae Mediolanensis.

COMMISSARIUS GENERALIS

R. P. Joannes-Jacobus a Bergomo.

—

XXXIX.

In Congressu diei 22 Octobris a Rmo Ministro Generali cum suo Definitorio rite electi sunt:

Obs. Prov. Basilicatae.

MINISTER PROVINCIALIS

R. P. Joseph a S. Archangelo.

CUSTOS

R. P. Alphonsus Aragiusto.

DEFINITORES

A. V. P. Alphonsus de Aurentia.
A. V. P. Antonius de Tricarico.
A. V. P. Joseph de Rivello.
A. V. P. Raphaël de Ansi.

—

XL.

Obs. Prov. S. Antonii Lyciensis.

MINISTER PROVINCIALIS

R. P. Thoma de Montejasi.

CUSTOS

R. P. Franciscus de Castellaneta.

DEFINITORES

A. V. P. Cajetanus de Monterone.
A. V. P. Salvator de Carovigno.
A. V. P. Dominicus de S. Vito.
A. V. P. Ludovicus de Latiano.

—

SYNOPSIS INDULGENTIARUM

IN COMMODUM FRATRUM ORDINIS NOSTRI

CAPUT II.

§ II.

DE NONNULLIS INDULGENTIIS PERSONALIBUS IN PARTICULARI.

De Statione SS. Sacramenti.

(Continuatio)

Modo videndum quid recentioribus temporibus de praedicta Statione SS. Sacramenti doceat Apostolica Sedes. Ex dicendis manifeste apparebit, laudatos Auctores veritatem super hac materia attigisse, authenticis documentis innixos.

165. In Summario Indulgentiarum, quibus gaudet Ordo Seraphicus, uti authentico recognito a S. Congreg. Indulgentiarum sub die 20 Julii 1841, et iterum sub die 16 Decembr. 1882, et anno 1885 in libro *Rescript. auth.* inserto, sequentia quoad Indulgentias Stationum SS. Sacramenti habentur:

1.° Paulus V de novo concessit et confirmavit Ordini Fratrum Minorum Stationem SS. Sacramenti, ut quilibet Religiosus istius Ordinis, qui recitabit ante altare sanctissimi Sacramenti sex *Pater noster,* sex *Ave Maria,* et sex *Gloria Patri,* lucretur omnes indulgentias Stationum Romae, Hierosolymorum, S. Jacobi Galitiae, et Portiunculae.

2.° Hanc Indulgentiam Stationum, de novo concessam a Paulo V, confirmavit et renovavit Urbanus VIII, dummodo tamen Statio fiat ante altare SS. Sacramenti. Ita dicit Rodericius, cum attestatione Rodrigúez aliorumque.

3.° Haec Statio Indulgentiae, dicendo supradicta *Pater noster* etc. ante altare SS. Sacramenti, acquiri potest *saepius in die,* eodem prorsus modo, quo eam lucraretur quicumque Religiosus, qui personaliter visitaret *Ecclesias*

Romae, Hierosolymorum, Compostellae, et Portiunculae, *perinde atque acquiruntur aliae Indulgentiae perpetuae, quae non habent limitationem aut determinationem temporis,* ut affirmat Angelicus Doctor S. Thomas, Corduba, Toledo, Henriquez, aliique citati a P. Michaëlangelo Bogliasco in suo compendio Indulgentiarum funiculi impresso Liburni 1620, pag. 109.

4.° Hoc modo Religiosi manentes in suis Conventibus, merentur plus quam dum vadunt per mundum peregrinantes ad lucrandas Indulgentias. S. Thomas citatus a Perino dicit: *Religiosi existentes in suis monasteriis, promerentur amplius, quam discurrendo et peregrinando ad lucrandas Indulgentias.*

5.° Et cum supradictae Indulgentiae possint applicari animabus Purgatorii per modum suffragii, monentur omnes ad lucrandas illas *saepius in die* pro dictis animabus, quae non erunt ingratae facienti sibi tale beneficium.

Ita *ad litteram* in praefato Summario a S. C. approbato, n. 15 pag. 386 penes *Rescript. auth.*

166. Currente anno 1855, die 5 Martii nonnulla dubia proposita fuerunt in S. C. Indulgentiarum relate ad Indulgentias, de quibus agimus. In relatione tamen facta Summo Pontifici Pio IX a Card. Praef. sub die 26 Julii ejusdem anni, Sanctitas Sua praecipiendum esse duxit, ut in alia Congregatione iterum proponerentur, addito quoque alterius Consultoris voto. En dubia:

1.° An *Sodales Tertiarii* Ordinis S. Francisci Assisinatis, cujuscumque Provinciae sint, lucrifaciant stationes, indulgentias, remissiones tum Urbis, tum etiam Portiunculae, sive Jerusalem, et S. Jacobi in Compostella, recitando sex *Pater, Ave* et *Gloria,* scilicet quinque pro felici statu S. Matris Ecclesiae, sextum autem pro intentione Summi Pontificis concedentis?

2.° An Sodales scapularis caerulei immaculatae Conceptionis, recitando sex *Pater, Ave* et *Gloria* in honorem SS. Trinitatis et Deiparae Virginis immaculatae, orando pro haeresum extirpatione, exaltatione S. Matris Ecclesiae, atque christianorum Principum pace et concordia, omnes lucrifaciant indulgentias septem Basilicarum Romae, Portiunculae, Jerusalem et S. Jacobi de Compostella?

3.° An Indulgentias, de quibus in superioribus dubiis, lucrentur *toties quoties,* et *an in quocumque loco* preces ipsas fuderint?

4.° An ad easdem lucrandas Indulgentias recitare sufficiat sex tantum *Pater, Ave* et *Gloria,* ita ut necesse minime sit alias preces addere, prouti in Indulgentiarum concessionibus atque rescriptis orandi per aliquod temporis spatium juxta intentionem Pontificis, seu pro haeresum extirpatione, exaltatione S. Matris Ecclesiae, atque christianorum Principum pace et concordia etc. injungi consuetum est?

5.° An ad memoratas Indulgentias, de quibus scilicet in dubiis 1.° et 2.° consequendas, necessaria sit Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae susceptio?

6.° An denique hae ipsae Indulgentiae omnes animabus in Purgatorio detentis applicari possint?

EE. PP. in comitiis generalibus apud Vaticanas Aedes habitis die 31 Martii 1856, rebus mature perpensis, altero quoque voto audito, respondendum esse duxerunt, ut infra:

Ad 1.^{m} *Affirmative.*

Ad 2.^{m} *Affirmative.*

Ad 3.^{m} *Affirmative* juxta votum Consultoris, nempe servato decreto S. Congregationis die 7 Martii 1678 approbato ab Innocentio XI, cujus initium *Delatae saepius.*

Ad 4.^{m} *Affirmative.*

Ad 5.^{m} *Negative.*

Ad 6.^{m} *Affirmative.*

Quas resolutiones Pius Pp. IX die 14 Aprilis ejusdem anni 1856 approbavit (Decr. auth. n. 374).

167. *Nota 1.ª* Primum dubium respicit Tertiarios Franciscales, qui non secus ac primus et secundus Ordo S. P. N. Francisci gaudebant privilegio Stationis SS. Sacramenti. Licet autem hujusmodi nostri consodales post Constitutionem *Misericors Dei Filius* SS. D. N. Leonis PP. XIII tali privilegio privati fuerint, tamen Sacrae Congr. resolutio aeque inservit tum ad melius dignoscendam naturam, tum ad confirmandam existentiam et extensionem supramemorati privilegii.

168. *Nota 2.ª ad tertiam responsionem.* In citato Decreto *Delatae saepius,* haec summatim continentur: S. Congreg., de mandato Innocentii XI,

a) Plurimas Indulgentias ut falsas, confictas vel apocryphas declaravit.

b) Alias Indulgentias concessas ante quasdam Constitutiones Clementis VIII et Pauli V revocavit, nisi Pontificis auctoritate denuo fuissent innovatae.

c) Quoad Indulgentias Stationum Urbis, quae a Romanis Pontificibus singulari privilegio vel communicatae sunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, Ordinibus, aut personis, *diebus tantum Stationum* in Missali Romano descriptis, suffragari posse declaravit; *semel autem dumtaxat in die* plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri. Cf. Decr. auth. n. 18, vel Ferraris art. IV. n. 15, ubi per extensum affertur praedictum Decretum. Vid. etiam sequentem numerum ad 5.

(Continuabitur)

III.

MISSIONES

EPISTOLA

Illmi Dni Benjamini Christiaens (1) *Vicarii Apost. Hu-pe Occ. Merid., ad Emum Cardinalem* Simeoni *S. C. de Propaganda Fide Praefectum, circa recentes contra Missionarios persecutiones.*

Han-Keou, 12 Septembris 1891.

Eminentissime Princeps,

Dominica die, sexta mensis Septembris, Ill. ac Revmum Dnum Joannem Hofman (2) Vicarium Apost. Shan-si meridionalis, Episcopum consecravi. Sanctis gaudiis omnes, viginti scilicet Sacerdotes, totaque christiana plebs in ecclesia congregati vacabant.

Sed extrema gaudii luctus occupat: ad horam pomeridianam quartam, data solemni benedictione cum sanctissimo Sacramento, ecce ab I-tchang-fou superveniunt R. P. Ansgarius Braun (3), nostri Vicariatus Missionarius, simulque septem Sorores Franciscales Missionariae Mariae (1).

Lugubre spectaculum! Missionarius linteolo caput habet involutum, manuque Ciborium proprio sanguine tinctum gestat. Laceris et cruentatis vestibus Sorores sequuntur. Ipse tamen Pater spiritualis et sanctimoniales, supereffuso sanguine tincti, gloriosam pro nomine Jesu contumeliam tulisse gaudentes, ad certamen quam primum redire flagitant.

En paucis verbis quid acciderat. Prima die Septembris homunculus quidam ad Orphanotrophium accessit. Infantem duorum annorum portabat: « Hanc puellam, ut aiebat, mater vidua et ad extremas angustias adducta ad Orphanotrophium mittit, summisque precibus exorat, ut aliqua eleemosyna tum suimetipsius, tum ceterorum filiorum arctioribus necessitatibus subveniatur ».

Ubi autem Sinenses mulieres infantem mundare volunt, non puellam sed puerum sibi traditum esse deprehendunt. Sorores machinationem statim suspicantur; sed qui infantem tulerat jam invenire nequeunt. Mane sequenti de quadam muliere audiunt, quae puerum amissum anxie disquirebat. Festinanter advocata mulier filium agnoscit, plurimasque Sororibus gratias exhibet de puero benigne tractato novisque vestibus induto.

Ipsamet hora populus undique concurrit, et tumultu ex omni parte facto Sorores per fenestras vicinam Europaei cujusdam domum aspiciunt quae jam destrui et incendi incipit. Ad sacellum convolant puellae cum Sororibus, ibique ad terram omnes prostratae, absolutione percepta, SS. Sacramento reficiuntur. Puellulae indesinenter manus et infantiles voces ad Deum levant auxiliumque deprecantur, clamitantes: « Libera nos, Jesu; Sancta Mater, miserere nostri! ».

Interim domo potitus, stulta rabie populus omnia sibi obvenientia destruit, lignis et saxis contra Sorores ac Missionarium desaevit, ipsorumque contusis capitibus, membra omnia diabolico furore vulnerare conatur.

(1) Recollectae Provinciae Belgii alumnus est Rmus Christiaens.

(2) Neoelectus Vicarius Apostolicus Shan-si Merid. ad Rec. Provinciam Hollandiae pertinet.

(3) R. P. Braun Ref. Provinciae S. Leopoldi in Tyrolo filius est.

(1) Institutum Sororum Franciscalium Missionariarum Mariae, a S. Sede approbatum, decem et septem Conventus possidet tam in Europa quam in variis Missionibus; domum Novitiatus in Gallia habet prope *St. Brieuc* (Côtes-du-Nord), aliamque domum Romae, Via Giusti, 12.

Tandem Mandarinus, militibus stipatus, advenit, viam Patri et Sororibus aperit, ipsosque simul a morte liberat. Puellae autem, quae a Sororibus disjungi minime patiuntur, totis viribus ipsas sequuntur, vestibusque apprehensis adhaerent, donec saeva manu avellantur.

Missionarius ac Sorores plateam ingressi, saxis, luto, variis fragmentis undique premuntur; singulo passu vulnera nova accipiunt. Jam R. P. Braun, SSmum Sacramentum deferens, lethali vulnere percussus videtur; sed a satellitibus apprehensus et propulsus, sensus ac vires resumit.

Ad flumen usque barbara plebs nostros insecuta est, et monialis quaedam in flumen decidit. Jam submergebatur, quum officialis Europaeus, fortiter armatus, advolat, omnesque ad vapoream navem secure ducit.

Duo medici vulneratis statim curam omnem adhibuerunt, mundaque lintea dederunt, ut tum Pater, tum Sorores deponere possent quae corpus tegebant et sanguine imbuta erant.

Interim clamores audiebantur stridentes, simulque flamma immensa caelum rubro inficiebat. Brevi et Residentia Episcopalis et Seminarium et Sororum Conventus igne tradita, addito petroleo, vastam fornacem efficiebant.

Primo seditionis accepto rumore, Revdus P. Franzoni, meus Pro-Vicarius, SS. Sacramentum in salvo ponere necnon Seminarii alumnos abducere potuit. Reliqua omnia, Archivum, mandatum Apostolicum ac Breve electionis meae, facultates ordinariae, extraordinariae, privatae, igne perierunt. Non supellectilia, non Bibliotheca, non sacra Vasa, aut paramenta ulla supersunt. Manet nobis vita et vestes quibus induimur. Fiat Dei voluntas!

Misereatur nostri Eminentia Vestra, et si visum fuerit, quinque Breviaria etc. nobis quamprimum mittere dignetur.

Sacram purpuram devotissime deosculans maneo

Emae Vestrae Illmae ac Revmae
Infimus et devotissimus Servus
Fr. Benjaminus Christiaens,
Ep. tit. Coloph. Vic. Ap. Hu-pe Occ. Merid.

In alia epistola praelaudatus Vicarius Apost. scribebat, alumnos Seminarii receptos fuisse ab agricolis Christianis, qui prope civitatem I-tchang-fou habitant, infantes Orphanotrophii sub cura Mandarini esse, additque sequentia: « Die 21 Junii hujus anni 1891 turba fere mille hominum in pago Tchang-kin-ho, ubi opus S. Infantiae fundatum erat, sub falso praetextu quod christiani infantium oculos eruerent ipsosque mutilarent, quinque infantium recenter defunctorum cadavera e sepulchro extraxerunt, sed integra invenerunt. Spe frustrati, domum tamen ingressi omnia subverterunt ut cadavera mutilata invenirent. Quum nihil adhuc invenissent, vestes, utensilia, victualium provisiones abstulerunt aut destruxerunt.

Virgines Sinenses, quae curam Orphanotrophii habebant, cum infantibus ad vicinas domos christianas aufugere potuerunt.

Die 9 Augusti hora tertia matutina, turba igne destruxit aliud Orphanotrophium in Che-kong-kiao situm; Virgines cum infantibus, clamoribus a somno excitatae, fugere potuerunt.

—

CAPITULA COLLEGIORUM APOSTOLICORUM IN AMERICA.

VIII.

Collegii Taratensis S. Joseph in Bolivia.

In hoc Apostolico Collegio die 14 Julii an. currentis praeside Adm. Rev. Patre Joseph Giannelli Commissario Generali celebratum est Capitulum Guardianale, in quo quidem renuntiati sunt:

Guardianus

R. P. Hermenegildus Giannotti.

Discreti

R. P. Paschalis Bianchi.
R. P. Hugolinus Gorleri.
R. P. Franciscus Solano Melchior.
R. P. Berardus Lujan.

Praefectus Missionum

R. P. Ambrosius Prati.

—

IX.

Collegii de Zacatecas in Mexicana Rep.

Mense Septembris curr. anni ab Adm. R. P. Isidoro Camacho Commissario Generali

actae sunt electiones pro Collegio de Zacatecas; videlicet electi sunt:

GUARDIANUS

R. P. Joseph Guadalupe Alva.

DISCRETI

R. P. Joachim Cabrera.
R. P. Franciscus Sanchez.
R. P. Franciscus Lujan.
R. P. Bonaventura Chavez.

—

X.

Pro Collegio vero MARIAE SSmae de Zopopan electi sunt:

GUARDIANUS

R. P. Bernardus Angniano.

DISCRETI

A. V. P. Jesus Escudero.
A. V. P. Marianus Mendez.
A. V. P. Franciscus Espinosa.
A. V. P. Joseph Maria Najar.

IV.

BIBLIOGRAPHIA

—

ANONYMUS, Min. Obs. — Sospiri al Dio dell'amore, operetta di un Francescano M. O. — Quaracchi, tip. del Collegio di S. Bonaventura, 1891. In 16, pag. 451. L. 1.

Rmus CARLASSARE, Min. Ref. — Missionarius instructus ad Ministerii sui Officia rite implenda; opusculum composuit Fr. Vincentius Epiphanius Carlassare, Ordinis Minorum, Episc. t. Madaurae, Vicarius Apost. Hu-pé Orient. in Sinis, ad usum Missionariorum sui Vicariatus. — Neapoli, ex typographia Hospitii *Accattoncelli,* 1891. In 8, pag. 239.

P. EMIDIO CARDINI, M. O. — Dei supremi principii della Teologia Morale. Seconda edizione ampliata notabilmente. — Quaracchi 1891. Vol. 1.° in 16. pag. 442.

L'ORIENTE SERAFICO. — Rivista Francescana bimensile dedicata agli ascritti del Terz'Ordine. — Si pubblica in S. Maria degli Angeli presso Assisi. Prezzo di abbonamento L. 4 annue, per l'estero L. 5.

Haec ephemeris jam a tribus annis cura et studio Fratrum nostrae Provinciae Seraphicae semel in mense editur: ast insequenti anno 1892, ut facilius finem suum attingat, unoquoque mense *bis* in lucem prodibit.

Opus quidem omnium nostrorum cooperatione dignum redactores hujus ephemeridis aggressi sunt, quod tum in bonum Ordinis, tum in animarum salutem cedit. Ipsi namque hoc unum in votis habent, ut quotquot sub franciscali vexillo militant pleno haustu spiritum seraphicum attingant in IPSO FONTE, a quo aliis temporibus per varios rivulos aquae in vitam aeternam salientes quaquaversus diffusae sunt.

Quod propositum ex iis apparet, quae in ipsa ephemeride leguntur: 1.° circa historiam nostram; 2.° circa hagiographiam; 3.° circa Palaestinae Loca; 4.° circa Missiones; 5.° circa vitam spiritualem; 6.° ut cetera omittamus, circa chronhistoriam: ita ut quamvis praecipuum propositum sint vita et mores Tertiariorum, tamen ejus lectio omnibus alumnis, praesertim junioribus, trium Ordinum S. Francisci perutilis evadere potest. Nemo enim est qui ignoret quanta utilitas in Ordinem redundet ex cognitione historiae nostrae non solum antiquae, sed praesertim recentioris: ex cujus ignorantia factum est, ut amor in Ordinem nostrum tum ex parte saecularium, tum etiam quandoque ex parte Fratrum tepescat. Nec mirum: nam ignoti nulla est cupido.

Ut huic lacrymabili defectui occurramus, enixe hortamur Fratres nostros, ut suam opem conferant ad diffusionem hujus ephemeridis tum intra, tum extra Ordinem. Insuper eos hortamur ut notitias, et alia, quae ad tres Ordines nostros referuntur, ad Directorem praedictae ephemeridis studiose mittant: ut ipse de thesauro nostro proferre valeat nova et vetera. Duo siquidem necessaria sunt, ut *Oriens Seraphicus* magis magisque splendescat; major scilicet numerus lectorum et plenior notitiarum copia. Hucusque, si quos favores vel auxilia habuit, haec a saecularibus viris excepit; dum e contrario inter Fratres nostros, quibus maxime cordi esse deberet gesta et glorias Ordinis in lucem proferre, paucos Maecenates ephemeris nacta est.

Omnes igitur Italiae Fratres exempla sectentur Fratrum Germaniae, Galliae et Hispaniae, necnon et Capuccinorum, qui suas ephemerides omnigenis auxiliis adjuvant; sic enim et Fratres et saeculares opera bona Ordinis videbunt, et glorificabunt Patrem nostrum, qui in caelis est.

N. B. 1.° Ut etiam Fratres qui ex professione sua pretium sic dictae associationis solvere non possunt, recipere valeant *Orientem Seraphicum;* statum est, ut si quis ipsorum, salva tectaque Regula nostra, TRES tantum NOVOS sic dictos associatos procuraverit, futuro anno GRATIS illum habebit; immo gratis ipsum habebit et successivis annis, dummodo eamdem conditionem adimpleat.

2.° Qui velit integram recipere collectionem, scilicet an. 1889, 90, 91 et 92, solvere debet 10 libellas; Fratres autem 7 tantum.

Directiones (vulgo Adresses) singulorum Superiorum tam Provinciarum quam Conventuum ac Missionum Ordinis nostri, alphabetico ordine, primo Nationum deinde Residentiarum dispositae, anno 1891. — Ad Claras Aquas (Quaracchi) prope Florentiam, ex typographia Collegii S. Bonaventurae, 1891. In 8.° pag. 67.

A Curia Generalitia haberi potest pretio L. 0,50.

Mons. Francesco Imparati, M. O., Arcivescovo di Acerenza e Matera. — Il Santo Rosario, Addio alla Diocesi di Venosa, Primo saluto alle Arcidiocesi di Acerenza e Matera. — Siena, tip. Edit. S. Bernardino, 1891.

Franciscus Ser. (P.) a Taufers, Min. Cap. — Handweiser fuer den Katholischen Klerus in Sachen des III Ordens des hl. Vaters Franziskus. Von P. Franziskus Ser. Tischler, Mitglied der Nordtirolischen Kapuziner-Ordens-Provinz, Lector der Theologie. Dritte verbesserte auflage. — Salzburg, 1891. Mathias Mittermueller, Buchhaendler des hl. Apostolischen Stuhles. 423 Seiten. — Latine: Manuale III. Ord. S. P. Francisci pro Rev. Clero.

Opera extraneorum Ordinem concernentia.

Cte Roselly de Lorgues. — Christophe Colomb, Histoire de sa vie et de ses voyages d'après des documents authentiques tirés d'Espagne et d'Italie, par Roselly de Lorgues. Tom. I pag. 595 et tom. II pag. 567. 4e édit. — Paris, Didier et Cie, libraires éditeurs. Quai des Augustins, 35.

V.

NECROLOGIA

Die 6 Julii nuper elapsi ad veram vitam migravit R. P. Bernardinus Damaré M. O. Collegii apostolici de *Ica* in Republica Peruana alumnus. E civitate Valentia in Hispania oriundus, seraphicam regulam vovit in Collegio de *Cuzco*, ubi sacerdotio etiam fuit insignitus. Guardiani officio bis laudabili zelo functus est, ac per viginti quinque annos apostolico ministerio indefessam navavit operam in diversis missionibus Reipublicae tum Peruanae tum Aequatorianae. Indorum in his partibus degentium idioma optime callens, spirituali illorum profectui cum felici exitu incubuit. Austerae poenitentiae et paupertatis seraphicae reliquit exemplum Confratribus, qui unanimes defunctum lugent.

R. I. P.

Dum manum calamo admovemus interitum nuntiaturi Adm. R. Patris Josephi Giannelli, Commissarii Generalis in Bolivia, vehementi dolore tenemur cum non tantum sodalem, sed virum apostolici pectoris ac sanctis moribus insignem abreptum pariter defleamus. Quae in rem Christianam cumulatissima bona intulerit, historia, quemadmodum speramus, retexet, quae quamvis praeçlara ejus facinora narranda exorsa fuerit, pleraque tamen silentio pressit vel quia nondum acta, vel quia opportunitas defuit omnia narrandi. Paucis hic perstringimus quae fusiori calamo narrabuntur.

Quinto nonas Majas, anno 1823, ad Sanctae Mariae Albiani, qui vicus est in provincia Lucensi, ortus est noster ex Frygdiano Jannellio et Dominica Bassia, non minus censu quam virtute divitibus. Novitiatu exercito, philosophiam ac theologiam aggressus est in Conventu S. Francisci in urbe Luca, a qua, studiorum curriculo nondum absoluto, R. P. Alphonsum Corsettium, Collectorem, sequutus, discessit ut cum eo Americam contenderet, atque in Collegio S. Mariae Angelorum Tarijae in Republica Boliviensi, studiis absolutis, nuntius evaderet christiani nominis inter barbaras gentes propagandi. Quinto nonas Majas in urbe Sucre Sacerdotium iniit, anno 1844, ex qua tempestate eam vivendi rationem fuit auspicatus cum Apostolis concordissimam, quam ad obitum usque retinuit.

Vix credibile memoratu est quanta perpessus fuerit inter crudeles Chiriguanos, criminosos Tobas et feros Matacos ut Missiones inter eos institueret. Quoties vita fuit periclitatus! quoties ad necem conquisitus! quoties animos ira aestuantes miti alloquio compescuit, suique studiosos reddidit! Quot itinera perque compita perque devia pedes aut mulo insidens

confecit! quot loca, nondum humano vestigio signata, invisit! Ipsi attribuenda est exploratio fluminis Pilcomayo usque ad inferiores partes *Pulchrae Spei,* quam Sodalis noster sine strepitu, sine clamore, adscitis sibi sociis quibusdam Indiis perfecit. Nulla alia ante hanc expeditio longius processerat; et celeber ille Creveaux, qui ulterius quam fas esset, progressus erat, a Tobis crudelissime necatus est.

Anno 1870 electus fuit Guardianus Collegii Tarijensis; quare Indis suis valedicere coactus, in Conventum remeavit. Praeclaras virtutes, quae Guardianum decent, mirabantur subditi omnes, qui cum tam charum caput sibi abripi cognoverunt, fleverunt ut in funere solemus: absoluto enim officii sui tempore, valetudine coepit pejor fieri, rogavitque ut in Collegium Taratense sibi transmeare liceret. Anno postquam in hospitio S. Crucis moratus erat, in hoc Collegium venit, ubi dum Missionum negotia gereret, in Capitulo celebrato anno 1879 Guardianus ejusdem Collegii renuntiatus est; quo in officio exercendo tanta de eo opinio increvit, ut post sex annos electus fuerit Praefectus Missionum inter Guarayos. Quare hospitium S. Crucis denuo concessit. Tres annos inibi commoratus est; quo brevi tempore cum Sodalis nostri virtutem juxta ac doctrinam suspexisset Episcopus Sucrensis, eum sibi voluit Theologum in Synodo nationali.

Post hanc Synodum, in qua admiratio expectationem superavit, renuntiatus fuit Commissarius Generalis Collegiorum Boliviensium. Onus quidem grave humeris Apostolici hominis imponebatur, non ita tamen ut animo concideret noster, qui tot labores, incommoda, pericula jamdiu expertus esset: quinimo ut Collegia inviseret, uti officium postulabat, e S. Cruce ad Collegium Tarijense se contulit. Verum iter salebrosum et plenum periculis ex parte ferarum hominumque pertimescendis. Eas Missiones invisit, Capitulum habuit, ac itinere resumpto, tempestate imbrium, superiore Februario Taratam venit. At eheu! quantum mutatus ab illo Joseph, qui valetudine firmissima potiri consueverat! Itinere fractus, jamdiu lethalem morbum contraxerat, qui diu latens, extemplo tota vi erupit. Quare nonis Augustis lecto decubuit. Vi morbi in dies ingravescente, omni spe adepta, aegrotus sensit se brevi moriturum; quare Sacramenta rogavit. Admissa confessus, Pane ad caelum viatico inter sodalium lacrymas pastus, atque Unctione extrema linitus, quarto die, quo lecto decubuerat, quinto idus Augustas, octo et sexaginta annorum labore magis quam aevi diuturnitate senex, diem obiit supremum.

Flevere sodales tanti hominis interitum. Civitas Tarija, quae nostrum ceu filium dilexit, lacrymata est defunctum; diaria funus hominis Franciscalis conquesta sunt, nec minus populares Lucenses, qui P. Joseph vivo gloriabantur, fleverunt extinctum.

Vivas in Deo, sodalis dulcissime! et si quae desunt piaculariae preces ad beatitatem captandam, nos, tui memores, Primogenito mortuorum eas lubentissimi admovebimus.

R. I. P.

Die 26 Septembris praeter omnium expectationem nuntius ad nos perlatus est, investigabili divinae Providentiae consilio accidisse, ut R. P. Valentinus van de Oord, almae nostrae Provinciae Germaniae Inferioris filius, in urbe 'Ngan-keóu, Chan-si Meridionalis 1 die Julii anni currentis, vix inceptum vitae apostolicae cursum morte praematura, sed ut confidimus in conspectu Domini pretiosa, compleverit. Charissimus nobis Confrater, natus in Ammerzoden, Germaniae Inferioris pago, anno 1863, pueritia atque adolescentia integerrime transactis, Provinciae nostrae nomen dedit anno 1863 in eaque vota solemnia nuncupavit anno 1887. Anno 1890 ad exteras Missiones animarum zelo ductus Superiorum venia impetrata, se contulit atque omnibus spem faciebat, optime se mox de illa nostra Missione meriturum, immo fore Missionarium omnibus numeris absolutum. At divina Providentia secus disponente consummatus in brevi *vita decessit memoriam mortis suae ad exemplum virtutis et fortitudinis derelinquens* (II Malach. VI, 31).

R. I. P.

Nihil obstat

Fr. Aloysius, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

ACTA
ORDINIS MINORUM

Decembris 1891.

SUMMARIUM: I. ACTA ROMANO-SERAPHICA: *Epistola Summi Pontificis Leonis XIII, de prava duellorum consuetudine.* — E suprema Cong. Inquisitionis: *Responsum circa Indulta de esu carnium in feria sexta quoad Franciscales Religiosos.* — E S. C. Indulgent.: *Quoad crucifixos quibus indulgentiae Viae Crucis applicantur.* — E S. Poenitentiaria: *De absolutione ad cautelam dispensationibus matrimonialibus praemittenda.* — II. ACTA ORDINIS: Super dubio: *Utrum Fratres Minores, dum ad altare celebraturi pergunt, caput tegere valeant caputio amictu cooperto.* — *Synopsis Indulgentiarum (Continuatio).* — III. VARIA: *Fundatio Collegii S. Isidori in Urbe a P. Luca Waddingo (Finis).* — IV. BIBLIOGRAPHIA. — V. NECROLOGIA.

I.
ACTA ROMANO-SERAPHICA

—

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII

EPISTOLA

DE PRAVA DUELLORUM CONSUETUDINE

Dilecto filio nostro Francisco de Paula S. R. E. Cardinali Schönborn archiepiscopo pragensi, venerabili fratri Philippo archiepiscopo coloniensi ceterisque venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis aliisque locorum ordinariis in imperio Germanico et Austro-Hungarico.

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Pastoralis officii conscientia et proximorum caritate permoti, datis ad Nos superiore anno litteris, referendum censuistis de singularium certaminum, quae duella vocant, in populo vestro frequentia. Genus istud dimicandi, velut jus moribus constitutum, non sine dolore significabatis etiam inter catholicos versari: rogabatis pariter, ut deterrere homines ab istiusmodi errore vox quoque Nostra conaretur. — Est profecto error iste admodum perniciosus, nec sane finibus circumscribitur civitatum vestrarum, sed excurrit multo latius, ita ut hujus expers contagione mali vix ulla gens reperiatur. Quamobrem collaudamus studium vestrum, et quamvis cognitum perspectumque sit quid hac in re philosophia christiana, utique consentiente ratione naturali, praescribat, tamen, cum prava duellorum consuetudo christianorum praeceptorum oblivione maxime alatur, expediet atque utile erit id ipsum per Nos paucis revocari.

Scilicet utraque divina lex, tum ea quae naturalis rationis lumine, tum quae litteris divino afflatu perscriptis promulgata est, districte vetant ne quis extra causam publicam hominem interimat aut vulneret, nisi salutis suae defendendae causa, necessitate coactus. At qui ad privatum certamen provocant, vel oblatum suscipiunt, hoc agunt, huc animam viresque intendunt nulla necessitate adstricti, ut vitam eripiant aut saltem vulnus inferant adversario. Utraque porro divina lex interdicit ne quis temere vitam projiciat suam, gravi et mani-

festo objiciens discrimini, quum id nulla officii aut caritatis magnanimae ratio suadeat; haec autem caeca temeritas, vitae contemptrix, plane inest in natura duelli. Quare obscurum nemini aut dubium esse potest, in eos, qui privatim praelium conserunt singulare, utrumque cadere et scelus alienae cladis, et vitae propriae discrimen voluntarium. Demum vix ulla pestis est, quae a civilis vitae disciplina magis abhorreat et justum civitatis ordinem pervertat, quam permissa civibus licentia ut sui quisque adsertor juris privata vi manuque, et honoris, quem violatum putet, ultor existat.

Ob eas res Ecclesia Dei, quae custos et vindex est cum veritatis, tum justitiae et honestatis, quarum complexu publica pax et ordo continetur, nunquam non improbavit vehementer, et gravioribus quibus potuit poenis reos privati certaminis coërcendos curavit. Constitutiones Alexandri III decessoris Nostri libris insertae canonici juris privatas hasce concertationes damnant et exsecrantur. In omnes qui illas ineunt, aut quoquo modo participant, singulari poenarum severitate animadvertit Tridentina Synodus, quippe quae praeter alia, etiam ignominiae notam iis inussit, ejectosque Ecclesiae gremio, honore indignos censuit, si in certamine occumberent, ecclesiasticae sepulturae. Tridentinas sanctiones ampliavit explicavitque decessor noster Benedictus XIV in Constitutione data die 10 Novembris anno 1752, cujus initium *Detestabilem*. Novissimo autem tempore f. r. Pius IX in litteris apostolicis, quarum est initium *Apostolicae Sedis*, per quas censurae latae sententiae limitantur, aperte declaravit, ecclesiasticas poenas committere non modo qui duello confligant, sed eos etiam quos patrinos vocant, itemque et testes et conscios. — Quarum legum sapientia eo luculentius emicat quo ineptiora ea esse liquet quae ad immanem duelli morem tuendum vel excusandum solent proferri. Nam quod in vulgus seritur, certamina id genus natura sua comparata esse ad maculas eluendas, quas civium honori alterius calumnia, aut convicium induxerit, id est ejusmodi ut neminem possit nisi vecordem fallere. Quamvis enim e certamine victor decedat qui, injuria accepta, illud indixit, omnium cordatorum hominum hoc erit judicium, tali certaminis exitu viribus quidem ad luctandum, aut tractandis armis meliorem lacessentem probari, non ideo tamen honestate potiorem. Quod si idem ipse ceciderit, cui rursus non inconsulta, non plane absona haec honoris tuendi ratio videatur? Equidem paucos esse remur, qui hoc obeant facinus, opinionis errore decepti. Omnino cupiditas ultionis est, quae viros superbos et acres ad poenam petendam impellit qui si elatum animum moderari, Deoque obtemperare velint qui homines jubet diligere inter se amore fraterno, et quemquam violari vetat, qui ulciscendi libidinem in privatis hominibus gravissime damnat, ac poenarum repetendarum sibi unice reservat potestatem, ab immani consuetudine duellorum facile discederent.

Neque illis qui oblatum certamen suscipiunt justa suppetit excusatio metus, quod timeant se vulgo segnes haberi, si pugnam detrectent. Nam si officia hominum ex falsis vulgi opinionibus dimetienda essent, non ex aeterna recti justique norma, nullum esset naturale ac verum inter honestas actiones et flagitiosa facta discrimen. Ipsi sapientes ethnici et norunt et tradiderunt, fallacia vulgi judicia spernenda esse a forti et constanti viro. Justus potius et sanctus timor est, qui avertit hominem ab iniqua caede, eumque facit de propria et fratrum salute sollicitum. Immo qui inania vulgi aspernatur judicia, qui contumeliarum verbera subire mavult, quam ulla in re officium deserere, hunc longe majore atque excelsiore animo esse perspicitur, quam qui ad arma procurrit, lacessitus injuria. Quin etiam, si recte dijudicari velit, ille est unus, in quo solida fortitudo eluceat, illa, inquam, fortitudo, quae virtus vere nominatur, et cui gloria comes est non fucata, non fallax. Virtus enim in bono consistit rationi consentaneo, et nisi quae in judicio nitatur approbantis Dei, stulta omnis est gloria. Denique tam perspicua duelli turpitudo est, ut illud nostrae etiam aetatis legumlatores, tametsi multorum suffragio patrocinioque fultum, auctoritate publica poenisque propositis coërcendum duxerint. Illud hac in re praeposterum maximeque perniciosum, quod scriptae leges re factisque fere eludantur: idque non raro scientibus et silentibus iis, quorum est puniri sontes, et, ut le-

gibus pareatur, providere. Ita fit ut passim ad singularia certamina descendere, spreta majestate legum, impune liceat.

Inepta etiam atque indigna sapienti viro eorum est opinio, qui utut togatos cives ab hoc genere certaminum arcendos putent, ea tamen permittenda censent militibus, quod tali exercitatione acui dicant militarem virtutem.

Primum quidem honesta et turpia natura differunt, nec in contraria mutari ob diversum personarum statum ullo pacto possunt. Omnino homines, in quacumque conditione vitae, divina ac naturali lege omnes pari modo tenentur.

Praeterea ratio hujusce indulgentiae erga milites ab utilitate publica petenda foret, quae nunquam tanta esse potest, ut ejus obtentu naturalis divinique juris vox conticescat. Quid, quod ipsa utilitatis ratio manifesto deficit? Nam militaris virtutis incitamenta eo spectant, ut civitas sit adversus hostes instructior. Idne vero effici poterit ope illius consuetudinis, quae suapte natura eo spectat ut suborto inter milites dissidio, cujus causae haud rarae sunt, e singulis partibus defensorum patriae necetur alteruter?

Postremo recens aetas, quae se jactat humaniore cultu morumque elegantia longe superioribus saeculis antecellere, parvipendere vetustiora instituta consuevit ac nimium saepe respuere quidquid cum colore discrepet recentioris urbanitatis. Quid est igitur quod has tantummodo rudioris aevi ac peregrinae barbariae ignobiles reliquias, duelli morem intelligimus, in tanto humanitatis studio non repudiat?

Vestrum erit, Venerabiles Fratres, haec, quae breviter attigimus, inculcare diligenter populorum vestrorum animis, ne falsas hac de re opiniones temere excipiant, neu ferri se leviorum hominum judicio patiantur. Date operam nominatim ut juvenes mature assuescant id de duello sentire et judicare quod, consentiente naturali philosophia, judicat ac sentit Ecclesia; ab eoque judicio normam agendi constanter sumant. Immo quomodo alicubi receptum consuetudine est ut catholici praesertim florentis aetatis sibi sponte perpetuoque interdicant nomen dare societatibus non honestis, pari modo opportunum ducimus ac valde salutare, eosdem velut foedus inter se facere, data fide nullo se tempore nullaque de causa duello dimicaturos.

Supplices a Deo petimus ut communia conata nostra virtute caelesti corroboret, quodque pro salute publica, pro integritate morum vitaeque christianae volumus, id benigne largiatur. Divinorum vero munerum auspicem itemque benevolentiae Nostrae testem vobis, Venerabiles Fratres, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 12 Septembris an. 1891, Pontificatus Nostri Decimo quarto.

LEO PP. XIII.

—

EX SUPREMA CONGREG. S. ROM. ET UNIV. INQUISITIONIS

Responsum circa Indulta de esu carnium in feria VI quoad Franciscanos.

Feria IV die 18 Nov. 1891.

Sequens dubium Sacrae Congregationi S. Officii propositum fuerat, scilicet:

« An Religiosi Franciscales frui possint feria sexta peculiaribus indultis pro esu carnium infra annum a S. Sede concessis, addita clausula « Regularibus comprehensis ».

In Congressu feriae IV diei 18 Novembris 1891 re mature perpensa, Emi Cardinales Inquisitores Generales responderunt: *Negative,* et hoc responsum singulis tribus Ministris Generalibus Ordinis S. Francisci notificandum esse statuerunt.

—

E S. CONG. INDULGENT.

Quoad crucifixos quibus applicantur Indulgentiae Viae Crucis.

Beatissime Pater,

Episcopus Gratianopolitanus humillime postulat solutionem infrascripti dubii:

Utrum crucifixi, quorum imago divini Redemptoris aere cusa, ita tamen ut tantillum sit prominens, quin e cruce solvatur seu separetur, possint nihilominus omnes Indulgentias, etiam Viae Crucis, suscipere?

Sacra Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita, proposito dubio respondendum esse censuit:

Affirmative.

Datum in Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 24 Maji 1883.

A. Card. OREGLIA A S. STEPH. *Praef.*

—

EX S. POENITENTIARIA

De absolutione ad cautelam dispensationibus matrimonialibus praemittenda.

Episcopus Albiensis, sub litteris datis die 27 Aprilis anni currentis 1891, S. Poenitentiariae proposuit dubium sequens:

Quaeritur utrum casu, quo nullam praevidet Ordinarius censuram ab Oratoribus fuisse contractam debet nihilominus Ordinarius qui dispensationem matrimonialem vi alicujus Indulti concedit, clausulam absolutionis ad cautelam praemittere, quam Sacra Poenitentiaria et Apostolica Dataria praemittere consueverunt?

Sacra Poenitentiaria Ven. in CHRISTO Patri Episcopo Albien. respondet: Absolutionem a censuris in casu de quo agitur laudabiliter praemitti.

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 2 Julii 1891.

A. Card. MONACO, *P. M.*
A. L. MARTINI, *S. P. Secret.*

II.

ACTA ORDINIS

—

SUPER DUBIO

« Utrum Fratres Minores dum ad altare « celebraturi pergunt, et quoties in sacris fun« ctionibus, juxta praescriptum Rubricarum, « caput sit tegendum, id facere valeant CAPU« TIO AMICTU COOPERTO? »

—

1. Non eadem est praxis in variis Ordinis nostri Provinciis quoad amictus impositionem. In pluribus Provinciis Observantibus et Reformatis, praesertim cismontanis, Sacerdotes celebraturi amictum capiti suo immediate imponunt, et *solo* amictu cooperti ad altare pergunt, ubi illum ad collum declinant.

In aliis vero tum Observantium tum Reformatorum Provinciis, ultramontanis et cismontanis, Sacerdotes celebraturi caput *caputio* tegunt, et huic amictum superimponunt. Ad altare autem caputium amictu coopertum super casulam sive planetam declinant.

2. Quum in quadam Provincia nuper dubium ortum sit, utrum hujusmodi usus licite continuari valeat; et quum a prioris praxis fautoribus hoc simpliciter negetur: expedire visum est, ut haec quaestio examinetur, ac dein ad propositum dubium respondeatur, quod in sequentibus breviter facere intendimus.

3. Tempore Capituli Generalis Romani anni 1639 certissime viguit in Ordine nostro usus tegendi caput *caputio* amictu cooperto. In hoc enim Capitulo praescripta fuit nova editio Caeremonialis Ordinis. Quod Caeremoniale sequenti anno editum fuit sub titulo « Caere« moniale Romanum ad usum Fratrum Mi« norum Observantium S. Francisci, Capituli « Generalis Romae habiti anno 1639 *jussu* « editum. Romae, ex typographia S. Congre« gationis de Fide Propaganda, 1640 ».

In hoc Caeremoniali, parte II. cap. III. n. 6. pag. 35, ita legitur:

« Cum pervenerint ante altare, Thurifera« rius, vel Acolythus, si ibi fuerit in medio « plani, Ceroferarii vero hinc inde aliquantu« lum in gradibus altaris distantes aditum prae« bent Ministris, ac Celebranti, qui non supra « gradus, sed in eodem plano Capellae aperto « capite, *et* CAPUTIUM *ejus Caeremonario, vel si « absit, Acolytho adaptante*, una cum aliis re« verentiam Cruci » etc.

4. Ex praefata Caeremonialis praescriptione satis patet, circa annum 1640 in Ordine nostro viguisse praxim ponendi amictum supra caputium. Postea successu temporis plures Provinciae, tum Observantes tum Reformatae, hanc praxim mutarunt, quin tamen sciatur praecise tempus, quo hoc fecerint, nec rationes ob quas id egerint. Certe ex parte Ordinis hujusmodi mutatio imposita non fuit, quia nullum Capitulum Generale de hac mutatione loquitur. Sunt vero, qui putant, ex

parte Ecclesiae talem mutationem fuisse impositam. Videamus igitur, utrum haec opinio cum aliquo fundamento sustineri valeat.

5. Anno 1639 Patres Augustiniani Sacrorum Rituum Congregationi petitionem porrexerunt rogantes, ut declarare dignaretur, utrum ipsi celebraturi incedere deberent *cum pileolo* (bireto) « quo in claustris utuntur, cooperti, an vero caputio amictu cooperto, prout faciunt alii Regulares. Haec petitio remissa fuit ad Emum Pallottum *juxta mentem S. Congregationis, quae est, ut caput tegant amictu.* Die 19 Novembris 1639 ».

6. Hanc decisionem prioris modi fautores citare solent ad probandum, quod caput caputio tegendum non sit, sed solo amictu. Ast, qui nimis probat, nihil probat. Ex hac decisione solummodo sequitur: 1.° illo tempore alios Regulares celebraturos texisse caput *caputio;* 2.° Patres Augustinianos celebraturos non debere *pileolo* caput tegere, dum pergunt ad altare, sed *amictu.*

7. Praefatam decisionem Regulares non intellexerunt tanquam prohibitionem suae consuetudinis tegendi caput *caputio,* prout patet ex Caeremoniali nostri Ordinis, quod solummodo sequenti anno 1640 publici juris factum est. Et hoc pariter patet ex continuata praxi usque ad nostra tempora tot regularium Ordinum, quorum Sacerdotes celebraturi caput tegunt *caputio,* amictu superimposito.

8. In Caeremoniali Ordinis Praedicatorum anno 1869 edito, articulo *de officio sacerdotis in Missa privata,* n.° 1206, sequentia praescribuntur: « Deinde accipiens amictum... illo *caputium circumtegat,* et chordulas in modum Crucis circumducens sub brachiis ad cingulum firmet (1) ». Imo additur ibidem in nota: « Inhibemus Fratribus nostris ne in posterum absque caputio albo celebrare praesumant ».

9. Caeremoniale Carmelitarum, reeditum anno 1887, haec habet pag. 159, n. 106: « Accipiens amictum... illud imponit capiti caputio cooperto, ut fert perantiqua Ordinis nostri consuetudo, ita tamen ut parte ejus anteriore caputium circumtegatur » (1).

10. Haec continua Regularium praxis tegendi caput caputio clare illustratur et probatur per aliam petitionem, quae post 140 annos, scilicet anno 1779 porrecta fuit S. Rituum Congregationi, ejusque decisionem, quam hic, quoad nostram quaestionem, ex Gardellini exscribimus:

« Ordinis Minorum S. Francisci de Ob-
« servantia Provinciae Conceptionis B. M. V.
« in regno Portugalliae ».

« . . . 12. In Rituali P. Cavalieri tom. 3. « pag. 15. decr. 39. legitur, Regulares pluviali « indutos indubie uti debere bireto sacerdo- « tali in funeribus et processionibus: Quaeri- « tur « an talis doctrina tuto praedicari va- « leat »? Similiter inquiritur: « An Regulares « memorato bireto uti queant, quando induti « procedunt de Sacristia ad Altare »? Et qua- « tenus negative: quomodo adimplenda est « Rubrica praecipiens sacerdoti celebraturo in- « cedere cooperto capite, et ex alia parte in « aliquibus Ordinibus propter caputiorum for- « mam *amictu* cooperiri nequeat absque magna « incompositione Sacerdos »? — S. R. C. re- « scribendum censuit:

« Ad 12. — Servetur solitum —

« Et ita declaravit die 18 Decembris « 1779 ».

11. Ergo anno 1779 multi Regulares caput *caputio* tegebant. Kalendarista praefatae Provinciae in sua petitione loquitur de difficultate, quam habent aliqui Ordines religiosi tegendi caput amictu, et rogat, ut pro istis huic incommodo provideatur. Si revera prohibitum esset tegere caput caputio tunc S. Congregatio absque dubio respondisset, illum usum esse eliminandum. Et si decisio diei 19 Novembris 1639 in sensu fautorum prioris sententiae intelligenda esset, tunc S. Congregatio hac occasione proculdubio respondisset: « Detur Decretum in una Ordinis S. Augustini diei 19 Novembris 1639 ». Hoc autem non fecit, sed potius respondit: « Servetur solitum », id est: Agant Regulares prouti hucusque facere solebant.

(1) Caeremoniale juxta ritum S. Ordinis Praedicatorum, Rmi P. Fr. Alexandri Vincentii Jandel, ejusdem Ordinis Generalis Magistri jussu editum. Mechliniae, 1869.

(1) Ordinarium seu Caeremoniale Fratrum Discalceatorum, Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo. Romae, ex typ. S. C. de Propaganda Fide, 1887.

12. P. Buoncompagni, regul. Obs., in suo opere « Sylva caeremoniarum » dicit: « Ami-« ctum super nudum caput ponere... patet in « Rubrica, sed si sit Regularis, poterit *super « caputium ipsum ponere, quod inservire debet « loco bireti* ».

13. Sed forte dicent aliqui: Qui tegunt caput caputio, non bene observant illam Rubricam « de praeparatione Sacerdotis celebraturi » n. 3, quae praecipit « amictum ponit « super caput ».

Istis respondemus, quod etiam illi, qui amictum capiti immediate imponunt, citatam rubricam non bene observant. Nam integra rubrica illa ita sonat: « amictum ponit super ca-« put, *et mox ad collum declinat* ». Hoc faciunt sacerdotes saeculares; Regulares vero hoc facere non possunt, quia, si hoc facerent, amictu jam non possent tegere caput suum, sed bireto uti deberent. Dicit quidem rubrica « super *caput* amictum imponit », sed non dicit, eum *nudo* capiti esse imponendum. Etiam Episcopi celebraturi non nudo capiti amictum imponunt.

De stola loquens eadem rubrica dicit « Ambabus manibus accipit stolam... et im-« ponit medium ejus collo ». Nemo vero dicet, stolam nudo collo esse imponendam. Insuper, si verbis rubricarum nimis insistere velimus, nos etiam cum sandaliis celebrare non possemus, quia dicta rubrica exposcit, ut sacerdos celebraturus sit « calceatus pedibus ».

14. Addi potest, quod Fratres nostri regionum septentrionalium, qui ob regionis intemperies caputium deferunt pluries duplicatum durumque, amictum caputio superimponere necessario sint districti; secus enim ante Missam caputium deponere, et absque caputio celebrare deberent.

15. Hisce breviter expositis, tuto concludi potest, nihil omnino obstare, quominus Regulares celebraturi caput caputio tegant, dum pergunt ad altare.

Quinimo de mandato Rmi P. Ministri Generalis, omnibus Ordinis nostri sacerdotibus injungitur ut propriae Provinciae consuetudinem servent, et sic in eadem saltem Provincia uniformitas habeatur.

—

SYNOPSIS INDULGENTIARUM

IN COMMODUM FRATRUM ORDINIS NOSTRI

CAPUT II.

§ II.

DE NONNULLIS INDULGENTIIS PERSONALIBUS IN PARTICULARI.

De Statione SS. Sacramenti.

(Continuatio)

169. *Epilogus hujus materiae.* Ut quae uberiori calamo de praesenti materia, aliquantum implexa, dicta sunt, in summam colligamus, sequentia ob oculos confratrum nostrorum ponimus:

1.° Privilegium Stationis SS. Sacramenti, ut ex dictis luce meridiana patet, adhuc viget pro Fratribus et Monialibus Ordinis Minorum, nunc exceptis Sodalibus Tertii Ordinis saecularis.

2.° Indulgentiae dictae Stationis acquiri possunt *saepius in die,* sive *toties quoties* recitantur ante SS. Sacramentum sex *Pater, Ave* et *Gloria,* eodem prorsus modo ut habetur in *Rescript. auth.,* quo eam lucraretur quicumque Religiosus, qui *personaliter visitaret Ecclesias* Romae, Jerusalem, Compostellae et Portiunculae. Vide sup. n. 165. Istae Ecclesiae ex concessione Summorum Pontificum fere innumeris indulgentiis gaudent. De *septem Ecclesiis* Urbis Romae *Raccolta* habet: « Quicumque confessus sacraque Communione refectus eas devote visitaverit, ibique juxta intentionem Summi Pontificis oraverit, consequi poterit *permultas* (le moltissime) Indulgentias, quibus fuerunt ditatae a Summis Pontificibus, ut constat ex eorum Bullis et Brevibus ». Si placet, conferantur Summaria indulgentiarum Basilicis Vaticanae, Lateranensi et Liberianae concessarum, quae prostant in *Rescript. auth.* p. 356 et seq.

3.° Praefatae indulgentiae Stationis SS. Sacramenti sunt applicabiles animabus Purgatorii (supra n. 165, 166).

4.° Juxta decretum *Delatae saepius,* indulgentiae *Stationum Urbis,* diebus tantum in Missali Romano descriptis acquiri possunt; semel autem dumtaxat in die indulgentia plenaria in certos dies Ecclesiam visitantibus

concessa, vel aliud pium opus peragentibus lucrifit. — Ceterae autem Indulgentiae, quibus gaudent ecclesiae Urbis, Hierosolymae, Compostellae et Portiunculae, cum non excipiantur, integrae remanent, et acquiri possunt *toties quoties*.

5.° « Adductum decretum *Delatae saepius*, sunt verba Lucii Ferraris, quo sancitur, neminem lucrari posse pluries eodem die plenariam indulgentiam, *cum non exprimat indulgentias pro defunctis applicabiles*, non videtur eas comprehendere. Nam sicut in concessione alicujus indulgentiae non intelligitur quod ea sit pro defunctis applicabilis, *nisi exprimatur*, ita a fortiori in revocatione indulgentiarum non intelliguntur illae revocatae pro defunctis, *nisi etiam exprimatur*, ut constat ex Paulo V, qui testatus est, in revocatione indulgentiarum non revocasse illas indulgentias, quae pro defunctis poterant a Regularibus applicari » (Verb. *Indulg*. art. V. n. 9).

6.° Ne confusio vel dubium oriatur ex iis quae modo diximus et ex responsione ad 3.^{m} quaesitum n. 166 relate ad decretum *Delatae saepius*, attendatur praecipue ad *Summarium indulgentiarum, quibus gaudet Ordo Seraphicus*, de quo sup. n. 165, iterum anno 1882 uti authenticum recognitum a S. Congregatione Indulgentiarum. Hujusmodi enim Summarium, quod in quantum praesentem materiam concernit *est ultimum ratione temporis*, exhibetur Ordini nostro *qua norma generalis, certa, authentica*. Jam vero ibi absque ulla restrictione affirmatur, quod « *Statio indulgentiae acquiri potest saepius in die perinde atque acquiruntur aliae indulgentiae perpetuae, quae non habent limitationem aut determinationem temporis* ».

7.° Ad lucrandas indulgentias praedictae Stationis SS. Sacramenti *non est necessaria Sacramentorum susceptio*.

8.° Licet Urbanus VIII pro talium indulgentiarum consecutione praescripserit, ut recitatio sex *Pater, Ave* et *Gloria* fieret ante SS. Sacramentum, post responsum tamen S. Congregationis ad 3.^{m} dubium supra allatum n. 166, dictae indulgentiae acquiri possunt *in quocumque loco Religiosi antedictas preces effuderint*.

9.° Quamvis Pontificia documenta non praescribant, ut sex *Pater, Ave* et *Gloria* recitentur *brachiis extensis*, tamen laudabilis Ordinis nostri consuetudo tali modo recitandi retineri et observari debet, cum ea ad fovendam humilitatem et pietatem valde conferat.

(Continuabitur)

III.
VARIA

FUNDATIO
COLLEGII S. ISIDORI IN URBE
A P. LUCA WADDINGO
CAP. XXV (LXIX).
(Continuatio)

Jam caute deinceps parva hac et necessaria commoditate utebatur Lucas, ut nonnisi vel externi frigoris, vel intimi doloris tempore illam admitteret, nec unquam in publico, etiam inter domesticos visus sit, projecto ad scapulas caputio, verticem pileo tectum exhibere. Et quando Cardinalium quempiam, vel aliam illustrem personam accedebat, non prius ad scalarum pedem perveniebat, quam depositum pileolum vel sibi in manicam reponeret, vel socio servandum daret, donec ea domo recederet; ne vel famulorum quisquam, vel alius quantumlibet indiscretus ex ipso haberet, quo dicere posset, Fratres sancti Isidori suis commoditatibus praeter Ordinis usum indulgere. Eademque cautela utebatur Lucas, quoties gravia et necessaria negotia ipsum domo exire compellebant; sed tibiis jam senio, laboribus et morbo fatigatis, ut corpus sustinere non sufficerent, aut male affectum caput australis aurae flatum, aut frigoris rigorem sufferre non posset, atque adeo curru ab aliquo amicorum concesso vehi oportebat; tunc enim si cum socio solus ibat, omnia circumcludi curabat, si cum aliqua illustri persona, quamvis Cardinale, rogabat sibi licere, ut ea parte qua ipse et socius sedebant, curtinas obduceret, ne a transeuntibus videri possint; multa quippe posse honeste fieri, quae non possunt honeste videri: non omnibus aeque notam esse ipsius indigentiam, ac erat: non convenire Fratri Minori Observanti et Reformato curru per Urbem incedere; propterea aliquem posse scandalizari. Et sane in hoc diligen-

tius fugiebat oculos Fratrum, quam Saecularium, ne quisquam non pari necessitate coactus, ipsius exemplo male usurpato, parem sibi assumeret libertatem.

Imo vero ne proprio socio exemplum, aut ansam otii daret, seu curru seu pedes ibat, nec silebat omnino, nec fabulabatur; sed vel Psalmos cum illo recitabat, vel interrogabat de studiis, aut aliud quidpiam tractabat utile et exemplare, juxta qualitatem personae comitantis. In communi mensa, a qua nisi morbo, vel inevitabili occupatione detentus nunquam aberat, communis ipsi cum ceteris refectio, et communia fercula, praeter quantitatem, quam ipse semper tam parvam sumebat, ut vix crederes hominem tantilla sustentari posse; sed quoniam de victus ipsius ratione, alibi mihi dicendum erit, jam hic non morabor. Finito prandio, cum ceteris omnibus post gratiarum actionem aderat in culina lotioni patellarum, neque fumus, aut frigus ipsi alioquin inimica causabat, quin detecto capite, et relicto foris pallio, diebus hyemalibus rectus in pedes persisteret ad finem exercitii, et precum. Cum ad verrendam scopis domum dabatur signum, Lucas omnium primus religiose succinctus in publicum prodibat, et postquam partem suam accurate mundarat; deinde per omnes discurrebat, si solerter, si silenter, modeste reliqui laborarent, nam ut illud lotionis, ita alterum hoc humilitatis exercitium ex ipsius instituto nemo apud nos cujusvis vel aetatis, vel qualitatis non subit.

Pari observantia religiosae flagellationi quam in Templo ter per hebdomadam cum statis precibus nobis infligimus, ipse pariter adveniebat, nec temporis nec Templi frigus aliquando causatus. Singulis anni diebus, nisi raro, et necessario casu prius domo extractus, communibus Vesperis in Choro cum ceteris assistebat, et ea parte anni, qua oratio mentalis vespertina ante noctem habetur (nam reliqua nunquam sanus aberat); cum ille prius domum revertebatur, tametsi lassus, et madida sudore vestis adureret ipsi cutem, non se abstergebat, non quiescebat, non excusabat, sed recta ad Chorum pergens cum ceteris meditabatur, et aliis finita oratione ad coenam dimissis, non raro prolixius persistebat, idque tandem septuagenarius absque ullo brachiorum aut pectoris fulcro, cui se nunquam in Choro inclinabat, sed corpore in genua erecto. In solemnitatibus, seu scholasticis, seu ecclesiasticis, cum ad publicum concursum aliquid adornari oportebat, postquam ordinaverat agenda, ipse operantibus inexpectatus aderat, si non melius dicerem semper expectandus, et in minimis quibusque non solum opus, sed et operandi modum praesens dirigebat, ea gubernii suavitate quam paulo antea descripsi. Ad ipsos publicos, vel scholae, vel Templi concursus, et ad nocturnas Chori horas, ne Praelati partibus ullibi deesse videretur, aderat interdum, capitis et stomachi dolore non leviter affectus, unde non raro crescebat morbus. Et si quis vel exterus, vel domesticus ipsum amice reprehenderet, quod majorem non gereret curam valetudinis, respondere solebat, agnoscere se quidem aliqua sibi licere causa valetudinis, sed non omnia expedire, quae licent: nec decere superiorem suis commodis indulgere, cum aliorum exigat in laboribus diligentiam: turpe esse Doctori, cum culpa redarguit ipsum: nihil Superioribus magis injunctum esse, quam bonum exemplum, proinde malle se personae suae deesse, quam officio.

CAP. XXVI (LXXII).

Fundatio Conventus, et Novitiatus Capranicensis.

Tale cupiebat Lucas, ac tale faciebat esse Collegium sancti Isidori, quandiu ipse vixit et viguit quale hactenus ipsum descripsimus, ut proinde aestimatio et amor incolarum in Urbe valde cresceret, et fama per Orbem late funderetur; sed quod Seneca cupiebat, in tali domo *sic habitabat Lucas, ut magis laudaretur dominus, quam domus.* Quibus factum est, ut plura loca in aliis Italiae Civitatibus et Oppidis, Romae circumvicinis, offerentur ipsi, et per multos annos instantissime rogaretur ab iis, qui auctoritatem habebant, ut loca hujusmodi vel tum constructa, vel pro ipso construenda libere susciperet, et ea Hibernis Fratribus inhabitari, ac e regulis Collegii Sancti Isidori, seu aliis ab ipso praescribendis gubernari faceret. Sed Lucas prudenter arbitratus non expedire Hibernis Provinciam in Italia fundare, quo minueretur numerus necessario et utilius mittendorum in Patriam, adeoque

contentus insigni Collegio in Urbe Roma, ex quo tamquam bonarum artium Seminario, ipsi in primis Hiberniae, vicinisque regionibus haeresum zizaniis infectis, ad solius verae fidei doctrinam, et pietatis opera conservanda et propaganda succurreret, omnium oblationes precesque repellebat, usque dum rebus in Hibernia bellorum et persecutionum turbatis, non tam frequens inde veniebat juventus, ut consuevit prius ibi religionem professa: neque enim in tantis rerum tumultibus juvenes e saeculo ad Ordinem suscipere, vel poterant, vel debebant Provinciae Patres. Lucas ergo meditatus remedium, quo posset habere juvenes, quo perpetuo sibi succedentes, per continuatam educationis disciplinam, doctrina et moribus adaptandi, aliis in CHRISTI vinea loborantibus auxiliares deinde mitterentur, necessarium judicavit, ut prope Urbem alicubi institueretur pro ipsis Hibernis tirocinium in quo ad Religionis habitum suscipi, et juxta Pontificias Ordinisque constitutiones educari possent juvenes Hiberni, qui in partibus cismarinis ad id a DEO vocati reperirentur; ac post professionem, tanquam ad secundum novitiatum, ad Collegium adducti, pietatis profectu, et litteris instruerentur ad finem fundationis Collegii.

Haec apud se agitanti Lucae et promovere parato prae ceteris locis, multorum approbatione, sed prae aliis Francisci Cardinalis Barbarini, placuit Capranica, Oppidum in Faliscis perantiquum, Sutrinae Dioeceseos, Roma distans, Viterbium versus, viginti et octo milliaria, naturalis aurae puritate, populique candore et pietate, atque aliis Lucae proposito opportunis qualitatibus commendatum; unaque Collegiata Ecclesia, uno Coenobio nostrorum Fratrum Conventualium, aliisque Templis ornatum: Ex quibus unum est quod S. MARIAE de Plano propterea vulgo nominant, quod in Deiparae Virginis honorem constructum sit, ducentis circiter passibus extra portam occidentalem Oppidi, in fronte plani campi arboribus ab ipsa porta ad umbram utrinque consiti, in quo nundinas suas, et annuos ludos celebrant Oppidani. Erat enim ante plures quam centum annos eo loco, quo facies Templi et anterius Coenobii latus nunc cernitur, simplex paries, et in eo picta D. Virginis imago, sed ob crebra magnaque miracula vicinis populis adeo reverenda, ut ex oblationibus ad eam factis, brevi tempore collecta fuerint, ac deinde in Templi structuram insumpta numeratae pecuniae duodecim circiter millia scutorum. Quod factum fuit eo tempore quo Palatium Farnesianum Caprarolae construebatur, reique curam tunc gerebat societas Venatorum, quae postmodum sacra Confraternitas facta fuit.

Deinde vero cum ex plurium piis legatis, et quotidianis devotorum oblationibus valde crescerent Ecclesiae proventus, ex illis anno MDLIX coeperunt adjungere Coenobium pro Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini, quibus Ecclesiam ipsam cum suis proventibus donarunt Oppidani, et illa societas Venatorum. Sed Patres, vel sua paucitate (erant enim semper duo tantum Sacerdotes, et unus Laicus) vel alia ratione impediti, non poterant Templo ad populi desiderium inservire, et aliqua ejus bona stabilia, ignota posteris ratione, perdiderant, unde diminuta erga ipsos populi devotione, inchoata Coenobii structura cessavit; et ipsa Ecclesia, praeter frontispicium, et partem lateralis muri, quae Coenobii fabricae nitebatur, anno MDCXXXII tota corruit. Sed populi in Deiparam devotione contributis sumptibus mox restituta, ea haud ineleganti forma, qua nunc cernitur, cum abside fornicata, et pictis imaginibus ornata, sub qua est praecipuum altare, et illa miraculosa Virginis imago, aliisque duobus hinc, atque duobus inde sacellis, sed tecto interius absque laquearibus adhuc nudo. Atque sic a Patribus Augustinianis tenebatur usque ad annum MDCLIII quo ipsorum inibi Domus regularis, inter alios parvos Conventus Innocentii X Pontificis auctoritate, suppressa fuit, et abeuntibus religiosis tribus, qui tunc aderant, Ecclesia cum inchoata fabrica Coenobii, aliisque rebus et reditibus ad eam pertinentibus concessa traditaque fuit Episcopo Sutrino, ut ex illis erigeret Sutri Collegium seu Seminarium, ad educandam in litteris juventutem illius Dioeceseos. Verum quia proventus ad id non sufficere videbantur, ne Templum interea clausum divino cultu destitutum esset, Episcopus ipsum tradidit saeculari Presbytero, qui sacellani titulo Missas in eo celebraret.

Desiderabant autem Oppidani solemniorem cultum Ecclesiae, et frequentiores Missa-

rum et Sacramentorum administrationes, ut propterea vehementer cupiverint locum Religiosorum coetui concessum iri; cumque subsentiscerent cogitatum Waddingi, tunc fortius cum ipso egerunt, ne alibi, quam apud se ipsos locum eligeret, praesertim Familia Nardinorum, quorum studio et sumptibus Ecclesiae praecipuum Sacellum, et Virginis ara cum altero Sacello S. Nicolai exornatum fuit. Accessit Illustrissimi Domini Marcelli Ananiae Sutrini et Nepesini Episcopi tum desiderium, ut Virginis templo decor et cultus non deesset, tum affectus in Lucam, qui proinde, ut loci Ordinarius non consensit solum, sed etiam ultro concurrit.

Nec inutilis fuit favor Eminentissimi Cardinalis Bracatii, vicinae Civitatis Viterbiensis Episcopi, antiqua benevolentia in Lucam proclivis. Res vicinius dependebat ab Illustrissimo Praelato Prospero Fagnano, Sedis Apostolicae ut in aliis pluribus, ita praesertim in ejusmodi Regularium domorum negotiis praecipuo Ministro, qui ut Lucam semper magna opinione habebat, et pari animo prosequutus est, ita quidquid illi viventi solatio esse credebat, vel post ejus mortem honestissimis ipsius intentionibus respondere, ad conservationem profectumque Collegii S. Isidori, id prompto semper animo, et efficaci studio perficere conabatur.

Sed conficiendi negotii caput fuit Romanus Pontifex Alexander VII, cujus in minoribus constituti vetus et sincera erga Lucam humanitas et benevolentia, studiorumque ipsius et morum aestimatio. Et quod paucis contingit, atque adeo in Alexandro rarae virtutis argumentum est, ut honoribus ad supremum aucta non minueretur, sed cresceret pristinae benignitatis dignatio, quod satis indicabat Pontificii Palatii Ministrorum in Lucam hilaritas, et favorum promptitudo: nam facilis illi ad Beatissimos pedes accessus, longiuscula collocutio, petitionum prona concessio, absentis etiam cum aliis honorifica mentio, et fixa memoria missis quandoque munusculis demonstrata. Et quod silere mihi personale piaculum foret, ea conservandi labores ipsius, et opera continuandi cura, ut ejusdem Lucae precibus, quae ipse collegerat monumenta, speciali mandato Sanctitatis Suae, singulari meae custodiae commissa sint, ut impositum opera continuandi onus levius faciliusque mihi fieret; imo vero ipsa Epitome Annalium, non absque peculiari Sanctitatis suae protectione, tam secura prodiret. Ex quibus nemo non advertit Alexandro Pontifici cordi fuisse, ut bona senectus Lucae Waddingi studiis honestissimis emerita, jucunda tranquillitate gauderet, et perennaretur ejus memoria. Nam tantae benignitatis influxum Lucae sepulchrum non absorbuit, sed in ejus filios nos S. Isidori Fratres continuo derivatur, qui post Patris nostri decessum palmari experientia sentimus, quanto animo cupiat Alexander Pontifex, ut optimi Patris exempla sectando, ab omni incursione liberi, et religiosa quiete laetantes crescamus gratia et numero, Deoque et hominibus placeamus. Quem proinde pluribus hic prosequi gratitudo me stimulat, sed timor temeritatis imperat silentium: majori enim ratione ab Alexandro Maximo Romano sanciretur, quam Alexander Magnus Macedo

Edicto vetuit, ne quis, se praeter Apellem,
Pingeret, aut alius Lysippo duceret aera
Fortis Alexandri vultum simulantia.

His ergo favoribus fisus Lucas, deque loci qualitate sufficienter instructus obtulit Pontifici supplicem libellum, quo in primis Collegii Sancti Isidori originem progressus, et fructus breviter exposuit, et ut continuari possent, necessarium fuisse ut peculiaris Novitiatus Hibernis juxta Urbem erigeretur, propter saevam persecutionem Ordinis et Fidei in ipso Regno Hiberniae. Deinde mutationes, et praesentem conditionem illius Ecclesiae, et suppressae Domus regularis Capranicensis, quas proinde rogavit, ut sua Sanctitas ad eum finem ipsi concederet. Igitur Alexander Pontifex sua sponte, et peculiari studio intentus in illa, quibus Catholica Fides vel conservari vel propagari posset, et ipsum Lucam operae, quam in negotiis Catholicae fidei plures per annos laudabiliter impendit, intuitu, specialibus favoribus et gratiis prosequi volens, edito diplomate, praedictum Conventum suppressum S. Mariae de Plano, una cum ejus Ecclesia, ac pertinentiis, et dependentiis universis ad hoc, ut in domum regularem pro Novitiis Nationis Hiberniae ad Ordinem recipiendis converteretur,

Apostolica auctoritate perpetuo concessit. Hinc determinato gubernio, et modo recipiendi Novitios, et recipiendorum qualitate, et peculiari modo instituendi Domus Guardianos, pro hac prima vice Fratrem Maurum Matthaeum ejusdem Ordinis et Nationis, Sacrae Theologiae Lectorem, ac prudentia, religionis zelo, et dexteritate commendatum, dictae Domus, seu Novitiatus Guardianum eadem auctoritate constituit. Praeterea eamdem Domum Novitiatus Provinciae Hiberniae univit, et incorporavit, aliaque constituit, quae ad loci gubernium pertinent. Quia vero dicti Conventus suppressi fabrica valde modica et imperfecta, neque Domui Novitiatus apta fuit, magnaque impensa opus erat, ut in formam Domus Novitiatus ejusmodi redigeretur. Idcirco reditus et bona quaecumque ejusdem conventus suppressi fabricae pro reductione illius in formam Domus Novitiatus faciendae itidem perpetuo applicavit. Necnon iisdem Lucae, et Mauro Guardiano, ut possessionem Conventus suppressi praedicti, ejusque Ecclesiae, ac pertinentiarum, et dependentiarum universarum ad effectum praemissum apprehendere, ac per Syndicum ipsius Domus Novitiatus reditus et bona ejusmodi meliori, quae fieri poterit, conditione vendere, et pecunias inde proventuras in eamdem fabricam, et non in alios usus integre convertere libere et licite possint, et valeant, quamcumque necessariam et opportunam facultatem, et licentiam, auctoritate et tenore praedictis tribuit et impertivit. Atque haec est summa diplomatis, quod cum aliis clausulis solemnitatis, firmitatis, et non obstantiae datum fuit in Arce Gandulphi die VIII Maji Anno Christi MDCLVI.

Lucas autem ineundae possessioni diem dixit ejusdem mensis Maji decimam quartam: et ad majorem solemnitatem actus, alium favorem adjunxit Pontifex, concedendo plenariam indulgentiam omnibus personis rite dispositis, qui interessent cum primum aperiretur Ecclesia. Aderat ipse Lucas cum Guardiano Mauro, et aliquot Religiosis e Collegio vocatis magna laetitia Cleri, populique tam ipsius Oppidi Capranicae, quam vicinorum, ex quibus convenerat numerosa multitudo, et educta supplicatione ex Ecclesia Collegiata S. Joannis processum est ad Sanctae Mariae de Plano, quae praemissis caeremoniis ad possessionem jure capessandam consuetis, aperta est illis, possessionem ipsam Ecclesiae, et reliquorum tradente Officiale seu Vicario Generali Episcopatus Sutrini. Hinc Archipresbyter et Canonici Summum Sacrum ad Virginis aram decantarunt, concinentibus in Choro Religiosis, Sermonemque valde laudatum ad populum habuit Pater Franciscus Antonius Riccius Romanus e nostris Fratribus Reformatis Sacrae Theologiae Lector, omnes prius per Lucam ad id rogati: distributa deinde plurima exemplaria illius miraculosae iconis, quam Lucas ad augendam populi pietatem aeneae tabulae incidi curavit. Post haec ipse Lucas, rei perficiendae studiosus, vestes ad sacrificia, libros ad studia, reliquamque supellectilem primae habitationi necessariam providit, quam non destitit augere dum vixit.

Mox litteris patentibus Generalium Superiorum Conventus Syndicum constituit D. Damianum Nardinum Capranicensem, utriusque juris Doctorem, ac Deiparae, et Religioni devotissimum, qui deinceps usque ad mortem non minorem habuit curam promovendi aedificii Conventus, quam rerum propriae domus, cujus diligentia adjuncta industriae Mauri Guardiani, directionique et curae Lucae factum est, ut locus nunc duodecim Fratrum habitationi cum tot cubiculis, et aliis officinis ad religiosas functiones necessariis aptus sit, ac totum reliquum Coenobii aedificium brevi absolvendum speretur: in quem finem, novo nutu Pontificis, Mauri Guardianatus ad alterum triennium prorogatus est. Habitant autem hactenus Sacerdotes ad minus sex, et quatuor laici Fratres, et Novitii aliquot jam educati sunt, magnoque populi beneficio, et satisfactione Cleri, neque Altaribus sacrificia, neque Choro publici officii diurni nocturnique pensum, neque populo bonum exemplum, aut sedula Sacramentorum administratio desunt. Quia vero sumptus aedificii ex relictis illis priorum incolarum proventibus non tam facile depromi poterant, aliorum pietas auxilio fuit, praesertim Benedicti Cardinalis Odescalchi, qui competentem summam contribuit, et Nicolai Cardinalis Ludovisii, qui suis pecuniis capacem hortum ad olera ferenda pro Fratrum victu necessarium adjunxit; reliquus a quotidiana Oppidanorum

caritate, et aliis eleemosynis Fratrum industria mendicatis provenit. Alexandri vero Pontificis in Hiberniae Franciscanos beneficii, et pastoralis zeli ad Christi fidem, etiam inter Acatholicorum gladios flammasque conservandam, perenne monumentum Waddingus super liminari saxo incidendum voluit, quod quia nondum positum est, ego ut beneficium Insularum ultimis collatum, et patrocinium oppressis praestitum leviora marmoribus folia ad clientes usque perferrent, hanc saltem ejus memoriam non omittendam judicavi.

cap. XXVII (lxxi).

Quos fructus Collegium hactenus tulerit.

Nunc denique Waddingum tantos labores in fundando regendo Collegio non tolerasse, me etiam tacente, manifestum publicumque fecerunt fructus inde collecti, ac Dei ope continuandi confirmabunt. Religiosa obsequia populo semper exhibita, seu in excipiendis confessionibus, seu in ecclesiasticis officiis, seu in continuatis a summo mane ad meridiem usque quotidianis sacrificiis, seu infirmorum promptis ministeriis, quacumque vel diei vel intempestae noctis hora vocamur, seu in aliis operibus charitatis absque alia cum saecularibus familiaritate, quam quae ipsis sacris ministeriis necessaria videtur, praeter alia pietatis exercitia domestica quae jam prius explicavi, et clementia Dei confisi speramus nos Populi Romani erga nos charitati et beneficiis etsi mediocriter, sed quadantenus tamen per ea respondere. Ea religiosae conversationis aedificatio ut fama nostra, divina protectione hactenus integra, Collegii alumnorum vivendi ratio per Lucam praescripta et conservata, a Superioribus passim aliis exemplo proponeretur.

Ea scholasticae disciplinae districtio, qua praeter domesticos scholares, ad commune bonum et publicum plausum, nunc educantur etiam alumni nobilis Collegii Matthaeiorum, ut ante educabantur alumni Hiberni Collegii Ludovisiani, aliique probi et probati juvenes, qui ad scholas nostras venire volunt. Praeterquam quod plures Ordinis Provinciae nostrarum scholarum exemplo ad virtutis aemulationem citae sint, in quibus hinc erecta studia, eo solo titulo satis approbata Superioribus, aliisque satis laudata sunt, cum ad Collegii S. Isidori normam exercitari noscuntur. Et qui hodie est totus ordinis Minister Generalis, Michael Angelus a Sambuca, propria experientia doctus, cum olim apud nos in Collegio habitaret socius et Secretarius Benigni Genuensis, quantopere ad scientiam et pietatem prodesset usus exercitiorum spiritualium, quae dixi bis in anno a S. Isidori Collegio iniri, non citius ad supremum Ordinis clavim adscitus est, quam eadem exercitia stabili lege in generalibus comitiis per universum Ordinem observari sancivit, et ex comitiis in Italiam redux executioni mandari curavit. Aliae sunt in Collegio plures personae, quae primis ac praecipuis Ordinis officiis ac dignitatibus, vel donati vel digni fuerunt; praeter plures quam ducentos religiosos juvenes, triginta circiter annorum spatio, gratuito et liberaliter educatos, ex quibus inde ad varias Europae Provincias, intra et extra Italiam plures quam septuaginta Philosophiae et sacrae Theologiae Lectores destinati, qui effective cum fructu et laude illas facultates diu docuerunt et praeter doctrinam ac pietatem, invexerunt etiam Provinciarum scholis, magno ubique Religionis honore et emolumento, illum studiorum fervorem, assiduitatem et methodum, quam hic didicerunt. Atque ex his viginti circiter docendi laborem ad Jubilationis annos, alii etiam ulterius patienter tulerunt, quo multos ad sapientiam erudierunt discipulos, illarum deinde Provinciarum Rectores et praecipuos Patres, aliosque tum ex aliis religiosis Ordinibus, tum e saeculari clero sacris dignitatibus deinde claros.

Alii praeter ea quae in ipso Collegio elaborata dixi suis lucubrationibus ediderunt, et plures plura nondum edita scripserunt et continuo scribunt opera, quae ipsorum scientiae et pietatis testimonium perhibebant. Alii doctrina et moribus hic sufficienter imbuti, deinde in patriam remissi fuerunt, qui religiosae suae conversationis exemplo, et sedula sacramentorum administratione cum sacris concionibus et privatis congressibus eos pietatis et fidei fructus ab haereticis Catholicisque reportarunt, ut specialem requirant tractationem.

Ex iis vero multi Provinciae Ministri, Custodes, Diffinitores et coenobiorum Superiores fuerunt; multique graves persecutiones, exilia, carceres, ludibria, verbera, membrorum mutilationes et mortem ipsam etsi apud profanos ignominiosam, sed sui causa in conspectu Domini pretiosam, constanter et alacriter pertulerunt, suspensi, secti, trucidati. Sed eo solo crimine damnati, quod Religiosi et Sacerdotes essent, quod Missas celebrarent, quod Sacramenta ministrarent et Hibernicam gentem in Catholicae Romanae fidei et Romani Pontificis observantia continerent, et ad eam convertere studerent alios quos possent. Neque sic terrentur fratres, sed excitantur magis eorum charitas et zelus, quemadmodum ab initio Christianitatis. *Nequicquam proficiebat exquisitior quaeque persecutorum crudelitas, sed illecebra erat magis catholicae religionis.* Ita ut Fratres nostri ultro appetant ejusmodi pericula, seseque gladiis objiciant, ut animas suas ponant pro amicis in saeva persecutione de animarum salute solicitis: nec minus laborant nostri Superiores ut aliquorum fervorem temperent, quam facere debere viderentur, ut alioquin tepidos excitarent et cierent ad subeundum tam sanctum agonem.

Non dices quanto ornamento sit huic Urbi quod habeat in suo gremio tam remotae gentis et ipsi ex animo et fide devotissimae, copiosum et religiosum conventum, in quo Catholicae fidei semen servetur et crescat. Etenim Ecclesia Romana tametsi vestitu deaurato suae fidei et charitatis habitet in domibus eburneis solidi candoris sui, tunc tamen pulchrior est, cum etiam exterius sit circumdata, et ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Hoc Collegium, ex quo tot viri praeclari prodierunt, et in quo aliquando purissima Regulae seraphicae observantia atque exactissima disciplina religiosa viguit, ob injuriam temporum a primaeva sua disciplina et observantia non parum defecerat. Quare Ministri Generales, quibus hoc Collegium immediate subjectum est, sicut et Capranicense, strenue laborarunt, ut in utroque Collegio antiquam disciplinam a fel. rec. P. Luca Waddingo ibi implantatam restituerent, et sic tum singulorum individuorum, tum totius Provinciae Hiberniae utilitati melius prospicerent. In hoc sancto reformationis opere perficiendo, votis Ministri Generalis debita obedientia obsecundans, Recollecta Provincia Saxoniae S. Crucis adjutricem manum praestitit, nihil aliud prae oculis habens, nisi majorem Dei gloriam necnon juvenum et totius Provinciae Hiberniae utilitatem. Innumera sacrificia Provincia Saxoniae pro praefatis duobus Collegiis, quae ad Recollectam Provinciam Hiberniae pertinent, et semper pertinebunt, libenter fecit et adhuc facit, nullum proprium emolumentum quaerens, sed solummodo fraterno amore erga Hibernos confratres, et obedientia erga Ministrum Generalem ducta.

Deus O. M. curis et laboribus Ministri Generalis et praelaudatae Provinciae Saxoniae benedixit, ita ut in utroque Collegio nunc vigeat et denuo floreat pura nostrae sanctae Regulae observantia et disciplina vere religiosa. Hinc sperare possumus, fore, ut haec duo Collegia, sicuti elapsis temporibus fuerunt, ita et deinceps semper sint gloria Recollectae Provinciae Hiberniae. Et Deum enixe rogamus, ut Provinciam Saxoniae pro omnibus sacrificiis et pro laboribus in emolumentum horum Collegiorum exantlatis caelestibus benedictionibus abundanter remunerare dignetur.

(Finis)

IV.
BIBLIOGRAPHIA

Bonaventura (P.) a Surrento, Min. Cap. — Liber aureus franciscalis, seu Minorita quoad Regulam, seipsum et ministerium. Collegit Fr. Bonaventura a Surrento, Capucinus. — Neapoli-Surrento: excudebat Salv. Festa, bibliopola MDCCCLXXXXI. In-16. pag. 436.

Nuevo Nombramiento de Comisario General Visitador y reformador Apostolico de Los Conventos de la Provincia de S. Antonio de Las Charcas existentes en Bolivia hecho por su Santidad Leon XIII y el Revmo P. Ministro General de la Orden Franciscana

F. Luis de Parma. Traducion al Castellano. Roma, Imprenta « degli Artigianelli » de S. José Via Monserrato, 149. 1891.

P. Jarlath Prendergast, Min. Rec. — 1. The Franciscan Manual, and Seraphic Treasury of Prayers and Devotions; with Encyclical, Constitution, new Rule and Ceremonial of the Third Order, by His Holiness Leo XIII; also the Archconfraternity of the Cord, and indulgenced Devotions; to which are added Epistles and Gospels, and a choice Collection of Hymns. By Fr. Jarlath Prendergast, O. S. F. Seventh Edition. Revised, corrected, and improved. — Dublin: James Duffy and Co., Limited, 14 and 15 Wellington Quay. Pag. 848.

2. Constitution, Rule, and Ceremonial of the Third Order of St. Francis, by His Holiness Leo XIII; also Ordinary of the Mass, and Little Office of the B. V. Mary. — Dublin: James Duffy And Co., Limited, 14 and 15 Wellington Quay. Pag. 256.

3. Manual of the Children of Mary, for the use of Boarding-Schools and Orphanages. From the French. New edition, revised and improved, with indulgenced Prayers from the *Raccolta,* and Prayers and Instructions, approved by Ecclesiastical Authority; also Appendix with Ordinary of the Mass, Vespers and Complin, hymns for Benediction, etc. — Dublin: James Duffy and Co., Limited, 14 and 15 Wellington Quay. 1890. Pag. 441.

4. The Franciscan Treasury of Prayers and Devotions, and The Four Methods of hearing Mass, by S. Leonard of Port Maurice, O. S. F.; also Constitution, Rule, and Ceremonial of the Third Order of S. Francis, by His Holiness Leo XIII; to which are added Ordinary of the Mass, and the Little Office of the B. V. Mary, with a choice Collection of Hymns, Latin and English. — Dublin: James Duffy and Co., Limited, 14 and 15 Wellington Quay. Pag. 256.

5. The Cord of. S. Francis; with Indulgences and Devotions. From authentic sources. Fourteenth edition. — Dublin: James Duffy and Co., Limited, 14 and 15 Wellington Quay. Pag. 70.

6. Biographical Series: Saint Francis of Assisi, Twentieth Thousand. — London: Office. 18 West Square, S. E. Price One Penny. Pag. 24.

7. The Little Office of the Blessed Vergin. Latin and English. — Dublin: James Duffy and Co., Limited, 14 and 15 Wellington Quay. Pag. 119.

8. Pearls from the Hidden Treasure of holy Mass, by Blessed Leonard of Port Maurice. — London: 18 West Square, S. E. Price One Penny. Pag. 64.

P. Ildephonsus Verkinderen, Min. Rec. — Christoffel Colomb. Zyne betrekkingen met de Franciscanen. Ter gelegenheid van het 400 Iubeljaar der ontdekking van de Nieuwe Wereld. 1492-1892. Door P. Fr. Ildefons Verkinderen, O. S. F. — Gent, Drukkerij A. Siffer. 1891.

Dr. Joannes Marković, Min. Obs. — Cesarizam i bizantinstuo u proviesti iztočnog razkola napisao Dr. Jvan Marković, Franjevac Drzave presv. odkupitelja. Dio I. U Zagrebu, Tisak Dionicke tiskare 1891. in 8°. pag. XXIX-551.

Latine: Caesarismus et byzantismus in historia schismatis orientalis.

J. C. (P.) a Ll., Min. Cap. — 1. Modelos de Religiosa juventud formados en la escuela de San Francisco. Noticias edificantes coleccionadas y publicadas por el P. J. C. de Ll., Cap. — In-16. pag. 215.

P. Marcellinus a Civetia et Theoph. Domenichelli, M. O. — Itinerarium Breve Terrae Sanctae Patris Fratris Leonardi Du Clou Lemovicensis de Compregnaco, Minoritae Recollecti Provinciae Immaculatae Conceptionis in Aquitania, edidit P. Marcellinus a Civetia cum socio suo Theophilo Domenichelli. — Florentiae, ex Officina Libraria Henrici Ariani 1891. In 16. Pag. VIII-252. Prezzo L. 5.

P. Silvester Winkes, Min. Recol. — Seraphischer Tugendspiegel, oder Leben der Heiligen aus den drei Orden des h. Franciscus Seraphicus, auf alle Tage des Jahres, mit entsprechenden Erwaegungen und Kirchengebeten. Von P. Silvester Winkes aus der Saech-

sischen Franciscanerprovinz vom heil. Kreuze, 2. neudurchgesehene Auflage. Heiligenstadt. Cordier, 8. pag. XVI-1184.

Latine: Speculum seraphicum virtutum, sive Vitae Sanctorum trium Ordinum S. Francisci Seraphici, pro omnibus anni diebus, adjunctis convenientibus considerationibus et orationibus Ecclesiae. Auctore P. Silvestro Winkes Ord. S. Franc. Provinciae Saxoniae S. Crucis. Editio secunda, denuo revisa.

Hic liber utilissimus pro Tertiariis continet 365 vitas Sanctorum, Beatorum ac Venerabilium trium Ordinum, adjectis considerationibus brevibus, sed ad vitam christianam informandam aptissimis. Quapropter merito brevi tempore secundam editionem promeruit.

P. Stephanus Constantinus Bralić, Min. Obs. — Prirućni Tumać redovnićkih Dužnostih i prava u juridićno-Moralnih Asketićnih razlaganjih spisao O Krunoslav-Kosta Bralić Franjevac obslužnik, sin redodržave bosne srebrene, generalni Lektur Mudrnslovja i Bogoslovja U Livnu, 1891. Tiskom Dragutina Laubnera u Osicku. In 8°. pag. 492.

Latine: Manualis Expositio regularium obligationum atque jurium.

Quod opus singulis nostris Fratribus croaticam linguam callentibus maximopere commendamus. Venumdatur apud bibliopolas Croatiae 2 flor. aust. cum 20 crucigeris franco.

P. Teodosio da Sandetole, M. R. — Elogio funebre del P. Damiano dalla Rocca S. Casciano, Minore Riformato, letto nella chiesa del sacro Monte della Verna dal P. Teodosio da Sandetole il 18 settembre 1891. — Prato, tipografia G. Salvi 1891, pag. 39.

V.

NECROLOGIA

Ex Missionibus Franciscanis in imperio Sinensi dolorosam percepimus notitiam de morte Excellentissimi ac Illmi P. Aloysii Moccagatta, Episcopi tit. Zenopolitani ac Vicarii Apostolici de Chan-Tong in Sinis. Praeclarus hic filius S. Francisci a piis ac honestis parentibus die 9 Octob. 1809 in oppido Castellatio Dioecesis Alexandrinensis in Pedemontio ortum habuit, et in nativo loco elementares scholas frequentavit. Vocationem pro seraphico Ordine S. Francisci sentiens, dum anceps haeret cui familiae nomen daret, divina accidit providentia, ut Lector quidam Min. Obs. per vicum transiens, et adolescentis vocationem ac bonam indolem agnoscens ipsum secum Romam duxerit. Ortae in nostro conventu SS. Trinitatis die 14 Oct. 1826 religiosum habitum sumpsit; ac finito exemplariter anno probationis, et votis solemnibus nuncupatis, se studiis philosophicis ac theologicis solertissime devovit, et cum applausu theses theologicas Veroli publice sustinuit ac defendit.

Ad sacerdotalem dignitatem 23 April. 1833 evectus, totum se praedicationi verbi Dei dedicavit, et maximo cum successu populum ac rudes in doctrina christiana instruxit, adeo ut omnium animos sibi devinceret, superioribus vero ac ipsi Episcopo vel maxime acceptus extaret. Verum zelo salutis animarum abreptus, petiit ac impetravit facultatem se ad infideles in vasto Sinarum imperio conferendi. Sed, ut cum emolumento suum apostolatum exercere valeret, notitiam perdifficilis linguae Sinensis tanto cum studio acquisivit, ut in Propaganda Fide primum retulerit praemium.

Sub finem mensis Aprilis 1840 Roma cum quodam suo socio ac confratre P. Gabriele de Moretta, postea Episcopo et Vic. apost. in Chan-si, gressus novam suam stationem versus direxit. Et superatis omnibus periculis ac difficultatibus in mari et in terra, feliciter Maccaum in Festo S. P. Francisci appulit. Sed ob tunc temporis ibi motam atrocem in christianos persecutionem, in interna imperii haud penetrare ausus est: sed in fundo navis in quodam exiguo foramine vix unius metri altitudinis illum per continuos quadraginta dies delitescere oportuit, quin unquam exire vel se erigere potuerit. Quae vero in terra sustinere debuerit, iter per vias impervias noctu ac die, saepe inter coruscationes ac imbres, instituens, continuo in periculo incidendi in manus persecutorum, vix aliquis est qui describere valeat? Tandem mense Julio 1841 sanus ac incolumis pervenit in Chan-Tong:

et tanto cum zelo ac prudentia suum apostolatum exercuit, ut eum Episcopus Besi in suum nominaverit Vicarium Generalem.

In Episcopi discessu ad Kian-Nam, cujus administrator erat, ipse remanens Superior Vicariatus vastam Provinciam visitavit annuntiando fidelibus ubique verbum Dei, gentiles, rudes ac catechumenos in religione instruendo et catechizando. In sua residentia aliquot extruxit cubilia ac ecclesiam. Verum vicinus Mandarinus obsedit vicum, residentiam depraedavit ac ecclesiam solo aequavit, secum in catenis 28 christianos captivos conducendo. Noster P. Aloysius videns certum periculum vitae, vestibus mutatis, feliciter manus carnificum evasit, atque ad limitropham Provinciam Che-Ly pervenit ubi apud Missionarium mansit. Interim occulte visitabat suos eisque sacramenta administrabat, et cessata persecutione ad suam depraedatam rediit residentiam, ecclesiam reaedificavit, in qua nominatus coadjutor Episcopi die 11 Maji 1845 consecrationem episcopalem accepit.

Factus Vicarius Apostolicus de Chan-Tong ejus prima fuit cura erigendi Seminarium pro operariis in vinea Domini, cujus primus rector ac professor ipse fuit. In Tsi-nan-fu capitali civitate suae Provinciae recuperavit antiquam missionariorum residentiam : duo aedificavit orphanotrophia, multiplicavit operarios in vinea Domini, ita ut, quando translatus fuit ad Vicariatum Chan-si a vicariatu Chan-Tong, ibi jam fuerint 20 sacerdotes, et fidelium numerus a 5 ad 12 millia accreverit.

Translatus ad Vicariatum Chan-si a. 1862 aequali zelo novum administravit vicariatum ecclesias aedificando ac instituta pro educatione puerorum erigendo. In suo vicariatu anno 1880 jussu Summi Pont. Leonis XIII synodum provincialem celebravit, in qua tales dispositiones ac ordinationes pro cleri disciplina, ac religionis propagatione factae fuere, ut eas sacra Congregatio de Propaganda Fide pro norma in synodis celebrandis aliis Vicariis proposuerit ac commendaverit.

Noster Episcopus non solum fuit indefessus ac zelosus in suo apostolico munere obeundo, verum semper ac ubique integram fidem suo Ordini conservavit et se verum filium verbo ac opere S. Francisci demonstravit.

Laboribus ac aerumnis fractus, ultimis suae vitae annis jam vires defecerunt, adeo ut necesse fuerit ipsi coadjutorem dare, nunquam tamen destitit pro suis laborare et orare. Tandem appropinquante fine suae mortalis vitae, devote sumpsit sacramenta morientium, et ei assistente suo digno coadjutore ac clero indigeno in corona fratrum die 6 Sept. cur. an. placidissime obdormivit in Domino.

R. I. P.

Die 6 Septembris desinentis anni, R. P. Stephanus Maria Rougé a Beauteville, Obs. Prov. S. Ludovici in Gallia filius et Vicariatus Chen-si Septentrionalis in Sinensi imperio Missionarius, Ecclesiae sacramentis pie susceptis, in Domino obdormivit. Natus erat in pago *Beauteville* Tolosanae Archidioecesis die 22 Julii 1851, seraphico Ordini die 1 Martii 1870 nomen dederat et solemni emissa professione die 26 Aprilis 1874, ad sacrum sacerdotium promotus fuerat. Anno 1884 ad Sinenses Missiones pergendi obtenta licentia, ibidem egregia sua indole, pietate, animarum zelo, fraterna caritate, Superiorum et Confratrum suorum corda sibi devinxit. Seminarii Director, et Sororum Franciscalium Mariae Missionariarum confessarius renuntiatus, duplicis muneris officia prudenter obivit, donec grassante typhi contagione et una ex Sororibus jam morte perempta, ipse aperte praenuntiavit Dominum alias duas victimas elegisse, alteramque Sororem ac semetipsum Deo vitam esse daturos.

Revera contagioso morbo correptus aegrotare coepit, simulque Mater Vicaria, Orphanotrophii Directrix, et ambo, martyres caritatis, ut ait Rmus Dnus Pagnucci, Vicarius apostolicus, animam suam Redemptori, die 5 Septembris Sanctimonialis, dieque sexta Pater Stephanus reddidere.

R. I. P.

Nihil obstat
Fr. Aloysius, Min. Gen.

Sacerdos Henricus Lanzetta, Gerens resp.

TABULA MATERIARUM

PERIODICI

ACTA ORDINIS MINORUM

ANNO 1891.

—

I. — ACTA ROMANO-SERAPHICA.

II. — Acta Ordinis.

Synopsis Indulgentiarum in commodum Fratrum Ord. nostri.

Capitula Provincialia celebrata anno 1890.

Anno 1891 celebrata.

Causae Sanctorum Ordinis nostri.

III. — Missiones.

Capitula Collegiorum celebrata.

IV. — Varia.

V. — Bibliographia.

VI. — Necrologia.

INDEX

RERUM NOTABILIUM

QUAE IN QUINQUE ULTIMIS VOLUMINIBUS REPERIUNTUR

A

B

C

D

E

F

G

H

N

O

P

Q

R

S

U

V

W

Y

Z

INDEX COAEVORUM RELIGIOSORUM

PRIMI ORDINIS

IN QUINQUE VOLUMINIBUS DESIGNATORUM

NOTA : Littera D, post nonnulla nomina, indicat *Defunctos*.

A

D

G

H

N

O

P

Q

R

S

T

U

V

W

X

Z

	DATE DUE		